ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI
OCCIDENTALIUM MONACHORUM
PATRIARCHÆ.

In quibus non modo res monasticæ, sed etiam ecclesiasticæ historiæ non minima pars continetur.

Auctore Domno JOHANNE MABILLON, *presbytero & monacho ejusdem Ordinis è Congregatione S. Mauri.*

TOMUS TERTIUS,

Complectens res gestas ab anno Christi DCCCL. ad annum DCCCCLXXX. inclusive, cum Appendice, & Indicibus necessariis.



LUTECIÆ-PARISIORUM,
Sumtibus CAROLI ROBUSTEL, via Jacobea, ad insigne Arboris Palmæ.

M. DCCVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET SUPERIORUM FACULTATE.

IN TOMUM TERTIUM

ANNALIUM
BENEDICTINORUM.

PRÆFATIO.

ANNALIUM nostrorum tomus tertius posteriores quinque sæculi noni annorum decades ; octo vero priores sæculi decimi complectitur. Mirum esset, si in tam longo tot annorum decursu res publicæ uno eodemque tenore fluxissent, cum nec anni annis similes, immo nec dies dicbus pariles plurimum succedant. at nihilo minus permirum fortasse nonnullis videri possit, in duobus illis sæculis, quæ se se contingunt, tantam subito factam esse rerum conversionem, ut moribus longe amplius distent, quam temporum intervallis. Tantæ, tamque repentinæ mutationis causas investigare operæ pretium fuerit.

Utrique sæculo communia fuere bella, sæculo nono potissimum a Nortmannis ; decimo ab Hungaris, præter civiles & intestinas discordias, utrique etiam communes. Jam vero illud sæculo nono singulare, quod in eo magna exstiterit eruditorum virorum copia, necnon præstantium pontificum, præsertim in Romana ecclesia, in qua non unus Nicolaus I. Magni cognomen meruit. at contra sæculo decimo rari hoc nomine digni pontifices, immo plerique tam sacra summaque dignitate prorsus indigni, qui sanctissimam illam sedem male factorum spurcitia & atrocitate dehonestarunt. Ad hæc, sæculo nono multa morum elegantia : decimo efferata passim barbaries, ad cædes & ad nefanda quæque facinora præceps. Denique sæculo nono non mediocris legibus reverentia tribuebatur : sequenti immanis grassata est quidvis audendi, agendique licentia. Unde illustrissimus ecclesiasticorum Annalium scriptor non dubitavit asserere, ecclesiam in nullo umquam graviori versatam fuisse discrimine, nec manifestiori pereundi (si fieri posset) constitutam periculo, quam per bella, tumultus & flagitia sæculi illius turbulenti, quod sui asperitate ac boni sterilitate *ferreum* ; malique exun-

dantis deformitate *plumbeum*; atque scriptorum inopia *obscurum* appellat. Unde ergo tanta in duobus illis sibi succedentibus sæculis diversitas?

Non unam, sed plures tam infaustæ ac subitæ conversionis causas fuisse constat: sed tamen, ut quidem ego existimo, felicior ille sæculi noni ac probabilior status ex cultu potissimum bonarum litterarum: contra vero infanda illa sæculi decimi corruptela ex crassa ignorantia & litterarum neglectu profecta est. quod etiam in prioribus sæculis facile quivis animadvertere poterit. Sublata quippe scientia litterarum, non est qui alios erudiat, non est qui exhortetur, non est qui peccantes arguat. Hæc ubi defecerint, impune peccatur, impune violatur religio. Denique absque his exercitationibus, absque studiis, sacerdotes & ecclesiæ ministri in desidiam resolvuntur, & in cetera, quæ inde consequuntur vitia; nullaque inter sacros altaris ministros ac plebem distantia: ut populus, sic sacerdos.

Id probe intelligebat eximius ille princeps Carolus, re ac nomine vere Magnus, qui subditorum mores in toto reformaturus imperio, simul de restituendis litteris in primis sollicitus fuit: certus ex earum restitutione mores formari, si non statim meliores, saltem politiores. quæ res magnum comparandæ virtuti adjumentum affert: contra ex litterarum neglectu indocilem plerumque ferociam & indomitam cervicositatem oriri, quæ vix ullis monitis & adhortationibus ad virtutem flecti possit. Qualem successum habuerit Caroli Magni in restituendis litteris consilium, satis superque probat florens illius sæculi status, quo vix ullum a fundato Francorum principatu illustrius fuit, maxime si priora & media tempora considerentur.

Caroli Magni exemplum secutus est Ælfredus Anglo-Saxonum rex ad restituendam in regno suo virtutem ac pietatem, ob id Magni, uti & Carolus, cognomen merito consecutus. Antequam regnum adiret, eo usque litterarum studia in Anglia obsoleverant, ut nec sacerdotes ipsi latine scirent; & recte docendi, & bene vivendi prorsus expertes. Rex ipse, omnis eruditionis expers & ignarus, ubi thronum conscendit, exemplo itidem Caroli Magni non erubuit jam ætate provectior litteras discere, ut alios ad eas condiscendas exemplo suo excitaret. Hinc præter Asserum & Plegmundum episcopos, doctos e Gallia viros ad populares suos erudiendos accersivit, Grimbaldum scilicet Sithiensem & Johannem Altsaxonem monachos: per quos Oxoniensem fundavit academiam, ex qua fons doctrinæ ac virtutis in omnes regni sui provincias derivaretur.

Hinc refellitur quorumdam opinatio, qui litterarum studia virtuti exitiosa esse existimant, præferuntque rusticam & crudam simplicitatem, quam magis docilem, & ad virtutem capessendam habiliorem esse putant. Certe hæc causa gravis esset, maxime apud monachos, quorum præcipuum ac fere unicum studium esse debet comparandæ quovis modo virtutis. Itaque si litterarum studia bonis moribus nocere constaret, hæc monachis prorsus interdicenda essent, quibus longe potior ratio recte vivendi, quam sciendi incumbit. Et quidem nonnullorum

ingenia & mores studiis corrumpi facile concesserim: at id non ex ipsa studiorum natura, sed ex pravo eorum usu oritur. Et fortasse illis ipsis non minus exitialis foret ignorantia, quæ ignaviam & socordiam, rem virtuti omnino inimicam, parere consuevit. Denique non dubito, plures ignorantia corrumpi, quam litterarum cultu, quæ homines saltem humaniores, & ad vitam socialem aptiores reddunt. Elegantem enim & liberalem doctrinam liberalis quoque natura & indoles comitari solet.

Non tamen negaverim, quibusdam obesse posse studia, iis maxime, quos internus ad virtutem igniculus inflammat, quos Spiritus-sancti unctio docet de omnibus. Sic initio nascentis christianæ religionis sufficiebat beata illa & sancta simplicitas, qua præditi erant, quotquot Spiritus-sancti habebant primitias. Sic principio institutæ, aut renovatæ monasticæ institutionis scientiam bonarum artium in plerisque supplet eadem illa simplicitas, id est perfecte ad Deum conversa voluntas. At ubi tepescere cœperit primigenius ille fervor, nisi litterarum studiis foveatur, aut piis aliis exercitationibus; sensim degenerat in supinam & crassam quamdam socordiam, qua virtus marcescit, hebetaturque vigor animorum: cui fovendo vel excitando multum conducit liberalis bonarum litterarum tractatio. Id exemplo suo nos docuerunt e nostris, Rabanus, Paschasius Radbertus, Lupus abbas, Haimo, Hincmarus, Hericus & Remigius, ceterique sæculi noni illustres viri, qui sacrarum litterarum scientiam cum pietate conjungere ex æquo studuerunt, & ad posteros transmiserunt.

At enim ex his studiis persæpe oriuntur lites, rixæ & contentiones, quæ eo usque nonnumquam progrediuntur, ut ecclesiam, & rem publicam vehementer conturbent. Id patet ex ipso sæculo nono, in quo variæ inter viros doctos concertationes, de sacris imaginibus, de gratia & gemina prædestinatione, de sacra eucharistia, aliisque de rebus, magnis animorum commotionibus agitatæ sunt. quæ omnes sæculo decimo desierunt, in quo nullæ, nisi leves admodum, ejusmodi contentiones excitatæ leguntur. Verum, ut jam dixi, hæc vitia sunt hominum litterarum studiis abutentium; & disputationes illæ non omnino inutiles sunt ad illustrandam veritatem. Quamquam optandum sit pacatiora esse, præsertim monachorum, studia, a rixis & contentionibus, quæ bilem movent, non quæ ingenium exerceant, prorsus aliena: quæ non ad movendas inutiles quæstiones, sed ad refellendos, si opus sit, errores adhibeantur; uno verbo ad expoliendos animos, ad formandos fovendosque bonos mores, non ad corrumpendos.

Hac mente, hoc consilio bonas artes sectatus est venerabilis Beda, &, ut in sæculo nono sistamus, Paschasius Radbertus Corbeiensis abbas, qui tantam in præclara, ut illa tempora ferebant, eruditione modestiam tenuit, ut non modo se *omnium monachorum peripsema* passim dictitaret ac scriberet, sed etiam factis se ita sentire testatus sit, quippe qui ad suscipiendum sacerdotium numquam adduci potuerit, levitico gradu contentus. Huic adjungere plures alios licet, in quibus Lupus abbas Ferrariensis, ut erat politiorum litterarum doctrina instructus,

ctsi de rebus gravissimis scripserit, cum tamen semper observavit modum, nullum ut adversariorum suorum vel minima umquam verborum injuria offenderit. Atque ut erat etiam ab omni cavillandi prurigine longe alienus, Gothescalcum monachum, quem supervacaneis quæstionibus nimium indulgenrem ex ejus litteris intelligebat, monet hortaturque epistola xxx. ut nequaquam ultra in talibus ingenium suum conterat: ne his ultra quam oporrer occupatus, ad utiliora vestiganda, sive docenda minus sufficiat. Has regulas si religiose observarent qui litteras tractant, nullæ, nisi honestæ & pacaræ disceptationes ex eis orirentur. Ita affectus erat eximius iste abbas: ita affecti erunt alii omnes, quotquot liberales artes liberali animo tractaverint.

Quæ hactenus dixi de necessitate studiorum, non eo tendunt, quasi ea omnibus & singulis necessaria esse velim, cum multis sufficiat corporalis aut liberalis aliqua exercitatio cum pietate & docilitate conjuncta: sed eo spectant, ut perspicuum sit corpori, ut ita loquar, tum ecclesiæ universim, tum speciatim monastici instituti, necessariam esse eruditionem, cujus defectu sæculum decimum a florentis sæculi noni principio & progressu adeo degeneravit.

Verum qui fieri potuit, inquis, ut tam subito tanta ignorantia in totum fere occidentale imperium irrepserit? Hujus rei causæ potissimum duæ: continua scilicet bella, cum exrerna, tum domestica, quo nullum litteris exitialius malum: necnon declinatio & distractio sub Caroli Magni posteris regiæ & imperialis auctoritatis: qua languenre & labefactata, bonas quoque artes languescere & jacere necesse est. Post mortem Caroli-Calvi, qui viros litteratos, quantum regni rurbulentus sinebat status, allicere, & beneficiis augere affectavit, res parum prosperæ fuerunt sub Ludovico-Balbo ejus filio, ejusdemque nepotibus Ludovico & Carolomanno: quibus brevi mortuis, regnum translatum ad Carolum-Crassum imperatorem, tantæ sustinendæ moli prorsus imparem. Hujus tempore metropolis Galliarum Lutecia-Parisiorum diutina obsidione a Nortmannis lacessita, irrito ejus auxilio, expugnari tamen non potuit. Crasso ob inertiam deposito, & Arnulfo in ejus locum imperatore substituto, Odo Francici regni moderator factus est sub Carolo, postmodum dicto Simplice, Ludovici-Balbi filio impuberi: cui jam fere adulto regni tantum portionem cessit, nec nisi mortuus totum eidem resignavit. Nec tamen sub Carolo tranquillæ res fuere, qui à Francis desertus, & ab Heriberto comite in carcerem conjectus, Perronæ interiit, relicto minorenni filio Ludovico: qui cum Emma genitrice in Angliam refugere coactus, nonnisi post mortem Rodulfi, suffecti a Francis regis, in Galliam ad regnum capessendum revocatus est, Transmarinus deinceps cognominatus. Nihilo quietius sub eo regnum fuit, ob turbas potissimum Heriberti & Hugonis comitum. Nec melior conditio Lotharii regis ejus filii, aur Ludovici ultimi Carolidum regis: dum tandem ad Capetianos regnum devolutum est.

Perpetui quoque post Crassi obitum in occidentali imperio motus exstitere, nunc ad hos, nunc ad illos transeunte principatu: cui vi-

ciffitudini demum Ottones finem impofuere. Dum per cædes ac feditiones ad imperium via fternitur, turbato ac fciffo in diverfas factiones imperio, Adalberonis Tufciæ marchionis ac Theodoræ ejus concubinæ arbitrio parebat fummi pontificatus fortitio, ad quem indigniffimi homines obtrufi fuere. His fere gradibus ad fummam fere ignorantiam ventum eft, ex qua pietas & chriftiana religio ingens fuftinuit detrimentum.

Quod hactenus dixi de fæculi noni cum decimo comparatione, non fic accipi velim, quafi nulla omnino probitatis ac doctrinæ veftigia fæculo decimo remanferint. Atque ut ab Italia incipiam, non defuere per illa peftilentiffima tempora optimi epifcopi, in his Theodoricus & Grimoaldus Pifani, Adelbertus Bergomatenfis, Zenobius Fefulanus, Sergius Cæfenas & Albertus Aretinus, qui communem clericorum vitam in fuis ecclefiis reftituerunt. His adde Attonem Vercellenfem epifcopum, æque doctum ac pium; ejufque æqualem Ratherium Veronenfem, qui ecclefiæ fuæ clericos & laïcos ad mores defæcatiores verbis ac fcriptis reducere conatus eft. Nec omittendi Petrus & Gauzlinus Patavini antiftites, quorum ille Arianis, fuam diœcefim etiam tunc infeftantibus, ftrenue reftitit: hic, eximiæ vir fanctitatis, eofdem penitus delevit, ac cœnobium S. Juftinæ inftauravit. Denique inter pios Italiæ antiftites cenfendi funt Notherius *magnæ fanctitatis*, necnon Dominici duo Venetiarum, alter ob præclaras virtutes coacte confecratus epifcopus; alter pius & doctus, abdicata dignitate, factus in locis fanctis eremita. Coronidis loco, ut alios prætercam, aderit fanctus Stephanus, primum cœnobii fancti Salvatoris apud Capuam abbas, dein Cajacenfis electus antiftes: de cujus confirmatione exftat memorabile Gerberti, ex Cafinate monacho Capuani metropolitani, decretum ad clerum & populum Cajacenfem.

At longe felicior ac florentior erat ecclefiæ ftatus in Germania, Gallia & Anglia. In Germania quidem Bruno Colonienfis, Notgerus Leodicenfis, Wolfgangus Ratifponenfis, Udalricus Auguftenfis, Adalbertus Magdeburgenfis, & Pragenfis cognominis præ ceteris floruere: quorum ille Slavos, hic Boëmos, Polonos & Hungaros chriftianis myfteriis imbuêre. His omnibus compares fuere in Belgica prima Henricus Trevirenfis metropolita: Adalberones duo Mettenfes: Dado & Berengarius Virdunenfes, Gauzlinus & Gerardus Tullenfes, quorum facta eorum probitatem & fanctitatem prædicant. Porro in Belgica fecunda non minus celebres exftitere Fulco, Heriveus, Artaldus & Adalbero archiepifcopi: ex quibus Fulco duas Remis fcholas, unam canonicorum, alteram ruralium clericorum, fub Remigio & Hucbaldo magiftris reftituit, quas Gerbertus itidem, Adalberone archiepifcopo curante, excoluit. Ne nimius fim, alios optimos Galliæ præfules omitto, quales exftitere Theotolo Turonenfis, Hagano Carnutenfis, quorum primus S. Juliani, alter S. Petri monafteria in fua uterque urbe inftauravit. His adde Turpionem Lemovicenfem, cujus rogatu fanctus Odo, tunc monachus, poftmodum abbas Cluniacenfis, Collationum libros duos ad emen-

dandos clericorum & monachorum mores composuit.

Ad Angliam quod attinet, vix ullum sæculum plures doctrina & sanctitate præstantes antistites protulit quam decimum: quales fuere e nostris Plegmundus, Odo & Dunstanus Cantuarienses, Oswaldus Eboracensis, Elfegus atque Ethelwoldus Wintonienses. Omnibus aliis regnis sæculo nono præcelluit martyrum numero Hispania, quæ sæculo decimo Rudesindum episcopum Dumiensem sanctitate insignem protulit, multosque sine dubio alios non inferioris meriti præsules, quorum acta ad nos minime pervenerunt. De his omnibus fusius disseruimus in Præfatione ad acta sæculi quinti Benedictini, eademque pro nata occasione in hoc tomo tertio commemorantur.

Quam flagrans tunc fuerit in Gallicanis præsulibus instaurandæ pietatis studium, duo in primis concilia testantur: unum Mettense, habitum sub finem sæculi noni: alterum Trosleianum anno DCCCC IX. celebratum. Mettensis synodi patres duas afflictæ rei publicæ afferunt causas: unam, provincialium conciliorum longiorem intermissionem: alteram, bella & clades a Nortmannis & perversis christianis: cui malo medendo non aliud suggerunt remedium, quam morum emendationem. *Quærenda est igitur*, inquiunt, *pietas Christi, qua pagani arceantur; & statuenda est lex Dei, qua crudelissimi nostræ gentis homines a vastatione pauperum repellantur. Idcirco, quidquid in nobis pravæ voluntatis est abjiciamus, & de paganis, Christo auxiliante, pacem obtinere valebimus.* Idem animus fuit Trosleianorum patrum, qui, *quoniam per aliquot annos, partim infestatione paganorum, partim etiam gravissimis regni perturbationibus ac quorumdam falsorum christianorum infestationibus præpediti, juxta decreta canonum congregari nequiverant;* tunc, data simul conveniendi facultate, oportere aiunt, in primis, *ut quam primum christianæ religioni jam labanti, jamque velut in præcipiti vergenti*, ab episcopis succurratur. Et quia *omnis pæne ordo, omnisque status ecclesiæ confusus ac temeratus* erat, a seipsis incipiendum censent his verbis. *Ne nobis parcere videamur, qui aliorum errata corrigere debemus; episcopi dicimur, sed episcopale officium non implemus. Ministerium prædicationis relinquimus; eos, qui nobis commissi sunt, videmus Deum deserere, & in pravis actibus jacere: tacemus, nec eis manum correctionis tendimus.* Denique post admonitiones ad reges, monasteriorum infelicem statum exponunt: ex quibus *quædam a paganis succensa vel destructa, quædam rebus spoliata, & ad nihilum prope redacta* dicuntur, ita ut *nulla in eis regularis formæ serventur instituta.* quod quidem *sine regularis abbatis providentia* emendari non posse asserunt. *Unde censemus*, inquiunt, *ut status monasteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionem & canonum instituta servetur; & ut abbates sint religiosæ personæ, & quæ regularem noverint disciplinam: monachi vero vel sanctimoniales juxta suam professionem sobrie, pie ac simpliciter vivant, ac pro regum salute ac regni pace & ecclesiæ tranquillitate supplicent. Non sæcularibus curis vel negotiis occupentur; non pompas mundiales requirant; non ecclesiastica jura inquietent: sed juxta proprietatem sui vocabuli, quiete otium amplectantur.*

Hoc

Hoc reformationis, ut loquimur, monasticæ specimen exsecuti sunt nostri Cluniacenses, quorum monasterii fundamenta anno post Trosleianam synodum proximo jacta sunt. Ex hac enim sanctissima congregatione prodiêre quam plurimi abbates & monachi pietate & doctrina illustres, qui non modo rei publicæ monasticæ, sed etiam ecclesiasticæ pristinum splendorem magna ex parte restituerunt. Hujus rei adeo præclaræ præcipuus auctor fuit sanctus Odo, post beatum Bernonem Cluniacensis abbas eximius: qui adhuc monachus, Turpionis Lemovicensis episcopi hortatu duos, ut jam dixi, Collationum libros scripsit contra vitia sui temporis sacerdotum & monachorum. Idem cum per se, tum per suos discipulos & successores, pleraque Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, & Angliæ monasteria vetera emendavit, nova condidit, variisque ecclesiis gnavos ministros suppeditavit. adeo ut, quasi alter Esdras, Benedictinæ legis reparatæ auctor censendus sit post Euticium seu Benedictum Anianensem; a quo novæ suæ institutionis formam accepit. Proxima post pietatem ejus cura & sollicitudo fuit de restituenda in monasteriis doctrina, quam ejus successores studiose excoluerunt. Unde *scribendi studium*, teste Petro Pictavensi in epistola ad Petrum Venerabilem, *speciali prerogativa Cluniacenses abbates a temporibus antiquis obtinent; nec certe sola auctoritate compelluntur ut scribant: sed etsi non fecerint, sicut degeneres, multumque patriæ formæ dissimiles necesse est erubescant.*

Ad hanc monasticæ religionis instaurationem multum etiam contulerunt complures laïci homines, pietate non minus quam genere illustres; in his sanctus Geraldus Auriliacensis comes, cujus vitam & virtutes sanctus Odo abbas duobus libris scripsit; Willelmus Aquitaniæ dux, cognomento Pius, Cluniacensis monasterii auctor; multique alii viri nobiles in plerisque Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, & Angliæ provinciis, in his Annalibus commemorandi: quibus hoc loco referendis supersedeo, ne prolixiori Præfatione hic lectorem distineam.

Ceterum ad hujusce tomi Annales componendos, præter acta Sanctorum & tabulas monasteriorum, plurimum usus sum Annalibus Bertinianis, Mettensibus, Fuldensibus, chronicis Reginonis & Frodoardi, quorum auctoritas, utpote scriptorum æqualium, potior est: tametsi prædictorum Annalistarum nomina, præter duos postremos, ignoti sint. Annales Bertiniani ita dicti sunt, quod ex codice monasterii S. Bertini a Rosvveydo eruti, dein a Chesnio primum typis vulgati sint, incipiendo ab anno DCC XLI. resecta priori parte, quæ eadem fere, atque plebeii Annales rerum Francicarum, continebat. In consequentibus quoque plurimum conveniunt cum Eginhardo: ast a Caroli-Calvi principatu multa singularia continent, quæ pauci alii scriptores attigerunt, ab Aimoini continuatore in multis transscripti. Hos Prudentio Trecensi episcopo tribuere videtur Hincmarus Remensis archiepiscopus in epistola ad Egilonem Senonensem, in qua *ex Annali gestorum nostrorum regum*, quod Prudentius composuisse dicitur, locum refert ex anno DCCC LIX. in hæc verba: *Nicolaus papa, pontifex Romanus, de gratia Dei & libero ar-*

bitrio, de veritate geminæ prædestinationis & de sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & catholice decernit. quæ totidem verbis, excepto uno *papæ* vocabulo, leguntur eodem anno in Annalibus Bertinianis. Verum hæc *ex Annali* Prudentii accipere potuit Annalista Bertinianus, qui suos Annales ad viginti-duos annos prosecutus est a morte Prudentii, quam anno DCCC LXI. consignat in hæc verba. *Galindo, cognomento Prudentius, Tricassinæ civitatis episcopus, natione Hispanus, adprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotescalco prædestinatiano restiterat, post felle commotus contra quosdam episcopos, secum hæretico resistentes, ipsius hæresis defensor acerrimus; indeque non modica inter se diversa & fidei adversa scriptitans, moritur. sicque, licet diutino languore fatigaretur, ut vivendi, ita & scribendi finem fecit.* Hic locus fuisset Prudentio tribuendi superiorum temporum Annales, si ab eo compositi fuissent. Ut ut sit, saltem illorum Annalium potior pars, quæ a prædicto Prudentii obitus anno incipit, alteri auctori tribuenda est, hactenus ignoto, Hincmari archiepiscopi partibus addicto, in cujus obitu desinit. Superest ut aliquid de chronico Reginonis observemus.

Regino abbas Prumiensis scripsit chronicon duobus libris, quod anno M D XXI. primo editum est Moguntiæ a Sebastiano de Rotenhan, cum hac inscriptione: *Excellentissimi ingenii & totius philosophiæ studiis multipliciter insignito domino Adalberoni episcopo Treverensi, Regino, quamvis omnium christicolarum extremus, &c.* quam inscriptionem Johannes Pistorius, aliique editores retinuerunt. Nonnulli censuere Adalberonem illum, cui Regino chronicon suum inscripsit, non fuisse episcopum Trevirensem, sed Mettensem. cujus opinionis primus auctor fuisse videtur Sigebertus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, capite CXI. ubi sic legitur: *Regino abbas Prumiensis scripsit ad primum Alberonem Mettensem episcopum chronicam, continentem præcipua gesta Francorum, quam a nativitate Christi perduxit ad annum nati Christi* DCCCC. *octavum.* Antequam de re ipsa agamus, observandum est, vetera chronici istius exemplaria, quale unum est in bibliotheca regia, quod olim fuit *ecclesiæ sanctæ Mariæ in Ottemburg diœcesis Moguntinæ*, non exprimere nomen civitatis, cujus Adalbero ille fuit episcopus; adeoque quod additum est in editis, ex conjectura tantum esse. Jam vero neque ad Trevirensem episcopum ista referri posse, neque ad Mettensem hinc certo constat, quod Trevirensis diu post Reginonem vixit; Mettensis vero non ante annum DCCCC XXIX. hanc sedem iniit, adeoque annis quatuordecim a morte Reginonis, quem anno DCCCC XV. obiisse lapis ejus sepulcralis docet. Alium itaque ab his duobus Adalberonem episcopum fuisse necesse est, cui chronicon suum Regino dicavit, & quidem anno ipso DCCCC VIII. ut diserte in præfatione sua testatur. Duo nobis hujus nominis & temporis occurrunt: unus Augustæ-Vindelicorum episcopus ab anno DCCC LXXXVII. ad DCCCC IX. vel insequentem: Basileensis alter, ab anno scilicet DCCCC. V. ad annum circiter DCCCC XVII. ut in Basilea-sacra legitur. Eruditissimi

Baluzii ſententia ſtat pro Adalberone Auguſtano epiſcopo, viro eximie docto, qui, teſte Hepidanno, ***cum magno apparatu & multis donis venit ad monaſterium ſancti Galli***, ipſo anno DCCCC VIII. & quidem idibus Octobris ***in vigilia ſancti Galli confeſſoris, ejus cupiens intereſſe feſtivitati***, ex libello de fratribus conſcriptis S. Galli. Forte Regino, e monaſterio ſuo pulſus, confugerat ad illud monaſterium, ubi magna erat jam tum librorum copia, ut probat eorum catalogus ſæculo nono ſcriptus; ibidemque verſabatur eo ipſo anno, quo Adalbero Auguſtanus illuc ſe contulit, eo, inquam, anno, quo Regino chronica ſua, ſic enim illa vocat, Adalberoni epiſcopo dedicavit. Ceterum Regino chronica ſua produxit tantum uſque ad annum DCCCC. V. ut patet tum ex editione Piſtoriana, tum ex codice regio, tum ex Gemblacenſi, quem ſecutus eſt Sigebertus, & nos aliquando vidimus: qui codex in nupero Gemblacenſis monaſterii incendio cum aliis ejuſdem bibliothecæ manuſcriptis periit.

Nec plura præfari neceſſe eſt de hoc tomo, quem brevi ſubſequetur tomus quartus, ſi temporum ferat conditio: ſin minus, continuandis Annalibus totum otium conferam, dum felicior arrideat imprimendorum librorum tempeſtas, ac melior Librariorum fortuna.

BREVIARIUM
TOMI TERTII
ANNALIUM BENEDICTINORUM.

LIBER TRICESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi 850. *ad annum* 855.

I. NORTMANNORUM *infestationes.*
II. *Lupi abbatis monita ad regem.*
III. *Murittensis synodi nomine scripta a Lupo epistola.*
IV. *Caroli praeceptum pro Aninsula.*
V. *Ticinense concilium. Sancti Abundii translatio Bercetum.*
VI. *Lupi scripta de tribus capitulis.*
VII. *Rotgarius monachus S. Faronis sub Adalgario abbate.*
VIII *S. Germani Pratensis Gostlinus abbas. Abbates a Carolo mutati.*
IX. *Lupi abbatis interturbatio.*
X. *Villa-lupa primordia sub Audachro abbate.*
XI. *Cellense monasterium instauratum dedicatur.*
XII. *Leo abbas Mentuniaci, pater spiritualis S. Maura.*
XIII. *Prudentium consulit Hincmarus de Gothescalco.*
XIV. *Adremarus abbas abit.*
XV. *Dodoni abbati apud sanctum Martialem suffectus Abbo.*
XVI. *Miracula Rothoni facta.*
XVII. *Dusera ecclesia Vivariensi unitur.*
XVIII. *Caroli diplomata pro monasteriis Surcdensi & S. Clementis.*
XIX. *Hispanici martyres.*
XX. *Rabani caritas famis tempore.*
XXI. *Hersfeldensis basilica dedicatio per eumdem.*
XXII. *Clingense monasterium ab eodem instauratum.*
XXIII. *Tabanense monasterium duplex. Isaac monachus & martyr.*
XXIV. *Cuttelarenses, Armilatenses, aliique.*
XXV. *Eulogius in carcere de martyrio scribit.*
XXVI. *Alia in fideles persecutio interior.*
XXVII. *Varii conventus in Gallia.*
XXVIII. *Monasteria a Nortmannis incensa.*
XXIX. *S. Bavonis monachi Laudunum se recipiunt. Alia monasteria destructa.*
XXX. *Genetici an monachi casi. S. Aicadri corpus Haspras delatum.*
XXXI. *Radbertus Corbeia regimen abdicat.*
XXXII. *Studia resumit.*
XXXIII. *Irmingardis imperatricis obitus.*
XXXIV. *Ratleici item abbatis, cui Rabanus martyrologium dicat.*
XXXV. *Hetti archiepiscopo succedit Thietgaudus.*
XXXVI. *Athanacense monasterium monachis restituitur. Bona-valli reliquia sancti Florentini concessa.*
XXXVII. *Gauslini abbatis Glanna successor Theodradus.*
XXXVIII. *Cormarico facta donatio sub Audachro abbate.*
XXXIX. *Immunitates Crulanda concessa.*
XL. *Cordubensis persecutio repetita.*
XLI. *Pippinus retrusus ad S. Medardum. Wlfadus abbas, & monasterii status.*
XLII. *S. Remigii translatio. Ejus vita ab Hincmaro scripta.*
XLIII. *S. Vedasti corpus levatum.*
XLIV. *Amolonis epistola ad Gothescalcum. Remigio Amolonis successori datur Savimacus.*
XLV. *Synodus Moguntina.*
XLVI. *Alsfridus episcopus duo monasteria instituit.*
XLVII. *Gandersheimense parthenium conditur.*
XLVIII. *Mainardus abbas Stradensis & sancti Petri apud Nivernos. S. Genulfi translatio, & alii abbates.*
XLIX. *Figiacenses & Caunenses abbates.*
L. *Bassacii abbatis Casinatis legatio. Capitulum generale Casini, & mutatio praepositorum.*
LI. *Synodus Suessionensis.*
LII. *Carisiaci alter conventus in causa Gothescalci.*
LIII. *Diversorum scripta de praedestinatione. Flori sermo in Gothescalcum.*
LIV. *Fontanella monachis portio assignata. Vermeriensis synodi littera pro Lebraha.*
LV. *Abbates missi. Abbo abbas S. Germani Autissiodorensis.*
LVI. *Rabani epistola ad Heribaldum episcopum.*
LVII. *Elias abbas Prumia post Marcuvardum.*
LVIII. *Lupi epistola de recipiendo monacho lapso.*

LIX.

LIBER XXXV.

Ab anno Christi 855. ad annum 862.

XXXVII. *Paschasii nova scripta de eucharistia.*
XXXVIII. *Paschasii quinam adversarii.*
XXXIX. *Johannes Scottus. Alius ab Æthelingia abbate.*
XL. *Ratramni liber de eucharistia. Duæ ejus partes.*
XLI. *Sanctorum Georgii, Aurelii; & Nathaliæ translatio.*
XLII. *Ludovici regis impressio in Franciam.*
XLIII. *Delatio corporum sanctorum Wandregisili & Ansberti.*
XLIV. *Beatæ Mariæ Suessionensis recensio bonorum.*
XLV. *Jonæ episcopi beneficia in S. Andochium.*
XLVI. *Sancti Apri monasterium Tullensi ecclesiæ restitutum.*
XLVII. *Abbates Augienses & Crulandenses.*
XLVIII. *Conradus Autisiodori a S. Germano sanatus. Novam cryptam condit.*
XLIX. *Sancti Germani altera translatio rege præsente.*
L. *Normannorum dira facinora. Odo abbas Corbeiæ fit episcopus Bellovacensis. Arulense monasterium vastatum.*
LI. *S. Richarii delatio & abbates Centulenses. Rotuli mortuorum.*
LII. *Societates monasticæ.*
LIII. *Helgaudus abbas Centulensis & comes.*
LIV. *Sancti Dionysii translatio.*
LV. *Thiotonis abbatis Fuldensis legatio.*
LVI. *Lingonense concilium. Atto episcopus Virdunensis purgatus.*
LVII. *Floriacense privilegium assertum.*
LVIII. *Synodus apud Saponarias.*
LIX. *Societas precum inter fratres.*
LX. *Caroli libellus in Wenilonem.*
LXI. *Lupi abbatis discidium cum Wenilone.*
LXII. *Alterum discidium de susceptione duorum presbyterorum.*
LXIII. *Hincmari alterum opus de prædestinatione.*
LXIV. *Caroli diploma pro Bello-loco.*
LXV. *Saxiaci monasterium condit Aurelianus.*
LXVI. *Badilo abbas primus.*
LXVII. *Villa-lupensis basilica dedicatio.*
LXVIII. *Epternacenses monachi fiunt canonici.*
LXIX. *Abbates Sithienses.*
LXX. *Sithiense monasterium a Normannis direptum.*
LXXI. *Egil & Ansbaldus abbates Prumienses.*
LXXII. *Abbatia Caroli filiis aliisque data.*
LXXIII. *Lotharius abbas sancti Germani post Abbonem.*
LXXIV. *Concilium Tusiacense.*
LXXV. *Ado archiepiscopus Viennensis.*
LXXVI. *S. Mauri abbatis translatio.*
LXXVII. *Caroli pancharta pro Corbione.*
LXXVIII. *Anscharii liber de miraculis sancti Willehadi.*
LXXIX. *Ludovici Germaniæ regis epocha iterum asserta. Alsaba facta donatio.*
LXXX. *S. Pusinnæ translatio Herfordiam. Frekenhorstense & Herisenbrocense parthenia.*
LXXXI. *Ambrosianæ basilicæ abbates. Episcopalia abbatum ornamenta. Audis Veronensis episcopi testamentum.*
LXXXII. *Normanni Parisios incendunt, aliaque vastant.*
LXXXIII. *Hunfridus de relinquendo episcopatu cogitat.*
LXXXIV. *Ferrarienses in Trecensem pagum se recipiunt.*
LXXXV. *Conventus duo. Lotharius fit clericus apud Reomaum, & abbas.*
LXXXVI. *Caroli diploma pro S. Dionysio. Alia pro Cormarico & pro S. Emeterio.*
LXXXVII. *Insulæ-barbaræ privilegium & abbates.*
LXXXVIII. *Mediani-monasterii desolatio.*
LXXXIX. *Meginradi martyrium.*
XC. *Waldo abbas exsul.*
XCI. *Ludovicus imperator Gislam filiam Deo offert. Gislæ abbatissæ obitus.*
XCII. *Caroli domestica & publica mala.*
XCIII. *Normanni Meldos petunt.*
XCIV. *S. Faronis basilica intacta.*
XCV. *Diploma pro Gemetico.*
XCVI. *Pistensis synodi privilegium pro sancto Carilefo.*
XCVII. *Synodi Suessionicæ littera pro sancto Dionysio.*
XCVIII. *Rothadi episcopi depositio & restitutio. Annalista Bertinianus.*
XCIX. *Lupi abbatis obitus.*
C. *Hincmarus dedicat ecclesiam Remensem. Fides ac festum assumptionis beatæ Mariæ.*
CI. *Placitum pro monasterio S. Eugendi.*
CII. *S. Urbani translatio Autisiodorum.*
CIII. *Lotharius abbas apud sanctum Germanum educatus.*
CIV. *Vabrense monasterium conditur.*
CV. *Placitum pro cœnobio Montis-olivi.*
CVI. *Franciam orientalem Hungri populantur.*
CVII. *Swithuni episcopi Winthoniensis obitus.*
CVIII. *Caroli præceptum pro partitione sancti Dionysii.*

LIBER XXXVI.

Ab anno Christi 863. ad annum 869.

I. R*Erum civilium status. Lothari diploma pro S. Petro Lugdunensi.*
II. *Sancti Carilefi monachi a Nicolao papa increpiti.*
III. *Insignis historia de monacho a religione abducto.*
IV. *Corbeiense privilegium confirmatur.*
V. *Sancti Germani relatio Parisios.*
VI. *Pictavi a Normannis obsessi. Normannorum fictus baptismus.*
VII. *Aninsulensium causa definita.*
VIII. *Synodica sententia a Nicolao confirmata.*
IX. *S. Mauri vita ab Odone reperta.*
X. *Samson abbas Hispanus.*
XI. *Tolosa obsidio. Caroli diploma pro cœnobio Adremarensi.*
XII. *Pippini defectio. Tolosa obsidio. S. Vincentii delatio*
XIII. *Pistensi in conventu Pippinus damnatus.*

LIBER XXXVII.

Ab anno Christi 870. ad annum 877.

LXVI.

LIBER XXXVIII.

Ab anno Christi 878. ad annum 885.

XXXVI. *Carolomanni preceptum per Glonna. Adolenus abbus Navensis.*

XXXVII. *Johannes electus episcopus Dolensis.*

XXXVIII. *Novienti magna turba. Richardis donatio Lanzonis zelotypi infelix mors. Novientenses abbates.*

XXXIX. *Waldfredus abbas Duellii.*

XL. *Ebbecstorfense cœnobium conditur. Gandershei-menses abbatissa.*

XLI. *S. Cæcilia monasterium in pago Urgellensi.*

XLII *Legerensi cœnobio facta donatio.*

XLIII. *Ambrosiana basilica data privilegia.*

XLIV. *Caroli Crassi diploma pro Farfa. Brunadum monasterium.*

XLV. *Normanni novas strages edunt.*

XLVI. *A Ludovico victi.*

XLVII *Sanctorum translata corpora.*

XLVIII. *S. Vedasti Bellovacos.*

XLIX. *Odonis episcopi Belvacensis obitus. Turba pro eligendo successore.*

L *S Remigii delatio Sparnacum & Orbacum.*

LI. *Puerorum oblationes ad S. Remigium.*

LII *Concilium ad S. Macram.*

LIII. *Cemulenses & S. Columba abbates.*

LIV. *Pulcarienses duo monachi detenti Mediolani.*

LV. *Hadericus abbas S. Simpliciani a papa probatus.*

LVI. *Senionensis monasterii infelix status.*

LVII. *Sancti Laurentii abbatia data Narbonensi ecclesia Carlomanni privilegium pro sancto Polycarpo.*

LVIII. *S. Vincentii ad Vulturnum monachi casi.*

LIX. *Normannorum nova facinora. Ludovicus Germania rex sepultus Laureshami.*

LX *Treviri & Metta diripiuntur.*

LXI. *Ludovicus rex Francia obit. S. Remigii translatio propter Normannos.*

LXII *Hincmarus Remorum antistes obit. Ejus mores quales.*

LXIII. *Marinus papa Johanni succedit. Ansperto Mediolanensi Anselmus.*

LXIV. *Remensis cleri excusatio. Fulco Hincmari successor.*

LXV. *Ramponis monasterium.*

LXVI. *Ansegiso Senonensi succedit Evrardus. S. Remigii cœnobio donatio facta.*

LXVII. *Hericus scribit acta episcoporum Autissiodorensium. Remigius ejus discipulus. Hucbaldus monachus cum eo Remis docet.*

LXVIII. *Rodulfus abbas Sithiensis.*

LXIX. *Grimbaldus ab Ælfredo accitus in Angliam. Oxoniensis academia fundatio.*

LXX. *S Neoti abbatis vita epitome.*

LXXI. *Ælfredi adjutores in excitandis studiis. Asserus episcopus.*

LXXII. *Johannes presbyter ac monachus. Alius a Johanne Scotto.*

LXXIII. *Monasteria ab Ælfredo condita. Johannes Æthelingia abbas.*

LXXIV. *Sceftoniensis parthenon.*

LXXV. *VVintoniensis abbas Grimbaldus.*

LXXVI. *Normannorum varia in Franciam impressiones. Condati cœnobium.*

LXXVII. *Aisa monasterium. Adremarenses abbates. S. Prudentii Besuam translatio.*

LXXVIII. *Marini papa privilegium pro Solemniaco.*

LXXIX. *Bertolfo Trevirensi succedit Ratbodus.*

LXXX. *Hartmoto abbati sancti Galli suffectus Bernardus. Anonymus sancti Galli, & Annalista Fuldensis.*

LXXXI. *Caroli cæsaris precepta pro Casa-aurea & Farfa. Abbates utriusque loci.*

LXXXII. *Corretum monasterium instauratur. Savinionis monasterium.*

LXXXIII. *S. Facundi monasterii clades. S. Petri de Rupibus cœnobii origo.*

LXXXIV. *Marino papa succedit Hadrianus III. Carolomanno regi Carolus Crassus. Normannorum fraus.*

LXXXV. *Carolomanni preceptum pro S. Germano Autissiodorensi. Aliud pro S. Crispino.*

LXXXVI. *Caroli imperatoris pro Fulberto abbate, Laureshamo & S. Apro. Aliud pro Grandi-valle.*

LXXXVII. *Eusebii reclusi obitus.*

LXXXVIII. *Hirsangia Gerungo abbati succedit Regenbodo.*

LXXXIX. *Gozlinus episcopus Parisiensis. Sancti Mederici translatio.*

XC. *S Pauli episcopi Leonensis vita scripta*

XCI. *Berthari abbatis Casinatis martyrium. Guaiferius princeps monachus in extremis.*

XCII. *Hadriano succedit Stephanus V. Hugo cæcatus & tonsus Prumia.*

XCIII. *Florberti magistri obitus. S. Maximini & Fulda abbates.*

XCIV. *Societates sancti Galli.*

XCV. *S. Arnulfi clericis asserta bona. Heinardus abbas sancti Michaelis.*

XCVI. *Turba in cœnobio Miciacensi.*

XCVII. *Patriciacus villa Floriaco restituta.*

LIBER XXXIX.

Ab anno Christi 886. ad annum 894.

I. P*Arisiorum obsessio a Normannis. S. Germani miracula. S. Medardi basilica combusta. Senones obsessa. Monasteria diruta.*

II. *Carolus Parisiis succurrit.*

III. *S. Dionysii & S. Botiani translatio.*

IV. *S. Crispini basilica facta donatio.*

V. *S. Benigno restitutio facta. S. Sequani & Geminorum abbatia.*

VI *Cariloco privilegium datum.*

VII. *Cuciaci parthenonis origo.*

VIII. *Dusera Trenorchio data. Isodri abbatia & cella S. Reveriani.*

IX. *Ansbaldi abbatis Prumia obitus.*

X. *Oxonia magna dissensio.*

XI. *Lerenso monasterium.*

XII. *Parisiaca obsidionis continuatio. Meldarum obsidio.*

XIII. *Caroli preceptum de abbatiis ecclesia Nivernensis.*

XIV. *Hugo abbas obit. Gozlino abbati succedit Ebolus.*

XV *Riccardis augusta purgatio & secessus. Crassi abdicatio.*

BREVIARIUM

XCVII. *Odonis regis donatio S. Dionysio.*
XCVIII. *Auriliacensis monasterii origo.*
XCIX. *Gerfredi monachi purgatio.*

LIBER XL.

Ab anno Christi 895. ad annum 900.

I. T*Riburiense concilium.*
II. *S. Berta reliquia Ereſteim except. Panitentia ob homicidium.*
III. *Zuentiboldi diplomata pro sancto Michaele ad Mosam, & pro Epternaco.*
IV. *Ludelmus episcopus Tullensis.*
V. *Mosburgensis abbatia.*
VI. *Aureliani archiepiscopi obitus.*
VII. *Formosi bulla pro Gigniaco. Vvidonis diploma pro Bobio.*
VIII. *S. Vandregisili & S. Ansberti corpora Carnutas illata. S. Chalterici episcopi tumulus.*
IX. *Plegmundi Cantuariensis acta.*
X. *Johannes Æthelingia abbas necatus.*
XI. *Arnulfus imperator. Formosi papa mors & successores.*
XII. *Zuenteboldi littera pro Gregorianis & Dionysianis.*
XIII. *Ejusdem quadam facta, conjugium, & diploma.*
XIV. *Capella dedicatio apud Lemovices.*
XV. *Portuensis synodus. sancti Martini ad montem Aureolum monasterium, S. Martini de Monte-rotundo.*
XVI. *Roberti comitis charta pro S. Martino.*
XVII. *Odone rege mortuo solus Carolus regnat. Diploma ejus pro S. Dionysio.*
XVIII. *Carolus pacem init cum Zuenteboldo. Diplomata pro S. Apro, & pro S. Michaele.*
XIX. *Permutatio cum monasterio Gregoriano.*
XX. *S. Marculfi translatio Corbiniacum. S. Honorina Confluentium. S. Leutfredi Parisios.*
XXI. *Floriaco facta donatio.*
XXII. *S. Petri de montibus instauratum monasterium. Gennadius abbas.*
XXIII. *Palatiolum monasterium duplex.*
XXIV. *Caroli diplomata pro Elnone, Auriliaco, & Crassa.*
XXV. *Sigefridus abbas Saviniaci.*
XXVI. *Ratbodus episcopus Trajecti.*
XXVII. *Regino Prumiensem abbatiam cedit Richario.*
XXVIII *Hatto abbas Laureshamensis.*
XXIX. *Fabaria Salomoni episcopo tradita.*
XXX. *Leopardus Nonantula abbas.*
XXXI. *Arnulfus imperator obit.*
XXXII. *Ludovicus filius ejus succedit. Ejus diploma de S. Apro. Ludovicus Orbus imperator.*
XXXIII. *Romani pontifices.*
XXXIV. *Ælfredo regi succedit Eduvardus. Glocestria monasterium.*
XXXV. *Fulconi archiepiscopo succedit Herivens.*
XXXVI. *Balduino data S. Bertini abbatia. Sancti Bertini, S. Medardi, & S. Vedasti abbates.*
XXXVII. *S. Vvinnoci translatio Bergas.*
XXXVIII. *Caroli littera pro S. Andochio & sancto Ebrulfo.*
XXXIX. *Beto S. Columba monasterium munit ornatque.*
XL. *Rodulfus abbas Belliloci.*
XLI. *Novientenses & Mauri-monasterii abbates.*
XLII. *Corbeia-nova abbates.*
XLIII. *Ambrosiana basilica abbates.*
XLIV. *Grimlaici regula solitariorum.*
XLV. *Jejunia triduana ut olim indicta.*
XLVI. *Buchaugiensis parthenonis initia.*

LIBER XLI.

Ab anno Christi 901. ad annum 915.

I. S*Æculi decimi status. Ordinis quoque monastici.*
II. *Hungarorum prima clades.*
III. *Lucedium Vercellensi ecclesia unitum.*
IV. *Nonantula incendium.*
V. *Coronata abbatia Comensi unita ecclesia. Sancti Abundii abbatia.*
VI. *S. Remigii in suam basilicam relatio.*
VII. *S. Benigno facta donationes. Conversorum donationes.*
VIII. *S. Medardi translatio Divionem an vera.*
IX. *Miliduni B. Maria ecclesia.*
X. *Stephanus Laubiensis abbas. Hersfeldenses abbates.*
XI. *Placitum pro Coxanensi monasterio. Fortunius ex rege monachus.*
XII. *Caroli diploma pro Corbeia.*
XIII. *Amberta abbatia.*
XIV. *S. Maria de Crassa facta donatio.*
XV. *Sancta Crucis monasterium Burdegala instauratum.*
XVI. *S. Trudperti monasterium conditur.*
XVII. *Radperti monachi S. Galli obitus. Lis Tutonis episcopi cum Richario abbate.*
XVIII. *S. Germani Pratensis abbates & decani. Caroli praceptum pro eodem, & pro sancto Dionysio.*
XIX. *Doverense monasterium Virzionem translatum.*
XX. *Grimbaldi abbatis obitus.*
XXI. *S. Johannis cella apud Helvetios.*
XXII. *Ludovici donatio facta S. Emmeranno.*
XXIII. *S. Sabini monasterium Placentia.*
XXIV. *Bobio privilegia duo data.*
XXV. *Casinas monasterium instauratum.*
XXVI. *Soricinii instauratio, & veteris monasterii S. Michaelis.*
XXVII. *Balma Gigniaco data. Balma complures.*
XXVIII. *Ludelmus Tulli episcopus obit.*
XXIX. *Patriacus S. Dionysio restituitur.*
XXX. *Barisiacus Roberto Elnonensi abbati concessus.*
XXXI. *Corbiniaci monasterium.*
XXXII. *Altaha facta donatio. Trevirensia monasteria.*
XXXIII. *Romani pontifices.*
XXXIV. *S. Augendi monachorum controversia.*
XXXV. *Martinianus monachus, ejusque scripta.*

XXXVI.

LIBER XLII.

Ab anno Christi 916. ad annum 927.

LIBER XLIII.

Ab anno Christi 928. ad annum 938.

XVII. *Floriacensis monasterii reformatio per sanctum Odonem.*
XVIII. *Regulæ propagatio demto asserta.*
XIX. *Romanense monasterium Odoni commissum.*
XX. *Hugo Enziaci præpositus obit. Gerardus item episcopus Matisconensis.*
XXI. *Fulco comes abbas S. Albini.*
XXII. *Farfensis abbas Ratfredus.*
XXIII. *Artaldus fit archiepiscopus Remensis.*
XXIV. *Cluniaco data facultas alienos recipiendi monachos. Rodulfi donatio.*
XXV. *Tutelensis monasterii instauratio. Rodulfi hac de re diploma.*
XXVI. *Ademari testamentum & sepultura.*
XXVII. *Ratherius episcopus Veronensis. S. Michaëlis monasterium, aliaque Caietæ.*
XXVIII. *Alfonsus rex monachus.*
XXIX. *Tuto Ratisponæ episcopus obit. Werthimense privilegium.*
XXX. *Walbertus Corbeiæ abbas fit episcopus Noviomensis. Berengarius abbas S. Præcordii corpus obtinet.*
XXXI. *Ingrannus fit episcopus Laudunensis.*
XXXII. *Hucbaldus monachus Elnonensis obit.*
XXXIII. *Broniense monasterium privilegio donatur.*
XXXIV. *Majori-monasterio præceptum immunitatis confirmatum.*
XXXV. *Rodulfi præceptum pro monasterio Montis-olivi.*
XXXVI. *Johannis papæ privilegium pro Vizeliaco, ejusque incarceratio.*
XXXVII. *Ratherius exsul librum scribit.*
XXXVIII. *Clerici ipsi infesti.*
XXXIX. *Culpatus quod in quadam abbatia clericos monachis substituisset.*
XL. *Ratherii quædam scripta in exsilio.*
XLI. *Berta Suessionensis abbatissa.*
XLII. *Gualdricus Autissiodori episcopus obit.*
XLIII. *Gorziensis monasterii reformatio, & viri illustres.*
XLIV. *Humbertus & Andreas illis se adjungunt.*
XLV. *Aliique plures.*
XLVI. *Odilo abbas Stabulensis.*
XLVII. *Angilramnus ex primicerio monachus.*
XLVIII. *Blidulfus & alii.*
XLIX. *Johannis virtutes.*
L. *S. Galli & Augiæ abbates. Eberhardi secessus.*
LI. *Arnulfus comes Sithiensis abbas.*
LII. *S. Maximini cœnobium reformatum.*
LIII. *Diethelmus & Marcuardus monachi docti.*
LIV. *Miciacensis monasterii infelix status. Navensee abbates.*
LV. *Miciacenses quidam illustres. Gradilo monachus Herensis.*
LVI. *S. Cypriani monasterium reparatur.*
LVII. *S. Augustini item monasterium Lemovicis. Aimo abbas S. Martialis.*
LVIII. *Cesenas monasterium.*
LIX. *Adelpertus abbas Casinas.*
LX. *Boso sepultus apud S. Remigium. Wicfredus episcopus Teruanensis. Odo abbas Masciaci.*
LXI. *Cella S. Ghisleni monachis restituta.*
LXII. *Elfegus episcopus Wintoniensis.*
LXIII. *Dunstani primordia & monachatus.*
LXIV. *Rudesindus episcopus cellam novam condit.*
LXV. *Rodulfi regis mors & sepultura. Ludovici Transmarini coronatio. Willelmus ex monacho Senonum antistes.*
LXVI. *Henricus rex humatus Quidelinburgi.*
LXVII. *Johanni papæ Leo VII. succedit.*
LXVIII. *Episcoporum mores. Concilium apud Altheim.*
LXIX. *Gorziensium inopia relevata.*
LXX. *S. Apri reformatio. Virdunenses canonici ibidem monachi facti.*
LXXI. *Senonensis monasterii reformatio.*
LXXII. *Dervensis item abbatia.*
LXXIII. *Groningense, & S. Stephani Augustense cœnobia condita.*
LXXIV. *Ratfredi Farfensis abbatis interitus. Campo necis auctor in ejus locum intrusus.*
LXXV. *Odo Cluniaci abbas Romam petit. Sancti Pauli monasterium instaurat.*
LXXVI. *Latro ab Odone monachus factus. Cluniaco facta donationes.*
LXXVII. *S. Pontii Tomeriense monasterium dotatur.*
LXXVIII. *Cantogilensis monasterii initia.*
LXXIX. *Hungarorum infestationes. Besuæ & Saviniaci, aliorumque monasteriorum incendia. Sancti Agili abbatis translatio.*
LXXX. *Episcopi ex nostro ordine.*
LXXXI. *Ludovici præceptum pro sancto Amando. Abbates ejus loci.*
LXXXII. *Donatio facta S. Benigno. Faverniacum & Offonis monasteria.*
LXXXIII. *Monasteria per S. Odonem reformata. S. Juliani Turonense.*
LXXXIV. *Sarlatense monasterium.*
LXXXV. *Silentium quatenus ab Odone commendatum. Abstinentia a carnibus & medicamentis.*
LXXXVI. *Moisiacenses abbates.*
LXXXVII. *Magdeburgense monasterium conditur ab Ottone.*
LXXXVIII. *Fuldense & sancti Galli monasteria cremata.*
LXXXIX. *Corbiniacum a rege expugnatum.*
XC. *Leonis papæ diplomata Floriaco data. Gerlannus ex monacho archiepiscopus Senonensis.*
XCI. *Leonis papæ epistola pro Rivipullo.*
XCII. *Mulierum accessus in monasteria prohibitus.*
XCIII. *S. Theofredi monasterium instauratur. Auriliacenses abbates.*
XCIV. *Moguntiæ archiepiscopi monachi.*
XCV. *Adelais a Lothario sponso dotata.*
XCVI. *Gunharius fit episcopus Ratisponensis.*
XCVII. *Senonensium res confirmatæ, & abbates.*

LIBER XLIV.

Ab anno Christi 929. ad annum 947.

I. R*Es civiles anni sequentis.*
II. *Gorziensibus ablata restituuntur a Bosone.*
III. *Odonis abbatis iter duplex Romam, & facta Cluniaco privilegium datum.*
IV. *Farfensis monasterii abbates, & infelix status.*

LIBER XLV.

Ab anno Christi 948. ad annum 957.

LIBER XLVI.

Ab anno Christi 958. ad annum 965.

LIBER XLVII.

Ab anno Christi 966. ad annum 973.

LIBER XLVIII.

Ab anno Christi 974. ad annum 980.

XIV.

INDEX APPENDICIS.

ANNALES

ORDINIS

S. BENEDICTI

OCCIDENTALIUM MONACHORUM

PATRIARCHÆ.

LIBER TRICESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi 850. ad annum 855.

ANN. CHR. 850.

I. Normannorum infestationes.

NULLUS deinceps abiturus est annus, qui a Nortmannica clade sit immunis; verendumque est, ne uti scribentis, sic & legentis animus iis cum referendis, tum legendis obruatur. Verum quando tot clades passi sunt majores nostri, ad eas saltem commemorandas durandum est, & quidquid in illa narratiune tædii ac fastidii erit, devorandum. Certe anno ejus sæculi quinquagesimo gens illa prædæ avida, non una ex parte, sed duplici, Gallias infestavit. Multi enim, Godefrido duce, per Sequanam ascendentes, Caroli regnum deprædari pergunt. Ad eos expellendos evocatur Lotharius. verum in procinctu prœlii Carolus, clam mutato consilio, Godefridum cum suis in regoi societatem recepit, & terram quamdam eisdem inhabitandam concessit. sed non diu gens inquieta & rapax hac portione contenta fuit. Ex alia parte Rorucus, Herioldi Danorum regis nepos, collecta Nortmannorum manu, Frisiam, Batavum insulam, aliaque Rheno & Vahali vicina loca devastat. quem Lotharius cum reprimere non valeret, in fidem recepit, eique Dorestadum opidum, aliosque comitatus tradidit. Ex his vero pars Menapios, Tarvisios, aliosque maritimos populos deprædantur: pars Britanniam insulam aggressi, ab Anglis superantur.

In his angustiis Carolo constituto Lupus abbas Ferrariensis varia dedit monita II. Lupi abbatis

ANN. CHR. 850.

monita ad regem.

epiſtola LXIV. eum monens de gratiarum actionibus Deo reddendis, qui eum
» hactenus malis plurimis liberaverat, & bonis multiplicibus exornaverat. Nunc viri-
» lem ætatem ingreſſum puerilia & inania abjicere debere, & futuræ ſaluti profutura
» ſectari. Non expedire ipſi populove, ut quemquam ſibi æquet, nedum præponat.
» Non admittendos proinde monitores, quos vulgus bajulos vocat. Bene ſemel geſta
» numquam, niſi in melius, mutanda, ut fidem ejus ac conſtantiam cuncti mirentur.
» Cogitet multa, pauca dicat. Communem utilitatem ſibi cariſſimam eſſe omnes in-
» telligant. Divinas & humanas leges juſtas nemo impune contemnat. Hæc facientem
» Deo, hominibuſque placiturum, rebelles compreſſurum, & poſt regnum temporale
» ſempiternum conſecuturum. Eodem ſpectant aliæ duæ ad eumdem epiſtolæ, nona-
geſima-tertia, & nonageſima-ſexta, in qua jurandi conſuetudinem abrogandam ſua-
det, miſſo hac de re ſermone ſancti Auguſtini. Ad hunc etiam annum referendæ
videntur Audradi Modici revelationes, de quibus inferius agemus.

III.

Murittenſis ſynodi nomine ſcripta a Lupo epiſtola.

* Moret.

Graſſantibus malis ut opportunum aliquod remedium adhiberetur, convocata
eſt epiſcoporum ſynodus apud Murittum * ſeu Morettum in pago Senonenſi, præ-
ſidente Wenilone archiepiſcopo. Quid in illa ſynodo ſancitum ſit, ignoramus, nec
ulla nobis ejus notitia ſupereſt, niſi ex epiſtola ſynodica, quam Lupus abbas, con-
ciliorum ejus temporis interpres, nomine patrum ſcripſit Ercanrado Pariſienſi, ſub
hoc titulo in editis: *Reverentiſſimo præſuli Erc. G. H. & Ag. epiſcopi & univerſa
ſynodus apud Murittum in Dei nomine congregata:* quibus litteris Guenilo metro-
politanus, Hildegarius Meldenſis, & Agius Aurelianenſis epiſcopi ejus compro-
vinciales ſignificari videntur. Certe hoc anno Meldenſem eccleſiam obtinebat Hil-
degarius, antea ſancti Dionyſii monachus, ut in libro de vita ſancti Faronis ejuſ-
dem ſedis epiſcopi legitur. Mutila eſt in editis ſynodica hæc epiſtola, in qua pa-
tres Ercanrado gratias agunt, quod pro ſe vicarium ad ſynodum miſerit, cujus præ-
» ſentia longe majoris fuiſſet auctoritatis. Jam dudum ob turbulentiſſima illa tem-
» pora nullum fuiſſe epiſcoporum conventum, ſed tunc demum regis animum a Deo
» mollitum, ut aliquam ſibi correctionis opportunitatem largiretur. Cauſam proinde
» ipſius haud ſegniter curandam. Cetera deſunt in editis.

IV.

Caroli præceptum pro Aninſula.

* Verberie.

Tantis licet anguſtiis preſſus eſſet Carolus, miſſi nihilo minus ad eum legati, du-
cum Navarrorum dona afferentes, ut pacem reportarent, Vermeriam * acceſſe-
runt, ubi tum rex placitum habuit menſe Junio, teſte chronographo Fontanellenſi.
Idem adſtruit præceptum, quod Carolus ibidem Aninſulenſi ſancti Carileſi mo-
naſterio conceſſit, rogatu Reinoldi ſeu Rainaldi abbatis, qui a rege obnixe petiit,
» ut eamdem abbatiam, omnibus vitæ ſuæ diebus habendam, ſibi confirmaret. Aſ-
» ſenſum præbuit rex, quamdiu is ſecundum proprium propoſitum recte vixiſſet,
« atque in regis fidelitate perduraſſet, indulta inſuper eligendi abbatis facultate ſe-
» cundum canonicam auctoritatem, & ſacratiſſimi patris Benedicti traditionem. *Data
IX. kalendas Junii, anno decimo regnante Karolo glorioſiſſimo rege, indictione tertia-
decima. Actum Vermeria palatio regio.* quod præceptum Bartholomæus notarius ad
vicem HLudovici recognovit. Eodem tempore Nomenoïus dux Brittonum, Nam-
netis captis, effuſus in Cenomannos, quo in pago Aninſulæ monaſterium ſitum eſt,
multos inde captivos abduxit.

V.

Ticinenſe concilium.

Habitum eodem anno concilium in urbe regia Ticino, in quo præclari de pæ-
nitentia canones editi ſunt. Secundo ſtatuunt patres, ut epiſcopi non tantum do-
» minicis, & feſtivis diebus miſſas celebrent, ſed quotidiana ſacrificia frequentare
» ſtudeant. Quarto-decimo epiſcopis ſub interminatione dirarum præceptum eſt, ut
» deſtructa monaſteria, quæ ſub ſua erant poteſtate, inſtaurare curent. Sexto-decimo
» monentur imperatores, ut monaſteria & xenodochia, ſuæ defenſioni commiſſa, pro-
» tegere meminerint. Viceſimo-tertio arguuntur quidam clericorum vel monacho-
» rum peregrinantium, qui per diverſas vagando provincias & civitates, multipli-
» ces ſpargunt errores, & inutiles quæſtiones diſſeminant, decipientes corda ſimpli-
» cium: decernitque ſynodus, ut ab epiſcopo loci retineantur, & ad metropolita-
» num diſcutiendi deducantur. Conditus eſt ſine dubio hic canon occaſione Gotheſ-
calci, qui quæſtionem de gemina prædeſtinatione illis in partibus diſſeminaverat.
In eodem concilio id contigiſſe videtur quod legimus in libello de tranſlatione

S. Habundii tranſlatio Bercetum.

ſancti Habundii ſeu Abundii martyris in Bercetenſe ſancti Remigii monaſterium,
cui tunc Tiberius abbas præerat. Is de comparando cujuſdam ſancti corpore ſolli-

citus, forte accessit ad regiam sedem Papiæ, ubi tunc Lotharius augustus generalem conventum episcoporum convocaverat, habitum sub Liutardo Papiensi antistite, qui hoc anno episcopatum iniisse dicitur apud Ughellum. Aderat & Dominicus Fulginas episcopus, Tiberii abbatis amicus. Hic corpus sancti Habundii martyris & levitæ, una cum sancto Carpophoro sub Diocletiano martyrium passi, roganti abbati concessit, sollemni pompa Bercetum deferendum, ubi adhuc monachi erant. Non multo post hæc abbatia sæcularibus canonicis cessit. siquidem Hugo rex [a] *canonicis de Beretdo* annonam & subsidia contulit anno vicesimo-septimo sæculi insequentis. ANN. CHR. 850.

a Ital. sac. to. 2. c. 195.

VI. Lupi scripta de tribus capitulis.

Cum Bituricis mense Decembri anni superioris versaretur Carolus, Lupum abbatem, ut vidimus, qui tum in comitatu erat, interrogavit, quid de controversis Gothescalci capitulis sentiret. Respondit Lupus primum scripta epistola centesima vicesima-octava. *Dudum*, inquit, *in urbe Biturigum quæsistis de prædestinatione, ac libero arbitrio, ac redemtione sanguinis Christi quid sentirem: & ego quæ in divinis litteris didiceram, & in maximis auctoribus inveneram, vestræ majestati strictim aperui. Et quoniam aliter videtur quibusdam, qui me putant de Deo non pie, fideliterque sentire; ipso Deo, cui ab intelligibili ætate plurimum confisus sum, sensum & stilum meum regente, memoratas quæstiones, quas audacter multi ventilant, intelligenter pauci capiunt, breviter, veraciterque, perspicueque dissolvam.* Superioribus verbis notare videtur Hincmarum, eique adhærentes, qui Lupum non recte de his quæstionibus sentire putabant, quod Gothescalci sententiæ accedere videretur. In illa vero epistola geminam prædestinationem ita probat, ut tamen malas quorumdam ex ea illationes rejiciat. quod disertius & expressius confirmat in libro de tribus quæstionibus, & in adjuncto collectaneo, in quo patrum de his quæstionibus, maxime Augustini & Fulgentii, testimonia profert. Initio prædicti libri ait, his quæstionibus anno superiori exortis, *primum in Italia, deinde in Gallia, si non concuti fidem, turbari certe quorumdam intentionem, quod de libero arbitrio, & de prædestinatione bonorum & malorum, ac de sanguinis Domini taxatione vulgo quædam inaudita jactarentur*: quarum rerum, qui per se non possent, optavit Lupus, ut per ipsum fierent certiores. quod certe hoc libro & adjuncto collectaneo luculenter præstat, sancti Augustini, aliorumque patrum hoc de argumento proferendo & propugnando sententias. Ad tertiam quæstionem sibi opponit in illa epistola Johannem Chrysostomum & Faustum Regiensem episcopum aliter sentientes. sed alterum ait nullo testimonio comprobasse quod sentiret: alterum inter apocryphos scriptores a Gelasio pontifice rejectum fuisse. Idem pressius sententiam suam exponit in sequenti epistola ad Hincmarum, in qua ita geminam prædestinationem adstruit, ut tamen justis aut injustis reprobis prædestinationis veritate fatalem neget induci necessitatem: *cum in utrisque suspicionem necessitatis libertas excludat voluntatis.* Eamdem epistolam a paribus Pardulo episcopo Laudunensi direxit. Quartam alii quæstionem addebant de Dei voluntate salvandi omnes homines, quæ in tertiam recidit. In fine libri de tribus quæstionibus tantisper emollit quod in illa ad Hincmarum epistola dixerat de beati Johannis Chrysostomi sententia super universali omnium hominum redemtione per Christum, eisque sancti Doctoris testimonium proponit, ut eos in gratiam reducat, qui contrarium velut blasphemum exsecrabantur, putabantque derogari plurimum redemtori, nisi generaliter omnes homines redemerit. *Nos autem*, inquit, *salva fide, hoc est, quod suo sanguine redemerit omnes, quos voluerit; & nulli sint redemti, nisi quos ipse redemerit; ita causam in medio relinquimus, ut, si quilibet eumdem sanguinem redemtoris prodesse aliquid etiam perditis valeant demonstrare, non solum resistimus nihil, verum etiam libenter in eorum sententiam transeamus.* eo nimirum sensu, ut Deus *excæcatos atque damnatos tanti pretii merito minus puniat*, si tamen hoc admittat ejus consilii benevolentia, cui *opinioni videtur*, ait, *Apostolus refragari*. Verum in fine collectanei priorem illam de Johanne Chrysostomo & Fausto Regiensi sententiam denuo asserit. Præter illum sensum, quo Lupus universalem Christi redemtionem explicat, alter magis certus & catholicus admittendus est, ut inferius [b] videbimus, in baptizatis, qui pereunt.

b infra n. 44. 52. & 95.

VII. Rotgarius monachus S. Faronis sub Adalgario abbate.

Monasterio sanctæ Crucis seu sancti Faronis apud Meldas tunc præerat Adalgarius abbas, quem Corbeiensi privilegio subscripsisse superius vidimus. Eo abbate illic florebat monastica disciplina, quod vel unus probat Rotgarius monachus, de

ANN. CHR. 850.

quo in libro de vita ſancti Faronis honorifica mentio fit ab ejus temporis auctore æquali, qui factum ſequens ipſius Rotgarii relatu ſe accepiſſe teſtatur. Inter primores palatii Lotharii unus erat nominatiſſimus ille Rotgarius, qui in conflictu Francorum & Bulgrorum confertiſſimis inſectus cuneis, atque equo dejectus, certam ſibi mortem imminere intellexit. In tanto diſcrimine unum ex ſanctis omnibus occurrit ſancti Faronis nomen, cujus opem mox imploravit, voto ſe obligans, fore ut, ſi is ſe præſenti periculo eriperet, in ejus monaſterio ſe ejus ſervitio manciparet. Huic voto præſto adfuit divinum auxilium, ſtatimque Rotgarius ex ipſis mortis faucibus ereptus eſt. Nec mora votum exſequitur, qui qualem ſe in monaſterio exhibuerit, ***quam aſſiduus in orationibus publicis atque furtivis, parcus in cibis, continuus in vigiliis, quotidie etiam in renovandis confeſſionum pœnitentiis exſtiterit***, teſtis eſt prædictus auctor, aſſerens, non ſimilem ullum ſuo tempore fuiſſe, eumque ***vitam angelicam ad illuminationem multorum*** duxiſſe. Idem laudat Iſpanellum ejuſdem loci monachum, cui procuratio forenſium prædiorum commiſſa erat. Is aliquando ad vineas trans Matronam excolendas profectus, in reditu cum fluvium carina tranſmitteret, in aquam delapſus, invocato ſancto Farone ex undis ſervatus eſt. Adalgario abbati ſucceſſit Gautſelmus, de quo infra.

VIII. S. Germani Pratenſis abbas Gozlinus.

Egimus ſuperius non ſemel de Ebroïno epiſcopo & monaſterii ſancti Germani Pratenſis abbate, quem ad triennium abhinc ſuperſtitem fuiſſe tradunt, ſucceſſoremque habuiſſe Hildninum juniorem, cui Gozlinus abbas ſuffectus ſit. Verum in polyptycho Irminonis abbatis inſeritur charta cujuſdam Brunardi, quæ eo tempore ſcripta, pro anthentica haberi poteſt, edita Karoli regis ***anno decimo, kalendis Aprilis***, & quidem ***Gozlino abbate***. quod argumento eſt, Gozlinum hoc ipſo anno hujus cœnobii jam abbatem exſtitiſſe. Hoc inſtrumentum in appendice ſuperioris voluminis ad calcem relatum eſt. » Actum Pariſius anno regni decimo Karoli, kalendis » Aprilis, abbate Gozlino. Poſt Brunardum Conradus comes, Gozlinus abbas, tum Fulco, Wibertus & Hieronymus, filii Brunardi, ſubſcripſerunt. Ex hoc inſtrumento manifeſtum eſt, Gozlinum S. Germani abbatem fuiſſe ante Hilduinum juniorem, qui hunc locum regebat anno ejus ſæculi quinquageſimo-octavo. Atqui Hilduinum excepit Gozlinus abbas. Aut ergo idem Gozlinus bis abbatis geſſit officium, ſemel quidem ante, & ſemel poſt Hilduinum: aut duos Gozlinos admittere neceſſe eſt, quorum alter Hilduinum præceſſerit, alter ſubſecutus ſit. Prius illud facile prætulerim, quod Carolo non inſolens fuerit pro nutu & arbitrio deponere, ac reſtituere abbates. Neque obſtat, quod Gozlinus, Ludovici abbatis germanus frater, & poſt eum ſummus cancellarius, Caroli patruus fuerit. nam idem factum contigit Hugoni abbati, ejuſdem regis avunculo, ac prædicti Conradi comitis filio, cui Sithienſis abbatia, expulſo Adalardo, conceſſa; eidemque poſt biennium ablata, atque Adalardo reſtituta fuit, ut poſtea videbimus. Ceterum ſuperiori Bronardi donationi ſimilem fecit eodem tempore Æva quædam ingenua, ſeu comitiſſa, quæ tam pro remedio animæ ſuæ, quam animæ ſenioris ſui Waltarii, prædia quædam eidem monaſterio tradit in villa pagi Caſtrenſis Ludolmis, ut ex iis pariter lumen ſuppeditetur ad ſepulcrum ſancti Germani. Quod attinet ad Celſiacum, quæ in præmiſſis Brunardi litteris villa ſancti Germani dicitur, eidem competebat ex donatione Hildemodi, ex codice Irminonis, in quo reditus illius villæ exprimuntur, cum eccleſia ſancti Martini.

Abbates a Carolo mutati.

IX. Lupi abbatis interturbatio.

Quod mox dicebamus de mutatis per Carolum abbatibus, id etiam confirmatur exemplo Lupi abbatis Ferrarienſis, qui, etſi in palatio magni haberetur, nihilominus interturbatus eſt a quodam Egilberto, cui rex Ferrarienſe monaſterium dare diſpoſuerat. qua de re Lupus epiſtolam ſcribit ad Ludovicum abbatem, fidem ſuam in regem, & ſervitium commemorans; ***indignitatem*** ſibi fieri ratus, quod cum prædicto Egilberto cooferretur. Id tamen effectu caruiſſe colligimus cum ex aliis, tum » ex epiſtola ſexageſima-quinta, in qua Ferrarienſes ſuos hortatur ad reddendas Deo » gratiarum actiones, quod, flagrante licet cupiditate, hoſtes ſui ſpe ſua dejecti ſint. Idem ex parte reginæ Irmindrudis ſcribit ad Heriboldum epiſcopum Autiſiodorenſem pro germano ejus, qui, ***deſtitutus honoribus***, ipſius ope indigebat. Forte is eſt communis ille Heriboldi ac Lupi frater, de quo Lupus ipſe in epiſtola triceſima-ſeptima.

X. Villæ-Lupæ primordia, ſub Odacro.

Ejuſdem Lupi conſanguineus Odacer ſeu Audacher abbas Cormaricenus, idemque primus rector vicini Villæ-Lupæ * monaſterii, quod hoc ipſo anno a Mainardo viro illuſtri in pago Turonico ad amnem Andriſcum * ædificari cœptum eſt, litteras re-

* *Villeloin.*
* *l'Indrois.*

ANN. CHR. 850.

giæ tuitionis accepit a Carolo rege, dum Vermeriæ in palatio resideret. Regium hac de re diploma exstat in fusiori Gallia christiana, ubi Audacher abbas Cormaricensis cœnobii Carolo exposuit, quemdam inlustrem virum, Mainardum nomine, sibi suppliciter postulasse, ut in fundo proprio, in loco scilicet, qui rustico vocabulo Villa-lupæ vocatur, cellam monachorum fundari, ac construi sibi liceret in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi. Et quoniam constaret, eumdem abbatem una cum sua congregatione Cormaricena sub potestate & tuitione eximii & pretiosi confessoris domni Martini consistere, ipsum Audachrum obtinuisse illustris viri Viviani, rectoris monasterii ejusdem sancti Martini, consensum: petiitque, ut easdem res suscipere, ad Dei omnipotentis obsequium ibidem perpetuo celebrandum, regia auctoritate sibi liceret. Petenti assensum præbuit rex, atque ipsum locum una cum rebus omnibus ad ipsum pertinentibus regiæ immunitatis ac defensionis privilegio muniit, statuens, ut idem abbas sibi carissimus, ac monachi ejus, eorumque successores, nullius umquam, pro rebus ipsius monasterii habitis vel habendis, terrenæ potestatis jugo :ioviti subjaceant, sed ex solius Audachri dispositione pendeant: post cujus discessum abbatem secundum regulam sancti Benedicti electum accipiant, nempe a Cormaricenis; ac demum libera eligendi advocati gaudeant facultate. *Data* VI. *kalendas Junii, anno decimo regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione tertia-decima. Actum Vermeria palatio regio*, ubi tunc Carolus versabatur, ut superius vidimus ex chronico Fontanellensi. Non nisi post annos novem perfecta fuit novi monasterii basilica; cujus dedicatio anno ejus sæculi unde-sexagesimo ab Herardo Turonum archiepiscopo facta est v. kalendas Junias. Non alii Villæ-lupensium, quam Cormaricensium abbates per unum amplius sæculum exstitere: una inter utrosque societas, caritatis lege confœderata, dum tandem Cormaricensium jugum sibi infestorum Villæ-lupenses excusserunt anno decimi sæculi sexagesimo-quinto. Lupus in epistola [a] ad Hattonem Fuldensem memorat Odacrum abbatem & *consanguineum* librum auri, instante Viviano, repetere, quam is forte Fuldensibus mutuaverat. Exstat ejusdem Lupi alia [b] epistola ad ipsum Odacrum abbatem, cui gratias refert, quod fratres suos & ceteros homines, magnæ calamitatis angustia deprehensos, aperto caritatis gremio excepisset, & quod germanos suos singulari dilectione tractaret.

[a] *Lup. ep.* 86.
[b] *id. ep* 90.

XI. Cellense monasterium instauratum dedicatur.

Per has tempestates Cellense apud Trecas monasterium, Cella-Bobini ab amplificatore suo Bobino quondam, absolute Cella passim, aut sancti Petri Cella vulgo appellatum, cum præ senio jam omnino ruinæ proximum esset, ab Haldegingo seu Aldehingo abbate instauratum est. Is, veluti Bobinus alter, monasterium in pristinum statum restituit, veterem basilicam senio collapsam renovavit, eamque a Prudentio episcopo dedicari sategit: qui non prius dedicationis ritum aggredi voluit, quod regulæ ecclesiasticæ præcipiunt, quam omnia mortuorum cadavera eliminarentur. Nec parsum est corpori sancti Frodoberti abbatis, quod in crypta prioris basilicæ immotum remanserat. Ignorabat quippe pontifex, natione Hispanus, merita tanti viri, temporum longinquitate & socordia jam obscurata; nec ejus acta umquam legendo perceperat. Expurgata itaque novæ basilicæ area, facta dedicatio est XVII. kalendas Novembris: quo die insignis ejus commemoratio in pervetusto nostro Adonis martyrologio, ante septingentos annos manu exarato, habetur in hæc verba. *Apud urbem Treeassem, in cœnobio, Cella-domui-Bovini * vocato, dedicatio ecclesiæ beatorum Petri & Pauli atque Andreæ apostolorum, cum hinc inde consecratis aris; a sinistris quidem beatæ ac gloriosæ semper virginis Mariæ; a dextris vero sanctæ virginis & martyris Anastasiæ, pariterque cum superioribus cryptis. quod cœnobium primo quidem exstitit tugurium hominis unius, unde non incongrue monasterium vocaretur: processu vero temporis, augente piorum hominum cellam (devotione) inter ea regulariter agenda perficiens, abbatum nobilium regebatur ordinatione. quorum decimum locum sortitus est Aldehingus, vir clarus ingenio, & moribus pollens justis. Hic nempe omnem locum intus forisque immelioravit, insuper & cœnobium ampliavit, cuncta denique officina construxit, & honestissime præparavit. Ædificavit etiam basilicam perpulcram, quam a parte occidentis cryptis infra, supraque mirifice cinxit. Anno siquidem incarnationis Christi octingentesimo quinquagesimo, vocatus ab eodem Aldehingo venerabili abbate præsul inclitus urbis Trecatensis Prudentius, una cum clero suo & conventu fidelium populorum, sollemniter & cum ingenti gloria lætitiaque in honorem beatorum Petri & Pauli atque Andreæ apostolorum eamdem basilicam dedicavit,*

* *al.* Bobini.

ANN. CHR. 850.

octo in ea sanctificans altaria per dies octo ; decretumque est ab episcopo sanctissimo, & abbate, sanctisque patribus temporis & loci illius, quod bene visum est posteris, ut omnibus annis, redeunte tempore dedicationis hujus ecclesiæ, octonos dies sollemnes celebrent, atque hujus diei anniversariam festivitatem hymnis laudibusque honorifice prosequantur. Ex hoc loco discimus, Aldehingum ejus loci decimum abbatem fuisse a sancto Frodoberto conditore & primo abbate : tametsi iotermediorum abbatum, præter Waldinum Frodoberti nepotem ac successorem, nomina ignoremus. nam Bodo, qui Aldehingi in editis antecessor pooitur, ejus successor haud dubie fuit. Quamquam haud dubitem Aldobertum & Bobinum, qui ex eo monasterio ad episcopatum assumti sunt, ejusdem etiam rectores & abbates exstitisse.

XII. Leo abbas Mentuniaci, pater spiritualis S. Mauræ.

Hoc ipso tempore florebat apud Tricasses Leo abbas Mentuniaci monasterii, quod S. Romanus abbas, is qoi post sanctum Remigium ecclesiæ Remensi prælatus est, quatuor circiter ab urbe Tricassina millibus exstruxerat. Hujus successor Leo abbas sanctus quos successores habuerit usque ad Leonem alterum, de quo hic agimus, incompertum. De hoc Leone illustre reddit testimonium Prudentius Trecensis episcopus in elogio sanctæ Mauræ virginis Tricassinæ, quam *Leo abbas catechizavit, & regeneravit ex aqua & Spiritu-sancto*, ejusdem etiam de reliquo pater spiritualis. Ejus meritum probatur ex sanctitate virginis, cujus vita christianis virginibus in exemplum proponi potest. Hæc ab ineunte ætate quotidie a matutinis laudibus usque ad horam sextam moram faciebat in ecclesia Apostolorum : ubi ad tres Christi Domini, infaotis, crucifixi, ac regnantis imagines quotidie se toto corpore prosteruebat, quo ex loco imagioum cultus apud Gallos demonstratur, probante Prudentio, qui id retulit. Ad hæc eadem virgo qualibet quarta & sexta feria causa peregrinationis, nudis pedibus & absque lioeis, in arto panis & aquæ jejunio, visitabat Mentuoiacum monachorum cœnobium, quatuor circiter millibus, ut jam dixi, a Tricassina civitate distans; ibique sanctorum martyrum Gervasii & Protasii patrocinia studiosius implorabat : noo solum clericorum, sed & monachorum necessitatibus subvenire solita, *quod Leo abbas*, ait Prudentius, *& sancta ejus congregatio recognoscunt, quibus de proprio cucullas & mappulas acquirebat. Quantæ autem virtutis & efficaciæ sit mappula, quam Leoni Maura tribuit, claris indiciis protestatur Melanus clericus & sanctissimus monachus, & Paulinus clericus, ipsius tactu a febribus liberati.* quod miraculum alii Leonis abbatis, alii sanctæ Mauræ meritis tribuebant. Morienti adsuere Prudentius ex una parte grabati, *& Leo abbas ex altera, qui tunc submissa voce more suo psalmos Davidicos ad caput beatæ virginis ruminabat.* Tum hæc a Prudentio petiit, ut de manu ejus *eucharistiæ & unctionis-extremæ reciperet sacramenta.* qui unus locus est apud veteres Viatici extremæ unctioni præmissi, quæ nusquam alias, si non fallor, *extrema* dicta legitur aote finem sæculi duodecimi. Denique ipsa hora migrationis sanctæ virginis *Veranus monachus, olfactus sensu diu ante amisso, eumdem odorem suavitatis sensit in monasterio Leonis, quem proximi sancto corpori sentiebant.* Hæc carptim ex Prudentio, qui hoc sanctæ Mauræ elogium scripsit, rogatus tum ab Eutropio præposito, ejusdem virginis germano fratre, ex parte clericorum; tum a Leone religiosissimo abbate *ex parte sanctorum monachorum.*

XIII. Prudentium consulit Hincmarus de Gothescalco.

Annis undecim supervixit Prudentius, a quo Hincmarus Remensis archiepiscopus consilium quæsit [a] de Gothescalco in ergastulum recluso ex judicio synodi, utrum *in cœna Domini vel in pascha debeat eum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem.* Hic est Prudentius, qui Johannis Scotti librum de quatuor vulgatis capitulis, ob id Quadrivium ab auctore appellatum, prolixe refutavit, eamque refutationem Gueniloni seu Weniloni Senonum pontifici nuncupavit. Idem Gothescalo primum adversatus fuerat : postea felle commotus cootra quosdam episcopos, secum eidem resistentes, ejusdem acerrimus defensor fuit, ut legitur in annalibus Bertinianis, in quibus adversa fidei cum Gothescalco scripsisse dicitur, ibidem Galindo cognomioatus, dictusque natione Hispanus. Exstat ejus epistola [b] ad quemdam fratrem suum, quem sospitem esse gratulatur. Forte is sit Galindo Ennecoois, per quem Eulogius presbyter Cordubensis epistolam suam ad Willesindum Pampelooensem episcopum anno insequenti direxit. Quamquam Galindo nomen apud Aragonenses & Navarrenses vulgare tunc erat, testante Morale.

[a] Frod. lib. 3. c. 21.

[b] Analect. tom. 4. p. 324.

ANN. CHR. 850.

XIV. Adremarus abbas obit.

Ad discrimen prædictæ Cellæ Trecensis Cella-nova dicta est abbatia Adremarensis seu Arremarensis, quam Adremarus presbyter, ejusque primus rector ante annos tredecim exstrui curavit, suppetias conferente Aledramno comite, cujus in superiori tomo mentio facta est. Adremarus Romam profectus, hoc anno Viterbii decessit x. kalendas Aprilis, hoc epitaphio donatus a posteris.

Dux gregis, & lampas mirabilis omnibus abbas
Domnus Adremarus est vita carnis ademtus.

Sadrabertus, an proximus post eum abbas, memoratur in litteris Carlomanni regis pro substitutione Rotfridi abbatis in locum ejusdem Sadraberti.

XV. Dodoni abbati apud S. Martialem suffectus Abbo.

Eodem anno Dodo abbas monasterii sancti Martialis apud Lemovicas, idemque sancti Savini apud Pictones, vir multæ religionis, post annos tres præfecturæ apud sanctum Martialem, successorem habuit Abbonem, qui annos undecim eidem loco præfuit. Hanc chronologiam firmat id, quod in commemoratione [a] abbatum sancti Martialis legitur, Carolum scilicet, non quidem Calvum, sed Calvi filium, in regem Aquitaniæ apud Lemovicas unctum fuisse anno Abbonis abbatis qointo, consentientibus annalibus Bertinianis, in quibus id factum legitur anno ejus sæculi quinquagesimo-quinto. Atqui tamen Dodo abbas sancti Savini anno abhinc tertio synodo Suessionensi interfuit. Ex quo intelligitur, eum, stabilita apud sanctum Martialem regulari disciplina, curasse, sibi ut Abbo substitueretur, & ad sancti Sabini monasterium revertisse, retenta insuper Stradensis seu sancti Genulfi præfectura.

[a] *Labbe to. 2. p. 271.*

XVI. Miracula Rothoni facta.

Actum est in tomo superiori de translatione corporis sancti Marcellini papæ & martyris ex urbe Roma in monasterium Rothonense, facta per Convvoionem abbatem. Anno ab hac translatione secundo funesta res contigit inter duos fratres cujusdam monasterii Spoletanæ provinciæ, quorum alter scriptor, diaconus alter erat, singulari se invicem amore diligentes. Forte scriptor scalpellum, ut calamum emendaret, a fratre petiit, quod ille incaute fratri projiciens, ictu librato ejus cordi infixit. quo ex vulnere statim scriptor in terram corruit exanimis. Parum fuit quin ex dolore etiam exspiraret diaconus: cui id consilii datum est, ut ad expiandum facinus Romam peteret, a pontifice condignam pænitentiam accepturus. Ivit ille, jussusque est *ferro ligari per collum & brachia, sicut in lege parricidarum censetur;* & loca sancta circuire, donec noxæ veniam a Domino impetraret. Dum vero per multos dies cum multo luctu id devote exsequeretur, Apostolorum oraculo admonitus dicitur, in Britanniam ut pergeret, ad quoddam monasterium, in quo sancti Marcellini papæ reliquiæ quiescebant: illic quippe catenarum, simulque peccati nexus solvendos. Mox ille, promissi haud incertus, iter permissu pontificis accelerat, alpes transgreditur, Burgundiam pertransit, ac Neustriæ partes Britanniæ adjacentes: pervenitque ad monasterium, in pago Namnetico ad Ligerim positum, quod a situ quondam Mons-clarus, nunc sancti Filiberti de Cellario appellatur, modo cella abbatiæ Trenorchiensis. Ibi exceptus perhumane a monachis, & de loco sancti Marcellini edoctus, receptus est demum in Rothonense monasterium *in sancto sabbato, id est in Ramis-palmarum.* Postridie, monachis nocturnas vigilias celebrantibus, dictisque responsoriis, cum legendi ex præscripto regulæ evangelii tempus opportunum adfuisset; atque unus e fratribus presbyter religiosus, Omin nomine, sacris vestibus indutus, eunctis stantibus & attente audientibus, illud legere cœpisset; extemplo omnia peregrini illius vincula disrupta, & cum magno fragore huc illucque dissipata sunt, stupentibus cunctis ad sonitum dissilientium catenarum. Quid rei esset, ignoravere fratres, dum *mane facto*, (neque enim nocturnum silentium violare fas erat) rem uti erat, narravit diaconus, qui miraculi famam in urbem, atque inde in patriam retulit. Consimile factum [b] inferius de Frotmundo pænitente referemus. Hæc ex libro tertio de gestis sanctorum Rothonensium, ubi quædam etiam miracula referuntur Hypothemii episcopi Andecavensis eo translati, in his de Jarnhitin sacerdote & monacho febribus liberato, atque de Gauzlino abbate sancti Mauri, cujus superius [c] facta mentio est. Ibidem laudatur Winetvaldus monachus, magister & vir venerabilis appellatus.

[b] *Lib. 35. n. 9.*
[c] *Lib. 33. n. 31.*

Prædicti Jarnhitin monachi occasione venit in mentem id, quod legere memini

ANN. CHR. 850.

in codice Remigiano annorum circiter octingentorum, continente *Excerptum libri Apocalypsis, collectum ex idoneis auctoribus a domno Heymone, ut fertur.* quæ tria postrema verba alia manu, sed æque antiqua scripta sunt. Expositio sic incipit: *Legimus in ecclesiastica historia, &c.* in cujus fine hæc ad propositum leguntur. *Venerande pater Jarunhobret, hunc librum, quem nos per paganorum persecutiones, & alias hujus vitæ tribulationes labore conscripsimus, gratanter corde digneris læto accipere. Valeas in Christo, & per te Jacobum, Johannemque salutamus.* Hæc obiter.

XVII. Dusera ecclesiæ Vivariensi unitur. Lotharius augustus mense Octobri in Gundulfi-villa prope Tullum-Leucorum residebat, cum monasterium Duseram, ad Rhodanum in comitatu Aurasico seu Arausico situm, Vivariensi ecclesiæ ad Celsi episcopi preces attribuit. *Data XV. kalendas Novembris, anno imperii domni HLotharii pii imperatoris in Francia decimo, & in Italia tricesimo, indictione tertia-decima. Actum Gundulfi-villa.* Idem confirmavit Carolus Calvus jam imperator ad Bosonis ducis deprecationem. Utrumque præceptum habes apud Johannem Columbi in libro secundo de episcopis Vivariensibus.

XVIII. Caroli diplomata pro monasteriis Suredensi & sancti Clementis. Ad hoc circiter tempus referenda videntur Caroli regis diplomata dno, absque chronicis notis edita in appendice ad Marcam Hispanicam. Unum est pro Suredensi monasterio sancti Andreæ, ad fluvium Tacidum posito in pago Helenensi, quod Froysclus abbas obtinuit ad confirmandas hujus loci tum possessiones, etiam eas, *quas ex sæculari habitu ad regularem militiam clerici sive laici convertentes illic donaverant*; tum libertatem & immunitatem, Siseguto abbati olim a Ludovico augusto concessam. Huic privilegio Carolus addit donationem vallis sancti Martini, quam, admonente Suniario comite, eidem monasterio contulit. Alterum præceptum est pro monasterio seu cella sancti Clementis, quod Sintremundus præpositus cum fratribus suis in vasta solitudine, in pago Russilionensi, super fluvium Tedam construxerat. Is regi supplicavit, ut novum monasteriolum sua protectione dignaretur; ut ibidem Sintremundus ipse ac monachi sui quiete ac secure vivere valerent. Supplicantis votis favit rex, data insuper eisdem facultate eligendi ex sese præpositos sibi vel abbates.

XIX. Hispanici martyres. Sensim progredimur ad Hispaniam, ubi sævissima in Christianos persecutio hoc tempore fervere cœpit. Ejus auctor Maurorum rex Abderames, qui, licet christianæ religionis cultum fidelibus permitteret, eorum tamen ardens in Mahummeticam sectam zelum ac studium ferre non potuit. Hæc procella Cordubæ potissimum vim exercuit suam, duxitque initium a monachis, qui Mahummedis impia dogmata non sustinentes, eorum insaniam Mauris palam exprobrare non dubitarunt. His socios se adjunxere sæculares clerici ac laïci, atque virgines sacræ, Maurorum non raros insultus in sacerdotes, maxime in humandis fidelium corporibus, indigne ferentes. Agmen duxit re ac nomine Perfectus monachus, qui totam pæne juventutem Cordnbæ in sancti Aciscli cœnobio transegerat. Is a Mauris interrogatus, quid de Christo & Mahnmmede sentiret; suam de Christi divinitate fidem, atque de Mahummedis impia doctrina persuasionem libere exposuit. Hinc conjectus in carcerem, variisque tormentis affectus, mactandus in eum differtur diem, *quo profanis ritibus festivum paschæ gaudium apud eos excolitur.* Passus vero martyrium est XIV. kalendas Maias, feria sexta, anno incarnationis Domini octingentesimo quinquagesimo. Atque hinc colligitur, Arabum eo die sollemne pascha fuisse: cum christiani legitimum pascha ipso anno celebrassent VIII. idus Aprilis, duodecimo die ante Arabes. De aliis martyribus agemus anno sequenti. Sed ut hæc clarius intelligantur, præmittendum videtur, octo extra Cordubam monasteria tunc exstitisse: quinque quidem virorum, nempe sancti Christophori in urbis prospectu trans fluvium Bætis; in vicinis montibus Armilatense sancti Zoili; ad hæc tria alia, Felicis, Martini, atque Justi & Pastoris. Sextum, septimum & octavum duplicia erant pro utroque sexu. Tabanense, Cuteclarense beatissimæ virgini Mariæ, & Pinnamellarense Salvatori sacrum. Hæc suis locis inferius illustranda.

Hoc item anno diem obiit, post annos regni septem, in Gallicia Ramirus rex kalendis Februarii, piæ memoriæ dictus in epitaphio, quod Morales & Baronius retulere. Ei successit filius Ordonius in annos duodecim.

XX. Rabani caritas famis tempore. Ingens hoc anno in Germania fames Rabani archiepiscopi caritatem sollicitavit. Morabatur is per id tempus in quadam villa parochiæ suæ, ubi trecentos amplius pauperes

ANN. CHR. 810.

pauperes quotidie alebat, præter egenos ab ipso in dies refici solitos. In multis mulier quædam cum parvulo istuc accedens, priusquam limen domus attingeret, præ fame exspiravit. Parvulus vero mortuæ matris mammillam, ut sugeret, e sinu protrahens, intuentium lacrymas excivit. Fuit etiam qui cum uxore & puerulo, urgente fame, de vorando filiu statueret, matre quantumvis repugnante: cum subito lupi duo cervam dilaniantes visi sunt, quibus ille prædam abstulit, atque filio vitam servavit. Hæc annales Fuldenses.

XXI. Hersfeldensis basilicæ dedicatio per eumdem.

Idem antistes Hersfeldensis monasterii basilicam, cujus monasterii fundamenta cum Bruno abbate ante annos fere viginti [a] posuerat, v. kalendas Novembris hoc anno dedicavit, teste Lamberto domestico auctore. Non assentiendum Browero, [b] qui id ad biennium, & quidem in alterum diem differendum conjicit ex quadam veteri inscriptione, quæ Hersfeldensi basilicæ diserte non convenit. Præstat ex eodem auctore ob oculos ponere miserabilem statum ejusdem basilicæ, quæ hæresi jam deformata, parietibus tectoque hodie squalet, tristique facie sua minatur interitum. « Chori vestibulo edito loco, ad quem gradibus aditur, ex candido marmore hinc « & inde ad odei januam adstructæ tabulæ quadratæ veneranda imaginum sculptura: « a quibus tamen non abstinuere manus iconomachi. Ad lævam Christus Dominus « consedet medius, stantibus utrimque prophetis, ejus adventum prædicantibus, ad- « jectis ad rem explicandam versibus. Dextrorsum Christus pari modo sedet, hinc inde « stantibus discipulis, qui quæ præmia sibi ipsum sequentibus parata sint, interrogant. Hæc, etsi minutiora, referre visum est ad retinendam celebris quondam loci qualemcumque memoriam. Huc spectant Rabani versus, quondam inscripti in ejus ecclesiæ abside orientali, ubi sancti Wigberti corpus quiescebat.

a Supra lib. 30. n. 64.
b Fuld. ant. p. 152 & seq.

XXII. Clingense monasterium ab eodem instauratum.

Effulsit quoque Rabani archiepiscopi eximia pietas in Clingense monasterium, cujus alteram saltem basilicam incendio consumtam in integrum restituit. Exstat hæc abbatia in diœcesi Spirensi, haud scio an condita a Carolo Magno, qui ex urbe Roma istuc reliquias transtulit sancti Theoduli presbyteri & martyris, Alexandri papæ socii. Duæ erant eo in loco ecclesiæ; una Salvatoris cum quinque altaribus, ex quibus quintum sanctis Martino, Briccio, Germano, Remigio episcopis, Gregorio papæ & sancto Benedicto abbati nuncupatum erat. Hæc discimus ex Rabani [c] versibus, *in ecclesia monasterii, quod dicitur Clinga*, inscriptis. In alia ecclesia tria erant altaria cum sepulcro Theoduli martyris, de quo hi Rabani versus, qui ejusdem ecclesiæ restitutionem ab eo factam commemorant.

c Raban tom. 6. p. 219.

Huc Caroli ascitus studio, atque adductus ab urbe
Romana, hic multis pausat ad auxilium.
Sed vario eventu consumsit flamma nefanda
Domata hæc cuncta, tegmen & ecclesia.
Per plures que annos combustus mansit inepte
Hic locus, & nullus jam reparavit eum:
Indignus donec Christi compunctus amore
Rhabanus præsul, hunc renovandum adiit:
Qui ecclesiæ hanc ad:m sollers renovavit, & aram
Construxit, sancti corpus & huc retulit.

Certe hanc ecclesiam ad priorem illam Clingensis monasterii attinuisse intelligitur ex versibus ad primum prioris ejusdem ecclesiæ altare appositis: in quibus Theoduli martyris & presbyteri corpus ibidem exstitisse dicitur. Ceterum Clingensis monasterii antiquitatem probat Ludovici augusti constitutum de monasteriis imperii, in quibus *monasterium Clinga* censetur inter illa, quæ solas preces regi debebant. Idem monasterium *Plidinfeld* cognominatum fuisse docet codex societatum Augensium, ubi *ex monasterio, quod Clingo vocatur sive Plidinfeld, Fleido episcopus & abba laudatur.* Ad hæc inter fratres conscriptos monasterii sancti Galli apud Goldastum memorantur *nomina fratrum de monasterio Clingone*, id est *Otger archiepiscopus, Engilbertus præpositus, Wolfpold presbyter, Tagafrid diaconus, Ramvolt & Babo monachi*, aliique. Suspicor hunc locum olim peculiariter spectasse ad archiepiscopum Moguntinum, qui tamen Spirensi diœcesi tribuitur, censeturque inter illa monasteria, quæ ab ordine translata sunt, *Clingenmunster* dictum, ab ordine translatum anno supra millesimum quadringentesimo nonagesimo-primo.

ANN. CHR. 851.

XXIII. Tabanense monasterium duplex.

INchoatam in Hispania persecutionem insequens annus continuavit. Perfectum monachum secuti sunt alii complures, in quibus primus apud Eulogium occurrit Isaac sanctissimus monachus cœnobii Tabanensis. Positus erat hic locus, *Tabanos* dictus, septenis ab urbe Corduba millibus passuum, aquilonem versus, *inter prærupta montium & condensa silvarum.* Illic duplex condiderat monasterium, virorum ac mulierum, Jeremias Isaaci patruelis, vir pius ac locuples, cum Elisabetha uxore, pietatis non imparis: qui ambo eo secesserunt cum liberis ac tota pæne cognatione. Monachis præerat Martinus abbas: puellis Elisabeth ipsius soror, Jeremiæ in sæculo conjux: sub qua communis utriusque soror Columba, miræ pudicitiæ virgo, & postea martyr, floruit. De sanctimonialibus duplicis hujus monasterii insigne illud memoriæ prodidit Eulogius in suo [a] Memoriali. *Quia claustra feminarum a cellulis monachorum, altis interjectis disparata maceriis, licet unius patris gubernaculo regerentur; hæ tamen sequestratis se mansiunculis retrudentes, nulli omnino contuendi se facultatem præbebant: sed, si subinde aut fratribus congrua instaret necessitas, aut hospitum pia impetraret humanitas; sola venerabilis Elisabeth per fenestram se exhibebat cernendam, quæ prior & totius erat mater vera monasterii.*

a Eulog. lib. 3. c. 10.

Isaac monachus & martyr.

Eum in locum se recepit monasticæ vitæ desiderio flagrans Isaac, nobilis Cordubensis, qui, linguæ Arabicæ peritus, in sæculo exceptoris [b] reipublicæ officio functus fuerat; ibique per triennium *sub reverendissimo abbate Martino, prædictæ feminæ fratre*, regularibus disciplinis apprime exercitatus, in sancto proposito militavit. Hinc divino caritatis igne succensus, forum adit, judici suæ sectæ deliramenta improperat; eaque libertate ac constantia ita judicis rabiem proritavit, ut ille mortis sententiam in eum protulerit. Sic Isaac in regia urbe III. nonas Junias, qui eo anno in feriam quartam incidebat, pro Christo occubuit. Corpus ejus equuleo suspensum, post aliquot dies cum aliis sanctorum martyrum corporibus in ignem conjectum, in favillas redactum est. Huic non diu supervixit beatus senex Jeremias monasterii auctor, & ipse martyrio affectus cum aliis quinque, de quibus mox agendum. De sancta Columba ejusdem loci sanctimoniali ac martyre infra.

b Id. lib. 2. c. 2.

XXIV. Cuteclarenses, Armilatenses, aliique.

Exstabat etiam tum non longe ab eadem urbe ad occidentem illustre monasterium Cuteclarense, de quo alias egimus, itidem duplex, sanctæ & gloriosæ virgini Mariæ sacrum: quod *præclaro ancillarum Dei proposito enitescebat.* Illuc Petrus sacerdos ex urbe Astigitana, & Walabonsus diaconus ex Elephensi, litterarum studio profecti, dein sub Frugello abbate eidem monasterio præficiuntur: ex quibus Walabonsus primum *ecclesiasticis regulis* educandus a puero traditus fuerat piæ memoriæ Salvatori presbytero, *qui tunc præclaro regimine sancti Felicis monasterium* apud opidum Fronianum *gubernabat.* Eodem tempore Sabinianus & Wistremundus monasticæ vitæ disciplinæ *sub regula vel abbate* (quæ sancti Benedicti [c] verba sunt) jam dudum se dederant in cœnobio sancti Zoili Armilatensi, quod a Corduba in septemtrionali parte triginta & amplius milliaribus distans, vastissimam præbet inter angustias montium solitudinem: ad quorum radices flumen Armilata * discurrens, ex quo inditum monasterio nomen, *magno piscatorum solatio inediam refovet monachorum.* Hi cum sancto sene Jeremia superius laudato, & cum Habentio monacho, omnes seno numero, una die & hora *sub ictu sævientis mucronis* testimonium veritati constanter præbuerunt. Erat Habentius monachus cœnobii sancti Christophori, quod ad prospectum urbis ad austrum *super crepidinem alterioris Bætis* * fluvii situm erat. Ibi sæculo mortuus vir sanctus, Christoque *sub artissima regula* mancipatus, utpote spontanei carceris ergastulo reclusus, ferreisque laminis ad cutem circumsæptus, ad martyrii agonem cum aliis se disposuit. Hi omnes ultro se judici offerentes: *Et nos sub eadem*, inquiunt, *professione, ô judex, manemus*, qua pridem confratres nostri Isaac & Sanctius defuncti sunt. Parem in nos
» profer sententiam, crudelitatem exsere & exaggera, totoque furore exardesce. Chri-
» stum Deum confitemur; antesignanum antichristi vatem vestrum exsecramur. Ita omnes communi edita confessione, communem pertulêre capitalis mortis sententiam VII. idus Junias ejusdem anni, *feria prima*, id est die dominica. Eadem æra Theodemirus Carmonensis monachus VIII. kalendas Augusti, feria septima interiit, nec multo post Maria sanctimonialis Cuteclarensis, Walabonsi monachi ac martyris mox laudati soror, quæ Christo virginitatem voverat, eidem vitam cum sancta Flora virgine pro fide impendit VIII. kalendas Decembris.

c S. Bened. c. 1.

* Almellato.

* Guadalquivir.

ANN. CHR 851.

XXV. Eulogius in carcere de martyrio scribit.

Eodem tempore sanctus Eulogius, qui horum omnium agones memoriæ commendavit, itidem pro fide carcere inclusus tenebatur: de quo prædictæ virgines, quibus in carcere positus *Documentum martyrii scripserat*, quibusdam consororibus suis promiserant, se de eo liberando apud Christum sponsum in cælo peroraturas. quod ita contigit. nam illæ VIII. kalendas Decembris martyrio coronatę; Eulogius tertio earumdem kalendarum die e carcere [a] ereptus est. Quam gravis tum fuerit hæc adversus christianos excitata in Hispaniis procella, sanctus ille confessor in Documento martyrii exprimit diserte his verbis. *Repleta sunt penetralia carceris clericorum catervis: viduata est ecclesia sacro præsulum & sacerdotum officio. Horrent divina tabernacula squalidam solitudinem: aranea texit templum, tenent cuncta silentium. Confusi sunt sacerdotes & ministri altaris: quia dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum; & desinentibus in conventu hymnis canticorum cælestium, resonant abdita carceris murmure sancto psalmorum.* Hæc ille, & plura alia in hunc modum.

a *Eulog lib. 2. memor. c. 8.*

XXVI. Alia in fideles persecutio interior.

Præter illam ab exteris persecutionem, alia fere gravior & periculosior erat a nonnullis fidelibus & episcopis, qui monachos, aliosque in illa persecutione cæsos, pro martyribus haberi nolebant, quod ipsi se martyrio plerique objecissent. Nec colore carebat hæc sententia. Idem quippe in Africa sensit Mensurius Carthaginensis antistes, qui ab ejusmodi martyribus honorandis prohibuit christianos, ut legitur in collatione Carthaginensi. Erant tamen tunc in Hispania causæ peculiares, quæ martyrum illorum zelum approbare videbantur. nempe publici Maurorum insultus in fideles, in sacerdotes, denique in ipsam religionem christianam, quam sinere impune violari piissimi quique ducebant nefas. Ut igitur martyrum & confessorum causam tueretur Eulogius, primo *Documentum martyriale* e carcere scripsit *Christi virginibus sacris, Floræ & Mariæ, carcere compeditis*: quo in opusculo adversariorum objectiones refellit. Verum cum nec sic illi quiescerent, aliud prolixius opus tribus libris aggressus est, *Memoriale sanctorum* appellatum: quod primo quidem solis *arcisteriis* seu monasteriis destinaverat, *e quibus prior ille monachorum globus ad resistendum mendacissimo vati* Mahummedi *processerat*: sed postquam ex urbibus, viculis, opidulis & castellis certatim proruere ad hoc certamen viros ac mulieres cognovit; universis illud ecclesiis dicavit, ut haberent cuncti de triumpho eorum suæ consolationis & gloriæ exemplum & gaudium. In primo libro respondet præcipue ad objectiones adversariorum, quarum hæc præcipua capita erant: fugiendam scilicet ex Christi præscripto & exemplo, non ultro quærendam persecutionem; nulla recentiorum illorum cerni miracula; a Maurorum regibus non prohiberi, immo permitti christianæ religionis cultum; denique prædictorum martyrum cadavera, uti & ceterorum hominum, corruptioni obnoxia esse. Quibus omnibus primo libro solide respondet Eulogius; in secundo vero & tertio martyrum agones celebrat. Denique his adjecit Apologeticum sanctorum martyrum, in quo eadem objecta denuo confutat; aliudque insuper, quo imbecilles illi christiani martyribus illis detrahebant, quod non per longa & diuturna tormenta, sed compendioso mortis genere ad martyrium pervenirent. In hoc ultimo libro fragmentum cujusdam antiquioris opusculi de Mahummede refert, quod ex Legerensi monasterio reportaverat. De hoc monasterio honorifice agit in epistola sæpius laudata ad Willesindum Pampilonensem episcopum, quam hoc anno scripsit, *datam decimoseptimo kalendas Decembris per Galindum Enniconis, virum illustrem, æra octingentesima octuagesima-nona.* Hanc epistolam scripsit e carcere, in quem una cum episcopo Cordubensi aliisque episcopis, presbyteris, abbatibus ac levitis conjectus fuerat, ut idem ipse testis est in illa [b] epistola: in qua Willesindum rogat, ut suffragia orationum suarum in defensionem ipsorum adhibeat, suumque carcerem *omnibus monasteriis* innotescere faciat. Parcit auctori hujus retrusionis Reccafredo episcopo, quem ad fidelium zelum reprimendum cum Abdirame conspirasse ex Alvaro intelligimus. Ex hac porro Eulogii epistola Bultellus [c] noster, contra Moralis & Yepesii sententiam, distinguendum putat sancti Zachariæ monasterium a Serasiensi, hoc potissimum adductus argumento, quod prioris patronus erat sanctus Zacharias, posterioris sanctus Petrus, ut ex duobus vetustis instrumentis [d] probatur. Præfuerat quidem sancti Zachariæ monasterio Odoarius abbas, *summæ sanctitatis, magnæque scientiæ vir*: sed longe ante, quam hanc epistolam scriberet Eulogius, in qua cum

b *V. supra lib. 33. n. 69.*

c *Bulteau p. 333.*

d *Blanca hist. Aragon. ad an. 969.*

ANN. CHR. 851.

uti mortuum laudat: & in fine epistolæ *Odoarium Serasiensis monasterii abbatem cum omni collegio suo* salutat. quod argumento est eum superstitem fuisse, non alterum Odoarium; quem unum eumdemque fuisse, adeoque unicum monasterium esse opinati sunt Morales & Yepesius.

XXVII. Varii conventus in Gallia.

In Gallia Lotharius, Ludovicus & Carolus iterum pacis & concordiæ causa in Marsnæ palatio prope Trajectum ad Mosam conveniunt. Fœderis conditiones referuntur in annalibus Bertinianis, communi procerum consensu, propriorumque nominum monogrammatibus confirmatæ. Habitus a Carolo conventus alter apud Andecavos: ubi, Nomenoïo Britanniæ duce mortuo, Herispogius ejus filius, *datis manibus* a rege suscipitur, & tam regalibus indumentis, quam paternæ potestatis ditione donatur, Redonibus insuper, Namnetis & Ratensi insula adjectis. Ad hanc Caroli profectionem versus Britanniam referenda videtur Lupi epistola c XIII. in qua de quodam placito agit, cui adesse jussus erat, post Caroli reditum Credilii * ad Isaram forte habendo; petitque, an absque periculo piratarum navis ipsius expensam vehens, possit tenere cursum per Sequanam, & inde per confluentem Isaræ usque ad Credilium progredi. Aliud etiam placitum Caroli cum Herispogio duce Brittonum memorat Hericus [a] monachus in libro de miraculis sancti Germani episcopi Autissiodorensis, habitum in regio fisco pagi Rotomagensis, quem incolæ ob palatii antiquitatem Veterem-domum nuncupant: cujus capella palatio contigua beatissimi Germani famosa nomine, & merito illustris erat. Illic puella muta linguæ officium recepit, cum Carolus ibidem cum Herispogio placitaret, ac seria quæque regni negotia tractaret.

* *Creil.*

a *Labbe to. 2. p. 548.*

XXVIII. Monasteria a Normannis incensa.

Interim Nortmanni, in Frisiam, indeque in Galliam Belgicam effusi, sancti Bavonis incenso monasterio, Rotomagum usque pedestri itinere penetrant, & obvia quæque vastant, diripiunt, incendunt; in his Bellovacorum urbem flammis consumunt: at in reditu intercepti a nostris, magna ex parte profligati. Hæc fere annales Bertiniani. Verum in chronico Fontanellensi apud Chesnium, eo tempore scripto, Nortmannorum classis, non ex Frisia, sed ex Novempopulania, Sequanam ingressa fuisse dicitur III. idus Octobris, duce Hoseri, qui ante decem annos Rotomagum depopulatus fuerat: & in progressu Fontanellam diripuisse; & ad extremum V. idus Januarii, post dies eorum ingressus in Sequanam octoginta novem, in favillas redegisse, *cum stetisset a primo ædificationis suæ die ducentis octodecim annis, mense uno, & diebus tredecim*; atque adeo ex mente ejus auctoris, Fontanellense monasterium sub finem anni sexcentesimi tricesimi-secundi a sancto Wandregisilo primitus absolutum fuerat. Verum serius sexdecim annis conditum fuisse suo loco demonstravimus, maxime ex principatu Chlodovei & Audoëni pontificatu, qui ambo multum subsidii ad illam constructionem contulerunt. Proximum est Fontanellæ Gemeticum, quod etiam ab iisdem Normannis tunc vastatum fuisse constat. Interea Bellovacus & Flaviacum monasterium, haud dubie etiam Oratorium, eorumdem opera conflagrarunt. In reditu apud Warderam a Francis intercepti, pars interfecti, reliqui silvis se se abdiderunt, ac noctu ad naves suas reverterunt: cum Sequanam per dies ducentos octoginta-septem, nempe a tertio idus Octobris hujus anni ad nonas Junias anni insequentis, occupassent; sicque onustis navibus Burdegalim remeasse perhibentur. Ceterum regiones Sequanæ adjacentes testes sunt, numquam talem in illis partibus cladem auditam fuisse. Tunc Fontanellensem abbatiam obtinebat Ludovicus abbas illustris.

XXIX. S. Bavonis monachi Laudunum se recipiunt.

Incenso, ut præmissum est, sancti Bavonis Gandensi monasterio, monachi Laudunum, quod veteres Lugdunum-clavatum vocant, cum corpore sancti Bavonis & sacra supellectile se recipiunt ad suburbanum sancti Vincentii monasterium, alias sancti Christophori appellatum: ubi per multum temporis hospitati, nonnisi sæculo insequente ad propria postliminio redierunt. Abbatum sancti Bavonis nomina refert Sanderus, sed corrupta. Sub illud tempus sancti Vincentii monasterium regularis vitæ disciplina informatum est a quodam monacho Dionysiano, quem Carolus rex ejus rei causa illuc miserat, inconsulto episcopo Hincmaro: qui hac de re indignatus, monachum illum excommunicavit, nec ad removendam censuram umquam, sive ab Hincmaro patruo & metropolitano suo, sive a rege ipso adduci potuit. Hinc querelæ patrui adversus eum in hæc verba. *Sed & tum domnus rex monachum ac presbyterum quemdam, inter suos religiosum, ex venerabili monasterio sancti Dio-*

nysii, ad monasterium in Lauduno situm, ad doctrina atque religionis institutionem, non autem ad irregularem prælationem accersiit, & inconsulte illum pro animositate, quam contra regem habebas, excommunicasti: jussus a domno rege, adhibito mecum fratre & coëpiscopo nostro Hodone, te monui, quatenus irrationabilem tuam mutares sententiam, sed nihil apud te obtinere prævalui. Hic est Odo ex monacho & abbate Corbeiensi creatus episcopus Bellovacensis post Herminfredum, qui anno ejus sæculi undesexagesimo finem vivendi fecit. In ejus episcopatu sita erant monasteria, sancti Luciani suburbanum, Flaviacense sancti Geremari, atque Oratorium parthenium, sanctæ Angadrismæ virginis secessu nobilitatum: quæ duo postrema tunc a Nortmannis direpta, & ad solum redacta fuere. Eo tempore corpus sancti Ebrulfi abbatis, quod Oratorii sepultum fuerat, translatum est in ecclesiam cathedralem: ubi etiam nunc cum sancti Geremari reliquiis asservatur. Hincmarus Remorum antistes paullo ante, & quidem post obitum Hildemanni episcopi Bellovacensis, Carolo regi scripserat *pro cella vel monasterio Flaviaco, quod idem rex sibi, dum in ipsius ante episcopatum moraretur servitio, donaverat* ad vitam, *quodque a quodam invasore destructum restruxerat*, ubi *religionem, prout valuit, restauraverat. quod postea rex idem conabatur injuste a jure ipsius auferre.* Eadem etiam procella Marcianense duplex quondam, & proximum Hamaticense virginum in Belgio cœnobia destructa, eo in statu jacuere ad principatum usque Caroli cognomento Simplicis, quo tempore instaurata memorantur.

ANN. CHR. 851.

Alia monasteria destructa.

XXX. Gemetici an monachi cæsi.

Quid Fontanellæ post illud incendium acciderit, neque chronicum mox laudatum, nec liber de miraculis & delationibus sancti Wandregisili nos docent. De Gemeticensi plura discimus ex Willelmo [a] ejus loci monacho, qui illam Gemeticensis monasterii vastationem, quam ab Hastingo duce factam dicit, describens, ait, monachos, audito Nortmannorum adventu, inde fuga elapsos, rebus suis partim sub terra occultatis, partim secum asportatis, evasisse. Paganos vero, loco vacuo reperto, monasterium sanctæ Mariæ sanctique Petri & cuncta ædificia injecto igne combussisse, & omnia redegisse in vastam solitudinem, quæ per triginta ferme annorum curricula illic perseveravit. Ex quo Menardus noster merito refellit vulgarem ejus loci traditionem, asserentem, nongentos monachos a Nortmannis tunc ibidem martyrio affectos fuisse. quod certe non ignorasset Willelmus domesticus auctor, qui contra scribit, Gemeticenses monachos tunc fuga sibi consuluisse. Hæc vero de nongentorum monachorum cæde opinio Menardo videtur nata ex his verbis Matthæi Westmonasteriensis oscitanter lectis: *Exinde apud Gemeticum classem dirigentes* Nortmanni, *cœnobium nongentorum adurunt monachorum.* ex quibus quidam inepte sumserint, nongentos illos monachos a Nortmannis cum cœnobio fuisse combustos, quos salvos & incolumes evasisse ex Willelmo constat. Post illam cladem Gemeticenses hac illacque dissipati: ex quibus *presbyter quidam de Gimedia, nuper*, ait Notkerus, *a Nordmannis vastata*, ad sanctum Gallum adiit, antiphonarium suum illuc deferens: *in quo aliqui versus ad sequentias erant modulati, sed jam tunc vitiati.* Hæc fusius Notkerus Balbulus in epistola, in ejus elogio a nobis relata, in qua ait, monachum illum Gemeticensem eo venisse, cum ipse Notkerus *adhuc juvenculus* esset, qui grandævus decessit anno nongentesimo duodecimo. Falluntur itaque qui hanc Gemeticensem cladem longe serius summovent. Forte ob hanc cladem corpus sancti Aicadri abbatis delatum est in villam Haspras diœcesis Cameracensis: ubi condita cella monachorum Gemeticensium, sæculo undecimo permutata, & Vedastinis concessa, hactenus monasterii sancti Vedasti præpositura: cujus originem Johannes Guisius Pippino Heristallensi tribuit in chronico Hannoniæ nondum edito.

a Willelm. Gemet. lib. 1. c. 6.

S. Aicadri corpus Haspras delatum.

XXXI. Radbertus Corbeiæ regimen abdicat.

Ad hunc annum recentiores plerique revocant obitum Paschasii Radberti abbatis Corbeiensis, hac adducti ratione, quod ei hoc anno successit Odo, quippe qui concilio Suessionensi anno abhinc secundo jam abbas interfuit. Verum hi auctores Radberti obitum confundunt cum abdicatione regiminis, quod is hoc anno dimisit, facta Corbeiensibus eligendi successoris potestate. Jam dudum id consilii animo agitabat vir modestissimus: at, repugnantibus alumnis, ægre tandem voti sui compos factus est, ut testatur ejus præfatio libri noni in Matthæum. *Mihi quidem*, inquit, *post innumeros actus sæculi & molestos vitæ labores, post sollicitudines tanti regiminis & longa vitæ præsentis dispendia, optabile satis tandem prudenti viro concessit otium* Deus. *adeo ut nihil illi profecerint, qui moliebantur aliud; & filio tunc mihi ca-*

ANN. CHR. 851.

rissimo, nempe Odoni, *vix expleto tirocinio, valde negotiosissimum imposuit jugum, quia vigebat animo & corpore, ut ipso etiam & merito sanctitatis.* Vix annum septimum agebat regiminis, cum illud abdicavit. Hujus abdicationis non una, sed plures causæ: litteratum & otii amor, turbæ quædam Corbeiæ eo abbate excitatæ, aliæque fortasse nobis incognitæ. Turbarum ejusmodi origo primom ex discidiolis litterariis cum Ratramno monacho suo, ejusque asseclis, tum de partu beatæ Virginis, tum de gemina prædestinatione, & forte etiam de rebus eucharisticis. Certe Corbeiæ adhuc residebat Ratramnus sub finem anni octingentesimi quadragesimi-noni, quando Lupus abbas Ferrariensis eidem causam Hilmeradi Ambianensis episcopi electi commendavit. Alia ejus abdicationis causa nasci potuit ex reprehensione quorumdam laxioris vitæ monachorum, qui cum justam Radberti censuram ferre non possent, e monasterio discesserunt. Etsi enim ejus tempore sic apud Corbeienses floreret monastica disciplina, ut, vel synodi Parisiensis testimonio, majores suos non æquarent modo, sed anteire atque antecellere viderentur: fuere tamen nonnulli, ut nulla est societas tam sancta, quæ improbos non habeat admistos, qui ad solutiores mores prolapsi, non vitiis suis, sed vitiorum censoribus succenserent. Ejus mali originem aperit Paschasius ipse in epitaphio [a] Arsenii seu Walæ, qui laxiorum licentiam & contumaciam *nunc minis, nunc plagis, nunc beneficiis, nunc blandis persuasionibus* reprimere conatus est, ob id *severus ac durus* ab ipsis appellatus. Wala autem mortuo, cum tanta non esset ejus successorum, Isaaci & Heddonis abbatum, auctoritas, eo prorupit vitiosorum licentia, ut *jus & æquum* [b] perverterent. Ex eorum numero fuit Ivo ejus loci monachus, Lupi abbatis propinquus, qui, Corbeia pulsus, an fuga elapsus, eodem impune reverti moliebatur, munitus præsidio ac litteris Caroli regis, *quo impunitatis securitatem* de malefactis obtineret. Quam ob rem Lupum rogat Paschasius, ut qua valebat apud regem auctoritate, impetraret, ne is deinceps refugium præsidiumve apud regem inveniret, testante Lupi epistola quinquagesima-sexta. In sequenti vero, quæ *dilectissimo abbati Ratberto* inscribitur, satis innuit Lupus, quemdam virum præpotentem Ivoni propinquo suo favisse, eoque tandem ab ipso adductum, *ut non modo noceat nihil, verum etiam prosit plurimum, si erga propinquum, qui tempore tumultus discessit, & instaurata pace reverteretur, benignus exsisteret* Paschasius. Huic etiam tumultui materiam addidisse potuit Caroli principis retrusio in Corbeiense monasterium, ejusdemque ex eodem loco furtiva discessio, qui forte nonnullos secum monachos abduxerit. Clarius hunc tumultum, ejusque auctores ac fautorem designat Lupus sequentibus verbis. *Id vos & libenter facturos, & in omnibus, quæ jubere dignaretur, obsecuturos, dum ejus gratia frueremini, fiducialiter spopondi; atque eo usque institi, donec firmissime promitteret, nihil se vobis offecturum, nisi prius mecum causam conferret. Itaque modum petitionis meæ hoc fine terminavi, ut, si quando rebelles ejus favore suas querelas fulciri deposcerent, non vulgo acquiesceret, verum res dumtaxat dignas vestræ conscientiæ reservaret.* Passus est ergo *rebelles* e suis nonnullos Paschasius, qui severiorem, ut ipsis videbatur, ejus disciplinam ferre non poterant. Subdit Lupus, quædam alia se comperisse, tam caute revelanda, ut ea litteris comprehendere tutum non putaverit; tamque necessaria cognitu, ut ad colloquium quantocius venire Paschasius debeat. *Ceterum, nisi jam molestum sit*, inquit, *profecturo mihi cum rege, si Deus vult, ad Silvacum nuntium dirigite: ut cum gratias agere cœpero, uberius dicendi copia frustra conantem plurima non destituat.* Sic tandem sopita utcumque fuisse videtur, Lupi consilio & interventu, factio illa rebellium, quod negotium regi ab se exponendum recipit in proxima epistola LVIII. Tanta erat inter ambos illos eximios abbates necessitudo; tanta Lupi apud regem gratia! In omnibus vero ejusmodi procellis Paschasius eam semper animi moderationem præ se tulit, ut, cum de sua ipsius abdicatione sæpe in scriptis suis meminerit, nusquam tamen vel levissimam indignantis vocem ab eo extorserit æmulorum acerbitas, quos ne nomine quidem uspiam expressit, aut quoquam pacto designavit. Inter illas turbas cedere compulsus est Paschasius, eoque intervallo in Centulense monasterium ad tempus se recepit, si forte seditiosi illi quiescerent. Verum, cum forte res turbare pergerent, præfectura sponte decessit, Odoni discipulo suo, vix e monasticæ tirocinio egresso, locum facturus.

XXXII. Studia resumit.

E procellosis præfecturæ negotiis eductus tandem vir sanctus, statim reditum fe-

a Paschas. lib. 2. c. 23.

b ibid. c. 10.

cit ad intermissa sacrarum litterarum optatissima studia, quibus gravis ætatis molestias recreavit. Hoc ipse cum magna voluptate animi testatur non semel, ut initio libri primi in psalmum quadragesimum quartum. *Cum sollicitudine pastoralis officii, curisque regiminis & negotiis actionum essem tandem exoccupatus; divino dispensante judicio retuli me ad ea studia, quæ profecto retenta animo, remissa temporibus, inter varios rerum sæcularium anfractus abjeceram: sicque longo intervallo intermissa revocavi.* Præclara sunt quæ hanc in rem scribit initio præfationis libri noni in Matthæum. *Numquam digne satis laudari philosophia potest, fratres carissimi, cui qui paret, omne tempus ætatis suæ poterit sine molestia quodam modo conversari: quia quos nutrierit a puero, etiam in senectute non deserit. Hinc est quod me, licet ego desererim eam, non passa est in hac ætate longius a se amplius peregrinari: sed, mox ut redii ad eam, multum diuque male vexatas sæcularium rerum curis, recognovi verum non esse viam prioris vitæ, & lactare me cœpit quasi puerum, suisque recreare uberibus. Merito igitur, quia puerorum & senum pene una est conditio, & coæqualis eorum mors mihi videtur. Et ideo eorum semper utrorumque lacte scripturarum divinarum nutriendus est animus: puer siquidem, ut crescat, senex vero, ne deficiat; immo uterque eorum ut proficiat in melius, & vivat divinis lactatus uberibus.* Initium resumendorum studiorum duxisse videtur a continuanda expositione in Matthæum, tum libros quatuor dudum ab se compositos recognoscens, tum librum quintum inchoans, quem Centulensibus monachis, ad rependendam concessi sibi hospitii gratiam, nuncupavit sub hac inscriptione: *Sanctissimis in Christo fratribus, quos divina sapientia satis abunde suis illustrat virtutibus, & cælestis gratia miris exornat muneribus, sub sancto proposito monasticæ disciplinæ Centulo degentibus, Paschasius Ratbertus, monachorum omnium peripsema, & levitarum ultimus.* Hanc vero expositionem prosequendam aggressus est eorum hortatu, missis ad se monachis, qui ad explendum opus ipsum impellerent. Ipse vero eorum auctoritate se fulciri cupit, *quorum doctrina*, inquit, *in omni scientia Dei longe, lateque prædicatur, & sapientia pollet, non dico in verbo tantum, verum etiam in omni opere bono, atque disciplina virtutum.* Ceterum adeo sacra illa studia non remisit senex, ut operum ejus saltem media pars ab eo tempore composita sit, nempe liber secundus de Walæ epitaphio, postremi septem libri in Matthæum, in psalmum quadragesimum-quartum libri tres, atque libri quinque in Threnos Jeremiæ, quibus explanandis extremos vitæ dies videtur impendisse.

Sub finem libri secundi de Walæ epitaphio ait, se quoddam de Walæ sanctitate ac cælesti gloria indicium accepisse *venerabili referente Ermingarde regina, quæ quam sæpe aiebat*, (sic ille tamquam de mortua loquitur) se ejus exitum per varia Italiæ monasteria commendasse. Hoc vero anno contigit obitus Ermengardis augustæ, Lotharii imperatoris conjugis, quam reginam pro more illorum temporum appellat. Hæc sub finem vitæ in monasterium *Erestein*, quam ipsa in diœcesi Argentoratensi condiderat, se recepisse forte nonnullis videbitur ex ipsius epitaphio, in quo locum hunc exstruxisse, ac reliquiis sacris Roma advectis exornasse dicitur his versibus, quos Rabanus composuit.

Femina hic pausat augusta, & nobilis ortu,
Irmingarda cui nomen erat deditum:
Quæ hoc opus incipiens, hic aulam condere jussit
Ad Christi laudem, atque sui requiem.
Nam pia relliquias sanctorum ex urbe recipiens
Romana, huc vexit, hicque locavit eas:
Ipsorum caperet meritis ut gaudia vitæ,
Delicti ac veniam perciperet precibus.
Caste conversans mundana hæc gaudia sprevit:
Pauperibus larga, omnibus apta bonis.
Nobiliter vixit, aliis exempla reliquit
Virtutum, sibimet præmia læta parans.
Hæc quoque dum expleret juvenile hic tempus, & annos
Maturæ ætatis inciperet, obiit.

In fine Rabanus ejus obitus diem & annum diserte sic expressit: *Obiit autem Irmin-*

ANN. CHR. 851.

XXXIII. Ermengardis imperatricis obitus.

garda imperatrix anno dominicæ incarnationis DCCC LI. indictione XIIII. XIII. kal.
ANN. CHR. 851. *Aprilis, in die parasceve, hora quasi sexta, & requievit in pace.* Hæc sancti Sixti, ac sanctorum Felicis & Adaucti reliquias, a Leone IV. sibi concessas, Roma attulisse, & in suo monasterio collocasse traditur, epitaphio non obscure attestante. Irmingardis epitaphium præcedit epitaphium Wigfridæ nobilis feminæ, ex genere Saxonum ac Turingorum, quæ post conjugium editosque liberos,

Et post busta viri nonna dicata Deo est.

Theotfrida ejus filia huoc ei titulum apponi curavit. De loco oihil oobis occurrit. In divisiooe regni Lotharii, facta inter Ludovicum & Carolum reges, censetur *Erenstein*, quod *Erastein* dicitur io libello de miraculis sanctæ Bertæ abbatissæ Blangiacensis, cujus corpus ob Nortmannorum metum illuc refugii causa delatum est Rotrude tum abbatissa, Arnolfo imperante.

Paullo post mortem Irmingardis Lotharius augustus Gislæ filiæ suæ monasterium Salvatoris & sanctæ Juliæ Brixiense confirmavit, aliaque ad idem monasterium per-
» tioentia: in his monasterium io urbe Lucca, quod dux Allo ædificavit; monaste-
» rium Papiense, quod Reginæ vocatur; & portum Placentinum cum hospitali sancti
» Benedicti in Monte-longo. Actum Gundulfi-villa palatio regio, anno Lotharii im-
» peratoris io Italia vicesimo-secundo, in Francia duodecimo, indictione quarta de-
» cima, non quarta, ut male in Bullario Casineosi.

XXXIV. Ratleici item abbatis, cui Rabanus martyrologium dicat. Mortuus est sub idem tempus Ratleïcus abbas Seligenstadiensis, Eginhardi quondam notarius, cui paullo ante obitum Rabanus Martyrologium suum nuncupavit, præmissa epistola, quam io tomo quarto nostrorum Analectorum editam reperies, professus se ejus hortatu hoc opus suscepisse. *Quia rogasti me*, inquit, *frater amantissime, ut Martyrologium per totum annum tibi conscriberem, atque Sanctorum festa, quæcumque potuissem invenire, ibidem insererem: feci quantum potui, & singulis diebus nomina Sanctorum, quæ scripta, sive notata ab antecessoribus in libellis reperi, ibidem inserui; & cujuscumque sancti obitum sive martyrium, qualiter vitam finierint, legi; breviter, prout valui, notavi.* Idem Martyrologium suum itidem dicavit Grimoldo abbati sancti Galli, Ludovici regis archicapellano, quem, uti amicum præcipuum, versibus celebrat. Lupus abbas in epistola sexagesima laudat Ratlegium abbatem monasterii, quod Germanice *Saligstat* appellatur, ejusque epitaphium
» cecinit Rabanus, in quo sophiæ studiosus amator, divinæ legis studiosus indagator
» & præceptor fuisse dicitur, atque ex urbe Colonia ortus, Ludovico regi adhæsisse.

XXXV. Hetti archiepiscopo succedit Thietgaudus. Nec ulterius vitam produxit Hetti Trevirorum aotistes, idemque frater Grimoldi abbatis mox laudati, post obitum sepultus in Trevirensi sancti Eucharii monasterio. Eidem in metropolitica dignitate successit Thietgaudus, abbas, ut ille quondam, Mediolacensis, ejusque nepos, ut patet ex epitaphio Warentrudis abbatissæ Palatiolensis in suburbio Trevirensi, quod epitaphium ex ruderibus veteris illius parthenoois erutum, in perystilio canooicorum hodie quoque legitur [a] in hunc modum.

[a] Annal. Trevir. tom. 1. p. 404.

Hic Warentrudis nimium veneranda quiescit
Abbatissa, animam sed paradisus habet.
Hetti pontificis fuerat soror, amita magni
Tietgaudi domini, magnificique patris.
Cujus germanus vir clarus in omnibus exstat,
Nomine Grimaldus, ore & honore potens:
Quique jubent titulum scribi pro munere amici,
Illius ut nomen tempora multa habeant.

Magnorum motuum causa exstitit Thietgaudus cum Gunthero archiepiscopo Colonieosi, approbato ab ipsis illicito contubernio Lotharii regis cum Waldrada concubina, quod illis magnam attulit perniciem.

XXXVI. Athanacense monasterium monachis restituitur. Sub hoc tempus Aurelianus abbas, is qui post modum Lugdunensis aotistes creatus, Athanacensis ejusdem urbis monasterii, quod tum monachis destitutum erat, collapsam regularem disciplinam instaurandam aggressus est. Ædibus ejus loci restitutis, mooachos huic coosilio aptiores cœpit perquirere. Hæc cogitanti occurrit

Bonæ-

ANN. CHR. 851.

Bonævallensium monachorum religio tunc florentissima in agro Carnotensi. Inde monachos accersere Aurelianus constituit, eorumque certum numerum ab ejus loci abbate postulavit. Piis ejus votis obsecundans abbas, monachos præbuit duodecim, cui repensandi gratia beneficii partem sanctorum martyrum Florentini & Hilarii reliquiarum concessit, quorum corpora Aurelianus recens Athanacum ex martyrii loco adduxerat. Sedunum hactenus creditus est locus, ubi prædicti martyres passi sunt, atque is in editis martyrologiis expressus erat. Verum non *Sedunum*, celebris apud Vallesios * opidi nomen, sed *Pseudunum* * legendum esse, ac prædictos martyres *in finibus Æduorum*, haud longe a Dusmensi * pago, qui Alexiensi conterminus est, passos esse, in ipsius Aureliani elogio certis argumentis a me demonstratum est. Itaque e castro Pseuduno sanctorum Florentini & Hilarii reliquiæ Athanacum advectæ sunt ab Aureliano abbate, qui tunc etiam Augustodunensis archidiaconus erat; nobilibus ortus parentibus, Aureliano patre, & matre Adalsona, quos in testamento suo commemorat. Concessæ Bonævallensibus eorumdem martyrum reliquiæ: de quarum translatione illuc facta, libellum edidit anonymus Bonævallensis, a nobis editum in ipsius Aureliani elogio. Varia in itinere patrata miracula, dum tandem reliquiæ sacræ inductæ sunt in Bonævallensem *beati Sabini meritis dicatam ecclesiam*. Forte hæc altera ejus loci ecclesia erat. nam prima sanctis martyribus Marcellino & Petro primitus dicata perhibetur. Ab eo tempore monasterium Bonæ-vallis sancti Florentini nomine insignitum. Bonæ-vallensem abbatem, sub quo hæc translatio facta est, Ingelarium Gausmari successorem suggerit ejus loci chronographus. At sibi non constat hic auctor, cum Gausmarum Carolo-Calvo, cui familiaris erat, superstitem facit; additque anno primo regni Ludovici Balbi Lambertum Castrodonensem comitem sanctis martyribus Petro & Marcellino, & *domno abbate Gausmaro*, refugii locum Castroduni dedisse. Itaque eo anno, Christi octingentesimo septuagesimo-octavo, superstes erat Gausmarus, Aureliano tunc archiepiscopo Lugdunensi: quo abbate hæc Athanacensis monasterii reformatio, & sanctorum martyrum in Bonæ-vallense translatio facta est. Aliæ prædictorum martyrum translationes, tum ad castrum sancti Florentini dictum, diœcesis Autisiodorensis, de qua superius egimus; tum ad opidum pagi Parisiensis Latiniacum, de qua suo loco, factæ leguntur: quæ quemadmodum conciliari possint, nobis haud succurrit, quibus a reliquiariis ejusmodi operosis disquisitionibus abstinere satius videtur. Multæ Bonæ-vallensibus subinde factæ donationes a nobilibus viris: in quibus Rampo vicecomes Castrodunensis sub Ingelario abbate, Menelaus miles *tempore Ingelramni abbatis*; & comes Theobaldus, Tricator cognominatus, præcipui fuere. Hujus filius Odo comes *loci hujus reparator* appellatur in brevi chronico, quod Aureliani elogio subjunximus. Ceterum non hic stetit Aureliani pietas, ac studium in monasticum ordinem, quippe qui paullo post Saxiacum monasterium in agro Lugdunensi ædificavit.

Bonævalli reliquiæ S. Florentini concessæ.

* Le Vallais.
* Semont
* Le Dusmois.

XXXVII. Circiter hoc tempus, Gauslino abbati Glannafoliensi suffectus est frater ejus Theodradus, *sanctæ recordationis* abbas: cujus tempore quidam monasterii prædones sancto Mauro pœnas perpetratorum facinorum dederunt. In eorum numero primi occurrunt famuli *Gerelmi honorabilis*, qui, Odone hæc scribente, *in domo Agelwini abbatis* clarior habebatur. His, cum e monasterio vinum per vim auferre vellent, occurrit Theodradus abbas cum capsula reliquiarum, eosque vacuos recedere coëgit. qui, arrepta piscatoria navi monachorum, Ligerim transnavigare parantes, cum eam restituere, monente Assuero monacho, nollent, vix enatando salvi ad litus evadere potuerunt, uno ex eis, qui procacior erat, undis submerso. Sub Theodrado abbate diu vixit Godefredus abbas Fossatensis monasterii, *& ordinis dignitate & perfectioris vitæ sanctitate* venerabilis, qui Eginhardo seu Einardo abbati post quatuor annos successit.

Gauslini abbatis Glannæ successor Theodradus.

XXXVIII. Haud scio an sit aliquod operæ pretium commemorare hoc loco donationem quorumdam prædiorum, a Walterio clerico factam Deo & fratribus monasterii sancti Pauli Cormaricensis, cui tum Audacher abbas præerat, eo pacto, ut ex illis prædiis census annuus in vigilia apostolorum Petri & Pauli, in pane, vino, ac piscibus atque in libra argenti prædictis fratribus tribuatur; eademque die pro anima ejusdem Walterii ac parentum ejus unusquisque presbyter missam celebret unam, & « ceteri fratres psalmos decantent decem. Actum Turonis kalendis Februarii *in con-* «

Cormarico facta donatio sub Audachro abbate.

ANN. CHR. 852. *cilio publico.* Hic est Audacher abbas, Lupi propinquus, quem is *Hilduino præcellentissimo abbati* commendat in epistola XCVII. his verbis. *Peto etiam, ut propinquum meum, abbatem cellæ vestræ, quæ dicitur Cor.* id est Cormaricus, *qui & Deo, ut credimus, & bonis omnibus, ut palam est, pro sua probitate placet, honorifice suscipiatis, benigne tractetis, &c.* Hilduinus iste junior abbas fuit post Vivianum basilicæ Martinianæ, cui tum Cormaricenum monasterium subjectum erat. Initio ejusdem epistolæ Lupus egregia dat monita Hilduino, jubens eum esse memorem sui convictus in adolescentia, & consuetudinis initio juventutis, nimirum in aula Caroli, in qua Lupus non raro adolescens ac juvenis versatus est, & quidem cum Hilduino, qui ex ordine canonicorum sæcularium erat.

XXXIX. Immunitates Crulandæ concessæ.

Paullo ante hunc annum in majori Britannia habitum legitur concilium apud Beningdon in regno Merciorum, in quo Askillus Crulandensis monachus graviter questus est de plurimis damnis, monasterio suo per vicinos Danos, aliosque illatis: ad quas resarciendas Bertulfus rex, qui & ipse multa eidem loco damna intulerat, non solum uberrima prædia, sed & insignes immunitates monachis illis concessit in concilio Kingesburiensi, quod hoc ipso anno, sexta feria paschatis celebratum dicitur, præsentibus Ceolnotho Dorobernensi archiepiscopo, ceterisque Merciorum episcopis & magnatibus, qui diplomati hac de re apud Ingulfum relato subscripti reperiuntur, & cum his Wlfardus abbas Eveshamensis, Livingus Winchelcumbæ, & Hedda Medeshamstedensis abbates.

ANN. CHR. 852.

XL. Cordubensis persecutio repetita.

ANno ejus sæculi quinquagesimo-secundo Abdirames, Maurorum in Hispania rex, in Christianos sævire pergit: sed ipse tandem hoc ipso anno Deo meritas luit pœnas. E monachis Servus-Dei cum Gumesindo presbytero idibus Januarii, Georgius Bethleemiticus monachus cum Aurelio & Sabigothone seu Natalia conjugibus VI. kalendas augustas; Christophorus & Lewigildus, prior cœnobii sancti Martini in Cordubensibus jugis monachus, loco Roïana appellato; posterior cœnobii sanctorum Justi & Pastoris in iisdem montibus, ambo cæsi XIII. kalendas Septembris; denique Rogellius & Servio-Deo XVI. kalendas Octobris pro Christi fide occubuerunt, omnes fuse laudati ab Eulogio in Memorialis libro tertio.

Cum hæc martyrum constantia tyranno quam maxime displiceret, in apertam demum persecutionem ventum est, ut non tantum ii, qui se ultro ad supplicia offerrent, sed & quivis fideles, nullo ætatis aut sexus discrimine, in ferrum & in vincula conjicerentur, ad mortem, ut tyranno luberet, destinati. Hinc diffugiunt christiani latibula quæsituri, timidoque cursu, & habitu demutato nocturna carpunt silentia, *mori formidantes per gladium, quandoque morituri per debitum.* Alii fugere aut delitescere nolentes, abdicant religionem, ac Christum negant. Plurimi, qui constantiam martyrum prius extollebant, cum ex laïcis, tum ex sacerdotibus, eisdem nunc detrahere, indiscretos censere, quos hactenus beatos prædicaverant. His accessit conventus episcoporum, tyranni jussu Cordubæ habitus, ex quo litteræ, præmisso pontificali decreto, emanarunt, inhibitum esse martyrium, nec licere cuiquam deinceps ad palæstram professionis discurrere. In his angustiis repentina morte sublatus e medio est tyrannus, dum e solario ædium suarum pendentia stipitibus corpora sanctorum intueretur. Persecutionem nihilo secius urgere instituit Mahummedes ejus filius, cæsique sequentibus annis ex ordine monastico Felix monachus ex opido Complutensi, Petrus, Paulus, Isidorus, & Argimirus; e feminis Digna & Columba Tabanenses sanctimoniales, quarum hæc Martini abbatis & venerabilis Elisabethæ soror erat; Pomposa ex cœnobio Salvatoris Pinna-mellariensi; denique Aurea monacha Cuteclarensis, sanctorum martyrum Johannis & Adulfi soror. Hi omnes necem pro Christo passi sunt intra decennium, & post eos Eulogius sanctissimus Christi confessor, anno ejus sæculi quinquagesimo-nono, postquam eorum agones scriptis suis celebrasset. His addendi ducenti monachi Caradignenses, quorum annum martyrii non satis exploratum reddit vitiosa inscriptio, a Morale & Baronio [a] relata. De cœnobio Salvatoris Pinna-mellariæ sitq id obiter ex Eulogio observandum, locum sic dictum fuisse *ob congestos in illa celsiori rupe apum industria favos*, ad cujus radicem situm erat monasterium duplex, quod ex eo vocabulum accepit. Illic tum florebat Fandila, monachus primum Tabanensis

[a] Baron. an. 834.

sub Martino abbate, dein Pinna-mellariensis, ubi *ad officium sacerdotale praconio eorumdem fratram & sororum* prælectus & approbatus est.

ANN. CHR. 812.

XLI. *Pippinus retrusus ad sanctum Medardum.*

Inter hæc Sancius comes Wasconiæ Pippinum, in Aquitania nova molientem, comprehendit, & ad Carolum regem adducit. Hic est Sancius, rex Vasconum a Johanne Mariana [a] dictus, qui Alvendæ monasterium sancti Martini nomine ædificandum curavit, cujus reditus & bibliotheca, in paucis nobilis, in divæ Mariæ Rotundæ ecclesiam consequenti tempore commigrarunt Lugrunium, unde Alvenda distat octo modo passuum millibus. Pippinus jussu Caroli tonsus, & in Suessionense sancti Medardi monasterium retrusus est. In concilio Suessionensi anni sequentis Pippinus *consilio reverentissimorum episcoporum & procerum attonsus, & in habitu monachico ad monasteriam sancti Medardi custodiendus, & docendus deductus* perhibetur. Id factum hoc anno tradunt annales Bertiniani, quod alii ad præcedentem referunt. Non diu illic stetit Pippinus, paulo post monasterio fuga elapsus auxilio duorum ejus loci presbyterorum monachorum, quos subsequens synodus Suessionensis ob eam causam gradu & ordine dejecit.. Erat tum forte ejus loci abbas Hilduinus junior, & paulo post Wlfadus, dictus abbas monasterii sancti Medardi in litteris Caroli regis pro parthenone sanctæ Mariæ Suessionensi, inferius referendis: qui eo se receperat post synodum Suessionensem, in qua ejus ordinatio, ab Ebone exauctorato facta, irrita judicata est. Illic eo tempore monasticam intepuisse disciplinam discimus ex epistola Hincmari antistitis Remensis ad Rothadum Suessionensem, cui scribit *pro ordinatione sancti Medardi, & restituenda in eo regula.*

Wlfadus abbas, & monasterii status.

XLII. *S. Remigii translatio.*

Idem Hincmarus, amplificata sancti Remigii basilica, novaque crypta [b] præclari operis ad pedes sanctissimi præsulis præparata, sacrum ejus corpus e priori crypta in novam, convocatis Remensis diœceseos episcopis, sollemniter transtulit hoc anno, uti Hincmarus ipse diserte testatur. Cryptas vocant veteres, non tantum fornices subterraneos, sed etiam cellas quaslibet seu capellas concameratas. Corpus sacrum loculo argenteo, integrum ut erat, ab Hincmaro inclusum, brandeo seu pallio, quo prius, involutum. Sudarium vero, quod super caput ejus positum fuerat, cum parte prædicti brandei scriniolo reconditum eburneo, ecclesiæ beatæ Mariæ asservandum tradidit. Loculo, in quo repositum est corpus, inscripti sunt [c] versus, sancti Remigii compendium vitæ referentes. Ante ipsius sepulcrum opus item egregium, auro gemmisque distinctum, addidit Hincmarus, cum fenestella itidem aurea, quæ hactenus ad inspiciendum loculum aperitur, his versibus inditis.

Hoc tibi, Remigi, fabricavi, magne, sepulcrum
Hincmarus præsul, ductus amore tuo.
Ut requiem Dominus tribuat mihi, sancte, precatu,
Et dignis meritis, mi venerande, tuis.

Alios versus sacro loculo inscribendos composuerat Haldoinus abbas Altivillarensis, quorum loco suos versus Hincmarus ipse inscribi voluit. Haldoini versus in tomo I. Analectorum [d] editi sunt, quibus subjungitur hæc clausula: *Anno a nativitate Domini* DCCC LII. *quarto kalendas Julii, regni vero Caroli* XII. *ordinatione quoque episcopatus Hincmari* VIII. *indictione* XV. Hæc tamen translatio facta est kalendis Octobris, uti idem Hincmarus versibus suis testatur, à Frodoardo relatis, in quibus annus & dies factæ translationis diserte exprimuntur. Facta est, inquam, ipso die, quo prima e tumulo translatio [e] sancti corporis sæculo sexto facta fuerat. S. Remigii corpus integrum, intacto primo sudario, Hincmarus alio pretioso involvit bombicino panno densiori, intextis ex filo argenteo & sericeo litteris, quæ hanc sententiam continebant: *Sancte Remigi, pontifex Domini pretiose, cum pietate memento mei Hincmari, nomine non merito episcopi, indigni quoque, sed devoti servi tui.* Appositus etiam sub capite sacro pulvinus ex rubeo panno itidem bombicino, cum his versibus litteris aureis adscriptis, qui Alpaïdem, Caroli Calvi sororem, ejus opificem esse probant.

Hoc opus exiguum præsul clarissimus Hincmar
Alpheidi jussit condere, sicque dare.
Ille quidem jussit, sed & hæc mox læta peregit,
Protulit & factum, quod modo cernis opus.

[a] *Mariana lib. 7. c. 13.*
[b] *Frod. lib. 3. c. 9.*
[c] *Marlot. to. 1. p. 395.*
[d] *Analect. to. 1. p. 416.*
[e] *Frod. lib. 1. c. 20.*

ANN. CHR. 852.

Quæ sub honore novo pulvillum condidit istum,
Quo sustentetur dulce sacrumque caput.
Remigii meritis Alphedu ubique juvetur,
Ipsiusque preces hanc super astra ferant.

Nostro tempore, id est anno M DC XLVI. in detectione sacri corporis, pulvinus iste cum sacro corpore & sudario prædicto ita integer repertus est, ut sub capite sancti Remigii reponendus visus sit præ alio pretioso, quem abbatissa sancti Stephani ejusdem urbis fieri curaverat ad pompam novæ translationis in novam capsam, quæ translatio non anno M DC XLVIII. ut inscriptio eidem capsæ apposita fallit, sed anno M DC L. facta est, die decima-nona Augusti. Nova hæc capsa argentea, domni Odoardi *Bourgeois* antiqui ejus loci prioris monumentum, longa septem pedes, alta circiter quatuor, eodem anno, & quidem die XXI. Augusti sollemni ritu per urbem delata fuit ad avertendam urbis obsidionem, quam archidux Leopoldus, infesto exercitu in Galliam per discordiam principum ingressus, moliri videbatur. Hæc dicta sint ad ostendendam Hincmari in sanctum Remigium pietatem. Ad hæc evangeliorum eximius codex Remigianæ basilicæ, aureis tum litteris, tum operculis cum gemmis insignitus, crux auro cooperta, liber sacramentorum, aliaque ornamenta ab eodem Hincmaro concessa sunt, qui de corpore beati Remigii nihil sumere ausus est, ut ipse testatur in epistola ad Ludovicum Germaniæ regem, qui aliquid e sacro corpore sibi dari petierat. Nefas quippe duxit Hincmarus, quod etiam in postrema sacri corporis in novum loculum demutatione observatum, quidquam e sacro illo deposito decerpere, quod Deus insigni miraculo per tot annos integrum incorruptumque conservasset.

Ejus vita ab Hincmaro scripta. Paullo post veteris auctoris, qui de sancti Remigii gestis scripserat, libellum augere, immo novum opus condere aggressus est idem antistes. qua de re Lantranno cuidam ecclesiæ suæ sacerdoti, qui e parochia Remensi Ebonis episcopi causa discesserat, scribit, petitque, [a] ut si qua, prout audierat, de vita & actibus beati Remigii penes se haberet, præter ea, *quæ ex antiquo in ecclesia Remensi legebantur*, ea quantocius aut ipse sibi afferat, aut sub sigillo transmittat.

a *id ibid. c. 28.*

XLIII. S. Vedasti corpus levatum. Eodem anno levatum est corpus sancti Vedasti episcopi Atrebatensis e loco, ubi a sanctis Autberto & Audomaro repositum fuerat. Id factum a Theoderico episcopo VI. nonas Julii, repositæque sub sigillo episcopali sacræ reliquiæ, dum condigna tanto thesauro crypta conderetur. Ejus rei celebritas dilata ad pridie nonas Junias anni insequentis. Abbatia tum erat sub potestate Adelardi comitis. Hæc pluribus exposita ab Ulmaro presbytero & cœnobita Vedastino.

XLIV. Amolonis epistola ad Gothescalcum. Detentus in Altivillarensi monasterio Gothescalcus hoc tempore duo scripta sua misit ad Amolonem archiepiscopum Lugdunensem: unum *, in quo allatis scripturarum & sanctorum patrum testimoniis, suam de gemina prædestinatione tuebatur sententiam: alterum, in quo ea, quæ ad episcopos, vel contra episcopos, *qui in concilio damnationis suæ adfuerant*, scripserat vel protulerat, continebantur. His scriptis acceptis, Amolo aliquantisper hæsit, Gothescalco an responderet, *homini de novis contra ecclesiam præsumtionibus, & non parvis erroribus jam dudum accusato, & propter contumaciam episcopalis concilii auctoritate damnato*. Tandem vero ei satisfaciendum putavit, ne tantam, qua ipsum sollicitabat, deprecationem & supplicationem contemnere, eique *tam angustiato, tam afflicto, tam anxio & conturbato* nihil consulere videretur. In primis rationem reddit, cur eum in fronte epistolæ *dilectissimum fratrem* dicat, quod scilicet eum diligat, eique eamdem, atque sibi, salutem optet. Dein, præmisso, quantum bonum sit obedientiæ, quantum contentionis & contumaciæ malum, eumdem hortatur, ut, si bonus & pacificus ecclesiæ filius esse desiderat, non sensui suo se permittat, sed majorum judiciis atque sententiæ se subdat & acquiescat. Tum singula capita, quæ in ejus scriptis sibi displicerent, affert ac refellit. In primis quod assereret, *neminem perire posse sanguine Christi redemtum*, quod fidei catholicæ dupliciter adversari asserit, si aut neminem ex » numero baptizatorum perire posse sentiat: aut si omnes baptizatos sanguine Christi » redemtos esse non credat. Secundo, ait sibi displicere, quod Gothescalcus ecclesiæ sacra» menta iis, qui post eorum perceptionem pereunt, perfunctorie tantum & frustratorie » conferri existimet. Tertio, quod eosdem neget ecclesiæ vere incorporatos. Quarto,

AN CHR. 852.

quod tam dure & immaniter de divina prædestinatione ad interitum sentiat & loquatur, quasi reprobi ita sint divinitus ad interitum prædestinati, *ut eorum prorsus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse.* quod blasphemum esse probat Amolo, & Deo quam maxime injurium: quippe qui malis angelis & reprobis hominibus perpetuas prædestinavit pœnas, non quia malos & reprobos ipse eos facit, sed quia tales proprio vitio suo futuros illos prævidit. Eodem spectat articulus quintus, quo aiebat Gothescalcus, teste Amolone, reprobos tam incommutabiliter ad perditionem esse prædestinatos, sicut Deus incommutabilis est. Sexto, improbat Amolo, quod Deum & sanctos ejus in perditione reproborum exsultaturos & gavisuros ille sentiebat. Septimo, duo gravia mala in moribus Gothescalci sibi plurimum displicere addit. unum, quod sacerdotes Dei & rectores ecclesiarum injuriis & conviciis lacessat, hæreticos appellare non veritus, eosque *a bono & erudito viro atque catholico episcopo Rabanicos* appellans: cum iste *tot annis* a corpore ecclesiæ præcisus sit, (id est ab annis circiter quatuor) ex quo primum a Rabano, tum in synodo prima Carisiacensi damnatus fuerat, *episcopalis concilii auctoritate, ut audio*, inquit Amolo. quod argumento est, illius concilii acta necdum ad eum pervenisse. Alterum sibi displicere ait Amolo, quod in omnibus, quæ dicebat & sentiebat Gothescalcus, ut ejus scripta palam faciunt, nullum omnino, hominum more bonorum, pie & humiliter deprecetur; nullius se sensui & auctoritati submittat. Quapropter eumdem hortatur Amolo, ut revertatur ad seipsum, vanum errorem procul a se abjiciat, laboremque infructuosum ac perniciosum; seque sanctæ matri ecclesiæ, sacerdotum & patrum suorum obedientiæ, & fraternæ omnium caritati restituat. Hanc vero epistolam Amolo, non ipsi Gothescalco, qui excommunicationem ab ecclesia exceperat, sed metropolitano ejus antistiti Hincmaro direxit, ut is adversus eum non indignatione ulla, sed commiseratione moveatur; & ea accepta ac perlecta, Gothescalcus, si veritati acquiescere voluerit, unitati ecclesiæ restituatur.

Duo illa scripta Gothescalci, quæ Amolo commemorat, alia sunt procul dubio a duabus ejus confessionibus, quarum in neutra, ne quidem in prolixiori, præmissa capita inveniuntur: immo contraria de prædestinatione sententia. Sic quippe Gothescalcus prædestinationem ad interitum in prolixiori asserit, ut eam Deo, ac divinæ ejus præscientiæ coæternam asserat: & in utraque confiteatur, quod Deus, ut electos *ad vitam gratis æternam*, sic diabolum cum omnibus suis apostaticis & hominibus reprobis, *propter præscita certissime ipsorum propria futura mala, prædestinavit pariter per justissimum judicium suum in mortem merito sempiternam*, ut in priori confessione legitur: seu, quod posterior habet, *quos præscivit, per ipsorum propriam miseriam, in damnabilibus perseveraturos esse peccatis, illos, tamquam justissimus judex, prædestinavit ad interitum juste ac merito.* quod sanctorum Augustini ac Fulgentii, aliorumque patrum doctrinæ, immo & catholicæ veritati omnino consentaneum est. Sub finem posterioris confessionis obtestatur, ut quisquis hæc *non livore corvino*, sed *amore potius columbino* legerit, *Gottescalchi peccatoris* ante Deum meminerit, ejusque imploret benignissimam clementiam, ut ipsi gratuita pietate largiri dignetur *veræ humilitatis excellentiam, & sinceræ caritatis eminentiam.* quod repugnat iis, quæ Amolo in illo carpit, quod *nullum omnino, hominum more bonorum, pie & humiliter* pro se deprecetur. Quamquam, quod Amolo notat, contra-sentientes vocat ille hæreticos in posteriori confessione, paratum se dicens, aquæ ferventis judicio in quatuor doliis fidei suæ veritatem experiri.

Remigio Amolonis successori datur Saviniacus.

Non diu post hæc superstes fuit Amolo, mortuus *secundo*, id est pridie, *kal. Aprilis*, ex Severtio. cui hoc ipso anno successisse Remigium colligimus ex diplomate Lotharii augusti, a Johanne Maria de Mura in historia[a] Lugdunensi relato, quo cœnobium, *quod Saviniacus publice vocatur*, in honore Domini nostri Jesu-Christi sub honore sancti Martini fundatum, sanctæ matri ecclesiæ Lugdunensi, ad damna ejus reparanda, subjicitur. Actum villa Gherniaco pridie idus Septembris, anno Lotharii imperatoris in Italia tricesimo-tertio, & in Francia duodecimo, indictione quinta-decima ab ineunte Septembri inchoata. Hrodmundus notarius ad vicem Hilduini recognovit. Idem patet ex alio ejusdem Lotharii [b] diplomate, quo Nantuadense sancti Petri monasterium, in locis Jurensibus situm, Lugdunensi item ecclesiæ tribuit VII. kalendas Julii anni sequentis, agente Remigio pontifice.

a De la Mure p. 370.

b Spicil. to. XII. p. 112.

ANN. CHR. 812.

XLV. Synodus Moguntina.

Tunc etiam Moguntiæ synodus habita, præsidente Rabano archiepiscopo, cui synodo episcopi atque abbates omnes orientalis Franciæ, Bajoariæ, & Saxoniæ adfuerunt præsente Ludovico rege, qui synodalia decreta comprobasse dicitur in annalibus Fuldensibus: sed quænam fuerint illa decreta, ignoramus.

XLVI. Altfridus episcopus duo monasteria instituit.

a Rabani vita.

b Annal. Paderborn. p. 174.

Post mortem Ebonis archiepiscopi quondam Remensis, quæ superiori anno accidit XII. kalendas Aprilis, Hildenesheimensem ecclesiam, Eboni olim commissam, regendam suscepit Altfridus, quem Meginfredus [a], sæculi undecimi auctor, Fuldensem monachum vocat. Is duas suæ proprietatis curtes, *Saligenstad* & *Esnedi* seu *Asnedi*, ecclesiæ suæ tribuit, inque altera monachorum, in altera virginum collegium instituit. Gersuida ejus soror Asnedensem abbatiam prima rexit, & post eam Adalana propinqua: cui Gersuida altera, dein Pinnosa successere. Nicolaus Schatenus [b] privilegium refert Asnidensi parthenoni, ut prætenditur, concessum in synodo Coloniensi anni DCCC LXXIII. ab Altfrido episcopo, in quo ait, se in prædiolo suo, quod Asnide vocatur, in honorem sanctæ & individuæ Trinita-
» tis, sanctæque semper virgini Mariæ, & sanctis martyribus Cosmæ & Damiano di-
» catam construxisse, ubi congregationem sanctimonialium adunaverit sub abbatissæ
» regimine, quam nec prece, nec pretio eligi aut institui edicit secundum sanctio-
» nem Sergii papæ, ejusque successoris Hadriani, concessa ejus loci sanctimonialibus
» libera rerum suarum, domorum & ædificiorum proprietate, & de iis disponendi facul-
» tate. quod ne quidem regula Aquisgranensis canonicabus indulget. Quare id serius fabricatum veri simillimum est in gratiam canonicarum, quæ ex monachabus factæ sunt. Neque enim prope fidem est, Altfridum, ex monacho episcopum, alterius instituti quam monastici sanctimoniales in loco ab se extructo collocasse. Nihil nobis occurrit de abbatia Saligenstadensi, quæ diversa videtur fuisse ab alia ejusdem nominis in diœcesi Moguntina, Eginhardum habente auctorem & abbatem, & post eum Ratleïcum, de quo paullo supra egimus.

XLVII. Gandershemense parthenium conditur.

c V. Vitam S. Bernvvardi episc. Hildens.

Initio Altfridi pontificatus Liudolfus [c] dux Saxonum cum Oda conjuge Romam petiit, indeque reliquias sanctorum præsulum Anastasii & Innocentii, a Sergio papa impetratas domum retulit: quorum in honorem cœnobium virginum, ante annos quatuor in *Brunesteshuse* inchoatum, in antiquiorem locum *Gandersheim* transtulit. Ædificiis absolutis, Altfridus ecclesiam dedicavit, ibidemque Hathmodam, ejusdem filiam ducis, primam abbatissam ordinavit, decimis ecclesiæ suæ in beneficium eidem loco datis. Hathmodam anno ejus sæculi septuagesimo excepit Gerberga ejus soror: cui post annos tredecim Christina successit, Christinæ Roswinda, de qua inferius; tum Wendelgarda sequentis sæculi anno vicesimo-sexto.

XLVIII. Mainardus abbas Stradensis, & S. Petri apud Nivernos.

Sub hoc tempus Mainardus abbas Stradensis apud Bituriges monasterii, alter a Dodone primo abbate, qui adhuc superstes ejus loci regimen ei commisit, a Carolo rege præficitur sancti Petri monasterio, *inter duos amnes, Ligerim & Elaverem*, posito *in territorio Nivernensi*, ut in libro de vita sancti Genulfi legitur. quod hac occasione accidit. Forte Mainardus pro quibusdam cœnobii Stradensis negotiis adierat Carolum regem, quo tempore fratres ex monasterio sancti Petri, rectore destituti, de substituendo sibi patre in palatio agebant. Viso Mainardo, princeps, sive is jam ante ipsi notus erat, sive præsentis mores placuere, non alium vacanti abbatiæ præficiendum censuit. Assensit Mainardus, tametsi ob itineris prolixitatem utrique monasterio sufficere haud facile erat. quod Carolus regio præcepto ac sigillo roborari præcepit, ita ut prædictum sancti Petri monasterium non modo Mainardo, sed etiam ejus successoribus Stradensis monasterii rectoribus perpetuo subjiceretur. Nunc sancti Petri monasterium * apud Nivernos cella est sancti Martini Æduensis.

* S. Pierre du Moutier.

S. Genulfi translatio & alii abbates.

Erat & alia cella sancti Petri haud procul a Stradensi monasterio, sex ab eo millibus ad Naonis amnem sita, ubi sanctorum Genulfi & Geniti ejus patris corpora quiescebant. Mainardum subiit cogitatio, ut ea in Stradense monasterium transferret, ubi religiosius ac decentius colerentur. Consilio a fratribus approbato, regis hac de re facultatem obtinuit, eo pacto, ut sancti Genulfi corpus Stradam transferret, at beati Geniti reliquiæ in priori loco remanerent. Facta translatio XII. kalendas Julii, qui dies sollemnis apud posteros habitus est. Eodem abbate Normanni Stradense monasterium, ut alia plurima, igne consumere, sed frustra, tentarunt: quorum adventum præcaventes monachi, ad Nivernense sancti Petri mo-

nasterium cum corpore sancti Genulfi se se receperant. Mainardo *beatæ memoriæ* abbati successit vir strenuus Amalricus; Amalrico *quidam vir claræ nobilitatis*, Lætarius nomine, qui monasterium in pago Wastinensi ad honorem beati Johannis-Baptistæ ac sancti Genulfi confessoris exstruxit. Hunc subsecuti sunt Aimo, & post illas Normannicas procellas Æricus, sub quo sancti Genulfi reliquiæ Stradam revectæ, quibusdam particulis sancti Petri monasterio ac Nivernensi ecclesiæ concessis. Ærico suffectus est Elias, de quo in consequentibus agendum. ANN. CHR. 852.

XLIX. Figiacenses & Caunenses abbates.

Figiacense monasterium, ut in superioribus [a] vidimus, pæne destructum, renovavit Aigmarus, qui post annos regiminis triginta-duos e vivis excessisse traditur *temporibus Raimundi Tolosani comitis, & Stephani episcopi Caturcensis, anno ab incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo-secundo, indictione decima-quinta*; sepultusque est Figiaci in cœmeterio beatæ Mariæ. Huic abbatiæ Raimundus sacramentum fidelitatis primus præstitisse dicitur: Stephanus vero Figiacensi ecclesiæ primatum inter omnes Caturcenses ecclesias concessit, & secundam ejusdem parochiæ sedem esse constituit. Aigmari successor Girardus abbas ad breve tempus Conchensem abbatiam cum Figiacensi retinuit, uti & successores ejus usque ad Geraldum, tertium ab eo abbatem.

a lib. 28. n. 50.

Caunense in Septimania monasterium regebat hoc tempore Gondisalvius abbas, cui hoc anno silva Spinasaria, sita in territorio Narbonensi, suburbio Ventolenensi, adversus quemdam Odilonem [b] asserta est in generali placito, quod Udulricus comes in villa territorii Narbonensis Crispiano, habuit IV. idus Septembris, anno tertio-decimo Karoli regis. quod judicium, agente Ramno *mandatario* seu advocato Gondisalvii abbatis, *ex lege Gotthorum* prolatum est. Haud scio an proximus ejus successor fuerit Egiga seu Egikanes, qui quamdam pecuniæ summam Fredaldo Narbonensi archiepiscopo mutuo dedit, de cujus restitutione Daniel abbas ejus successor litem movit ante Salomonem, aliosque judices, qui *in mallo publico ante castrum Minerbam* residebant, sub annum ejus sæculi septuagesimum-tertium. Non multo post Danieli suffectus est Hildericus abbas, ad annum vicesimum Caroli Simplicis superstes.

b Diplom. p. 531.

L. Bassacii abbatis Casinatis legatio.

Dum Beneventanam regionem Sarraceni Barim occupantes late popularentur, rogatus a primatibus patriæ Bassacius Casini abbas una cum Jacobo sancti Vincentii abbate Ludovicum imperatorem adiit, eumque, ut ad hæc propulsanda mala quantocius veniret, enixe oravit. Mox ille cum exercitu adfuit, sed irrito conatu recessit, reperiundi in opido Baira thesauri cupiditate retardatus, ut tradunt annales Bertiniani, cum Leone [c] Marsicano conferendi. Idem princeps, ut belli materiam tolleret, ducatum Beneventanum inter Adelgisum & Siconolfum divisit, Sione filio Siconolfi in Franciam abducto. Adelgisus deinde ac Siconolfus pactum hujus divisionis inter se confirmantes, statuerunt, monasteria sancti Benedicti, sanctique Vincentii ad se non pertinere, quod sub tutela imperatorum Lotharii & filii ejus Ludovici posita essent. Bassacii temporibus apud Casinates hic mos [d] obtinebat, ut cellarum eis subjectarum præpositi omnes in sacrum montem convenirent pridie kalendas Septembris, docendi a Casinensi abbate, quid facere, quid cavere, quidve corrigere, seu quo pacto regularem observationem tenere deberent. Sequenti vero die singuli ad singulas ordinabantur, destinabanturque obedientias, *prout opportunum erat*. Hæc forma quædam capituli generalis, in quo pro nutu præsidentis amovebantur, vel continuabantur præpositi. quæ lex aliis quoque in locis obtinebat.

c Chron. Casin. lib. 1. c. 30.

d ibid. c. 32.

Capitulum generale Casini, & mutatio præpositorum.

ANN. CHR. 853.

LI. Synodus Suessionensis.

POstero anno celebris habita est synodus episcoporum apud Suessionas in monasterio sancti Medardi x. kalendas Maias, præsente Carolo rege: cui synodo quatuor metropolitani, cum plerisque comprovincialibus suis episcopis, scilicet Hincmarus Remorum, Wenilo Senonum, Paulus Rotomagensis, & Amalricus Turonensis, interfuere. Adfuerunt etiam ex abbatibus Dodo S. Savini apud Pictones, Lupus Bethleemiticus seu Ferrariensis, Bernardus sancti Benedicti Floriacensis, Odo Corbeïensis, Heriricus Corbionensis, & Bavo Orbacensis. Acta hujus synodi tres partes continent. Prima pars habet tredecim canones, quorum in quinto agitur de duobus presbyteris sancti Medardi monachis, qui Pippinum, istuc sub monastico habitu retrusum, inde abducere moliti fuerant, ex quo publicam regni pacem interverti necesse erat. Hos vero meditati facinoris convictos, atque a religiosis abbatibus secundum regulam sancti Benedicti damnatos, sancti Medardi congregatio a sua so-

ANN. CHR. 853.

cietate præcidit, ab immani eorum facinore se abhorrere contestata. tum ejectis & in conspectu episcoporum productis synodus presbyteratum abrogavit, eosque separatim in monasteria sui ordinis relegari præcepit. Unus ex his fuisse videtur Hainoardus, pro quo Hincmarus scribit monachis sancti Medardi, quibus nomine Caroli regis, a quo monachus ille veniam pro excessibus suis supplex petierat, man-
» dat, ut eum vel ad habitandum secum recipiant, vel litteras ei dimissorias ad cer-
» tum locum faciant, quo eum absolutum abire permittant. Ad hæc Pippinus Carolo sacramentum fidelitatis jurasse, atque insuper *habitum monachi suscepisse, regulæque observationem more monachis solito promisisse* dicitur in annalibus Bertinianis. Septimus canon est de instaurando cultu divino in monasteriis. Octavus de immunitatibus ecclesiarum conservandis. Hæc de prima parte.

In secunda actum est de clericis, ab Ebone archiepiscopo post ejus exauctorationem ordinatis: in quibus adducti sunt Sigismundus ex monasterio sancti Theoderici, & ex monasterio sancti Remigii Nortwinus, Heinradus, Mauringus, Auteus, Teutlandus, Haroaldus, Radulfus, & Wicpertus. qui veniam a patribus petierunt, quod sic ordinati ecclesiasticum ministerium exercuissent. Tum Ebonis restitutione cassata, atque Hincmari probata in ejus locum substitutione, ut omnes ab Ebone ordinati suis gradibus privati haberentur, sancitum a synodo est. Halduino Altivillarensi abbati, qui diaconus ab eodem ordinatus, presbyteratus ordinem a Lupo Catalaunensi episcopo acceperat, eadem pœna infligitur, quasi *saltu sine gradu diaconi ad sacerdotium prosiliisset*. Omnibus tamen communio ex synodi indulgentia concessa. E clericis Wlfadus, qui in monasterio sancti Medardi infirmus jacebat, idem subiit judicium. Post Halduinum quinam abbates Altivillarense monasterium usque ad medium sæculum undecimum rexerint, incertum. Marlotus putat, locum illum sub cura & dispositione archiepiscopi Remensis ad id tempus remansisse, sed mera conjectura.

Tertia pars continet capitulare, quod Carolus itidem edidit *in monasterio sancti Medardi & sancti Sebastiani* x. *kalendas Maii, ubi, posthabitis curis, ipse quoque rex adesse dignatus est*. In primo articulo missos suos ire jubet per civitates & monasteria, tam canonicorum, quam monachorum & sanctimonialium, inquisituros cum episcopo & rectore singulorum locorum de eorum conversatione, de corrigendis erratis, ædificiisque reficiendis, de ornatu ecclesiarum, de victu ac de vestitu, deque censu ac reditu, ac de numero canonicorum, sive monachorum ac sanctimonialium cujusque loci, augendo vel minuendo pro portione redituum; denique de damnis per Nortmannos illatis. Petita a Leone pontifice hujus synodi confirmatio, sed non obtenta. Faciliorem adversus Hincmarum se exhibuit Benedictus tertius ejus successor, qui acta hujus synodi approbavit, & post eum Nicolaus primus: at in tertio concilio Suessionensi causa Remensium clericorum denuo retractata est, & quæ de illis sancita fuerant, penitus rescissa. Non videntur sinceræ hujus concilii subscriptiones apud [a] Labbeum, non modo quod plures episcopi subscripti reperiuntur, quam qui in fronte recensentur concilii, sed propter subscriptionem Heriboldi Autisiodorensis episcopi, scribentis, se *statuta prædecessoris sui relegisse*, iisque consensisse. At forte hæ subscriptiones erant cujusdam instrumenti synodalis in hoc conventu conditi pro ecclesia Autisiodorensi, aut pro monasterio sancti Germani ejusdem urbis. Hæc de synodo Suessionensi, habita apud sanctum Medardum.

[a] Conc. tom 8. p. 91. & 92.

LII. Carisiaci alter conventus in causa Gothescalci.

Carolus inde Carisiacum profectus, *cum quibusdam episcopis & abbatibus monasteriis*, ut loquuntur Bertiniani annales, *quatuor capitula edidit, & propria subscriptione roboravit*, in iisdem annalibus relata, ea scilicet, quæ superius [b] protulimus. Hinc inferunt viri docti, capitula illa, quæ Sirmundus priori synodo Carisiacensi tribuit, ad posteriorem revocanda esse, in qua primum condita sint. Et id quidem consentaneum videtur his, quæ Hincmarus de his capitulis tradit in priori opere de præ-
» destinatione, in cujus capite secundo, ubi egit de priori synodo Carisiacensi, deque
» retrusione Gothescalci, subdit, ne ille solus periret, sibi consentientes cœpisse un-
» decumque exsurgere, *& pravam ab illo remotam doctrinam* & verbo, & scripto dis-
» seminare. *quo adulterino*, inquit, *semine hæc, quibus nobis jubetis respondere, pullularunt capitula*. Itaque hæc capitula, quatuor Carisiacensibus opposita capitulis, nonnisi post priorem synodum Carisiacensem pullularunt, condita scilicet a Gothescalco, vel ejus discipulis, aut asseclis, qui ea tum disseminare cœperunt. Certe Lupus

[b] Lib. 33. n. 68.

tria

tria tantum attingit in libro de tribus quæstionibus, scripto in duarum illarum synodorum intervallo, quartum itidem expensurus, si hæc quatuor capitula in illa priori synodo edita fuissent. Quinam episcopi præter Hincmarum, quive abbates *monastici* huic posteriori synodo interfuerint, haud liquet. Non quidem iidem omnes, qui in priori præsentes fuerant, ex quibus Ragenarius Ambianensium episcopus jam Hilmerado, & Ratbertus Corbeiæ abbas Odoni locum fecerant. Post hanc synodum quintum capitulum adjectum de baptizatis, quos omnes, tam eos scilicet qui salvantur, quam qui pereunt, vere in Christo regeneratos, & veræ Christi redemtionis participes esse definitum est. Huc spectant ea, quæ superius [a] ex Amolone retulimus.

[a] *num.* 44.

LIII. Diversorum scripta de prædestinatione.

His editis capitulis, non statim contentiones remissæ, immo plurimum auctæ, scriptis ultro citroque libris, cum ad impugnandam, tum ad propugnandam Gothescalci sententiam. Post Lupum abbatem & Amulonem pontificem, qui primi hanc in arenam, alter pro Gothescalco, alter contra eum, videntur ingressi; Ratramnus Corbeiæ monachus geminam prædestinationem, aliaque duo capita explicanda suscepit duobus libris, quos Carolo regi nuncupavit, præfatus, se ejus mandato id operis aggressum fuisse. Huic accessere Florus diaconus Lugdunensis in quodam sermone de hoc argumento; atque Prudentius Tricassinus antistes duobus item libris editis adversus Johannem Scottum, qui jussu Hincmari & Parduli antistitum contra Florum & Gothescalcum stilum suum sophisticum exseruerat. Prudentii opus inscriptum est Weniloni Senonum pontifici, a quo is decem & novem capitula, ex Johannis libris excerpta, acceperat. De Remigio & Ebone episcopis inferius dicendum. His in diversas partes ventilatis, Hincmarus epistolam scripsit ad reclusos seu monachos suæ diœcesis, ut eos a sententia Gothescalci avocaret. De Amalario quid sequar, scripseritne cum Johanne Scotto contra Gothescalcum, an potius ante has concertationes obierit, non satis exploratum. quamquam apud me præponderat posterior opinio. At dubitandi occasionem præbet tum epistola Parduli episcopi Laudunensis ad ecclesiam Lugdunensem, cujus quædam dumtaxat fragmenta habemus, tum ejusdem ecclesiæ responsio ad eumdem. Hic, auctoribus quinque nominatis, qui hac de materia tum scripserant, in his Amalarium memorat. quem Remigius, ecclesiæ Lugdunensis nomine rescribens, non fuisse consulendum respondet, quippe qui & verbis, & libris suis, mendaciis & erroribus, omnes pæne apud Franciam, immo etiam aliarum regionum ecclesias, quantum in se fuit, infecerit atque corruperit: ut non tam ipse de fide interrogari, quam omnia scripta ejus, *saltem post mortem ipsius*, debuerint igne consumi: ne simpliciores quique, qui eos multum diligere dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur, & perniciose fallerentur. Ubi Remigius satis innuit, Amalarium in vivis jam non exstitisse: qua de re in superiori tomo [b] actum est. An vero Amalarius diserte his de quæstionibus scripserit, an potius in suis scriptis ante natam controversiam quiddam, quod Gothescalco adversaretur, inseruerit, apud me necdum statui.

[b] *Lib.* 31. *n.* 73. & 74.

Flori sermo in Gothescalcum.

Ad Flori sermonem quod attinet, in eo sententia de gemina prædestinatione recte explicatur. Hunc vero sermonem adversus Gothescalcum scriptum fuisse constat, quem arguit, quasi diceret, *quod hi, qui pereunt, prædestinati sunt ad perditionem, & ideo aliter evenire non potest: similiter quoque & de justis, tamquam & ipsi ideo salventur, quia prædestinati ad salutem, aliter esse non potuerint. Qui ergo*, inquit, *hæc tam confuse & insulse dicit, & illis tollit meritum damnationis, & istis meritum salutis: ne per hoc quid aliud agit, nisi ut & pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, & in his qui salvantur sit imposita necessitas salutis?* In fine idem auctor eos, ad quos hunc sermonem scripsit, monet hortaturque, ut claudant aures suas *adversus linguam nequam illius vanissimi & miserrimi hominis, qui cum sit paratus ad contentionem, & contumax adversus veritatem, maluit se infelix, diabolico inflatus spiritu, a Christi ecclesia & sacerdotibus separare, quam sua profana & inaniloquia deserere.* quibus verbis Gothescalcum notari, nemo non concedet. Ex his itaque constat, Florum illum hæc scripsisse post damnatum Gothescalcum: quem a Christi ecclesia & sacerdotibus sese separasse dicit, & in sua contumacia perstitisse. Porro hunc Flori sermonem, exceptis duobus locis, adopravit Hincmarus, & in posteriori opere de prędestinatione, quem anno DCCC LIX. scripsit, integrum retulit. quo anno Florus non amplius in vivis fuisse videtur. Hic autem sermo a Floro scriptus est, cum ei necdum Gothescalci

ANN. CHR. 853. sententia penitus comperta esset: ut colligitur ex responsione Remigii archiepiscopi Lugdunensis ad consulta Hincmari Remensis, Parduli Laudunensis, & Rabani Moguntini antistitum de Gothescalco, de quo longe mitiorem profert sententiam Remigius, ut in consequentibus [a] videbimus. Nec dubium quin ita postmodum senserit Florus, idque evincit ejus liber, ecclesiæ Lugdunensis nomine ab eo scriptus adversus Johannis Scotti errores de prædestinatione & præscientia divina.

a *infra n. 81.*

LIV. *Fontanellæ monachis portio assignata.*

Dum Carolus rex hoc anno Carisiaci versaretur, vir venerabilis HLudovicus,
» ejus consobrinus, abbas monasterii, quod vocatur Fontanella, ubi pretiosi confes-
» sores Christi Wandregisilus, Ansbertus atque Wlframnus corpore requiescere di-
» cuntur, regiæ celsitudini suggessit, se pro Dei amore & futuro ejusdem congrega-
» tionis cavendo periculo, ne aliqua successorum suorum negligentia aut parcitate
» ordo in ea monasticus futuris temporibus perturbaretur, sicut præteritis temporibus
» manifestum est contigisse; sive propter incursionem gentilium, ut refugium ibidem,
» id est in villis eis assignatis, habere possent; quasdam villas, specialiter eorum ne-
» cessitatibus deserviendas, *ad septuaginta monachorum numerum* delegasse, ut absque
» necessitate & inopia regularem normam, quantum humana sinit fragilitas, obser-
» vare valerent. quod regia auctoritate Carolus Ludovici abbatis rogatu confirmavit,
» enumerans villas & possessiones monachis assignatas, id est Calidum-Beccum *, Calciacum *, aliaque loca in regio expressa diplomate, quod Gislebertus notarius ad vicem Ludovici recognovit. Illud in appendice integrum referemus, prout in chartaceo codice habetur, a Philippo rege Francorum, cognomento Pulcro, recensitum. *Data* XII. *kalend. Aprilis, anno* XIII. *indictione* I. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in Carisiaco palatio regio feliciter.* Hinc intelligas, Fontanellense monasterium, quod ante biennium a Normannis direptum, incensumque fuisse diximus, non tamen omnino desertum fuisse. Hoc porro Mainardus abbas, Ludovici successor, instaurasse [b] traditur.

* *Caudebec.* * *Chaussy.*

b *Lib. 33. n. 57.*

Vermeriensis synodi litteræ pro Lebraha.

Plures, præter Suessionicum & Carisiacensem, conventus in Gallia hoc anno habiti. Unus Vermeriæ mense Augusto, item alii duo, Valentianis scilicet & apud Silvacum. In Vermeriensi relecta sunt capitula synodi Suessionensis, & confirmata.
» Eodem accessere monachi sancti Dionysii, afferentes testamentum, quod *sanctæ re-*
» *cordationis abbas Fulradus* de monasterio Lebraha, ubi sanctus Alexander martyr
» quiescit humatus; & de cella sancti Hippolyti, aliisque de rebus, quas idem vene-
» rabilis abbas sancto Dionysio contulerat; simulque privilegium, quod Stephanus
» papa eidem monasterio super eodem testamento fecerat: dicentes, quod venerabi-
» lis abbas illorum domnus HLudovicus, ex præcepto gloriosi regis Caroli, ab ipsis
» consensum peteret, ut prædictum Lebrahæ monasterium in precariam dare posset.
» cui precariæ ipsi absque consultu episcopi atque archiepiscopi sui, immo & sacræ
» synodi, consentire non auderent. Hanc autem fieri omnino vetant patres, statuen-
» tes, nullo umquam tempore jam dictum monasterium sancti Alexandri, cum rebus
» ad illud pertinentibus, *a majore monasterio sancti Dionysii* quoquo pacto divellen-
» dum, nec beneficiario, precariove jure distrahendum. Hæ synodales litteræ inscribuntur *Chuonrado inclyto & nobilissimo viro*, qui hoc monasterium jam in suam ditionem redegerat, illudque in precariam, ut quodam jure id possidere videretur, habere volebat. Hic est Chonradus comes, *princeps famosissimus, & collega regum* appellatus ab Herico monacho cœnobii sancti Germani Autisiodorensis, cui is cum Adelheide conjuge maxime beneficus exstitit. Horum filius Hugo abbas clarissimus sæpius deinceps commemorandus erit. Hæc synodus habita est VI. kalendas Septembris hujus anni, indictione prima.

LV. *Abbates missi.*

In capitularibus, Novembri subsequente apud Valentianas & Silvacum seu Silvaticum editis, nihil in rem nostram occurrit, nisi quod inter missos dominicos Silvaci designatos *Adalardus abbas* Sithiensis cum Immone episcopo Noviomensi, in Noviomiso, Vermendiso, Adertiso, Curtricisio, Flandra, comitatibus Engilramni & Waltcaudi designatur; *HLudovicus abbas* Dionysianus cum Hirminfrido episcopo Bellovacensi in Parisiaco, Belvacensi, aliisque; *Theodericus abbas* cum Eirardo episcopo Lexoviensi in Abrincato, Constantino, Bagisino, & ceteris finitimis; *Heinricus abbas*, haud dubie Corbionensis, aliis Heriricus, cum Burcardo episcopo Carnutensi, in Blesiso, Aurelianensi, & aliis; denique Abbo abbas in Augustoduno, Matisconensi, Divionensi, & ceteris. Ex quibus intelligitur, Theodericum in Neustria, Abbonem

in Burgundia abbatem fuisse. Hic est Abbo abbas monasterii sancti Germani Autisiodorensis, Heribaldi episcopi germanus, ejusdemque in illa sede successor: de quo intelligenda videtur Lupi [a] epistola, *communis* amborum *fratris*, ex parte Irmindrudis reginæ scripta ad ipsum Heribaldum seu Heriboldum, cui commendatur ejus germanus *destitutus honoribus*, ut ejus indigentiam collatis necessariis temperare ne gravaretur. sic impensurus debitum religioni & necessitudini affectum. Idem Abbo eloquentia [b] preclarus, atque tam in divinis, quam in secularibus litteris eruditus predicatur.

ANN. CHR. 853.

Abbo abbas S. Germani Autisiodorēsis.

a Lup. ep. 95.

b Labbe tom. 1. Bibl. p. 433.

Hoc ipso anno Heribaldus mox laudatus Rabanum archiepiscopum de variis dubiis consuluit. Profecerat siquidem ex Lupi admonitione, respondentis ad litteras ab eo scriptas, quas *communis frater*, forte Abbo, ipsi exposuerat: quo in responso Lupus [c] plurimum optare se ait, ut altissimum divinumque ejus ingenium, quantum posset fieri, *a communibus aversum studiis, ad indaganda humanæ vel divinæ sapientiæ transferretur secreta.* Ille itaque *capitula quadam, in pittacio scripta, per nuntium Conradi comitis* mox laudati, ad Rabanum misit, qui ad singula respondit prolixiori epistola, *dilecto fratri Heribaldo Alcedronensi antistiti* inscripta, id est Autisiodorensi, eum ad modum, quo apud veteres *Alcedronensis* pagus nonnumquam absolute *Alcodrisus* appellatur. Hæc responsio constat triginta-quatuor capitulis, quorum penultimum est de eucharistia, extremum de restitutione Ebonis episcopi, in quo agitur de clericorum ab eo ordinatorum depositione, facta in superiori synodo Suessionensi. quo ex loco & ex alio capite, in quo Rabanus memorat epistolam suam ad Egilum abbatem, recte infert Baluzius, hanc responsionem ad Heribaldum scriptam fuisse hoc anno, quo Eigil seu Egilus abbas Marcwardo abbati successit in regimine monasterii Prumiensis. Hoc penultimum responsionis caput gravis controversiæ materiam præbuit, plerisque existimantibus, Heribaldum & Rabanum eo loci Stercoranistarum errori occasionem dedisse. Quæsierat ab eo Heribaldus, *utrum eucharistia, postquam consumitur, & in secessum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam pristinam, quam habuerat, antequam in altari consecraretur.* ubi rem pro concessa præmittere videtur Heribaldus. quod etiam in responsione sua Rabanus admittere censetur, respondens dumtaxat ad propositam quæstionem de reditu materiæ eucharistiæ ad pristinum statum. quam quæstionem superfluam esse dicit; nec ullam afferri posse ejus reditus rationem, *cum nullus hoc unquam fieri asseruerit.* Ambo itaque concedere videntur symbolis eucharisticis post consumtionem idem competere ac ceteris cibis. Alia ex eodem capite quæstio non minoris momenti elicitur, an scilicet corpus Christi eucharisticum sit ipsum corpus, quod de Maria virgine natum est. Id vero negat Rabanus his verbis. *Quidam nuper, de ipso sacramento corporis & sanguinis Domini non recte sentientes, dixerunt, hoc ipsum esse corpus & sanguinem Domini, quod de Maria virgine natum est, & in quo ipse Dominus passus est in cruce, & resurrexit de sepulcro. cui errori, quantum potuimus, ad Egilum abbatem scribentes, de corpore ipso quid vere credendum sit aperuimus.* Hunc locum olim ex conjectura Baluzius restituerat, quem integrum ex duobus codicibus protulimus in tomo quarto [d] Analectorum. Hanc Rabani ad Egilum abbatem epistolam excidisse dolendum est: ex qua scilicet multum lucis afferri posset ad difficilem hanc quæstionem illustrandam. Quamquam haud vana conjectura est, hoc ipsum esse scriptum, quod olim in Gemblacensi codice cum aliis ejusdem argumenti lucubrationibus invenimus sub hoc titulo: *Dicta cujusdam sapientis de corpore & sanguine Domini adversus Ratbertum.* At sive hæc scriptio est Rabani ad Egilum, sive cujusvis alius, perinde valet ad hanc controversiam explicandam: cum ab auctore illius temporis prodierit, eamdemque impugnet propositionem a Radberto assertam, scilicet corpus Christi in eucharistia ipsum esse quod de Maria virgine natum est. Sic autem eam impugnat quisquis est auctor ille, ut corpus Christi eucharisticum cum naturali prorsus idem esse *naturaliter* incunctanter asseveret, eumque qui id negaverit, dicat infidelem: at diversum esse *specialiter.* quod diversam extrinsecus speciem ac formam, diversaque accidentia habeat, uti latius id exposuimus in præfatione prima [e] ad Sæculum quartum actorum Ordinis nostri sanctorum, in cujus tomi appendice [f] hoc anonymi scriptum, quod Rabani esse reor, vulgatum est. Hanc porro esse hujus controversiæ sententiam probatur insuper ex libro anonymi Cellotiani, quem non alium esse ab Herigero [g] abbate Laubiensi, qui sub finem sæculi decimi vixit, ibidem a nobis ostensum est. Mirum

LVI. Rabani epistola ad Heribaldum episcopum.

c Lup. ep. 37.

d Analect. to. 4. p. 626. & seqq.

e num. 57. & seqq.

f pag. 592. & seqq.

g Præfat. num. 59. & seqq.

ANN. CHR. 853.

indubie videri possit, auctores illorum temporum, qui realitatem corporis Christi in eucharistia confitebantur, disceptasse an idem sit corpus, quod ex Maria virgine natum est. Sed mirari fortasse desinent, cum adverterint aliam sæculi undecimi inter catholicos ipsos natam controversiam, an corpus Christi in eucharistia vere frangatur, quod alii asseverabant, alii negabant.

LVII. Eigil abbas Prumiæ post Marcwardum.

Redeo ad Egilum abbatem, quem alii Eigilem, Egilonemve appellant. Is præfecturam Prumiensis monasterii obtinuit post Marcwardum abbatem, cujus obitum hoc anno reponit Regino, & ipse abbas Prumiensis sæculo insequenti. Marcwardum beatæ memoriæ laudat Lupus[a] abbas, ejus amicus & conterraneus. Obiit ille III. Kalendas Martii, si qua fides Bartholomæo Fiseno, qui eum sanctum vocat absque idoneo, ut videtur, fundamento, quem venerabilem & *beatæ memoriæ* virum cum Lupo dicere satis fuerit. De Eigile id tantum asserere licet, eum Lupo abbati, uti & Marcwardo, perquam familiarem fuisse, Lupus ipse in epistolis ad Marcwardum, ut *communem filium* passim salutat. Suspicari licet, eum primo in Ferrariensi monasterio religiosæ vitæ nomen dedisse eum Marcwardo; dein Marcwardum, à Prumiensibus postulatum abbatem, eum secum pertraxisse. Eumdem valetudinis causa cum aliis Ferrarias à Marcwardo missum, tamquam ad solum nativum, ut *dilectissimum fratrem* Lupus[b] excepit. Eo abbate Lotharius Prumiæ rarum & insigne pœnitentis animi exemplum præbuit, abjecta purpura & dignitate imperiali, ut inferius videbimus. Eigilem vero in Burgundia natum fuisse illud argumento est, quod abdicato & ipse Prumiæ regimine se recepit in Flaviniacense monasterium, cui paullo post præfectus, demum evectus est ad sedem ecclesiæ Senonensis.

LVIII. Lupi epistola de recipiendo monacho lapso.

Paullo ante Marcwardi obitum contigit, ut quidam Ferrariensis monachus, qui Lothario imperatori ab epistolis erat, & monastico deposito habitu, dignitatem sæcularem affectaverat, Marcwardi & Eigilis hortatu resipiscens, ad suum institutum redire vellet. Litteris hac de re acceptis, Lupus epistola centesima quinta respondit in hunc modum.

Carissimis suis Marcwardo & Eigili Lupus plurimam salutem. Octavo idus Augusti litteras vestras accepi, cum essem in Fara-monasterio, proficiscens ad generale placitum, quod rex noster indixerat futurum sexto idus prædicti mensis. Quia itaque quatuor mecum tantummodo fratres habebam, & ceterorum voluntatem plene scire non poteram, (& mira nimirum res contigerat, quod scilicet in monasterio nostro educatus, postquam divinam admonitionem assidue audierat, nullam persecutionem passus, matura ætate, non eremum expetierat, sed proprio relicto habitu dignitatem sæcularem, quod diu meditatus & confessus plurimis fuerat, lucraturus abierat, similibus paria facturis felix iter paraturus, & nunc ad suggestionem vestram proposito mutato, ad Deum reverti velle scribebatur a vobis :) sanctitati vestræ notum facio, veræ illius conversioni, si contigerit, me valde gratulaturum, & quæcumque in me commisit, pœnitenti ex animo dimissurum. Vos, dum a placito regredior, quod propter Deum cœpistis, instanter elaborate perficere, videlicet ut integre ad Deum revertatur, & suam culpam in alium deinceps transfundere non nitatur. Temperantiæ studeat, conspirationes non repetat, murmurum auctor nec particeps exsistat, seditiones nec faciat, nec foveat : sed quietem & ipse habeat, & alios habere permittat ; & generaliter, juxta Dei præceptum, declinet a malo, & faciat bonum : & in diebus nostris in loco nostro nihil patiatur, unde juste queratur. Mox autem ut rediero, favente Dei gratia, ut vestræ suggestioni fratres pareant, elaborare contendam, illorumque consensum sanctitati vestræ litteris exprimam, & domino imperatori, cui propter singularem & ubique divulgatam pietatem devotissimi sumus, digno rescripto satisfacere curabimus. Benigne memorem nostri sanctitatem vestram felicissimeque optamus, unice singulariterque nobis patres dilecti.

Hactenus Lupi epistola, ex qua intelligimus, eum communem monachorum suorum consensum ad recipiendum apostatam prærequisiisse ; & quatuor monachorum comitatu, dum ad placitum regis pergeret, contentum fuisse. Locus indictus ad placitum, cui Lupus VI. idus se sistere debebat, forte Vernum aut Verneria, certe non multum aberat a Faræ-monasterio Briegiensi, ubi VIII. idus ejusdem mensis adhuc versabatur. Idem Lupus e placito reversus, Lothario[c] augusto gratias agit, quod fra-
» trem suum G. (ita nomen decurtant codices) a suo proposito devium revocasset,
» & mira dignatione ad suum collegium reduxisset. Ejus majestati post Deum debere

a Lup. epist. 122.

b Lup. ep. 70.

c Lup. epist. 108.

AN. CHR. 853.

assignari ab ipsis Ferrariensibus ejus conversionem, ab illo apostata suam salutem. Verum, *quod vera*, inquit, *vestra significabant, ut, resumto habitu, in officio condendarum epistolarum perseveraret, nec vos decebat, & nobis consentire erat impossibile: quoniam propositum nostrum vix mediocriter intra claustra monasterii custoditur, nedum inter tumultus mundanos a quolibet, præsertim non satis cauto, valeat adimpleri.* Digna certe lectu, sed observatu dignior sententia. Has vero litteras *sigillo munitas* Lupus carissimis suis Marcwardo & Eigili direxit, Lothario per ipsos offerendas ac legendas: eisdem gratias [a] agens nomine totius Ferrariensis congregationis de conversione illius fratris, in cujus reditum omnes demum consenserant, eidem congratolantes, *quod audiebant depositam certæ perditionis temeritatem, & resumtam obtinendæ salutis intentionem. Redeat itaque securus*, inquit, *si ex animo est, ut optamus, conversus: quia unde angeli, totius expertes peccati, gaudium habent, crudele est nos non exsultare, qui in multis offendimus omnes.* Ceterum duos alios fratres suos, qui Prumiæ erant, cum eodem fratre ad se reverti jubet Lupus, piratio secum, & forte aqua potandos, ob vini & annonæ penuriam, quæ illo anno timebatur: unde non modo vini penuriam, sed etiam cervisiæ minabatur sterilis annonæ proventus. Ea tunc erat nostrorum in sterilibus annis frugalitas & vini abstinentia, cujus saltem parcitas nostro tempore in simili casu utinam persuaderi posset.

a Idem epist. 109.

LIX.
Odonem abbaté Corbeiensem ab armis dehortatur.

Forte eodem anno Odo Corbeiensis abbas a Lupo petierat ad se vinum [b] ex Wastinensi pago devehi, cujus causa Lupus anni sterilitatem vincere conatus est, in fine epistolæ professus, se rigidiori sensu intelligere indulgentiam Apostoli, *Modico vino utere*, qua se *avidiores vini* perperam tuentur. Eidem Odoni gratias [c] agit, magnis & innumeris ejus liberalitatis affectus beneficiis: tum ait se inaudisse ex fama, quam fallacem esse optat, quosdam e Corbeiensibus *in procinctu contra barbaros*, id est Nortmannos, *graviter sauciatos*: in qoibus dilectum suum G. letalibus confossum vulneribus, vix mortem evasurum. Se ingenti cura sollicitari, cum ipsum Odonem, inermem incaute in media discrimina prorumpere solitum, dum scilicet in sæculo esset, recogitat, in quæ juvenilem ætatem vincendi rapit aviditas, suadere, ut *sola dispositione* seu ordinatione contentus, quæ tantummodo ejus proposito congruit, armatos exsequi permittat, quod instrumentis bellicis profitentur. Multum quippe proficere, qui prudentibus consiliis competenter sibi, & aliis prospicit. quare servaret se suo loco, servaret amicis, servaret omnibus; nec committeret, quod cum ipso Lupo plurimi lugeant. In fine *infaustum Faustum* sibi e Corbeia afferri rogat; additque, se per cursorem persica misisse, quæ pollicitus erat. quæ si voraverit cursor, vel vi sibi erepta questus fuerit; vel nisa tradat, nisi tamen & ipsa consumserit: ut jucundissimorum persicorum Odo esset quandoque particeps. His verbis se feriri & prope despectui haberi significavit Odo, quod in sæculo ante monasticam professionem conjugatus fuisset. Respondit aliis [d] litteris Lupus, id acutius de persicorum numero inventum se approbaturum, si sic commendaretur sublimitas virginalis, ut non sperneretur humilitas conjugalis. Ceterum placere virginalem integritatem; sed non despici, ne ab ipso quidem Deo, conjugalem societatem, quam Christus primo suo miraculo illustravit. Denique se gaudere, strenne profligatos barbaros, & ad internecionem, ejus, immo Dei virtute cæsos, ipsumque Odonem ac suos tanto discrimine liberatos; nec minus admonitos & expertos tandem eredere, *non temere fortunam, nec sæpe tentandam.* Ceterum se preces fundere pro iis, qui in *defensionem patriæ* sauciati fuerant. Ex quibus intelligitur, Odonem ante monachatum & conjugatum, & bello strenuum fuisse: cui vix e tirocinio monasticæ vitæ egresso abbatialem præfecturam commissam fuisse superius a Paschasio didicimus.

b Id. ep. 112.
c Id. ep. 111.
d Id. ep. 112.

LX.
Audradi Modici revelationes.

Tunc vivebat apud Senones Audradus Modicus, qui revelationes hoc anno scripsisse dicitur, veras an confictas, ad reges admonendos & emendandos. nam veritas ad principes, nisi e cælo veniat, vix umquam accedere permittitur. In eo libro revelationum Deus coram se reges sisti jussit. Primus adfuit Ludovicus augustus eorum pater, cui objecta est discordia inter ejus filios exorta. Ille vero id rejecit in superbiam Lotharii, qui jussu divino dejectus est, Carolo propter obedientiam & humilitatem stabilito. Parsum Ludovico regi, eisque adjunctus Ludovicus filius Lotharii, *rex Italorum* appellatus. Carolo dein prædicta expeditio in Hispanias duce beato Martino, ad fideles e Maurorum servitute liberandos. Eidem prædicta insuper ad annum proximum expeditio in Britanniam, sed ob ecclesiarum

ANN. CHR. 853.

perturbationem infausta, in qua *perfidus & nefandus Vivianus*, conculcator ecclesiarum, qui se abbatem sancti Martini monasterii esse gloriabatur, cum multis aliis corruiturus sit, & Carolus ipse vix evasurus, sed eo pacto, ut ecclesias in pristinum restituat statum. quod cum rex non executus fuisset, Nortmannos in Gallias adduxisse dicitur, qui eas terra, marique vastarent. Hæc ad Carolum relata per Rothbertum cubicularium. Citatus coram rege Audradus, *testibus Wanilone, Hincmaro, Amalrico, Leopardulo venerabilibus archiepiscopis, præsente christianissima regina Ermentrude*, rem ita habere affirmavit. Carolus vero adeo ex ejus sermonibus non profecit, ut etiam quemdam diaconum, Burchardum nomine, hominem malæ famæ, ex partibus Lotharii regis accersierit, eique Carnutensem commendaverit ecclesiam. Rogatus a Wanilone seu Wenilone ipsius Burchardi consanguineo Audradus, ut Deum super hoc consuleret, nonnisi dira de eo retulit, primum Waniloni, tum *conventui episcoporum*, qui ob hoc Senonas convenerant. His proinde Burchardum ordinare visum nefas: at Caroli regis imperium prævaluit. Ordinatus est ille *mense quarto anni inductarum noni*, hoc est præsenti anno: cujus ordinationem innumeræ calamitates consecutæ: vineæ urente vento percussæ, tempestates cum tonitruis variæ, Nortmannorum infestatio, qui *monasterium sancti Martini Turonense, & basilicam ejus toto orbe venerabilem, nullo obstante, mense nono incenderunt. Corpus autem domni beati Martini clerici ejus, inde fugientes, secum portaverunt in monasterium monachorum, quod Cormaricus dicitur, eidem sancto subjectum.* Hinc pax regis cum Deo rupta; accumulata peccata. Deus vero meritas repensurus pœnas, *diem sanctissimum & celeberrimam paschæ ritu pagano in medio eorum apud urbem Parisiacam maculari permisit. ut vel sic experirentur, mortem sibi instare vicinius, qui pascha sacrum in celeberrimis suorum locorum basilicis digni celebrare minime viderentur.* Hæc ex libro Audradi, qui Wanilonem archiepiscopum suum vocat. Chorepiscopus erat Senonensis, ut superius [a] vidimus, sed cum aliis ante quatuor annos depositus in concilio Parisiensi. De Burchardo, qui Carnutenam tenebat ecclesiam, statutum est in superioris concilii Suessionensis canone tertio, *ut aut se idoneum ad assumendum episcopalem gradum admonitu Wenilonis metropolitani episcopi ostenderet; aut certe, pronam in se clementiam cognoscens principis, cederet.* Sed tandem, missis a Wenilone ad ecclesiam Carnutensem, qui ejus electionem procurarent, incœpta semel obtinuit promotio. Ad Vivianum comitem quod attinet, anno ejus sæculi quinquagesimo-primo exstinctus est, ut legitur in chronicis Ecolismensi & Lemovicensi, ubi Carolus quarta vice in Britanniam profectus, cum Erispoïo filio Nomenoii certamen XI. kalendas Septembris iniisse dicitur, partemque exercitus cum Viviano duce amisisse. Itaque anno præcedente facta est Audrado revelatio, si vera fuit, de morte Viviani imminente, tametsi nonnisi hoc anno post factum scripta est. Erat tunc in ecclesia sancti Martini Wichardus seu Guichardus, *cœnobii sancti Martini reverendus sacerdos*, id est episcopus, cui cellam sanctæ Columbæ anno superiore contulit rex Carolus VIII. idus Novembris, dum Turonis in monasterio sancti Martini versaretur.

[a] Lib. 33. n. 75.

LXI. Turonis clades a Nortmannis illata.

Ad Nortmannos quod attinet, hi, relicta Sequana, Ligerim denuo ingressi, Namneticam urbem, monasterium sancti Florentii in monte Glonna positum, ac vicina quæque loca populantur. tum superiora petentes, Cæsarodunum-Turonum incendunt, cum basilica sancti Martini & ceteris adjacentibus locis: in quibus Majus-monasterium eamdem subiit cladem. Hujus præscii Martiniani clerici, corpus patroni sui sanctissimi ad monasterium Cormaricum, atque inde Aurelianos transportaverant. Tunc sancti Martini abbatiam post mortem Viviani obtinuerat Hilduinus. Is sacro corpori tutum quærens perfugium, ad Lupum abbatem confugiendum putavit, ratus Ferrariis tuto posse consistere tantum thesaurum. Ad hæc respondit Lupus epistola CX. quæ *nobilitatis, dignitatis, & moderationis apice conspicuo Hilduino, ecclesiarum magistro* inscripta est: atque non esse mirandum, ejus » amplitudinem putasse tuto sibi committi thesauri custodiam, propterea quod situs » monasterii ei compertus non erat. *Hunc enim*, inquit, *si cognovissetis, non modo diu-* » *turno non conservandum, sed ne tridui quidem spatio habendum eum nobis direxisse-* » *tis. Namque, tametsi piratarum huc difficilis videtur accessus, quibus jam pec-* » *catis nostris talia merentibus, nihil longinquum non est propinquum, nihil arduum* » *est invium: tamen infirmitas nostri loci, & exiguitas hominum, qui sint idonei re-*

Hilduinus junior abbas & archicapellanus, alius ab Hilduino Lotharii archicancellario.

ANN. CHR. 853.

ſiſtere, accendit rapacium aviditatem. præſertim tam ſilvis tecti poſſint advolare, nulla munitione, nulla hominum obſtante frequentia, & vicinia ſaltuum recepti ſic diverſi diffugere, ut ipſi pecunia ſecuri potiantur, inanem laborem inquirentibus derelinquant. Hæc Lupus Hilduinum conſiderare monet, ne ſera pænitudine torqueatur. Hic eſt Hilduinus, non ille ſenior Ludovici auguſti archicapellanus ac Dionyſianus abbas: ſed junior, ex ordine canonicorum, idem, ut videtur, cui abbatiæ ſancti Germani Pratenſis poſt Ebroinum, & Sithienſis poſt Adalardum commiſſæ ſunt. Idem etiam Caroli archicapellanus, cui hoc nomine ſcribit Hincmarus [a] cum ſynodo epiſcoporum apud Cariſiacum habita pro eccleſia Lingonica, quam Wlfadus, eccleſiæ Remenſis alumnus, occupaverat, cum vota eligentium in Iſaac ipſius Hilduini diſcipulum conveniſſent. Alius fuit Hilduinus abbas Lotharii imperatoris archicancellarius, ad quem ſcripta videtur Hincmari epiſtola, *Hilduino abbati* inſcripta apud [b] Frodoardum, cum litteris ad imperatorem Lotharium, in quibus quædam de ſalute ipſius imperatoris ſuggerit, & de cenſu ſolvendo ex villa Dudeciaco *. Idem Hilduinus abbas & imperialis aulæ archinotarius dicitur in quodam [c] præcepto, quod ipſe una cum Drogone archicapellano, & Berta Lotarii filia obtinuit pro eccleſia Lugdunenſi.

a Frod. lib. 3. c. 24.

b Frod. lib. 3. c. 24.

* Douzy.

c Spicil. to. 12. p. 109.

LXII. Odonis liber de corporis S. Martini delatione & relatione.

De hac Turonica clade longe alia ſcribit Odo abbas Cluniacenſis, vir ſanctus, in libello, quem, hortante Fulcone Bono comite Andecavorum, ſcripſit de ſancti Martini corporis delatione in Burgundiam, ejuſdemque revectione in urbem Turonicam. Principio agit Odo de ſubventione ſancti Martini adverſus Haſtingum Nortmannorum ducem, qui Turonos obſidione cinxerat. Dein ſancti Martini corporis delationem in Burgundiam commemorat, factam ob metum Rollonis itidem Nortmannorum ducis, qui ejuſdem urbis excidium moliebatur. Is namque, obſeſſa Cenomannorum urbe, cuneum armatorum in urbem Turonum direxiſſe dicitur, qui civitatem auro & argento, opibuſque affluentem diriperet, & cives ipſos captivos adduceret. Sed, Cari & Ligeris excreſcente alveo, ejus urbis aditu prohibiti, Majus-monaſterium aggreſſi traduntur immiſſi Nortmanni, eoque funditus everſo, *centum & ſexdecim monachos* gladio ibidem percuſſiſſe, Herberno abbate & viginti-quatuor aliis monachis huic cædi ſubductis, qui in cavernas proximas ſe ſe abdiderant. Verum, abbatem ab illis demum latebris abſtractum tormentis & cruciatibus perpellere conantur ad prodendum eccleſiæ theſaurum, ceteroſque monachos, quod nullo modo ab eo extorquere potuerunt. Sub hæc, cum hoſtes diſceſſiſſent, Turonici cives & Martiniani canonici, caſum Majoris-monaſterii miſerati, viginti-quatuor illos monachos, quos in latibula confugiſſe diximus, e latebris educunt, ipſoſque cum abbate ad ſuam deducunt eccleſiam, congrua annona eis aſſignata in domo eccleſiæ valvis inhærente, ex qua reciprocus in eccleſiam ingreſſus & regreſſus ſecretior patebat. Poſt ſex menſes, cum inaudiſſent canonici, Rollonem, Cenomannica urbe capta, Turonicæ inhiare; communicato cum civibus conſilio, corpus ſancti Martini Aurelianos deferunt, Herberno abbate Majoris-monaſterii cum ſuis monachis & duodecim canonicis comitante, qui Deo, ſanctoque Martino interdiu, noctuque deſervirent. Dein, comperto Danos ad ſuperiora contendere, cum ſancto corpore ad ſancti Benedicti Floriacenſe monaſterium pergunt: at, cum jam Rollo Aurelianis immineret, ad vicum Cableiam *, ac demum Autiſiodorum accedunt, ubi ſacrum beati Martini corpus in baſilica ſancti Germani juxta ejuſdem præſulis loculum deponunt. Hæc narratio multum diverſa eſt ab ea, quæ in chronico Nortmannorum apud Cheſnium [d] legitur, cujus præferenda videtur auctoritas. De hac clade intelligenda videtur Hadriani papæ ſecundi epiſtola [e] ad Carolum regem, in qua ſcribit, plurima monaſteria eſſe deſtructa, *ſicuti monaſterium ſancti Medardi Turonis, in quo jacent epiſcoporum primi Turonenſium, Lidorius & Gatianus; ſicut & Monaſterium-majus, ſicut etiam alia in eadem civitate monaſteria.* S. Lidorius in baſilica ſui nominis, ab ipſo exſtructa, ſepultus fuiſſe dicitur, quæ adhuc priſtinum retinet nomen. Nulla modo Turonis baſilica ſancti Medardi titulo inſignis.

Majoris monaſterii ſtrages, & cædes monachorum.

* Chably.

d Cheſn. to. 2. p. 521.

e Hadr. ep. 28.

LXIII. Rollo an idem qui Roricus.

Ceterum qui hic Rollo appellatur, non alius mihi videtur a Rorico duce Nortmannorum, apud veteres paſſim memorato, ſed alius a Rollone famoſo illo duce, cui ad fidem Chriſti converſo pars Neuſtriæ conceſſa eſt a Carolo rege, quem Simplicem poſteri dixerunt. Quamquam & Roricus, iſte an alius, chriſtianam iti-

ANN. CHR. 853.

dem fidem professus est, probante Hincmari epistola apud Frodoardum, [a] ubi *Rorico Nortmanno ad fidem Christi converso* Hincmarus scripsisse memoratur, ut in

a Frod. lib. 3. c. 26.

« Dei voluntate & mandatorum illius observatione proficiat; & ne contra Christia-
« nos consilium & adjutorium præbeat: quia nihil ei prodesset baptismum christianita-
« tis accepisse, si contra christianos aut per se, aut per alios quoscumque perversa vel
« adversa fuisset machinatus. Alia epistola idem Hincmarus eumdem Roricum, *nuper*
« *ad fidem Christi conversum* [b] admoneri jubet, ut Balduino Flandriæ comiti præsidium
« ferat; &, si ceteri Nortmanni per ejus consilium, ut audierat, post conversio-
« nem ipsius istud regnum deprædati fuissent, hoc digna pænitentia emendare stu-
« deret.

b id. ibid. c. 23.

S. Martini absida seu loculus.

Loculum seu feretrum, in quo sancti Martini corpus ex urbe Turonica Autisiodorum delatum, atque hinc in propriam sedem relatum est, sic describit Herbernus abbas in libro de miraculis sancti Martini. *Absida*, inquit ille, *in qua beati Martini corpus continebatur, fusilis erat ex auro & argento, quod dicitur electrum, spissitudine duorum digitorum, auctorem operis beatum Perpetuum insculptarum designans suffragio litterarum & versuum. Hanc autem fecerat beatus Perpetuus, quando elevavit corpus ejus a terra, savolutum prius in parpara rubea, & diligeater consutum, sicque in hanc absidam posuit.* Hæc de illa absida Herbernus, in qua nullam rimam, nullam fenestram, nullumve ostium fuisse dicit. Alia prætereo, quæ idem auctor ibidem scribit de altari quadrato & concavo, & de alia absida ex cupro & auricalcho, deque freda ab eodem Perpetuo ad corpus beati Martini fabrefactis. Mitto etiam quæ Odo abbas commemorat de contentione, inter clericos Autisiodorenses & Martinianos orta super oblationibus, quæ a fidelibus in ecclesiam beati Germani ob miracula frequentia conferebantur, disceptantes, cuinam illæ competere deberent, cujusve sancti meritis, Martini an Germani, hæc miracula fierent. quam contentionem & dubitationem removisse traditur paralyticus inter utrumque corpus positus, cujus primo ea pars, quæ ad sanctum Martinum conversa erat, vigorem ac sanitatem receperit, altera insanata, quæ Germano propior erat. cui ad Martinum conversæ eadem virtus restituta sit, Germano hospiti suo hanc gloriam deferente. Ceterum qoi ab Odone hic dicitur Majoris-monasterii abbas Herbernus, potius ejus loci custodem & proabbatem fuisse superius [c] ostendimus.

c lib. 33. num. 13.

LXIV

S. Benedicti corpus Floriaco elatum.

In prædicta irruptione Nortmanni Turonum urbe incensa & direpta, Ligeris superiora loca devastantes, Aurelianos usque perveniunt, captamque urbem auro distrahunt, teste Adrevaldo in libro [d] de miraculis sancti Benedicti. Tunc proximum Floriacense monasterium regebat Bernardus abbas, *vir nobilissimi* [e] *generis*, qui cladem imminentem veritus, corpus sancti Benedicti tumulo extulit, & in loculo gestatorio collocatum a fratribus, quocumque fugiendi impelleret necessitas, deportari curavit, relatum demum ad proprium locum, cum barbari ad suas stationes rediissent.

d Adrevald. c. 33.
e ibid. c. 34.

Floriacenses pii quidam monachi.

In hac trepidatione contigit obitus Adalberti Floriacensis monachi, de quo hæc leguntur in brevi chronico [f] Floriacensi ad hunc annum: *Adalbertus, bonæ memoriæ monachus, undecimo kalendas Januarii obiit.* De hoc Adalberto nihil aliud nobis occurrit: neque enim is est Adrevaldus, scriptor miraculorum sancti Benedicti, altero nomine Adalbertus dictus, ut ex Rodulfo Tortario, Sigeberto, & Trithemio discimus. siquidem Adrevaldus Carolo Calvo supervixit. Ab eodem laudatur [g] Christianus ejusdem loci monachus & ædituus, natione Germanus, quem *omni religione atque honestate præstantem dicit*: cujus tanta erga sanctum Benedictum reverentia, tantaque in ejus meritis fiducia erat, ut, si quid adversi accidisset, mox ad ejus tumulum perfugeret. uti contigit in furto de armillis ex ære deaurato, funibus campanarum appensis, quæ furto sublatæ mox ad preces illius restitutæ sunt. Forte ad id tempus vixit etiam Raganarius [h] monachus, *magnæ vir religionis, qui olim ab imperatore Ludovico cum aliis Jerosolymam missus fuerat.* Is ad quamdam Floriacensium possessionem, apud Caput-cervium * vicum Aquitanicæ provinciæ sitam, cum Sigeverto presbytero ac monacho missus ad cellam ædificandam, ubi *assidue duo vel tres monachi persisterent*, partem ejus quamdam, a quodam viro nobili nomine Stephano occupatam vindicare nisus est: cui dum invasor minitabundus resisteret, equo delapsus, longoque consumtus languore, demum vineam occupatam morte sua cessit. Hoc est prædium Caput-cervium apud Bituriges

f Baluz. Miscell. to. 2. p. 304.
g Adrevald. c. 26.
h ibid. c. 38.
Caput-cervii cella.
* Sacerge.

in

in confinio Lemovicum positum, de cujus donatione in tomo primo [a] diximus.

ANN. CHR. 853.

Hoc ipso anno, quem describimus, apud Senonas facta legitur dedicatio basilicæ sanctæ Columbæ XI. kalendas Augustas; & X. kalendas ejusdem mensis translatio corporum sanctæ Columbæ virginis, & sancti Lupi episcopi & confessoris, quæ ibidem sepulta fuerant. Certe hunc annum signat chronicon Lemovicense apud Labbeum, & vetus aliud chronicon necdum typis vulgatum, tametsi in Floriacensi mox laudato id differtur in annum sequentem. De hac dedicatione & translatione agit Clarius [b] monachus in chronico, ubi Wenilo archiepiscopus ecclesiam sanctæ Columbæ XI. kalendas Augusti *in honore sanctæ Crucis* dedicasse perhibetur, & postridie corpora sanctorum Columbæ & Lupi levasse e tumulis, in quibus primum sepulta fuerant.

LXV. S. Columbæ dedicatio basilicæ.

Ad hoc ipsum tempus revocanda est epistola XII. Lupi abbatis ad Pardulum episcopum Laudunensem, cujus plurima erat apud regem auctoritas, commendantis monachos sanctæ Columbæ, qui privilegio & antiquorum, & præsentium muniti episcoporum, regumque & imperatorum & priscis & recentibus instructi edictis, pietatis regiæ portum petebant, ubi tutum perfugium Parduli intercessione invenire cupiebant. Dignaretur proinde legere quæ ferrent, & efficere ut a rege clementer audirentur. Regi quippe & patriæ proficuum futurum, si Dei servis postulata concederet. Agebatur de libertate monasterii sanctæ Columbæ, quam nonnulli impetebant. Hinc Lupus ad Pardulum: *Ferte opem indigentibus, præstate refrigerium laborantibus: fit vestrum memoriale saltem aliquorum Dei servorum instaurata libertas.* Hæc non videntur dicta in Wenilonem archiepiscopum, qui simile privilegium Walliliensibus monachis confirmari curaverat.

Qui Corbeiæ novæ in Saxonia monasterium virorum administrabat Warinus abbas, idem etiam Herifordense virginum cœnobium præpositi nomine procurabat. Ejus rei causa Ludovicum Germaniæ regem Francofurtum adiit hoc anno, suppliciter rogans, ut regia munificentia utrique monasterio provideret. Quoniam vero Ludovicus imperator [c] ambo hæc monasteria exstrui jusserat, & ordinari *ad normam præcipuorum in Gallia monasteriorum, novam utique Corbeiam ad similitudinem antiquæ Corbeiæ; Herifordense vero cœnobium ad exemplum monasterii sanctimonialium in Suessionis civitate existentium*; & cellam quidem Meppiam & ecclesiam Eresburg cum decimis Corbeiæ novæ; alias autem ecclesias in parochiis Asnabruggensi & Mimigernefordensi pariter cum decimis Herifordensi parthenoni contulerat, eo pacto, ut ab ipsis subjectæ plebes in baptismate, eucharistia, sepulturis, & confessione peccatorum audienda procurarentur; & episcopis *ad mansionatica* daretur, quod in capitularibus præscriptum est, cum ipsi circationes seu visitationes agerent. Hæc omnia rata habet Ludovicus, aliquid tantum augens ad ministerium Gozberti episcopi Asnabruggensis propter ejus ægritudinem & senectutem, ex consensu ipsius, coram Rabano, aliisque episcopis in synodo agentibus: id est, ut ad singulas ecclesias dentur porci quatuor, valentes denariis duodecim, & octo arietes ejusdem pretii; item tres porcelli, quatuor aucæ, octo pulli, viginti situlæ de medone seu vino mulso, totidemque de mellita cervisa, & quadraginta de non mellita; centum viginti panes, centum modii avenæ, manipuli sexcenti; sitque in potestate episcopi, utrum hæc per singulas ecclesias ad unam mansionaticam, an ad duas velit habere. Ad hæc libera utrique loco electio conceditur. *Data XI. kalendas Junii, anno vicesimo regni gloriosissimi regis HLudovici in orientali Francia regnantis, indictione prima. Actum in palatio regio Franconoford.* quod diploma Hadelbertus * subdiaconus ad vicem Baldrici abbatis recognovit. Tertiæ primæ Herifordensi abbatissæ successit Addila, quæ hoc tempore locum regebat: cui post annos undecim Hadewic successit. Hoc cœnobium procurabat adhuc tempore Frederici Ænobarbi Corbeiensis abbas Wilboldus: quo tempore sanctimoniales illæ ad canonicarum mores & habitum transierunt, ut colligitur ex litteris Hadriani papæ IV. scribentis *Juditha abbatissæ Hervordensis monasterii, ejusque sororibus canonicam vitam professis.* Demum a catholica fide ad Lutheranismum descivere superioris sæculi sexti-decimi anno tricesimo-tertio.

LXVI. Ludovici regis præceptum pro Corbeia nova & Heriforda.

* ol. Albertus.

Eodem tempore a Zuinglianis occupatum est Tigurinum * apud Helvetos virginum cœnobium, quod hoc fere anno a Ludovico rege conditum fuit pro Hildegarde ejus filia, quæ prima hujus parthenonis abbatissa exstitit. Primarium ejus

LXVII. Tigurinum cœnobium conditur a Ludovico rege.

* Fraumunster.

[a] Lib. 14. n. 18.

[b] Spicil. to. 2. p. 712.

[c] V. Annal. Paderborn. p. 241.

ANN. CHR. 853.

loci diploma a Martino Magero refertur, & ex eo a Conringio [a] in censura diplomatis Ludoviciani, & a Guillimanno in libro tertio rerum Helveticarum. In eo » Ludovicus ait se pro serenissimi imperatoris avi sui Caroli ac præstantissimi Ludo» vici augusti genitoris sui, suaque suorumque remuneratione, curtim suam Turegum * » in ducatu Almannico, pago Durgaugensi, cum omnibus ad eam pertinentibus, in » his *pagellum Uronia* * cum ecclesiis, domibus, ceterisque ædificiis; insuper fores» tem Albim, contulisse monasterio, *quod situm est in eodem vico Turego, ubi sanctus Felix & sancta Regula martyres Christi corpore quiescunt*, idque eo fine & animo fecisse, *ut deinceps in posterum ibidem omni tempore sanctimonialium feminarum, sub regulari norma degentium, vita conservatioque monasterialis, monastico cultu instituta* » *celebretur*, & prædictis martyribus debitus famulatus illic exhibeatur. Hoc vero mo» nasterium idem princeps dilectissimæ filiæ suæ Hildegardæ in proprietatem conces» sit, ut illud *disciplinis regularibus & observatione monasteriali* informare pergat, omnimoda immunitate eidem cœnobio concessa. Data XII. *kalendas Augusti, anno Christo propitio XX. regni domni HLudowici serenissimi regis in orientali Francia, indictione prima. Actum in Regenesburg.* Consule quæ de Ludovici regis chronicis notis superius [b] diximus. Hildegardem primam ejus loci abbatissam excepit Bertha ejus soror: quam consecutæ postea sunt multæ aliæ abbatissæ, longa temporum serie ex ordine sibi succedentes ad annum sexti-decimi sæculi vicesimum-quartum, quo tempore Catharina Baronissa a *Zimbern*, ultima abbatissa, postquam monasterio annis viginti-quinque præfuerat, ingruente Zuinglii pestifero dogmate discedens, in Tigurinorum potestate monasterium reliquit, quod illi statim in scholam & collegium Zuinglianorum converterunt, pretiosis quibusque cemeliis expilatis ac direptis. Horum omnium indicem ad hæreticorum probrum retulit Felicianus episcopus Scalensis in calce libelli precum Caroli Calvi, quem ex illa direptione subtractum, sed laminis aureis gemmisque, quibus ornatus erat, nudatum, Ingolstadii imprimendum curavit, editumque Maximiliano comiti palatino atque utriusque Bavariæ duci nuncupavit. In libro societatum Augiensium habentur *nomina sororum de Turego Hiltigart abbatissa, Joseph episcopus & abba*, cujus loci incertum. In kalendario Einsidlensi pervetusto *Bertha abbatissa* VII. kalendas Octobris memoratur. Hæ sunt *Hiltigart & Perhta*, quæ inter fratres conscriptos sancti Galli post HLudowicum regem memorantur, & post eas Ava, forsan etiam abbatissa.

[a] Conring. p. 51. & seqq.

* Zurich.

* Ury.

[b] Lib. 32. n. 24. & lib. 31. n. 30.

LXVIII. Haimo episcopus Halberstadensis obit.

Huic anno consignatur obitus Haimonis seu Heymonis episcopi Halberstadensis in chronico Saxonico nondum edito, ubi Hemmo appellatur, tertius ejus sedis episcopus. Obiit VI. kalendas Aprilis, sepultusque est in ecclesia Halberstadensi. Multos commentarios edidit in sacram scripturam, cujus libros omnes ab ipso expositos fuisse Bellarminus auctor est, tametsi typis vulgati sint tantum ejus commentarii in Psalmos, Cantica canticorum, Isaïam, Ezechielem, aliosque prophetas, in novum Testamentum, & in epistolas totius anni cum epitome historiæ sacræ, & libris sex de amore cælestis patriæ. Eidem tribuit Honorius Augustodunensis *librum de voluptate mundi*. Præclarus est ejusdem tractatus de corpore & sanguine Domini, editus in Spicilegii tomo [c] duodecimo, in quo asserit, substantiam panis & vini *substantialiter converti in aliam substantiam*, id est *in carnem & sanguinem Christi*; eaque de re dubitare *nefandissima* esse *dementia. In quo quidem Christi corpore*, inquit, *& sanguine, propter sumentium horrorem, sapor panis & vini remanet, & figura, substantiarum natura in corpus Christi & sanguinem omnino conversa*. quo nihil expressius aut disertius afferri potest ad fidem catholicam asserendam. Haimoni in sede Halberstadensi subrogatus est Hildegrimus junior, vir summæ prudentiæ & pietatis. Ex his corrigendi annales Fuldenses vulgati, in quibus Hemmo V. kalendas Aprilis defunctus legitur. In his Fuldensem sancti Bonifacii basilicam fures noctu ingressi fuisse dicuntur, & partem de thesauro ecclesiæ abstulisse.

[c] Spicil. to. 12. p. 27.

LXIX. Hirsaugienses abbates.

Johannes Trithemius in nova editione chronici Hirsaugiensis, qua deinceps utemur, hoc anno collocat obitum Liutberti Hirsaugiensis abbatis primi, cui tribuit quamdam expositionem in Cantica canticorum. Obiit tertia die mensis Junii, anno ætatis septuagesimo-sexto, regiminis sexto-decimo, in medio ecclesiæ sancti Aurelii honorifice sepultus. Postridie in ejus locum electus dicitur Gerungus, ejusdem loci cœnobita, ex Rabani discipulis, unus e quindecim ejus coloniæ monachis, quæ Fulda Hirsaugiam deducta est. Hirsaugiensibus præfuit annis duobus & triginta,

ac duobus fere mensibus. Eidem, si Trithemio credimus, Walafridus Strabo libellum de arithmeticis dimensionibus inscripsit sub hoc titulo: *Reverendissimo Gerungo abbati, merito patri, ætate filio; littera discipulo, gratia magistro, æterni beatitudinis præmium possidere.* Verum, si recte calculos subducit Trithemius, Gerungus electus est Hirsaugiæ abbas quadriennio post, quam Walafridus Strabo e vivis migraverat. Fuerit ergo alius Gerungus abbas, cui Walafridus prædictum librum nuncupavit. Certe non Gerungus sacri palatii sub Ludovico augusto magister, dein Prumiensis sub Marcwardo abbate monachus, qui Walafrido ætate superior erat, laudatus a Lupo abbate, de quo plura [a] superius. In hac propriorum nominum caligine obscura omnia, nisi aliunde lux affulserit.

a V. Lib. 32. n. 17.

LXX. Concilium Romanum.

In synodo Romana hujus anni sub Leone papa editi sunt canones duo & quadraginta: ex quibus triginta octo desumti sunt ex alia synodo Romana sub Eugenio secundo habita, additionibus quibusdam ad aliquos canones factis. In additione ad canonem vicesimum-octavum qui est de monachis, qui solo habitu & non vita monachi exsistunt, præcipitur, *ut muti ore*, aut ab excellentioribus quotidie lectione, aut pia inter se agitatione monachi instruantur, quo monachi nomen factis & moribus exprimant, & monachorum auctores non tantum habitu, sed & actu sectentur. Ad hæc ut nequaquam extra septa monasterii cellulas habeant, nec è claustris absque abbatis, vel ejus qui præest permissu, ad quodlibet opus exercendum egredi præsumant, nec sine duorum vel trium ex fratribus testimonio pergant. Quæ si abbas adimpleri non curaverit, eamdem, quam illi merentur, pœnam sustineat.

LXXI. Anastasii bibliotecarii duo.

In eadem synodo Anastasius presbyter cardinalis tituli beati Marcelli gradu dejectus est, quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruisset, & in aliena, id est Aquileiensi, tum commoraretur. Idem postea a Benedicto tertio, Leonis successore, iterum damnatus est; tertium ab Hadriano secundo, qui eum *bibliothecarium Romanæ ecclesiæ* initio sui pontificatus constituerat; insuper communione privatus, quod ejus frater Eleutherius, ipso consulente, Stephaniam, olim uxorem ejusdem pontificis, ejusque filiam, quam ab alio desponsatam rapuerat, interfecisset, & ipse a missis imperatoris occisus. Sunt qui putant hunc Anastasium eumdem esse cum Anastasio itidem bibliothecario, qui acta Romanorum pontificum prosecutus est, græce doctus, ut fidem faciunt synodi septimæ generalis, aliorumque veterum monumentorum ab eo factæ versiones. At sine dubio hic posterior alius fuit, natione Græcus, idemque abbas sanctæ Mariæ trans Tiberim; ac demum bibliothecarius sanctæ Romanæ ecclesiæ factus ab ipso Hadriano, post exauctoratum scilicet alterum Anastasium; constans semper in fide & obsequio pontificum Romanorum, Nicolai primi, Hadriani secundi, & Johannis octavi. Primum Nicolao papæ innotuisse videtur ex versione libri de vita sancti Johannis Alexandrini episcopi, cognomento Eleemosynarii, quem librum, a Leontio episcopo græce scriptum, latinitate donavit, dicavitque Nicolao papæ, a quo ejus rei facultatem adeptus est. *Neque enim fas est*, inquit, *ut absque vicario Dei, absque clavigero cæli, absque curru & auriga spiritualis Israël, absque universitatis pontifice, absque unico papa, absque singulari pastore, absque speciali patre, absque te omnium arbitro, aliquid e usurpetur, aut divulgetur.* Eadem fuit mens Johannis diaconi in editione vitæ Gregorii Magni: sed paullo diversa sententia Ambrosii [b] Autperti, ut suo loco vidimus. Monasterio sanctæ Mariæ trans Tiberim præfectus est pontificatu Nicolai, & forte ab ipso Nicolao Anastasius, ut testatur ejus prologus in libellum de quibusdam miraculis sancti Basilii episcopi Cæsariensis, sic inscriptus: [c] *Urso venerabili subdiacono sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu medico & domestico domini nostri sacratissimi papæ Nicolai, Anastasius exiguus abbas monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ virginis, siti trans Tiberim, ubi olim circa Domini nativitatem fons olei fluxit, in Domino salutem.* Jam bibliothecarius erat Romanæ ecclesiæ tempore Hadriani papæ secondi, cujus rei fidem facit præfatio in octavam synodum, quam latine vertit, versamque Hadriano papæ dicavit *Anastasius abbas, & summæ apostolicæ sedis bibliothecarius*: ubi legationis suæ in urbem Constantinopolitanam meminit. Eodem spectat præfatio [d] in passionem sanctorum mille quadringentorum octoginta martyrum, quam *Petro egregio episcopo sanctæ Gavinensis ecclesiæ Anastasius summæ & apostolicæ ecclesiæ bibliothecarius* nuncupavit. Denique ipsum Johanni octavo

b Lib. 24. n. 71.

c Mus. Ital. t. 1. p. 82.

d Ibid. p. 80.

etiam percarum fuisse testis est ejusdem præfatio in septimam synodum latine ab se redditam, in qua nullum alium quam *exigui* titulum aut elogium sibi tribuit. In illa mentionem facit tralatæ nuper ab se synodi octavæ, seque *ministrum* seu custodem bibliothecæ Romanæ dicit. Eodem Johanne pontifice ex græco in Romanum eloquium vertit passionem sanctorum Cyri & Johannis: sed cui illam direxerit, non satis capimus ex mutila [a] præfatione, *data IV. ka'endas Februarii, indictione octava, anno vero domini nostri Johannis octavi papæ tertio.* quo anno Johannes diaconus libros quatuor de vita sancti Gregorii composuit. Hic est Johannes diaconus, cujus hortatu idem Anastasius non modo chronographiam tripertitam, sed etiam collectanea ex græcis monumentis latine concinnavit, quibus ille uteretur ad scribendam ecclesiasticam historiam, quam tum meditabatur. Præfationis inscriptio sic habet: *Carissimo fratri Johanni, digno Christi levitæ, Anastasius exiguus in Domino salutem.* In ea se origine græcum esse satis declarat, imperitiam confessus vel ejus linguæ, in qua natus erat. Ut paucis absolvam, quanta fuerit Anastasii apud Johannem octavum familiaritas & gratia, argumento est Hincmari Remorum antistitis [b] epistola, post concilium Trecense scripta *sanctissimo & fidissimo fratri Anastasio religioso abbati:* cui Actardum Namnetensem episcopum, gerulum epistolæ, ac negotia sua commendat. Sunt & aliæ ejusdem Anastasii versiones, ut vitæ sancti Dionysii, aliæque similes, quas commemorare nil juvat in præsens.

a ibid. p. 82.

b Hincm. to. 2. p. 824.

LXXII. Johannes diaconus ejusque scripta.

Inter diaconos, qui prædictæ Romanæ synodo subscripsere, secundo loco reperitur Johannes diaconus post Johannem archidiaconum, non alius, ut videtur, a Johanne diacono mox laudato, qui quatuor libros de rebus gestis Gregorii Magni composuit. In libro quarto [c] non dubium præbet argumentum Benedictinæ suæ professionis, dum tam diserte & accurate probat, tum ex balthei seu zonæ exilitate, tum ex missione Augustini ejusque sociorum in Britanniam, a Gregorio servatam fuisse *speciem propositi regularis olim a sancto Benedicto statuti*, cujus ipse vitam describens in Dialogis, regulam quoque laudaverat. Neque enim tanto studio Johannes id inculcaturus fuisset, nisi hanc ipse regulam servasset. Præter hos libros idem commentarios in Pentateuchum, & in duos subsequentes Josue & Judicum libros composuit ex sententiis patrum, nondum editos, qui in optimæ notæ codice nostro perantiquo hunc primum titulum præferunt: *Expositum Johannis Romanæ ecclesiæ diaconi in Genesim.* Sed laudandus in primis Johannes noster ob scribendæ universalis historiæ ecclesiasticæ consilium: cui exsequendo prædictus Anastasius ejus rogatu suppetias tulit e fontibus græcis, in amici gratiam ab se latine redditis; tum chronologia tripertita contexenda ex Nicephoro, Georgio Syncello ac Theophane; tum collectaneis concinnandis de iis, quæ spectant ad historiam Monothelitarum hæreticorum. Hæc collectanea primum videntur opus Anastasii, qui tantæ se imperitiæ esse dicit, ut nec ipsius linguæ, in qua natus erat, nedum alienæ, vim penetrare nesciret, ac proinde *nunquam interpretandi quacumque ratione conamen arripere præsumsisset.* Præfationis in chronologiam tripertitam *ad Johannem diaconum urbis Romanæ* hoc exordium est: *Ecclesiasticam, carissime frater, & digne Christi levita Johannes, scripturus historiam, exigis a me, quædam in latinum stilum ex græcis voluminibus transferenda: quo & ipsa quoque proposito inseras operi, & intexas.* Verum huic proposito immortuus videtur Johannes, cujus saltem ecclesiastica historia ad nos non pervenit. nam historia miscella, quam ei tribuunt nonnulli, tanto apparatu & conatu haud digna est.

c Joan. lib. 4. c. 80. & 82.

Idem auctor imperfectum reliquit opus de gestis sancti Clementis papæ, inceptum rogatu Gauderici [d] Veliterni episcopi, qui illud prosecutus est, atque Johanni papæ VIII. nuncupavit post mortem ipsius Johannis diaconi, quem cognomento *Hymenidem* vocat. Certe hoc opus aggressus est Johannes post editos libros de vita Gregorii, ut ipse testatur in fine libri quarti in hæc verba: *Ego tamen divinæ spei fiducia roboratus, quia Gaudericus Veliternus episcopus expostulat, ad Clementem Romanæ sedis antistitem, suffragante Domino, stilum convertam: quatenus qui continuis infortuniis attenuatus, amicis meis, a quibus utcumque sustentor, meritum rependere nequeo, saltem verba, quæ valeo, minime denegasse cognoscar.* Idem in egregia epistola [e] ad Senarium virum illustrem de variis ritibus, ad baptismum, aliaque pertinentibus, infirmitatem corporis & occupationes ecclesiastici officii causatur, quo minus aliquid ejus exspectatione dignum parturiat. Ceterum idem Johannes

d Musæ. Ital. tom. 1. p. 78.

e ibid. p. 69.

auctor fuit itidem Anastasio e græco in latinum transferendi passionem sancti Demetrii martyris, cujus is *in domo sua mira antiquitatis & pulcritudinis oratorium habebat*, teste ipso Anastasio in epistola [a] ad Carolum Calvum imperatorem, in qua id factum dicit *hortantibus fratribus, & maxime viro peritissimo Johanne diacono*. ubi de Johanne tamquam mortuo loquitur. Certe Johannes jam decesserat, cum Gaudericus episcopus opusculum de gestis sancti Clementis Johanni VIII. nuncupavit. Alius eodem tempore fuit Johannes diaconus ecclesiæ Neapolitanæ, qui librum de gestis ejusdem ecclesiæ antistitum scripsit, cujus copiam habemus; necnon libellum de vita sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, quem *gloriosissimo ac præstantissimo regi Karolo*, haud dubie Calvo, inscripsit, ut in appendice videre licet. Forte hujus versionis occasione conditum fit oratorium Parisiis in honorem sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, quod hodie quoque exstat, ac vico suo * nomen dedit.

ANN. CHR. 853

a Analect. to. 1. p. 66.

* rue Jussienne.

LXXIII. S. Victoris basilica Massiliæ exstructa.

In libello de passione sancti Demetrii martyris, Anastasio interprete, obiter notandum id, quod Anastasius temporibus suis gestum videtur adjecisse de quodam episcopo Massiliensi, qui basilicam in honorem sancti Victoris martyris in sua urbe exstruens, ambonem & ciborium in ea fabricare volebat, eoque consilio navigium cum servis suis miserat *ad montem Porphyreticum*, ut columnas & tabulas porphyreticas ad id operis coëmerent. Verum interventu martyris repertas in ipsa urbe ejusmodi columnas & tabulas, mire depictas, quæ humo defossæ erant; eas vero, quas missi ejusdem episcopi comparaverant, Cypriano Afro episcopo, qui ambonem & ciborium itidem sancto Demetrio, cujus ope ipse e Sclavorum servitute liberatus fuerat, nutu divino cessisse.

LXXIV. Fatalis episcopus idemque abbas Samonensis.

In Hispania Ordonius rex Galliciæ Fatali episcopo, qui illas in partes se receperat, & a Ranimiro rege præfectus fuerat Samonensi monasterio, confirmat omnia, sicut concesserat genitor ejus Ranimirus, cum ex Hispania in illam Asturiarum regionem confugerat; eique denuo subjicit monachos, qui ibidem *pie sanctque* vivebant, cum monasteriis eidem loco antea subditis, dato diplomate æra octingentesima-nonagesima-prima, quæ huic anno respondet. Fatalis episcopus haud dubie evaserat ex persecutione, quam tum Abderames adversus Christianos, maxime Cordubæ excitaverat. Quamquam nonnulli Samonenses abbates etiam episcopi fuere, qualis fuit Novidius sub finem sæculi decimi: quo tempore pia quædam matrona, Frodgildis nomine, aliqua prædia donat *Novidio episcopo & fratribus habitantibus in monasterio Samonensi* æra millesima septima. qui Nuvidius alias præcise abbas appellatur. Forte id factum ob jurisdictionem episcopalem, qua istud monasterium etiam nunc gaudet.

ANN. CHR. 854

LXXV. Pippinus & Carolus e monasterio fugiunt.

POstero anno dum Carolus rex cum Lothario imperatore adversus Ludovicum Germaniæ regem, qui sibi suspectus erat, pacta renovat; Pippinus, ejus ex Pippino fratre nepos, qui in monasterio sancti Medardi cum tonsura monasticum habitum acceperat, ibidemque votum stabilitatis emiserat, e claustro fugiens Aquitaniam ingreditur, parsque maxima populi ad eum convolat, quæ prius Ludovicum, Ludovici regis filium, accersierat. Tum vero Carolus, Pippini causa posthabita, Ludovicum nepotem in Germaniam ad patrem redire compellit, ex annalibus Bertinianis. Eodem tempore Carolus Pippini frater, jam diaconus, a Corbeiensi monasterio recedit, & ad Ludovicum patruum, Germaniæ regem se recipit. Rex vero Carolus filium suum Carolomannum tonsura ecclesiastica Deo consecrat. Interim Normanni solitas prædationes ac strages repetentes, contra Ligerim usque ad Blisium * castrum progressi, ipsum incendunt: sed, collectis copiis ab Agio Aurelianorum & Burchardo Carnutum præsulibus, pedem referre coacti sunt.

* Blois.

LXXVI. Herenses a Carolo Messiacum & Bussogilũ obtinent.

Hac tempestate palabundi monachi Herenses, ad Carolum regem confugiunt, Aurelianis tum commorantem, ab eoque Messiacum villam pagi Pictavensis cum capella & decimis ejusdem loci ecclesiæ ad refugium supplices petunt, obtinentque. *Data* [b] XIV. *Kalendas Februarii, indictione secunda, in anno vicesimo-quarto regni karoli gloriosissimi regis. Actum Aurelianis civitate.* Hilbodus tum abbas erat vagæ congregationis Herensis, cui paullo post Axenius substituitur. Post aliquot dies idem Carolus [c] ad deprecationem Erispogii Britanniæ comitis, quem dilectum *compatrem* suum vocat, Bussogilum cellam pagi Cenomannici, in honore beati Petri apostolorum principis a sancto Trogetio fundatam, monasterio Deas,

b Tournus, p. 207.

c Ibid. p. 105.

ANN CHR. 854.

„ in quo ſancti Filiberti corpus hactenus requieſcebat, atque Hilbodo abbati ejuſque „ loci monachis fugitivis confert, ut in ea cella refugium habere poſſint. *Data IV.* „ *idus Februarii, anno ſexto-decimo regnante Karolo glorioſiſſimo rege. Actum in Veteredomo.* „ qui locus eſt pagi Aurelianenſis. In hoc diplomate numerantur anni regni Caroli ab anno octingenteſimo triceſimo-ſeptimo, quo Neuſtriæ rex, vivente adhuc patre, dictus eſt menſe Septembri.

Præceptum pro S. Dionyſio.

a Diplom. p. 131. & ſeq.

LXXVII. Eadem chronologia adhibita eſt in alio[a] præcepto, quo idem Carolus approbat commutationem quorumdam prædiorum in pagis Aronalenſi & Remenſi, factam inter Hludowicum abbatem Dionyſianum & Bettonem virum illuſtrem. Dedit itaque „ Hludowicus abbas ex rebus & mancipiis ſancti Dionyſii, *ad luminaria* „ ſpeciatim pertinentibus, *religioſo et monacho ſuggerente Meinardo, qui archicuſtos* „ *matricula erat, una cum conſenſu aliorum monachorum*, in pagi Aronalenſis villa „ Sulis manſa quatuordecim, cum eccleſia, ſilvis, pratis, & ceteris ad ſanctum Dio- „ nyſium pertinentibus: contra vero vir inluſter Betto ex rebus a rege ſibi conceſ- „ ſis tradit totidem manſa in villis pagi Remenſis Bromereicurte & Frigilo, cum ſuis „ appendicibus & mancipiis, ad luminaria ſancti Dionyſii. Giſlebertus notarius ad „ vicem Hludovici recognovit & ſubſcripſit. *Data IV. idus Julii, indictione ſecunda, anno decimo-ſeptimo, regnante Karolo glorioſiſſimo rege. Actum Vermeria palatio regio.*

Diplomata duo pro Dervo a Pardulo obtenta.

LXXVIII. Idem etiam calculus obſervatus in duobus aliis præceptis, quæ Pardulus Lugdunenſis ſeu Laudunenſis epiſcopus ab eodem principe obtinuit pro monaſterio Dervenſi, cujus ipſe poſt Altmarum rector erat. Altmarus portionem prædiorum ſeu redituum monachis conceſſerat, eamque partitionem Carolus regia auctoritate confirmaverat. Hæc portio non viſa eſt ſufficiens Pardulo, qui alias villas, probante rege, adjecit. Idem etiam ipſius monaſterii eccleſiæ *ad concinnanda luminaria, & ad fabricas ejuſdem ſacræ domus reficiendas*, pro ſua in eum locum benevolentia, alias villas aſſignavit, idque rex pariter ſua auctoritate eodem die confirmavit. *Data viij. idus Februarii, indictione ſecunda, in anno decimo-ſeptimo regnante Karolo glorioſiſſimo rege. Actum Cariſiaco palatio regio.* Utrumque præceptum Giſlebertus notarius ad vicem Lucdowici recognovit, quod utrumque in appendice referemus.

Officia clauſtralia.

* V. lib. 32. n. 43.

* de Laon.

Ex poſteriori liquet, peculiarem jam tunc fuiſſe portionem redituum eccleſiæ aſſignatam, quæ a portione abbatiali & conventuali diſtincta erat, atque inter officia, ut vocamus, clauſtralia* computata, cujus reditus a cuſtode eccleſiæ ſeu theſauri adminiſtrabantur, nec in alios uſus converti poterant. In utroque illo diplomate laudatur *Pardulus Lugdunenſis * epiſcopus, & rector monaſterii Dervenſis, quod eſt fundatum in honore beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ubi etiam beatus Bercharius & venerabilis martyr Theodoſia virgo Chriſti habentur humati.* Eadem fere verba in aliis præceptis. quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

Auriniaci origo & privilegium.

* Origny.

b Frod. lib. 3. cap. 27.

c Ibid. c. 23.

LXXIX. Ejuſdem Parduli conſilio a Carolo rege, ad preces Irmintrudis ſeu Hirmintrudis reginæ, conceſſum eſt privilegium parthenoni Auriniacenſi *, qui in diœceſi Laudunenſi ad Iſeram fluvium poſitus eſt, ſancto Petro apoſtolo & ſanctæ Benedictæ virgini & martyri, cujus reliquiæ iſtic habentur, nuncupatus. De ejus origine nulla certa notitia. Forte Pardulus ejus auctor cum Hirmintrude regina, quippe qui privilegium eidem a rege concedi poſtulavit, petente Irmintrude regina, quæ Pardulo favebat, eidemque partenoni plurima contulit. Privilegium iſtud idem præſul compoſuit ad exemplum ejus, quod beatus Gregorius papa quondam Auguſtodunenſi monaſterio, a Brunechilde regina ædificato, impertierat; in eoque inſeruit diras illas & imprecationes, quas idem Gregorius contra invaſores illius monaſterii jaculatus fuerat. Hujus privilegii[b] meminit Frodoardus, ſummatim referens epiſtolam Hincmari Remorum pontificis ad Richildem reginam, alteram Caroli regis conjugem poſt Hirmintrudem, quæ Richildis ejus monaſterii privilegium violaverat, ex eo ejiciens regularem abbatiſſam, & aliam neophytam in ejus locum intrudens *propter res terrenas acceptas ab illa.* Nomen regularis abbatiſſæ ignoratur: at intruſa vocabatur Ricoara, ut ex alia[c] ejuſdem Hincmari epiſtola intelligitur. Hæc contra leges idem invaſerat monaſterium, favente præpoſito, qui res ejus loci procurabat. Non diu poſt hunc annum ſuperſtes fuit Pardulus, cui in regimine Dervenſis monaſterii ſuffectus eſt Wlfaudus intra biennium.

ANN. CHR. 854.

LXXX. Caziacum monasterium. * Chesy.

Non magis explorata est origo Caziacensis * sancti Petri abbatiæ, quæ ad Matronam fluvium infra Castrum-Theoderici in diœcesi Suessionica posita est, haud longe a Caziaco seu Casiaco opido, villa quondam regia, ubi primitus conditum monasterium ferunt. Brogilo alterum olim vocabulum fuit, ex quo conjicere licet, illud in eodem, ubi nunc visitur, nemore seu silva (Brogilum id genus veteres appellitabant) non in vicino opido primum exstitisse, ubi tantum cella ad monachorum perfugium erat. Non alia nobis antiquior occurrit ejus monasterii notitia, quam in diplomate Caroli Calvi, cujus præcellentiæ placuit quasdam res ex abbatia cellæ Casiaci, quæ vocatur Brogilus, in honore sancti Petri apostolorum principis fundatæ, deputare usibus ac stipendiis clericorum ibidem Deo servientium, nempe mansa viginti quatuor ac dimidium in villis Blaiodro *, Penvenno *, & Casiaco ipso: ex quibus nullum *a propriis abbatibus* exigatur servitium aut emolumentum. *Data* III. *idus Augusti, indictione* III. *in anno quinto-decimo regni Karoli gloriosissimi regis.* Actum in villa Bonogili. quod intelligendum videtur, non de villa Bonogilo, quæ a Casiaco, interposito tantum Matrona fluvio visitur, sed de Bonogilo agri Parisiensis itidem ad Matronam, ubi Carolus tum frequens residebat. Æneas Notarius ad vicem Hludowici diploma recognovit. Erant ergo tum Casiaci clerici sæculares, quibus abbas præerat. at quo præcise tempore monachis tradita vel reddita sit hæc abbatia, nobis incompertum. Id tantum constat, eam monachis patuisse ante duodecimum sæculum, quo tempore Simon Abbas eis præerat, a sancto Bernardo laudatus.

* Blaiditum. * Pavant.

LXXXI. Remigii Lugdunensis epistola de Gothescalco.

Perlatæ sunt hoc fere tempore ad Remigium Lugdunensem Pontificem, qui Amoloni successerat, tres totidem antistitum epistolæ, nempe Hincmari Remensis, Parduli Laudunensis, & Rabani Moguntini, de causa Gothescalci, & de quæstionibus ejus occasione ventilatis; rogatusque est exponere, quid de his Lugdunensis ecclesia sentiret. In prima epistola Hincmarus exhibebat imaginem *cujusdam miserabilis monachi*, id est Gothescalci, qui *inquieta & insolenti præsumtione* hujus controversiæ *vel potius scandali excitator & exagitator* exstitisse dicebatur; & quo pacto in duobus episcoporum conciliis auditus fuisset, judicatus atque damnatus. qui, temere arrepta prædicandi licentia, non a pænitentia, ut Johannes Baptista, sed a gemina prædestinatione prædicationem suam orsus esset; qui in Deo voluntatem salvandi omnes omnino homines, in Christo redemtionem pro omnibus, denique in homine lapso liberum ad bonum arbitrium negaret. Ad hæc Remigius ecclesiæ Lugdunensis nomine, præmissis septem catholicis regulis, ex ordine respondet. Et primo quidem de Gothescalco, ex parte incredibile[a] videri, quod gentibus prædicans, hæc primo eis exposuerit; at veri similius esse, has difficillimas quæstiones fidelibus & doctis ab eo propositas fuisse, ut magnarum & novarum rerum velut novus ac mirandus prædicator existimaretur. Sed, *etsi*[b] *illius miserabilis monachi improbatur levitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas*; non ideo tamen negandam esse divinam veritatem. Deinde ad singulas quæstiones ex Augustini, ejusque discipulorum sententia respondet: ad quartam, qua Gothescalcus liberum in homine lapso arbitrium, non ad bene agendum, sed tantum ad male agendum admittere dicebatur; id non solum mirabile & inauditum esse ait, sed etiam incredibile[c] videri, *ut homo inter fideles, & a fidelibus nutritus & eruditus, & in ecclesiasticorum patrum scriptis non parum exercitatus, hoc dicere, vel sentire potuerit.* In consequentibus[d] improbatur synodi Carisiacensis in eum atrocitas: tum quod prins ab inferioribus ordinis hominibus, id est abbatibus, & postmodum ab episcopis condemnatus fuisset: tum quod flagellis & cædibus pæne usque ad mortem[e] dilaceratus, contra moderationem & pietatem ecclesiasticam & monachalem verecundiam. Quod si quid in episcopos, ut ferebatur, contumeliosum dixisset, omnino quidem justa ultione damnandum; sed melius ab aliis, quam ab ipsis. Ceterum quod sententiam suam de divina prædestinatione mutare noluerit; sibi videri eam regulæ catholicæ fidei consonam esse, a catholicis patribus confirmatam, nec ab ullo catholico respuendam; se porro dolere, *non illum miserabilem* monachum, *sed ecclesiasticam veritatem* in eo *esse damnatam*. Quod attinet ad sensus[f] illos, qui in libello ad se misso continebantur, excepto uno, *qui extremus ponitur*, non esse ipsius Gothescalci sensus, sed ecclesiasticos; nec ignibus damnandos, sed pia & pacifica inquisitione tractandos fuisse:

a cap. 2.
b cap. 10.
c cap. 22.
d cap. 24.
e V. cap. 25.
f cap. 25.

AN. CHR. 854.

„ Denique illam miserandi hominis tam longam & inhumanam in ergastulum retrusionem compassionis benignitate fuisse temperandam, vel etiam removendam: „ ut frater, pro quo Christus mortuus est, ex caritate & spiritu mansuetudinis potius lucri fieret, quam abundantiori tristitia absorberetur. Hæc ad Hincmari epistolam. de Pardulina pauca, nec observatione digna. Ad Rabani epistolam, quæ non ad Lugdunensem ecclesiam, sed ad quemdam amicum *a venerabili episcopo* scripta erat, is non necessariam, nec ad rem, de qua agebatur, pertinentem [a] disputationem assumsisse dicitur. Non illud quæri, utrum impios & iniquos Deus prædestinaverit ad ipsam impietatem & iniquitatem, quod nullus dicere vel dixisse invenitur: sed utrum eos, quos proprio vitio impios & iniquos futuros prævidit, & in suis impietatibus & iniquitatibus usque ad mortem perseveraturos, justo judicio prædestinaverit ad æternum supplicium. Admonendum esse Rabanum, *ne sub istorum persona, quos tam facile hæreticos vocat, sanctos potius & venerabiles patres, qui ita docuerunt & dixerunt, damnare inveniatur.* Eodem tendit synodus Valentina, quæ non multo post habita est.

a cap. 41.

LXXXII. Caroli præcepta pro cœnobio Montis-olivi & pro S. Hilario.

Germiniaci in agro Aurelianensi regium palatium erat, ubi conventum episcoporum paullo ante factum [b] vidimus. Istic mense Julio residebat Carolus, cum ad eum accessit Richomirus [c] abbas ex monasterio Malasti seu Montis-olivi, constructo in honorem sancti Johannis-Baptistæ in territorio Carcassensi super fluvium Duranum, exhibens regiæ tuitionis ac libertatis privilegium, decessoris sui Wilafredi antecessori Olemundo a Ludovico augusto concessum, quod a Carolo confirmari ac renovari postulabat, regi denuo monasterii res omnes commendans, ac cellulas eidem subjectas, nempe sancti Martini super fluvium Lampium, atque sanctæ Cæciliæ & sancti Petri ad fluvium ipsum Duranum. Petenti assensit rex, scriptæque hac de re litteræ Germiniaco in palatio, III. kalendas Augusti, anno regni ejus quinto-decimo, indictione secunda. Consimile privilegium [d] eodem tempore obtinuit Ana abbas monasterii sancti Hilarii seu sancti Saturnini, siti in eodem territorio Carcassonensi ad fluvium Leucum, quod idem rex sub suam tutelam accepit, confirmans omnes ejus possessiones, & in pago Russilionensi cellas tres: unam, Nitolarias dictam, ad amnem, qui dicitur Tethus, cum ecclesia sancti Stephani: alteram in monte Furcato cum ecclesia sancti Martini: tertiam in valle Vitraria ad montem Albariam cum ecclesia itidem sancti Martini. Insuper ratam habuit princeps donationem basilicæ sancti Hadriani in pago Carcassonensi, factam ab Autario sacerdote, qui eam a Pippino Aquitaniæ rege quondam obtinuerat.

b lib. 32. n. 71.
c Capitul. to. 2. p. 1461.
d ibid. c. 1462.

Exalatæ facta donatio.

Eodem anno quidam clerici, nempe Protasius archipresbyter, Sancoli, Recosindus & Victor presbyteri, Atila monachus, & Baro subdiaconus, res suas omnes mobiles atque immobiles, monasterio [e] sancti Andreæ Exalatensi contulerunt, retento sibi ad vitam usufructu, eo pacto, ut conversarentur in ipsa sancti Andreæ Exalatensi ecclesia, sita in suburbio Elenensi, in valle Confluentaria. quod si ab illo monasterio ad aliud forte discederent, earum rerum usum-fructum secum ferrent, ita ut proprietas post ipsorum obitum sancti Andreæ monasterio proveniret. Facta scriptura XVII. kalendas Augusti, anno (XV.) regnante Karulo rege.

e Marca Hisp. append. tit. 26.

LXXXIII. Farfenses abbates.

In Farfensi monasterio ducatus Spoletani Hildericus abbas humanis exemtus est idibus Septembris, post annos regiminis undecim cum dimidio. Successor ejus Perto, abbas ejus loci quintus decimus a restitutione monasterii, nulla re memorabilem gessit præfecturam, nisi quod privilegium confirmationis omnium rerum, ac liberæ electionis a Ludovico-secundo imperatore obtinuit; insuper immunitatem ab hostili expeditione monasterii viginti hominibus chartulatis, anno imperii Ludovici septimo-decimo, quinta-decima indictione. Servitia etiam aucta in cellis sancti Emigdii, sanctæ Mariæ de Corneto & sancti Justini: sed hæc leviora. Nec illustrius fuit regimen ejus successorum Johannis, & Anselmi, qui & ipsi principatu Ludovici secundi imperatoris monasterio præfuerunt. Johannis tempore Ludovicus augustus Farfam accessit, ejusque rogatu res monasterio ablatas restitui præcepit. Eidem abbati Carolus Calvus imperator antecessorum suorum privilegia confirmavit. Hos excepit Teuto abbas octavus-decimus, imperante Carolo imperatore, quem Crassum cognominant.

LXXXIV. Lindisfarnensis

In insula Britannia Lindisfarnensem ecclesiam hoc anno regendam post Eanbertum

bertum accepit Eardulfus episcopus, Osberti regis anno quinto. quo anno Wlfrerus archiepiscopus Eboracensis pallio donatus est, testante Rogerio Hovedeno. Lindisfarnensem ecclesiam insidebant etiam tunc monachi, quibus sub episcopo præerat Eadredus abbas miræ apud Deum sanctitatis, nec exiguæ nobilitatis apud homines; in primis devotus cum Eardulfo in sanctum Cuthbertum, cujus corpus ob metum Danorum in diversa loca transferre coacti sunt. Hinc confirmatur id quod alias diximus, in cathedralibus monachorum apud Anglos ecclesiis, præter episcopum, exstitisse quandoque abbatem, qui monachis sub episcopo præesset.

ANN. CHR. 854. episcopus Eardulfus, abbas Eadredus.

INseqnens annus quinquagesimus-quintus morte Leonis papæ quarti, & Lotharii imperatoris insignis fuit, atque Caroli junioris inauguratione, quem Carolus pater Aquitaniæ regem coronari jussit. Annus hic sextus erat, ex quo Leo papa Vaticani munitionem inchoaverat, quam hoc anno absolvit, urbemque eam magna ceremonia dedicavit, Leoninam a suo nomine appellatam. Demum, munita urbe, argenteas basilicæ Vaticana valvas reposuit, & rei publicæ statum, quem Daniel quidam falsis in pontificem & Gratianum magistrum militum criminationibus perturbaverat, placato Ludovico imperatore, tranquillum reliquit. His actis, XVI. kalendas Augusti decessit, a posteris in cælitum numerum relatus. In ceteris ejus factis octavam assumtionis Deiparæ virginis, Romæ necdum receptam, instituit. Insuper monasterium sancti Martini in Vaticano instauravit. Aliud juxta basilicam sancti Sixti in gratiam puellarum Corsarum, quæ in dies cum suis populatibus Romam confugiebant, refecit. Ab eodem restitutum est sanctorum Stephani & Cassiani monasterium, in quo monachi Græci sanctæ conversationis locati. in propriis ædibus cœnobium ancillarum Dei in honorem sanctorum Simitri & Cæsarii a fundamentis exstruxit: cui inter alia *calicem sanctum*, sic Anastasius loqui solet, ex argento deauratum obtulit. Denique monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani apud Sublacum, quod ab urbe Roma quadraginta fere passuum millibus distat, vestem sacram & vela obtulit, teste Anastasio. Hoc unum est ex duodecim monasteriis, quæ sanctus pater Benedictus in illa solitudine erexit, hactenus superstes sub nomine sancti Benedicti & sanctæ Scholasticæ, adjunctum habens oratorium sanctorum Cosmæ & Damiani.

ANN. CHR. 855. LXXXV. Leonis IV. obitus & quædam gesta.

Sublacensi monasterio dona facta.

Eo tempore Petrus abbas Sublacense monasterium regebat, qui obsequiis ac servitiis suis castrum Sublacum sancto Benedicto acquisivisse traditur. Ejus invitatu Leo papa IV. in monasterium venit, dedicavitque in sacro specu altare unum in honorem sancti Benedicti & sanctæ Scholasticæ, alterum vero in honorem S. Silvestri papæ; & in monasterio Sublacensi *obtulit gabbatam unam de argento, & duas cortinas de fundato, quas frezatas dicimus*; denique omnia privilegia confirmavit & ampliavit, ut in Sublacensi chronico legitur. Hæc incensa fuere sub Leone abbate ejus successore; qui ea renovari a Nicolao papa primo impetravit. De successoribus nihil notatu dignum reliquo hoc sæculo occurrit.

Leone mortuo, *mox* clerus populusque Romanus Benedictum, presbyterum cardinalem tituli sancti Callisti, pontificem *uno consensu* crearunt. Nonnulli tamen Anastasium, a Leone redactum in ordinem, per vim intrudere, sed frustra, moliti sunt. Huc obtrudunt indocti quidam & male feriati homines Johannam pseudopapissam, hancque fabulam Mariani Scotti, Sigeberti Gemblacensis monachi, immo & Anastasii bibliothecarii testimoniis adstruere conantur, quos certum est nihil tale umquam scripsisse, ut ex sinceris eorum libris manifestum est. Vidit Miræus, vidimus & nos post eum in bibliotheca Gemblacensi, quæ nuper incendio consumta est, exemplar autographum Sigeberti; item Mariani chronicon, ipsius Sigeberti ætate exaratum; vidimus & alia plura utriusque chronici in aliis bibliothecis ejusdem fere antiquitatis: in quibus nihil prorsus de Johanna illa commentitia occurrit, neque in Alberico, qui eos exscribere solet. Multo minus in Anastasio, in cujus genuinis codicibus Benedictus *mox* a Leonis obitu uno consensu electus memoratur. Major est difficultas de Martino Polono, cujus hac in re variant exemplaria: exquibus antiquiora hanc fabellam non habent. At sive is primus ejus auctor est, seu, quod potius crediderim, ejus continuator; fatendum est, hanc fabulam ejus tempore, id est ab annis fere quadringentis, natam fuisse, quam Platina, aliique deinceps non pauci temere adoptarunt. Hanc a Græcis ortam fuisse forte

LXXXVI. Benedictus tertius succedit non Johanna pseudopapissa.

ANN. CHR. 855. quis haud immerito dixerit: quibus cum Leo nonus in epistola ad Michaelem Cerularium olim objecisset, id certa fama ad se perlatum, multos eunuchos in patriarchatu Constantinopolitano, immo etiam unam feminam sedisse; illi postea hanc criminationem in Romanos pontifices regesserint. Huic vero Leonis opinationi occasionem forte præbuit Herchempertus, somnium referens Arechisi principis Beneventani, cui a dæmone in somnis suggestum sit, patriarcham, qui Constantinopoli recens electus fuerat, feminam esse, sub clericali veste sexum mentitam. quod Arechisus misso in illam urbem nuntio detexerit, idque propudium ab illa sede repellendi auctor fuerit. Ut ut sit, Leo IX. nequaquam id exprobraturus fuisset illi ecclesiæ, si quid simile ecclesiæ Romanæ objici potuisset. Certe anonymus sæculi duodecimi poëta, qui de Romanis pontificibus sub Eugenio III. carmen scripsit, Leoni IV. proxime subjicit Benedictum his versibus:

Gregorius quartus, & Sergius, & Leo quartus
Pontifices dicti, post quos legimus Benedictum.

At ridiculum me præbeam, si in re tam manifesta pluta dixerim, de qua variæ dissertationes, immo demonstrationes, maxime a Philippo Labbeo & ab ipso quoque Blondello Calvinista, editæ in omnium manibus versantur.

LXXXVII. Lotharius imp. obit monachus. Lotharius augustus insigne modestiæ ac pænitentiæ exemplum, apud Francorum reges ad id tempus insolitum, dedit, cum morbo ac senio tactus, abdicato Imperio, ac diviso inter filios, in Prumiense monasterium deferri voluit, ibique pænitentis animi habitum indui, in eo proposito, si denuo convaluisset, perseveraturus, ut illius ætatis mores ferebant. Id paucis memorat chronicon Hildensheimense in hæc verba: *Lutharius rex tonsuram & monasticum habitum suscepit moriturus.* Pluribus eam rem ita explicant annales Mettenses. Lotharius, convocatis regni primoribus, imperium filiis suis divisit, Ludovico quidem Italiam cum imperatoris titulo; Lothario eam regni partem, quæ ab ejus nomine Lotharii-regnum postmodum appellata est; Carolo vero natu-minimo Provinciæ regnum partitus. His ita dispositis, cum suis vale dixisset, sæculum reliquit, venitque in Prumiæ monasterium: ubi tonsura monastica, *habituque sanctæ conversationis suscepto*, in religionis professione diem clausit extremum tertio kalendas Octobris, & quidem post sex dies, quam eo secesserat, ex annalibus Bertinianis, in quibus quarto kalendas Octobris decessisse perhibetur. at in Fuldensibus, sexto easdem kalendas hominem exiisse, & ad vitam æternam perrexisse dicitur. Mettensibus favet epitaphium, a Rabano compositum, a Browero relatum in hunc modum.

Continet hic tumulus memorandi cæsaris ossa
HLotharii, magni principis atque pii,
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipsis:
Omnia sed sprevit, pauper & hinc abiit.
Nam bis tricenos monachus hic attigit annos,
Et se mutavit, ac bene post obiit.
III. kal. Octobris.

Cum vero Lotharium ad vitam migrasse æternam in annalibus Fuldensibus & apud Hermannum nostri legissent, eum fastis Benedictinis inserere non dubitarunt. Satis fuerit, si *pia memoria* dicatur, ut in martyrologio Gallicano. Hic quippe eam vitæ varietatem attulit, ait Sigonius, ut meliorne, an deterior fuerit, dijudicari non possit: nisi quod mortis honestas omnem vitæ delere turpitudinem potuit.

Ludovicus, ejus filius tertius, ex paterna avitaque hereditate solum imperii titulum cum ipso regno Italiæ tenuit, quod magna cum laude ac pietate administravit, ea sorte contentus, pacis commodum ampliori præferens imperio. Is in quodam diplomate * pro ecclesia Viennensi, quod Ragamfredus archiepiscopus ac sacri palatii notariorum summus, atque Hugo nobilissimus comes, ipsiusque Ludovici propinquus, obtinuisse dicuntur, villam Fornis ecclesiæ Viennensi restituit *pro levamine & memoria genitorum suorum, quorum corpora in eadem ecclesia hu-*

* a Capitul. to. 2. c. 1471.

ANN. CHR. 855.

mata erant. quod neque de Lothario ejus patre, nec de matre Ermengarde dici potest. Ceterum falluntur qui Lotharii regnum a Lothario imperatore dictum putant, quod a Lothario ejus filio, cui ea sola portio contigit, sic appellatum fuisse constat. Vix duobus ante obitum mensibus, si bene capio, Lotharius augustus rogatu Sigimari abbatis ex monasterio, quod dicitur Vivatium-peregrinorum, sito in ducatu Alsacensi super fluvium Murbach, ranim habet præceptum Pippini atavi & Ludovici genitoris sui, qui quosdam homines *monasterio Luciaria* * *& monachis ibidem degentibus* concesserant. *Data* VII. *kalendas Augusti anno imperii Lotharii* XI. forte XVI. *indictione tertia. Actum Strasburg civitate.* Hoc diploma integrum habes apud Franciscum Guillimannum in libro tertio rerum Helveticarum, præferendum alteri superius [a] relato, quod Luciariæ monasterium longe recentius facit. Hic est Sigimarus abbas ex monasterio Morbacensi, laudatus in libello societatum Augiensium. Luciariæ monasterium nomen dedit celebri urbi, quæ est caput Helvetici pagi cognominis.

Ejus præceptum pro Sigimaro abbate Morbacensi de Luciariæ monasterio.

* *Lucerne.*

a *lib.* 31. *n.* 81.

LXXXVIII.

Drogo episcopus Mettensis apud S. Arnulfum sepultus.

Secundo post Lotharium mense Drogo ejus patruus, Mettensis episcopus, post annos episcopatus triginta-duos in Burgundia decessit VI. idus Novembris, ut legitur in chronico [b] episcoporum Mettensium. Ejus mortis genus unus describit Adso abbas Luxoviensis monasterii, cujus & ipse Drogo rector erat. Hic, Luxovii interdum ob loci amœnitatem commorari solitus, inter piscandum in Lignone * amne, quæ oblectatio eo tempore etiam regibus familiaris erat, dum piscem immanem insequitur, in aquas lapsus, subito præfocatur. Ejus corpus inde in urbem Mediomatricum delatum, in sancti Arnulfi basilica una cum Ludovico augusto ipsius fratre, aliisque regiæ stirpis personis humatum est. Huic in sede episcopali successit Adventius; in Luxoviensi abbatia Fulbertus, *vir quidam illustris*, qui *sanctorum oratoria inter duo monasteria* exstruxit, testante Adsone in libello de miraculis sancti Walberti abbatis. Fulbertum excepisse videtur Gibardus, vir genere & doctrina clarissimus, de quo inferius agemus. Sunt qui Hucbertum clericum, Theutbergæ reginæ fratrem, Luxovii quoque abbatem fuisse opinantur, qui potius vexator & turbator dicendus est, ut videbimus anno sequenti.

b *Spicil. to.* 12. *p.* 616.

* *Loignon.*

Luxovii abbates.

LXXXIX.

Benedicti privilegium pro Corbeia.

Ipso pontificatus initio Benedictus papa tertius privilegium concessit Corbeiensi monasterio, aut potius confirmavit ad preces Odonis abbatis, quas per Anselmum, incerti loci abbatem, pontifici exposuit. Ejus rei diploma inscribitur *universis Galliarum episcopis*, quibus is notum facit, quod vir venerabilis Odo abbas ex monasterio Corbeiæ, quod est constructum in pago Ambianensi super fluvium Somnæ, ipsum adierit per venerabilem Anselmum abbatem, petens, ut privilegium eidem loco super electione abbatis & rerum suarum libera possessione, a Bertefrido Ambianensi antistite quondam concessum, & ab Hincmaro Remorum archiepiscopo & universo comprobantem Parisiensi concilio, sua auctoritate denuo confirmaret. quod pontifex annuit, obsecrans Lotharium & Ludovicum ejus filium augustos, ut superiorum regum exemplo eidem monasterio privilegium eligendi abbatis, & liberam rerum suarum dispositionem conservarent. *Datum* V. *nonas Octubrias per manum Theophylacti secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperantibus domini nostris piissimis augustis H Lothario a Deo coronato magno imperatore anno tricesimo-nono, & post consulatum ejus anno tricesimo-nono; sed & H Ludowico novo imperatore ejus filio anno septimo, indictione quarta*, a kalendis Septembris inchoata, ut legitur in authentico exemplari, scripto in charta Ægyptiaca, longa pedes unum ac viginti, lata duos: ex quo libros editos cum in nostis chronicis, tum in ipso contextu olim emendavimus, nempe in fine præfationis actorum Sæculi quarti Benedictini. Lotharii anni numerantur ab anno octingentesimo decimo-septimo, quo primum imperator a Ludovico patre designatus est: itidemque filii ejus Ludovici ab anno ejus sæculi quadragesimo-nono, quo Lotharius ejus parens eum imperii consortem dixit, quem anno insequente Leo quartus Romæ coronavit. Nec quemquam movere debet, quod privilegium istud datum sit post triduum, aut forte quatriduum a morte Lotharii, qui adhuc superstes in eo ponitur. nam ejus mortis nuntius Romam tam cito perferri non potuit, ut Benedictus id ipso rescierit die, quo privilegium istud impertiit. Jam prius quidem Lotharius imperium abdicaverat, ut Prumiam se reciperet: at sex dumtaxat, aut septem ante obitum diebus. Ex hoc porro privilegio rursus confutatur fabula pseudopapissæ Johannæ, cum ex eo constet Benedictum proxime post Leonem pontificatum obtinuisse.

ANN. CHR. 855.

XC. Lupus Benedicto papæ suos commendat.

a Lup. ep. 103.

Hoc ipso, ut videtur, anno Lupus abbas Ferrariensis scripsit [a] *domino præcellentissimo, & omnibus christianis unice singulariterque venerando universali papæ Benedicto*, cui se suosque commendat per Aldulfum & Acaricum monachos & compresbyteros suos, qui spontaneam peregrinationem ad memoriam beatissimorum Apostolorum, ceterorumque sanctorum susceperant, ut de consuetudinibus ecclesiasticis, quæ variæ in diversis locis tenentur, instrui possent; ac *per eos ad se, & ad ceteros quoque, talia pie quærentes, institutio Romana perveniret.* Idem ab eodem pontifice petit commentarios beati Hieronymi in Jeremiam a sexto libro, qui in his regionibus tunc non inveniebantur. Ad hæc commodari sibi rogat Tullium de Oratore, & Quintiliani duodecim institutionum libros cum Donati commento in Terentium, quos codices quam primum restituendos pollicetur. Eosdem fratres [b] Guenilo seu Wenilo Senonum metropolitanus episcopus, & Lupus ipse, suis uterque epistolis, commendant omnibus Italiæ ac Galliæ episcopis, ceterisque fidelibus. Exstant & aliæ duæ eorumdem [c] litteræ ejusdem argumenti ad commendandum Dolivaldum monachum Ferrariensem, cum itidem Romam proficisceretur. Honorificam de eo mentionem Lupus facit: *quoniam licet sit expers*, inquit, *litterarum, mandata Dei, quæ non legit in codice, demonstrat in opere, omniumque, inter quos versatur, non amorem solum, verum etiam venerationem brevi meretur.* In prima ex omnibus illis epistolis centesima-tertia Lupus ipse meminit legationis suæ, qua tempore beatæ memoriæ Leonis papæ, Benedicti decessoris, functus est: at legationis hujus causam non exprimit.

b id. ep. 101. & 102.

c id. ep. 106. & 107.

XCI. Basilicam plumbo tegit.

Per id tempus idem Lupus de Ferrariensi basilica plumbo tegenda cogitabat, ad idque plumbum ex insula Britannia petebat ab Ædilulfo rege, ad quem ea de re epistolam tertiam-decimam scribit in hæc verba. *Ecclesiam in monasterio nostro, quod est mediterraneum, & Ferrarias appellatur, ac Bethlehem a conditore impositum nomen possidet, operire plumbo molimur, post Deum in honore beati Petri & omnium ceterorum apostolorum consecratam: cujus operis, si dignamini, vos esse participes precamur. Estote igitur in Dei honorem ad hoc perficiendum adjutores, non meriti nostri, sed respectu divinæ mercedis: quia qui sine vestra largitione pro vobis intercessores sumus, alacriores erimus, si vobis & nobis profuturum, ad animæ tantummodo remedium, munus acceperimus.* De eadem re epistolam sequentem scribit *dilectissimo amico Felici* Lupus abbas monasterii Ferrariensis, *atque sancti Judoci*, rogans, ut apud Ædilulfum regem sua ipsius petitio ejus diligentia sortiatur effectum. Hunc Felicem fuisse monachum inde conjicimus, quod Lupus eum *in monasterio Fara*, ab Anglis antiquitus frequentato, ante *aliquot annos* cognovisset, nempe cum ad generale [d] placitum proficisceretur; ibique multa de Ædilulfi liberalitate a Felice accepisset. Is est Edilwlfus rex Anglorum-Saxonum, quem Carolus hoc anno Romam properantem honorifice excepit, regioque habitu donatum usque ad regni sui terminos cum obsequiis rege dignis deduci fecit, ut legitur in annalibus Bertinianis, eidemque anno sequenti ex urbe reverso filiam suam Judith in matrimonium dedit.

d Lup. ep. 105.

XCII. Hirmintrudis reginæ permutatio cum Einardo Fossatensi abbate.

e Capitul. tom. 2. c. 1464.

Calensem abbatiam tunc temporis tenebat Hirmintrudis regina, Caroli regis conjux, uti discimus ex regio [e] diplomate, quo idem rex confirmat permutationem ab ea factam cum Ainardo seu Einardo Fossatensi abbate, de quibusdam rebus cœnobii Calensis. *Dedit igitur eadem conjux nostra*, inquit Carolus, *præeunte auctoritate, de rebus monasterii sui Calæ, una cum consensu congregationis ejusdem monasterii, ad partem jam dicti Einardi venerabilis abbatis, & monachorum sui monasterii, in pago Parisiaco, in vicaria Buxiacinse, in villa Dubro, cortile unum in jus ecclesiasticum habendum. Et e contra in compensatione dedit Einardus abbas, una cum consensu fratrum sui monasterii, prope eamdem villam de terra arabili spatium perticarum* XXIX. quod Carolus regia præceptione confirmavit. *Data* XVI. *kalendas Januarii, anno* XV. *regnante Karolo glorioso rege, indictione* III. *Actum Verno palatio regio.* Hanc abbatiam obtinuerat Hirmintrudis post mortem Hegilwidis, Judith imperatricis matris, quæ illam principatu Ludovici Pii tenuerat, ut superius vidimus. Quænam vero abbatissæ postea successerint, neque ex vulgatis catalogis, neque ex ineditis liquet.

XCIII. S. Vincentii translatio in Castrense monasterium.

De Castrensi Septimaniæ monasterio, ejusque abbatibus sæpius in superioribus actum. Ultimo loco laudatus est Adalbertus abbas, cui Gislebertus seu Gilibertus anno superiori successit: tametsi quidam Elisacharem interponunt. Gisleberto

abbate corpus sancti Vincentii levitæ ac martyris Cæsaraugustani ex Hispania in Castrense monasterium translatum est. quod quemadmodum factum sit, Aimoïnus monachus sancti Germani Pratensis hoc modo commemorat. Erat in quodam Aquitaniæ apud Ruthenos monasterio, quod Conkittas seu Conchas vocant, religiosus monachus, Hildebertus nomine, juvenilem prætergressus ætatem, ac moribus senex, habitum monasticum post sacerdotium adeptus: qui post nocturnas vigilias ad somnum reversus, de perquirendo sancti Vincentii corpore cælitus hoc anno admonetur. Hic expergefactus rem narrat cuidam monacho sibi familiari, ac moribus pæne consimili, eumque sibi socium adjungit. Audaldus is erat, *religiosus æque sacerdos & conversus*, id est ex adulto factus monachus, cujus ab ore Aimoïnus narrationis suæ argumentum accepit. Ambo itaque Blandino abbati, ceterisque fratribus consilium aperiunt suum, quod omnes unanimi consensu approbant. Vix iter ingressi erant, cum Hildebertus corporis pressus incommodo, cœpto desistere cogitur. Audaldus mæstus iter nihilo minus cum uno tantum famulo prosecutus, tandem Valentiam pervenit, locumque, ubi sanctus martyr humatus erat, didicit a quodam Mauro, Zacharia nomine, qui ob mercedem *non amplius quam quadraginta argenteos, solidos videlicet quinque, postulavit.* Ambo itaque noctu locum adeunt suburbanum, neglectum & ruinæ proximum, ubi martyris tumulum titulo & inscriptione sancti Vincentii levitæ & martyris signatum effodiunt, atque integrum in marmoreo loculo corpus inveniunt. Mox Audaldus ægre complicatum in sacculum reponit, defertque in hospitium, quod noctu splendore cælesti illustratum est. Postridie Valentia profectus cum sacro fasciculo, palmarum ramis colligato, Cæsaraugustam venit; tum indice hospita deprehensus, loci episcopo Seniori (id ei nomen erat) sacrum depositum sub nomine sancti Marini martyris post verbera cedere cogitur, quod episcopus in majori beatæ Mariæ ecclesia reponit. Sic vacuis manibus reversus Audaldus, ut nugivendulus & gyrovagus a suis Conkittensibus ejicitur. Itaque, necessitate cogente, ad cœnobium beati Benedicti, Castrum appellatum, se recipit, a domno Gisleberto abbate, ceterisque fratribus benigne acceptus, quibus totam itineris sui fortunam ac seriem exponit.

Post annos octo & dimidium, Salomone Cerdaniensi comite operam suam offerente, Cæsaraugustam mittunt ex suis Castrenses fratres, qui sacrum corpus ab episcopo repeterent. Salomon ad regem Maurorum, quem *majorem* Aimoïnus ad discrimen regulorum vocat, Cordubam pergit, litterasque ab eo multis donis mercatur, ad Abdilam Cæsaraugustæ regulum scriptas, quibus ille jubebat corpus restitui, quod Sugnarii propinqui sui Salomon esse fingebat. Tum Abdila, solidis centum acceptis, mandatum principis exsequitur; tandemque episcopos, post longas moras & tergiversationes, sacrum depositum restituere coactus est. Varia subinde in itinere patrata miracula apud Balagyvum sive Balaguerium opidum, juxta fluvium Segarim, apud Bergam castellum Cerdaniæ, Albimque * villam ejusdem provinciæ, tum apud Liviam & Carcassonam. Tandem sacrum corpus Castrum festiva pompa excipitur, ad tempus servatum in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ ante portam monasterii in gratiam feminarum, *quibus monasterii ipsius aditus ex antiqua patrum ejusdem loci consuetudine denegatur*, inquit Aimoïnus. Decreverunt tamen Castrenses monachi novam in sancti Vincentii honorem exstruere basilicam, ad quam utriusque sexus personis liber esset accessus. Ad hanc construendam viri amplius ducenti munera & operam gratuito contulerunt. Auditis miraculis, Helisacar Tolosæ episcopus præsentiam suam eidem loco exhibuit, famamque rei oculis comprobavit. Hanc translationem cum subsecutis miraculis prosa oratione scripsit Aimoïnus duobus libris, quos Bernoni abbati, fratribusque Castrensibus nuncupavit sub hoc titulo: *Dignis memoria sanctis patribus, domno abbati Bernoni, ceterisque sub eo fratribus, in pago Albiensi, & monasterio beati Benedicti, quod Castrum cognominatur, sub ejus regimine regulari studio Deo commilitantibus, Aimoinus peccator, almi Germani Parisiorum præsulis monachorum novissimus, præsentem prosperitatem, æternamque in Christo coronam.* Idem auctor geminis rursus libellis metricis idem argumentum tractavit, rogatu domni Theotgeri, ejusdem loci monachi, præmissa epistola *Levitarum præcipuo domno Theotgero.* Ex quo intelligitur, monachos etiam diaconos domni compellatione tunc honoratos fuisse. Si bene Aimoïnum capio, consilium perquirendi sancti Vincentii corporis hoc anno in mentem venit Hilde-

* Alb.

ANN. CHR. 851.

Castrenses abbates.

berto, qui eodem anno eum Audaldo profectus est io Hispaoiam. Audaldo spe frustrato, post octo annos ae dimidium Castrenses id demum exsequmtur, id est anno ejns sæculi sexagesimo-tertio, aut insequenti. Castrum per id totum tempus rexit Gislebertus, cui Salomon anno sexagesimo-quarto successit, anno sexagesimo-nooo successorem sortitus Bernonem, cui Aimoïnus prædictos libros nuocupavit.

XCIV. Ado Lugduni a Remigio detinetur.

Sub id tempus Ado Ferrariensis monachus, ex Italia revertens, quo eum profectum fuisse superius [a] diximus, Lugduni eruditionis causa detinetur a Remigio archipræsnle, qui ei necessaria omnia benigne suppeditavir. Hic ad Lupum abbatem scripsit, ab eoque permissorias impetravit litteras ad eum retinendum in suum, suæque ecclesiæ obseqoium, quatenus utile judicasset. Certe Lupus ipse in epistola e XXII. testatur, Adonem *discendi studio & quietis amore in urbe Lugdunensium* constitisse, reverentissimis autem viris, Remigio & Ebone Gratianopolitano, instanter postulantibus, & conversationem memorati fratris laudantibus, *quamquam olim meam*, inquit, *habuisset licentiam, etiam regulares litteras* seu obedientiales accepisset, *& litteras etiam ecclesiasticas* seu dimissorias a venerabili Guenilone episcopo Senonensi. Nullæ tamen ejusmodi de Adone litteræ in Lupinis oceurrunt. De Adone insuper legimus in breviario Romanensi, Remigium ecelesiam beati Romani eum sibi adjacentibus rebus in obsequium delegasse Adoni, ubi secretius orationi vacaret. at quænam sit illa ecclesia, incertum. Ceterum haud quaquam mirum est, Adonem, qui tanto eruditionis amore flagrabat, Lugduni coostitisse, ubi tum litterarum sacrarum studia, si umquam alias, tantopere vigebant, a Leidrado archiepiscopo excitata, tum ab Agobardo, Remigio, & Floro in primis exculta.

[a] lib. 31. n. 49.

XCV. Synodus Valentina.

Haud scio an idem Ado synodo Valentinæ adfuerit, quæ ineunte hoc anno, VI. idus Januarii, apud urbem Valentinam, in domo basilicæ sancti Johannis adjacente habita est: ubi ex Lugduoensi, Vienneosi & Arelatensi proviocia episcopi quatuordecim convenerunt, præsidentibus Remigio Lugdunensi, Agilmaro Viennensi, & Rotlando Arelatensi metropolitanis. In ea synodo conditi sunt canones vigioti-tres, *collaborante eis quam maxime venerabili Ebone Gratianopolitano episcopo*, qui præcipuus canoourn auctor fuit. Sex priores editi sunt oecasione Gothescalci, atque explosa quatuor capitula, quæ in posteriori conventu Carisiacensi condita sunr. Primo canone proscribuntur vocum novitates. Secundus est de æterna Dei præscientia bonorum & malorum, quæ nulli malo necessitatem imponere dicitur. Tertius de prædestinatione divina electorum ad vitam, & impiorum ad mortem, quam patres illi fidenter confitentur, » ut tamen in electiooe salvandorum misericordia Dei præcedat meritum bonum; io damoatione autem periturorum, meritum malum præcedat Dei judicium. Verum aliquos ad malum prædestioatos esse divina potestate, quasi alind esse non possint, noo solum noo credunt, sed etiam, si sunt qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicunt. Quartus canon est de redemtione sanguinis Christi, quem pro impiis illis, qui a mundi exordio usque ad passionem Christi in sua impietate mortui ac damnati sunt, effusum esse negant: at canone sequenti omnes regeneratos redemtionis participes dicunt, tametsi non omnes salvi fiant. Ad hæc canone quinto explodunt capitula quatuor posterioris synodi Carisiacensis *propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati*; sed & alia Johannis Scotti, novemdecim syllogismis ioeptissime cooclusa, *in quibus commentum diaboli potius, quam argumentum aliquod fidei deprehenditur*. Hine canone VI. ubi de gratia & libero arbitrio agitur, *ineptas quæstiunculas & aniles pene fabulas, Scottorumque pultes, puritati fidei nauseam inferentes*, quæ illis periculosis temporibus usque ad scissionem caritatis miserabiliter succreverant, penitus respuunt iidem patres; monentque fideles, ut a talibus commentis aores avertant. Hoc canone notantur novemdecim Johannis Scotti capitula, quæ a patribus concilii Valentini, una cum quatuor Carisiaceosibus capitulis reprobata sunt. Canon decimus-octavus est de scholis iostaurandis, *tam divinæ quam humanæ litteraturæ, necnon & ecclesiasticæ cantilenæ*.

Hos Valentinæ synodi canones Remigius Lothario imperatori, cui subjacebat, ipse detulit cum eapitulis Johannis Scotti in ea damnatis, necnon scripta duo ecclesiæ Lugdunensis, ut scilicet perferrentur ad Carolum regem, in eujus ditione Hincmarus archiepiscopus, & Pardulus antistes, eorumque asseclæ consistebant. Id vero exsequendum Lotharius paullo ante suum ipsius obitum demandavit Ebooi Gratia-

ANN. CHR. 855

nopolitano episcopo, qui ea Carolo apud Vermeriam anno sequenti consignavit; eademque Carolus ipse apud Nelfam * villam pagi Vilcassini, examinanda tradidit. Ad hæc omnia respondit Hincmarus tribus libris, quorum sola præfatio restat, a Frodoardo ᵃ relata. In ea Hincmarus fatetur, quatuor synodi Carisiacensis capitula in Valentino concilio, cujus veritatem dissimulat, damnata fuisse; quod se non audito factum conqueritur; aitque sibi necdum nota fuisse Johannis Scotti reprobata capitula: tametsi ad ea scribenda Johannes ab ipso Hincmaro & Pardulo impulsus fuisset. Ubi Hincmari bonam fidem desiderari censet eruditus ᵇ nostri temporis scriptor.

* *Neausle.*

a *Frod. lib. 3. c. 18.*

b *Fleury tom. 10. p. 610. & seqq.*

XCVI. Synodi Bonogilensis litteræ pro sancto Carilefo.

Habitus est eodem anno conventus episcoporum in agri Parisiaci villa Bonogilo seu Bonoilo ad Matronam, ubi inter cetera de libertate Aninsulensis sancti Carilefi monasterii actum est. Adfuit huic conventui Rainaldus ejus loci abbas, patribusque exposuit monasterii, fratrumque suorum oppressiones & perturbationes, quas patiebantur ab episcopo Cenomannensi, qui hoc monasterium, regum Francorum titulis & privilegiis subinde ornatum, ecclesiæ Cenomannicæ subjicere moliebatur: cum monachi jam dictæ congregationis, *sub norma beati Benedicti patris cœnobitice viventes*, eligendi sibi abbatis jus & facultatem ab iisdem regibus obtinuerint. quæ privilegia, tum immunitatis, tum liberæ electionis, patres illius synodi intemerata permanere sanxerunt. Synodicis hac de re litteris subscribunt quatuor metropolitani, Amalricus Turonensis, Wenilo Senonensis, Hincmarus Remensis, & Paulus Rotomagensis, cum tribus ac viginti episcopis eorum comprovincialibus: quibus itidem subscribunt tredecim abbates, Ludowicus Dionysianus, Adalardus Sithiensis, Lupus Ferrariensis, Heinhardus seu Einardus Fossatensis, Frodinus Corbionensis, Odo Corbeiensis, Hunfredus Dervensis, Bernardus Floriacensis, Gauzlenus sancti Germani a Pratis, Abbo sancti Germani Autisiodorensis, Arcamboldus, Georgius, incertorum locorum abbates; item Abbo, forte sancti Martialis apud Lemovicas. *Data* VIII. *kalendas Septembris, anno* XVI. *regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione* I. legendum III. *Actum Bonoilo villa.* Has vero synodicas litteras iisdem anno & die præcepto suo roboravit Carolus, cujus diploma cum prædictis litteris in appendice referemus.

Haud scio an idem qui supra Adalardus fuerit ejus nominis rector sancti Symphoriani basilicæ apud Augustodunum, cujus rogatu Carolus supplementum, quod iste in usus & necessitates fratrum ejus loci contulerat, regio diplomate confirmavit, prout *carissimus nobis*, inquit, *Adelardus comes, qui & abbas cœnobii sancti Symphoriani eximii martyris Christi, in suburbio Æduæ urbis siti, una cum reverendissimo Jona ejusdem urbis præsule*, supplicavit. *Datum* XVI. *kalendas Julii, indictione* III. *apud Pontionis palatium, regnante Karolo gloriosissimo rege anno* XXVI. *regni ejus.* Ceterum Ludovicum Dionysianum abbatem Centulensem abbatiam jam tum cessisse HRuodulfo comiti, patet ex Caroli diplomate apud Hariulfum relato: ubi rex ad preces ipsius HRuodulfi, quem avunculum suum vocat, villas quasdam ad usus & stipendia fratrum confirmat. *Data pridie kalendas Martii, indictione tertia, anno* XVI. *regni Karoli gloriosissimi regis. Actum in Germiniaco palatio regio.* quod diploma Æneas notarius ad vicem HLudovici recognovit. Unde manifestum est falsum fuisse Hariulfum, qui HRuodulfum nonnisi mortuo Ludovico successisse scribit.

XCVII. Lupus postulatus abbas S. Amandi.

Sub id tempus, vacante abbatia sancti Amandi, haud dubie Elnonensi, fratres in eligendo successore varia in studia scinduntur: alii Lupum abbatem Ferrariensem postulant: alii alium præferunt, cujus electio prævaluit. Id colligimus ex epistola XVIII. ipsius Lupi ad quosdam fratres ex monasterio sancti Amandi, quibus testatur, se nec curam eorum cupide appetisse, nec insolenter excepisse, quod se duplici onere prægravari, non provehi facile sentiret. proinde sibi in promtu esse, eamdem curam deponere, nec cuiquam eam gerenti quoquam pacto invidere. quippe sine dolore amitti, quæ absque delectationis illecebra possidentur; seque ex animo gavisurum, modo ut Christus quovis modo annuntietur. Ceterum sibi ad generale placitum occurrendum esse, quod in prædio quodam Parisiorum, cui Bonogilo nomen est, kalendis Julii inchoandum erat: ubi fratres illi se inventuri sint. Id contigisse videtur post obitum Gisleberti abbatis, eo nomine secundi, qui post Adalleodom Elnonensibus præfuit. Ejus successor in domesticis monumentis ponitur Hildericus, quem forte pars Lupo adversa elegerat.

Hoc ipso anno, ut Milo ejus loci monachus auctor est, die vicesima mensis Sep-

ANN. CHR. 855.

tembris, in pervigilio scilicet elevationis sancti Amandi, cerei ad ejus tumulum divinitus non semel accensi fuere: quæ res hunc diem, minus antea celebrem, posteris celebriorem reddidit. Porro hunc ignem sibi visum fuisse testatur idem Milo, qui hæc litteris mandavit. Hilderico abbati post annos quinque successit Adalardus, & ipse abbas Sithiensis.

XCVIII. Navensi monasterio immunitas concessa. a lib. 29. num. 3.

Apud Bituricas Navensi sancti Sulpicii monasterio post Ramnincum præerat Ebrardus abbas, quem nonnulli ante Ramnincum præpostere collocant. Is, constructis pontibus super aquas Euræ & Orionis, monasterium ambientes, ubi difficilis antea transitus erat, a Carolo rege facultatem impetravit[a] exigendi in eisdem pontibus telonei, & ab omnibus portis civitatis; idque Deo & sancto Sulpicio concedit princeps pro se ac conjuge, proleque sua domno Karolo, quem Aquitaniæ regem eodem anno dixit. *Data IV. kalendas Martii, anno XV. regnante Karolo glorioso rege, indictione tertia. Actum Parisius palatio regio.* Bartholomæus notarius ad vicem HLudovici recognovit hoc diploma, quod Pippino regi perperam tribuitur in quibusdam exemplis. Ad hæc Rodulfus archiepiscopus, pro suo in Navenses, totumque Ordinem monasticum studio, præceptum ab eodem rege obtinuit. Rodulfi postulatio hæc fuit, ut, cum dudum rex ipse, ejusque antecessores sacrum
» hunc locum sub sua tuitione habuerint, novas eidem litteras defensionis conce-
» dere dignaretur, simulque confirmare attributionem quarumdam villarum ejusdem
» cœnobii ad stipendia monachorum, quorum non modica inibi turba erat. ad hæc,
» ut ipsi monachi eorumque successores easdem res perpetuo possiderent, aliasque
» omnes, quas fideles pro Dei amore & sancti Sulpitii eidem loco donaverant: adeo
» ut nec ipsius Rodulfi successores episcopi, nec quivis alii quidquam ex his detrahant.
» denique ut post mortem Ebrardi abbatis libera sit penes monachos electio succes-
» soris secundum regulam sancti Benedicti. quæ omnia princeps rata & grata ha-
» bet, obsecrans cunctos Biturigæ urbis episcopos, ac per divinum judicium obte-
» stans, ut locum regiæ tutelæ addictum digna semper veneratione excolant, ejus-
» que abbatem monachosve ne conturbent, immo consolentur, juvent ac foveant.
» Actum *ad illum Casnum*, anno XVI. regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione
» tertia. Quis sit locus ille ad Casnum, intelligimus ex annalibus Bertinianis[b], ubi Franciæ proceres post mortem Caroli Calvi conventum ad Casnum in Cotia condixisse memorantur. In Cotia * silva prope Compendium locus est a quercu sic dictus, vulgo Casnus Herbeloti. De Macberto abbate Ebrardi successore agemus anno sequenti.

b Ann. Bertin. an 877.

* de Cuise.

Præceptum pro Crassa.

Consimile privilegium Carolus indulsit beatæ Mariæ Crassensi seu Orbionensi Septimaniæ monasterio, cujus possessiones omnes confirmavit rogatu Suniarii abbatis. *Data IV. kalendas Julii, indictione tertia, anno XVI. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Attiniaco.* Integrum diploma in appendice referemus.

XCIX. Nortmanni a Rothoni vastatione deterrentur.

Hoc circiter anno, qui Erispogii Brittonum ducis necem biennio præcessit, id contigisse videtur, quod legitur in fine libri tertii de gestis sanctorum Rothonensium. Tunc quippe Sidricus seu Sidrocus Nortmannus cum navibus quinque ac centum Ligeri occupato, castra paganorum, id est alterius classis Nortmannorum, qui civitatem Namneticam depopulati fuerant & incenderant, & tunc in insula Betia * sub eadem urbe consistebant, navibus in gyro positis circumdedit & obsedit; & Erispogium ad ultionem de illis prædonibus sumendam advocavit. Adfuit confestim cum multis Brittonum copiis Erispogius: tumque impetu facto in obsessos, a prima luce ad vesperam pugnatum: at nox prœlium diremit. Postera luce obsessi cum Sidrico fœdus inierunt, datisque dextris, & plurima auri & argenti copia accepta, Sidricus ad Sequanam, quæ ejus statio erat, regressus est: ubi paullo post a Carolo rege cum suis interficitur. Dein Nortmanni hanc ulturi injuriam, cum centum ac tribus navibus Visnoniam * fluvium ingressi, secundo milliario a monasterio Rothonensi castra figunt. Tum vero, Rothonensibus ad preces conversis, atque ab Hinconano vitæ venerabilis presbytero & monacho animatis, tam horrida subito tempestas terra marique incubuit, ut omnia præsentem Nortmannis interitum intentarent. Unde hi loci religione tacti, adeo sanctum locum non violarunt, ut contra dona, aurum & argentum super altare contulerint, candelasque innumeras, quas per aras ecclesiæ accendi jusserunt; nec quidquam ex rebus monasterii attigerunt, præter sexdecim ex illis paganis, qui in secretarium ingressi,

* l'Isle de Bièvre.

* la Villaine.

ingressi, cum ex vino ad missas illic posito bibissent, in rabiem conversi, demum interierunt. Postea tamen hoc monasterium, ab iisdem an aliis Normannis, omnino vastatum est.

C. Obitus S. Folcuini episcopi.

Incidit in hunc annum mors trium sanctorum præsulum, Folcuini Taruannensis, Samuelis Wormatiensis, & Gozbaldi Wirziburgensis. Folcuini obitus contigit, dum vir sanctus ecclesiam in Mempisco sitam visitaret. Obiit vero hoc anno, qui Caroli quintus-decimus erat, episcopatus sui anno quadragesimo, & quidem decimo-nono kalendas Januarii, feria septima vesperascente, indictione tertia, ut in ejus vita notatum legitur. Corpus ejus, quod rogaverat adhuc vivens, ad *Sithiu* monasterium delatum est, atque in basilica sancti Bertini humatum cum pontificalibus ornamentis, quæ in eadem basilica etiam nunc asservantur, in his cappa ejus processionalis, quæ capitium habet annexum loco posteriuris illius ornamenti, quod ejusmodi vestibus recentiori more assutum videmus. Libellum de sancti Folcuini vita scripsit Folcuinus Laubiensis abbas sub finem sæculi insequentis, eumque nuncupavit *dilectissimis in Christo sancti Sithiensis cœnobii fratribus*, apud quos se *ab ipsis pene crepundiis* educatum fuisse testatur, eoque non tam volentem, quam coactum, *cessantibus* scilicet *ob multimodam infestationem propinquorum curis*, accessisse. Alius ab eo videtur fuisse Folcuinus levita, qui veteres Sithiensis monasterii chartas in unum volumen redegit, & ipse sancti Folcuini propinquus. Folcuino mortuo, Hincmarus Remorum pontifex Pardulo Laudunensi episcopo scripsit *pro ecclesia* [a] *Morini vacante pastore*, ut de futura electione rite peragenda cum rege loqueretur. Electus est demum Hunfridus monachus Prumiensis, vir sanctus, & bonitate conspicuus: pro cujus ordinatione, quæ anno insequenti facta est, idem Hincmarus [b] scripsit Theoderico episcopo Cameracensi.

Hunfridus ejus successor.

a *Frod. lib* 3. c 20.
b *ibid.*

CI. Laurissæ abbates.

De Samuele Wormatiensi episcopo superius [c] dictum est, eum etiam in episcopatu retinuisse præfecturam Laureshamensis monasterii, quod ante episcopatum regere cœperat. Ejus corpus Laurissam revectum, ibidemque sepultum. Primum ejus epitaphium a Bruschiu relatum, videtur potius Neuhausensi monasterio, cujus ipse auctor exstitit, quam Laureshamensi convenire. Hoc ad Præmonstratenses translato, translatæ quoque Samuelis reliquiæ ad Neuhausense sancti Cyriaci apud Wormatiam monasterium, ut suo loco, Deo dante, videbimus. Ejus obitum consignat Bruschius VII. idus Februarias anni sequentis, at præsentem præfert chronicon Laureshamense, an secundum veterem calculum? Successor ejus in sede Wormatiensi Gunzo vir sanctissimæ vitæ: at in regimine Laureshamensis monasterii Eigelbertus, ex ipsius congregationis corpore electus, non minus parentum nobilitate, quam morum honestate insignis, qui novem annos monasterium feliciter rexit. Ejus rogatu Ludovicus rex unius navis discursum per Rhenum cum integra immunitate concessit, edixitque ut nullus episcopus vel abbas, comesve, aut quilibet alii quidquam molestiæ eidem loco inferrent.

c *lib.* 32. n. 3.

CII. Gozbaldus episcopus & abbas obit.

Gozbaldus Wirziburgi episcopus, idemque abbas Altahæ-inferioris, post ruinam suæ cathedralis ecclesiæ, quæ cælesti igne ac tempestate hoc anno penitus corruit, & ipse morte perculsus est XII. kalendas Octobris, Harnum discipulum suum in episcopatu successorem sortitus, ut tradunt annales Fuldenses, quem alii Arnonem vocant. Ex his annalibus corrigendus Bruschius, qui Gozbaldi obitum triennio antevertit. In regimine Altahensi eidem subrogatus est Otgarius abbas, de quo inferius non una erit dicendi occasio.

CIII. Ticinense concilium.

In Italia Ticini initio hujus anni, agente Ludovico imperatore, convocatum est concilium episcoporum ad restituendam ecclesiasticam disciplinam. Principio Ludovicus episcopis quædam capitula consideranda & expendenda proposuit de conversatione clericorum, de restauratione ecclesiarum, *de monasteriis virorum seu feminarum, quæ secundum regulam sancti Benedicti, vel iis, quæ secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent.* Tum ad singula respondent episcopi, aiuntque de utrisque monasteriis, *quod jam maxima ex parte ordinem suum amiserint*, id est accuratam vitæ disciplinam. proinde sibi videri, ut ab episcopis examinetur, utrum ordinem suum teneant; quod si secus invenerit episcopus, una cum rectore monasterii errata corrigat. Si vero ipsius rectoris hæc præcipua culpa fuerit, & se suosque subditos ad episcopi sui admonitionem corrigere dissimulaverit, synodica auctoritate percellatur.

ANN. CHR. 855. CIV.

Mira in S. Andreæ monasterio patrata.

Romæ sancti Andreæ monasterio, quod tum Græci monachi insidebant, Megistus Ostiensis episcopus & apostolicæ sedis bibliothecarius præerat: sub quo Johannes, presbyter flagitiosissimæ vitæ, præpositi officio fungebatur. Hic ab ejusdem monasterii presbytero monacho jussu sancti Gregorii admonitus, ut pænitentiæ remedio mortem quæ ipsi intra triduum cælitus destinata erat, præveniret; satis egit pro tempore quod sibi præceptum fuerat. Die assignata redactus est ad extrema. Tum presbyteri monasterii, *deputatis illic monachis, qui eum psalmodiis exitum ejus commendarent*, pro eo *sollemnes hostias* (nam hora diei tertia erat) *immolare* properarunt. Interim monachi illi, psalmodia dimissa, morienti fratri detrahere. Tum ille ad se reversus queritur, quod ipsum, ad Christi tribunal productum, conviciis suis sollicitassent, ubi sanctos Andream & Gregorium patronos habuerat. *Sciatis autem*, inquit, *quia monasterii sextarium, modium, libram, consuetudinem eleemosynarum & luminum, omnemque mensuram curiosissime Christo quærenti usque ad scabellum pedum ejus portavi.* Ad hæc plura effatus, fratres commonuit, si quando cuilibet a vita migranti assisterent, compaterentur sorti communi, & de eo judicium premerent, qui mox a supremo arbitro judicandus esset.

Non ita sedulus eleemosynarum exsecutor fuit Athanasius præpositus, qui tempore gravis inopiæ, ne monachis necessitas forte incumberet, quadraginta pauperum, quos beatus Gregorius semel in anno pasci mandaverat, refectionem subtraxit: simulque duodecim denarios ad prandium totidem pauperum, qui die depositionis beati Gregorii, pro commemoratione sollemnis ejus generis facti, de more pascebantur; ob idque præpositi dies vitæ a Deo imminuti. cujus rei indicium ex flamma in oratorio sancti Severini apparente accepit. Ibidem oratorium erat sanctæ Mariæ semper virginis, & post ejus absidem oratorium sanctæ Barbaræ, ubi Gregorius Domino laudes solebat celebrare: quo in loco dæmon vanis terriculamentis monachos infestavit. Hæc acta pontificatu Leonis IV. Quædam alia subdit Johannes, quæ tempore Benedicti tertii ibidem contigere. Eo pontifice, cum Lucidus Ficulinus episcopus eidem loco præsideret, monacho in extremis agenti sanitas eo pacto cælitus donata est, prædicente beato Gregorio, ut quibusdam ejus loci monachis ac familiaribus, immo & Lucido episcopo monasterii rectori, unis post alteros, proximam mortem indicaret. Fecit ille quod jussus erat erga monachos: at Lucido episcopo nonnisi ægre id revelavit, cum illum e pontificis palatio, ubi pransus fuerat, *sacerdotalibus vestibus indutum* offendisset. Subsecuta febri, monachi viso fidem habuit episcopus, rebusque domi dispositis ad monasterium cum eisdem infulis venit: tum monasticum habitum suscepit, atque intra dies tres animam Deo lætus reddidit. Dein monasterii regimen excepit Zacharias, civitatis Anagninæ præsul pontificatu Nicolai primi, teste Johanne, quoddam ejus temporis factum referente, quod tanti non est, ut hic commemoretur.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER TRICESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 856. ad annum 862.

ANN. CHR. 856.

I. Res civiles anni sequentis.

POSTERO anno recentibus in Gallia motibus novi semper succedunt, tum a dissensione regum, tum a Nortmannorum infestationibus. Ludovicus imperator portione regni Francici se exclusum conquestus, Carolo fratri suo Provinciam & ducatum Lugdunensem vix passus est assignari. Aquitani vero Carolum novum regem, Calvi filium, abjiciunt, Pippino, e monasterio sancti Medardi fuga elapso, denuo se dedere velle simulantes. at, subito mutata voluntate, Carolum revocant, ubi Ludovicum Germaniæ regem, Sclavorum bello occupatum, ad consilium suum perficiendum tardiorem experiuntur. Sub hæc Lotharius rex Thietbergam seu Teutbergam conjugio sibi copulat: qua ex conjunctione maximum in toto regno scandalum ortum est. Interim Nortmanni, pars, Ligeri emenso, Aurelianos XIV. kalendas Maias invadunt, deprædantur, indeque impune revertuntur: pars mense Augusto Sequanam ingressi, villas & opida circum posita cum monasteriis vastant, diripiunt, ac demum ad Fossam-Givaldi, Sequanæ contiguam, se recipiunt, ibidemque hieme stativa habent. Ad hæc pestilentia ingens mortalium magnam partem absumit. Eadem etiam Romanis contagio ex Tiberis inundatione. In Hispania Mauri in Christianos pergunt furere. Deinque Edilwlfus, rex occidentalium Saxonum, Roma rediens, Judith filiam Caroli regis Vermeriæ uxorem ducit, Hincmaro archiepiscopo benedicente, atque, imposito capiti ejus diademate, Reginæ nomine insignit. quod illi genti ad id tempus insuetum fuisse testantur annales Bertiniani. Non minores fere ex hac femina turbæ, quam ex Thietberga. His præmissis, ad res nostras veniamus.

II. Hucbertus clericus a Benedicto papa citatus.

In primis gravis est Benedicti papæ epistola ad episcopos in Caroli regno constitutos adversus Hucbertum clericum, flagitiis & facinoribus infamem, quem infra dies triginta Romam citat, responsurum ad ea crimina, quorum insimulabatur. Is Bosonis comitis filius erat, frater vero Thietbergæ reginæ, quam Lotharius desponsaverat. Adscriptus numero clericorum ita principio se gessit, *ut in divinis celebrandis mysteriis*, ait Benedictus papa, *more subdiaconorum sacras lectiones, conscendens ambonem, populo nuntiaret*. Sed non multo post præclara hæc initia conspurcavit, ob idque in judicium vocatus est. Hucberto sceleratissimorum hominum

AN CHR. 856.

consuetudo, stupra, ecclesiarum ac monasteriorum direptiones, nec falso, impu-
» tabantur. In his quod Agaunense monasterium sancti gloriosique Mauricii martyris,
» apostolicis privilegiis munitum, tanta ferocitate pervasisset, ut nullus jam priscæ
» religionis ordo in eo servaretur. nam illa, quæ Deo ibidem famulantibus antea
» ministrari mos erat, ille meretricibus, ac nequissimis hominibus, canibus atque
» avibus profundebat, occupato per nefas monasterio, abscissoque ab ecclesia Sedu-
» nensi, cui tunc Aimoinus antistes præsidebat. Ad hæc quod Luxoviense beati Petri
» monasterium, *cujus claustris aditus mulieribus numquam patuerat*, hostili modo in-
» gressus, cum illicitis mulieribus per aliquot dies ibidem commorari ausus esset.
» Præter ea quod mulierem quamdam, quæ causa pudicitiæ a proprio se viro disso-
» ciaverat, e monasterio egressam & adultero conjunctam, contra episcoporum ju-
» dicia tueri insisteret. Denique quod pacem, inter Ludovicum cæsarem semper au-
» gustum, ejusque germanos a pontifice compositam, violare ac scindere non dubitaret.

Luxovio & Laubus infestus.

Quæ omnia ex Benedicti epistola discimus. Consimile facinus ab eodem Hucberto patratum in cœnobio Laubiensi, cui tunc Harbertus [a] abbas præerat. Ille enim, expulso Harberto & ad suam Corbeiam reverso, abbatiam hostiliter invaserat, resque omnes militibus suis partitus erat, exceptis quibusdam villulis, quas pro arbitrio fratrum victui assignaverat. Demum fit uxorius, & ad damnationis suæ cumulum, nihil sibi clericale præter tonsuram retinens. Ad extremum cum in acie confligeret cum Conrado Ræticarum, Jurensiumve partium duce, interfectus est. Eo mortuo, rex Lotarius hunc locum per Johannem Cameracensem episcopum redintegrari curavit, ac possessionibus auxit: quarum polyptychum seu recensionem ab eodem Johanne fieri præcepit. Abbatia deinde Carolomanno regis Caroli filio data: quam post eum Franco episcopus Leodicensis obtinuit.

a *Spicil. to. 6. p. 155. & seq.*

III. Rabanus episcopus obit.

Exstinctum est hoc ipso anno præclarum ecclesiæ lumen Rabanus Moguntinus antistes, immo astris supernis insertum, & quidem pridie nonas Februarii, cum ætatis annos fere septuaginta, in episcopatu annos novem, mensem unum & dies quatuor exegisset. Neque ejus obitum differri patiuntur annales Fuldenses, qui novo hic calculo utuntur, ut in assignando obitu Caroli Magni; & consequenter mortem Hattonis abbatis pridie idus Aprilis, aliaque facta referunt, quæ hoc anno contigisse manifestum est. Neque alio modo constaret ratio temporis in his annalibus assignata. Eum vero decessisse apud Vinicellam, habitationis suæ vicum ad Rhenum, auctor est Trithemius. Ejus corpus, uti vivens mandaverat, Moguntiam relatum, & in suburbana monasterii sancti Albani basilica sepultum, nempe in capella sanctorum Martini & Bonifacii, uti legitur in brevi de eo commemoratione, quæ post ejus libros de Universo habetur in codice nostro Germanensi in hæc verba: *Rabanus-Maurus, Moguntia natus & renatus, & a puero in Fulda monachus, deinde cella inclusus, tandem in archiepiscopum adsumitur: cujus idonea sunt opuscula in utriusque testamenti pagina. Et ante portam prædicta civitatis meridianam apud sanctum Albanum sepulcri ejus ostenditur memoria in sanctorum archiepiscoporum Martini & Bonifacii capella.* tum ejus epitaphium ab ipsomet, ut videtur, compositum, in eodem codice subditur sub hoc titulo: EPITAPHIUM SANCTI RABANI-MAURI, *Moguntia sedis archiepiscopi, apud sanctum Albanum sepulti.*

Lector honeste, meam si vis cognoscere vitam
Tempore mortali, discere sic poteris.
Urbe quidem (hac) genitus sum, & sacro fonte renatus:
In Fulda post hæc dogma sacrum didici.
Qui monachus factus seniorum jussa sequebar,
Norma mihi vitæ regula sancta fuit.
Sed, licet incaute hanc, nec fixe semper haberem,
Cella tamen mihimet mansio grata fuit.
Ast ubi jam plures transissent temporis anni,
Convenere viri vertere fata loci.
Me abstraxere domo invalidum, regique tulére,
Poscentes fungi præsulis officio.
In quo nec meritum vitæ, nec dogma repertum est,
*Nec pastoris opus jure * beneplacitum.*

* al. *urbe.*

ANN. CHR. 856.

Promtus erat animus, sed tardans debile corpus:
Feci quod poteram, quodque Deus dederat.
Nunc ego te ex tumulo, frater dilecte, juvando
Commendes Christo me ut precibus Domino:
Judicis aeterni me ut gratia salvet in aevum,
Non meritum adspiciens, sed pietatis opus.
HRaban nempe mihi nomen, cui lectio dulcis
Divinae legis semper ubique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuat caelestia regna,
Et veram requiem semper in arce poli.

Hunc viventem Amolo Lugdunensis antistes, *bonum & eruditum virum atque catholicum episcopum*; Hincmarus Remensis *venerabilem archiepiscopum, zelosum in sancta religione patrem, & catholicum scriptorem*; Ermanricus *sanctissimum ac in omni arte peritissimum* vocant. Frodoardus eumdem post mortem *beatum* dicit. unde Guillelmus abbas Romani sancti Pauli monasterii in kalendario sanctorum monachorum, quod anno supra millesimum trecentesimo septuagesimo-secundo composuit, ejusdem meminit his verbis: *Pridie nonas Februarii Rabani archiepiscopi Moguntini.* De ejus corporis elevatione ac translatione in Saxoniam suo loco, Deo dante, agemus.

De ejus scriptis alias a nobis actum in ipsius elogio, ubi librum contra Judaeos, quod Petrus Franciscus Chiffletius ad fidem Boheriani codicis ei tribuit, Amoloni restituendum esse probatum est. Quamquam fallunt qui scripsere, hunc librum sub nomine Amolonis haberi in bibliotheca Colbertina, ejusque rei vadem afferunt, alias certe perquam idoneum Stephanum Baluzium, qui mihi contrarium asseruit, negans ullum ejusmodi codicem reperiri in illa bibliotheca. Praeter glossas theotiscas de partibus humani corporis, composuit integrum glossarium Latino-theotiscum in tota biblia veteris ac novi testamenti, necdum editum, cujus exemplar Lambecius [a] ex Aenipontana bibliotheca in Caesaream transportavit. Non insuper habendum, quod Baronius Rabanum *fulgens Germaniae sidus, ac Theologorum verticem*; Bellarminus *aeque pium ac doctum* appellant. Fuldae sub eo vixere Hiltibradus & Adalhardus inclusus, quorum epitaphia condidit. Hiltibrath Fuldae educatus, ejusdem loci abbas videtur fuisse, tametsi ejus nomen in syllabo abbatum desideratur, ac demum praesul incerti loci.

a Lambec to. 2. bibl Vindob. p. 415. & seqq.

Francia quem genuit mater, quem Fulda nutrivit,
Delectu & patrem hunc sibi constituit.
Nam praesul post hic humili moderamine factus,
Jugiter extersit crimina cum lacrymis.

IV. Carolus ejus successor.

Rabani in sede Moguntina successor fuit Carolus, Pippini Aquitaniae regis filius, atque alterius Pippini frater: qui, cum una cum fratre ad Lotharium imperatorem ob Caroli regis patrui sui metum se recepisset, postea relicto Lothario Pippinum fratrem in Aquitaniam reversum adire properans, a ministris Caroli comprehensus, ductusque ad ejus praesentiam est: tum apud Carnutas tonsus, factusque clericus, in Corbeiense monasterium secedere jubetur, ex quo, jam diaconus ordinatus, in Germaniam rursus ad Ludovicum patruum se proripuit; tandemque mortuo Rabano, *magis ex voluntate regis* Ludovici *& consiliariorum ejus, quam ex consensu & electione cleri & populi*, successit, ut tradunt annales Fuldenses. quo in munere praeclare se gessit, magnamque synodum Moguntiae anno sequenti celebravit. Idem archicancellarii officium sub Ludovico rege gessit.

V. Hattoni abbati Fuldensi suffectus Thioto.

Post duos a Rabano menses decessit etiam Hatto abbas Fuldensis pridie idus Aprilis, alio nomine Bonosus dictus: in cujus locum *per electionem fratrum & auctoritatem regiam* ordinatus est ex monachis Thioto, ut tradunt annales Fuldenses. De Hattone, praeter ea, quae superius de eo diximus, id memoriae proditur in domesticis [b] monumentis, quod cernens *paucitatem praediorum & decimationum*, quae ad portam Fuldensis monasterii ad sustentandos & recreandos hospites & pauperes Christi conferebantur, non posse sufficere; Leonem papam adierit & Lotha-

b Fuld antiq. p. 278.

ANN. CHR. 856.

rium imperatorem, & cum eorum anctoritate ac permissu hæc stipendia auxerit. Ejus epitaphium vide sis [a] apud Browerum. Thioto abbas decessoris sui caritatem in pauperes imitatus dicitur. Variæ sub eo donationes Fuldensibus factæ leguntur in Traditionum Fuldensium libro secundo, quarum in una *vir nobilis, laudabilis & largus*; in alia *vir pius pastor & monachus* appellatur.

[a] Ibid. p. 279.

VI. Warino Corbeiensi Adalgarius.

Warinus, Corbeiæ-novæ abbas secundus XII. kalendas Octobris obiit, cui mox Adalgarius successit. Ita in veteri chronico Saxonico. Huic non obscure suffragatur Corbeiense chronicon, in quo anni triginta præfecturæ Warino tribuuntur post Adalhardum, primum ejus loci abbatem, qui anno illius sæculi vicesimo-sexto ineunte decessit. Warino, ut alias dixi, adscititium nomen erat Placidus seu Placidius, cui hoc nomine Paschasius Radbertus librum de corpore & sanguine Domini dicavit. Is, scilicet Warinus, paullo ante obitum a Ludovico rege cellam [b] Visbeki, de cujus origine in secuodo volumine actum est, obtinuit. Eo abbate recensentur Corbeiæ-novæ monachi centum-octoginta: in his quinque lectores seu scholarum præfecti; unus martyr in Suevia, nempe Nithardus; episcopi sex, videlicet Adalgarius archiepiscopus Bremensis & Hammaburgensis; Hogerus ejusdem sedis præsul, Witmarus episcopus Suecorum, Gislemarus Danorum, Altfredus episcopus Hildensheimensis, & Tiagrinus Halberstadensis. Sub eodem abbate litterarum studia maxime floruerunt apud Corbeienses, & per eos in tota Saxonia. Ex illa schola memorantur in Annalibus Corbeiensibus Pruradbertus lector, qui pietate & doctrina claruisse traditur; Heloco item lector, qui cum Ailboldo ad Nortmannos fidei mysteriis imbuendos missus est ab ipso Warino abbate: cujus tempore Ludovicus rex totam Rugatensem insulam Corbeiæ-novæ dedit, ob victoriam, sancti Viti interventu ab ipso reportatam. Præter hos insignis fuit modestia Buniconis monachi, qui ad abbatialem electus dignitatem, maluit in sua cella privatus vivere, quam aliis cum animæ suæ periculo præesse.

[b] Annal. Paderborn. p. 144.

Corbeienses monachi illustres.

Resbacenses abbates.

Præter Corbeiensem abbatiam Warinus etiam Resbacensem habebat, ut alibi diximus: quam post ejus mortem obtinuit Wlfadus, clericus ille Remensis, qui & sancti Medardi abbas, & postmodum archiepiscopus Remensis fuit. Ab eo Resbacensium abbatum series deficit usque ad sæculum undecimum. Forte destructum aut in solitudinem redactum fuit per illa tempora, ut multa alia, à Nortmannis. In illo monasterio sepultum fuisse Helmengaldum seu Helmengaudum, cujus epitaphium composuit Theodulfus, ex eo conjiciebam [c], quod *Hierusalis* vocetur ille monachorum locus, ubi hic humatus est, quo nomine Resbacense monasterium a Dadone appellatum. Hanc conjecturam maxime roborat authenticum instrumentum Helingaudi comitis pro Turonica sancti Martini basilica, datum anno DCCC XIII. quo instrumento multa prædia cum plurimis mancipiis sancti Martini clericis seu canonicis donat in pago Meldicensi, ubi situm Resbaceose monasterium. quod argumento est, hunc pagum ad illius comitatum pertinuisse; nec proinde mirum esse, quod Resbaci humari voluerit. Hoc instrumentum quod ex authentico Martiniano noster Edmundus *Martene* mihi communicavit, etsi ad res nostras haud pertineat, in Appendice tamen integrum referre visum est, ne quidem omissis mancipiorum nominibus, quod quædam contineat observatione digna. Unum est, quod *Carolus Magnus imperator* sæpe dicatur, sive id adjective dictum, sive pro cognomine sumtum sit. Alterum est, quod clerici sancti Martini *secundum canonicam institutionem in sancto ordine constituti* dicantur; atque adeo jam ipso anno DCCC XIII. quo facta est donatio, Martiniani monachi jam ad canonicalem ordinem defecerant. Tertium denique est, quod in prima classe mancipiorum quidam presbyteri recenseantur, cujus rei alia exempla legere memini. Etsi enim e servorum ordine nulli ad sacerdotium promoverentur, nisi manu-missi; quidam tamen certis conditionibus id obtinebant, nimirum ut ad nutum domini sui certis ecclesiis deservirent; adeoque inter servos quodam modo censeri poterant. Nunc ad ordinem revertendum est.

[c] lib. 27. n. 88.

VII. Paschasius exponit Psalmum 44.

Hoc tempore Paschasius Radbertus expositionem in Psalmum quadragesimum-quartum, quam olim Theodradæ Suessionici beatæ Mariæ parthenonis abbatissæ dicare paraverat, Immæ ejus filiæ (nam Theodrada in sæculo conjugata fuerat) & sacris virginibus in eodem cœnobio degentibus, tribus libris dicavit in grati animi monumentum, quod apud eas a teneris educatus fuisset. *Unde vestris*, inquit, *pulsatus*

largissime beneficiis, cœpi cogitare, quibus plurimum debebam, vobis, quia occupatus non prosui, id est in abbatiali dignitate constitutus, *aliquid ut prodessem saltem otiosus*. Hunc vero psalmum ipsis maxime competere [a] ait, *quibus contemplativa vita sub monastica disciplina degentibus in voto est*. quippe quæ & *secundam nobilitatem generis* flores essent ecclesiæ, & *secundum candorem virtutum* filia paradisi. In consequentibus dicit hunc locum vere alvearium esse monasticæ disciplinæ, quo *æterna clausura* sanctimoniales illæ sese obseraverant, ne ullis insidiarum fraudibus castra Domino consecrata violarentur, immo & plusquam alvearium, quia *nusquam & numquam* exinde quoquam vagandi ipsis relicta esset licentia. Eas tamen monet, ne hunc locum, ubi se recluserant, angustum reputent: cum magna sit domus & ingens possessio, quæ ipsis ex dote debebatur, quæ nec spatiis locorum terminatur, nec fine temporum clauditur. *Sufficiat vobis*, inquit, *cohabitatio ad necessitatem naturæ, quæ vos suscepit de mundo, ac si columbas volantes ad cælum*. Longior sim, si cetera id genus persequi vellem. Tantum quædam ad ejus loci historiam ex illa expositione delibare satis fuerit. Illic *pignora sanctorum multorum, multarumque virginum* coli asserit Paschasius; & locum, quo conduntur [b] ossa earumdem sanctimonialium post finem vitæ, a majoribus olim dedicatum fuisse in honore sanctæ Crucis: ut membra, quæ diu tulerunt crucem Christi, ibi requiescant humata, ubi triumphus ejusdem sanctæ Crucis & honor celebratur. Hunc locum [c] item laudat a jugi rerum divinarum celebratione: *ubi custodia vigiliarum & exsequiæ virtutum indesinenter aguntur: ubi laus & jubilatio, quantum fas est mortalitati, numquam finitur: ubi preces & gemitus atque lacrymæ quotidie cælum pulsant, & fluunt cum omni impetu amoris in Deum*. Ad hæc sacrum hunc cœtum duobus ait constare ordinibus, virginum scilicet ac viduarum: ex quibus viduæ eo sponte veniant; virgines vero pæne a cunabulis & inter crepundia teneræ ætatis offerantur regi Deo, ex voto parentum potius, quam ex suæ mentis electione. unde utrasque seorsim hortatur, nempe ut reddat vidua vota viduitatis; reddat & virgo vota parentum suorum; immo & quæ parentum fuere, quia jam adulta est, faciat sua: eo quod non alteri est oblata, quam ei, cui se debet totam. Denique urbem Suessionum, quam Vesonam subinde vocat, a cultu religionis commendat. *Habet namque ad orientem sui*, inquit, *nunc castra monachorum cum suis sanctis confessoribus atque pontificibus*, nempe cœnobium sancti Medardi, multis sanctorum nobilitatum reliquiis: *ad occidentem vero, acsi post tergum vestrum, tuba resultat sancti evangelii in voce monentis*, id est in cathedrali sancti Gervasii ecclesia. *Vos autem*, ait ille ad sanctimoniales, *quasi in medio constitutæ, unum elegistis angulum tantum Suessionis augustæ, quia lapidem illum angularem dilexistis, qui factus est vobis a Deo patre fundamentum in caput anguli*. Sed de his satis.

VIII. Non prætermittenda hoc loco est, tametsi non omnino ad res nostras pertinet, mors Ercanradi episcopi Parisiensis, quæ VII. idus Maii accidit; & in ejus locum electio Æneæ, qui erat notarius Caroli Calvi sub Ludovico abbate. Ercanradi obitum in annum sequentem differt Gerardus a Bosco, propter fragmentum synodi Bonogilensis, cui Ercanradus interfuit, quam Baluzius ad hunc annum retulit, mihi vero ad præcedentem referre visum est. Æneam clero eligendum proposuit Carolus, eumque omnes unanimi consensu elegerunt, Æneam patrem, Æneam pontificem habere optantes. Scriptæ hac de re litteræ ad Wenilonem Senonum metropolitam, ejusque comprovinciales episcopos a Lupo [d] abbate nomine totius cleri Parisiensis, inscriptæ *religiosissimis patribus & fratribus Weniloni metropolitano Senonicæ sedis antistiti, & universo clero ejus, & ceterarum ecclesiarum præsulibus, quæ in diœcesi memoratæ sedis censentur, cunctisque in eis Deo famulantibus, clerus matris ecclesiæ Parisiorum, & fratres cœnobii sancti Dionysii, & sancti Germani, & beatæ Genovefæ, & Fossatensis, diversorumque monasteriorum unanimitas, præsentem & futuram salutem*. In clero itaque Parisiensi tum censebantur sancti Dionysii ac sancti Germani monasteria, tametsi ab episcopi ordinaria jurisdictione immunia essent: & monachi ad id tempus perseverasse videntur in sanctæ Genovefæ monasterio, cujus fratres communi cum aliis monachorum cœnobiis vocabulo appellantur; *clerici* tamen dicti ab Aimoïno, ubi agit de revectione corporis sancti Germani ex villa Novigento in suum monasterium. Ad cleri Parisiensis litteras idem Lupus [e] rescripsit nomine Wenilonis metropolitani, ejusque coëpiscoporum, qui

ANN. CHR. 856.

Æneæ episcopi Parisiensis electio.

[a] lib. 1.
[b] lib. 2.
[c] lib. 3.
[d] Lup. ep. 98.
[e] Id. ep. 99.

ANN. CHR. 856.

Æneæ ordinationi consenserunt. Verum, cum huic ordinationi Prudentius Tricassinus episcopus adesse non posset, scripta ad Wenilonem epistola significavit, Æneæ ordinationi se assensum his tantum conditionibus præbere, nempe si quatuor Carisiacensia capitula reprobaret, exemplo scilicet Remigii & ecclesiæ Lugdunensis. quod an ab Ænea exactum sit ac præstitum, nulla veterum monumenta docent. Hanc ob causam de Prudentio queritur Hincmarus[a] Remorum antistes, quod, cum prius quatuor illis capitulis in conventu Carisiacensi subscripsisset, nunc, mutata sententia, eorum damnationem ab Ænea ordinando exigat. Habitus est hoc etiam anno conventus in villa Carisiaco nonis Julii, editaque capitula maxime contra raptores, quæ Carolus per fideles missos suos Adalardum abbatem Sithiensem, Rodulfum, Richuinum, aliosque ad Francos & Aquitanos mitti curavit.

a Hincm. de prædest. c. 21.

IX. Pœnitentiæ publicæ exemplum.

Peregrina res, sed memoria digna hoc tempore accidisse traditur de Frotmundo nobilissimo viro inter Francos, cujus majores palatii primores & proceres erant in regno Lotharii. Hic, cum post mortem patris hereditatem cum duobus fratribus suis divisisset, reclamavit eorum patruus, presbyter honorabilis, qui in palatio regis præcellebat. Res eo devenit, ut fratres simul, irritatis animis, patruum interfecerint. Sed mox exsecrandi sceleris pœnitens Frotmundus, fratribus itidem eumdem animum inspiravit, omnesque una perrexerunt ad palatium, a rege & episcopis consilium quæsituri, quo pacto hanc noxam expiarent. Mox convocatis episcopis visum est, ut illi, ferreis catenis brachia & lumbos constricti, loca sancta in cinere ac cilicio circumirent, quousque Deus eorum pœnitentiæ modum imponeret. Inde illi jussis obedientes, Romam pergere, limina terere sanctorum Apostolorum, ac tumulos beatorum martyrum, quos urbs illa innumeros habet. Post multos dies, acceptis a pontifice litteris (is tum Benedictus erat) Jerusalem tendunt; inde in Ægyptum, ubi per duos annos monasteria & cœnobia ejus regionis, sanctorumque agmina monachorum visitarunt. Hinc delati in Africam, se conferunt ad sepulcrum sancti Cypriani episcopi & martyris, *qui secundo milliario ab urbe Carthaginensi requiescit juxta mare, ubi multa virtutes & multa miracula a Domino sæpius ostenduntur.* Tum Romam denuo reversi, afflicti & macerati, multis precibus a sancto Petro apostolo indulgentiam peccatorum petunt. verum, cum nec sic eorum vincula solverentur, consilio Benedicti papæ iterum ultra mare ad sepulcrum Domini, aliaque loca sancta peregrinantur. Lustrata demum universa regione orientali, quarto anno Romam revertuntur; indeque, post multas preces, Italiam, totamque Burgundiam & Aquitaniæ regionem & partes Neustriæ peragrant, tandemque in minorem Britanniam accedunt, quam etiam omnino perlustrant. Hos apud Redonam civitatem hospitio excepit Electramnus episcopus, qui eis omnia necessaria liberaliter suppeditavit. Illic Frotmundi frater natu-major defunctus est, humatusque honorifice *ab episcopo & a clero sancti Melanii*, quod monasterium est nostri Ordinis in suburbio Redonensi; cujus monasterii cœtus monachorum cleri nomine, non sine exemplo, appellatur. Postea Frotmundo visum est adire ad sanctum locum Rothonensem, ut sancti Marcellini papæ & martyris reliquias ibidem veneraretur. Exceptus cum gaudio a monachis, cum per septem dies precibus institisset, rursus Romam cogitat. at sancti Marcellini oraculo revocatus ab itinere, tandem tempore nocturnarum vigiliarum, ejus vincula sancti Marcellini resoluta meritis, ingentem sonitum in terram jacta ediderunt. quo audito, monachi concurrere, Deo gratias agere, Frotmundi vulnera ligare fasciolis, & benigne recreare. Post tres dies ille cœptum iter Romam prosecutus, tandem, expiato facinore, feliciter ex hoc mundo migravit. Hæc ex libro secundo de gestis sanctorum Rothonensium[b].

b V. lib. 34. n. 16.

Mirum non immerito videri possit, quod tam grave facinus tam levi pœna expiatum sit, immo etiam matricidæ facinus, ut in consequentibus videbimus. Sed hi erant illorum temporum mores, quibus pro homicidio non raro imponebatur pecuniaria tantum multa, quam vulgus *wergildum* appellabat, maxime cum rei ad sanctorum basilicas confugissent. Huc spectant Eginhardi epistolæ duæ: una XVIII. in qua Eginhardus pro duobus servis, quorum frater socium suum occiderat, moxque ad limina sanctorum Petri & Marcellini confugerat, Marchradum vicedominum rogat, *ut eis liceat solvere illum weregildum pro fratre suo, & ut ei membra perdonentur.* Altera epistola XXV. ejusdem est argumenti. Itaque confugiendo ad

ANN. CHR. 856.

ad regem & episcopos, atque etiam ad sanctorum basilicas passim obtinebatur pœnæ remissio, quæ vel circulorum ferreorum nexu, vel pecuniaria illa multa redimebatur.

X. S. Martiali facta donatio.

Ineunte hoc anno Guigo quidam, nobilis Lemovix, Frodini & Wlsianæ filius, Miliacum villam pagi Petragorici, simul cum ecclesia sanctæ Radegundis ibidem exstructa, Abboni abbati sancti Martialis concessit pro anima progenitorum suorum atque Arnaldi germani sui, *ad stipendia monachorum augendum in qualicumque cœnobio abbas ipse elegerit*, eo pacto, ut ipse hanc villam usu fructuario ad vitam retineret, pro censu solidos quinque pridie kalendas Julii, qui dies sancti Martialis primi episcopi Lemovicensis cultui dicatus est, monachis quotannis redditurus. *Datum mense Januario, anno primo regni domni nostri Karoli regis Aquitaniorum*, scilicet junioris, Caroli Calvi filii, quem Aquitani in urbe Lemovicum medio mense Octobri anni superioris regem constituisse, unctoque per Pontificem ejus urbis coronam regni imposuisse, sceptrumque tradidisse memorantur in annalibus Bertinianis. Eumdem calculum habet instrumentum, quod mox subjiciemus. Abbo iste, cujus mentio in charta superiori, abbas fuit sancti Martialis secundus, successor Dodonis primi ejus loci abbatis ab introductione monachorum. Porro prædicta villa ab eodem Abbone attributa fuit Palnatensi apud Petrocorios monasterio, de quo non semel a nobis facta mentio est in tomo superiori.

Caroli junioris anni regni.

XI. S. Sulpicio item donatio facta.

Iisdem anno ac mense Acfredus quidam, & Girardus ejus frater, villam suam Falgerolas, sitam in pago Bituricensi, in vicaria Ulnacensi, contulere Navensi apud Bituricas monasterio, cui tunc Macbertus abbas præerat, successor Ebrardi anno superiore laudati. Magnum eo loci tunc fuisse monachorum numerum probat ipsius chartæ inscriptio, quæ sic habet: *Sacro ac venerantissimo sancti Sulpicii monasterio, quod est constructum in pago Biturico super fluvium Avera, ubi preciosissimum corpus ipsius requiescit, & venerabilis abbas Macbertus maximam turbam monachorum regere videtur.* Hæc donatio *a venerabili Rodulfo Biturigensium archiepiscopo*, aliisque nobilibus viris confirmata & subscripta est. *Facta donatio ista mense Januario, anno primo regnante Karolo rege.* quod de Carolo juniore interpretandum esse vel ex eo patet, quod Rodulfus sedem Bituricensem nondum obtinuerat anno primo Caroli-Calvi.

XII. Cormaricensium cella-Petrucius.

Maïo insequente Audacher seu Odacer abbas & fratres Cormaricenses duobus fratribus germanis genere præcipuis, Miloni atque Guichardo, concedunt res quasdam, quas quidam Guarinus sancto Paulo apostolo, ejus loci patrono, jure legali olim tradiderat, sitas in pago Turonico, in vicaria Dolensi, loco, qui dicitur Petrucius, super fluvium Agoeris *, eo scilicet pacto, ut ipsas res in eleemosynam sui, eorumque patroni olim præsulis Amalrici, ac in utilitatem sancti Pauli ecclesiæ amplificare, & in melius excolere studerent. Instrumenti subscriptiones & notæ chronicæ sic habent: *Audacher abba hoc decretum a me factum relegi & subscripsi. Ivo monachus & diaconus recognovit. Datum in mense Maio, anno XVI. regnante Karolo rege. Adalardus monachus atque indignus presbyter signavit.* Nunc Petrucius * cella est monasterii Cormariceni, haud procul a Lochiis opido, ad Agnerem fluvium.

* l'Indre.

* Perruçon.

XIII. Caroli diploma pro Cella Trecensi.

Apud Trecas versabatur initio hujus anni Carolus, cum villam quamdam [a] de comitatu & dominio Trecassinæ urbis præcepit restitui monasterio, quod est in suburbio ejusdem urbis, vocaturque Cella-Bobini, constructum in honore sancti " Petri apostolorum principis, cui Haldehingus venerabilis abbas tum præerat, ex " longo tempore tunc positum sub tuitione & mundeburdo comitis prædictæ civita- " tis. Hæc villa Silviniacus vocatur, sive de Virtutibus, sita in pago Tornodorensi, " jam dudum eidem monasterio, quoniam pauperrimum erat, concessa: quæ nuper " ab Aledranno comite per vim ac violentiam eidem loco abstracta fuerat. quam vil- " lam prædicto monasterio, seu sanctis fratribus ibidem Deo famulantibus, idem " princeps ita restitui jubet, ut neque comes, neque judicialis potestas quicquam ex " illa mouere aut detrahere conetur. *Data IV. idus Januarii, indictione IV. anno* " *decimo-nono regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Cella-Bobini.* In hoc diplomate, ut in aliis [b] jam relatis, anni regni Caroli computantur ab eo tempore, quo rex Neustriæ a patre constitutus est. quod factum mense Septembri anni octingen-

a Camuzat, fol. 20. & seqq.

b Lib. 34. n. 76. & seqq.

ANN. CHR. 856.

tesimi tricesimi-septimi. Hic est Haldehingus seu Aldehingus abbas, a quo Cellense monasterium instauratum fuisse superius [a] vidimus.

[a] ibid. n. 31.

XIV. Aliud pro Dervo.

Idem etiam calculus in alio restitutionis diplomate, quod idem Carolus in Pontione palatio edidit pro sancti Petri monasterio, quod vocatur Dervus, cui tunc præerat Wlfaudus, quem carissimum sibi abbatem & ministerialem vocat: cujus rogatu res quasdam, eidem loco per violentiam abstractas, restituit, aliasque munifica largitione donat. Quæ restituuntur, sitæ sunt in pago Pertensi, in loco, qui dicitur Pontunus *: quæ vero donantur, in pago Breonensi, in villa, quæ dicitur Gerulvillare, & in loco, qui dicitur Sanctus-Brictius. quæ omnia tradit jam dicto sacro cœnobiu, sanctisque fratribus ibidem Domino famulantibus, ad supplendos suos, suorumque necessarios usus. *Data* VII. *idus Maii*, *indictione* IIII. *anno* XVIIII. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Pontione palatio.* Wlfaudus abbas successerat Pardulo Laudunensi episcopo & rectori Dervensis monasterii, qui haud scio an hoc anno jam decesserat, an Carolus, qui pro arbitrio suo abbatias modo his, modo illis tradebat, vel auferebat, Dervensem Pardulo ante obitum ademerit, ut eam Wlfaudo ministeriali suo tribueret.

* f. Pontionis.

XV. Lotharii diploma pro Gregoriano monasterio.

Ad regnum Lotharii pertinebat sancti Gregorii in Alsatia monasterium, cui ad id tempus præerat Bertholdus abbas, non semel jam a nobis laudatus. Hic a Lothario rege obtinuit confirmationem regiæ defensionis & liberæ electionis, ab avo & genitore ipsius Lotharii olim eidem loco indultæ. *Data idibus Februarii*, *anno Christo propitio regni domni HLotharii gloriosi regis primo*, *indictione quarta. Actum Aquisgrani palatio regio.* quod diploma HRodmundus notarius recognovit.

Ludovici præcepta pro Wissenburgo, & parthenone Argentoratensi.

Duo eodem anno præcepta edita sunt a Luduvico rege, unum pro Wissenburgensi, alterum pro Argentoratensi sancti Stephani monasterio. Primum obtinuit venerabilis abbas, regisque fidelis Grimoldus, eoque confirmata est donatio Calidarum-aquarum, *quæ balnei dicuntur*, a Dagoberto rege olim facta monasterio Wissenburgensi, quod est constructum in honore sancti Petri: cui tum Raffridus abbas præerat, cum hæc donatio facta est eorumdem Balneorum, quæ a Ludovico rege vasallis quibusdam concessa fuerant. *Data* XV. *kalendas Junii*, *anno regni domni Ludowici* XXIII. *Actum Franckenfort palatio regio.* Witkarius cancellarius ad vicem Karoli archiepiscopi recognovit. His chronicis notis nonnemo temere adjecit annum ab incarnatione DCCC LXXI. qui septimus erat a morte Caroli archiepiscopi Moguntini & archicancellarii, ad cujus vicem Witkarius cancellarius seu notarius hoc diploma recognovit.

Alterum præceptum est regiæ immunitatis ac tuitionis: cui obtinendo *nobilis atque venerabilis sanctimonialis abbatissa* Basilla sancti Stephani, infra muros Argentoratenses, Luduvico regi antecessorum suorum regum & imperatorum privilegia exhibuit: quo pacto scilicet idem locus a Childerico rege immunitate primum donatus, & a Pippino majore domus locupletatus; dein ex munificentia Lotharii *imperatoris primi* & conjugis Irmingardis ditatus fuerit; ac demum etiam auctoritate munitus HLudewici bonæ memoriæ piissimi augusti, qui locum jam dictum beati Stephani, *& congregationi canonicorum quatuor sacerdotum & sanctimonialium triginta cum necessariis ministris dedicatum*, sub sua defensione acceperat. quæ omnia rex Ludovicus rata habet, *salvo per omnia honore sui sancti præsulis. Data pridie idus Septembris*, *anno Christo propicio vigesimo-tercio domni HLodewici serenissimi regis in Alsatia*, *indictione* IIII. *Actum Strazburc palatio regio. Otgarius ad vicem Grimoldi archicancellarii recognovit.* Ita scriptum legimus in exemplari, quod nobis pro authentico non habetur. Editum est integrum a Guillimanno, & post eum a Conringio: sed apud utrumque Ludovici annus XXII. positus pro vicesimo-tertio, qui non compendiosis numericis notis, sed integris litteris in exemplari adscriptus legitur, vitioso sigillo apposito. Non placet Lotharii *imperatoris primi* elogium, nec Ludovici regis in *Alsatia* apposita notatio, ubi *in orientali Francia* scribi debuerat.

XVI. S. Zachariæ monasterio datæ a Benedicto reliquiæ.

Benedictus pontifex a factiosis exagitatus, qui Anastasium antipapam fovebant, Venetias se contulisse, & a duce incredibili humanitate exceptus fuisse [b] dicitur. Cum in ea urbe versaretur, monasterium sancti Zachariæ invisit, ab Agnete abbatissa invitatus & ab ejus loci sanctimonialibus, quæ tunc religiosissimam vitam ducebant. Rebus compositis, Romam reversus pontifex corpora sanctorum Pancratii martyris atque Sabinæ virginis iisdem dono misit, quæ Venetias advecta,

[b] Ital. Sac. to. 5. c. 1270.

in prædicto monasterio cum summo honore ac reverentia debita collocata sunt, ut Dandulus testatur.

ANN. CHR. 816.

XVII. Amalbergæ Brixiensi abbatissæ Gisla succedit.

Monasterium-novum sancti Salvatoris & sanctæ Juliæ apud Brixiam Italiæ civitatem administrabat adhuc initio hujus anni Amalberga abbatissa. Id patet ex diplomate [a] Ludovici secundi imperatoris, qui ad preces Gislæ dilectæ sororis suæ, & Amalbergæ monasterii-novi venerabilis abbatissæ, bona cujusdam Ermenaldi earum *commendati* confirmavit pridie idus Maii, anno imperii Ludovici in Italia septimo, indictione IV. Actum Brixia civitate, in monasterio-novo. Verum post quinque abhinc dies eadem Gisla imperatorem [b] adiit, eidemque significavit, quo pacto domnus ac genitor suus, bonæ memoriæ HLotharius augustus, idem monasterium diebus vitæ suæ ipsi obtinendum commisisset, ut juxta regulam & institutionem sancti Benedicti illud cum aliis monasteriis, xenodochiis ac villis ei subjectis, gubernaret, teneret, ac disponeret. quod a Ludovico fratre confirmari petiit, obtinuitque. *Data* XIV. *kalendas Junii, anno, Christo propitio, imperii domni HLudovici gloriosissimi augusti in Italia* VII. *indictione* IV. *Actum Brixia civitate, monasterio-novo.* Hoc diploma Plato notarius recognovit; illud Werimboldus notarius, uterque ad vicem Dructemiri.

a Bull. Casin. to. 2. p. 28.
b ibid.

XVIII. Bassacio abbati Casinati suffectus Bertarius.

Paullo ante Bassacius Casinensis abbas, post regiminis annos octodecim, humanis rebus exemtus est, videlicet XVI. kalendas Aprilis, & juxta ecclesiam sancti Benedicti, in ipso capitulo fratrum honorifice humatus. In ejus locum Casinates Bertarium ejus discipulum subrogarunt, virum sanctum & litteris insignem. Hic pericula monasterio imminentia reformidans, monasterium superius muris, turribusque firmissimis in modum castelli munivit, atque opidum ad crepidinem montis circa monasterium Salvatoris instituit. quod sancti Benedicti civitatem vocavit, a posteris sancti Germani vocabulo insignitum. Multa ecclesiæ ornamenta ab hoc abbate concessa: evangeliorum codex auro ac gemmis adornatus, calix aureus, aliaque id genus non pauca. Nec inanis fuit ejus eruditio, quam relictæ ab eo lucubrationes, tractatus, sermones, versus de sancto Benedicto, aliique testantur. Eidem etiam tribuitur a Leone Marsicano ac Petro diacono *liber anticimenôn*, de quibusdam locis scripturæ in speciem pugnantibus: quod rectius Juliano episcopo tribuit Felix Toletanus in appendice ad librum Isidori de viris illustribus. Leoni & Petro fucum fecit distichon eidem opusculo adscriptum in codice Casinensi, quem Bertarius tantum describi curavit.

Bertarius, Christi fultus juvamine sanctus
Presbyter, hunc librum condere jussit amans.

Exstant in Casinate bibliotheca veteres monasterii ritus recepti sub Bertario abbate, in quibus jejunia ecclesiastica æstatis tempore ad nonam, alio tempore ad vesperam usque protenduntur, quæ in primi voluminis appendice [c] retulimus. Variæ donationes Casinatibus Bertario abbate factæ leguntur in chronico Casinensi [d]; ubi [e] Hilarius diaconus & monachus hujus monasterii in ecclesia Teanensi post Lupum seu Lupoaldum episcopum ordinatus perhibetur. Non omittendum id, quod hoc loco scribit ignotus Casinensis de bonæ memoriæ Aloara, conjuge Landonis comitis Capuani, quæ una cum Surano medico ita Casinatibus benefica erat, ut toto mense Maïo stipendiis collatis fratres aleret. Paullo post idem auctor tradit, a Landone comite juvante, ancillarum Dei monasterium Teani conditum fuisse.

c Annal. Bened. to. 1. p. 704.
d Chron. Casin. lib. 1. c. 34.
e c. 35.

XIX. Ofilo abbas Samonensis.

In Asturiis post mortem Fatalis episcopi & abbatis, cum Samonense monasterium ruinæ proximum esset, illud instaurandum aggressus est Ofilo abbas, favente Ordonio rege, qui locum ei ad habitandum concessit. Is Maurorum persecutionem fugiens, e Cordubensi provincia in Asturias seu Galliciam se receperat cum Vincentio presbytero & Maria sanctimoniali, quidquid supellectilis & librorum potuerant, secum asportantes. Eorum sortem miseratus Ordonius, Samonense monasterium eis renovandum concessit; tantaque fuit Ofilonis apud regem existimatio, ut vicinorum monasteriorum ac presbyterorum curam ei commiserit, statuto hac de re edito, cujus hæc verba sunt: *Ordinamus tibi de calendis in calendas facias collationes per omnia ipsa monasteria in territorio illo, & pravide vitam illorum, & ipsas collationes regulariter perage.* & infra: *Ut omnes sacerdotes, qui per monasteria*

Collationes presbyterorum in monasteriis.

ANN. CHR. 856.

vel in ipso circuitu sunt, ad vestram veniant collationem, vel consilio, vel licentia tibi persolvimus, ut habeas potestatem stirpare vitia, & ipsos sacerdotes regulariter regere. quæ quidem satis probant, Ofilonem virum fuisse pium juxta & eruditum. Ejusmodi collationes jam præscripserat sanctus Fructuosus in regula communi. Non diu post Ofilonem integrum stetit Samonense monasterium, quod Ordonii secundi principatus anno tertio instauratum est.

ANN. CHR. 857. XX. Parisiorum clades a Normannis.

Anno insequente versatiles & mobiles Aquitani jam a Carolo juniore deficiunt ad Pipinum, qui, Danis seu Nortmannis sibi adjunctis, Pictavos, aliaque Aquitaniæ loca devastat. Interim Nortmanni ab Oscello insula Sequanæ supra Rotomagum, ubi præsidium exstruxerant, iterum effusi, v. kalendas Januarias Luteciam-Parisiorum invadunt, sacra & profana omnia diripiunt, basilicam sancti Petri seu sanctæ Genovefæ incendunt, ceterasque omnes, *præter domum sancti Stephani*, id est cathedralem ecclesiam, præterque basilicam sanctorum Vincentii & Germani, & Dionysianam: quibus redimendis multa solidorum summa soluta est, ex annalibus Bertinianis. De hac funestissima clade agens Adrevaldus [a] noster: *Quid Lutecia*, inquit, *Parisiorum nobile caput, resplendens quondam gloria, opibus, fertilitate soli, incolarum quietissima pace, quam non immerito regum divitias, emporium dixero populorum? Num magis ambustos cineres, quam urbem nobilem potis est cernere?* Verum quod ille paucis, eadem fusius prosequitur Aimoïnus Pratensis monachus, & ipse testis oculatus, in libro secundo de miraculis sancti Germani Parisiorum episcopi, cujus corpus iterum Cumbas, tum in vicum Senonensis pagi Acmantum; inde in villam Novigentum-Artaldi ad Matronam, quæ ejus possessiones erant, tunc deportatum est. Sic vero Aimoïnus de illa Parisiorum clade. *Redimebantur ergo*, inquit, *omnia in circuitu vicina monasteria, ne illorum sævitia impositis ignibus cremarentur; studebantque præter ea vicissim equis, quatenus aliquos nobilium, gratia pecuniæ, capere possent. Unde, veluti ex mitissimi viri domni HLudowici abbatis redemtione, non modicum & incomparabile acquirebant lucri negotium.* Parisinos nihil tale cogitantes comprehensos fuisse tradit idem auctor, aitque barbaros monasterium sancti Germani ipso paschalis festivitatis die, quod jam ante annos decem fecerant, invasisse: ubi fratres viginti, qui ipsum monasterium custodirent, restiterant, ceteris cum sancti patroni sui corpore alio profectis. Itaque, viginti illis monachis *orto jam crepusculo paschalis sacrosanctæ festivitatis officium celebrantibus*, adsunt Nortmanni, qui parasceves die equis ascensis iter arripuerant, ut ocius venirent. Hos tamen quidam e nostris, conscensis itidem equis, eorum adventum nuntiaturi prævenerant. verum, fratribus ad tale nuntium incredulis, divinasque laudes nihilo secius prosequentibus, barbari confestim superveniunt, fratresque in ecclesia psallentes circumsistunt. Mox clausæ in eorum oculis ecclesiæ fores; fratresque alii in latibula & in puteos se absconderunt; alii, ante enudatos hostium gladios, quasi illi divinitus occæcati essent, illæsi transierunt. tantum prænuntii, & quidam in circuitu & in medio monasterii ex familiaribus interfecti, cum uno e fratribus, qui in equi cursu salutem posuerat. Omnibus sic dissipatis, ecclesiam ac monasterium diripiunt prædones, ac cellario fratrum ignem supponunt, ipsis recedentibus mox exstinctum a fratribus, qui in latibula confugerant, & ab opidanis.

XXI. Radberti hac de re lamentatio.

Funestam hanc cladem luget Paschasius [b] Radbertus libro quarto in Lamentationes Jeremiæ. *Quis umquam*, ait, *crederet, vel quis umquam cogitare potuisset, quod accidere tale aliquid potuisset in nostris partibus, quod transcurso tempore omnis accidisse conspeximus, doluimus ac deflevimus, & valde pertimuimus; unde & adhuc hodie non minus pertimescimus, ut piratæ diversis admodum collecti ex familiis, Parisiorum attingerent fines, ecclesiasque Christi hinc inde igne cremarent circa litus? Quis umquam, quæso, crederet, quod latrones promiscuæ gentis umquam talia auderent? vel quis æstimare potuisset, quod tam gloriosum regnum, tamque munitum & latissimum, tam populosum & firmissimum, talium hominum humiliari vel fœdari sordibus deberet? Fateor enim, quod nullus ex regibus terræ ista cogitaret, neque ullus habitator nostri orbis audire potuisset, quod Parisium nostrum hostis intraret.* Id porro idem Paschasius ait accidisse propter peccata populi, propter iniquitates sacerdotum & principum, qui tamen ad pœnitentiæ lamenta non confugiebant. *Ergo*, inquit, *desævit gladius barbarorum, evaginatus ex vagina Domini: & nos, miseri, torpentes vivimus inter*

a *Adrevald. mirac. S. Bened. c. 33.*

b *Paschas. c. 1506. & seqq.*

ANN. CHR. 857.

tam immania barbarorum mala, inter tam crudelium civium bella, inter diripientium prædas, inter seditiones & fraudes: sed quotidie ad majora exardescimus scelerum mala. Hinc patet, post hanc cladem scriptam fuisse a Paschasio expositionem in Threnos, quam quinque libris *Seni Odilmanno Severo*, consodali suo, nuncupavit, *multo longoque*, ut ipse ait, *confectus senio:* ut vel sic animum emolliret ad gemitus & lacrymas, quibus ante actæ vitæ peccata dilueret. Forte hic Severus unus est ex interlocutoribus, quem Paschasius adhibet in libro primo de epitaphio Arsenii seu Walæ: qui jam mortuus erat, cum secundum librum aggressus est Paschasius, ut initio libri secundi testatur. atque adeo hic liber scriptus est post libros quinque in Threnos, quos eidem Severo, si tamen idem esse censeatur, inscripsit.

XXII. Turones & Carnutæ a Normannis infestati.

Consimilem stragem edidit ex parte Ligeris alia turma Nortmannorum, qui Turones & circumjacentia loca usque ad Blisum * castrum deprædati sunt. Iidem ad urbem usque Carnutum progressi, opido capto, cæsisque aut fugatis opidanis, ingentem urbi vastitatem intulerunt. Inter hæc Frotbaldus episcopus, insequentibus Danis, pedibus fugiens, dum fluvium Auduram * natando trajicere conatur, aquis interceptus perit. Ita scribit annalista Bertinianus ad hunc annum, præferendus forte necrologio Carnutensi, in quo id factum dicitur anno insequenti: quo anno *a paganis Sequauensibus* magna cædes Carnotis facta legitur: interemti Frotboldus episcopus, Stephanus presbyter, Titulfus presbyter & monachus, aliique permulti. Tunc sine dubio suprema vastitas imposita est suburbano sancti Petri monasterio, quod Elias pseudepiscopus jam ante aliquot annos magna ex parte diripuerat, ut superius [a] vidimus. Veri simile est, Titulfum ejus loci monachum fuisse, aut certe proximi cœnobii S. Carauni, si non Bonæ-vallensis. Quamquam fere in solitudinem ab Elia redactum jam erat sancti Petri monasterium, cujus cœnobitæ ad sancti Germani cœnobium Autisiodorense commigraverant. Reversi postliminio monachi, oratorium sancti Benedicti insederunt: quorum inopiam Gislebertus præsul relevare pro virili sategit. ac, perseverante miseria, locus ad paucos redactus clericos, dein ab Aganone episcopo auctus, demum a Ragenfredo antistite in pristinum restitutus est monasticum statum, in quo hactenus feliciter persistit.

* *Blois.*
* *L'Eure.*
a *lib.* 32. *n.* 12.

S. Petri monasterii status.

XXIII. Sanctorum translationes.

Tunc ipsis sanctis a facie furentium paganorum sedes mutare necesse fuit. quod de sancto Germano Parisiorum episcopo factum mox vidimus. Idem de sanctis Maglorio episcopo, ac de sancto Filiberto abbate accidit: quorum alter in monasterium Leonense, dein Parisios; alter Conaldum * translatus, qui locus est in pago Andecavensi ad fluvium Ligerim, quem Carolus Herensibus monachis ad refugium concesserat, antequam urbs Andecavorum a barbaris caperetur. Perstiterat ad id tempus sancti Filiberti corpus ad solatium accolarum in monasterio Deensi, licet a Nortmannis incenso. Verum Herenses palabundi, tanto patrono se orbatos esse non ferentes, primum hoc anno illud Conaldum secum detulerunt; dein Mesciacum, quæ villa est pagi Pictavensis, Herensibus a Carolo rege concessa. Quam diu illic substiterint, incertum. Eisdem palabundis post aliquot annos idem princeps abbatiolam sancti Porciani contulit, ac demum abbatiam sancti Valeriani apud Trenorchium, ubi deinceps constiterunt.

* *Conan.*

XXIV. Heribaldo episcopo Autisiodorensi succedit Abbo abbas.

Hunc annum non videtur prætergressus Heribaldus Autisiodorensis antistes, qui annos triginta-tres eam ecclesiam rexisse traditur, mortuus VII. kalendas Maias, atque, ut ipse petierat, sepultus honorifice in basilica sancti Germani, cujus altare vivens argentea tabula decoraverat, calice argenteo eidem concesso. Hunc excepit Abbo ejus frater, & abbas sancti Germani regularis, cui Hincmarus Remorum pontifex scripsit [b] *pro Heribaldo præsule defuncto, qui cuidam fratri apparens, admonuit de eleemosyna & oblationibus pro se offerendis.* Idem in posteriori opere [c] contra Gothescalcum, quod anno ejus sæculi quinquagesimo-nono ab ipso compositum est, Heriboldum *venerandæ memoriæ* appellat. Ejus commemoratio in necrologio ecclesiæ Autisiodorensis habetur in hæc verba ad septimum kalendas Maii: *Obiit domnus Eribaldus episcopus, qui dedit, ad vestimenta fratrum*, id est canonicorum, *emenda Condidam villam cum suis appendiciis, & abbatiolam sancti Remigii cum vineis, corticano videlicet & plantis; & ad stipendia ipsorum dimidium Maximiacum, hoc est mansos* XXI. Nihil de eo in martyrologio ejus ecclesiæ ab annis sexcentis scripto, cui ad dies singulos necrologium insertum est. Ejus corpus casula involutum e tumulo levatum ab illustrissimo Dominico Seguerio episcopo anno

b *Flod. lib.* 3. *c.* 21.
c *Hincm. c.* 6.

ANN. CHR. 857.

M DC XXXVI. Abboni ejus fratri ac fueceſſori duos tantum epiſcopatus annos cum menſibus decem tribuit hiſtoria epiſcoporum Autiſiodorenſium apud Labbeum: ubi mortuus dicitur III. nonas Decembris, atque in eccleſia ſancti Germani honorifice humatus: quo die in necrologio nudum ejus nomen legitur. In detectione ſepulcrorum ab eodem Dominico facta inventum eſt unum Abbonis creditum, in quo jacebat *corpus cilicio indutum, ſuperpoſito habitu monachali, quem nunc floccum vocant.* Abboni ſuffectus eſt in epiſcopatu Chriſtianus, non confundendus cum ejus nominis abbate ſancti Germani, quem principatu Ludovici Pii floruiſſe [a] vidimus.

a *Lib.* 31. n. 30.

XXV. S. Germani abbates.

Quis in regimine monaſterii ſancti Germani Abboni ſucceſſerit, non facile dixerim. In vulgatis indicibus ei ſubſtituitur Hugo filius Conradi comitis, quem etiam ejus loci abbatem fuiſſe recentiores exiſtimant. Benefactorem agnoſco, non abbatem. Si conjecturis indulgere licet, crediderim Abbonem cum epiſcopatu retinuiſſe monaſterii regimen, qui mos tunc erat haud infrequens in abbatibus regularibus, ad epiſcopalem dignitatem aſſumtis; eoque mortuo, abbatiam ceſſiſſe Lothario Caroli regis filio, poſt qoem Hugo Conradi filius eam obtinuerit..

XXVI. Foſſatenſes abbates.

Ad hunc annum pervenit Einardus ſeu Eginardus abbas Foſſatenſis, ut patet ex litteris tabularii ejus monaſterii, quibus a Carolo rege confirmatur permutatio facta inter Hermentrudem reginam & Einardum abbatem, datis XVII. kalendas Januarias, Caroli regis decimo-octavo. Einardo ſucceſſiſſe videtur Godefredus, *& ordinis dignitate, & perfectioris vitæ ſanctitate venerandus abbas Foſſatenſis monaſterii, qui prolixiori tempore ſub regimine ſanctæ recordationis Theodradi in eodem deguit cænobio*, ut loquitur Odo abbas in libro de everſione & reſtauratione monaſterii Glannafolienſis. Godefredo abbati & monaſterio Foſſatenſi rex Carolus quamdam poſſeſſiunculam in pago Remenſi refugii cauſa propter Nortmannorum perſecutionem donaſſe dicitur in libello de vita Burchardi comitis: ubi corpus ſancti Mauri *multis annis* conſervatum fuit. Hæc poſſeſſio non alia eſt quam Floriacus in agro Remenſi, notatus in polyptycho Foſſatenſi, edito in appendice capitularium. Quamquam quo tempore ſancti Mauri corpus illic conſervatum fuerit, necdum nobis compertum. Godefredo dein ſucceſſit Odo, ſcriptor tranſlationis & miraculorum ſancti Mauri, inferius commemorandus.

XXVII. Figiacenſes item & Conchenſes.

Apud Cadurcos Figiacenſem abbatiam cum Conchenſi per id tempus regebat Girardus, cognomento Regularis: poſt quem Radulfus, ejuſdem loci monachus, curam paſtoralem in utroque monaſterio accepit, qui Caroli regis decimo-ſeptimo anno miniſterium ſuum impleviſſe, ſepultuſque Figiaci quieſcere traditur. Hic *de honore ſeu* facultatibus Figiacenſis monaſterii tantum diſtraxiſſe invenitur, ut uni ſoli, ſcilicet *ſeniori* ſeu domino Calmontenſi, ſexaginta eccleſias cum quingentis manſis tradiderit, ea tantum conditione, ut ex eis nulli alteri loco donationem faceret; &, cum exigeret neceſſitas, abſque alio ſtipendio, abbatis ſuorumque bella prœliaretur. Radulfo ſucceſſit in utroque regimine Adalardus, qui deſcribendorum librorum ſtudioſiſſimus fuit, ut multa volumina teſtantur, quorum initio ac fini ejus nomen adſcriptum erat. Hunc ſecutus eſt Geraldus, ſub quo Conchenſis abbatia diviſa eſt a Figiacenſi. Hæc ex anonymi hiſtoria [b] Figiacenſi: cui non omnino tuta fides, ubi ait, eumdem tunc Conchenſis monaſterii, qui Figiacenſis erat, abbatem exſtitiſſe. Conſtat quippe ex Aimoïno in libello de ſancti Vincentii tranſlatione, cujus ſummam [c] ſuperius retulimus, Blandinum apud Conkittas ſeu Conchas abbatem fuiſſe anno ejus ſæculi quinquageſimo-quinto, quo de hac tranſlatione agi cœptum eſt.

b *Baluz. to.* 2. *Miſcel. pag.* 299.

c *Lib.* 34. n. 93.

XXVIII. Lotharii regis divortium ab uxore.

In regno Lotharii enorme ſcandalum hoc anno cœpit oriri ex divortio Lotharii regis a Thietberga uxore: qua repudiata, ille concubinis, in primis Waldradæ adhæſit, quæſito colore ex falſo crimine Thietbergæ, quaſi hæc flagitium olim ab Hucberto fratre paſſa fuiſſet. Nec defuere poſtea epiſcopi, qui regiæ libidini & inſanis amoribus aſſentarentur: in quibus primas tenuere Guntarius Colonienſis, & Teutgaudus Trevirenſis metropolitani. Paullo ante hunc annum Guntarius Colonienſi impoſitus eſt cathedræ, quæ vacua erat ante annos decem, cum Bremenſis eccleſia ejus ſuffraganea in metropolim erigeretur, unireturque cum Hammaburgenſi in gratiam Anſcharii epiſcopi: in cujus actis *diuturna* hæc vacatio fuiſſe dicitur. Ordinato demum in illa metropoli Guntario, Anſcharius apud eum ſatis

Guntarius Bremenſis metropolis erectioni ægre conſentit.

ANN. CHR. 857.

egit, ut hanc erectionem auctoritate sua confirmaret: cui primum ille consensum denegavit. Agitata dein hæc causa hoc anno coram duobus regibus, Ludovico & Lothario, in conventu Wormatiensi, cui Anscharius noster interfuit. Cum hæc erectio ab omnibus probaretur, unus obsistere pergebat Guntarius, ecclesiæ suæ honorem imminui non ferens. Tandem universis episcopis, ipsisque regibus rogantibus assensit, si modo apostolica id auctoritate firmaretur. quod postea Nicolaus pontifex comprobavir.

XXIX. Hildegardis abbatissa Turicina obit.

Hoc ipso anno Hildegardis virgo, Ludovici Germaniæ regis filia, quam Turicino * parthenoni primam a patre abbatissam præpositam fuisse vidimus, supremum vitæ diem absolvisse dicitur in brevi chronico Weingartensi, cujus hæc verba sunt: *Anno* DCCC LVII. *serenissimi HLudowici regis filia Hiltigart obiit.* Diem signat vetus codex sancti Galli, in quo etiam ejus refertur epitaphium, præmisso hoc elogio: x. *kal. Januarii Hildegarda virgo Christi, & domni HLudowici regis filia, de hoc sæculo migravit ad Christum, & humata est in ecclesia sancta Regulæ & Felicis martyrum Christi in castello Turego* *. Sic habet ejus epitaphium:

* *Fravenmunster.*

* *Zurich.*

Hoc jacet in tumulo Christi dignissima virgo
Hildegarda, nitens moribus egregiis.
Hæc fuit eximii HLudowici filia regis.
Mentem sponte suam voverat illa Deo.
Bis denos octo vita compleverat annos,
Migrans ad Sponsum virgo beata suum.

Hildegardæ nihilo minus obitum ad finem sequentis anni differendum suadet Ludovici ejus parentis diploma pro Tigurino parthenone, cui, ad postulationem dilectissimæ filiæ suæ Hildegardæ, curtem suam, quæ vocatur Chama, sitam in du- « catu Alamannico, pago Turgaugensi, cum universis adjunctis confert pro serenis- « simi imperatoris avi sui Caroli animæ remedio, atque præstantissimi HLudowici « augusti genitoris sui, proque sua, suæque conjugis æterna mercede: ita ut deinceps « in perpetuum *sanctimonialium feminarum, sub regulari forma degentium, vita, conversatioque monasterialis monastico cultu instituatur*, ac sanctis martyribus Felici ac Regulæ debitus honor exhibeatur. Integrum hac de re diploma refert Conringius « in censura diplomatis [a] Ludoviciani. Data XVI. kalendas Maii, anno XXVI. regni HLudowici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, indictione sexta. Actum in villa Frankonofurt palatio regio, quod anno sequenti convenire patet ex his, quæ alias [b] diximus de notis chronicis ipsius regis Ludovici. Hildegardæ in parthenonis regimine successit Berta ejus soror, cui Carolus Crassus imperator cudendæ monetæ facultatem, quæ nonnisi locis nobilioribus, & quodam peculiari privilegio concedebatur, indulsisse fertur. Hinc Tiguri adhuc reperiri [c] dicuntur antiqui nummi, quibus una facie vultus mulieris velatæ, altera scriptum *Carolus imperator* cernitur. Eadem Berta corpora sanctorum martyrum Regulæ & Felicis transferri, utque anniversario festo tota regione celebrarentur, Constantiensis episcopi auctoritate & Caroli edicto impetravit. Confer quæ de hoc parthenone, ejusque abbatissis superius [d] diximus.

a *Conring. p. 367. & seqq.*

b *Lib. 33. n. 30.*

Berta succedit.

c *Guillimann. lib. 3. rer. Helvet.*

d *Lib. 34. n. 67.*

XXX. Ludovici regis litteræ pro Altaha.

Itidem rex Ludovicus duo diplomata hoc anno concessit Otgario abbati Altahæ-inferioris, qui ante biennium Gozbaldo episcopo & abbati suffectus fuerat. Primum diploma est regiæ immunitatis ac tutelæ eidem loco indultæ exemplo Caroli augustissimi imperatoris, & Tassilonis quondam Bajoariæ ducis. *Data* XI. *kal. Maii, anno* XXV. *regni HLudowici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, indictione quinta. Actum in villa Potamo* ad lacum Acronium. quod diploma Hildebrandus notarius ad vicem Grimoldi archicapellani recognovit. Alterum est, quo idem princeps rogatu Eginulfi fidelis sui quasdam res proprietatis suæ donat Altahæ monasterio, cui Otgarius abbas & rector præerat. Data XV. kal. Septembris, anno itidem vicesimo-quinto Ludovici in orientali Francia regnantis, indictione ipsa quinta. Actum in civitate Ratispona. quod diploma Cointius perperam ad ejus sæculi annum quadragesimum-primum refert, ut patet ex his, quæ alias de Ludovici regis epocha diximus.

ANN. CHR. 857.
XXXI.
S. Bartholomæi monasterium Ferrariæ.
a Ital. Sac. to. 2. c. 537. & seqq.

Sub id tempus Ferrariæ in Italia sancti Bartholomæi monasterium exstrui cœptum. Factum Ughellus[a] hoc modo narrat. Cum Ferrariensi ecclesiæ præsideret Viator episcopus, Ludovicus imperator, eo nomine secundus, Othoni primo Estensi domino Comaclum urbem, in Adriatici maris paludibus sitam, cum ejus comitatu tradidit, ejusque possessionem iniit Marinus, ipsius Othonis ex Lada uxore filius. Hujus urbis possessio, quæ facile muniri propugnaculis, ac portu commodissimo instrui poterat, ad quem per Padi alveum omnia mercium genera ex tota Insubria convehi possent, tantam æmulationem vicinis Venetis injecit, ut felicibus Estensium progressibus obsistendum, & Comaclum invadendum duxerint, ne forte Estenses Adriatici maris imperium sibi demum vindicarent. Missus proinde Romam ad Benedictum a Veneto duce Badoarius nepos, ut Comaclensem comitatum a pontifice postularet. Qua re percepta, Marinus Badoarium in itinere commissa pugna vulneratum comprehendit: ac sacramento obstrictum, se illam injuriam armis numquam ulturum, dimisit. Badoario ex vulnere mortuo, Veneti, exstincti simulque rei publicæ ulturi injuriam, Comaclum armis adoriuntur, captum evertunt; actumque de Marino fuisset, ni Padum tranando, insequentium manus effugisset. Is dein Ferrariam se recipiens, die festo sancti Bartholomæi in suburbanam ejusdem sancti ecclesiolam profectus, ibidem genitricem reperit orantem, quæ natum ut mortuum lugebat. Hanc ecclesiolam tum incolebat Sabinus nobilis Ferrariensis, sanctitate conspicuus, qui se ex hominum commercio subduxerat, ut divinis rebus animum liberius applicaret. Lada itaque, reperti filii occasione lætior, ibidem monasterium erigere cum episcopi permissu decrevit, ejusque fundamenta jecit. Marinus inter ea in Gallias, ut auxilium adversus Venetos eliceret, profectus, e vita discessit: nec diu mater filio superstes, imperfectum opus reliquit. quod nihilo minus Sabinus, subsidia conferentibus quatuor sacerdotibus, Ursone, Petro, Desiderio, alteroque Ursone adolescente, Vitalis Leuti filio, nobilibus Ferrariensibus, qui se illi socios adjunxerant, ad fastigium perduxit. Ejus loci ecclesiam post septem exinde annos Viator episcopus idibus Aprilis dedicasse traditur, tumque monasterium Ludovicus imperator, ejusque monachos, Sabinum scilicet, Ursonem, Petrum, Desiderium atque alterum Ursonem mox dictos, cum omnibus rebus ac possessionibus, quas illi novo monasterio contulerant, sub suæ protectionis mundeburdio accepit anno ejus sæculi sexagesimo-nono. Primarios quatuor hosce viros unus tumulus excepit; multique alii viri illustres, in primis Gothifredus Estensis, Azonis & Hildegardis filius, ex abbate Brixiensis sæculo decimo episcopus, floruere in eodem monasterio, quod demum ad Cistercienses translatum est. Dubitare licet, num ante id tempus monasterium exstiterit eo in loco, ubi *quondam antiqua ejus structura* fuisse dicitur in litteris Ludovici imperatoris, quas apud Ughellum invenies.

ANN. CHR. 858.
XXXII.
Benedicto papæ suffectus Nicolaus I.

INitio anni sequentis Ludovicus imperator Romam adiit, Benedictum papam de quibusdam rebus ecclesiæ opportunis consulturus. Vix pedem ex Urbe extulerat, cum Benedictum ipsum pontificem VI. idus Aprilis mortuum esse accepit, moxque urbem, ut novi pontificis electioni ac consecrationi interesset, repetiit. Electus est in Benedicti locum non magis communi cleri & populi suffragio; quam Ludovici favore Nicolaus diaconus cardinalis, quem propria merita pontificatu dignum jam pridem reddiderant. Primus ejus nominis pontifex, ingentibus factis Magnus dici meruit. Præcipua factorum ejus materia & occasio fuit Lotharii cum Thietberga divortium, schisma Photianum, Rothadi Suessionensis episcopi cum Hincmaro metropolitano discidium, conversio Bulgarorum, aliaque nonnulla, de quibus in consequentibus dicendi subinde locus erit. Singulare est quod de eo apud Anastasium legitur, nempe ipsum fecisse in Constantiniana basilica Salvatoris cruces ex argento purissimo, *quæ pendent ante figuram substantiæ carnis ejusdem Domini nostri Jesu-Christi.* Idem monasterium fecit in cœmeterio sancti Sebastiani ad Catacumbas, ubi sanctorum apostolorum Petri & Pauli corpora jacuerant, ibidemque monachis sub abbatis regimine congregatis necessaria stipendia suppeditavit.

XXXIII.
Ludovicus abbas a Nortmannis captus cum Gauzlino fratre.

In Gallia Nortmanni Sequanæ insulam, Oscellum dictam, occupare pergebant, exque ea idemtidem excursiones in finitima loca faciebant. Ex his dum Berno dux eorum cohortis Carolo regi Vermeriæ fidelitatem jurat; alii prædabundi hac illacque

ANN. CHR. 858.

que discurrentes, Ludovicum abbatem monasterii sancti Dionysii cum fratre ejus Gauzlino abbate sancti Germani capiunt, proque eorum redemtione *gravissimam multam imponunt*, ut in annalibus Bertinianis legitur: cui solvendæ multi ecclesiarum thesauri exhausti; immo, his non sufficientibus, a Carolo rege, omnibusque episcopis, abbatibus, comitibus, ceterisque optimatibus, multa ad prædictæ summæ supplementum collata sunt. His annalibus consentit ejus temporis scriptor vitæ sancti Faronis, qui ait tantum auri atque argenti expensum pro Ludovici abbatis redemtione, ut non modo universæ regni ecclesiæ, sed etiam ipsa Roma suis se ornamentis, opibusque spoliatam sentiret. Certe ex parte sancti Dionysii datæ sunt *ex auro sexcentæ octoginta quinque libræ, ex argento tria millia ducentæ quinquaginta*, præter vassallos, eorumque uxores ac liberos, ut legitur ad calcem Aquisgranensis regulæ canonicorum in codice sancti Nicasii Remensis, ab annis octingentis exarato. Hanc injuriam jacturamque reparaturus Carolus rex, Oscelli præsidium obsidere mense Julio, & impugnare aggreditur, eique se adjungit Carolus ejus filius, adducto ex Aquitania Pippino jam laïco, cui comitatus ac monasteria in Aquitania concessit. Eodem etiam Lotharius rex patrui auxilio accessit. Ad kalendas Octobris protracta obsidio est, sed re infecta discessum.

XXXIV. Ludovici regis in Caroli regnum irruptio.

Interim Ludovicus Germaniæ rex, comitum ex regno Caroli invitatu per quinque annos sollicitatus, in Caroli fratris regnum irrumpit, Pontionem villam regiam venit, atque hinc per Catalaunos & Cupedenses usque Agendicum-Senonum, ac demum in Aurelianensem pagum progressus, inde ad Cupedenses remeavit. His compertis, Carolus per Catalaunos cum Burgundiæ primoribus occurrit. Verum in procinctu pugnæ desertus a suis, recessit pridie idus Novembris, & in Burgundiam se recepit. Ludovicus vero, iis receptis, qui a Carolo defecerant, Augustam-Trecorum adit, ibique comitatus, monasteria, villas regias, aliaque partitus his, qui se invitaverant, Attiniacum venit, ubi eidem rex Lotharius occurrit, fœdus cum eo renovaturus. Pactionibus initis, Ludovicus per urbem Remorum & Laodunensem pagum profectus est Augustam-Veromanduorum; ibique in cœnobio sancti Quintini martyris dominicæ nativitatis festum celebravit.

Episcoporum ad eum monita.

Inter ea episcopi provinciarum Remensis & Rotomagensis, quos Ludovicus ad septimum kalendas Decembris Remos convenire præceperat, Carisiaci congregati eidem in Attiniaco palatin consistenti rescribunt, se ad illud placitum occurrere non posse, tum propter incommoditatem & brevitatem temporis, tum propter inconvenientiam loci, & maxime propter confusionem tumultus exorti; eumque hortantur, ut fraternæ caritatis & pactionum initarum memor, male erepta relinquat & corrigat, ecclesias restauret, earumque privilegia intemerata custodiat, monasteriis ablata electionis jura restituat. quod Carolus ejus frater divina inspiratione, sacerdotumque & sedis apostolicæ admonitu facere jam cœperat; rectores ac rectrices monasteriorum secundum pristinum ordinem & habitum suum vivere curet; hospitalia peregrinorum, in bis Scottorum, conservare in suo statu studeat, aliaque multa in hunc modum. His commotus Ludovicus, episcopalibus monitis parere satégit; eique anno insequente indulgentia in synodo Mettensi ab episcopis concessa est. Huc spectare videtur Hincmari epistola ad Grimoldum abbatem sancti Galli, a Frodoardo [a] memorata, qua eum rogat, ut regi Ludovico suadeat, ne perversorum credens consiliis talia ulterius committat, qualia contra fratrem suum Carolum tunc egerat.

[a] *Frod. lib. 3. c. 24.*

XXXV. Lupus S. Germani monachis ob hospitium gratias agit.

Dum Carolus Burgundiam peragrat, Autisiodorum venit, comitante ipsum inter alios Lupo abbate, qui in sancti Germani monasterio perhumaniter exceptus hospitio est. qua de re ejus loci monachis gratias agit [b] iis sane verbis, quæ ad commendationem caritatis monasticæ huc referre operæ pretium videtur.

[b] *Lup. ep. 116.*

Sanctis patribus, in monasterio beati Germani Deo excellenter militantibus, Lupus (cum) socia congregatione Ferrariensi copiosam in Domino salutem. Semper quidem in cœnobiorum nostrorum habitatoribus vera caritas viguit: sed numquam tam certis indiciis, ut nostro tempore, sui magnitudinem declaravit, ac in nobis, si quid præter solitum exercuisset, supprimendum videretur, ne immemoris beneficii exprobrationem not formare aliquis existimaret. De vobis liberum nobis est præsertim vera narrare ad divinæ laudis augmentum. Et quoniam confidentius experta asserimus, quam audita, a memetipso inchoandum decrevi, fidem propositioni facturus. Cum proximo autumno in-

ANN. CHR. 818.

*signis rex noster Karolus Autissiodorum venisset, & comitatus ejus proxima loca pene omnia occupasset, egentes hospitii, vos potissimum adeundos credidimus. Nec spe nostra falsi, officiose sumus excepti; &, publicum vestrum convictum regio famulatu nobis penitus adimente, quacumque hora elabi potuimus, nequaquam sensimus importunitatem nostram vobis oneri exstitisse. Postquam per carissimum propinquum Remigium, & gratissimum auditorem meum Fridilonem, sanctitati vestræ satisfecimus, ostendentes votum nostrum; quibus renisi non valebamus, mandata regis alio quam vellemus avertére. Discessuri, ne gratias quidem in conventu referendi copiam habuimus: quoniam moras omnes differenda legationis impossibilitas auferebat. Unde in hac parte memoratos amantissimos fratres vicem nostram implere obsecravimus, donec per nos id ipsum exsequi Divinitas largiretur. Ad hæc quæ supra retulimus, terrente prædonum improbitate, ornamenta ecclesiæ nostræ occultanda curastis, nec ad id præstandum inventi estis difficiles. quæ secum reputans dilectissimus frater noster S. & cum sibi, tum etiam pluribus aliis vestrum multa benigne collata recensens, impendente, ut metuebamus, ruina nostri loci, quam & nostra peccata, & piratarum vicinia minabantur, vos elegit, non apud quos peregrinaretur, sed intra quorum collegium admissus, vicarium loci nostri contubernium possideret. Verum id etiam alii postulaverunt, optantes, licet diversi, in monasteriis consistere, quam cum majore suorum parte in villa versari. Quamquam igitur Deus, incertum utrum sua pietate in perpetuum subversionem nostri monasterii removerit, an aliqua latente causa ad tempus distulerit: tamen prædictus frater, quod obtinendum conceperat, perseveravit flagitare. quod utinam, vobis annuentibus, consequatur, ne simili casu coactus, ulteriora compellatur sectari. Supplicamusque, ut eum apud vos consistentem pie foveatis: quia meorum laborum diu particeps fuit, & pro sua probitate ac strenuitate semper gratus omnibus, & universaliter utilis est judicatus. Præter ea vestræ sanctitati plurimum confisi, ausi sumus fratrem Bernegaudum, rudem adhuc monachum, roganti * vestræ paternitatis dirigere, vestræ voluntati obsecuturum, & in suo proposito perfectiorum exemplis atque doctrina studiosius confirmandum. Exiguitatis nostræ benigne memores optamus vos valere feliciter.*

* f. rogantem.

XXXVI. [a] Carolus Autissiodori S. Germanum invocat.

Carolum regem, postquam desertus a suis, cedendum tempori arbitratus est potius, quam suo & rei publicæ dispendio tentandam prœlii fortunam: dein ad divinum se præsidium contulisse, ejusque rei gratia beati Germani cœnobium adiisse testis est Hericus ejus loci tunc monachus. qui addit, eumdem principem, loci ac temporis opportunitate captata, sacri beati Germani translationem corporis absque dilatione perficiendam decrevisse: propterea quod & suæ reversionis incertus exsisteret, & conceptæ in sanctum devotionis officiis plurimum sibi roboris acquiri posse non dubitaret. quod quidem factum sit sancto epiphaniorum die anni insequentis. Ex quo intelligitur, ipsum diu Autissiodori moratum fuisse, nempe a mense Novembri ad insequentis anni initium; nec mirum proinde, si tam prolixas hospitibus suis gratias retulerit Lupus: qui per id tempus legatione, haud dubie ad Ludovicum regem, functus est. In eadem epistola Lupus prædonum nomine intelligit Nortmannos, qui anno superiori ab urbe Parisiorum usque ad pagum Senonensem excursiones fecerunt. quod in causa fuit, ut Ferrarienses ornamenta sua in Autissiodorense sancti Germani monasterium tulerint. Tunc temporis, teste Aimoino, contigit *terrore paganorum, ultra Parisius jam, & castelli Melidonis terminos excurrentium,* ut sanctissimum corpus beati Germani Parisiorum episcopi, a villa Acmanto, quo nuper delatum fuerat, ad villam Novigentum, super Matronam fluvium sitam, transferretur. Ceterum Remigius ille Lupi [b] propinquus alius est a Remigio monacho illo Autissiodorensi, Herici discipulo, a quo studia litterarum ad sæculum nonum propagata sunt.

[a] *Heric de mirac S Germ. lib. 2. capp. 8. 9. & 10.*

[b] *lib. 32. num. 57.*

XXXVII. Paschasii nova scripta de eucharistia.

Hoc fere tempore Paschasius Radbertus scribebat librum suum duodecimum in Matthæum, in quo nonnullos refellit, qui in sacramento eucharistiæ nescio quid novi fingebant, quasi non sit vera caro Christi, quæ celebratur in ecclesia, neque verus sanguis ejus, sed tantum quædam virtus carnis ejus & sanguinis. Hic vero liber vix ante id tempus scriptus dici potest. siquidem intermissum commentarium non nisi post abdicatam, ut vidimus, præfecturam, id est post annum octingentesimum quinquagesimum-primum, prosecutus est a libro nono. deinde opus iterum interruptum ab undecimo resumsit *inter confinia ultimæ vitæ*, ut ipse in ejus libri prologo loquitur. Jam vero commentationem illam absolverat, cum epistolam scripsit

ANN. CHR. 818.

ad Fredugardum, qui ipsum de quodam obscuro Augustini de eucharistia loco, de quo multi dubitabant, consuluerat. Locus est in libro tertio de Doctrina christiana, ubi Augustinus ait tropicam esse locutionem, *ut corpus Christi & sanguis esse dicatur* in eucharistiæ sacramento. Hunc porro locum, aliosque Paschasius explicat in epistola, quam *dilectissimo fratri & commilitoni Fredugardo* inscribit: *Paschasius senex*, inquit, *tuus & monachorum omnium peripsema.* Fredugardus sive Frudegardus non alius videtur quam Frithudagus, qui inter monachos Corbeiæ-novæ sub Warino abbate cum aliis recensetur. Principio excusat Paschasius, quod *quorumdam hospitum negotiis* occupatus, citius ejus mandatum exsequi non valuerit. Dein ait, cum « Christus de Eucharistia loquens, corpus & sanguinem suum esse dicat, non aliam « insinuasse carnem, quam propriam, & quæ nata est de Maria virgine, uti probat « demonstrative, dicens, *hoc* esse corpus suum, *hunc* esse sanguinem suum. Eam esse « beati Augustini sententiam, ex sermone ad neophytos, ubi ait, hoc accipi in pane, « quod pependit in ligno; hoc in calice, quod manavit ex Christi latere. Istud porro « sacramentum mysterium simul esse ac veritatem. Denique hanc esse sanctorum fi- « dem, *quamvis multi ex hoc dubitent, quomodo ille integer maneat, & hoc corpus Christi & sanguis esse possit.* In fine Fredugardum hortatur ad relegendum libellum suum de hoc sacramento, qui *ad intelligentiam hujus mysterii* plures commovisse dicitur; huicque epistolæ addat expositum suum de hac cœna in Matthæum: *quatenus ex his lectori amplius augeatur sensus, & confirmetur patrum auctoritas.*

XXXVIII. Paschasii quinam adversarii.

Ut multi, lecto Paschasii libro de corpore & sanguine Domini, *ad intelligentiam hujus mysterii* commoti sunt; ita e contrario nonnullis haud placuit quod dixerat, in eucharistia hoc ipsum corpus esse, quod natum ex est Maria virgine, quamvis eo modo locuti essent antiquiores patres, quorum testimonia tunc cuivis obvia non erant. sic enim loquuntur Ignatius in epistola ad Smyrnæos, Johanoes Chrysostomus in priorem ad Corinthios, Gregorius Nyssenus in oratione catechetica, Leo Magnus in epistola quadragesima, aliique, quorum ipsa verba referre nostri instituti ratio non patitur. Ceterum non eo sensu ad intelligentiam hujus mysterii plures commotos fuisse ait Paschasius, quasi hanc intelligentiam primum assecuti sint; sed quod ex hac lectione ad pleniorem penitioremque ejus cognitionem perducti fuerint. Eodem sensu de eodem libro, ejusque lectione sanctus Odo abbas Cluniacensis loquitur in libro secundo [a] Collationum, ubi, aliquot locis ex hoc libro relatis, ita subdit: *Hæc & alia multo plura Paschasius ex dictis patrum, ad reverentiam ipsius mysterii commendandam, atque majestatem ejus demonstrandam, conscripsit: quæ si quis, licet sciolus, legerit, tanta, credo, discet, ut de hoc mysterio parum se antea cognovisse putet.* Verum, ut multi ad ejus mysterii intelligentiam perducti sunt, ita fatendum est quosdam contra insurrexisse, & scripsisse adversus Paschasium, quasi huic divino sacramento nimium tribuisset.

[a] Odo lib. 2. collat. capp. 30. & 31.

XXXIX. Johannes Scottus.

Ex his unus fuit Johannes Scottus, qui librum hac de re scripsit, eumque Carolo regi nuncupavit. Qualem in eo libro doctrinam tradiderit Johannes, non ex propria ejus operis lectione, quod excidit ab eo tempore, quo in Vercellensi concilio igni traditus, est: sed ex aliorum ejus temporis scriptorum testimoniis licet colligere. De hoc intelligendus videtur Hincmarus in priori opere contra Gothescalcum, ubi Prudentium episcopum & Johannem Scottum erroris arguens, ita scribit in capite tricesimo-primo: *Sunt & alia, quæ, vocum novitatibus delectantes, unde sibi inanes comparent rumusculos, contra fidei catholicæ veritatem dicunt: videlicet, quod trina sit deitas: quod sacramenta altaris non verum corpus & verus sanguis sit Domini; sed tantum memoria veri corporis & sanguinis ejus: quod angeli sint corporales: quod anima hominis non sit in corpore: quod non aliæ pœnæ sint infernales, nisi tormentalis memoria conscientiæ peccatorum.* quæ postrema docebat Johannes Scottus in libris de naturis; secundum vero in libro de corpore & sanguine Domini, contra quem Adrevaldus Floriacensis monachus auctoritates patrum collegit de eodem argumento *contra ineptias Johannis Scotti.* Eumdem impugnat Paschasius libro undecimo in Matthæum, ubi redarguuntur *quidam novi assertores falsitatis,* qui male incautos decipientes, volebant adstruere, *nulla alia esse genera pœnarum, neque loca tormentorum, quam proprias conscientias hominum.* qui certe Johannis Scotti error erat in libris de naturis, ab Hincmaro mox notatus.

Alius ab Æthelingiæ abbate.

Non assentior iis, qui Johannem Scottum eumdem esse putant cum Johanne

ANN. CHR. 858.

Æthelingiæ abbate; certe nec aliis, qui librum de eucharistia, sub nomine Bertrami primum typis vulgatum, eidem tribuunt, quem Ratramni genuinum ac germanum fetum esse mihi persuasum est. Johannem Scottum a Johanne abbate tria in primis distinguunt, patria, gradus, & locus. Ille *Scottigena* fuit, teste Hincmaro, id est *genere Scottus*, uti explicat Nicolaus primus: hic vero *Ealdsaxo*, ex Assero in libro de gestis Ælfredi regis, id est ex genere antiquorum Saxonum, ut ipsum nomen indicat, & Asserus ipse interpretatur. Deinde Johannes Æthelingiæ abbas, presbyter & monachus fuit; nequaquam vero Johannes Scottus. Denique abbas ille ab Ælfredo rege in Angliam accitus est doctrinæ causa; non Johannes Scottus, qui in Francia videtur perseverasse.

XL. Ratramni liber de eucharistia.

Librum de corpore & sanguine Domini, qui sub Bertrami nomine primum prodiit in lucem, Ratramno Corbeiensi monacho asserunt veteres codices, Laubiensis ante annos septingentos exaratus, & Salemensis uno sæculo minor: in quibus libri duo de prædestinatione, quos Ratramni esse constat, simul cum prædicto libro conjuncti, compactique sunt; Carolo regi, ut ille, nuncupati. Certe in recensione librorum bibliothecæ Laubiensis, quæ anno M XLIX. facta est, adscripta leguntur hæc duo opuscula, scilicet *Ratramni liber de corpore & sanguine Domini liber I.* &, *ejusdem de prædestinatione Dei ad eumdem libri II.* qui proinde ante id tempus manu descripti erant. Consentit stilus in utroque opere æqualis & consimilis, non jejunus, non sophisticus, barbarusve aut græcizans, ut ille Scotticus. Denique ante annos septingentos hunc librum de corpore & sanguine Domini Ratramno adjudicavit Herigerus Laubiensis abbas, qui prædictum codicem Laubiensem præ oculis habebat; ne quid dicam de Sigeberto, qui eumdem librum Bertramo tribuit.

Duæ ejus partes.

Hujus libri duæ sunt partes. In priori expenditur, *an quod in ecclesia ore fidelium sumitur, corpus & sanguis Christi in mysterio fiat, an in veritate. id est, utrum aliquid secreti contineat, quod oculis fides solummodo pateat: an sine cujusque velatione mysterii hoc adspectus intueatur corporis exterius, quod visus mentis inspicit interius, ut totum quod agitur, in manifestationis luce clarescat.* uno verbo, an hoc sacramentum *nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat, sed ipsius veritatis nuda manifestatione peragatur.* Posterior pars est, *utrum* in eucharistia *ipsum corpus sit, quod de Maria natum est.* Hæc contra Paschasium pugnat, non illa prior, quippe qui dedita opera tum in libro suo, tum in epistola ad Fredugardum probat, hoc sacramentum veritatem simul esse & figuram; &, si quis contrarium dixerit, totum sacramentum dissipare ait. Non ergo Paschasium in illa priori parte aggressus est Ratramnus, sed forte Haimonem Halberstadensem, aliosque cum eo consentientes, qui, quemadmodum apud Græcos Johannes Damascenus, figuræ vocabulum ab eucharistia removeri volebant, ne veram Christi corporis præsentiam negare viderentur. In Haimonis sententia, *panis ille sacratus & calix* signa dicuntur, *non quantum ad carnem Christi & sanguinem, quod tamen quidam erronei, sensibus carnis omnino dediti, mente cæcati stolidissime putant. Jam enim*, inquit, *corpus & sanguis Christi non essent.* quippe *nullum signum est illud, cujus est signum; nec res aliqua sui ipsius dicitur signum, sed alterius. Corpus ergo Christi & sanguis sacramenta dicuntur, non sui ipsius, sed ad similitudinem sumentium.* Ex his intelligimus, tempore Haimonis, qui Rabani & Ratramni æqualis erat, hac de re controversiam fuisse in ecclesia Gallicana & Germanica, aliis dicentibus, panem & vinum consecratione facta esse signa carnis & sanguinis, tametsi hæc continerent, quos Haimo *erroneos* vocat: aliis negantibus esse figuram ac signum relate ad corpus Christi, quos impugnat hoc loco Ratramnus. Neqne tamen negabat Haimo, corpus Christi eucharisticum, ejusque sanguinem speciebus alienis velatum esse, immo id diserte in suo tractatu confitetur: sed tamen nolebat dici figuram corporis & sanguinis Christi, hoc adductus argumento, quod *nullum signum est illud, cujus est signum.* qua sententia impugnanda Ratramnus eo progressus est, ut diceret ex ea consequi, nullum esse in eucharistia mysterium, nihil velatum; sed totum *ipsius veritatis nuda manifestatione* peragi. quam tamen consecutionem adversarii pernegabant. Hinc Ratramnus ait eos negare quod affirmare creduntur, & quod credunt destruere. *Corpus etenim sanguinemque Christi fideliter confitentur: &, cum hoc faciunt, non hoc jam esse quod prius fuere, procul dubio protestantur.* In his ergo Haimoni non contradicebat Ratramnus, quod *fideliter* confiteri eos dicit, nempe cum & corpus sanguinem-

ANN. CHR. 858.

que Christi in eucharistia confitebantur; & eum post consecrationem panem & vinum *non hoc jam esse quod prius fuere protestabantur.* Atqui Haimu, ut superius vidimus, veram & substantialem eunversionem panis & vini in corpus & saoguinem Christi asserebat. *Credimus*, inquit, *& fideliter confitemur & tenemus, quod substantia illa panis scilicet & vini, per operationem divina virtutis, substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est in carnem & sanguinem.* Haoc vero confessionem probat Ratramnus, dum eos id *fideliter* confiteri dicit. Itaque hac in re eum Haimone consentiebat; in eoque tantum dissidebat, quod Haimo figuram io corpore Christi admittere nollet: ex quo consequi ait Ratramnus, ut destrueret quod credebat. Huc tota incumbit prioris partis vis ac moles, in qua nihil reperias, quod ad fidem eatholicam, hoc præmisso scopo, non facile reduxeris. Denique auctoris catholicam sententiam probat hujus prioris partis conclusio, quæ sie habet. *Ex his omnibus, qua sunt hactenus dicta, monstratum est, quod corpus & sanguis Christi, qua fidelium ore in ecclesia percipiuntur, figura sunt secundum speciem visibilem: at vero secundum invisibilem substantiam, id est divina potentiam Verbi, corpus & sanguis vere Christi exsistunt.* Ad hanc confessionem, ad hunc scopum religanda & restringenda sunt, quæ in posteriori parte duriuscula videntur, ut certe restrinxere in indice librorum expurgatorio Doctores Duacenses, qui nihil reprehensibilem in Ratramno agnovere, *præter obscuritatem elocutionis, & vocum quarumdam sententiarumve ineptam vel usurpationem, vel interpretationem*; & qui duo illa difficillima auctoris, qui videtur sensisse, non magis corpus Christi in eucharistia esse, quam populi; & quod mysterio geritur in ecclesia, non posse Christum dici, *de externa specie* tantum esse accipienda censuere: *cum toties*, inquiunt, *verum Christum post consecrationem asseveret, & transsubstantiationem doceat.* Nec plane infitiantur ipsi Centuriatores Magdeburgenses, qui *transsubstantiationis semina* in Bertramno, ut illi vocant, agnovere. Hæc forte prolixius dicta, quæ quidem nberius a me [a] alias tractata, hoc loco pluribus retractare noo videtur opportunum: maxime cum viri docti hac de re erudite ac copiose postea disseruerint, præsertim Jacobus *Boilrau*, celeberrimus Doctor Sorbonicus.

[a] *Præfat. in 2. partem Sæc. 4. §. 6.*

XLI. SS Georgii, Aurelii & Nathaliæ translatio.

Huie anno, præter Aimoïnum, annales Bertiniani consignant translationem corporum, beatorum martyrum Georgii diaconi, & Aurelii atque Nathaliæ, quæ quidam monachus monasterii sancti Vincentii & sancti Germani Parisiensis ex urbe Corduba in Galliam attulisse, & in villa Acmanto, ubi tum sancti Germani corpus custodiebatur, loculis inclusa collocasse traditur. Rem fuse narrat Aimoïnus monachus Pratensis, facti historiam ab ipsis monachis, qui translationis auctores fuerant, assecutus. quod antequam prosequamur, qninam fuerint illi martyres, paucis aperiendum est ex sancto Enlogio, qui eorum passionem litteris mandavit. Aurelio, nobili civi Cordubensi, uxor fuit Nathalia æque pia ae nobilis, quam beatus Eulogius Sabigothonem vocat. Ambo facultatibus snis in egenos distributis, virorum ae mulierum monasteria visitare solebant, sed præcipue Tabanense, qnod famosissimum illis in partibus erat, utrique sexui aptatum. Eo frequens se Nathalia recipiebat, quæ filias duas, Felicitatem & Mariam, Deo ibidem consecraverat. Ad hos piissimos conjuges aliquando divertit Georgius Bethleemiticus monachus, qui ab adolescentia Dei servitio mancipatus, vigiori & septem annis in monasterio sancti Sabæ, quod ab Jerosolymis ad partem australem octo millibus disparatum est, cum quingentis fratribus conversatus, a venerabili Davido abbate *ob stipendium monachorum* io Africam directus, cum consilio Carthaginensis episcopi in Hispaniam trajecerat. Profectus Cordubam, ubi tum persecutio in Christianos sæviebat, cum reditum in patriam cogitaret, ad Tabanense monasterium se contulit, ut fratrum ac sororum precibus iter suum commendaret. Illic abbas ejus loci, Martinus nomine, ejusque soror Deo dicata Elisabeth, eum Nathaliæ, quæ tum inibi versabatur, exhibuerunt, qua comitante Cordubam altero die reversus est. Post paullum cum Aurelio atque Nathalia, necnon Felice ac Liliosa a Mauris comprehensus, cum iisdem gladio percussus est anno noni sæculi quinquagesimo-secundo. Horum corpora diversis in locis sepulta sunt, & quidem Georgii & Aurelii in monasterio Pinnamellari, quo ex loco hæc translatio hoc anno facta est. Annus erat Christi Domini octingentesimus quinquagesimus-octavus, Caroli regis duodevicesimus, eum *in monasterio sancta Crucis beatique Vincentii martyris*, ubi sancti Germani Parisiorum ponti-

ANN. CHR. 858.

-ficis pretiosum corpus colitur, fama vulgante nuntiatum est, sancti Vincentii levitæ ac martyris reliquias ex civitate Valentia, ubi martyrium passus fuerat, facile posse haberi, propter miserabilem ipsius civitatis, Mauris auctoribus, vastitatem. Hinc monachis Pratensibus suborta est magna cupido beati patroni sui sacras obtinendi reliquias. Horum studio favit hujus loci abbas Hilduinus secundus, recens suffectus in locum Gauslini, qui cum Ludovico fratre a Nortmannis captus erat. Obtenta dein regia auctoritas, designatique ad hoc iter duo fratres, Usuardus pater, is martyrologii auctor, & Odilardus. Mox illi viam ingressi, primum ad Hunfridum Gothiæ marchionem, qui tum in pago Belnensi * morabatur; inde Ucetiam * se conferunt: ubi a religioso episcopo Walefrido, quod apud Vivarias jam audierant, ipsis renuntiatur corpus sancti Vincentii martyris, quod tam anxie perquirebant, in Beneventum fuisse translatum. at res secus habebat: immo illud Cæsaraugustæ retinebatur a Seniore episcopo, qui hoc sub cujusdam Marini martyris nomine extorserat ab Audaldo monacho, qui sacrum corpus ex urbe Valentia, ut vidimus, istuc attulerat. Hoc nuntio consternati fratres, iter nihilominus prosequuntur, atque a Sunifrido, cive Barcinonensi primo post Hunfridum comitem seu marchionem, id est vicecomite, admonentur, ex urbe Corduba posse obtineri saltem reliquias sanctorum martyrum Georgii atque Aurelii, qui recens mortem pro Christo passi fuerant: verum difficile & arduum illuc iter esse ob Maurorum infestationes. quod etiam Athaulfus Barcinonis episcopus eis asseruit. Hi vero nihilo secius in proposito constantes, litteris tum ad Leovigildum pium civem Cordubensem, cognomento Abadsolomem, tum ad Abdilwarum Cæsaraugustæ magnatem acceptis, Cordubam pergunt, Leovigildo secretum pandunt, atque ex consensu Saülis ejusdem civitatis episcopi, & Samsonis Pinnamellaris abbatis, corpora sanctorum martyrum Georgii monachi & Aurelii, cum capite sanctæ Nathaliæ ejusdem Aurelii uxoris efferunt, Mahomado Sarracenorum apud Cordubam rege bello adversus Toletanæ urbis tyrannum occupato. Corduba itaque egressi, Complutum, dein Cæsaraugustam, ubi a Seniore episcopo humanissime accepti sunt, tum Barcinonem veniunt, Athaulfo episcopo & Sunifrido gratias acturi. Inde Gerundam, Narbonem, Biterras civitates, ac pagos Vivariensem, Belnensem, & Autisiodorensem, quibus in locis varia miracula contigere, prætergressi; demum in pagum Senonicum perveniunt, atque in villa Acmanto *, quæ Pratensis monasterii etiam nunc possessio est, allatas reliquias juxta sancti Germani corpus, ibidem tum asservatum, ad tempus deponunt, ubi *tunc major pars fratrum ob infestam paganorum degebat infestationem.* Antequam eo pervenirent sacrarum reliquiarum delatores, in villa Puteolis apud quemdam religiosum virum, nomine Bovonem, cum suis fere triginta hospitio excepti fuere: ubi vascula vinaria, postquam omnes ex eis refecti sunt, omnino plena inventa fuisse idem Bovo sancte affirmavit.

* de Beaune.
* Uzés.
* Esmant.

XLII. Ludovici regis impressio in Franciam.

Post diem quartum, quam inde discesserant, contigit, ut milites quidam *ex HLudowici Bejwariorum regis exercitu*, in Bovonis domum irrumperent, atque ex ea non minus quam sexaginta modios vini auferrent. *Sed illis recedentibus, rursus sanctorum meritis, Bovone teste, quantitas totius vini integra reperitur.* Hæc est illa Ludovici Germaniæ regis impressio in Franciam, hoc anno facta, cum Carolus ejus frater, *navali classe*, uti Aimoïnus loquitur, *contra Danos in Sequana decertaret*, sed irrito conatu ob secessionem suorum, qui, *rege insalutato cum paucis in navi relicto, fere omnes discesserunt*, &, *præcisis ejusdem navis funibus*, ne quod regi auxilium superesset, *ad eumdem HLudwicum, eum sibi regem facientes, accesserunt.* Rex tamen *divinitus liberatus, statim parvo, quem fides sibi retinuerat, exercitu collecto, fratrem a regno nobiliter expulit; atque, cum vivum capere posset, ei locum abeundi visceraliter indulsit, suosque fugaces, cum in eos regali censura ulcisci potuerit, sublimi collectione ad se revertentes sola pietate recepit, sceptro potitus & regno.* Id anno sequenti factum uno verbo tradunt annales Bertiniani, quod ipsis Aimoïni, auctoris æqualis, verbis huc referre visum est. Idem Carolus sanctorum martyrum reliquiis mirifice recreatus, Mancionem Cordubam misit, earum veritatem exploraturus: per quem non modo facti veritatem, sed etiam quasdam sanctorum martyrum passionis circumstantias accepit, negatam scilicet Abdiramæ jussu eorum cadaveribus sepulturam, ut a canibus & volucribus discerperentur, quæ per triduum exposita, nullo, ne muscæ quidem morsu, attaminata fuerint. Hæc omnia prosecutus est Aimoïnus monachus

ANN. CHR. 858.

Pratensis tribus libris: quorum unus est de ipsa translatione, alii duo de miraculis. In secundo mentio fit de *Dedentio puellari monasterio*, ab Acmanto non longe, ut videtur, remoto, de quo nihil hactenus nobis dicendum occurrit: cujus loci femina quædam, cum minus religiose erga sacras reliquias se gessisset, temeritatis suæ debitas luit pœnas.

XLIII. Delatio corporum sanctorum Wandregisili & Ansberti.

Eodem tempore effossa sunt e suis tumulis ossa, sacrique cineres sanctorum Christi confessorum Wandregisili abbatis, & Ansberti præsulis, atque ob metum Nortmannorum e Fontanella in pagum Bononiensem transportata. Notatu digna est ejus rei epocha in libro de miraculis sancti Wandregisili, auctore anonymo ejus temporis, ubi id factum legitur *anno irruptionis* Danorum seu Nortmannorum *in magnum fluvium Sequanæ decimo-octavo; ex quo vero oceanum ingressi, piraticam exercere aggressi fuerant, quinquagesimo-octavo; regis autem praecellentissimi Caroli decimo-septimo*; immo decimo-octavo, ex mente ipsius auctoris, qui vigiliam ascensionis Domini ipso anno v. idus Maii accidisse; & dominicam in octavum idus Novembris incidisse scribit. Hæc delatio facta est primum in Bladulfi-villam, quod Fontanellensium prædium erat; inde in ecclesiam sancti Petri ad eosdem pertinentem, quæ vicina est emporio Quentovico: quo ex loco eis obviam venit turba innumera clericorum ac laicorum, cum sacris evangeliis, crucibus ac cereis, & cum reliquo apparatu ecclesiarum: qui sacra pignora in illam ecclesiam intulerunt v. idus Maii, ipsa vigilia dominicæ ascensionis, quæ vigilia hoc anno, ut mox dicebam, in quintum idus ejusdem mensis incidebat. Varia eo in loco, aliisque patrata miracula ab iisdem sanctis, qui post varias hac illacque deportationes, illis in partibus diu, nempe ad finem hujus sæculi, quo tempore Carnutas sacræ eorum reliquiæ delatæ sunt, substitere, partim quidem in prædicta villa, partim in monasterio Blangiacensi tum puellarum, quibus tunc Hersendis abbatissa præerat, ubi Fontanellenses cum patronis suis viginti annos hospitati dicuntur in libro de miraculis sanctæ Bertæ primæ abbatissæ Blangiacensis. Dum vero in prædicta ecclesia Quentovico proxima morarentur, contigit, ut Grippo, vir inluster, ejusdem emporii præfectus, jussu præcellentissimi regis Caroli ad reges gentis Anglorum legatione fungeretur; indeque revertens, gravissima tempestate jactatus, eminus prospiciens pharum, supra litus maris ab antiquis olim ad navigantium commodum ædificatum, simulque basilicam, in qua prædictorum sanctorum reliquiæ positæ erant; invocato sancto Wandregisilo, mox ad portum feliciter appulisse traditur.

XLIV. Beatæ Mariæ Suessionensis recensio bonorum.

Apud Suessionas, jubente Carolo rege, facta est recensio seu descriptio de rebus monasterii puellarum sanctimonialium Dei genitricis Mariæ, quod intra muros Suessionicæ urbis quondam ab Ebroïno majore-domus magnis sumtibus ædificatum fuerat. Ejusmodi vero descriptiones in monasteriis regiis fieri solebant post mortem abbatum vel abbatissarum. quod argumento est, hanc factam fuisse post mortem Immæ abbatissæ, cum nondum electa esset Rotrudis, quæ ei successit. Huic autem recensioni operam dederunt Rothadus Suessionensis, & Pardulus Laudunensis episcopi cum Wlfado abbate sancti Medardi, qui certas villas ad victum usumque sanctimonialium, eisque servientium assignaverunt, hoc pacto, ut essent in illa congregatione *sanctimoniales feminæ ducentæ sexdecim, famulæ in monasterii clausura consistentes, eisque in diversis officiis & officinis ministrantes quadraginta; in gynaeceo extra laborantes triginta; viri quoque ad diversa officia destinati, intra vel extra monasterium servientes, centum triginta.* Jam vero ad diversos usus an- «
cillarum Dei, & ad sacras oblationes faciendas, sed & ad regis servitium assignan- «
tur annuatim frumenti modii tria millia; leguminum modii trecenti quinquaginta, «
casei pensiones trecentæ; ad emendos pisces & ova (abstinentiam a carnibus vi- «
des) per septimanas singulas solidi triginta; adipis modii centum ad diversa mo- «
nasterii luminaria, & ad condiendos cibos sanctimonialium vel supervenientium «
hospitum, salis modii ducenti; vini modii duo millia sexcenti, & mellis modii «
decem ad dandas omni tempore regulares heminas, purasque potiones propinan- «
das. Si autem pro temporis sterilitate vinum defecerit, saltem vino & sicera idem «
modiorum numerus impleatur. Volatilia juxta morem pristinum in nativitate Do- «
mini & in paschate ex iisdem villis dari jubetur; & ad recreandas illas sanctimo- «
niales, quæ digestoriis portionibus indigent ad reparationem corporum, friscingas «
seu porcellos exhiberi. Ad usum anilium & infirmarum certæ villæ designantur, «

AN. CHR. 818.

» certæ etiam ad emenda vestimenta sororum, infirmitati sexus & ordini earum » competeritia; denique abbatissæ duæ villæ, *ut pro opportunitate & qualitate temporis se præparet.* Ad hæc decimæ omnium rerum ex tota abbatia ad portam monasterii deputantur, ut advenientes hospites, divites & pauperes, cum loci honore excipi possint. Hæc porro descriptio confirmata dicitur in conventu episcoporum apud Compendium: sed vitiosæ sunt in apographis tum chronicæ notæ, tum subscriptiones. Dubium est an Pardulus Laudunensis episcopus superstes fuerit ad hunc annum, quem exempla hujus instrumenti præferunt. Certe Hincmarus Parduli successor concilio Saponariensi subscripsit anno sequenti.

XLV. Jonæ episcopi beneficia in S. Andochium.

Augustoduni Jonas episcopus beneficum se præbuit in puellare monasterium sancti Andochii, quod in ea urbe tunc religione vigebat, ejusque gregi monastico subsidium ex facultatibus ecclesiæ suæ contulit. Exstat egregium hac de re monumentum in Gallia-christiana, & apud Labbeum, in quo Jonas notum facit, quo pacto » hoc monasterium sanctarum monialium ab antiquo exstructum sit, in quo Deo sacra» tæ *sub canonico habitu* vitam duxere temporalem pro perceptione sempiternæ. ubi canonicus habitus sumitur pro religioso habitu, qui ex canonum & regulæ præscripto sancitus est, uti sequentia demonstrant. *Sed quoniam*, inquit, *abundante iniquitate multorum, & refrigescente caritate, idem ordo in eodem loco vacillare videbatur, prædecessor meus sanctæ recordationis Motboinus episcopus eumdem, divina tactus inspiratione, in regularem & monasticum ibidem transferre studuit ordinem; proinde, Domino auctore & opifice, in studio ejusdem religionis, utpote tanto potita pastore, optime ferventes in eadem sanctimoniales religione, divino accensæ amore, nobiliter floruerunt. Post cujus obitum, divisione regni accedente, multisque & variis intercedentibus tribulationum tentationibus, licet multos sint exterius diversarum angustiarum perpessa labores; tamen, ipso gubernante qui dedit interius, eamdem monasticam institutionem severissime servaverunt. Cum igitur Omnipotentis dispositio præesse me voluisset ecclesiæ, cui Domino miserante deservio; adveniens, & in prædicta cella*, id est abbatia, *cernens numerositatem Deo devotarum ibidem ferventissime confluere velle; animadverti, quod ex iis, quæ habebant, subsidiis, stipes necessaria eis administrari non posset. Quapropter ductus honore & amore Domini nostri Jesu-Christi, earumque saluti pastorali sollicitudine ac paterno affectu prospicere gestiens, dignum æquumque judicans talibus personis, sua propter amorem Dei relinquentibus, pauperemque vitam eligentibus, immo Christum pauperem sequi cupientibus, pro viribus ferre debere consultum; secundum canonicam auctoritatem, adhibito consensu presbyterorum, diaconorum ac sequentis totius ordinis sæpe memoratæ ecclesiæ, cui Deo propitio ministramus, superaddere studui eis, secundum quod ratio dictavit, quanta necessaria fore existimavi, hoc est in pago Tornodorensi, in villa, quæ vocatur Quintiacu·, abbatiolam sancti Germani mansorum viginti*, & multa alia, cum iis, *quæ a domno Motboino* in Quintiaco & Lullo, aliisque locis collata fuerunt: quæ secundum descriptionem ex Jonæ mandato factam, efficiebant mansos centum duodecim, & ex superadditis ab ipso septuaginta-septem & dimidium, & tertiarium. Deinde statuit idem antistes, ut post obitum abbatissæ ejusdem monasterii electio sit penes ipsas sanctimoniales, ex earum congregatione facienda, siquidem inter eas idonea inventa fuerit; &, donec monasterii augeantur facultates, *sexagenarius Deo sacratarum monialium numerus* non excedatur. His litteris subscribit Jonas cum Remigio metropolitano, Godelsado Cabilonensi, Ebone Gratianopolitano, aliisque episcopis & duobus coëpiscopis, id est chorepiscopis. *Actum in territorio Lingonensi, in monasterio sanctorum Geminorum, & quidem* XIII. *kalendas Junii, anno decimo-octavo, regnante Karolo glorioso rege.*

Hæc omnia diplomate suo confirmavit Carolus XVIII. kalendas Julii, anno regni sui decimo-nono, indictione VII. id est anno sequenti, apud Tusiacum villam. quo in diplomate, apud Labbeum [a] relato, Jonas id fecisse dicitur *pro Dei honore, & reverentia beatorum martyrum Andochii, Thyrsi, & Felicis*; ipse vero Jonas in litteris suis *pro amore Omnipotentis, & veneratione sancti Andochii, cujus patrocinia ibidem a nobis*, inquit, *maxima ex parte delata sunt.* Idem Carolus denuo confirmavit omnes ejusdem loci possessiones rogatu Adalgarii episcopi, atque sanctimonialium, cum rex *ex consuetudine loca sanctorum, quadragesimali tempore causa orationis Augustoduno residens*, circumiret, ventumque esset *ad cœnobium sanctæ Mariæ*

[a] Recueil historique, p. 371.

semper

semper virginis, sanctique Andochii, ut patet ex litteris ab eodem Labbeo relatis, quarum vitiosi sunt chronici characteres.

ANN. CHR. 853.

Redeo ad Jonam episcopum, qui multa item contulit ad victum suæ ecclesiæ canonicorum, eorumque constructionem ædificiorum. Actum iisdem die & anno, quibus supra, in monasterio sanctorum Geminorum. His litteris apud Acherium [a] nostrum vulgatis subscribunt iidem episcopi, & post eos quidam presbyteri & abbates, nempe *Bernardus abbas Melundensis* [*] *monasterii* in pago Tornodorensi, & *Rando humilis abbas* incerti loci. Bernardus iste successisse videtur Bertofredo abbati, de quo in superiori tomo [b] egimus.

[a] Spicil. to. 8. p. 142.

[*] Molôme.

[b] Lib. 28. n. 74. V. hic Errata to. 2.

XLVI. S. Apri monasterium Tullensi ecclesiæ restitutum.

Frotharius Tulli-Leucorum antistes, suburbanum monasterium sancti Apri ordini monastico tempore Ludovici Pii ea lege restituerat, ut, *salva libertate monasticæ religionis*, Tullensi ecclesiæ semper subjectum maneret. Hoc nihilo minus cœnobium Lotharius augustus, cui ob regni sui detrimentum non satis facultatis suppetebat, unde suos fideles remuneraret, his *cellulam sancti Apri jure beneficiali* tradiderat. Verum cum se morti proximum sentiret, *motus divino timore pariter & amore*, eam ecclesiæ beati Stephani restitui jussit. Id tamen effectu caruit usque ad hunc annum, quo Lotharius rex, ejus filius, *recolens periculum animæ inclyti genitoris sui*, supremam ejus voluntatem exsecutioni demandavit. quod regia auctoritate sancitum legitur in libro sexto de re diplomatica. *Data* VIII. *idus Augusti, anno Christo propitio domni Hlotharii gloriosi regis* III. *indictione* VI. *Actum Mettis civitate.* Ercamboldus regiæ dignitatis cancellarius præceptum illud recognovit & subscripsit, quod asservatur authenticum in archivo sancti Apri cum sigillo integerrimo, sub hac inscriptione, † XPE ADJUVA HLOTHARIUM REGEM.

XLVII. Augienses abbates & Crulandenses.

In Augiensi prope Constantiam monasterio decessit post novem regiminis annos Folcwinus abbas, laudatus ab Ermenrico ipsius monacho in fine libelli de grammatica, ubi ait se scripsisse libellum de inceptione monasterii sui, & de vita ejusdem loci monachorum, quem Augiæ reperire non potuimus. Hic itaque auctor prædicto libello de grammatica [c] quosdam subdit versus de Rheno & Danubio, in quibus, laudatis Constantia & Salomone ejus episcopo, in Augiæ suæ & Folcwini abbatis laudes excurrit his versibus, ubi de Rheno agit.

[c] Analect. to. 4. p. 338.

Exiu progrediens parit Auvam cespite claram
Insula, quæ est aliis præstantior Augia sola.
Auget enim indoctis doctam cum dogmate vitam,
Fertilis arboribus cum vitibus undique cincta.
Quo flores vernant semper, quo lilia spirant.
Quæ me nutrit ovans, & cum nutrimine sancto.
Cujus adest Folcwinus custos, candidus abbas,
Tempore qui longo salvus sit carus, adopto,
Et multis annis tranquilla pace fruatur.

Hæc retulerim ad supplendam Folcwini vacuam præfecturam, cui subrogatus est Waltherius in sex annos, cujus etiam magistratus, uti & ejus successoris, nulla re insignis habetur: nisi quod Waltherii tempore sanctus Meginradus Augiæ monachus, dein eremita, a latronibus cæsus est, ut postea videbimus.

In Britanniæ majoris insula Crulanda decessit etiam sub idem tempus Swardus abbas, successorem sortitus Theodorum: cui Beorredus rex Merciorum post octo abhinc annos donationes ab Algaro comite factas confirmavit.

ANN. CHR. 859.

XLVIII. Conradus Autisiodori a S. Germano sanatus.

POstero anno ineunte, cum Carolus, a suis, ut vidimus, desertus, Autisiodori moraretur; humano deplorato, ad divinum confugit auxilium interventu sancti Germani ejus urbis episcopi, cujus translatio secunda, post annos sexdecim a priori, in novam cryptam brevi celebranda erat. Hanc cryptam condiderat Conradus comes, quod qua occasione factum sit, hoc loco exponendum. Erat Conradus, teste Herico [d], „princeps famosissimus, collega regum, & inter primates aulicos apprime inclytus, idemque frater Judith imperatricis, Ludovici augusti uxoris, adeoque Caroli regis avunculus. Huic conjux erat, Adheleis nomine, primorum & ipsa „natalium periode titulis gloriosa. quippe quæ avita antiquorum procerum oriunda „propagine, splendorem generis augustissimæ æquiparabat stemmate dignitatis. Hos „conjuges artius & sanctius copulabat religionis ac pietatis nexus, quam carnis: ut

[d] Labbe, to. 2. p. 556.

ANN. CHR. 859.

non facilè judicare liceret, uter eorum in religionem pronior, in sanctos ferventior, atque in egenos esset liberalior. Illud in eis commendat in primis Hericus, quod cum plerique sæcularium, fovendæ ambitionis gratia, ecclesiasticis dignitatibus inhiarent; hi contra opes suas in ecclesias & in servos Dei liberaliter effundere gauderent. quod ubique terrarum diversæ conclamabant ecclesiæ, præsertim sancti Germani Autisiodorensis basilica, quam hac occasione Conradus renovavit. Cum rebus prosperis ambo conjuges florerent, Conradi alterum oculum glaucoma sic affecit, ut, præter jacturam luminis, intolerabili dolore cruciaretur. Adfuit e palatio, cunctisque regni partibus turba medicorum: sed adulta pestis omoem eorum artem elusit. Jam prope ad ferrum & cauterium ventum erat, cum ille ad sanctiorem & efficaciorem medicum recurrit, implorando Dei adjutorio per merita beati Germani: ad eujus sepulcrum votorum plenus accessit, fratribusque nocturnas vigilias celebrantibus, ipse ad preces toto corpore procumbit. Locus illic herbis consitus erat, quas ubi refrigerando oculo admovit, post horam herbis summotis omnimodam cum dolore miratus est cessisse caliginem. Tum ille, quas præ manibus habebat, armillas aureas ad sacrum loculum deposuit, & de

Novam cryptam condit.

augenda veteri basilica consilium cum piissima uxore cepit. Mox conducti peritissimi artifices; locus novæ cryptæ in clivo montis ad orientem designatus: convecta undique ad fabricam materia: & quia marmorum copia in hac provincia non suppetebat, missi ad urbem Massiliam fratres, ingentem pretiosorum marmorum copiam oneratis navibus retulere. Veterem itaque basilicam, quam Chrothildis re-

[a] *Ibid. p. 531.*

gina quondam ædificaverat, miro cryptarum opere, ut aoonymos Petavianus[a]
» tradit, a parte orientis addito, decoravit, testudine etiam affectam, in quam al-
» tare a loco, ubi primum constructum fuerat, transpositum est.

XLIX. S. Germani altera translatio rege præsente.

Perfecto opere, omnibusque ad sollemnem dedicationem ac traoslationem dispositis, cum sacrum corpus beati Germani in cryptam, tanto condignam thesauro, brevi transferendum esset, Carolus istuc accessit. Itaque loci ac temporis, ait Hericus, opportunitate captata, sacri translationem corporis absque dilatione
» perficiendam decrevit: quod & suæ reversionis incertus exsisteret, & conceptæ in
» sanctum devotionis officiis plurimum sibi roboris ac præsidii acquiri posse non du-
» bitaret. Sancto igitur epiphaniorum die, omnibos ad eam actionem præparatis, ad sacrum loculum accedit, paucis episcopis ac sacerdotibus admissis. tum sepulcrum aperit, sacra membra integra reperit, eaque coogruo honore veneratur. Dein corpus veoerabile solis pontificum manibus passus cootrectari, *operosis denuo palliis* decenter ambiit, & in crypta præparata transpositum collocavit, multis donariis pro regia munificentia eidem collatis, diemque illam succiduis sæculis perpetuo celebrem esse sancivit. Duas nna eademque die dedicationes factas fuisse ait anonymus ille Petavianus. nam Christianus Autisiodorensis episcopus auctam ecclesiam ipse dedicavit: Archenraus vero seu Erchenraus Catalaunensis superiores cryptas, eodem Christiano rogante, sacro chrismate perunxit, ac consecravit. Hæc crypta, multis sanctorum præsulum insignita corporibus, sub majori basilicæ altari hactenus cum magna veneratione visitur & frequentatur, tres habens fornices, quorum in secundo habetur sancti Germani mausoleum affabre elaboratum: at præcipuo, immo uoico suo orbatum ornamento, sacratissimo scilicet corpore beatissimi Germani, regibus quondam & augustis venerando, quod hæretici nostri temporis superiori patrum nostrorum sæculo, horresco referens, in favillas redegerunt. Evasit ex illa strage sudarium, quo sanctissimi antistitis corpus involutum fuerat, illud ipsum creditum, quod Placidia augusta ad eum sepeliendum Ravennæ suppeditaverat. Pannus est ex serico violacei coloris flavo permixti; longus sex pedes cum unciis seu pollicibus novem, latus quinque pedes cum unciis quinque; aquilis octo respersus, intermistis rosis. Aquilæ semiexpansis alis, ex rostro singulas palas cum gemma non mediocri, & torques singulos in collo gerunt. Verum non ex materia formave, sed ex contactu sacri corporis hoc pretiosum cimelium æstimandum est. Hoc ritu peracto, Carolus Deo se committens, tamquam de victoria ob tantum patronum securus, Germanorum copias ex suo regno sine sanguine expulit, Ludovico fratri parcens, quem facile assequi, & per se ipse multare potuisset. Rediere ad suum legitimum dominum ministri ac subditi rebelles, qui ut honoribus usurpatis fruerentur, Ludovicus a Carolo extorquere non potuit. Pro-

ANN. CHR. 859.

babilius sane factum, quam aliud, quo Carolus laïcis, qui ipsi fideles exstiterant, monasteria distribuisse dicitur in annalibus Bertinianis.

L. Nortmannorum dira facinora.

Interim Nortmanni solitas excursiones repetunt. Alii, in Oscello insula duorum regum ac populorum victores, victis denuo insultant; Bellovacensem pagum ingressi, Hermenfridum episcopum in quadam villa interficiunt. tum Noviomum usque progressi, urbem noctu invadunt, vastantque; Immonem episcopum cum aliis nobilibus ac clericis captivos abducunt, ipsumque antistitem in itinere trucidant. Non dubium, quin generalem ejus civitatis sortem subierit sancti Lupi seu sancti Eligii suburbanum monasterium, ceteraque prædonibus in hac irruptione obvia. Huc spectat Hincmari Remorum antistitis ad Hetilonem episcopum Noviomensem epistola, cujus fragmentum Frodoardus [a] refert; in qua inter cetera scribit, se de incensis monasteriis, quod ille se dolere significaverat, & de his, quæ necdum incensa erant, valde formidare; se vero in magna tribulatione vallatum a " barbaris esse; & quod, ceteris direptis, tanta quærebatur pro Remorum civitate " redemtio, quantam explere non valeret. Alii denique Nortmanni Somenam flu- " vium regressi, monasterium sancti Walarici, Samarobrivam Ambianorum civita- " tem, aliaque circumquaque loca rapinis & incendiis vastant. In fragmento historico apud Chesnium [b] de destructionibus Corbeiæ, monasteria sancti Richarii & Corbeiense tunc etiam devastata perhibentur. Quamquam id toto vicennio serius de Corbeia refertur in veteri chronico Nortmannorum. Verum singula Nortmannorum facinora haud ita accurate descripta sunt in ejusmodi chronicis, ut multa non sint prætermissa. Certe Corbeienses hoc tempore contra Nortmannos non semel decertasse patet ex epistola Lupi abbatis ad Odonem Corbeiensem CXI. qua eum a talibus expeditionibus dehortatur. Is est Odo abbas, qui in locum Hermenfridi a Nortmannis occisi in sedem Bellovacensem subrogatus est, ad quem jam episcopum exstat ejusdem Lupi epistola CXXVII. qua equum sibi ab regressu ex Isara ad eum invisendum mitti postulat. Odoni in Corbeiæ præfectura successit Angilbertus, eoque mox amoto Trasulfus, ut inferius [c] demonstrabimus. Denique alii Dani seu Nortmanni, longo maris circuitu inter Hispanias & Africam navigantes, Rhodanum ingrediuntur, & quasdam civitates, quædam item monasteria depopulati, in Camarias insulam se recipiunt; iidemque anno insequenti Italiam petunt, Pisas civitatem, aliasque capiunt, deprædantur, ac devastant.

[a] Frod. lib. 3. c. 23.

[b] Chesn. to. 2. p. 589.

Odo abbas Corbeiæ fit episcopus Bellovacensis.

[c] lib. 37. n. 75.

Arulense monasterium vastatum.

Unum ex illis monasteriis fuit Aruleose, situm in valle Asperiarum, quæ est portio agri Ruscinonensis. Istud enim a Nortmannis, qui haud dubie ad portum Veneris appulerant, direptum per triduum fuisse, ac demum ab ipsis destructum testatur ejus loci abbas Helpericus seu Hilpericus in epistola ad Carolum regem, quam ex Michaële Loto Dominicano in appendice referemus, nempe ex libellu ejus catalanice scripto de translatione SS. Abdon & Sennen, facta in idem monasterium. In ea epistola Hilpericus agit de sui monasterii origine per Castellanum abbatem, qui e partibus Hispaniæ istuc profectus, *sancta* ibidem *cænobia* ædificasse dicitur, in quibus *multorum monachorum collegia* Regi superno famulabantur sub auctoritate Caroli Magni, qui præceptum regiæ defensionis eis concessit. Ejus successores fuere Ressendus, & Recimirus ejus frater, uterque regnante Carolo Calvo, cujus patrocinio ambo se secommendaverant. Sub eorum successore Helperico Nortmanni hoc monasterium deprædati sunt per triduum, ac demum cæsis aliquot monachis, illud susque deque everterunt. cui instaurando Helpericus a Carolo rege subsidia postulat.

Ceterum necem Hermenfridi Bellovacensis, & Immonis Noviomensis episcoporum ad hunc annum retulimus cum annalibus Bertinianis. verum, utrumque ad mensem Octobrem anni subsequentis superstitem fuisse manifestum est ex actis concilii Tullensis apud Tusiacum, cui ambo subscripsere. Rainelmus tamen, Immonis successor, ibidem etiam inter subscribentium nomina invenitur: at post synodum ejus actis, quod non raro fiebat, subscribere potuit, uti certe iisdem subscripsere Autisiodorenses duo, Abbo scilicet, & qui hoc anno ei successit Christianus.

LI. S. Richarii delatio, & abbates Centulenses.

In ejusmodi angustiis corpus sancti Richarii e proprio loco motum est, & in tutiorem locum deportatum, paucis fratribus Centulæ relictis; ac demum in suum locum restitutum, ubi serenior rerum facies apparuit. Id factum ait Hariulfus Ludovico abbate Centulensibus præsidente: quod potius sub HRuodulfo ejus succes-

ANN. CHR. 852.

fore factum videtur, quem ſuperſtite Ludovico Centulenſibus præpoſitum fuiſſe conſtat, non mortuo abbate Ludovico, ut Hariulfus exiſtimavit. Et quidem HRuodulfus ſupplementi Centulenſibus ab ſe conceſſi confirmationem a Carolo rege obtinuit anno ejus regni ſexto-decimo : Ludovicus vero abbas ad decem annos ſupervixit, HRuodulfo ipſi ſuperſtes, ne annum quidem inſequentem, forte nec præſentem prætergreſſo. ſiquidem Helgaudus ejns ſucceſſor cuidam militari viro Rollenicurtem, & alia quædam in precariam dedit anno Caroli regis viceſimo. Mortuo HRuodulfo, Centulenſes *librum rotularem*, qui ejus obitum nuntiaret, per eccleſias & loca ſanctorum, eum quibus ſuffragiorum ſocietatem contraxerant, miſiſſe dicuntur. Hunc inter antiqua ejus loci monumenta repertum Hariulfus, ut a fratribus ſuis gratiam iniret, in hæc verba retulit.

Rotuli mortuorum.

Fratres cœnobii ſancti Richarii glorioſa memoria, omnibus Chriſti militibus. Petimus obnixe paternitatem veſtram, pro noſtris fraterne geri defunctis; & veſtrorum æque dirigi vocabula mortuorum, diemque adventus præſentis curſoris ad vos venientis per monimenta kalendarum ſignificari, ne fallacia ſua præſtigiis nobis poſſit mentiri. Officio vero abbaticio, ſeu præpoſituræ, una cum decania qui fungi videntur, pariter intimare ſciat. Obiit itaque apud nos domnus HRuodulfus comes, abbaſque ſimul noſter VIII. *idus Januarii. Ideoque rogamus, quatenus pro eo decertetis * apud Dominum, ut & vos mercedem habeatis, & ille in congregatione juſtorum aggregetur, veſtris ſuffultus ſanctiſſimis opitulationibus. Statuimuſque juſtum eſſe, ut quem patrem habuimus piiſſimum, dulci filiorum amore pro eo pium Dominum inceſſanter rogemus.*

* f. deprecetis.

Sic ergo mos tum ferebat. Poſt mortem abbatis vel inſigniorum monachorum *rotulus*, id eſt encyclica de ejus morte epiſtola, per ſingulas eccleſias ſive monaſteria, quibuſcum inita erat ſocietas, per curſorem ſeu nuotium mittebatur; ac mors defuncti abbati, præpoſito vel decano loci ſignificabatur. Huic rotulo inſcripta erant etiam nomina aliorum, qui ab ultima ſignificatione deceſſerant. unde *rotuli* vocabulum hæc ſcheda obtinebat. Qui vero ejuſmodi rotulos deferebat, *rotliger* vocabatur. Ne autem curſor eos, qui ipſum mittebant, falleret; dies adventus ejus in ſingulis, ad quæ mittebatur, locis in certa ſchedula, quam ille in teſtimonium referebat, adſcribebatur, eum nominibus cujuſque loci mortuorum : qui in catalogo ſeu necrologio, ſuo quique die, in omnibus locis confœderatis notabantur. In his porro ſchedulis verſus lugubres de morte inſigniorum perſonarum ſcribebantur, quos verſus *titulos* appellabant.

LII. Societates monaſticæ.

Fluxit mos iſte ex perſuaſione eccleſiaſticæ communionis, uſuque diptychorum, quæ antiquitus in ſacris obtinebant, ut ſymbolum iſtius communionis. Duplex in eis ordo erat, vivorum & mortuorum, quorum nomina in ſacris ad aurem ſacerdotis a diacono recenſebantur. Diptychorum exemplo inventum eſt apud monachos necrologium ſeu liber pro mortuis, in quo adſcripta ſunt nomina fratrum cujuſque loci ac benefactorum, eorumque, qui ex condicto in ſocietatem ſuffragiorum admiſſi erant. Hi ex nomine, quo quiſque die obierat recitabantur poſt martyrologii & regulæ lectionem ad Primam; tum ſolitæ preces pro eis fiebant. Hioc dicti *conſcripti in regula* ſeu *in martyrologio* aut *in libro vitæ*; apud ſanctum Gallum *fratres conſcripti* appellati : atque adeo in uno codice martyrologium, regula & necrologium ad commodum lectoris ſimul compacta erant. Mos iſte apud noſtros ab ineunte Ordine invaluit, id eſt a ſæculo ſexto. Teſtes hujus rei litteræ Theodilanæ matronæ, quæ ob donationes monaſterio Dionyſiano factas poſtulavit, ut nomen ſuum *in libro vitæ conſcriberetur* anno quadrageſimo-tertio Chlotharii ſecundi. Idem eo tempore petit Bertchramous epiſcopus Cenomaonenſis in ſuo teſtamento. Inſignis hac de re locus eodem ævo exſtat apud Bedam in epiſtola ad Eadfridum epiſcopum & ad congregationem Lindisfarnenſium monachorum proſaïcæ ſancti Cuthberti vitæ præfixa : in qua præmioli vice ſibi, cum viveoti, tum mortuo, preces ab eis ac miſſas depoſcit, rogatque ut, quod illi jam polliciti erant, *in albo* ſuæ ſanctæ congregationis nomen ipſius apponerent. Hæ ſingulorum hominum ſocietates erant : ſed aliæ inſuper generales fiebant, & quidem perpetuæ, congregationum ſeu monaſteriorum ſocietates. Hac de re oibil antiquius nobis occurrit, quam illæ, de quibus mentio habetur in epiſtolis Bonifacianis, nempe in epiſtola XXIV. ad Aldherium abbatem, in qua Bonifacius ipſe petit orari *pro dormientium*

fratrum animabus, quorum nomina gerulus harum, inquit, *litterarum demonstrabit*; & in duabus aliis [a] aliorum epistolis, quæ exstant inter Bonifacianas, omnino legendæ, quas protulimus suis locis. In posteriori Dodo Hornbacensis abbas cum sua congregatione ad Lullum Moguntinum pontificem, cujus ecclesiæ confœderati erant Hornbacenses, rogat, ut se suosque, tam vivos, quam defunctos, in suis precibus commendatos habeat; ipseque omnium amicorum suorum, vivorum ac defunctorum, nomina per præsentem fratrem *per breve ad* ipsos dirigi curet. *Breves* seu *Brevia* ejusmodi eadem cum rotulis, de quibus mox egimus, quorum exempla exstant apud Haëftenum & in tomo tertio nostrorum Analectorum. Generales plurimum unius anni erant rotuli seu breves illi, id est unius anni mortuos continentes, nisi ob mortem insigniorum hominum hoc tempus acceleratum fuisset: sed cum itineris longinquitas aut difficultas non obstabat, singulares pro unoquoque mittebantur. In necrologiis vero non uno modo fratrum confœderatorum nomina inscribebantur. In plerisque nomina eorum promiscue cum nominibus cujusque loci descripta sunt, adhibitis verbis *nostra congregationis*, ubi de monacho loci agebatur: in quibusdam familiarium seu exterorum nomina a domesticis distincti erant. sic in necrologio sancti Benigni Divionensis in duplici aperti codicis pagella iidem utrimque dies adscripti leguntur: & in una quidem domesticorum, in altera seu adversa familiarium seu confœderatorum nomina recensentur. In quibusdam locis fratres conscripti, non diebus distincti sunt, sed tantum monasteriis: ita ut sub cujusque monasterii titulo omnia ejusdem loci nomina subjiciantur absque ulla diei designatione.

a *Bonifac. epist. 74. & 84.*

Pro familiaribus hæc fere suffragia erant: missæ peculiares, vel generales, vigiliæ seu *agenda* mortuorum, psalmorum aliquot vel orationis dominicæ certis vicibus ac diebus recitatio, præbendæ seu annonæ erogatio in pauperes, sive per totum annum in dies, sive per continuos triginta dies. Litteræ societatis, sancti-Gallenses inter & Augienses monachos initæ, præscribunt *semel in anno commemorationem omnium defunctorum pro annuali singulorum*, & quidem XVIII. *kalendas Decembris*. quo die consimilis nunc quoque celebratur a nostris, præter sollemnem omnium defunctorum commemorationem. Atque utinam ritus legendi ad Primam necrologii, quod mirum est in congregationibus quibusdam etiam reformatis prætermitti, ubique restitueretur, uti certe grati animi erga fundatores ac benefactores, immo & amicos & familiares memoria exigere videtur. at illud incommodum ac fastidiosum, quod in vetustis illis necrologiis nuda passim notata sunt nomina, absque idonea personarum designatione; & ubi episcopi vel abbatis nomen adscriptum est, absque ulla locorum mentione. Nunc a prolixiori forte digressione ad ordinem revertendum.

LIII. Helgaudus abbas Centulensis, & comes.

Post obitum HRuodulfi abbatis Centulensis Helgaudus abbatia donatus est. Huic ex conjugio filius erat Herluinus, qui ejus loci comitatum vice patris gessit, si Hariulfo credimus. Existimavit quippe iste auctor, abbates Centulenses simul etiam comites fuisse, (abba-comites ejusmodi appellabantur) ut Pontivi ac Wimnacensis pagi limites contra hostes tutarentur. quod quidem huic cœnobio concessum dicit propter nobilitatem inhabitantium. *In hoc enim cœnobio*, inquit, *duces, comites, filii ducum, filii comitum, filii etiam regum educabantur, & omnis sublimior dignitas, quaquaversum per regnum Francorum posita, in sancti Richarii monasterio se parentem*, id est propinquum, *habere gaudebat*. De Helgaudo abbate duo tantum memorat Hariulfus: unum, quod cuidam militi Rolleni-curtem, & alia quædam, quæ nuper ab Hugone duce acceperant Centulenses, in beneficium dedit. qua de re idem auctor magnopere dolet. *cujus facti precaria chartula a nobis*, inquit, *habetur*, anno Caroli vicesimo data: *sed nihil eorum hic ponimus, quæ non honoris augmentum, quin potius materiem doloris præstarent*. Alterum, quod leges pro sæcularibus condiderit, quæ adhuc a provincialibus ejusdem Hariulfi tempore observabantur. Post annos fere quatuor ei suffectus est non Guelfo abbas, sed Carolomannus.

LIV. S. Dionysii translatio.

Per has tempestates, ut tradunt annales Bertiniani, ossa beatorum martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii ob metum Danorum seu Nortmannorum, in villam sui juris, vocabulo Novientum ad Sequanam, sitam in pago Mauripensi *, devecta sunt, atque XI. kalendas Novembris in loculis diligenter collocata. De hac translatione seu delatione nulla fit mentio in libris de miraculis sancti Dionysii,

* *le Hurepois.*

ANN. CHR. 859.
* Confuvem.

ſed tantum de alia, quæ anno Caroli regis tricesimo-ſeptimo in Superiorem-curtem * pagi Remensis ad Axonam facta eſt. Ex alia villa Noviento orta erat contracta illa femina, quæ Dugniaci in eccleſia ſanctorum martyrum Dionyſii & ſociorum ejus ſanata perhibetur in libro ſecundo de miraculis ejuſdem ſancti martyris. Hic liber in Hilduino abbate ſeniori deſinit, cujus epilogus dirigitur Samueli monacho Dionyſiano, quo hortante auctor ille anonymus hanc ſcriptionem aggreſſus eſt. Hic non alius videtur, quam Samuel ſubdiaconus & monachus, laudatus in litteris ſocietatis, paullo ante hoc tempus initæ inter monachos Dionyſianos & Remigianos. Tertius liber de miraculis ſancti Dionyſii alium auctorem habet, ætate paullo inferiorem.

Eodem tempore in eodem cœnobio exaratus eſt inſignis codex, continens Antiphonale & librum Sacramentorum Gregorii Magni, cum nonnullis additamentis quarumdam Miſſarum, aliarumque rerum obſervatu dignis. In his exſtat miſſa de beata Virgine, cujus poſtcommunio ſic habet. *Libera nos ab omni malo Domine Jeſu Chriſte, qui corpus tuum ſanctum pro nobis crucifixum edimus, & ſanguinem tuum pro nobis effuſum bibimus, &c.* quo nihil luculentius ad probandam catholicam fidem de ſanctiſſimo eucharistiæ ſacramento. Eadem omnino verba leguntur in Miſſali Gothico ſeu Gallicano poſt Orationem dominicam, ut in Liturgia Gallicana [a] videre licet, quod Miſſale antiquitus in uſu erat ante Carolum M. in eccleſiis Gallicanis. Ex quibus intelligitur, eamdem omnino de hoc ſanctiſſimo Sacramento fidem fuiſſe ante Paſchaſium Radbertum, quem novatorem fuiſſe perperam criminantur Calviniſtæ. Ceterum prædictus Sacramentorum codex modo aſſervatur in bibliotheca Vallis-claræ in diœceſi Laudunenſi, eique inſerta ſunt nomina Dionyſianorum abbatum & monachorum ſæculi noni, in quibus primus eſt *beatæ memoriæ domnus Nicholaus papa.* Hæc obiter.

a Liturg. Gallic. p. 4. &c.

L V. Thiotonis abbatis Fuldenſis legatio.

Non unum, ſed plura hoc anno concilia diverſis de cauſis habita ſunt. Primum occurrit Metienſe, v. kalendas Junias, Hincmaro præſidente, celebratum, cujus commonitorium exſtat ad Ludovicum regem, quo patres eum ad emendanda ſuperioris anni in Carolum fratrem facinora hortantur, miſſis Wormatiam ad ipſum legatis. His ille humillime reſpondit: attamen emendationem diſtulit ad futurum placitum autumni tempore juxta *Baſulam* ſeu Baſileam, ex condicto habendum. Interim, colloquio cum ſuis inito, Thiotonem Fuldenſem abbatem in Italiam ad Ludovicum imperatorem & ad Nicolaum pontificem miſit, ut ſe apud eos purgaret, & favorabile reſponſum, quod ad placitum afferret, ab eis eliceret. Thiotoni legatio recte ſucceſſit. nam ab utroque benigne acceptus & auditus, Ludovicum regem purgavit, apoſtolicas pro eo litteras retulit, obtulitque Ludovico juxta lacum Brigantinum conſiſtenti, ex quo a condicti placiti loco reverſus fuerat, ubi Carolus non occurrerat ad diem præfinitum. Cum itaque Thioto regi de ſua legatione omnino feciſſet ſatis, cum ejus venia reverſus ad monaſterium ſuum eſt.

L V I. Lingonenſe concilium.

Alterum concilium apud Lingonas a Remigio Lugdunenſi, Agilmaro Viennenſi, Ebone Gratianopolitano, aliiſque epiſcopis, præſente Carolo rege, circa kalendas Junias celebratum: in quo capitula tredecim condita ſunt, tum ad concordiam inter reges fratres ſarciendam, tum ad reformanda quædam errata eccleſiæ Gallicanæ. Proclamationes in eo factæ adverſus Tortoldum diaconum, Wenilonis Senonenſis antiſtitis propinquum, & Anſcarium ſubdiaconum: quorum ille ſedem Bajocacenſem, hic Lingonenſem occupaverat, tum proclamatio a rege facta in ipſum Wenilonem, qui defectionis inſimulabatur. Mota etiam quæſtio de Attone Virdunenſium epiſcopo, quod *oblatione regulari* in monaſterio ſancti Germani Autiſſiodorenſium Deo oblatus contra regulas eccleſiaſticas inde diſceſſiſſet, & minus canonice ad ordinem epiſcopalem perveniſſet. De eo tamen nihil ſtatutum: ſed tantum eidem data eſt facultas veniendi ad aliam ſynodum, in qua ejus cauſa examinaretur. Scripſit cum aliis patribus ſynodicam epiſtolam ad Wenilonem. Nihil de eo legitur in ſequenti ſynodo Tullenſi. verum cum in epiſcopatu ad viginti-tres annos perſtiterit, ipſius ordinationem probatam fuiſſe intelligitur. Laudatur a Berthario canonico ejus temporis in libello de Virdunenſibus epiſcopis, tum ob reſtitutam in ſua eccleſia pacem, tum ob recuperata bona amiſſa, tum ob inchoatam cathedralis eccleſiæ fabricam, quam magna ex parte promovit.

Atto epiſcopus Virdunenſis purgatus.

L V I I. Floriacenſe privilegium aſſertum.

Aderat huic concilio Rodulfus Biturigum antiſtes, qui, quamquam in noſtros

optime affectus, Floriacensem nihilo minus sancti Benedicti abbatiam contra ejus privilegium retinebat, a Carolo rege sibi concessam. Id ægre admodum ferebant patres; tandemque, ut in capitulo XI. legitur, *postulavit humiliter generalis synodus, se ad terram usque prosternens ante Karolum regem & Rodulfum Biturigum archiepiscopum, obsecrans & adjurans per crucem & Christi sanguinem, ut privilegium monasterii sancti Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat, qui præfatam abbatiam irregulariter tenebat, ratum & inconvulsum servare studerent. Quod si abbas negligens & sacris regulis inconveniens per directos missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius, qui dignus repertus fuerit, substituatur; & privilegii regularis auctoritas in eodem monasterio quacumque occasione non destruatur.* Tunc Floriacensem abbatiam regulari more tenebat Bernardus abbas: sed Carolus, gratificaturus Rodulfo archiepiscopo, qui partibus suis contra mobiles Aquitanorum animos favebat, hoc beneficio ipsum demereri, & in obsequio retinere satagerat. Rodulfum vero abbatia cessisse ex eo colligitur, quod Bernardus abbatis officium ad aliquot annos gerere non destitit. ANN. CHR. 859.

Denique in eadem synodo Lingonensi conditi sunt sexdecim canones, quorum sex primi omnino iidem sunt cum iis, qui in Valentina synodo ante annos quatuor editi fuerant in causa Gothescalci; atque adeo in Lingonensi confirmati. Relecti sunt deinde in concilio duodecim provinciarum, celebrato in suburbio Tullensi apud Saponarias: sed non ita accepti fuere, sicut in Lingonensi, agente nimirum in primis Hincmaro archiepiscopo, cujus sententiæ canones illi consentanei non erant. His itaque apud Saponarias recitatis, *quidam episcopi*, referente Hincmaro, *fidei christianæ zelo succensi, aliqua synodo voluerunt suggerere: sed motus nostri*, inquit ille, *ab eodem venerabili archiepiscopo Remigio Lugdunensium sunt modeste compositi, eo venerabiliter perorante, ut, si quorumcumque nostrorum sensus ab eodem prolatis capitulis in aliquo dissentiendo se commovet, ad proxime futuram synodum catholicorum libros, doctorum quoque deferre curemus; & sicut melius secundum catholicam & apostolicam doctrinam in commune invenerimus, de cetero omnes unanimiter teneamus.* quæ fere verba sunt capituli undecimi synodi Tullensis. Hæc cautela fuit Remigii, ejusque sequacium ad evitandos illos motus Hincmari, ejusque asseclarum. Verum hæ quæstiones in alia synodo haud agitatæ inveniuntur, adeoque nihil amplius super hac controversia definitum in Gallia post canones Valentinos, eorumque in synodo Lingonensi confirmationem. LVIII. Synodus apud Saponarias.

Veri simile fit ex annalibus Bertinianis, convenisse demum inter episcopos, ut hac de re judicium sciscitarentur Nicolai papæ, qui *de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmasse, & catholice decrevisse* perhibetur. Huc spectat Hincmari Remensis epistola XVII. ad Nicolaum papam in hæc verba: *Ceterum Liudo mihi dixit, quod cum eo rationem de damnatione & reclusione Gothescalci habuissetis.* Nullum tamen Nicolai hac de re decretum, quod quidem sciam, ad nos pervenit. Liudo seu Liuddo iste homo græcus erat, quem simul cum Hincmaro & Johanne VIII. laudat Johannes Scottus in versibus græcis, a Cangio relatis in præfatione ad Glossarium Græco-Latinum.

In ultimo capitulo synodi Tullensis vicarias inter se se preces condixerunt episcopi & abbates: ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas feria quarta missam celebrarent; & post cujusque obitum pro defuncto in sedibus septenæ missæ, totidemque vigiliæ persolverentur; a presbyteris autem monasteriorum sive villarum tres missæ, totidemque vigiliæ: obitus porro cujusque litteris encyclicis innotesceret. Consimilem precum communionem cum Herardo Turonensi antistite, qui & ipse Tullensi huic synodo interfuit, paullo ante inierant Ferrarienses, testante Lupi abbatis epistola CXVIII. qua ei commendat quemdam e suis monachum, quem secundum Herardi petitionem ad regendos monachos in cella Roclena concedebat. *qui cujus momenti*, ait, *apud nos sit, ex officio, quod laboriosissime gessit, facile est æstimare.* forte procurationem rerum temporalium is habuerat, cujus nomen prima dumtaxat littera T. in Lupina epistola expressum est. LIX. Societas precum inter patres.

In eadem synodo iterata est vehementius proclamatio adversus Wenilonem Senonum antistitem, prolatusque in eum a Carolo libellus coram electis judicibus, Remigio Lugdunensium, Herardo Turonorum, Wenilone Rotomagensium, & Ro- LX. Caroli libellus in Wenilonem.

AN CHR. 859.

dulfo Biturigum archiepiscopis XVIII. kalendas Julias. Præcipua querelarum in eum
» capita hæc erant; quod is ad Ludovici regis colloquium, dum Carolus in Normannos
» apud Oscellum dimicaret, absque ipsius Caroli voluntate aut permissu venisset.
» quod ipsi Ludovico adhæsisset, missasque publicas coram eo in palatio Attiniaco
» celebrasset; denique quod *de abbatia sanctæ Columbæ*, aliisque de rebus & honoribus
» ab eodem Ludovico præceptum obtinuisset. Lecto libello, scripta est a patribus epistola ad ipsum Wenilonem, querelarum capita continens; eique injunctum, ut post diem tricesimum ad locum, quo evocandus esset, se sisteret, de objectis responsurus. Dein a patribus demandata est Herardo archiepiscopo Turonensi provincia adeundi Wenilonem, atque ad eum referendi mandata synodi. at, morbo intercedente, Herardus Rotberium Cenomannensem episcopum vice sua misit ad Wenilonem, ut patet ex ipsius Herardi ad eum commonitorio. Tandem, ut Carolus placabilis erat, Wenilo absque audientia episcoporum reconciliatus perhibetur in annalibus Bertinianis.

LXI. Lupi abbatis discidium cum Wenilone.

Interfuit sine dubio huic synodo de more Lupus Ferrariensis abbas, factumque Wenilonis metropolitani sui, ut par erat, improbavit. Id ubi rescivit Wenilo per quemdam alium metropolitanum, forsan Herardum Turonensem, qui mandata synodi ad ipsum Wenilonem perferenda habebat, in malam partem arripuit, idque ita interpretatus est, quasi Lupus in eum excanduisset in synodo coram rege, ut archiepiscopi sui exauctorationem præcipitaret, & in ejus locum ipse promoveretur. Hanc criminationem graviter accepit Lupus, sive ex fama, sive ex Wenilonis, aliorumve litteris; statimque se purgare apud Wenilonem tentavit,
» scripta ad eum epistola CXXIV. in qua ait, mirum non esse si eum metropoli-
» tanus episcopus mendacio fefellerit, quando Davidem nequam servus veri simili
» figmento ad horam decepit. Et servum quidem illum prædiorum, quibus donatus
» fuerat, media parte privatum fuisse: episcopo vero timendum, ne promissionum
» cælestium integritate privetur. Quomodo vero tantæ posset effici pravitatis, ut de-
» positionem ejus cuperet, cujus consecrationem divinitus acceperat? Testem sibi
» esse Deum, se, ex quo Wenilo Senonicæ ecclesiæ præesse cœpit, seque in familia-
» ritatem assumere dignatus est, semper optasse, ut iste in sanctitate proficeret, &
» dignitate augeretur; paratumque opem ferre pro viribus, si sua opera indigeret.
» Ceterum, si hujus perfidiæ conscius sibi esset, non negando, sed confitendo ve-
» niam obtinere conaturum. Ad extremum cupere congruo loco eum adire, &, se-
» questre Spiritus-sancti gratia, recuperare amicitiam, quam spiritus maligni male-
» volentia aliquantulum perturbaverat. In fine ait se prima quaque occasione ei re-
» laturum, quid super fratre Bernegaudo sancti Germani monachi annuerint; quid-
» que præstari absque damno possit fugitivo suo, qui nuper ejus clementiam inquie-
taverat. Hic est Bernegaudus, quem rudem * adhuc monachum, sancti Germani Autisiodorensibus monachis, ut vidimus, direxit Lupus, ut in suo proposito eorum exemplis atque doctrina confirmaretur.

* Lup. ep. 116.

LXII. Alterum discidium de susceptione duorum presbyterorum.

Alia Lupi cum Wenilone controversia orta est ex duobus titularibus presbyteris ecclesiarum Ferrariensibus subjectarum, qui, relinquendis titulis, ad monasticam professionem Ferrarias convolare volebant. Horum alterum cum militari viro ad Wenilonem direxit Lupus, ut cum ejus permissu titulos suos dimittere eis liceret.
» Hanc copiam eis negaturum se respondet Wenilo, nisi Lupus hoc *sine vitio fieri*
» *posse* auctoritate comprobaret. Hic, etsi id numquam in controversiam vocatum nec
» audierit, nec legerit; tamen simpliciter quid sentiat, ei aperturum respondet. In
» primis, Dominum Jesum diviti, legalium præceptorum observantiam sibi arrogan-
» ti, voluntariam suasisse paupertatem, & humilitatem. quod numquam fieri aut
» tutius, aut melius possit, quam in monasterio, ubi sic libertas voluntatis propriæ
» pro amore Dei resecatur, ut ex arbitrio prioris subjectorum actio cuncta forme-
» tur. Ab ea igitur perfectione, quam Deus etiam laïcis proposuit, non summoven-
» dos esse sacerdotes. Ceterum Deum alios procuraturum, quos animabus gubernan-
» dis præficiat. Licere quippe conjugatis ex mutuo consensu ad sacra loca secedere:
» quidni etiam sacerdotibus, quantumvis ecclesiæ suæ alligatis? Porro nullum fere
» monachorum reperiri monasterium, quo non aliqui eorum, sæculi tumultum decli-
» nantes, concesserint. quos si perperam fecisse dixerimus, obruendos esse nos eorum
» auctoritate, qui & sanctitate nos superant, & sapientia forte præcedunt. Quin etiam

Wenilo-

AN. CHR. 859.

Wenilonis antecessorem beatæ memoriæ Aldricum, qui ex abbate Ferrariensi ecclesiæ Senonicæ pontifex factus fuerat, Ferrarias regredi, episcopali cura omissa, constanter animo proposuisse, quando hanc vitam feliciore mutavit. Quis hos viros canones ignorare dicat, nisi qui desipiat? Profecto in primordiis fidei christianæ quibusvis licuisse afferre pretium omnium suarum possessionum, ut soli Deo vacarent; nec ab hac societate exclusos sacerdotes. Se vero, suosque, tametsi quam longissime absint a sanctorum virorum perfectione; tamen vestigia & quædam veluti lineamenta formæ apostolicæ retinere, *dum nemo nostrum*, inquit, *aliquid sibi vindicat, nec in sæculares curas animum dissipare permittitur, & orationum & abstinentia legitimam constitutionem persolvere regulari rigore, cui nos sponte submisimus, coartamur. Ceterum, ut mea & multorum fert opinio, nullus intra sanctam ecclesiam ordo est, ubi certius promereri Deum fidelis anima possit, quam si monasticæ disciplinæ studeat propositum integre observare.* Id autem Lupus probat auctoritate beati Gregorii, *patrem nostrum Benedictum*, ejusque regulam commendantis: qua in regula sanctus Benedictus sacerdotes suscipi in monasterio posse, & debere ostendit. Hæc omnia Weniloni pertractanda proponit, ne forte videatur *ordini nostro provisa cælitus incrementa derogare, quem summi & optimi pontifices non solum non infamaverunt, verum etiam, ut par fuit, suis & laudibus ornaverunt, & exhortationibus cumularunt.* Id vero confirmare poterat Lupus, tum auctoritate concilii quarti [a] Toletani, quo clericis monachorum propositum, adeoque meliorem vitam sequi cupientibus, ingressum in monasteria interdici prohibetur: tum testimonio Gregorii [b] Magni, qui Desiderium Viennensem episcopum monet, ut ne Pancratium, clericum olim suum, postea factum monachum, in ecclesiam, cui antea mancipatus fuerat, revocare pergeret. Insignis est eam in rem epistola Petri [c] Venerabilis abbatis Cluniacensis ad Attonem episcopum Trecensem, quam suo loco, si Deus sirit, referemus. Neque his opponi potest concilii Cæsaraugustani canon sextus, quo excommunicatur clericus, qui monachus esse voluerit *propter luxum vanitatemque præsumtam;* ob idque *de officio sponte discesserit.* nam ratio interdicti in promtu est. Hujus argumenti alias retractandi non semel occurret occasio.

a Conc. Tolet. 4 c. 50.

b Greg. Mag. lib. 10. ep. 39.

c Petr. Ven. lib. 2. ep. 50.

LXIII. Hincmari alterum opus de prædestinatione, &c.

Statim post concilium Saponariense Hincmarus posteriorem librum de Prædestinatione composuit, eumque Carolo regi, uti & priorem, inscripsit. Constat hic liber capitulis octo & triginta, eoque potissimum spectat ut probet, Gothescalcum renovasse hæresim, si qua umquam fuit, veterum Prædestinatianorum; & ut quatuor Carisiacensia capitula, ab ipso edita, confirmet, vindicetque a censura patrum concilii Valentini, qui ea reprobaverant. Multa etiam dicit super canone septimo ejusdem concilii de irregularibus ordinationibus episcoporum, quo canone notari putabat suam ipsius ordinationem, cujus historiam fuse exponit. In hoc opere multus est in citandis pro sua sententia auctoribus circa prædestinationem, sed absque legitima crisi & idoneo delectu: ut ex eo patet quod Hilarium, cujus epistolam ad Augustinum laudat, cum Hilario Arelatensi episcopo confundit: quod concilium Arelatense, in quo Lucidus presbyter suum errorem abjecit, a Cælestino papa, longe ante hoc concilium mortuo, convocatum dicit: quod librum Hypognosticon Augustino, & librum de obduratione Pharaonis Hieronymo falso tribuit: quibus maxime libris suam de Prædestinatione sententiam tuebatur adversus duplicem Gothescalci prædestinationem, qui Fulgentii in primis auctoritate nitebatur. Fulgentii testimonia solvere conatur Hincmarus, an recte, viderint theologi. In hoc posteriori opere Hincmarus adhibet Flori Lugdunensis auctoritatem seu sermonem ad suam sententiam asserendam; mirum quod non etiam huc profert argumentum ex Amolonis archiepiscopi epistola ad Gothescalcum, quæ longe expressior pro sua sententia erat, ut superius [d] vidimus. Hanc autem epistolam ignorare non potuisse videtur Hincmarus, quippe quæ ipsi ab Amolone directa sit. Hinc nonnihil suspicionis oriri potest, an illa epistola vere sit Amolonis. Verum cum ab Amolone extremis vitæ suæ diebus scripta fuerit, forte missa non fuit ad Hincmarum, sed in ejus museo relicta, ubi post ejus mortem inventa sit. Nec proinde mirum, si ejus auctoritate Hincmarus non utatur.

d lib. 34. n. 44.

Idem præsul non multo post, alium librum scripsit de non-trina-deitate contra eumdem Gothescalcum & Ratramnum, qui ultimam hymni de sanctis martyribus strophbam, in qua *trina deitas* laudabatur, retinendam contendebant contra Hinc-

mari sententiam, qui eos ob id erroris arguebat, quasi ex eo tres deitates admittere viderentur. Hinc est quod in classe Gothescalci errorum Hincmarus hunc superaddebat, tametsi tam Gothescalcus, quam Ratramnus illam consecutionem pernegabant. Nec sane Hincmari prolixus hanc in rem liber evicit, ut ab hoc versu retinendo averteretur ecclesia.

LXIV. Caroli diploma pro Bello-loco. * Tusy.

Dum Carolus sub tempus habiti apud Saponarias concilii in palatio agri Tullensis Tusiaco * ad Mosam versaretur, ipsum adiit Rodulfus Biturigum antistes, ut monasterium Belli-loci, quod ipse proprio sumtu in pago Lemovicensi ædificaverat, suisque rebus hereditariis dotaverat, sub regia defensione ac tutela, ejusque abbatem Gairulfum ac successores recipere dignaretur. quod petenti annuit princeps. *Data* XV. *kalendas Julii, indictione* VII. *anno* XVIIII. *regnante Karolo rege gloriosissimo. Actum Tusiaco supra Mosam.*

LXV. Saxiacum monasterium condit Aurelianus. * Sessieu. * Sisteron.

Aureliani abbatis studium in monasticum ordinem non stetit in instaurando & reformando monasterio Athanacensi. quin etiam ad novum condendum cœnobium, Saxiacum * scilicet, convertit animum. Cumque ad id exsequendum non haberet satis facultatum, fundum loci a parentibus obtinuit. Atque ut res firmior ac validior esset, Saxiacum, aliaque prædia Remigio Lugdunensi antistiti tradidit *in vice Christi*, eo pacto, ut Remigius sibi tradita in jus novi monasterii transferret. Exstat hac de re apud Guichenonem in probationibus Sebusianis ipsius Aureliani testamentum de conditione Saxiacensis monasterii; tum Remigii episcopi de hoc ipso privilegium; ad hæc præceptum Caroli regis; denique privilegium decem episcoporum, qui apud Segusteronem seu Sistaricum * tum convenerant. Ex his primum & ultimum emendatiora sunt in elogio ipsius Aureliani a nobis edito. In eo Aure-
» lianus, exiguus, ut se ipse dicit, abbas, ait se a fratribus suis, Radberto piæ recor-
» dationis, Aiglardo, Amblardo quoque & Sigiberto, aliisque propinquis petiisse &
» postulasse locellum quemdam, in quo ædificaretur, fieretque cœnobium monacho-
» rum, viventium sub regula pii patris Benedicti: ubi sollemnis & jugis precatio
» fieret pro eis, & pro parentibus Aureliano & Adalsona, & pro dulcissimæ recor-
» dationis fratre suo Silvio, pro Ictore quoque & Arnulfo, Abone & Leuboïno ab-
» bate, aliisque propinquitate aut affinitate sibi conjunctis. Est autem locus ipse, in-
» quit, vocabulo Saxiacus, situs in pago Lugdunensi, non longe a Rhodano fluvio:
» ad quem locum pertinent villulæ complures in eodem pago; & in Belicensi Casti-
» niacus & Damascio; in Diensi vero Carrobolis villa cum ecclesia sancti Marcelli,
» quam ipsi dederat Leuboïnus abbas; ad hæc, quædam alia in pago Maurianensi.
» quæ omnia promta voluntate ait se Deo salvatori omnium offerre, & *in vice Christi*
» Remigio venerabili & religiosissimo archiepiscopo tradere, ea lege, ut idem vene-
» rabilis archiepiscopus jam a se cœptum monasterium perficiat in honorem Dei &
» sancti Benedicti, & beatissimorum martyrum Florentini & Hilarii; sicque voti sui
» desiderium per ipsum impleatur. Deinde velle se dicit, ut sui successorumque suo-
» rum temporibus, prout loci opportunitas & facultas tulerit, quotidie misericordiæ
» opera egenis & advenis exhibeantur. Denique ut ab hac die in perpetuum nullius
» terrenæ potestatis jugo subjaceant jam dicti servi Dei inibi congregati, scilicet in eli-
» gendo abbate: sed penes eos sit, quemcumque ex semetipsis abbatem ac pastorem se-
» cundum placitum Dei & regulam sancti Benedicti eligere voluerint. Factum hoc te-
» stamentum anno incarnationis dominicæ DCCC LVIIII. indictione VII. regnante
» Karolo rege, filio quondam Lotharii imperatoris anno tertio. Actum Lugduno
» publice.

LXVI. Badilo abbas primus.

Primus ei loco præfectus est Badilo abbas, ut patet ex litteris Remigii archiepiscopi, quibus ratam habet Aureliani traditionem, sibi in vice Christi factam; atque Saxiacum, aliaque prædia Deo salvatori omnium devote obtulit, & in vice
» Christi tradidit fratri Badiloni abbati, qui loco abbatis præesse & prodesse debeat;
» necnon fratribus inibi Domino militaturis sub regula pii patris Benedicti, ea
» lege, ut idem abbas una cum fratribus jam cœptum monasterium in honorem Dei
» & sanctorum prædictorum perficiat. Factum hoc privilegium anno & indictio-
» ne præmissis, regnante Karolo rege, filio quondam Lotharii imperatoris. Actum
» Sisterico. quæ clausula deest apud Guichenonem. Quis fuerit iste Badilo, quove ex monasterio assumtus sit, incertum. forte ex Athanacensi, quod Aurelianus abbas administrabat. nisi si is fuerit Badilo, qui ex comite monachus factus est in

ANN. CHR. 850.

Æduensi sancti Martini cœnobio; aut ipsius nepos cognominis, de quibus in actis sancti Hugonis monachi ejus loci. Quamquam hi ætate inferiores fuisse videntur; uti & Badilo, monachus, ut videtur, Vezeliacensis, qui corpus beatæ Magdalenæ Vezeliacum transtulisse fertur. Idem Badilo abbas laudatur tum in diplomate Caroli regis, tum in litteris synodalibus episcoporum Sisterico congregatorum, qui Aureliani testamentum post regem confirmarunt sub iisdem chronicis notis; rogaruntque coepiscopos suos & abbates, qui prædicto conventui præsentes non adfuerint, ut id ipsum confirment, cum sacræ institutionis instrumentum legerint.

LXVII. Villæ lupensis basilicæ dedicatio.

Præclarum est Herardi Turonensis archiepiscopi de Villæ-lupensis basilicæ dedicatione monumentum, quo testatur, se invitatu venerabilis abbatis Audachri consacerdotis sui, venisse ad quemdam locum, *qui communi vocabulo præteritis, præsentibusque temporibus Villa-lupa est nominatus*: quem locum cum rebus ad se pertinentibus, ecclesiamque juxta in Colomniaco * villa sitam, in sancti Sulpicii episcopi & confessoris honore dicatam, cum cunctis suis adjacentiis, familiam etiam utriusque sexus, quidam vir olim, ex illustri prosapia ortus, Maynardus nomine, facto legaliter testamento, per ipsum Herardum archiepiscopum, unice quondam ab eo dilectum, & Adalgaudum & Maynerium suæ stirpis propinquos, itemque per Dalgaudum avunculum suum, Trugaudum atque Moysem, ad normam monasticæ vitæ supradicto Audachro ad construendum monasterium, perpetua quoque religione ordinandum & gubernandum, prona voluntate in perpetuum tradiderit. quod opus cum per eumdem abbatem & alumnos suos monachos jam pæne absolutum esset, se ad eamdem cellulam accessisse, anno incarnationis Domini DCCC LVIIII. & quidem XV. kalendas Junii, cum plurimo confratrum & consacerdotum, tam suæ diœcesis, quam *comprovincialis* Bituricæ sedis, laicorum quoque nobilium collegio; relectisque instrumentis dotationis a prædictis viris factæ, necnon regiæ defensionis, eumdem locum in honorem sanctissimæ Trinitatis & Salvatoris dedicasse. quo die Audacher abbas rebus monasterii sui ecclesiam sancti Aniani de Spaniaco, in eodem pago sitam, prædictæ Villæ-lupensi basilicæ concesserit; ipse vero Herardus archiepiscopus paratas ex prædictis ecclesiis cum medietate decimæ donaverit. Ad hæc eumdem Audachrum petiisse, ut idem locus & fratres in eo degentes unam cum Cormaricensi societatem & individuam congregationem constituant. *ita ut hæ duæ aliquantulo terrarum spatio divisæ cellulæ, velut una, seu uno eodemque vinculo veræ & inviolabilis caritatis habeantur unitæ, uno quoque potiantur abbate: ita ut, sicut unus pastor & pater, unus fiat grex, unum idemque exsistat ovile*; habeantque licentiam fratres ejusdem loci sub regula sancti Benedicti & patrem sibi eligendi, ac defensorem tutoremque ejus loci. *Data* XIIII. *kalendas Junii*, *anno* XVIIII. *regnante Karolo rege gloriosissimo.* Huic instrumento subscribunt post Herardum archiepiscopum *Maynerius humillimus omnium abbatum*, & multi presbyteri ac clerici; tum *Rotbertus archiepiscopus*; & post eum multi etiam clerici; dein *Heribertus archiepiscopus* cum multis itidem clericis & laïcis. Hoc instrumentum in appendice integrum referemus, simul cum charta prædicti Audachri abbatis, quo numerum fratrum Villæ-lupæ ad viginti constituit, vetatque hunc numerum minui, sed augeri potius cupit. His litteris post Herardum subscripsere duo ejus successores, Rotbertus & Heribertus, pro more illorum temporum, quibus mos erat, ut successores antecessorum diplomata suis subscriptionibus firmarent. Qui Heribertus hic laudatur, is sine dubio est Herbernus archiepiscopus, qui Rotbertum præcessit, male postpositus a chartacei codicis scriptore, qui subscribentium ordinem non bene observavit.

* Coulange.

LXVIII. Epternacenses monachi fiunt canonici.

Hoc tempore in Epternacense Arduennæ monasterium, quod per centum ac quinquaginta ferme annos monachos habuerat, inducti sunt canonici sæculares, aut potius ejus loci monachi in canonicos deformati. Id factum dicitur instinctu quorumdam liberiorum monachorum, qui carnis voluptatibus indulgere volentes, titulis inter se disceptare cœperunt, & extra claustrum in villis, quæ suis titulis assignatæ erant, diversari, relictis monasticis institutis. Favit monachorum licentiæ Adelardus abbas & comes, cujus conniventia monachi demum cucullas abjecerunt, atque in eo statu permanserunt ad Ottonis Magni principatum, qui in canonicorum deficientium locum monachos restituit. Vide sis Bertelium in historia Luxemburgensi, ubi de hoc monasterio, ejusque abbatibus agit.

ANN. CHR. 859. LXIX. Abbates Sithienses.

Hic Adelardus etiam Stabulensis abbas erat, forte non alius ab Adalardo, Hirmintrudis regioæ Caroli Calvi uxoris propinquo, cujus meminere Annales Bertiniani. An vero idem fuerit cum Adalardo abbate Sithiensi, subdubito. Is anno præcedente apud regem Carolum incusatus, anno regiminis sui sexto-decimo privatus est abbatia Sithiensi, quæ VIII. kalendas Aprilis datur Hugoni sæculari canonico, filiu Conradi comitis, ejusdemque Caroli regis consobrino. Verum iste non integro biennio ea potitus, eamdem iterum Adalardo resignare cogitur anno ejus sæculi sexagesimo primo. Sic pro nutu Caroli præfecturæ monasteriorum mutabantur, ut jam sæpius vidimus.

ANN. CHR. 860. LXX. Sithiense monasterium a Nortmannis direptum.

ANno subsequente, qui octingentesimns sexagesimus erat, Nortmanni Somenam insidentes Carolo ternis millibus librarum argenti gravis pacti sunt, se contra Sequanenses Danos arma conversuros, ut eos aut cæderent, aut e Gallia expellerent. Horum fallacibus promissis nimium credulus princeps, gravem censum toti regno imponit, thesauros ecclesiarum emungit; nec sic tamen impositum censum conficere potuit. Tum Nortmanoi, obsidibus in reliquum acceptis, ad Anglo-saxones tendunt; a quibus profligati atque repulsi, alias partes petunt. Ex eorum sioe dubio numero fuere illi, qui Sithiense monasterium hoc anno diripuisse dicuntur in libro secundo de miraculis sancti Bertini. Hi nimirum prædæ avidi, plurima classe ad Iseræ-portum, vulgo Neoportum, in finibus Meoapiorum applicuere, & obvia quæque loca rapinis, cædibus & incendiis infestantes, ad famosissimum sancti Bertini monasterium accessere sabbato hebdomadis pentecostes. Mox illi, nullis ferme repertis monachis, qui omnes, præter quatuor, fuga se subduxerant, omnia diripiunt, & quatuor illos monachos, multis affectos vuloeribus ad prodendos latentes, ut illi putabant, thesauros adigere conantur: ex quibus tres semianimes relicti, Worardus scilicet & Winebaldus sacerdotes, ac Gerwaldns diaconus, quartus Rayoardus itidem diaconus, sed junior, a barbaris abductus, dum ire cum eis constanter negat, lanceis perfossus, una cum sanguine animam Christo libavit. Reversi alii fratres, mox Deum sibi placabilem facere conati, mores in melius reformare, damna resarcire, sarta-tacta reficere: tumque basilica sancti Bertini plumbo tecta est, ac nova turris in ea erecta: in qua dum artifex tholum pomiferum una cum cruce defigeret, a culmine lapsus, non sine miraculo illæsus in terram ruit.

LXXI. Egil & Ansbaldus abbates Prumienses.

Habitus est hoc anno Aquisgrani conventus duplex in causa Theutbergæ, nxoris Lotharii regis. unus ipsius principis jussu V. idus Januarii, cui adfuere Guntarius Coloniensis antistes, idemque summus capellanus; Tcutgaudus Trevirensis, Adventius Mettensis, & Franco Tungrensis; abbates duo, Hegil seu Egil Prumiensis, & Odelingus incerti loci: qui repudium Theutbergæ infami assentatiooe comprobarunt. Idem factum in posteriori conventu, medio Februario mense convocato. Hujus iniquæ sententiæ forte cum Egilem abbatem pæniteret, Prumiensem abbatiam sponte dimisit; tumque in ejus locum suffectus est Ansbaldus, *vir omni sanctitate & bonitate conspicuus*, testante Reginone ejusdem loci abbate, Ansboldus dictus a Lupo, qui ejusmodi litterarum permutationes amat, ut in Rotranno & Heriboldo licet advertere. De Ansbaldi patria & parentibus incerta est traditio Prumiensium, qui cum ex Luxemburgeosibus comitibus, vel potius ex Guerrii topharchis procreatum ferunt. Eum vero monachum fuisse Prumiensem constat ex Lupi epistolis[a] duabus ad Marcwardum abbatem Prumiensem, in quibus salutans fratres Prumienses, hos inter Ansboldum nominat. Duæ sunt aliæ ejusdem auctoris epistolæ ad eumdem jam abbatem, alias referendæ. Ad Egilem quod attinet, ipse in litteris de conditu Corbiniaci monasterii ait, se precibus compulsum Caroli regis, annuente Treverorum antistite, nempe Teutgaudo, a cœnobio Prumiensi recessisse ob pastoralem curam Flaviniacensis monasterii, quæ ipsi commissa fuit. Anonymus scriptor libelli de translatione sanctæ Reginæ virginis & martyris tradit, Egilem, prætenta imbecillitate corporis, obtinuisse vacationem a Prumiæ præfectura, ibique quietum resedisse; atque inde a Carolo arcessitum fuisse *stabilienda religionis gratia* in monasterio Flaviniacensi.

a *Lup. epist. 20. & 85.*

LXXII. Abbatiæ Caroli filius aliisque datæ.

Mirum est Carolo hanc curam fuisse, tot negotiis occuparo, maxime hoc anno, quo infeliciter contra Brittones dimicavit, ne quid dicam de Nortmannis, quorum aviditati explendæ totam ferme regni sui substantiam exhausit. Ad hæc inter

ANN. CHR. 860.

ejus principes magnum discordiarum incendium efferbuerat. Ex his Lambertus, qui ducatum inter Ligerim & Sequanam tenebat, Vivianum comitem dolo interfecisse traditur; Lambertum Gozbertus comes cum multis aliis oceidisse, ac demum Gozberto ipsi jussu Caroli caput abscissum fuisse. Turonensem sancti Martini abbatiam tenebat Vivianus comes. quo mortuo, Carolos eamdem Ludovico filio suo concessit, quam oon multo post Hucberto clerico conjugato; dein Hugoni abbati propinquo suo, Conradi comitis filio, resignari curavit. Carlomanno itidem, ejusdem Caroli filio, tradita est abbatia Laubiensis, ab Hucberto Teutbergæ fratre antea occupata, & pæne direpta.

LXXIII. Lotharius abbas S. Germani post Abbonem.

Vix annos duos cum aliquot mensibus in sede Autisiodorensi Abbo expleverat, cum fatis concessit III. nonas Decembris, in ecclesia beati Germani honorifice humatus cum fratre ac decessore suo Heribaldo, aliisque ejusdem sedis episcopis non paucis. Hunc excepit in episcopatu Christianus, natione Alamannus, quem recentiores eumdem esse volunt cum Christiano S. Germani ejusdem urbis abbate, eamque sententiam alias* secutus sum. tametsi in veterrimis actis episcoporum Autisiodorensium nec monachus, nec abbas dicatur. Certe Abbo S. Germani abbas fuit ante pontificatum, haud dubie post Christianum abbatem, qui Ludovico Pio imperante floruit, nec ad hoc tempus pervenisse videtur. Post Abbonem, qui S. Germani abbatiam etiam episcopus forte retinuit, Lotharius, Caroli regis filius, eam obtinuit, an proxime, non constat. Sunt qui Hugonem mox laudatum interponunt, sed nullo idoneo argumento, quem Lotharii successorem fuisse postea videbimus. Editum est hoc anno VII. idus Junias capitulare in basilica seu monasterio sancti Castoris apud Confluentes, ubi sancita est concordia inter Carolum-Calvum, ejusque nepotes Ludovicum, Lotharium, & Carolum, Lotharii imperatoris filios. Huic conventui interfuere cum Hincmaro archiepiscopo, Christiano, aliisque episcopis Wlfadus & Witgarius abbates: ex quibus Wlfadus abbas fuit Resbacensis, idemque, ut puto, sancti Medardi apud Suessionas: Witgarius vero cujus loci fuerit, necdum mihi compertum. Porro hæc capitula Lotharius rex *lingua Theodisca*, & Carolus *lingua Romana*, quæ nostra tum vulgaris erat, omnibus audientibus annuntiarunt, seque servaturos invicem promiserint.

* lib. 33. n. 27.

LXXIV. Concilium Tusiacense.

Mense Octobri proximo rursus convenerunt episcopi ex provinciis duodecim in villa Tusiaco * territorii Tullensis ad Mosam, ibique canones quinque conditi sunt: quorum in quinto præcipitur, ut clerici & monachi vagi ad episcopos & abbates suos revocentur. Vulgatis concilii actis subscripti inveniuntur, uti jam observavimus, Immo Noviomensis episcopus cum Rainelmo, & Erminfridus Bellovacus: qui tamen, uti & Immo, anno præcedente a Nortmannis cæsus dicitur in annalibus Bertinianis. Insignis est ejusdem concilii synodica epistola ad rerum ecclesiasticarum pervasores & ad pauperum prædatores.

* Tusy.

LXXV. Ado Archiepiscopus Viennensis.

Inter hujus synodi metropolitanos quarto loco subscriptus exstat *Ado humilis Viennensis episcopus*, qui Agilmaro in illa sede paullo ante subrogatus fuerat. Hic, cum monachus Ferrariensis esset, permissu Lupi abbatis sui primu Prumiam, dein Romam ac Ravennam, eruditionis ecclesiasticæ causa profectus; indeque revertens, Lugduni a Remigio pontifice ob doctrinam retentus fuerat: ubi cum versaretur, in locum Agilmari Viennensis antistitis electus est, agentibus Remigio Lugdunensi & Ebone Gratianopolitano. Id factum hoc ipso anno colligitur, tum ex actis concilii Lingonensis, circiter kalendas Junias anni superioris celebrati, cui Agilmarus interfuit: tum ex Tusiacensi hujus anni, cui Ado subscripsit sub undecimum kalendas Novembres: tum denique ex synodo Viennensi, quam Ado ipse habuit anno Christi octingentesimo septuagesimo, episcopatus sui anno decimo. Itaque Agilmarus ejus decessor annos novemdecim, non tantum novem, sedisse dicendus est, successor utique Barnardi nostri, quem anno ejus sæculi quadragesimo-secundo decessisse ostendimus. Adonis electio facta est post pridie nonas Julias, qui dies Agilmari supremus fuit. Huic electioni primum obstitit Gerardus illarum partium dux seu comes, ob eam videlicet caussam, quod Adonem e monasterio fuga elapsum crederet. Litteris hac de re pulsatus Lupus abbas, Adonem ab omni defectione & infamiæ labe purgavit, contestatus, *nihil impedire, si Deus eum vocaret, quo juste ejus infirmari posset electio.*

ANN. CHR. 860.

Operæ pretium videtur hoc loco integram[a] afferre epistolam, Gerardo duci & Bertæ ejus conjugi hac de re scriptam, quam ex restitutione duarum litterarum, ab eruditissimo Baluzio facta, Adoni nostro competere olim demonstravimus. Epistola sic habet.

[a] Lup. ep. 122.

Præcellentissimo duci G. & clarissimæ conjugi ejus B. Lupus præsentem & futurum salutem. Semper insignis fama de probitate vestra bonos quosque lætificavit: sed nunc in omnium notitia uberius effloruit, cum eamdem probitatem vestram successu profuturo christianis omnibus divinitas comprobavit. Illi laudes, illi gratia, illi exquisita preconia, quo auctore hostes molestissimos partim peremistis, partim fugastis. Cum vero quæ primo polliceri, postea promittere dignati estis, largiti fueritis, conabimur gratias cumulare. Ceterum, quod diligenter scrutamini, noveritis monachum & discipulum meum Ad. numquam a nostro monasterio aufugisse: sed ad petitionem beatæ memoriæ Marcwardi abbatis ex Prumia a nobis cum honeste directum, & cum illo aliquamdiu conversatum, quorumdam invidiosorum vitasse insidias; & inde discendi studio & quietis amore in urbe Lugdunensium constitisse. Reverentissimis autem viris Remigio memoratæ urbis metropolitano, & H.* Gratianopolitano instanter postulantibus, & conversationem memorati fratris laudantibus, quamquam olim meam verbis habuisse licentiam, etiam regulares litteras accepisse: quæ prolata, quid de eo senciam, fideli relatione fatebuntur. Litteras etiam eum ecclesiasticas habere a venerabili episcopo nostro Guenilone certissime scio: nec impedire aliquid, si Deus eum vocat, quo juste ejus infirmari possit electio. Bene apud nos conversatus est: quæ plurimum indiget ecclesia, idoneus est ad docendum: regularibus & pontificalibus fultus est epistolis: progenitorum nobilitate ornatur: in sancto proposito, judicio prædictorum antistitum, inter quos degit, devote perdurat. quid restat, nisi ut, quod sanctis præsulibus Deus inspiraverit, fiat? Quid autem mirum, si aliquando asperius aliquid super eo locutus sum? illud culpa fuit inimicorum ejus impudenter falsa vulgantium: illud, quod nunc litteris allego, meum est judicium, constanter prius visa, & postea comperta narrantis. Cupio vos valere feliciter.*

*al. Prumia.

* Ebbone.

Consecratus Ado archiepiscopus, haud dubie a Remigio & Ebone, promotoribus suis, statim professionem fidei suæ ad Nicolaum pontificem misit, ut ab eo litteras communionis de more acciperet. Exstat Nicolai ad eum epistola cum pallio missa, in qua eum submonet tristari se, quod in litteris professionis suæ quatuor dumtaxat generales synodos probaret, quinta & sexta prætermissis. explicaret proinde hac de re mentem suam. se vero interim pallium ipsi mittere cum capitulis synodi Romanæ, quam nuperrime tenuerat. Quid ad hæc rescripserit Ado, ignoramus: nisi quod in chronico, quod accepta dignitate composuit, aut certe absolvit, septimam synodum, nondum in Gallicana ecclesia receptam, rejecit. Non tamen propterea Nicolai offensam incurrit, immo confirmationem ecclesiæ suæ privilegiorum ab eo impetravit. Neque vero, ut moris est plerisque, suscepto honoris gradu in superbiam elatus fuit: sed magis in cœpta persistens humilitate, ut vetus breviarium Viennense loquitur, omnes quoque subditos secundum suum modum, Christi Domini, mitis & humilis corde, imitatores fieri assidue monebat.

LXXVI. S. Mauri abbatis translatio.

Sub idem tempus corpus sancti Mauri abbatis e Glannafoliensi monasterio in urbem Sagium ob metum Nortmannorum deportatum est ab ejus loci monachis: quos inter custos sacri corporis Girardus religiosæ vitæ presbyter laudatur, testis miraculi in villa Sameraco facti erga mulierem sanguinis vomitu laborantem. Aberat tunc ab urbe Sagio Hildebrandus episcopus, generali expeditione adversus Nortmannos indicta occupatus; missusque est obviam sacro corpori ex designatione cleri archidiaconus ejus sedis ad villam Merulam, quam rex Carolus ad suggestionem Ebroini Pictavorum episcopi sancto Mauro, ejusque famulis dato præcepto contulerat. Delatus sollemni pompa loculus sacer in sancti Juliani ecclesiam, ibidem per sesqui-annum religiose asservatus est, multisque illustratus miraculis: ex quibus Otgerius quidam, vir nobilis, quem Cadilo comes ejus propinquus eo adduxerat, diutino febrium languore liberatus est. Cum vero neque hoc in loco tutum esset a creberrimis paganorum eruptionibus asylum; sancti viri corpus per diversa loca devectum, demum citra fluvium Ararim in fundo Audonis comitis recondi-

ANN. CHR. 860.

tum ac collocatum fuit : ubi per tres ac ſemis annos cuſtoditum , variis miraculis coruſcavit : dum raodem in Foſſatenſe monaſterium tranſlatum eſt. Hæc omnia Odo abbas, rerum teſtis oculatus , litteris mandavit. Glaber Rodulfus auctor eſt, Glannafolienſes hoſtium infeſtationibus expulſos ac fugatos fuiſſe e monaſterio, quod ſanctus Maurus in Andecavenſi territorio exſtruxerat ; venienteſque ad Pictavenſe ſancti Savini monaſterium , ſecum totam , quoad fieri potuit , ſupellectilem attuliſſe : ubi per aliquod ſpatium temporis conſtiterint, iis ſedulam operam dantes, quæ a ſancto Mauro acceperant. quo ex loco eadem inſtitutio propagata ſit ad Æduenſe ſancti Martini monaſterium ; atque inde in Balmenſe, ac demum in Cluniacenſe, ubi jam pæne defeſſa ſedem fixerit. Id ut verum ſit , factum oportuit ante delationem corporis ſancti Mauri in urbem Sagium. niſi dixeris, Glannafolienſes duas in turmas diviſos, alios cum ſancti Mauri corpore Sagium ſe recepiſſe, alios cum ſacra ſupellectile in munitiſſimum ſancti Savini monaſterium: quo ſanctorum Maxentii, Florentii, ac Romardi reliquiæ eadem tempeſtate tranſlatæ ſunt.

LXXVII. Caroli pancharta pro Corbione.

Eadem procella exagitatum eſt Corbionenſe pagi Carnutenſis monaſterium, quod Frodoïnus abbas ad hoc tempus adminiſtrabat. Ejus loci chartæ partim crematæ, partim ablatæ. quæ res ne monachis detrimento verteret , omnes eorum poſſeſſiones generali præcepto (panchartam vocant) Frodoïnus a Carolo confirmari petiit. Supplicanti annuens princeps, regio diplomate ſancivit, ut quidquid jure regali vel eleemoſynarum largitione eidem loco ad id tempus collatum fuerat , *per hanc panchartam* ſub regia tuitione & monachorum poteſtate perpetuo conſiſteret, adnotatis nominibus comitatuum, in quibus ipſæ res ſitæ erant, ut comites facilius diſpicerent , quibuſnam locis regiam tuitionem impendere deberent. Hi comitatus erant Carnotenus , Stampenſis, Pariſienſis , Belvacenſis, Vindocinenſis , Aurelianenſis , in quo villa *Cambort* ad Corbionenſes pertinuiſſe dicitur ; Dunenſis, in quo cella Divacus ; Cenomaonenſis & Andecavenſis , præter pagum Dorcaſſinum, in quo ſitum erat Corbionenſe monaſterium , alioſque pagos minores , qui comitatus nomine haud cenſebantur. Data eſt hæc charta anno viceſimo-primo regni Caroli glorioſiſſimi regis : ſed locus , ubi data eſt , non exprimitur in exemplo, quo uſi ſumus, referendo illud diploma , ubi de tranſlatione ſancti Launomari egimus in actis tomi ſecundi Sæculi quarti Benedictini.

LXXVIII. Anſcharii liber de miraculis S. Willehadi.

Eodem tempore Anſgarius ſeu Anſcharius, Bremenſis eccleſiæ præſul , librum de miraculis ſancti Willehadi , ejuſdem ſedis primi epiſcopi , compoſuit, atque univerſis per orbem chriſtianum fidelibus inſcripſit. His vero miraculis, quæ Bremæ in dies ad ſancti Willehadi tumulum fiebant , magnum ait declarari catholicæ fidei argumentum, dum , quod inviſibiliter peragit divina majeſtas , indubitanter cælitus factum agnoſcit fides , tamquam oculis ipſis id cerneretur ; & ſanctorum ea deputat meritis, quæ in eis fiunt locis, ubi eorum reliquiæ habentur & coluntur. Nec tamen in his tantum locis : *verum ubicumque fideliter invocati, per eum, qui ubique præſens eſt, potentia & majeſtate Creatoris meritum ipſorum remunerantis , in omni loco dominationis ejus ſuffragari creduntur.* tum ſubdit, non immemorem eſſe Deum eorum , quos redemit : *verum, inter innumera paganorum infeſtantium diſcrimina, omni pæne ſolatio deſtitutis* hanc ſupernæ viſitationis voluiſſe impendere gratiam, ut de divina multo certius præſumerent clementia , qui tantum , tamque Deo acceptum patronum in ſpiritu, ut & in corpore ſecum manere non dubitarent ; nec timerent , licet vaſtatam , denuo inhabitare patriam, in qua ſibi adeſſe ſanctiſſimi patris merita non diffiderent : immo læti deſertas repeterent ſedes, quos licet hoſtilis incurſio fecerit exſules, bonis exuberantes divina rurſus reconciliaverit benignitas : nec deſperarent ſibi præſidia ſancti in omnibus adſutura , cujus virtutem tam multiplicem in ſanandis varie vexatorum ſenſerant flagrare corporibus. His incitamentis vir ſanctus ſuorum animos relevabat, & excitabat ad perferendas perſecutiones, quibus a vicinis Saxonibus, Daniſve paganis in dies impetebantur.

LXXIX. Ludovici Germaniæ regis epocha iterum aſſerta.

Obſervatu digna eſt epocha horum miraculorum , quam Anſcharius libro ſuo ſic præmittit. *Anno itaque incarnationis Domini* DCCC LX. *regni vero domini noſtri ſereniſſimi principis HLudowici* XXVIII. *indictione* VIII. *in eccleſia Bremenſi cœperunt divinitus agi miracula , & de die in diem multiplicius creſcere : ita ut jam longe , lateque per populos rumor increbreſceret plurimus , vere divinam in eodem loco apparuiſſe*

ANN. CHR. 860.

gloriam, & merita beati Willehadi, in eadem basilica requiescentis, honorabili virtutum flore pullulare. His miraculis referendis supersedemus; sed hæc verba huc adducere visum est, quibus calculus noster [a] de annis Ludovici Germaniæ regis diserte confirmatur.

[a] V. lib. 33. n. 30.

Altahæ facta donatio.

Nihil opportunius ad propositum occurrere potest, quam diploma ipsius Ludovici regis, Altahæ-inferiori hoc anno concessum, a Cointio perperam ad annum ejus sæculi quadragesimum-quintum relatum, quo idem princeps rogatu Bribini ducis approbat donationem quarumdam rerum, eidem a Ludovico ipso concessarum, factam Altahensi sancti Mauricii monasterio, cui Otgarius abbas præerat. *Data x. kal. Martii, anno Christo propitio* XXVIII. *regni domini Ludovici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, indictione* VIII. quæ ipsissima est epocha, quam modo ex Anscharii libro protulimus. *Actum Regenspurg civitate regia.* In fine Anscharius agit de translatione sancti Willehadi in novam basilicam, facta VI. idus Novembris, qui itidem dies depositionis ejus est. In quibusdam aliis diplomatibus [b] ejusdem Ludovici regni initium desumitur ab anno DCCC XL. quo Ludovicus augustus ipsius parens decessit; in aliis denique ab anno præcedente: quem calculum secutus est auctor necrologii sancti-Gallensis, apud Goldastum, ubi eclipsis facta dicitur v. *nonas Octobris, hora secunda noctis sequentis anno* XXII. *regni HLudowici regis in orientali Francia.* siquidem eclipsis hac ipsa die & hora anno DCCC. LX. facta est secundum tabulas Rudolfinas.

[b] V. lib. 34. n. 30.

LXXX.
S. Pusinnæ translatio Herfordiam.

Herfordense in Saxonia cœnobium virginum tunc regebat Hadwic abbatissa, quæ Warini Corbeiensis abbatis consobrina fuisse traditur. Hæc monasterium suum quibusdam sacris reliquiis locupletare cupiens, corpus sanctæ Pusinnæ virginis, quod in *Bansionensi vico* pagi Ambianensis servabatur, a Carolo rege expetiit, sibique concessum in suum monasterium transferri hoc anno curavit, sanctæ Pusinnæ ab eo tempore subinde appellatum. Pusinna, virgo Deo sacrata, ex pago Pertensi diœcesis Catalaunensis claris orta parentibus, florem suæ virginitatis cum sorore Lutrude sub sancti Alpini episcopi disciplina Christo consecravit. Hæc post obitum parentum secessisse dicitur *in vicum Bansionensem*, qui sibi ex paterna hereditate sortito contigerat, ibidemque sepulta fuisse. *Basionensem vicum* appellat Saussaius, ibique monasterium exstitisse ait, sed nullo fundamento, ubi Pusinna velamen sacrum assumserit. Basivum * hoc loco significari veri simile est, villam olim regiam in agro Ambianensi, de qua vide librum quartum de re diplomatica. Nec plura ex actis sanctæ Pusinnæ [c] referre juvat, sane parum accuratis.

* Baisieu.
[c] Bolland. 23. April.

Freckenhorstense & Hersenbrocense parthenia.

Præter monasteria Herifordense & Bodecense, duo alia hoc tempore virginum cœnobia in Westphalia condita sunt, Freckenhorstense nimirum & Hersenbrocense. Primum conditum, dotatumque est ab Ewerwordo, primæ & opulentæ nobilitatis viro, in episcopatu Mimigardewordensi, haud procul Warendorpio ad Amasim fluvium, Liutberto episcopo pium opus approbante. Constructo monasterio Ewerwordus Thiathildem, adoptivam filiam, abbatissam præfecit, ibique virginum cœtu recte instituto, cui Geva ejus uxor se mancipavit, ipse abdicata omnium rerum possessione, in Fuldense monasterium secessit. Superest ad hoc usque tempus sub habitu canonicarum virginum istud collegium, in quo Thiathildis abbatissa & Geva pro sanctis habentur. Hæc ex actis sanctæ Thiathildis virginis, a recentiori auctore conscriptis, quæ Bollandus in appendice ad Januarii tomum secundum retulit.

Alterum per id tempus puellarum cœnobium [d] Hersenbrocense a Walburge nobili matrona, & filia ejus Duda ex paternis bonis constructum, dotatumque post obitum Eccardi, nobilissimi per Westphaliam viri. Collecto virginum cœtu, mater & filia idem sanctioris vitæ institutum amplexæ sunt. Locum, ut veteres tabulæ produnt, Egiberto Osnabrugensi episcopo subjecerunt.

[d] Annal. Paderborn. p. 253.

LXXXI.
Ambrosianæ basilicæ abbates.

Mediolani apud Insubres Andreas, basilicæ Ambrosianæ abbas, anno superiori locum dicitur fecisse Petro abbati, quem vicesima-nona Februarii creatum Puricellus [e] scribit. Verum, si diem accurate notat iste auctor, Petrus creari non potuit ante hunc annum bissextilem, quo Februarius diebus viginti-novem constabat. Suffragatur huic calculo Petri epitaphium, in quo Ambrosianæ basilicæ annos quadraginta & unum, mensem unum, dies quindecim præfuisse traditur, & pridie Octobris obiisse. Erratum est in mense creationis ejus, vel depositionis. siquidem a Februario

[e] Puricell. p. 198.

ANN. CHR. 860.

a Februario ad pridie idus Octobris septem amplius menses intercedunt. Exstat Thadonis [a] Mediolanensis archiepiscopi privilegium, Ambrosianæ basilicæ, postulante Petro abbate, concessum, quo Olivetum apud Limootas, a Lothario imperatore quondam collatum, eidem loco restitui jubet; annuitque, ut juxta ecclesiam sanctorum Vitalis & Agricolæ *ecclesia infirmorum* in honorem beatorum Petri & Pauli construatur; illique sacerdotes, quos pro sua *utilitate, ad celebrandum missarum sollemnia in eadem ecclesia*, scilicet Ambrosiana, Petrus *noviter collocaverat*, in concivium sacerdotum consortio annumerentur. Ad hæc, ut, sicut prisca consuetudo tenet, idem abbas ejusque successores, diebus dominicis ac sollemnibus, *indutus sandaliis, ceterisque episcopalibus ornamentis*, in ecclesia beati Ambrosii divinum officium celebrare possit. Præterea confirmat eidem monasterio, monachisque in eo degentibus, omnes oblationes, quæ in eadem ecclesia a Christi fidelibus quoquo modo fiunt, omnesque ejus possessiones. Denique vetat, ne abbas ibi ordinetur, nisi ex ipsa congregatione, si talis ibi repertus fuerit, qui eos secundum regulam gubernare valeat. Si genuinum est hoc privilegium, nullum eo antiquius reperias, quo usus episcopalium ornamentorum abbatibus Ambrosianæ basilicæ conferatur, immo confirmetur, ut *prisca* jam tenebat *consuetudo*, ut in privilegio legitur. quod novum omnino & pro tempore insolitum est. Verum hujus privilegii sinceræ non sunt chronicæ notæ, nec convenit annus ejus octingentesimus sexagesimus-sextus cum indictione undecima, quæ anno sexagesimo-tertio respondere debet, ne quid dicam de anno Ludovici imperatoris vicesimo-quarto, qui neutri, id est anno incarnationis & indictioni prædictis, facile accomodari potest.

a *ibid p. 100.*

Episcopalia abbatum ornamenta.

Annos Ludovici imperatoris rectius notat Audi Veronensis episcopi testamentum, anno ejus imperii undecimo, indictione octava, id est præsenti anno, conditum, quod Ughellus [b] Ludovico Pio perperam tribuit. Hoc testamento pius præsul prædium quoddam fundi Veronensis in loco Seciano legat monasterio sanctæ Mariæ de Organo, cui Rimaldus abbas tunc præerat, ea conditione, ut suis rogatoribus seu testamenti executoribus in die ipsius obitus a monachis suppeditentur argenti boni libræ quinquaginta, in sacerdotes & pauperes Christi erogandæ: quas ejus heredes monachis restituant, si quando hoc prædium a patriarcha vel abbate subtrahi contigerit. Annus Ludovici undecimus recte hic repetitur ab anno undequinquagesimo, quo imperator coronatus est vivente patre.

Audi episcopi Veronensis testamentum.

b *Ital. sac. to. 5. c. 612.*

ANN. CHR. 861.

LXXXII. Normanni Parisios incendunt, aliaque vastant.

DAni mense Januario anni proxime sequentis Luteciam-Parisiorum tertium invadentes, incendio tradunt, cremantque suburbanam basilicam sanctorum Vincentii & Germani, & usque ad castrum Miliduoum omnia circumquaque depopulantur. Hoc nuntio exterriti Germanenses monachi, qui cum corpore sancti Germani patroni sui in villam Acmantum * pagi Senonensis confugerant, ad aliam itidem sui juris villam ad Matronam, quæ Novigentum-Artaldi vocatur, se recipiunt: ubi facta miracula, quæ Aimoinus litteris mandavit. Alii ejusdem gentis piratæ in Teruannensem pagum irrumpunt, totumque devastant. Alii vero, qui pridem Morinorum civitatem incenderant, ab Anglis reversi, duce Welando cum ducentis amplius navibus per Sequanam ascendunt, & a Carolo conducti in Oscello insula præsidium Normaonorum obsident, & ad deditionem cogunt; simulque conjuncti, cum mare ingredi imminente hieme prohiberentur, in singulos portus super Sequanam dividuntur. Welandus Milidunum cum sociis progreditur: castellani vero cum ejus filio cognomine Fossatense monasterium occupant.

* *Esmant.*

LXXXIII. Hunfridus de relinquendo episcopatu cogitat.

Inter hæc Teruannensis pagi vastatione commotus Hunfridus e nostris Morinorum antistes, de abdicando episcopatu cogitat, seque Prumiam recipere meditatur. quod inconsulto Romano pontifice facere non ausus, Nicolaum papam hac de re consulit. Negavit pontifex id ipsi licere. quippe si perniciosum est proreram in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus? Licere tamen fuga saluti suæ consulere, ut, reducta serenitate, populum sibi commissum recolligere possit. quod Nicolai responsum retulit [c] Gratianus: cujus caput *Clericum* [d] eidem Hunfrido inscriptum esse debere monet Sirmundus, uti & capitulare vicesimum Caroli Calvi editum in synodo Carisiacensi. Paruit sententiæ pontificis Hunfridus, & in sua sede ad obitum usque perseveravit.

c *Decr. c. 7. q. 1. c. 7.*
d *dist. 50.*

ANN. CHR. 861.

LXXXIV. *Ferrarienses in Trecensem pagum se recipiunt.* Lupo abbati Ferrariensis monasterii, quod Miliduno castro vicinum est, non minor a barbaris metus; nec tutum visum est in loco patenti ac minime munito consistere, cum nec urbibus ac castris ipsis sua tuta essent præsidia. Asylum itaque alio quærenti locum in sua parochia humanissime obtulit Folcricus Tricassinus episcopus, qui recens Prudentio successerat, & in hoc rerum articulo Lupum ægrotantem inviserat. Hic locus est Aquense * prædium, septem leucis ab urbe Tricassina distans: ubi Lupus cum suis per has tempestates substitit. Postliminio demum Ferrarias reversus, Folcrico insigni epistola ᵃ debitas gratias agit *ad condemnationem avaritiæ, commendationemque invictissimæ caritatis. Nam cum aliquam insulam Sequanæ*, inquit, *pagani, crudelissimi piratæ, applicuissent, quæ sita est sub Melleduni opido ab aliis recens exusto*, non Oscellus, quæ paullo supra Rotomagum, *& eorum viciniam nobis, ut erat, periculosissimam, nisi Dei miseratio subveniret, duceremus; nec in monasterio consistere audebamus, nec, quo migrare possemus, depressi ærumna tantæ calamitatis, inveniebamus. Inter hæc, cum me graviter ægrotantem visitatum venissetis, ac nos ingenti exterritos metu offendissetis; illico absque ullo deliberationis tædio nostrum exonerastis pudorem, &, prævenientes nostram supplicationem, obtulistis prædium Aquense, dominationis vestræ præcipuum, in quo tutius malitiam temporis vitaremus, tenendæ nostræ professionis opportunitate non penitus destituti.* ubi mirari subit nostrorum religionem, qui asylum quærere coacti, non urbes, sed rura sectabantur, ubi *tenendæ professionis* suæ major esset opportunitas. Pergit Lupus gratias hospiti suo agere. *Ergo attoniti, abundante ubique iniquitate, & refrigescente caritate multorum, admirati sumus diebus nostris aliquem repertum, qui cum tanto rei familiaris detrimento & imminutione, indigentibus subveniret. Nimirum hoc fuit a fratribus necessitatem patientibus non claudere viscera, hoc fuit episcopaliter compati, hoc postremo caritatem implere.* Ex quo intelligitur, Folcricum non solum hospitium, sed etiam commeatum Ferrariensibus suppeditasse. quod insigne exemplum est caritatis episcopalis. Deinde amice rogat, ut Aquensis fundus suo perfugio, si infelicitas similis acciderit, sit destinatus; contineantur ædificia; hortus etiam diligentius excolatur; agri ad hoc apti vitibus conserantur, acervi frugum justi laboris industria multiplicentur: ut & ei suppetat, quod de more quotannis indigentibus tribuat, & quod opem quærentibus misericorditer largiatur; denique, si se suosque Ferrarienses ultima necessitas eo traxerit, latibuli ejus asperitas memoratis subsidiis leniatur. Reversis domum litteris gratulatus est Ansboldus Prumiensis abbas, Lupi amicus: ad quem duas ᵇ ipse rescripsit epistolas, in quarum priore gratias agit, quod tribulationes ipsorum dolenter audierat, & anxius adspexerat. Similia passos fuisse Prumienses ipsos Lupus satis indicat, gaudere se significans, eos tandem aliquando gratia divina loco proprio restitutos.

* *Aix en Oth.*

ᵃ *Lup. ep.* 125.

ᵇ *Id. epist.* 117. & 123.

LXXXV. *Conventus duo.* Duo hujus anni conventus memorantur. unus procerum, habitus Compendii, in quo Carolus Rotberto comiti, Forti a posteris dicto, ad suas demum partes pertracto, ducatum inter Ligerim & Sequanam adversus Brittones commisit, quem ille cum insigni virtute & industria per aliquantum tempus rexit. alter episcoporum, apud Suessionas ab Hincmaro archiepiscopo convocatus in basilica sanctorum Crispini & Crispiniani, in quo Rothadum ejus urbis episcopum, regulis ecclesiasticis, sic dictitabant, obedire nolentem, episcopali communione, donec obediret, privavit. Accusationis caput erat, quod presbyterum immerito, ut objectabant, depositum restituere nollet. qua de causa damnatus ipse apostolicam sedem appellavit; sed ne Romam adiret, variis artibus impeditus ab Hincmaro est, qui vetere in ipsum odio flagrasse dicitur, ac demum gradu suo dejectus, alterque in ejus locum substitutus, nimirum Engelmodus, seu Angelmodus, qui carmen de Paschasio Radberto adhuc vivente composuit: sed tandem per varia loca distractus vexatusque Rothadus, Nicolai papæ auctoritate restitutus, Romæ in concilio Romano pristinæ dignitatis insignia recepit. Prioris conventus seu placiti meminere annales Mettenses, posterioris Bertiniani: in quibus Carolus rex *filium suum Lotharium, claudum, in monasterio sancti Johannis*, nempe Reomaënsi, *clericum fieri jussisse* perhibetur. Id de monachatu interpretandum Roverius negat. tametsi passim, ubi quis in monasterio clericus factus dicitur, id de monastica tonsura, deque monastici habitus susceptione intelligitur. Lotharius etiam ejusdem loci abbas fuit, itidemque monasterii sancti Germani Autisiodorensis, ut anno sequente videbimus.

Lotharius fit monachus apud Reomaũ, & abbas.

ANN. CHR. 861. LXXXVI. Caroli diploma pro sancto Dionysio.

Ineunte Martio hujus anni Carolus in Verno palatio versabatur, uti discimus ex ejus præcepto, quo permutationem quorumdam bonorum, a Ludovico abbate Dionysiano & quodam Witramno factam, confirmavit. Permutationis hæc summa [a] est, quod venerabilis abbas HLudovicus, quem Carolus sibi carissimum, consanguineum ac propinquum suum dicit, Witramno dat res quasdam monasterii sancti Dionysii, sitas in pago Brachbantensi, in loco, qui appellatur Cambaronna * super fluvium Asbram: contra vero Witramnus partibus sancti Dionysii res quasdam suæ proprietatis, sitas in pago Bellovacensi apud Bladoldi-villam. cujus commutationis charta duplex eodem tenore conscripta est, regio præcepto roborata. *Data pridie nonas Martii, indictione* VIIII. *anno* XXI. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Verno palatio.* Idem rex in urbe Silvanectis residebat mense insequente, cum cellæ, ut ipse vocat, Cormaricenæ, cui Audacher abbas præerat, contulit ex rebus sancti Martini villam Cambortum, sitam in pago Turonico super fluvium Agneris. *Data idibus Aprilis, indictione* VIIII. *anno* XXI. *regnante Karolo rege. Actum Silvanectis civitate.* Mense autem Augusto commutationem quorumdam mancipiorum ex villa Campania, sita in pago Camliacensi super fluvium Iseram, factam inter Ludovicum abbatem & quemdam Sigemundum confirmavit. *Data* IV. *nonas Augusti, indictione* IX. *anno* XXI. regni ejus. *Actum Kala monasterio*, ubi tum rex morabatur, in palatio scilicet regio. Eadem indictio apponenda ejusdem regis [b] præcepto, quod hoc ipso anno obtinuit Theodosius abbas monasterii sanctorum Emeterii & Genesii in pago Gerundensi, in confirmationem regiæ tuitionis, quam olim Deodatus abbas a Ludovico Pio ad preces Gauzelini marchionis impetraverat, tam pro ipso monasterio, quam pro cellis eidem subjectis. *Data* XIII. *kal. Decembris, indictione* VIII. lege VIIII. *anno* XXI. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in Pontione palatio regio.* Certe istuc venit hoc anno Carolus, cum ex Burgundia rediit, Matisconem usque profectus, ut regnum Provinciæ Carolo regi, Lotharii augusti filio, eriperet. quæ res non bene ei successit, ex Annalibus Bertinianis.

a Diplom. pag. 534.

* Cambron.

Alia pro Cormarico & pro S. Emeterio.

b Capitul. append. n. 89.

LXXXVII. Insulæ-barbaræ privilegium & abbates.

Quod attinet ad hunc Carolum Provinciæ regem, is hoc etiam anno Insulæ-barbaræ privilegia confirmavit rogatu Remigii Lugdunensis archiepiscopi, postulante Gundramno ejus loci abbate, prout ea jam dudum concesserant superiores reges, Carolus Magnus & Ludovicus Pius, ad preces Leidradi archiepiscopi. Hæc privilegia erant regiæ tutelæ, sub hac conditione, ut annis singulis ab eodem cœnobio quæstoribus proprii antistitis argenti libra persolvatur. *Data* XI. *kalendas Septembris, anno Christo propitio Karoli regis quinto, indictione nona. Actum Mantalo.* * qui locus est pagi Viennensis, sancti Petri cella ordinis Cluniacensis insignitus. Gundramnus abbas quintus numeratur a Benedicto abbate, cujus causa Leidradus primum hæc privilegia obtinuit. Hunc sequuntur Alaricus, Bartholomæus, notatus in libello societatum Augiensium; tum Argericus, & Herbertus, quem Gundramnus excepit. De hujus successoribus usque ad Eldebertum, qui principatu Conradi regis, cognomento Pacifici, abbatiam rexit, nihil fere certum præter nomina, forte nec satis explorata. Decem omnino enumerat Claudius Laborator [c] in ruderibus Insulæ-barbaræ, in his Leuboinum chorepiscopum tempore Aureliani pontificis.

* Mante.

c Labour. pag. 61. & seq.

LXXXVIII. Mediani-monasterii desolatio.

Regnante Lothario, Medianum-monasterium pæne in vastam solitudinem redactum legitur: cujus rei hæc affertur causa. Hoc monasterium, quia imperiale censebatur, militiæ onera sustinere cogebatur, sufficiendis ad exercitum militibus triginta. Cum vero bella per id tempus continua essent, sic locus iste bellicis sumtibus attritus est, ut huic militum numero suppeditando impar omnino esset. Quare indignatus Lotharius, abbatiam illarum partium duci tradidit. Mox ille fratres vexare, mille quingentos & undecim mansos in suos usus convertere, unica villula eis ad victum relicta; cellas eisdem subtrahere, & monachos ex eis expellere, tum omnes ad monasterium revocari, cum vitæ subsidiis destituti essent, alio victum quæritando vagari cœperunt, cum vix deni vel duodeni in principe monasterio sustentari possent: qui cuncta sibi licere arbitrati, sanctæ religionis formam omnino exuerunt; tandem sub finem hujus sæculi ad pauculos canonicos redacti.

LXXXIX. Meginradi martyrium.

Vixerat ad hunc annum in solitudine prope lacum Tigurinum Meginradus monachus Augiensis, cum duo sicarii, prædæ avidi, in ejus cellam irrumpunt, dum vir sanctus sacris operaretur. Peracto sacro, sicarios benigne accipit, a quibus fuste cæditur, ac compresso gutture suffocatur. Non longe inulti abierunt diri carnifices,

ANN. CHR. 861.

qui Adalberti comitis judicio meritas dedere pœnas. Corpus sacrum ad monasterium Augiam transtulit Walterus abbas, quem Folcwino ante triennium successisse diximus. Occubuit sanctus Meginradus XII. kalendas Februarii, martyr dictus pro more illorum temporum: qui dies ad annum præcedentem secundum veterem calculum referri potest, ad præsentem secundum novum. Ejus oratorium etiam nunc visitur in monte lacui Tigurino incumbente, haud procul ab Einsidlensi monasterio, in quo ab annis amplius sexcentis ejus reliquiæ asservantur.

XC. Waldo abbas exsul.

Interim Ludovicus rex Germaniæ conventum Ratisponæ habuit tertia septimana post Pascha, in quo Ernustum *summatem* inter omnes optimates, violatæ fidei reum, honoribus privavit, Utonem quoque & Bernegarium ejus fratrem atque Sigibardum comites, Waldonemque abbatem cum aliis nonnullis, tamquam ejusdem facinoris conscios: ex quibus Uto & Bernegarius cum Waldone fratre suo, ut habent annales Fuldenses, in Galliam ad Carolum regem se receperunt. Waldonis abbatis monasterium nobis ignotum. Is videtur esse monachus ille *de monasterio Treverensis parochiæ*, qui Trevirensem ecclesiam usurpasse dicitur apud Hincmarum & Frodoardum [a].

a *Frod. l. 3. c. 20.*

XCI. Ludovicus imperator Gislam filiã Deo offert.

Brixiæ in Italia monasterium Salvatoris & sanctæ Juliæ, Novum appellatum, rexit ad hunc usque annum Gisla, Ludovici secuodi imperatoris soror: qui dilectam filiam suam, itidem nomine Gislam, Deo vovit, atque in eodem cœnobio sub monastico [b] habitu consecravit, eo pacto, ut cellas & curtes, ad ipsum monasterium pertinentes, diebus vitæ suæ possideret, regeretque secundum institutionem sancti Benedicti; &, si forte ante matrem decessisset, mater ejus abbatissa Ansilberga hæc omnia usu-fructuario itidem obtineret. *Data idibus Januarii, anno imperii domni HLudovici piissimi augusti xi. indictione ix. Actum Brixia civitate.* Non diu supervixit Gisla abbatissa, soror Ludovici, mortua v. kalendas Junias ejusdem anni, uti discimus ex diplomate [c] ipsius imperatoris, dato pridie idus Januarias anni sequentis, quo diplomate sanctimonialibus ejusdem loci quædam prædia donat, ut ipso die congrua eis refectio exhibeatur. Idem hoc anno [d] jura & possessiones omnes monasterii Bobiensis confirmavit ad preces Amalrici, Cumensis ecclesiæ episcopi & abbatis Bobiensis. Actum Mariogo palatio regio, nonis Octobris, anno ejus imperii undecimo, indictione nona.

b *Bullar. Casin. tom. 2. p. 30.*

Gislæ abbatissæ obitus.

c *ibid. p. 33.*

d *ibid. p. 31.*

ANN. CHR. 862.

XCII. Caroli domestica & publica mala.

POstero anno ad publicas calamitates Carolo domestica infortunia obvenere. Hic, celebrato apud Pontigonem natali Domini, per urbem Remorum Suessionas venit, ubi Judith filiam suam, quam post mortem viri sui Ethelwlfi regis Anglorum Silvanectis custodiri præceperat, a Balduino comite raptam fuisse accepit. Nec multo post filii ejusdem, Carolus rex Aquitanorum, vix quindecim annos natus; & Ludovicus natu-major, in patrem rebellis, inconsulto patre, nuptias contrahunt. Non tulit rex Balduini injuriam, sed civili damnatum judicio, etiam communione ecclesiastica per episcopos privari curavit. Ludovico filio in gratiam recepto Meldensis comitatus cum abbatia sancti Crispini Suessionensi concessus.

XCIII. Normanni Meldos petunt.

Interim Normanni, qui ad Fossatense monasterium consederant, naviculis Meldos progredi constituunt. quo audito, Carolus, qui ex urbe Suessionum Silvanectas venerat, collectis copiis eo pergere maturavit. Sed cum pontes a Normannis destructi essent, navesque occupatæ, pontem ad Insulam secus Trejectum, seu Trajectum * quod Baldulfi vocant, reficit; sicque piratis descensum intercludit. Illi itaque in summas redacti angustias, pacem his conditionibus obtinent, ut captivos, quos ab ingressu in Matronam ceperant, statim redderent, & ad mare sine mora cum aliis redirent. quod illi datis obsidibus exsequi properarunt, refecta ad Gemeticum classe in mare continuo regressi. Paullo post Welandus horum dux cum uxore ac filiis ad Carolum venit, ejurataque inanium deorum superstitione, christianam religionem amplexus est. Hoc modo Meldensem illam expeditionem narrant Annales Bertiniani.

* *Tribaldou.*

XCIV. S. Faronis basilica intacta.

Rem aliter exponit vetus auctor, qui librum de vita sancti Faronis composuit. Is tres Normannorum in Sequanam & Parisios incursiones memorat. Prima ab eo facta dicitur anno decimo a morte Ludovici augusti: secunda altero post decennio, id est hujus sæculi sexagesimo anno: qoa peracta, Normanni ab aliis suæ gentis hominibus conductu Caroli obsessi, devictique, omnes ex Gallia se discessuros pol-

liciti sunt. Verum illi, nullo datæ fidei respectu, reflexo itinere ad saltum Briegium contendunt, ibique ferro & flammis cuncta vastant; postremo civitatem Meldorum de improviso primis noctis tenebris occupant, incendunt, cives trucidant, ecclesias diripiunt polluuntque fœdissime. Mox ad suburbanum sancti Faronis monasterium convolant, ex quo seniores monachi diffugerant; cunctisque direptis, ædem sanctam nihilo minus intaminatam relinquunt cum sancti Faronis mausoleo, cujus meritis id factum tribuitur. Ignem tamen proximis rusticanis casis subjiciunt, quarum incendium ad porticum basilicæ gliscens, quasi lambendo intactam reliquit. Visuntur adhuc in illa veteri porticu, quam *porticum omnium viantum* appellat auctor, incendii vestigia in lapidibus ambustis. Sic ista Meldorum clades in prædicto libro describitur, quæ clades non ad aliam, quæ sub finem ejus sæculi in eadem urbe facta est, revocari sinit auctoris illius consequentia, qui hanc Meldorum vastationem statim post devictos in Oscello insula a Nortmannis ipsis Nortmannos subjungit. Quod si Hildegarius Meldensis episcopus, ut veri simillimum est, hunc librum de vita sancti Faronis scripsit, nequaquam loqui potuit de posteriori illa clade Meldorum, quæ annis fere tredecim ab ejus morte accidit, id est anno ejus sæculi octogesimo-octavo: quo tempore episcopus a barbaris captus, abductusque dicitur. Sancti Faronis monasterio præerat prioris cladis tempore Gautselmus abbas, qui Pistensi concilio hoc anno subscripsit. ANN CHR. 862.

XCV. Diploma pro Gemetico.

Dum Carolus apud Insulam * seu Insulas super Matronam consisteret, permutationem quamdam inter Gauzlinum abbatem Gemeticensem, & Warnarium virum illustrem de quibusdam prædiis pagi Vilcassini factam, litteris [a] regiis confirmavit sub his chronicis notis, quæ tempus hujus expeditionis omnino illustrant. *Data pridie kalendas Februarii, indictione x. anno xxi. regni Karoli gloriosissimi regis. Actum ad Insulas super Matronam in expeditione hostili.* Elifredus diaconus ad vicem H Ludowici recognovit. Hoc præceptum autheoticum servatur in archivo Dionysiano, forte quod Gemeticense monasterium tunc desertum esset, monachis Haspras alioque translatis. Haud scio an Gauzlinus abbas idem fuerit cum Gauzleno abbate Germanensi, fratre Ludovici abbatis Dionysiani. Non omittendum hoc loco ejusdem Caroli regis præceptum, portionem canonicis sancti Martini Turonensis hoc anno Turonis civitate IX. kalendas Maias confirmantis: cujus authentico appendet bulla aurea in antica parte exhibens Caroli effigiem cum corona in capite, & cum hasta & clypeo in manibus cum inscriptione male efformata; in postica, RENOVATIO REGNI FRANCO. ut in ectypo cernere licet, quod in Supplemento [b] librorum de re diplomatica exhibuimus.

* Isle.
[a] Diplom. p. 535.
[b] Supplem. Diplom. p. 48.

XCVI. Pistensis synodi privilegium pro sancto Carilefo.

Pistæ locus est ad Sequanam supra Rotomagum, ubi Andella & Adura fluvioli ex utraque parte in Sequanam influunt. Illic munimenta Carolus ad arcendos Nortmannos construi jussit, & synodum episcoporum hoc anno indixit, ibique ipse capitulare condidit. Itaque Carolus, episcopi, abbates quoque & comites, multique alii fideles ex diversis provinciis, ut Carolus ipse in capitulari loquitur, convenere, nempe in locum, *qui Pistis dicitur, ubi aliquamdiu sedes fuit Nortmannorum*; ibique aliquot capitula edita sunt. Principio rex & episcopi dolorem suum ob præsentia mala testantur, quorum originem in peccata sua refundunt. ideo quippe Galliam Nortmannis datam esse in deprædationem, quod, Spiritu-sancto ex animis expulso, hostem ipsius diabolum substituissent. In ea synodo lecta sunt, Ingelgario abbate agente, superiorum regum privilegia, quibus Aninsulense sancti Carilefi monasterium ditioni Cenomannensis episcopi eximebatur; eaque ab episcopis approbata & confirmata sunt, absente Rotberto episcopo, cui patres epistolam hac de re in hæc verba direxerunt per Herardum metropolitam Turonensem, quam ex tabulario Aninsulensi hic accipe.

Unanime concilium, habitum in loco, qui appellatur Pistis, carissimo fratri & coepiscopo Rotberto Cenomannicæ urbis, perpetuam salutem. Exspectata diu fraudati vestra præsentia, metropolitano vestro dilectissimo nobis Herardo Turonorum præsuli litteras vobis tradendas commisimus, quibus significamus, quæ libentius viva, ut aiunt, voce indicaremus. Causam monachorum sancti Carilefi, quæ principis voluntate, nobis suadentibus, dilata est, donec cum vestris auctoritatibus rediretis; postquam vos venturos desperavimus, diligenter examinare curavimus, priscorumque regum & recentium edictis sollicite consideratis, comperimus privilegium, indulgentia ejusdem gloriosi domini nostri

ANN. CHR. 862. *regis Karoli concessum, juste rationabiliterque dudum nostra auctoritate firmatum, quod etiam decernentibus nobis fratres nostri, qui fuerant absentes, vel qui migrantibus ad Dominum successerunt, subscriptionibus propriis roborarunt. Quam ob rem hortamur sanctitatem vestram, ut in stabiliendo vestra subscriptione eodem privilegio, quamquam decessor vester Haldricus inani spe id facere declinaverit, nequaquam vos difficiles præbeatis. Veritas enim & justitia absque rubore & dolore sequenda sunt, maxime his, qui prædicationem suam aliter solidare non possunt; recipiatisque venerabilem Ingelgarium abbatem & fratres ejus monachos, vestra pace & concordia sine dubio perfrui optantes. Hoc vos sine cunctatione ac dilatione agere desideramus. Sin autem, id quod Deus avertat, non obtinuerimus; in societate caritatis, quam nobis vicissim debemus, nequaquam valebimus permanere, cum ab observatione æquitatis nequaquam audeamus recedere. Hæc respectu vestri honoris taliter temperavimus, ne, si totum rei gestæ ordinem texeremus, indecorum aliquid scriberetur.*

In hac epistola mihi videor stilum agnoscere Lupi abbatis, qui huic synodo & subsequenti Senonensi interfuit. Ex his intelligitur, Rotbertum principio quidem Pistensi adfuisse synodo, at Cenomannos inde reversum ad perquirenda documenta, quibus jus suum contra Aninsulenses tueretur; sed cum reditum nimis protraxisset, patres demum sententiam de hac controversia tulisse, & Aninsulensium jus ac privilegia confirmasse. Verum huic sententiæ non acquievit Rotbertus, ut postea videbimus.

XCVII. Synodi Suessionicæ litteræ pro sancto Dionysio. Pistis evocata est synodus in urbem Suessionas, ut legitur in Annalibus Bertinianis, ibique partitio bonorum, Dionysianis monachis ab Hilduino abbate quondam facta, & a Ludovico augusto confirmata, denuo synodali auctoritate comprobatur, procurante cum monachis Ludovico abbate, qui quasdam insuper villas eisdem concessit *ad necessitates eorum supplendas, quæ ex edicto cæsaris HLudowici & privilegio abbatis Hilduini minus plene persolvi poterant.* Centum quinquaginta monachos istic etiam tunc exstitisse prædictæ litteræ probant, editæ apud Dubletum [a], non tamen sine mendis, maxime in subscriptionibus, quæ in libro quinto de re diplomatica emendantur ex specimine quinquagesimo-quinto in æs inciso. His litteris præter episcopos subscribunt Hludowicus abbas Dionysianus, Lupus abbas monasterii Ferrariensis, Bernardus abbas S. Benedicti, scilicet Floriacensis; Frodoïnus abbas Corbionensis monasterii, Engelarius abbas sancti Karileffi, Gautselmus abbas monasterii sanctæ Crucis seu sancti Faronis apud Meldos, Guilhelmus abbas Karrofensis monasterii, Rimbertus humilis abbas Floriacensis monasterioli, in pago Vilcassino positi tribus leucis a Rotomago, quod a Pippino Heristallensi conditum, subjectumque Fontanellensi monasterio fuisse alias [b] diximus; Odo abbas Fossatensis monasterii, qui forte postea subscripsit, nam serius Fossatensis abbas videtur fuisse; Wlfadus Resbacensis monasterii abbas, & Arnulfus abbas sancti Sabini, seu Savini apud Pictones. Inter episcopos Wanilo Senonensis antistes, & Æneas Parisiensis primum per advocatum quisque suum, deinde per se ipsi eisdem litteris subscripsere, & duo ejusdem sedis episcopi subscripti leguntur, nempe Guilibertus seu Wilibertus Catalaunorum episcopus, ipsiusque successor Erchenraus; itidemque Agius Aurelianensis cum successore suo Gualtario, nempe quod eædem litteræ, tum absentibus, tum succedentibus episcopis, subscribendæ oblatæ fuissent. Denique illud observandum, quod Ludovicus abbas Dionysianus, cujus interventu hæ litteræ conditæ sunt, quibus etiam ipse subscripsit, in contextu *piæ memoriæ HLudowicus* abba dicitur, cujus rei alia exempla exstant tum in libro de vita sancti Wilfridi episcopi Eboracensis, auctore Stephano Eddio ejus æquali, tum in libro sexto [c] de re diplomatica, ubi Carolus Calvus & Goislenus episcopus Suessionensis, adhuc viventes, itidem *piæ memoriæ* titulis afficiuntur. Denique subscripsit inter episcopos *Angilmodus Suessionicæ ecclesiæ indignus*, ut se ipse dicit, *episcopus*, suffectus scilicet in locum Rothadi tunc temporis [d] exauctorati, idemque scriptor carminis de Paschasio Radberto, tum abbate Corbeiensi. Eamdem partitionem Carolus rex singulari diplomate postea confirmavit.

a Doublet, pag. 792.

b Tom. 2. lib. 29. n. 2.

c Diplom. p. 338 & 601.

d sup. n. 85.

XCVIII. Rothadi episcopi depositio & restitutio. In illa Synodo Suessionensi apud sanctum Medardum habita, quo pacto Rothados illius urbis episcopus exauctoratus sit, paucis accipe. Hic quemdam suæ parochiæ titularem presbyterum ob stupri crimen abjecerat, & alium in ejus locum substituerat. Contra Hincmarus archiepiscopus, jam dudum in Rothadum

ANN. CHR. 862.

male affectus, presbyterum depositum restituit, & Rotbadum ipsum, qui huic restitutioni obsistebat, ab episcopali communione, dum suo ipsius judicio obtemperaret, in synodo Suessionensi apud sanctum Crispinum habita removit. Conquestus hac de re Rothadus in synodo Pistensi, Hincmaro judicii sui confirmationem ab episcopis postulante, sedem apostolicam appellat, seque ad Romanum iter parat. at, misso ad eum Trasulfo Corbeïæ abbate, ne hoc iter iniret, jussu regis prohibetur. Non multo post in sancti Medardi conventu episcoporum adesse cogitur, ubi episcopatus honore privatur, indeque in monasterium retruditur. Verum, cum id ad Nicolai pontificis aures pervenisset, tandem effecit pontifex, ut ad se Rotbadus accederet: cujus judicio in suam dignitatem restitutus est, absente Hincmaro, qui litteris ad pontificem scriptis factum ea ratione excusavit, quod Rothadus, post suam appellationem, synodi judicium sponte subiisset. Totius negotii seriem fuse commemorat in libello proclamationis ad Nicolaum papam Rothadus ipse, quem Annalista Bertinianus, *novum Pharaonem propter sui cordis duritiam* vocat, suspectæ hac in re fidei auctor, qui passim Hincmaro aperte favet.

Annalista Bertinianus.

Incertus istorum Annalium auctor, qui Bertiniani dicuntur, quod ex codice Bertiniano a Rosweydo primum typis vulgati sint. Erunt forte qui existiment, Prudentio Trecensi episcopo eos saltem ex parte tribuendos, adducti testimonio Hincmari archiepiscopi, qui in epistola ad Egilonem Prudentii ex *annali gestorum nostrorum regum*, quæ Prudentius composuisse dicitur, locum refert ex anno DCCCLIX. in hæc verba: *Nicolaus papa, pontifex Romanus, de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & de sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & catholice decernit.* quæ totidem verbis, excepto papæ vocabulo, ad eumdem annum leguntur in Annalibus Bertinianis. Verum reponi potest, Annalistam Bertinianum hæc accepisse ex *annali* Prudentii, qui Gothescalco non ita infensus fuit atque Annalista, ut ex his intelligitur, quæ de eo scribit Annalista ad annum DCCC XLIX. Adde Annalistam illum, eodem semper stilo & ingenio, annales suos producere usque ad annum DCCC LXXXII. annis amplius viginti ab Prudentii obitu, quem diserte commemorans Annalista, se ejus continuatorem esse nequaquam dicit, immo eum arguit, quod *qui ante aliquot annos Gothescalco prædestinatiano restiterat, post felle commotus contra quosdam episcopos,* scilicet Hincmarum ejusque asseclas, *secum hæretico resistentes, ipsius hæresis defensor acerrimus, indeque non modica inter se diversa & fidei adversa scriptitans, mortuus fuerit.* Hæc obiter.

XCIX. Lupi abbatis obitus.

Ceterum non diu post illam synodum Suessionensem superstes fuit Lupus abbas Ferrariensis, cujus nulla postbac memoria est, nulla ejus epistola, quæ eum huic anno supervixisse probet. Mirum est nullum tanti viri monumentum superesse in monasterio Ferrariensi, neque nomen ejus in ullo necrologio adscriptum reperiri. Sane vir fuit inter præcipuos sui temporis, non minus eruditus quam politus, forte aliquid humani passus in sectanda aula: ast id condonandum tempori, ac favori principum & episcoporum, qui ejus opera & consilio passim utebantur. Ceterum virum fuisse disciplinæ monasticæ studiosissimum probant variæ ejus epistolæ, quas suo, ut licuit, ordine referre conati sumus.

C. Hincmarus dedicat ecclesiam Remensem.

Ab urbe Suessionica ad civitatem Remorum invitati sunt episcopi ab Hincmaro pontifice, qui in frequenti præsulum ac procerum consessu, Carolo rege quoque præsente, ecclesiam sanctæ Mariæ a se absolutam consecravit. Hunc annum signant Annales Bertiniani, non vero diem, ne quidem a Frodoardo notatum, qui ornamenta, eidem ecclesiæ [a] ab Hinemaro collata, sacramque supellectilem singillatim commemorat. In his recenset *libellum de ortu sanctæ Dei genitricis Mariæ, sed & sermonem beati Hieronymi de ipsius dominæ assumtione*, quem idem Hincmarus *scribi fecit, & tabulis eburneis, auroque vestitum munivit.* Erat in Corbeiensi monasterio quidam monachus, forsan Ratramnus, qui hunc libellum de ortu sanctæ Mariæ, & homiliam de assumtione ejusdem, quæ sub nomine beati Hieronymi tunc circumferebatur, non esse recipienda contendebat. Ad quæ respondit [b] Hincmarus, prædictam historiam haberi tantum ad lectionem, non ad proferendam ex ea auctoritatem; homiliam vero illam a sancto Hieronymo catholice dictatam fuisse, uti stilus, aliaque certa, inquit, indicia demonstrant; & certæ personæ, «

[a] Frod. l. 3. c. 5.

Liber ac festum assumtionis B. Mariæ.

[b] id. ibid.

AN. CHR. 862.

» per quas ex partibus orientalibus ad regiones nostras pervenit, fidem faciunt. Hanc tamen homiliam oon esse Hierooymi viris eruditis modo persuasum est. Ad festum assumtionis beatæ Mariæ quod attinet, ante hunc annum necdum illud feriabantur Morinenses: hoc vero ab omnibus parochianis suis Hunfridus episcopus e oostris cum debito cultu observari præcepit occasione cujusdam miraculi, relati in Aonalibus Bertinianis: ubi ancilla quædam cujusdam civis vestem lioeam, seu *camisiam* in die assumtioois mane lavare volens, ut cum ea domious suus ad missam procederet, non lotam, sed sanguine tinctam ex aqua retulit. quo accepto, Hnnfridus hoc indnsium ad se deferre jussit, & io eadem ecclesia ad testimonium reservari curavit, dato præcepto hunc diem in posterum feriandi.

CI. Placitum pro monasterio S. Eugendi.

Cum Carolus Remis versaretur, ad sancti Remigii basilicam accessit, eoque præsente ibidem lis ventilata est de cella sancti Lupicini Lauconnæ sita, quam Gedeon Vesontionensis antistes monasterio sancti Augendi seu Eugendi subtrahere moliebatur. Exstat Caroli hac de re placitum seu judicium apud Perardum [a], ab ipso Perardo, Chiffletio, & Cointio tributum Carolo Magno: quod Carolo ejus nepoti tribuendum esse probant invocatio [b] *sanctæ & individuæ Trinitatis* Calvo familiaris, locus dati diplomatis, atque ætas Gedeonis archiepiscopi, qui Bernoni abbati benedictionem abbatialem impertiisse traditur. In illo placito seu diploma- » te, Carolus ait, Ricbertum abbatem ex Condatescensi monasterio sancti Eugendi » ad se accessisse ad civitatem Remorum apud sanctum Remigium, una cum Dot- » tooe abbate & Adalardo, quos antea ad idem cœnobium direxerat ad inquiren- » das, discernendasque rationes, quas ipse Ricbertus & Gedeon archiepiscopus alle- » gabant ad sibi vindicandam cellam sancti Lupicini; eumdemque Ricbertum sup- » pliciter cum sois monachis petiisse, ut rex hanc cellam ipsis adjudicare dignaretur. » Cum vero haud comparuisset Gedeoo, forte causæ suæ diffisus, nec quisquam » pro eo adfuisset; faventibus missis, hæc cella Condatescensibus a rege asserta fuit, » cautumque, ut nullus dux, marchio, comes aut vicecomes, oullusve ministeria- » lis, nedum Gedeon archiepiscopus, eamdam cellam a prędicto monasterio abstra- » heret, neque monachis Deo ibidem servientibus ullam molestiam inferret: sed, *sicut temporibus priscorum patrum vel sanctorum, ut a multis*, inquit rex, *didicimus, unanimes sive consortes fuerunt in silvis exsartandis & terris laborandis, ita sint a præsenti* » *in futuro socii in prosperis & adversis.* Quin etiam idem princeps, ut omnem aufe- » rat occasionem prædictos vexandi monachos, eidem cœnobio dooat silvam, quæ » vocatur Juris, sub certis limitibus in diplomate expressis. *Data* XI. *kalendas Octobris, anno* XXII. * *regni Caroli piissimi regis. Actum Remis civitate apud sanctum Remigium.* Mendosa est regis & notarii subscriptio. Hæc cella sancti Lupicini haud dubie pertinebat ad comitatum Genavensem, qui ex regno Caroli erat, noo Vesootio, quæ erat ex regno Lotharii.

[a] Perard. p. 12. & 13.
[b] V. l. 26. n. 1.
* XXIII.

CII. Sancti Urbani translatio Autisiodorum.

Hericus monachus [c] auctor est, quosdam fratres ex Autisiodoreosi sancti Germani monasterio, mandatis pariter & epistolis Caroli regis instructos, urbem Romam cum orationis, tum quarumdam ecclesiasticarum causarum gratia, petiisse, comitante eos illustri viro Chlothario, quem forte istius legationis socium Carolus eis adjunxerat. Adducti ad Nicolai pontificis audientiam, ab eoque benigne accepti & auditi, ad cuncta, quæ vellent, favorabile responsum habuerunt. Quin etiam discessuris pontifex insignes sanctorum martyrum Urbani ac Tiburtii reli- » quias tradidit in gratiam Caroli regis, a quo missi fuerant. Sic Dei favore, inquit » Hericus, & obtentu regis Caroli, quod alias vel laboriosissimum, vel impossibile » fuerat, facili negotio confecerunt: at quodnam fuerit illud negotium, idem auctor silet. Non sic reticuit varia miracula in reditu patrata: qnorum illud primum fuit, quod *illuster vir Chlotharius, ejusdem comes expeditionis*, febre correptus, cum ad sacras reliquias pernoctasset, Vulterræ * in Etruria omnino sanatus est. Idem beoeficium sensit Maginurus, ejusdem Chlotharii presbyter. Emensis alpibus, ad sanctos Agaunenses martyres diverterunt, ibique *ab Hucberto famosissimo abbate* perhumane excepti, qoasdam sancti Mauricii reliquias cum capite sancti Inoocentii legionarii ab eo impetrarunt. Tandem ad sancti Germani cœnobium cum his sanctis pignoribus pervenerunt pridie kalendas Novembris: ubi cum multo honore & ingenti pompa sanctæ reliquiæ exceptæ sunt.

[c] Labbe bibl. tom. 1. p. 563. & seq.
* Volterra.

Quam

ANN. CHR. 862.

CIII. Lotharius abbas apud sanctum Germanū educatus.

Quam bene in sancti Germani monasterium affectus fuerit Carolns, liquet tum ex hoc capite, tum ex eo, quod filium suum Lotharium, quem in Reomaënsi sancti Johannis cœnobio clericum anno superiore factum vidimus, in Germanensi educandum commisit. Ejus rei locuples testis est Hericus ejusdem Lotharii præceptor in prologo ad vitam metricam sancti Germani, quam ipsius Lotharii abbatis sui mandato scribere aggressus est. Sic enim ille in prædicto prologo ad Carolum-Calvum, cui hoc carmen post mortem præmaturam Lotharii nuncupavit. *Divæ memoriæ Lotharium, tuæ majestatis filium, annis puerum, mente philosophum, ingenue confiteor animi indole & sollertia opibus, ut tibi uni concedat, præ ceteris sui ævi mortalibus exstitisse pretiosum. Is, quod tua dispositione & Deo devotus, & beato Germano ad educandum fuerat commendatus, tantum devotionis in sanctum, tantum ardoris in locum conceperat, ut vitam illius mors livida nobis merito invidisse putetur.* Pergit Hericus commemorare, quo pacto, quave occasione Lotharius ipsum ad canenda gesta sancti Germani impulerit. quod hoc fere anno cœptum est. *Cumque esset divini puer ingenii, atque erga rerum notitiam summe studiosus, contigit eum in una dierum, libri cujusdam abdita perscrutantem, geminas epistolas offendisse. In altera earum sanctissimus Aunarius, sextus post beatum Germanum Autissiodori episcopus, Stephanum Africanum presbyterum, ut vitam ejusdem sanctissimi patris nostri Germani metrica ratione digereret, precibus ambiebat: in altera idem Stephanus præfato se pariturum pontifici ex rescripto significabat.* tum, relatis epistolis, Hericus ita prosequitur, eumdem Lotharium, dolentem hoc opus hominum notitiæ deperisse, Herico ipsi, qui *recens scholis emerserat*, auctorem fuisse, nt id operis suppleret, actusqoe beati Germani a prosa in metrum transfunderet. *Expavi fateor*, ait ille, *negotium, & supra vires esse reputans quod imponebatur, quoad potui colla subduxi. Objectu tandem regularis capituli adductus, quod etiam impossibilia præcepta abbatis minime refugienda præscribit; suscepi quidem, ut par erat, jubentis imperium, quamquam nulla virium conscientia: verum, ut institutio præmonet regularis, de caritate confidens, & de adjutorio Dei obediens, vix primas operis partes attigeram, &, heu misera humanæ conditio sortis! abbas ille meus, propediem futurus in orbe terrarum mirabilis, teneros excedens artus, intempestiva saeculum morte deseruit.* quod post triennium accidit. De Herici præceptoribus, Haimone & Lupo, superius [a] diximus.

[a] lib. 32. num. 47. & 17.

CIV. Vabrense monasterium conditur.

Sub idem tempus Vabrense monasterium in pago Ruthenensi ad Dordonam fluvium conditur a Raimundo comite Tolosano, ad excipiendos Adalgasium abbatem & monachos Palnatenses, superius [b] laudatos, qui everso a Nortmannis monasterio suo, ad Raimundum ejus invitatu confugerant. Hujus conditionis litteras primarias refert Catellus in libro primo historiæ [c] comitum Tolosanorum: ubi Raimundus comes & uxor ejus Berteyz, pro remedio animæ suæ, & pro remedio animæ Fulgualdi ejusdem Raimundi genitoris, & pro genitrice sua Senegunde, germanoque suo Fredelone, res proprietatis suæ, sitas in pago Ruthenico, in vicaria Curiensi, id est *villam Vaber* cum omni sua integritate, cum duabus capellis & mansis quatuor ad eumdem locum pertinentibus, tradit Adalgasio abbati ejusque monachis, ad monasterium construendum in honorem sancti Salvatoris, & sanctæ Mariæ Dei genitricis, sanctique Dionysii præcellentissimi martyris: ut ibidem cœtum congregent monachorum, qui secundum regulam sancti Benedicti Deo serviant, hospites recipiant, paupetes recreent, & pro se orent. Hanc vero donationem Raimundus eo pacto facit, ut nullus rex, vel quævis alia potestas, ea in beneficium dare aut commutare possit; sed tantum ut sub tuitione & immunitate regia locus iste consistat, & Raimundus ipse ejus tutor ac defensor, quoad vixerit, exsistat; & post ipsius obitum Bernardus, Fulgualdus, & Odo ejus filii, qui superstites fuerint, monachis eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti relicta potestate. *Facta cessione ista* III. *idus Novembris, anno* XXIII. *regnante Karolo rege.* quibus litteris subscribunt primo loco donatores, Raimundus comes & uxor ejus Berteyz, tresque eorum filii, Bernardus, Fulgualdus & Odo; & post eos Elizachar Ruthenensis episcopus, Bego vicecomes, aliique. Hæc omnia præcepto suo [d] confirmavit anno sequenti rex Carolus quarta-decima die Augusti, anno regni sui vicesimo-quarto. Actum Parisius civitate. Raimundo supervixit ad annos viginti Berteyz uxor, quo tempore donationem eidem cœnobio fecit tam pro anima sua, parentumque suorum Remigii & Arsindæ, quam pro Raimundo

[b] lib. 31. n. 86.

[c] Catel lib. 1. c. 9. p. 69.

[d] ibid. p. 72.

ANN. CHR. 862.

jugali ſuo. His quartus filius fuit Benedictus, in cœnobio Vabrenſi factus monachus : cui Carolus rex, ad preces Bernardi comitis ejus fratris, uſum-fructum rerum ejuſdem loci poſt mortem Rollandi abbatis concedit anno regni triceſimo. In illo monaſterio educati ſunt monachi primi abbatiæ Auriliacenſis.

C V. Placitum pro cœnobio Montis-olivi.

Raimundi æqualis fuit Ananfredus comes pagi Narbonenſis, cujus miſſi Imbertus & Adaulfus hoc anno placitum Narbone habuerunt ad univerſorum cauſas dirimendas. Iſtuc acceſſit Richimirus mandatarius ſeu actor Richimiri abbatis ex monaſterio ſancti Johannis caſtri Mallaſti, vulgo Montis-olivi, ſito in pago Careaſſonenſi ad fluvium Duranum, repetens villam Statianum, quam Duvigildus quidam eidem monaſterio ſubtraxerat. Citatus Duvigildus venditionis litteras prætendit a Petro villæ quondam poſſeſſore factas, quas poſt quindecim dies exhibere juſſus eſt in villa Pegano, quam alio nomine Caput-Stanii vocant, ubi aliud placitum indictum eſt. Adfuere ad condictum diem eo in loco Richimirus actor monaſterii, & Duvigildus villæ controverſæ detentor, cum ſuis uterque inſtrumentis ; adfuit & Petrus ejuſdem villæ olim poſſeſſor, qui hanc venditionem Duvigildo feciſſe cum uxore ſua Aldana dicebatur. Verum hanc ſcripturam ipſe refutare coactus eſt, quippe qui hanc villam prius monaſterio ſancti Johannis donaſſet cum priori uxore ſua Waſnetrude. adeoque ſententia dicta eſt ex lege Gothorum ſecundum Richimirum monaſterii actorem, ut Duvigildus hanc villam monachis reſtitueret. *Dato & confirmato judicio* XIV. *kalendas Decembris, anno vigeſimo-tertio regnante Karolo rege*. Hic eſt Reimundus comes, cui Hunfredus Gothiæ marchio, non alius ſine dubio ab Ananfredo comite prædicto, Toloſam anno ſequenti ſubripuiſſe traditur in annalibus Bertinianis.

C VI. Franciam orientalem Hungri populantur.

Non defuere etiam turbæ in Francia orientali. Carlomannus quippe adverſus Ludovicum patrem rebellavit, & Winidis ſe conjunxit ; ſed paullo poſt ad officium rediit. Ad hæc Dani magnam ejus regni partem prædantur, ac cæde ignique vaſtant. Sed & Ungri ſeu Hungri, novi hoſtes atque hactenus inuſitati, idem regnum populari cœperunt, qui repetitis incurſionibus ac rapinis in Francia non modo orientali, ſed etiam occidentali, paullo minus quam Nortmanni, nomen ſuum inviſum & infame reddidere, ut in conſequentibus manifeſtum erit.

C VII. Swithuni epiſcopi Wintonienſis obitus.

In Anglia hic annus mortalis fuit ſancti Swithuni Wintonienſis epiſcopi, quem noſtris accenſent Harpsfeldius & Maiheuvius, & in veteri monaſterio Wintonienſi, quæ cathedralis erat, monachum fuiſſe exiſtimant. Eorum quippe ſententia eſt, hanc eccleſiam medio ſæculo nono a monachis excultam fuiſſe, nec multo poſt migraſſe ad canonicos ſæculares, quam rex Eadgarus poſt medium ſæculum decimum monachis reſtituit. Promotus ad ſacerdotii gradum Swithunus ab Helmſtano epiſcopo, cui poſtea ſucceſſit, Egberti regis filium Adulfum ſeu Ethelwlfum educandum ac litteris informandum ſuſcepit. Certe privilegio Witlaſii Merciorum regis, Crulandæ conceſſo, in multis Swithunus ſubſcripſit in hunc modum : *Ego Swithunus presbyter regis Egberti præſens fui*. In locum Helmſtani epiſcopi ſubrogatus eſt ab Egberto rege cum unanimi Ceolnoti Cantuarienſis pontificis, clerique Wintonienſis conſenſu. Eo in munere prolixis continuiſque precibus & vigiliis auſtera adjungebat jejunia, ita diligens rerum eccleſiarum diſpenſator, ut ſarta tecta magnopere curaret ; ita humilis ac modeſtus, ut iter pedibus ſæpe conficeret ; ac demum moriturus corpus ſuum extra eccleſiam ſub divo terræ mandari præceperit abſque ullo titulo, qui mortui nomen aut dignitatem indicaret. Librum de ejus vita ſcripſit Goſcelinus monachus, ex Sithienſi monaſterio tranſlatus in Angliam cum Hermanno epiſcopo Sareſberienſi ſub finem ſæculi undecimi ; idemque innumeras ſanctorum vitas ſcripſiſſe, aut expoliiſſe dicitur. Ab eo mutuatus eſt Willelmus Malmeſburienſis, quæ de Swithuno retulit, agendo de Wintonienſibus epiſcopis. De ejus tranſlatione, quæ ſæculo inſequenti facta eſt, deque miraculis inde conſecutis librum ſcripſit Lantfredus monachus, & poſt eum carminum libros duos Wolſtanus monaſterii Novi monachus, ut ſuo loco fuſius videbimus. Poſtquam hæc ſcripſeram, legi hiſtoriam majorem Wintonienſem, auctore [a] Thoma Rudborno, in qua Swithuni, uti & Helmſtani ejus deceſſoris, monaſtica profeſſio aſſeritur, maxime ex profeſſione, quam ipſe fecit archiepiſcopo Doroberniæ, cum in Wintonienſem epiſcopum eſſet conſecrandus, in hæc verba. *Ego Swithunus monachus, ſervulus ſervorum Dei, licet in-*

a *Angl. ſac.* to. 1. p. 201. *& ſeq.*

dignus ad episcopalem sedem electus Wentana civitatis ecclesia, in primis confiteor tibi, reverendissime pater Celnode archiepiscope, continentiam meam, quam prius in professione monachali expressi, & dilectionem meam ad te, quod absque ambiguitatis scrupulo, & absque ulla falsitatis commentione est. Credo in Deum Patrem &c.

AMN. CHR. 861.

Ad hunc locum distulimus Caroli regis insigne præceptum pro confirmatione partitionis monachorum Dionysianorum, in libro sexto [a] de re diplomatica editum ex authentico exemplari, cujus summam hic referre sat fuerit. Cum Carolus in villa regia Compendio mense Septembri hujus anni moraretur, vir venerabilis, ipsiusque propinquus HLudowicus, abbas monasterii apostolorum principis, excellentissimorumque Christi martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii; necnon monachi ejusdem sanctæ congregationis, devotissimi ipsius oratores, regiæ serenitati suggesserunt, rogaruntque, ut pro Dei amore & futuro ejusdem congregationis commodo, atque in sancto proposito religionis augmento, & ne aliqua successorum suorum negligentia, aut parcitate sive diminutione ordo in ea monasticus futuris temporibus, sicuti antea, perturbaretur; stipendia eorum, quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, necnon quasdam villas speciatim eorum necessitatibus deservituras, a divæ recordationis HLudovico serenissimo augusto genitore suo eidem sanctæ congregationi imperiali præcepto deputatas, aliasque tum a se, tum a HLudovico abbate ob multimodas necessitates eidem congregationi concessas, singulari præcepto denuo confirmare dignaretur. Horum itaque postulatis rex aurem accommodans, ea rata esse jubet. In primis, ut pro stipendiis annuatim ex abbatis parte persolvi solitis, *quia sæpius minus plene illis persolvi poterant*, HLudovicus abbas certas monachis villas assignat, ex quibus subministrentur fratribus [b] ex segali modia mille trecenta, *ad prabendas famulorum sibi servientium*; trecenta leguminum modia, casei pensæ trecentæ ac triginta, braciarum triginta per duodecim modia, adipis modia viginti, præter quindecim, quæ ex parte abbatis solvebantur; ducenta modia salis cum uno modio, quod solvebatur in Salinis; saponis modia quadraginta, viginti libræ argenti pro lignario, ducenti *uncti* pro cordovesis ad coria componenda, & pro aliis necessitatibus fratrum; triginta sextaria butyri; decem libræ argenti pro pice ad componenda vasa vinaria, & pro horto, *& pro consolatione carnium*, quæ famulis indulgeri solebat in tribus festivitatibus, nempe natalis Domini, paschæ, & sancti Dionysii, atque initio quadragesimæ; centum massæ ferri pro falcibus atque furcis ferreis centum; necessaria quoque pro sartis-tectis ejusdem cœnobii, dormitorio scilicet fratrum, ac omnibus officinis infirmorum, & medicina fratrum, aliisque eorum domibus, quæ omnia prius ex parte abbatis componebantur. Verum ex parte abbatis fratribus quotannis solvenda erant frumenti modia duo millia centum; & in potum quotidianæ refectionis eisdem concessæ vineæ, in pago Parisiaco sitæ, id est in Diogilo, Petra-ficta, Graulido, Cormiliis, Montiniaco, & Monticellis; & vineæ in ipso monasterio sitæ, quas appellant hortos. Si vero vindemia in istis vineis fefellerit, ut ad bis mille quingenta modia numerus ex eis non valeat pervenire, tunc de vino puro eumdem numerum percomplebit abbas in fratrum & hospitum usus in refectorio edentium. Item volatilia in pascha & nativitate Domini ex quibusdam villis fratribus suppeditanda, cum pulpastis & aupastis, *sicut a longo tempore mos fuit*. Item in tribus festivitatibus, scilicet paschæ, natalis Domini, atque festivitatis sancti Dionysii, de spelta modia nonaginta *ad cervesam faciendam*; de melle quoque carradæ duæ per modia sedecim; de frugibus arborum duæ partes ex eisdem villis, aliisque *in testamento cæsaris HLudowici nominatim adnotatis*. Annua etiam *mundatio Crodoldi* * *fluminis*, id est rivuli, qui in monasterium influit, *inexcusabiliter fiat*. Item tres porci saginati, & mille centum ova per tres festivitates ad fratrum pistrinum erogentur. Item alii duo porci saginati per duas festivitates, id est paschæ & natalis Domini, ad volatilia eorum præparanda; quinque quoque modia frumenti purissimi ad polentam faciendam. Item refectiones fratrum, quas *pia memoria HLudowicus abbas* constituit *in festivitatibus sanctorum, quorum corpora in hoc loco sunt humata, hoc est sancti Dionysii, S. Hippolyti, S. Innocentii, sancti Cucuphatis*, & *pro anniversario Dagoberti regis. Caritates* vero *in anniversariis regum & abbatum de cellario abbatis juxta solitam accommodentur*. Ad hæc in his tribus festivitatibus, videlicet natalis Domini & paschæ, & missa seu

CVIII. Caroli præceptum pro partitione S. Dionysii.

a Diplom. p. 531.

b V. lib. 30. n. 73.

* le Cron.

ANN. CHR. 862. festo sancti Dionysii, *honorandus abbas ejusdem loci a fratribus per annum de libris argenti sex, in hoc computatis honores, qui ei dabantur per prædictas festivitates*, ad re-
» fectiones fratrum & pauperum præbeat, villam quoque dictam Mansum-Ada-
» lingi, sitam in pago Pinciacensi, ex dono Hincmari archiepiscopi pro infirmis;
» villam etiam Scindelicias, sitam in pago Parisiacensi, quam rex Carolus eisdem
» fratribus tribuit ad refectiones annuales eis præparandas, videlicet idibus Junii,
» qui dies natalis ejus erat, & VIII. idus Junias, qui dies ejus unctionis, sed &
» XVIII. kalendas Februarias, cum fugatis ac contritis hostibus in regnum resti-
» tutus est, post ipsius obitum in diem depositionis convertendus; necnon idibus
» Decembris, quando Hirmentrudem sibi uxorem copulavit; denique V. kalendas
» Octobris, quando hæc nata est, qui dies in depositionis diem post ejus mortem
» convertendus sit. Ob eam vero donationem fratres Carolo polliciti sunt, se quin-
» que psalmos statim post primam, tam in vita, quam post obitum ejus, recitatu-
» ros *ante altare, quod Gazophylacium vocatur*, ubi se sepeliri constituerat; mandat-
» que, ut sacerdos ibi deputetur, qui quotidie pro eo missam celebret, *per cujus*
» *manus tres fratres oblationes Domino* pro ipso *offerant; & de vino, quod in vineis præ-*
» *dictæ villæ natum fuerit, decem modia in sacrarium* fratres *mittant, quod mixtum fiat*
» *vino in sacrificium deputato: quatenus ex donariis voti nostri*, inquit, *etiam sacro-*
» *sancto sacrificio portio deesse non debeat.* Ad hæc, ut lampas una ante dictum altare
* Mareuil » ardeat, cujus rei causa, præter villam Scindelicias, attribuit villam Marogilum *,
» sitam in pago Meldensi, ab Adalardo comite olim possessam, quam HLudowicus
» abbas ad refectorium fratrum concesserat, & *ad receptionem* hospitum *in eodem*
» *refectorio.* Insuper his addit Carolus villam Madriniacum, sitam in pago Mori-
» vensi, ubi cellam construi jussit; & villam, quæ vocatur Morinciaca-curtis, in
» pago Camliacensi. Præter ea rex confirmat refectiones annuales, quas de rebus
» thesauri bonæ memoriæ Hilduinus abbas ordinavit, hoc est in Purificatione sanctæ
» Mariæ, anniversario HLudowici imperatoris, missa sancti Petri apostoli, Assum-
» tione sanctæ Mariæ, & nativitate ejusdem, festivitate omnium sanctorum, dieque
» depositionis suæ; necnon de Superiori-curte * in anniversariis divæ memoriæ Ka-
* Conflreaux. » roli imperatoris avi ejusdem regis, & Bertæ amitæ, atque Hildegardis reginæ
» avæ ipsiusmet; a parte vero fratrum in festivitatibus sancti Hilari atque sancti
» Sebastiani. Denique ratum habet quidquid idem Hilduinus ad vestimenta & cal-
» ceamenta fratrum, & ad omnimodas eorum necessitates, tam infirmorum, quam
» senum, ipsisque servientium famulorum tribuerat. Hæc autem omnia confirmat
» princeps, ut futuris temporibus fratres ejusdem cœnobii, numero centum-
» quinquaginta, regulam sancti Benedicti servantes, absque perturbatione libere
» Deo servire possint, & pro se fideliter orare. *Data* XIII. *kal. Octobris, indictione* X. *anno* XXIII. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Compendio palatio regio.* quod præceptum Hildeboldus notarius ad vicem HLudowici recognovit. Ex his colligas, nomina sanctorum, quorum corpora aut insignes reliquiæ in basilica S. Dionysii tunc servabantur, nempe sancti Dionysii & sociorum, sancti Hippolyti, sancti Innocentii, S. Cucuphatis & sancti Hilari, utpote quorum festivitates istic celebrabantur. Altare gazophylacii erat altare sanctæ Trinitatis, positum in superiori parte chori sub transversa trabe, ex qua pretiosa crux sancti Eligii, & alia forte cimelia dependebant: ante quod altare Carolus-Calvus sepultus est. In eodem diplomate Carolus mentionem facit de insigni quadam victoria mense Januario de hostibus reportata, ex qua factum est, ut quodam modo in regnum restitueretur. quod intelligendum videtur de illa expeditione contra Nortmannos, facta in pago Meldensi, cujus superius * meminimus. nam tempus convenit. hæc enim expeditio mense Januario facta est, eoque redacti sunt Nortmanni, ut, obsidibus datis, se a regno egressuros, nec umquam reversuros polliciti sint. quamvis pro more suo fidem paullo post fefellerint.

* num. 93.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER TRICESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 863. ad annum 869.

ANN. CHR. 863.

I.

Rerum civilium status.

ANNUS octingentesimus sexagesimus-tertius vertebatur, cum Carolus rex Provinciæ, Lotharii imperatoris filius natu-minimus, ex caduco morbo periit, ac Lugduni in basilica parthenonis sancti Petri sepultus est. Hinc nova rixarum materia inter reges. Ludovicus imperator, occupandi regni gratia, in Provinciam venit, & quos potuit ipsius regni primores sibi conciliare studuit. Eodem consilio istuc accessit Lotharius. Hos inter, suadentibus amicis, convenit, ut in communi placito controversia dirimeretur. Interim domum uterque revertit. Dum Lotharius Lugduni versaretur, orationis causa divertit ad puellare monasterium sancti Petri, eique cellam sancti * Maximini, sitam in comitatu Mauriensi, contulit pro anima parentum suorum, necnon dilecti fratris sui Ludovici imperatoris, *fratris quoque sui Caroli quondam piissimi regis, cujus ibidem corpus sepulturæ traditum est*; denique pro salute amantissimæ conjugis suæ Waldradæ & filii sui Hugonis. *Data* XV. *Kal. Junii, anno Christo propitio regni domini nostri HLotharii gloriosi regis* VIII. *indictione* XII. lege XI. *Actum in civitate Lugduni.*

Lotharii diploma pro S. Petro Lugdunensi.

* Paradin. p. 94.

Tum vero Carolus rex Cenomannos profectus, inde usque ad monasterium, quod Interamnis dicitur, processit: ubi Salomon dux Brittonum cum gentis suæ primoribus ei obviam factus, fidem eidem suam adstrinxit, ac solitum censum pro veteri consuetudine se persoluturum promisit. quæ res Carolo sic grata & accepta fuit, ut partem terræ, quæ Inter-duas-aquas dicitur, & abbatiam sancti Albini in beneficium ipsi tradiderit. Interamnis * virginum monasterium erat in decanatu Sablolienſi *, nunc cella seu prioratus abbatiæ Avroniensis. His actis, Carolus Cenomannos reversus, pascha ibidem celebravit. Non multo post legatos a Nicolao pontifice missos, qui Mettis synodum in causa Lotharii & Theutbergæ haberent, Suessionis in monasterio sancti Medardi honorifice excepit, & secum aliquamdiu retinuit. qui ab eo cum donis dimissi, in urbem Mediomatricum cum episcopis conveniunt, ibique muneribus a Lothario corrupti, Theutbergæ repudium probant, damnati postmodum a Nicolao papa in concilio Romano. In eodem Rothadus

* Entrames.

* de Sablé.

ANN. CHR. 863.

Suessionensis antistes in sedem restitutus est, antea exauctoratus retrususque in monasterium jussu synodi Silvanectensis, cujus acta Odo Bellovacensis episcopus Romam detulit.

II. S. Carilefi monachi a Nicolao papa increpiti.

Inter ea Rotbertus Cenomannorum episcopus a sententia Pistensis synodi ad Nicolaum papam provocavit, & querelas apud eum deposuit in monachos sancti Carilefi, qui hac sententia freti, ipsi subesse detrectabant; immo etiam in Hincmarum Remensem archiepiscopum, quasi hic monachis illis favens, Caroli regis animum adversos eumdem episcopum commovisset. Scriptæ hac de re a pontifice litteræ, tum ad monachos sancti Carilefi, tum ad episcopos in regno Caroli constitutos, & speciatim ad Hincmarum, tum denique ad Carolum regem. In primis monachis præcipit, ut Cenomannico antistiti pareant, & illam, ex qua no-
„ men habent, vitam suique ordinis ministerium cum sanctitate implere satagant; alias
„ in conspectu sanctissimorum episcoporum, qui a Rotberto præsule convocati fue-
„ rint, causam dicant. si vero neque ab his causa finita fuerit, ut ex ipsis tres eli-
„ gantur, qui cum eodem episcopo vel ejus legato ad apostolicam veniant præsen-
„ tiam, ubi canonico calculo lis ista demum finem accipiat. Eodem tendit Nicolai
„ epistola ad episcopos regni Carolini. In epistola vero ad Hincmarum ait, se quo-
„ rumdam relatu accepisse, quod ejus fraternitas contra Rotbertum episcopum in-
„ dignata sit, propterea quod is sancti Carilefi monachos sibi velit subjicere; ob
„ idque Caroli regis animum idem Hincmarus adversus eum commoverit. immo
„ etiam rumore ad se perlatum, quod in synodo nuper indicta insidias eidem Rot-
„ berto paret. *quod de tanto viro*, inquit, *indignum credere judicavimus*. Denique
„ si Rotbertus episcopus petit quod petere debet, impetret: si vero quod non de-
„ bet postulat, numquam obtineat. nihil tamen læsionis ob id sustineat, quippe
„ cujus judicium, si quod illi crimen objicitur, ad apostolicam pertineat auctori-
„ tatem. Nam cum vos, inquit, suspectos habere videatur, indecorum, immo te-
„ merarium est, ut *a vestra sanctitate* aliquid patiatur discriminis. Sed & devotissimi
„ filii nostri Karoli pii regis animum *vestra beatitudo* circa jam fatum episcopum pla-
„ cabilem ac mitem reddere nostra vice procuret. Ejusdem argumenti est epistola ad Carolum regem, quem rogat, ut hæc causa metropolitæ Turonensis, ejusque comprovincialium episcoporum sententia termineetur; aut certe ad apostolicæ sedis examen remittatur. Aliis denique litteris Rotbertum monet de his omnibus, quæ ipsius causa scripserat. Postea nihilo minus sententiam mutavit pontifex, & Aninsulensium libertatem asseruit.

III. Insignis historia de monacho a religione abducto. a Capitul. to. 2. c. 1476.

Ejusdem Rotberti pontificatu res contigit notatu digna in quodam monasterio ejus ditionis, sancti Vincentii an sancti Petri, de quodam adolescente, quem ejus avunculus a religione abduxerat. Res ita [a] se habet. Erat apud Conomannos sacerdos quidam prænobilis, Urso nomine, unum habens nepotem, quem bonorum & honorum suorum heredem esse cupiebat. Consultus hac de re Rotbertus episcopus, Ursonis consilium probavit, ejusque nepoti sacris paschæ diebus clericatus honorem contulit, eumque avunculo instituendum commendavit. Cum vero ad id parum idoneus esset Urso, cui litterarum curta erat supellex, nepotem misit in *quoddam monasterium ipsius episcopii, ubi ordo monasticus vigebat, ut illic instrueretur sacris litteris, & erudiretur*, quemadmodum olim Merovens, filius Chilperici regis, in monasterio Aninsulensi ad sacerdotale ministerium informatus fuerat. Susceptus in monasterio Rigrannus, id puero nomen erat, traditusque magistro, cum per aliquantum temporis operam dedisset litteris, in gravem morbum incidit, cui sanando nulla medicorum ars sufficere poterat. Gliscente in dies morbo, cum pæne exanimis jaceret adolescens, tandem confessus est id sibi accidisse, ob violatum patris sui Rotberti votum, qui ipsum *in prioribus annis* Deo voverat *in monasterio, quod vocatur Cormaricus*; seque monachum fieri velle contestatus est, ut sui ipsius & patris anima, qui captus a Nortmannis interierat, voti reatu liberaretur. Id primo negare magister, qui & abbas monasterii erat, negans eum istuc venisse, ut monachus fieret, nec ideo tonsuram accepisse; neque vero ejus propinquos tali voto umquam consensuros. Et quidem cum ad monasterium venisset avunculus, nepotis preces primum rejecit: sed tandem, obfirmato morbo, ægre assensit. Nec mora, mutato habitu, cucullam induit adolescens, & ad pedes avunculi procumbens, eos osculatus est. Absens ab urbe tunc erat episco-

ANN. CHR. 863.

pus, prædicationis & confirmationis causa profectus ad rurales ecclesias. In reditu, *cum non longe esset ab urbe*, abbatem monasterii vocavit, sciscitatusque est, quid Rigrannus ageret. Audito facto, rem gravate tulit episcopus, quippe qui spem conceperat, multum utilitatis ac splendoris ecclesiæ suæ ex tam nobili prole accessurum. tum novitium accersit, præsentemque interrogat, cur, quem canonicum dimiserat, modo cucullatum videret? Id vero nullius consilio vel suggestione factum dicit novitius, sed proprio ipsius arbitrio & sua ipsius voluntate; eoque viso quodam mirabili se adductum fuisse sancte affirmavit, seque in monastico ordine perseverare velle adjecit. Miratus est demum episcopus adolescentis constantiam & prudentiam, *in periculosiori jam ætate*, nam octodecim annorum tunc erat; atque in ipso die purificationis beatæ Mariæ *dedit ei benedictionem*, concessitque locum & ordinem *monasticum, quem petebat.* Aberat a loco avunculus, qui tunc ægrotabat; reque intellecta, graviter accepit cum cognatis suis, *quod nepos eorum perditus esset sæculo, & acquisitus Deo.* Hinc misit qui nepotem ad se adduceret. cumque adfuisset, irarum plenus: Quid fecisti, miser? inquit: cur monachum professus es? scilicet ut leguminibus & herbis instar porcorum vescaris loco deliciarum, quas tibi offerebant sæculum & natales tui. Cum vero in proposito nepos constanter perseveraret, ille ceteros propinquos adhibet, improperantes, cur a suis degeneraret, ut cum pauperibus & mendicis viveret. Sed ad hæc perstitit invictus adolescentis animus, nec a proposito, licet per annos quinque vexatus, abduci potuit. Demum cum accipiendi ecclesiasticos gradus tempus advenisset; episcopus, ægre consentiente avunculo, *benedictiones quinque graduum* illi contulit. Post biennium ad extrema venit Urso, accitumque nepotem, non de contemtu sæculi ac retinendo proposito, sed de gloria & deliciis, quas amittebat nepos, eum interpellavit, hortatusque est, ô portentum! ut ad canonicam vitam reverteretur, & mundi gloria ac deliciis frueretur. *atque ita obiit*, in altero sæculo experturus, quid tam indigna homine christiano, nedum sacerdote, consilia mereantur. Ille vero implevit mortuus, quod vivus explere nequiverat. nam ex illa die à pristina constantia recessit subdiaconus, junctusque conversatione & animo avunculis suis, totus abiit in præceps; ac demum illi eum in quodam cænaculo inclusum *sine judicio venerabilis episcopi & sacerdotum*, veste monastica exuerunt, & *induerunt albis*; atque ita ille ad sæcularem conversationem reversus est.

IV. Corbeiense privilegium confirmatur.

Eodem tempore missus Romam Odo Bellovacensis episcopus, ad perferenda acta synodi Silvanectensis, in qua Rotbadus Suessionensis gradu dejectus fuerat, a Nicolao papa obtinuit confirmationem privilegii Corbeiensis monasterii, cujus ante episcopatum abbas exstiterat. Editum est in conciliis Nicolai papæ diploma, *Transulfo religioso abbati, & per eum venerabili monasterio beatorum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia*, inscriptum: in quo primo fit mentio privilegii, quod idem Odo tum abbas a Benedicto pontifice impetraverat, ut prædicto monasterio rerum suarum libera reservaretur dispositio, & libera eligendi abbatis facultas. *Nunc vero*, inquit, *adveniens venerabilis Odo Belvacensis episcopus, qui prius abbas monasterii Corbeiensis fuerat, innotuit nobis tam petitionem ipsius benigni principis* Caroli, *quam petitionem tuam, qui præfati monasterii Corbeia abbas esse dinosceris, qua postulasti, ut quæ prius monasterio illi a decessore nostro beatæ recordationis papa Benedicto concessa fuerant, auctoritatis nostræ promulgatione firmare non abnueremus.* Id autem concedit pontifex, considerans religiosam esse petitionem, & nihil novi se constituturum, si antecessorum suorum decreta sequeretur. adeoque ratum esse jubet, ut prædictum monasterium rerum suarum liberam in omnibus habeat disponendi regulariter potestatem; episcopus vero Ambianensis nullam ex eis vel accipiat, vel exposcat portionem; neque vel in abbate, vel in fratribus, vel in ipso cœnobio, ejusve cellis, clericis aut famulis, habeat potestatem, nisi quantum canonicus ordo permittit. quod etiam ad alios episcopos extendit, in quorum parochiis idem monasterium ecclesias, agros, vel famulos habuerit. Ordinationes, quæ necessariæ fuerint in monasterio, *sive de monachis, sive de canonicis*, qui monasterio subjecti erant, per episcopum Ambianensem fieri decernit, cum abbas & fratres petierint. Idem pro portione de altarium vel basilicarum benedictionibus sive consecrationibus, & de chrismate oleoque consecrato. Abbatis porro electionem sic a fratribus fieri jubet, ut nedum Ambianensis episcopus, sed neque rex, nec quævis

AN. CHR. 863. „ alia poteſtas ullum abbatem eidem loco præferat, quem non elegerint ipſius mo- „ naſterii fratres. *Debent enim*, inquit pontifex, *mundi principes honorem præſtare Deo*, „ *quem ſibi volunt præſtari a Deo. videlicet, ut, quemadmodum cupiunt a Deo ſibi collatum regni honorem conſervari, ſic eccleſia Chriſti ſuam non dedignentur ſervare legem.* Denique abbatem clypeo protectionis ſuæ munit adverſus eos, qui forte illum vexaturi eſſent. *Data* IV. *kalendas Maias per manum Tiberis primicerii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, imperante domino piiſſimo auguſto Ludovico, a Deo coronato, magno, pacifico imperatore anno* XIV. *& poſt conſulatum ejus anno* XIV. Hæc de Corbeienſi privilegio. Traſulfus abbas, mox laudatus, ille ipſe eſt, qui Hincmari inſtinctu Sueſſionas a Carolo rege miſſus eſt ad Rothadum epiſcopum, ut ipſum a Romano itinere deterreret, ut in libello proclamationis ipſius Rothadi legitur. Ceterum Odo epiſcopus Nicolao rem gratam nuntiavit, nempe Ludovicum & Carolum, filios Caroli regis, paternæ gratiæ penitus reformatos eſſe. qua de re gratulatoriam eis epiſtolam ſcripſit.

V. S. Germani relatio Pariſios. Jam ſerenior rerum facies ex receſſu & amico fœdere Nortmannorum, tutaque omnia videbantur, cum de reportando ſancti Germani ex villa Novigento in urbem Pariſiorum corpore agi cœptum. In reditu opportunior viſa navalis ad reditum via. Matrona itaque cum Sequana fluviis enavigatis, ad urbem pervenere ſacri loculi cuſtodes monachi, ibique citra Biberis * ac Sequanæ confluentia portum fecerunt. Eductum e navi ſacratiſſimum corpus promiſcui ſexus & ordinis infiniti homines exceepere, vixque ad tollendum loculum clericis datus acceſſus. Primi ex epiſcopii domo canonici exceptionis peregere miniſterium, factiſque precibus, & miſſa ſolemniter pro univerſis dicta, clericis ex monaſterio ſancti Petri & ſanctæ Genovefæ locum fecerunt. tum adfuere Germanenſes monachi, feſtivaque antiphona decantata, quæ totius cladis compendium continet, corpus ſacrum ad monaſterium deferunt, aduſtæ ac diſſipatæ urbis lugubrem faciem cum gemitu contemplantes. Cum ad pratum uſque, quod ſub ipſo monaſterio erat, proceſſiſſent, ad ſacrum loculum acceſſit quidam, qui ob interfectam matrem cauſa pænitentiæ *ferri circulum in brachio, ut fieri ſolet*, artiſſime adſtrictum & obvolutum a multo jam tempore gerebat. Tum ille manum ad feretrum ſacri corporis admovit, moxque ferrum e brachio exſiliens mirum in modum crepuit, ita ut in aëra ſurſum evolans a multis videretur. Demum ad monaſterium ventum eſt ſub horam ſextam quartodecimo kalendas Auguſtas hujus anni; ſacrumque corpus *in ſancti Symphoriani cryptam, ubi primum migrans quieverat*, illatum, atque poſt ejuſdem ſancti martyris altare in præparato ſibi tumulo repoſitum, dum baſilica & monaſterium reficerentur. Omnibus tandem inſtauratis, huc acceſſit rex Carolus cum Richilde regina, ſimulque monaſterii abbas Gauzlinus & Ingelwinus epiſcopus Pariſienſis, aliique præſules ac regni principes, qui ſanctiſſimum corpus ad priſtini ſepulcri locum retulerunt. Id factum poſt annum ejus ſæculi ſexageſimum-nonum, quo Irmintrudis prior Caroli regis conjux defuncta eſt.

* Bievre.

VI. Pictavi a Nortmannis obſeſſi. Verum, ut barbaris parum tuta fides, poſt annos viginti-tres Nortmanni denuo in urbem Luteciam graſſari cœperunt: immo hoc ipſo anno, ſive alii, ſive ipſi fœderis auctores, in Pictavos irruunt, atque urbe ſub redemtionis pretio ſervata, eccleſiam ſancti Hilarii magni confeſſoris incendunt. Ex his duo, qui nuper cum Welando chriſtianam fidem ſubdole profeſſi fuerant, ab eo defecerunt: quorum unus, pro more gentis factum negans, armis cum alio contendit, eumque in certamine interfecit. Hic ex occaſione memorandum venit conſimile factum alterius Nortmanni, qui baptiſmum ſe ſuſcepturum pollicitus eſt, dum tamen manibus Ramnulfi Pictavenſis comitis e fonte levaretur. quod quidem non alio animo expetiit, niſi ut a nobili ac munifico illo comite pretioſas albas acciperet. *Ergo ſic baptizatus, albiſque admodum cupide deſideratis indutus, dum limen eccleſiæ, ubi Hilarius requieſcit, pedibus attigiſſet, licet magna cælo ineſſet ſerenitas, ſubito ſurgente turbine venti chriſmalis veſtis ab ejus capite divellitur.* Hæc ex libello nondum edito de miraculis ſancti Hilarii.

Nortmannorum fictus baptiſmus.

VII. Antiſſalenſium cauſa definita. Reverſo ex urbe Roma Odone Bellovacenſi epiſcopo, Carolus VIII. kalendas Novembris conventum in Vermeriæ palatio habuit, ibique abbatiam ſancti Carileſi contra Rotbertum epiſcopum, qui eam per apoſtolicam commendationem juri ſui epiſcopatus mancipare volebat, *legaliter evindicavit*, ut legitur in Annalibus Bertinianis.

Bertinianis. Lectæ in illo conventu epistolæ Nicolai papæ pro Rotberto episcopo, discussisque utrimque instrumentis, prout pontifex mandaverat, secundum Aninsulenses monachos judicium prolatum est, atque ad pontificem directum: cujus exemplum ex tabulario monasterii huc proferre operæ pretium est. ANN. CHR. 863.

EXEMPLAR NOTITIÆ,

Qualiter dominus noster Karolus, filius vester carissimus, querela Rotberti episcopi finem dedit.

Cum resideret excellentissimus ac gloriosissimus rex Karolus in Vermeria palatio, in conventu venerabilium archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, clerique ceteri ordinis, cum illustribus comitibus & vassis dominicis, ac compluribus nobilium virorum, quorum nomina subter tenentur inserta, aliisque non paucis, qui numerositatis gratia nominatim comprehendi nequeunt, ad diversas emergentium causarum considerationes, tam ecclesiasticas, quam seculares tractandas, atque juste & legaliter diffiniendas; ventilare cœpit controversiam, ortam inter Rotbertum Cenomannicum episcopum, & Ingelgarium monasterii sancti Carilefi abbatem, pro qua maxime per ammonitionem reverendi papæ Nicolai domnus rex ad eumdem conventum venerat. Recitata autem epistola, ab eodem apostolico domno regi directa, narrabat, cœnobium sancti Carilefi potestati episcopatus prædicti Rotberti injuste subtractum, & ut ei restitueretur exposcebat. Cujus metropolites Herardus legens scriptum, pro præfata altercatione sibi ab eodem papa directum, invenit ceteros eum syllabatim rogasse antistites, ut ipsi Rotberto ad ipsum monasterium adipiscendum unanimiter opem ferrent. quæ littera coram prolata ostenderunt, eidem Rotberto quartam missam epistolam: eademque ostensa inventum est, monachis prædicti cœnobii quintam missam, quarum tres hactenus domnum regem & pontifices, ac ceteros assistentes latuerant, eodem eas Rotberto occultante. Tum juxta ejusdem apostolici mandationem & sacrorum canonum institutionem idem Rotbertus ex propria diœcesi tres elegit judices, Herardum scilicet Turonicum metropolitem, Dodonem Andecavensium, & Actardum Namnetensium antistitem, quorum examine idem terminaretur conflictus. Vocati autem sæpe dicti cœnobii monachi, & coram interrogati, responderunt, se illuc per obedientiam proprii abbatis venisse, nec esse sui officii, ut ex hoc cum quolibet in rationem intrarent. Interrogatus etiam eorum abbas, respondit, per obedientiam & munificentiam ipsius regis sub monastica professione se ipsum tenere monasterium, & exinde ei debitum exhibere famulatum. Tunc surgens gloriosus rex, stetit ante prædictos judices; & manifeste ostendit, ex parte attavi, avi & genitoris jure hereditario, sine ullo censu, se ipsum possidere monasterium, ac singillatim monachis-abbatibus illud gubernandum commisisse. addiditque, quod excusanti se Rainaldo ex eadem abbatia, ipse Rotbertus cum Frodoino abbate, regio jussu electionem ibi fecerit, & nihil ex hac resonuerit. Patrata vero electione ipsum monasterium petierit, ac illud ei, non restituendo, sed beneficii nomine largiendo commiserit, non recolens eisdem monachis regali auctoritate & pontificali privilegio concessum, ex sese abbates sibi eligendo præficere. Hinc judicio episcoporum inventus est, ut utriusque partis auctoritates inconvulsa servarentur, & datus est eis dies statutus, ad discernendum, cujus juste & legaliter refutanda, cujusve essent scripta adprobanda atque tuenda. cui placito ipse domnus rex, & monachi interfuerunt; & idem episcopus illo venire, atque legatum suum mittere distulit. Inter ea sacrarum statuta auctoritatum, & secularium jura legum prolata demonstraverunt, insuper omnes episcopi & ceteri assistentes assensum præbentes judicaverunt: ut quia de rebus ecclesiasticis agebatur negotium, & aliter nullo modo poterat definiri, admitterentur advocati utriusque partis, regalis videlicet & episcopalis: quatinus his altercantibus veritas nudaretur, & ad debitum celerius terminum causa perduceretur. quibus datis, præcellentissimus rex repetito consessu accepit judiciariam potestatem: advocatus autem episcopi, Haldricus nomine, regis interpellavit advocatum, nomine Widonem, dicens, quod res sancti Gervasii, id est monasterium sancti Carilefi, unde strumenta se habere dicebat, & antecessores ejusdem Rotberti, Franco, & Haldricus pontifices, tenuerant; regia potestas, cujus ille advocatione fungebatur, ei malo ordine & injuste contenderet. Ipse vero respondit, quod res, quas ei quærebat, Imperatores Francorum hereditaverunt domno regi Karolo; & non solum triginta, sed etiam trecentis annis absque censu & absque ulla repetitione ad proprium tenuerunt. Tunc domnus rex interrogando adjuravit Wenilonem Senonensem, & Helmeradum Am-

ANN. CHR. 863.

bianensem, & Herpuinum Silvanectensem episcopum, qui temporibus piissimi imperatoris HLudowici fuerant; Adalardum quoque illustrem comitem, secretorum ejus conscium & ministrum: qui veraciter testati sunt, ipsum monasterium praescripto Haldrico, non restitutionis, sed beneficii jure largitum. Interrogatus quoque idem advocatus episcopi, & Witto ejus homo, idipsum professi sunt. nec enim praetaxatus episcopus Haldricus idem monasterium amplius, quam duobus annis & dimidio habuit. Franco etiam, ejus antecessor non amplius, quam novem annis illud tenuit, & in vita sua, retento episcopatu, amisit: cum episcopium uterque illorum pluribus annis rexit. His ita elucidatis, reverendi antistites, & nobilissimi proceres, & ceteri assistentes apertissime cognoverunt, cognoscentesque adfirmaverunt, regiam ejusdem monasterii praeponderare possessionem, quae numquam & nusquam interrupta fuerit, sed continuatim inconvulsa manserit. Episcopale vero ideo refutandum dominium, quia ejus non vera, nec effectum habentia apparerent instrumenta; nec habuerit quisquam pontificum idem monasterium, nisi jure beneficii per munificentiam principalem. Advocatus igitur episcopi veridica professus est ratione, non habere se vera & legitima instrumenta, per quae idem monasterium tenere posset. unde & se concredidit, & nulla principis aut judicum vi, aut oppressione, sed propria voluntate & justo omnium assistentium judicio, easdem res cum querela werpivit. Et ne materia refricandae litis ulterius remaneret, jussit domnus rex, ut instrumenta Cenomannicae ecclesiae, quae inutilia & falsa probata erant, intra quartumdecimum diem in ejus exhiberentur praesentia; penitusque abolerentur, ne iterum per illa frustra aliquando innovarentur litigia, & tempora quorumlibet judicum inaniter occuparentur. Propter notitiam namque rerum, ne umquam oblivione elaberentur, judicatum est, ut omnia haec fideliter litteris alligarentur, & in quorum praesentia publice gesta essent, viritim comprehensis eorum indicaretur vocabulis; & ut perpetuum vigorem cuncta praeferrent, omnemque falsitatis effugerent suspicionem, regio munirentur sigillo.

Desunt in veteri exemplo codicis Aninsulensis nomina subscribentium, quorum praecipuos ex contextu praemissi instrumenti licet colligere.

VIII. Synodica sententia a Nicolao confirmata.

His ita gestis in conventu Vermeriensi, ejus rei diffinitiva sententia Romam ad Nicolaum pontificem perlata est per Odonem Bellovacensem episcopum, quem iterum ejus rei causa Romam missum fuisse, intelligimus ex pontificio diplomate,
» quo synodale judicium confirmatum est. Inscriptum est hoc diploma universis epis-
» copis & principibus Galliarum, in quo primum pontifex Carolo gratulatur, quod
» dignatus sit curam assumere monasterii sancti Karilefi confessoris, in quo a prima
» suae conditionis die, ex quo beatus Karilefus ibidem corpore quievit, religioso-
» rum monachorum habitavit examen, habuitque libertatis suae privilegium, & in
» rerum suarum dispositione, & in abbatis ex semetipsis electione. tum subdit ponti-
» fex, hostem humani generis, qui Christi ecclesiam impugnare numquam omittit,
» conatum quidem fuisse hanc convellere libertatem; at divina clementia sic motum
» Caroli regis animum, ut non solum inimici persuasio non praevaluerit, verum
» etiam ut ejusdem libertatis privilegium a nullo deinceps nec everti possit,
» nec violari. Unde Odonem Bellovacensem episcopum ab eodem principe cum
» litteris ad se missum fuisse, quibus postulavit, ut libertatem illi monasterio, & ab
» episcopis, & a regibus Francorum concessam, sua in perpetuum auctoritate robo-
» raret. Huic postulationi assentiens pontifex vetat, ne episcopus Cenomannicae ur-
» bis quidquam juris in illud monasterium, ejusve res aut possessiones deinceps ullo
» modo praetendat; nec vim ei ullam inferat, *sicut audivimus*, inquit, *quosdam facere voluisse, quasi inscriptiones quasdam monstrantes, quibus monasterium suae civitati possessionis jure subditum facere conati sunt: quas constat omnino falsas fuisse. quandoquidem privilegia regum, quae ex antiquorum regum Francorum temporibus olim monasterio illi concessa sunt, hoc destruant, sicut & ipsa testantur, quae in archivis monasterii ob testimonium sibi concessae libertatis hodieque servantur. Quod si fortassis contigisset, ut aliquando monasterium illud sub potestate Cenomannici fuisset episcopi, quod rebus ipsis probatur, & testimoniis monasterio collatis numquam fuisse; tamen secundum leges saeculi, post tot jam saecula & annorum spatia, repeti nullatenus potuisset; & quod semel acceperat libertatem, jam sub ditione mancipari nequaquam potuisset. Et ecce hoc monasterium*, inquit, *a primo rege Francorum christiano, id est Chlodoveo, filioque ejus Childeberto cum habuerit libertatem, & deinceps ab omnibus regibus semper manserit liberum, & in rerum suarum dispositione, & in abbatis electione; nunc repetitur*

ANN. CHR. 863.

quasi in proprii juris dominationem: cum, si terrena possessio fuisset, & per tot annos possessoris sui dominatione caruisset; nullo modo secundum leges mundi, sive ecclesiasticas, antiquus possessor eam sibi vindicare potuisset. His præmissis, confirmat pontifex Aninsulensium libertatem, decernitque, ut rerum suarum habeant liberam in omnibus pro loci utilitate dispensationem; nullamque episcopus Cenomannensis in eo habeat possessionis dominationem, nec ipsum monasterium ad suam inclinet subjectionem: sed abbas ille, qui tunc ei præerat, Ingilharius, & fratres ejusdem loci jus dominationis secundum ecclesiastica statuta semper obtineant. Ad hæc ut episcopus, nisi invitatus, eo non accedat: ordinationes vero, consecrationes ecclesiarum, chrisma, prout illi petierint, eis præstare non moretur. Abbatem a fratribus electum gratis ordinet. Quod si abbas infamiæ vitio notatus sit, *ex regali providentia* episcoporum non minus quam sex habeatur conventus, quorum e numero sit Cenomannicus episcopus, ad causam abbatis discutiendam; nec is deponi possit absque manifesta criminis probatione. Hoc diploma in editis caret chronicis notis, quas facile ex superioribus supplere licet. Hic tandem exitus fuit diuturnæ illius controversiæ, quæ Caroli Magni, Ludnvici Pii, & Caroli-Calvi principatu animos regum & episcoporum fatigaverat.

IX. S. Mauri vita ab Odone reperta.

Post varios hac illacque discursus Glannafolienses monachi, quos effera natio Nortmannorum a propriis sedibus fugere, & ab urbe Sagio in Burgundiæ partes accedere coëgerat, in prædio quodam Audonis comitis circa fluvium Ararim demum cum sancti Mauri corpore hoc anno constiterunt: ubi munifica comitis largitate excepti, sacrum loculum cum honore congruo in apto condiderunt locn. Hic Audo forte non alius fuerit ab Odone comite illo potentissimo, cujos sororem Ludovicus, Caroli regis filius, in matrimonium duxit. nam ejusmodi litterarum permutatio non infrequens, qualis in Audachro abbate Cormaricensi, qui Odacer ab aliis scribitur. Cum illic cnnsedissent fratres, Odo abbas, designatis iis, qui cultum sacri corporis curarent, cum aliis patrium snlum revisere statuit. Vix iter ingressus erat, cum peregrinorum haod ignnbiliom turmam ad Ararim offendit, qui ex orbe Roma in patriam remeabant, tumque fessi in ora fluminis navigium opportunum ad prosequendum iter opperiebantur. His adjunctus Odo, amica, ut fit, confabulatione eos de sacris illius urbis, eorumque locorum statu & oroatu multa sciscitatus est. tum, crescente curiositate, plora sciendi avidus, quid rari ex illis locis referrent, rogavit. In his unus clericus, Petrus nomine, ex pago Abrincatino, ex monte scilicet sancti Michaëlis, qui *Ad-duas-tumbas* tunc vocabatur, ante biennium profectus in Italiam, quosdam quaterniunculos veteres in sportula referebat, antiquaria descriptos manu, qui vitas sancti Benedicti ac quinque discipulorum ejus, Honotati videlicet, Simplicii, Theodnri, Valentiniani, atque Mauri coiuiuebant. Hos comparandi cupidus Odo, vix nummis haud paucis redimere potuit. Mox ille vitam sancti Mauri, auctore Fausto, curiosius revolvere, ignotos rimari characteres, & fugientem scripturam sedulo inspicete ac lectitare. Quia vero hæc tam inculto sermone, quam vitio scriptoris, non parum depravata erat; eam viginti dierum spatio pro modulo carrexit, *& salva fide dictorum*, inquit, *ac miraculorum inibi repertorum*, politiori stilo reddidit. Hæc ille in epistola ad Adalmodum archidiaconum Cennmannensem, testem Jesum invocans, se vera dicere, homo cetera sincerus, nec imperitus, ut patet ex ejus libro de eversione ac instauratione Glannafoliensis monasterii, cujus libri ipsummet scriptorem esse constat. Simili fortuna sanctus Gregorius, Lingonum præsul, historlam passionis sancti Benigni martyris, ad hoc usque tempus sibi incognitam, *ab euntibus in Italiam*, immo illinc redeuntibus, *allatam accepit*, testante Gregorio episcopo Turnnensi. Plura hac de re in Dissertatione nostri Ruinarti de missione sancti Mauri in Galliam, in Appendice tomi primi Annalium nostrorum relata.

X. Samson abbas Hispanus.

In Hispania Samson abbas & presbyter hoc anno regimen iniit sancti Zoïli monasterii, quod in suburbano Cordubæ monasterio Carrione conditum superius diximus. Vir erat doctus & subtili ingenio, in philosophiæ & sacrarum litterarum studiis versatus, ut colligit Morales [a] ex ejus apologetico, quod tribus libris distinctum scripsit contra Hostigesium Malacitanum episcopum, qui ipsum in concilio Cordubensi hæreticum cum convicin dixerat. Id ipse testatur in præfatione

[a] Moral. in Eulog. p. 215.

ANN. CHR. 863. libri sui secundi, ubi se abbatem ecclesiæ sancti Zoïli martyris æra nongentesima-prima factum ostendit. Hoc apologeticum in Toletanæ ecclesiæ bibliotheca, Gothicis litteris exaratum, in pervetusto codice haberi testis est idem Morales; monetque in præfatione libri secundi agi de periculo, quod martyres sanctos sepelientibus imminebat, ac de Servando comite, christiano quidem, sed nefario homine, qui multa mala christianis viventibus inferebat. qui *vivorum mortibus non contentus, quiescentium, quorum animabus impedire requiem non potuit, ne vel ipsis parcere videretur, corpora ut fuerant sub areis* * *Dei posita, e suis loculis insignis vespillo traxit, & fidelibus regis, ut fuerant ancipiti ense truncata, monstravit, ut hoc facto animos regios,* id est regis Arabum christianis infensi, *in nostrorum perniciem excitaret: quatenus probarentur apud eum debito mortis obnoxii, qui ausi essent humare illius prostratos pugione.* Hæc Samson in suo apologetico, quod mirum est tam diu delituisse, nec proferri tandem in lucem ab Hispanis, apud quos tanta per ea tempora bonorum operum penuria est. Morales ait, se juvene in montibus Cordubensibus, dum vetustum puteum rustici repurgarent, cymbalum æreum, unius ferme pedis altitudine, formæ longe ab aliis diversæ, exstractum fuisse, cui in orbem litteris, non fusilibus, sed celte excavatis, hæc inscriptio insculpta erat: OFFERT HOC MUNUS SAMSON ABBAS IN DOMUM S. SEBASTIANI MARTYRIS CHRISTI ERA DCCCC. & XIII. Idem auctor ejus epitaphium refert, quod suo loco exhibebimus.

* f. aris.

ANN. CHR. 864.

X I. Caroli diploma pro cœnobio Ademarensi.

POstero anno, ejus sæculi sexagesimo-quarto, Carolus in Aquitaniam movit contra Nortmannos, qui superiori anno basilicam sancti Hilarii incenderant; sed, nulla re memorabili gesta, cum filio suo Carolo Aquitaniæ rege, in villam regiam Compendium rediit: nec multo post Carolus junior, e venatione revertens e Cotia * silva, spathæ ictu in capite percussus, postmodum ex illo vulnere interiit. Dum Compendii resideret Carolus, eum interpellavit carissimus ejus avunculus Radulfus [a] comes, ut sanctis fratribus, sub monastico ordine in cellula, quæ Dervus vocatur, super fluvium Barsan seu Barsith, a quodam religioso viro Adremaro initiata in honorem beati Petri, conferret stirpes quasdam ex rebus Tricassinensis comitatus, quas ipsi proprio labore ad agriculturam perduxerant. Petenti rex annuit, ejusque rei limites disterminat, ex uno latere fluvio Barse, ex altero silva Clarascensi; tum ex una fronte stirpe monachorum, ex altera silva communi ex parte sancti Petri de Valle-clusa seu sancti Lupi. *Data idibus Maii, indictione* XII. *anno* XXIV. *regnante Karolo rege. Actum Compendio palatio.* Erat prædictus Radulfus consiliarius [b], primusque palatii, qui intra biennium decessit, Caroli avunculus itidem dictus in epistola quadam Hincmari archiepiscopi ad Nicolaum papam.

* de Cuise
a Camuzat fol. 184. & seqq.
b Chesn. to. 2. p. 403.

X II. Pippini defectio. Tolosæ obsidio.

Interim Pippinus, Pippini quondam regis filius, ex monacho factus laïcus & apostata, ad Nortmannos iterum se adjungit, eorumque mores ac ritus sectatur. Tunc sine dubio accidit id, quod Aimoïnus in libro secundo [c] de miraculis sancti Vincentii martyris memorat, scilicet Nortmannos tunc tempus ex Garonnæ fluvio a Pippino conductos mercimoniis, pariter cum eo ad obsidendam Tolosam adventasse, admotisque machinis eam expugnare modis omnibus contendisse, generale regionis exitium meditatos. Hinc non modo Tolosani, sed etiam Albienses, ne forte insperata irruptione præoccuparentur, hac illacque diffugiunt. Quin etiam Castrenses monachi, cum sancti Vincentii corporis thesauro, recens magno cum labore acquisito, ad tutiorem locum se recipiunt, nempe ad montes vicinos. Verum Nortmanni, post aliquot dies in vanum exactos, simul cum suo conductore, inani obsidione fatigati, recedere coacti sunt. Mox sancti Vincentii corpus in Castrense monasterium relatum, miraculis subinde illustratur: ex quibus unum patratum est in proxima Waldarii-cella adversus quosdam milites, qui prata ejus loci depascebantur, Herr..engaudo Albiæ comite nequiquam obsistente, qui pallas sancti Vincentii ad perticas in signum dominii ejusdem martyris appendi præceperat: alterum itidem in alios milites, depopulantes villam cujusdam obedientiæ, quam Garriculas vocant, in Impuriensi pago sitam, quam *domnus Albericus monachus, pro sui reverentia tali appellatione condignus*, cum alio fratre, Elia nomine, administrabat.

c V. Sæc. 4. Bened. part. 1. p. 768.

S. Vincentii delatio.

ANN. CHR. 864.

XIII. Pistensi in conventu Pippinus damnatus.

Carolus e villa regia Compendio Pistas profectus, ibidem kalendis Junii generalem conventum habuit, in quo annua dona, & censum a Salomone Brittonum duce sibi submissum, quinquaginta scilicet libras argenti, recepit. Eodem Pippinus, ab Aquitanis captus, ad regem adducitur; tumque Francorum judicio capitis damnatus, nihilo minus indulgentia patris Silvanectis artissima custodia religatur. Aderat eidem conventui Bernardus comes, Bernardi quondam Ludovici augusti camerarii filius, qui patris ulturus necem, Caroli regis mortem machinatus fuisse creditus est, ob idque privatus honoribus, quos Carolus Rodberto fideli suo, cujus vitæ etiam ille insidias struxerat, concessit.

S. Germani Antisiodorensis bona in synodo confirmata.

In eodem conventu bona omnia monasterii sancti Germani Antisiodorensis, cui tum præerat memorati regis filius venerabilis abbas Lotharius, synodali episcoporum diplomate confirmata sunt rogatu ejus loci monachorum, qui legatos suos ejus rei causa Pistas miserant. « Eorum studium approbantes episcopi, facilem eorum votis assensum præbuere, ut sanctorum operum, quæ illis divinitus conferrentur, non adjutores solum, verum etiam efficerentur participes. Itaque quæcumque regia munificentia, vel fidelium liberalitate ad conservationem sui propositi adepti sunt fratres; *res quoque, quas dedit Hermannus vir nobilis ad stipendium matriculariorum, quos nonnonci vocant*, episcopali auctoritate confirmant præsules, ita *ut intra annum per quadraginta dies certa, ex collatione recenti bonorum hominum, in festivitatibus sanctorum benedictiones* seu refectiones *fratribus a præposito vel decano sollemniter* procurentur. In fine iidem prędictos fratres monent, *ut in sancta religione, quam Deo professi sunt, quotidie proficiant; sua sanctitatis exemplo ad se accedentes instigent, famaque laudabili ad Dei gloriam absentes quoque esse studeant imitabiles: ut eorum merito & sæcularis res publica dirigatur, & infatigabili intercessione cuncta res ecclesiastica fulciantur.* His litteris subscribunt episcopi viginti & unus, ex quibus sex sunt metropolitani: quorum nomina in editis referuntur, tum in tomo [a] secundo Spicilegii, tum in specimine LVII. libri quinti de re diplomatica: ubi observatum, a superiori conventu Pistensi, qui ante biennium habitus est, ad hunc posteriorem quatuor vacasse episcopales sedes. nam priori subscribunt Abbo Nivernensis, Guntbertus Ebrocensis, Godelsadus Cabilonensis, & Braidingus Matisconensis: huic vero posteriori Liudo Nevernensis, Hilduinus Ebrocensis, Girbaldus Cavillonensis, & Bernaldus Matisconensis. Aderat etiam huic synodo Liutbertus archiepiscopus Moguntiacensis, suffectus in locum Caroli, qui superiori anno decesserat pridie nonas Junii: aderat & Altfridus Hildinesheimensis antistes e nostris: ambo a Ludovico Germaniæ rege obsides Carolo regi dati in fidem fœderis inter se compositi: contra vero Hincmarus archiepiscopus & Engilramnus comes a Carolo dati, ex annalibus Fuldensibus.

[a] Spicil. to. 2. p. 591. & seqq.

XIV. Helgaudo Centulæ abbati succedit Guelfo.

Helgaudo comiti & abbati Centulensi, III. nonas Novembris defuncto, subrogatus est Guelfo seu Welso regii generis, filius scilicet Adelaïdis filiæ Ludovici Pii, Conrado comiti seniori desponsatæ; frater vero Hugonis abbatis nominatissimi. Hinc eum Ludovicus Balbus in quodam diplomate pro Centula *consanguineum* suum vocat. Idem Guelfo abbatiam sanctæ Columbæ Senonensis retinuisse dicitur, laudatus ab Hariulfo tum ob expertam prudentiam, tum ob religiositatis devotionem. Argumento est, quod hoc anno, VI. kalendas Novembris caput sancti Richarii e capsa lignea in argenteam, auro gemmisque redimitam, transponi curavit. Hanc capsam Odulfus, venerabilis monachus & æditus, ex thesauris ecclesiæ itidem plurimum exornavit, atque in ea multas alias sanctorum reliquias reposuit. Has undequaque conquisierat tum ab Hilmerado Ambianensi antistite, a quo reliquias ex casula sancti Firmini, qua indutus erat, cum necem pro Christo passus est, sanctorumque Fusciani & sociorum martyrum, ac digitum sancti Honorati confessoris accepit, quas Samuel presbyter, Odulfi discipulus, Centulam attulit idibus Junii: tum ex reliquiis sancti Judoci, idibus Decembris allatis: tum ex reliquiis sanctorum Wandregisili & Ansberti, quas Fontanellenses, tunc a facie Normannorum profugi, Centulensibus concesserant: tum denique ex reliquiis sancti Luciani martyris, ex concessu Odonis episcopi Bellovacensis, ad preces Hilmeradi præpositi basilicæ sancti Luciani; & ex reliquiis sancti Justi, pridie idus Junii Centulæ exceptis.

XV. S. Reginæ translatio Flaviniacum.

Præfectus ante quadriennium, ut diximus, Egil abbas Flaviniacensi monasterio,

ANN. CHR. 864.

hoc anno de transferendo ex opido Alexia sanctæ Reginæ virginis & martyris corpore serio cogitare cœpit. Accepta itaque ab Jona Æduensi episcopo facultate, hoc propositum exsequi maturavit. Triduano quippe fratribus indicto jejunio, XII. kalendas Aprilis, assumto secum Salocone episcopo, qui vices Jonæ agebat, cum aliquot fratribus beatæ martyris oratorium adiit, quod vix quinque passuum millibus Flaviniaco distat; sumtoque ligone sepulcrum, quod miræ magnitudinis erat, aperuit; tum, superjecto pallio, texit ad crastinum, totamque noctem ibidem pervigil in precibus duxit. Prima dein luce saxeum tegmen, quod vix multorum boum annisu trahi posset, facili negotio removet: dein corpus sacrum in paratum feretrum componit, ac sollemni pompa, comitante cum fratribus Salocone episcopo, & innumera promiscui populi ac sexus multitudine, in Flaviniacense monasterium deducit: ubi honorifice conditum est.

Corbiniaci fundatio.

Die sequenti, scilicet XI. kalendas Aprilis, præsente eodem Salocone, lecta sunt quædam litterarum monumenta, quibus intellexit Egil, Manassæ abbati olim concessam fuisse facultatem exstruendi in Avalensi seu Nevernensi comitatu cœnobii apud Ammonias, in loco, qui a Corbone viro illustri, Widradi sanctæ memoriæ abbatis genitore, Corbiniacensis dicitur: ubi duodeni instituerentur monachi, sub jure abbatis ac monachorum Flaviniacensium. Ex hac lectione Egil abbas, cum consilio Saloconis sibi familiaris, aliorumque prudentium virorum, votum Manassæ abbatis quam primum exsequi constituit. Eo animo Corbiniacum, imminente paschali sollemnitate, cum cæmentariis & artificibus accedit; ac brevi fundato in honorem beati Petri apostoli oratorio, duodecim illic fratres, in memoriam duodecim apostolorum, collocavit, quibus decanum præfecit sanctæ conversationis, Wlfridum nomine: eisque adjacentes villas, quas Widradus quondam Flaviniaco donaverat, attribuit, eo pacto, ut, sicut olim præcepto suo Carolus Magnus statuerat, semel in anno singuli ex eis sacerdotes & levitæ per singulas hebdomadas Flaviniaco se repræsentarent, sibi commissum officium ibidem celebraturi. quo expleto, nullus eorum ad cellam Corbiniacensem regredi auderet, donec probata ejus vita abbas & fratres Flaviniacenses eum regredi jussissent. Atque ut facilior esset hic commeatus, Corbiniacensibus concessa est villa, quæ dicitur *Menres*, in qua venientes ac recedentes hospitarentur. Ad hæc, census ab ipso decano triplex quotannis ita solvendus præscribitur, ut VIII. kalendas Februarii, & VII. idus Septembris epulum Flaviniacensibus procuraret; & pridie kalendas Decembris centum solidos in lanificis vestibus redderet. In fine sub gravi interminatione vetat Egil, ne umquam hæc cella Flaviniaco subtrahatur. quod tamen secus factum est, Corbiniaco in abbatiam converso sub titulo sancti Leonardi abbatis Vendoperensis, cujus reliquiæ ex pago Cenomannensi Corbiniacum translatæ sunt.

Saloco episcopus.

Hoc ipso anno Saloconem episcopum e vita migrasse opinatus est Hugo Flaviniacensis abbas in chronico, ubi eum Flaviniacensem monachum vocat. Verum eum tempore concilii Suessionensis, post biennium celebrati, superstitem fuisse constat ex epistola synodali Nicolao papæ scripta, ubi de *Salocone Dolensi, adhuc quidem, licet expulso, superstite*, fit mentio, ut in gradum pristinum cum aliis restituatur. Hic est Saloco seu Salaco, Dolensis seu Aletensis quondam episcopus, e cathedra dejectus ob factum Nomenoii ducis Brittonum, de quo superius egimus, quem expulsum Jonas Æduensis episcopus in partem sollicitudinis adscivit.

XVI.

Sollemniacum incensum.

Inter ea Normanni Arvernos petunt, indeque, Stephano comite, Hugonis filio, cum paucis interfecto, impune ad suas naves redeunt. Forte eundo & redeundo pertranseunt Lemovicensem pagum, & Sollemniacum monasterium incendunt. Imminentis periculi monachi haud ignari, in cellam Asinensem, prope Brivaciacum * in eodem pago sitam, confugerant; ibidemque constiterunt, dum tutior esset ad monasterium reditus. In illo intervallo temporis dux Arnaldus, vir illustris, Imonis comitis Petragoricensis filius, qui Sanctioni avunculo suo in principatum Vasconum, Pyrenæorum montium accolarum, successerat, optime in Sollemniacenses affectus, eos invitat ad se invisendum, pollicitus, eos vacuis manibus haud reversuros, ditandos utique insignibus sanctorum reliquiis, quibus monasterii sui jacturam solarentur. Missi ad eum a Bernardo abbate monachi duo, Aldarius scilicet religiosus sacerdos, & Gotafredus ejusdem Arnaldi nepos. Ambo itaque ad eum profecti, atque ab eodem humanissime excepti. Tum, variis locis perlustratis ad

* *Brivezac.*

Sanctæ Faustæ translatio.

ANN. CHR. 864

perquirendas reliquias, tandem Fidentiaci *, quod caput erat tum pagi cognominis, reperiunt quod optabanr, corpus scilicet sanctæ Faustæ virginis & martyris, olim conditum in ecclesia ejus loci, quæ a paganis combusta fuerar. Elatæ e tumulo, favente loci judice, sub noctem reliquiæ, demum allatæ sunt in pagum Torinensem; ubi fessi earum delatores quodam in loco substiterunt, qui *Nonnaris* dicitur, prope castrum Asnense, cui vicina erat cella, in qua Sollemniacenses commanebant. Posita est ad Dordonam fluvium, in fundo Brivaciaci, qui ad jus eorum pertinebat, cella etiam insignis. Postridie profecti obviam sacris reliquiis frarres, eas honorifice in cellam Asnensem detulerunt XVII. kalendas Julii, & loco decenti juxta cryptam altaris deposuerunt.

* *Vic. fesensac.*

XVII. Mauziaci abbas Lantfredus.

Mauziaco apud Arvernos monasterio tum præerat Lanrfredus, abbas ejus nominis secundus. Huic visum est pro loci opportunitate & commodo permutationem quorumdam prædiorum facere cum Bernardo comite & Ermengarde ejus conjuge. Ideoque placuit pro urilitate utrarumque partium, una cum consensu & præceptione Caroli regis & Rodulfi episcopi, ut ex rebus sancti Petri & sancti Caprasii, qui monasterii patroni præcipui erant, cellula sancti Præjecti in vico Brivate Bernardo cederet: Lantfredo vero abbati ejusque monachis ecclesia villæ Jussiaci, beatæ Mariæ sacra, sita in vicaria Randanensi, in compensarionem daretur. Hæc commutatio facta est sabbaro in mense Januario, anno vicesimo-quarto Caroli regis, eique subscribir cum Lantfredo abbate Ingilbertus præpositus. Ejus rei litteræ a nobis editæ sunr ex chartario Brivatensi, nempe in tomo secundo [a] Sæculi quarti Benedictini, in quibus Mauciacum seu Mauziacum cœnobium situm dicitur *in patria Arvernica, in aice* seu tractu *Riomensi, constructum in honore beati Petri apostolorum principis, & sancti Caprasii martyris, abi moderno tempore beatus Stremonius martyr, primas Arvernorum episcopus & prædicator, corpore requiescit.*

[a] *pag. 195.*

XVIII. Hucberti abbatis cædes, Theutbergæ Avennacum datum.

In superioribus non semel actum est de Hucberto clerico, fratre Theutbergæ reginæ, Lotharii uxoris, qui multas abbatias dilapidatus est. Hic cæsus fuir hoc anno ab hominibus Ludovici imperatoris, quo invito abbatiam sancti Mauricii, aliosque honores, in ejus ditione positos, tenebat, ut ex Annalibus Bertinianis discimus, ubi *Hucbertus clericus conjugatus* dicitur, *& abbas monasterii sancti Martini*, quæ abbatia Ingelwino diacono palatii post eum commissa fuit. Sic fratris sui præsidio destituta Theutberga, abjecta a Lothario, ad Carolum regem se recepit, qui ei Avennacum monasterium pagi Remensis dedit, nempe post Bertam Lotharii augusti filiam, de qua superius [b] egimus. Hæc est Theutberga abbatissa, cui scribit Hincmarus archiepiscopus [c] *pro ordinatione Avennaci monasterii, quam ipse quondam cum Irmintrude regina disposuerat*; de numero clericorum & nonnarum, atque de rebus villarum ipsius monasterii, videlicet mille centum quinquaginta mansis: significans se disposuisse viginti clericos, & quadraginta nonnas ibi consistere posse; victumque eis providisse, & res necessarias; ac ministeriales instituisse, præter luminaria, & cetera monasterii necessaria. ostendens, quod Nivardus Remorum archiepiscopus de rebus Remensis ecclesiæ monasterium Altivillarense construxerit, & frater ejus de suis proprietatibus, & quæ alii boni homines ad eumdem locum dederunt, Avennacum exstruxerir monasterium; quodque ad ecclesiam Remensem tradiderit: unde chartæ habebantur id aperte pandentes: sed per regium donum, sicur & aliæ res hujus ecclesiæ, ab externis a longo retro renebatur tempore. Ex his veri simillimum est, Theutbergam, saltem post mortem Lotharii, (nam anno sequenti eidem ad tempus a legatis papæ reddita est) monasticum Avennaci habitum induisse, ibique abbatissæ munere functam fuisse. Ejus tempore furto abstractus thesaurus hujus loci. unde idem Hincmarus [d] scripsit *pro quodam presbytero Avennaci monasterii, qui denotabatur super thesauro ipsius ecclesiæ dudum perdito.*

[b] *lib. 33. n. 28.*
[c] *Frod. lib. 3. c. 27.*
[d] *ibid. c. 28.*

XIX. Gunthari & Teutgaudi archiepiscoporum varia fortuna.

Cum Guntharius Coloniensis & Teutgaudus Trevirensis antistites cum suis asseclis ob probatum Theutbergæ repudium damnati fuissenr, & sacris inrerdicti; perstitit nihilo minus in sua contumacia Guntharius, nec sacro abstinuir ministerio, immo capitula impudentiæ plena suo & Theutgaudi nomine ad Nicolaum papam per Hilduinum clericum fratrem suum misit: qui eo usque audaciæ processit, ut, cum ea pontifex accipere noluisset, hæc supra tumulum beati Petri, custodibus, qui eum prohibere volebant, percussis, impudenter jactaverit. His rebus offensus Lotharius ipse, cujus causa in hæc præcipitia Guntharius se conjecerat, episcopatum ipsi ademit,

ANN. CHR. 864. Hugoni abbati datus episcopatus Coloniensis.

eumque Hugoni, Conradi Caroli regis avunculi, & materteræ suæ filio, tonsura clerico, & ordinatione tantum subdiacono, moribus autem & vita laïcis præcellenti, donavit. Is est Hugo abbas clarissimus, Caroli regis consobrinus, sæpius jam a nobis laudatus, sæpiusque denuo laudandus; qui tamen episcopalem ordinationem numquam suscepit. Non tulit hanc, ut putabat, injuriam Guntharius: sed, expilato Coloniensis ecclesiæ thesauro, Romam iterum se contulit, ut sua de Theutberga & Waldrada figmenta pontifici, si fieri posset, approbaret. Prudentius se gessere alii præsules, ejus partium fautores: ex quibus Teutgaudus ab ecclesiastico ministerio reverenter abstinuit, & male cœpta hac modestia emendare curavit. Sane Lotharius ipse, improbata Gunthari contumacia, Nicolao papæ significavit,
„ quod Teutgaudus, *simplicissimus atque innocentissimus vir*, apostolicam humiliter fe-
„ rens censuram, nihil de sacro ministerio exercere præsumserit, *magis eligens dehonorationem præsentialiter in oculis hominum pati, quam per inobedientiam ab illius membris secerni, qui caput est humilium.*

XX. Betto monachus, Romam legatus.

Ab eodem errato etiam resipuere Adventius Mettensis, & Franco Tungrensis præsules; quorum priorem Carolus rex scriptis litteris Nicolao pontifici reconciliavit, id est Adventium, qui, ut in iisdem litteris legitur, fratrem quemdam, no-
„ mine Bettonem, regi fidelem, & in monasterio ejus regni ab infantia regulariter
„ educatum, eidemque Adventio a rege concessum, ad Carolum misit, rogans, ut
„ pro ipso scriberet pontifici, apud quem regis auctoritatem non modice sibi suffra-
„ gaturam credebat. Eumdem Bettonem ad Nicolaum papam a Carolo missum fuisse probant ejusdem epistolæ extrema hæc verba. *Petimus siquidem, ut istum non modo suum, verum & nostrum legatum, Bettonem religiosum monachum, & litterarum scientia, bonique ingenii capacitate, Dei gratia, & sedulo studio imbutum, benigne & familiariter recipiatis: quo ea, quæ sibi injuncta sunt, mansuetudini vestri apostolatus domestica suggestione valeat enarrare.* In rescripto tamen Nicolai papæ ad Adventium ait pontifex, se excusationis ejus litteras, non per Bettonem, sed *per Theudericum religiosum presbyterum* suscepisse, quibus Adventius se in extremitate vitæ positum significabat.

XXI. Lutrensis abbatia Waldradæ data.

Monstri simile visum est, quamquam quid non insanis amoribus liceat? quod Lotharius rex Waldradæ pellici Lutrensem abbatiam tradidit. Hoc cœnobium tum administrabat Icha seu Hicca, cui abbatis nomen haud quaquam invidit scelesta illa femina, modo res monasterii sub potestate haberet. Et quidem illi e propinquo facile fuit exercere muliebrem tyrannidem. Exstat in partibus Alsaticis Marilegia *, villa regia, palatio quondam insignis, ubi Lotharius non raro versabatur. Cum ejus contubernio frueretur hæc lupa, ab eo Lutram diversandi causa postulavit, ut illic minori cum scandalo degeret, sicque hoc colore flagitium tegere videretur. Abbatia itaque illi in dotem data, hæc sacrum locum, ut proprium usurpavit, & in proximo loco, qui sancti Quintini dicitur, consedit, ibique omnia, quæ sancti Deicolæ erant, in proprios usus convertit. Cerneres abbatem & monachos inde expelli, divina cessare officia, cuncta denique monasterii loca & bona contaminari. Hæc fere auctor anonymus in libro de vita sancti Deicolæ, primi ejus monasterii abbatis: qui tamen auctor in multis fallitur, maxime dum Hiccam abbatem ait successisse in locum Columbini abbatis, qui sesqui-sæculo superior fuit. Certe Lotharius sæpius in Gundulfi-villa prope Tullum-Leucorum, quam Marilegiæ morabatur. Hiccam vero abbatis nomen retinuisse, nec locum mutasse forte quis inferat ex diplomate Lotharii regis, ipsi Hiccæ dato pridie nonas Maii, indictione tertia-decima, adeoque anno sequenti. ast eo tempore forsan Waldrada hanc abbatiam nondum a Lothario obtinuerat. Post illas sordes eversum est ab Hungris monasterium, venitque in potestatem Heberhardi comitis, ac filii ejus Hugonis nepotumque: donec restitutum est jussu Ottonis Magni per Baltbrannum abbatem sanctum, de quo sæculo sequente acturi sumus.

* Marlem.

XXII. Columbaria Gregoriano monasterio data.

Tunc temporis in Alsatia comitis officio fungebatur Richinus, ad quem villa & marcha Columbaria * pertinebat. Huic erat Adalricus nepos, ut tum loquebatur, fratris an sororis filius, qui immature decessit. Ejus animæ consulturus Richinus comes, villam Columbariam contulit *sacrosancto monasterio, quod est constructum in honore Dei, & sancta Mariæ genitricis Dei, & sancti Gregorii confessoris super fluvium Fachina; in pago Alsacensi, qui dicitur Confluentes, ubi Berachtoldus abbas* tunc

* Colmar.

præerat

ANN. CHR. 864.

præerat, quem alii Berchtoldum seu Perchtoldum vocaot. Hæc autem donatio eo pacto facta est, ut dimidiam ejus villæ partem, dum viveret, Richardus quidam, haud dubie Richini propinquus, possideret: & post ejus obitum abbas ejusque successores io suam ditionem revocarent. *Actum in ipso monasterio sancti Gregorii publice, anno decimo regnante domino nostro Lothario rege.* Longo post tempore, id est sæculi tertii-decimi anno tricesimo-septimo, Columbariæ condita est insignis collegiata ecclesia sancti Martini cum permissu abbatis & monachorum Gregorianorum. Baractoldus abbas, qui Perctoldus io libello societatum Augieosium dicitur, successerat Gothofrido seu Godefrido, qui privilegium monasterio suo a Ludovico augusto, anno imperii x. obtinuit, aliudque post annos tres ab eodem imperatore & Lothario ejus filio; missus ab ipso Ludovico cum litteris ad Gregorium IV. ut assensum ejus pro Eboois archiepiscopi depositiooe obtioeret, uti scribit Carolus Calvus in epistola ad Nicolaum papam.

XXIII. Werthinensis reformati.

Io Werthinensi pagi Coloniensis monasterio collapsa tum erat regularis disciplina, & miracula ibidem ad saocti Liudgeri tumulum fieri desieraot. Id factum socordia & improbitate præpositorum, qui sub episcopis Halberstadensibus locum illum moderabantur. Verum, ubi divioa clementia, inquit anonymus vitæ Liudgerianæ scriptor, & regiæ pietatis iodulgentia, illis amotis, fæcem prioris ævi, sancto Liudgero npitulante, aliquantulum expurgare cooati suot Werthinenses; ad divinæ propitiationis indicium, ad regiæ clemeotiæ gloriam, ad eorum teporem excitandum, *signa* intercepta iterum fieri cœperunt ab hoc anno, quo Hildegrimus, ejus nominis secundus, Halberstadensi ecclesiæ præsidebat. Hæc signa seu miracula refert idem anonymus ejus temporis, ex testimonio tum Thiatbaldi presbyteri & monachi, qui post nocturnas vigilias cryptam saocti Liudgeri causa orationis ingressus, miri odoris fragrantiam seosit, & globum igneum vidit: tum Ludberni presbyteri ejusdem loci, aliorumque. In his memoratur puella cæca, cui lumen restitutum est, *cum evangelium more monachis consuetudinario ante matutinas laudes legeretur.*

S. Lutrudis translatio in Corbeiam-novam.

Per id tempus *sacrosancta pignora venerabilis abbas Adalgarius* ex Gallia advehebat, ad quæ multas patrari virtutes fama erat. His obviam processit nobilis matrona, Bugga oomioe, quæ ab annis duodecim omnium fere membrorum officio destituta erat: cui capitis & dextræ maous facultas restituta; ceterorum membrorum redintegratio dilata. Demum post aliquot dies adducta ad Werthineose monasterium, atque in crypta duas noctes permanere permissa, integram sospitatem recepit. Bollandi continuatores hic agi existimant de translatione reliquiarum sanctæ Lutrudis virgiois, sanctæ Pusinnæ sororis, quas e Catalauneosi diœcesi Adalgarius Corbeïæ-novæ abbas in suum mooasterium transtulit. Saoe in chronico Saxonico nondum edito notatur hoc anno *adventus sancta Luttrudis Corbeia*, id est io Corbeiæ-novæ mooasterium. Ad Hildegrimum episcopum quod attioet, erat is sanctorum præsulum Liudgeri & Hildegrimi senioris ex sorore oepos, qui Werthinensem Salvatoris basilicam, ab aonis sexagiota sex incœptam, tandem perfecit, atque anno ejus sæculi septuagesimo-quinto sollemniter consecravit cum Wiliberto archiepiscopo Colonieosi.

« Adalgarius abbas novæ-Corbeiæ. « a *Frod. lib.* 3. c. 24.

Redeo ad Adalgarium novæ-Corbeiæ abbatem, cui gratias agit Hincmarus a « Remeosis de precibus ab ipso & fratribus ejus pro se oblatis, & de donis ipsius « abbatis; eique commendat res ecclesiæ Remensis in Turingia sitas, quas idem Adal- « garius sub anouo censu sibi dari petebat. quod Hiocmarus ait se facere non posse « sine clericorum suorum consilio. Ioterim scribit familiæ io eisdem prædiis coosis- « tenti, ut eidem abbati io cunctis pareant.

XXIV. S. Othmari translatio.

Jam trigiota-quatuor aooi cum tribus mensibus effluxerant, ex quo sancti Othmari abbatis corpus io oratorium sancti Petri illatum, ibidemque conditum fuerat; cum ejus loci mooachis venit io meotem, ut illud in saocti Galli novam basilicam transferrent, ac honorificentiori loco, uti ejus sanctitas postulare videbatur, collocarent. Communicato ejos rei consilio cum Salomone Coostantiensi præsule, eique exhibito ad legendum libello, quem de sancti Othmari vita Walafridus Strabo composuerat; visum est episcopo, tametsi de piissimi abbatis saoctitate minime dubitaret, ut res ad anoualem synodum deferretur. Itaque presbyteris ac diaconis, ceterisque ecclesiasticis ordioibus Constantiam convocatis, Othmari sanctimoniam

ANN. CHR. 864.

universis exposuit, cunctisque acclamantibus, quos inter Augiensis abbas primas tenebat, triduanum jejunium cum precibus indixit ad explorandam hac in re, conciliandamque Dei voluntatem. Peracto jejunio, Salomon ad monasterium accedit, cum Grimaldo abbate & Ludovici regis archicapellano totum negotium pertractat. ubi inter eos hac de re convenit, episcopus, comitante abbate cum Harmoto decano ceterisque monachis, ad tumulum procedit, eoque reserato venerandas sancti patris exuvias reverenter profert, & in lecticam præparatam componit, cum panis rotulis seu oblatis, quas integras & illæsas sub capite & circa pectus viri Dei invenerat. Hinc delatum eo, quo decuit, apparatu & honore corpus sacrum in sancti Galli ecclesiam, ac juxta ejus altare in dextera parte depositum. Tum, ejus actis frequenti populo breviter recitatis, missarum sollemnia celebrantur ab episcopo, qui hunc diem in posterum sancti-Galleosibus festivum esse sanxit. Id factum quarta feria, VIII. kalendas Octobris, ut tradit Iso monachus ejus temporis, qui hanc translationem aliasque, ac sancti Othmari miracula duobus libris retulit. Hoc ritu Othmarus sanctorum albo adscriptus est. Ab eo statim tempore Grimaldus basilicam seu oratorium in sancti Othmari honorem ædificare cœpit, ejusque fabrica absoluta, corpus sacrum post tres annos istuc induxit. Qui prædictæ synodo Constantiensi interfuit Augiensis abbas, Waltherus an Heyto ejus successor fuerit, dubium est. Hoc quippe anno decessit Waltherus seu Waltharius post annos sex regiminis, eique successit Heyto abbas quiotus-decimus in annos septem: cujus, uti & ejus decessoris, nulla facta memorantur.

Augienses abbates.

ANN. CHR. 865.

XXV.

Caroli colloquium cum Ludovico.

INsequens anous sexagesimus-quintus solita reducit spectacula dissidentium, tum concordantium inter se se regum; ac sævientium Nortmannorum. Carolus, natali Domini Carisiaci celebrato, Ludovicum fratrem in villa Tusciæ prope Vernum palatium honorifice excepit, & cum eo de oegotio Lotharii nepotis sui colloquium habuit. Missi ad eum episcopi duo, Altfridus Hildenesheimensis, & Erchanraus Catalaunensis, qui eum ad resipiscentiam hortarentur: ipse autem Liutfridum, avunculum suum, ad Ludovicum imperatorem in Italiam misit, ut per eum Nicolaus papa ipsi placabilis fieret. Idem a Carolo interventu Irmentrudis reginæ petiit, obtinuitque. Carolus vero Ludovicum filium suum in Neustriam absque regio nomine, non tamen interdicto, mittit, eique Andecavensem tantum comitatum & *abbatiam Majoris-monasterii* cum quibusdam villis dedit. Carolum benignius tractavit, quem, e vulnere necdum plene sanatum, in Aquitaniam cum regio nomine, regiaque potestate remisit.

Ludovico abbatia Majoris-monasterii data.

XXVI.

Anscharii archiepiscopi ex-tr[illegible] moribus & virtutes.

Jam dudum apostolicos Anscharii apud Danos & Sueones labores prosequi destitimus, quos sub initium hujus anni glorioso fine consummavit, septimo anno, ex quo Hammaburgensis ecclesiæ cum Bremensi unio perfecta fuerat. In episcopatu vitam sanctorum imitari studens, beatum Martinum Turonum episcopum speciatim sibi in exemplum proposuit, cilicio non solum interdiu, sed etiam noctu indui solitus. Prædicando Dei verbo, ut ejus institutum exigebat, sic addictus erat, ut tamen identidem in privatam cellam cum paucis se reciperet, ubi *in divina philosophia* se exerceret, quotiescumque a prædicatione & ecclesiasticis officiis liber esse poterat; numquam tamen proprium commodum & solitudinis amorem gregis sibi commissi utilitati præponens. Juvenis in cibo parcissimus, paoem & aquam persæpe, maxime in solitudine, moderate sumebat. quam severitatem jam senex eleemosynis supplevit, multos redimens captivos, quos vel libertate donabat, vel divino cultui mancipandos sacris litteris erudiri curabat. Ad devotionem in se excitandam psalmorum seotentias, *pigmenta* vocitabat, passim in ore, semper in corde habebat. Frequens etiam erat in piis libris exscribendis. quod testantur codices magni, *quos ipse propria manu per notas conscripsit*. Prima luce, dum expergefactus calceos indueret, (nam cetera indutus, mooastico ritu in lecto jacebat) litanias recitabat: tum in ecclesiam profectus, tres aut quatuor missas coram se celebrari faciebat, *publicam missam* ipse, ubi sinebat valetudo, legitima hora cantare solitus. Bremæ hospitium pauperum ab eodem erectum, cui decimas ex quibusdam villis attribuit. Per totum episcopatum decimas animalium ac redituum omnium, decimasque decimarum, quæ ad ipsum pertinebant, in egenos expendebat. Insuper quinto quoque anno novæ decimæ animalium in eosdem usus ab eo impositæ. Ad hæc semper illi ad zonam

promtus sacculus aderat ad obvios quosque sublevandos. Quadragesimæ etiam tempore quatuor pauperes Bremæ reficiebat, binos utriusque sexus, & viris quidem pedes ipse lavabat: feminis id officii in hospitio pauperum per quamdam Deo sacratam exhibebatur. Denique cum parochias episcopali more circumiret, non prius mensæ accumbebat, quam pauperes assiderent, quibus ipse aquam ad lavandas manus præbebat. Nihil inconsulto Deo agere solitus, in prædicando mitis simul ac severus pro loco, tempore, ac personis. Summa illi vitandæ inanis gloriæ cura, maxime in sanandis cum unctione olei ægrotis. qua de re cuidam sibi familiari, Rembertus is erat, aliquando dixisse traditur: se, si quid meriti apud Deum haberet, unum rogaturum ab eo signum, nempe ut ipse bonæ frugi fieret. Tandem anno ætatis suæ sexagesimo-quarto, episcopatus tricesimo-quarto, gravi dysenteriæ morbo vexari cœpit. Dolebat vero in primis optatam sibi præreptam martyrii sortem, quam sibi aliquando adfuturam ex quibusdam visis speraverat. Nimirum tota vita ejus non secus ac juge martyrium fuit, in laboribus plurimis evangelicæ prædicationis, in persecutionibus paganorum, & obloquentium conviciis, denique in spontaneo proprii corporis cruciatu. Divina demum consolatione ex illo relevatus dolore, res ecclesiæ ac diœcesis suæ cœpit disponere; curavitque apostolicæ sedis privilegia, sibi suæque concessa ecclesiæ, in multis describi libellis, quos ad omnes pæne regni Ludovici episcopales ecclesias perferri jussit, scripta ad omnes episcopos, & ad Ludovicum regem, atque ad æquivocum ejus filium communi epistola, qua hæc ad legationis suæ profectum commendabat. Hanc epistolam, quæ unica nobis restat ex pluribus aliis, quas, teste Adamo scripsit, integram huc referre visum est, quippe quæ extrema tanti viri verba, & quoddam veluti compendium missionis illius septemtrionalis continet. sic autem habet. ANN. CHR. 865.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ansgarius gratia Dei archiepiscopus, omnibus sanctæ Dei ecclesiæ præsulibus, in regno dumtaxat Ludowici regis commanentibus. Nosse vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter Ebo Remensis archiepiscopus, divino afflatus Spiritu, temporibus domni Ludowici imperatoris, cum consensu ipsius ac pene totius regni ejus synodi congregatæ, Romam adiit, ibique a venerabili papa Paschali publicam evangelizandi licentiam in partibus aquilonis accepit. & qualiter postea Ludowicus imperator hoc opus sublimavit, seque in omnibus largum præbuit & benevolum; & cetera, quæ huic legationi contigerunt. Quapropter suppliciter deprecor, ut apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio crescere, & fructificare mereatur in Domino. Jam enim, Christo propitio, & apud Danos, & apud Suenones, Christi fundata est ecclesia, & sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Precor enim, ut has litteras in bibliotheca vestra ad perpetuam memoriam reponi faciatis; &, prout locus dictaverit, tam vos, quam successores vestri, ubi utilitatem perspexeritis, notum omnibus istud faciatis. Omnipotens Deus faciat vos omnes hujus operis pia benevolentia participes, & in cælesti gloria Christi coheredes. In his litteris maxime elucet Anscharii summa modestia, adeo labores suos non venditantis, ut ne verbum quidem de se, suaque missione interserat. Ultima ejus epistola.

XXVII. Extrema ejus facta & obitus.

Post tres menses, ex quo vir sanctus morbo tentari cœperat, cum epiphaniæ Domini festum transisset, die purificationis sanctæ Mariæ ad Dominum migrare optabat. Hinc ad sanctissimam illam diem epulum præparari mandavit, tresque cereos grandes confici: quos in vigilia prædictæ festivitatis ante se deferri præcepit, atque unum ad altare sanctæ Mariæ, alterum ad sancti Petri, tertium ad sancti Johannis Baptistæ accendi: cupiens, ut animam suam e corpore egressam illi exciperent, quos in illa visione conspicuos quondam habuerat. Etsi vero continua morbi violentia sic attritus esset, ut sola cutis exesa ossibus ac nervis adhæresceret; in Dei tamen laudibus assiduus perseverabat. Illucescente festo, celebratæ de more pro eo missæ a cunctis sacerdotibus, qui aderant: ipse vero nihil prægustare voluit, donec publica finiretur missa, in qua sermonem ad populum haberi jussit. Missa finita, cum parumper corpus curasset, in reliquum diem suos officii commonere, ad Dei cultum, nunc communiter, nunc singillatim accendere institit, in primis de sua ad gentes legatione sollicitus. Nox insequens iisdem admonitionibus inculcandis insumta, tum litaniis ac precibus pro ipso recitandis, quibus canticum *Te Deum laudamus*, & symbolum, sancti Athanasii dictum, adjici curavit. Ubi crastinus illuxit, missis pro eo ab omnibus rursum celebratis, dominici corporis ac sanguinis commu-

ANN CHR. 865.

nionem percepit. Postea erectis manibus, Deum precatus, ut noxas iis, qui quoquo modo in ipsum peccassent, remitteret; dein versiculos ex scriptura frequentabat, quibus Deum sibi peccatori propitium adesse obsecrabat, ac spiritum suum in manus Domini commendabat. Cum vero hos versiculos ob frequentem anhelitum repetere jam non valeret, id per quemdam fratrem, nempe Rembertum, qui nomen suum reticuit, suppleri præcepit. quibus recitandis, ipse oculis in cælum erectis, spiritum toties Deo commendatum exhalavit III. nonas Februarii. quo die ejus depositio, inquit Adamus, *summa veneratione colitur.* In fastis monasterii sancti Galli *Ansker archiepiscopus* pridie nonas Februarii obiisse dicitur, eumdemque diem quædam alia kalendaria notant. Neutrum expressit Rembertus. Hoc discrimen videtur accidisse ex eo, quod sub finem diei obierit, qui ab his tertio ante nonas, ab illis pridie nonas Februarii tribuitur. Sepultus est in basilica sancti Petri, ante altare sanctæ Dei genitritis Mariæ.

XXVIII. Rembertus ejus vitæ scriptor, & Gualdo.

Hic finis fuit magni illius septemtrionalium nationum apostoli: cujus vitam Rembertus seu Rimbertus, ejus familiaris ac successor, accuratissime scripsit. Præfatio ejus libri inscripta est: *Dominis sanctissimis, & in Christi amore præcipua veneratione recolendis ac diligendis patribus & fratribus, in sacratissimo Corbeiæ monasterio Deo militantibus.* quod de Corbeiæ veteris monachis interpretandum esse constat, non de novæ, uti Adamus Bremensis canonicus, & post eum Baronius, ac plerique recentiores, existimarunt. Immo vero hanc præfationem non suo nomine, sed Bremensium & novæ Corbeiæ monachorum, aliorumque in illis partibus Anscharii filiorum ac discipulorum, antiquis nuncupat Corbeiensibus: quibus gratias agit, quod eorum *beneficio ac licentia* talem meruerint habere patrem, *cujus exempla si quis imitari voluerit, cælestem quodam modo in terris habebit conversationem.* Hinc illi gemunt, quod tanto pastore destituti sint. *Vivente enim ipso*, inquiunt, *nihil nobis deesse credebamus. Ejus namque sanctitatem reges honorificabant, pastores ecclesiarum venerabantur, clerus imitabatur, populus universus admirabatur: & dum illum cuncti sanctum & justum prædicarent, nos quoque, tamquam corpus capitis, pro ejus bonitate venerandi ac laudabiles videbamur. at nunc tanto munere frustrati, de nostris meritis non præsumimus: quin magis timido corde expavescimus, ne, peccatis promerentibus, luporum patere incipiamus morsibus.*

Ad Anscharii scripta quod attinet, ex eis una nobis superest epistola, quam mox retulimus, una cum libello de miraculis sancti Willehadi episcopi Bremensis. Carmen de ipsius vita composuit sæculo undecimo Gualdo veteris Corbeiæ monachus, cum præfatione itidem metrica ad Albertum archiepiscopum Bremensem. In hac præfatione in laudes Corbeiæ suæ excurrit his versibus.

Corbeiæ veteris elogium.

Quam speciosa fuit tua, mater sancta, juventus,
Cujus adhuc vernat jam canis sparsa senectus!
Qualis eras, cum regis opes Adalhardus & aulas
Respuit, atque tuas albo cum vellere caulas
Ingrediens, primo gradu surrexit ab uno!
Hic tibi Ratbertum genuit, sapientia cujus
Guttura ditavit dociles ingressa recessus,
Contra catholicos ne sibilet impius anguis.
Verus in altari Christi de corpore sanguis
Stillat, & occisi pro mundo carnibus Agni
Vescimur in terra, per quod revocamur ad astra;
Fitque per hoc epulum Domini mens nostra sepulcrum.
Hanc scriptura fidem tenuit, quam condidit idem
Matris Corbeiæ rector Paschasius ipse,
Tertius a primo decimus, sed quartus ab ipso,
Qui dedit Ausoniis leges & fœdus in arvis,
Regni præsidium, lux mundi, gloria regum,
Et pater & custos Adalhardus nobilis heros.
Hic tuus, Anschari, bonitate magister in omni
Exstitit, hoc dulces hausisti fonte liquores,
Queis inrorasti Sclavos, Danosque rigasti.

Parcat lector huic digressiunculæ. Ad Rembertum redeo.

ANN. CHR. 865.

XXIX. Rembertus Anscharii successor.

Oriundus erat Rembertus ex Flandriæ opidu Turholto, cujus loci cellam Ludovicus augustus Anschario in subsidium missionis septemtriooalis concesserat. Ill c cum forte versaretur aliquando Anscharius, vidit inter ceteros pueros in ecclesiam puerili more discurrentes, unnm præ ceteris serium & gravem, qui ecclesiam ingressus, cum modestia & reverentia Deo preces fundebat. Mox, accitis ejus parentibus, nomen pueri sciscitatur, eumque in illa cella cum aliis pueris studiose erudiri præcepit. Tum grandiorem factum in suum adscivit consortium; unusque omoium viro sancto maxime familiaris exstitit, omniumque conscius secretorum. Cum in extremis ageret Anscharius, rogatus ut futurum successorem designaret, ooluit ille, ne quorumdam animos, quos forte in episcopatu jam offendisset, amplius exacerbaret. *De meritis, tamen*, inquit, *Remberti sciatur, quia dignior ipse est archiepiscopali, quam ego subdiaconatus officio.* qua sententia vir Dei & insignem modestiam suam, & Remberti eximium meritum impense declaravit. Etsi vero aperte eum successorem designare noluit, triduo tamen ante obitus sui diem futuram ei digoitatem prædixit. Consensere omnes, mortuo Anschario, in Rembertum, nec ulla in clero, vel in populo dissensio fuit de ejus electione, quæ *ipso die depositionis domni Anscharii* facta est. Nec mora electum Thiadricus Mindensis episcopus, & Adalgarius abbas novæ Corbeiæ adduxerunt ad Ludovicum regem, a quo is susceptus honorifice, *cum pontificalis baculi juxta morem commendatione episcopatus est sortitus dominium*, ut scribit ejus vitæ scriptor æqualis. quæ verba diligenter notanda sunt, nec detorquenda ad spiritualem dignitatem, sed ad temporale *episcopatus dominium*. Non me fugit hæc verba Henschenio videri inserta in gratiam imperialis investituræ tempore Henrici quarti, hac maxime ratione, quod in primariis ecclesiæ Hammaburgeosis & Bremensis privilegiis nullum ejus rei vestigium appareat. Verum tamen Adamus canonicus Bremensis, Henrici æqualis, hæc privilegia pro imperiali investitura laudat, aitque [a] Rembertum pallium pontificale suscepisse a papa Nicolao, *ferulam pastoralem a Cæsare, sicut in privilegiis dignosci potest.* Illud constat iisdem privilegiis, saltem Gregorii quarti, contineri, ut consecratio succedentium sacerdotum seu episcoporum Bremensium, donec suffraganeorum numerus idoneus haberetur, *palatinæ interim providentia committeretur.* Quapropter Rembertus a Ludovico rege missus est ordinandus ad Liudbertum Moguntinensem archiepiscopum, qui duos secum consecrationis adjutores adhibuit, Liuthardum scilicet Patherbrunnensem episcopum ex sua metropoli, & Thiadricum Mindensem, mox laudatum, ex Coloniensi.

[a] *Adam. c. 28.*

XXX. Ordinatus Corbeiæ fit monachus.

Ordinatus Rembertus de exsequendo, quod dudum conceperat, voto serio cogitavit, nempe *ut post decessum domni Anscharii monachicum mox & propositum acciperet, & habitum.* Nec restitere consecratores episcopi: immo eorum consilio statim post ordinationem suam ad monasterium novæ Corbeiæ properans, vestem quidem monasticam, uti promiserat, *ex integro* suscepit: at conversatioois illius ita se voto obligavit, *ut conversationem suam, & stabilitatem morum suorum, & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti exhiberet, in quantum labor & occupatio suscepti pontificatus permitterent.* Atque, ut id facilius exsequeretur, aliquem e fratribus ejusdem monasterii sibi concedi rogavit, quo veluti monitore & adjutore, regularis propositi normam teneret. Huic vero deputari placuit insignem conversatione virum, gradu diaconum, Adalgarium nomine, germanum & æquivocum ejusdem mooasterii abbatis. Ejus testimooio Rembertus occasione curæ pastoralis nihil de monastica perfectiooe prætermisit, oullusque in monasterio, quamtumvis assiduus & sedulus, ita perfecte & absolute omnia iostrumenta bonorum operum observavit. Nefas quippe ducebat, ullum tempus ab opere Dei vacuum transigere: sed orationi lectio, lectioni semper apud illum oratio succedebat: aut, si quod impedimentum intercessisset, orationem opus necessarium compensabat. nam, ut ait Augustious, *illi qui in divino versatur officio, omnia gesta ejus, dictaque pro oratione reputantur.* Vigilias moderate agebat: abstinentiæ sic deditus, ut in quotidianis jejuniis satietatem fugeret, atque ita corporis frangeret lasciviam, ut ad lectiones, & psalmodiam, & ad cetera muneris sui officia vires ei non deficerent. *Nihil enim prodest*, ait [b] Hieronymus, *biduo triduoque vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium. Ilico enim mens repleta torpescit, & irrigata humus spinas libidinum generat.* Intelligebat quippe vir Dei, quod Augustinus [c] monuit,

Vita ejus quam pia & apostolica.

[b] *Hieron. epist. 22. ad Eustoch.*

[c] *August lib. 2. quæst. evang. c. 22.*

ANN. CHR. 865. nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & abundantiæ temperamentum. Ceterum quod attinet ad pauperum curam, id accurate observavit, quod beatæ memoriæ antecessor ejus constituerat: cujus exemplo in prædicando verbo Dei indefessus erat, recolens illud * Augustini, plus esse, ut verbi pabulo victura in perpetuum mens reficiatur, quam venter morituræ carnis pane terreno satietur. Hæc forma erat vitæ sanctissimi antistitis, referente anonymo ejus scriptore gravi & æquali, qui hæc ab Adalgario monacho ejus familiari, ac postea successore, acceperat.

a Id. hom. 6.

Non licet omittere hoc loco, quod idem auctor de redemtis ab eo captivis commemorat. Cum ad id operis cuncta pæne expendisset, multosque adhuc captivos apud paganos superesse videret, etiam sacra vasa altaris ad redemtionem eorum impendere non dubitavit. qua de re a quibusdam reprehensus, sciscitanti rationem sic respondisse traditur. Non ignoro, inquit, res ecclesiastici officii digne esse tractandas, & sub magna esse obligatione ad hoc opus depositas. verum tamen plus est apud Deum per hæc subveniti captivis christianis in angustia constitutis, quam depositum istud custodire. Unde ego, ait, cum aliunde non suppetit, non impie ago, si christianum, qui filius Dei est, thesauris ecclesiæ redimo: cum semper invenire possimus, quod ad usum sacri sufficiat ministerii: irrecuperabile autem sit, si christianus in captivitatis afflictione deficiat. Eo animo sanctimonialem captivam, cujus catena e collo ipsius adspectu & precibus confracta dissiliit, dato, quo vehebatur, equo redemit. Denique relictum sibi, quasi hereditario jure, ab antecessore suo legationis officium impigre executus est, cum per se, ubi occupationes aliæ sinerent, tum per constitutos a se presbyteros, qui paganis vice sua verbum Dei prædicarent. Mirum est tantum virum inter eos, qui sub Adalgario abbate vixere, non recenseri.

XXXI. Scripta ejusdem.

Ex scriptis ejus duo tantum memorat auctor anonymus, nempe excerptum ex libris sancti Gregorii, quod propria manu descripsit; & pias ad diversos epistolas: quarum unam refert idem auctor, scriptam ad quamdam ancillam Dei, quæ Liuthardi Patherbornensis episcopi neptis erat, ceterasque sorores in monasterio ejusdem diœcesis, Heresi seu Nova-Herisia * dicto, consistentes. Illam vero tanti faciebat vir sanctus, ut eam dilectissimam & carissimam filiam suam dicere soleret. quæ tantæ modestiæ fuit, ut, communicata scriptori ejus vitæ epistola, nomen suum propalari noluerit. Hanc autem dictam fuisse Walburgam inferius videbimus.

* Nienherse.

XXXII. Paschasii Radberti obitus & virtutes.

Ab Anschario non disjungendus est Paschasius Radbertus, vir æque sanctus, & in vetere Corbeia consodalis ejus & condiscipulus. Quod pauca de eo resciamus, ipse in causa fuit, quippe qui, imminente obitu, convocatis fratribus inter vale dicendum, ne quid de eo scriberetur, interdixisse traditur. Magnum sane ejus modestiæ & humilitatis indicium, quam ipse duobus aliis argumentis posteris testatam reliquit, nempe quod & numquam ad sacerdotium se promoveri sustinuerit, & in scriptis suis se passim *monachorum omnium peripsema*, & *levitarum ultimum* dicat. Accedit, quod abbatialem dignitatem abdicavit longe ante obitum, qui vix ante hunc annum contingere potuit, ut ex iis, quæ de eo superius diximus, facile intelligitur. Denique absque ejus scriptis nihil fere de eo præter nomen & abbatis titulum cognosceremus. Viventem tamen carmine celebravit Engelmodus episcopus, qui in locum Rothadi Suessionensis exauctorati ad breve tempus suffectus est anno ejus sæculi sexagesimo-secundo, quo anno in synodo Suessionensi subscripsit, ut superius vidimus. Paschasii Radberti opera omnia uno volumine comprehendit Jacobus Sirmundus, exceptis libris duobus de Arsenii seu Walæ epitaphio a nobis editis, & epistolis ejus ad diversos, quas fere omnes excidisse dolemus. Hunc *bonis omnibus amplectendum* ait Lupus in epistola ad eum scripta; & Durandus abbas Troarnensis *divini sacramenti scrutatorem diligentissimum, discussoremque catholicum* vocat. Præter humilitatem, ei in primis cordi fuit otiositatis & inertiæ fuga, ac meditatio sacrarum scripturarum, & lectio sanctorum patrum; nec ferebat eruditos sui temporis homines, qui totos se sæcularibus litteris & illustrandis profanis auctoribus, prætermissis divinis eloquiis, tradebant. Denique, ut de eo canit Engelmodus,

Non mentita fidem simulatio crimine fallens,

ANN. CHR. 865.

Non quoque latratus spumantis jurgia litis
Sordidulæ labis cænoso polluit actu,
Aut tempestivum mentis tenebravit acumen:
Sed pia simplicitas, virtus & conscia recti.

In scriptis suis præcipue invehitur in simoniacos, in avaros sacerdotes, & in clericos ac monachos sæcularium negotiorum ac litium sectatores. Ad hæc episcopos monet, ut ne oimia facilitate excommunicandi abutantur potestate, quam Christus eis concessit, ligandi ac solvendi; notatque sui temporis sacerdotes, qui nimia indulgentia pænitentiam proculcabant, falsam peccatoribus securitatem promittentes, *ita ut illusio potius interdum, quam medicina sordescentibus fiat.* quæ tamen non sic accipi cupit, quasi *crudelem doctorem* esse velit, sed ut incautos ad cautelam reducat. quia, *sicut quærentibus cum fide dilectionis non est neganda pænitentia: ita delusoribus & infidis non est continuo præstanda. Inde est*, inquit, *quod sacri canones multotiens ad pœnitentiam reiterantes non facile admittunt. quos sane terminos nec nos oportet indifferenter transgredi, sed omnia cum discretione pensare.* Hæc ille libro in Matthæum octavo. Seoex & plenus dierum, plenusque sanctitatis obdormivit in Domino VI. kalendas Maii, die festo sancti Richarii abbatis Centulensis, quem plurimum vivens coluerat; in ejusque monachos optime affectus, quibus commentariorum suorum in Matthæum continuationem nuncupavit. Sepultus est cum luctu ac dolore suorum in ecclesia sancti Johannis Evangelistæ, medio loco ante introitum presbyterii, ubi hactenus cenotaphium ejus cum statua tumulo imposita visitur, reliquiis ejus in majorem sancti Petri basilicam illatis sæculo undecimo, quo tempore sanctorum albo adscriptus est. Eodem tempore vixisse videtur aoonymus, qui libellum de ejus vita edidit, a nobis editum in appendice ad tomum posteriorem Sæculi quarti Benedictini, in quo Paschasii elogium ex ejus scriptis contexuimus. Annus ejus obitus non omnino exploratus: at certum est, eum ad hoc tempus pervenisse, immo forte tantisper excessisse quis dixerit. In martyrologio Nevelonis Corbeiensis monachi notatur VI. kalendas Maii, *Corbeiæ monasterio transitus sancti Ratberti abbatis & confessoris.* ubi sepultus dicitur in loco, quem modo ex anonymo vitæ scriptore indicavimus. Antiquior est liber pastuum, ut vocant, ejus monasterii, in quo hæc leguntur: VI. *kal. Maii obiit Ratbertus abbas, pro quo camerarius fratrum fratribus impendat servitium*, id est festivam procurationem seu refectionem.

XXXIII. Floriacense monasterium incensum a Nortmannis. a *Adrevald. c. 33. & 34.*

Ab his piissimis viris veniendum est ad Nortmannorum funestissimas incursationes, quæ hoc anno immanes fuere. Hi secunda irruptione Aurelianos aggressi, civitatem in favillas redigunt, *matre dumtaxat ecclesia*, inquit [a] Adrevaldus, *quæ in honore sanctæ Crucis, jubente Constantino augusto, a beato præsule Evurtio sacrata erat, studio bonorum hominum remanente.* Tum pars illorum, duce Bareto, cum quadraginta navibus superiora petens, monasterium saocti patris Benedicti, quod ab illa urbe decem & octo millibus distat, habitatoribus vacuum repertum, invadit, cunctisque rerum commodis refertum prædatur, diripit, ad extremum vero igne immisso comburit. Idem legitur in Annalibus Bertinianis, nisi quod barbari monasterium sancti Beoedicti, quod dicitur Floriacus, primum incendisse, & in reditu Aurelianorum civitatem, & monasteria ibidem & circum-circa posita igne cremasse traduntur, præter ecclesiam sanctæ Crucis, *quam flamma, cum inde multum laboratum a Nortmannis fuerit, vorare non potuit.* Miciacense tamen sancti Maximini monasterium suburbanum a Nortmannico incendio intactum fuisse auctor est Letaldus monachus. Aberat jam tunc a Floriaco sancti Benedicti sacratissimum corpus, quod in lectulo gestatorio hac illacque, prout opportunitas fugæ se obtulit, a fratribus delatum est.

Post discessum barbarorum, qui redeundo Pictavorum urbem simili incendio deformarunt, reversi domum cum sacro corpore Floriacenses, exhaustum incendio cœnobium reperiunt, ex quo noo templa divinis cultibus apta, non lares diversis exstructi usibus, non horrea, non penuaria, noo quidquam denique utilis & ad habitandum commodi restiterat; nudique maceriarum ambusti parietes nonnisi stuporem spectaotibus, horroremque præferebant. Hinc coacti fratres domum quondam quieti aptatam, dormitorium vocant, interpositis partientes arcubus, ex

parte speciem quamdam finxere minoris sacelli, in quo, fabricato altari, divinum officium interdiu celebrabant. Eodem in loco corpus sancti Benedicti repositum, dum basilica incendio consumta iostauraretur. Tunc temporis adhuc in vivis erat Bernardus abbas, qui tum *ultimos sui regiminis decurrebat soles*, teste Adrevaldo. Hunc excepisse videtur Theotbertus abbas, de quo inferius agendum.

Caput cervium, cella Floriacensis. * Sacerge.

Eodem tempore accidit miraculum illud, quod Adrevaldus in consequentibus refert. Caput-cervium * vicus est pagi Bituricensis in confinio Lemovicensium, regia liberalitate Chlotharii tertii cœnobio sancti Benedicti donatus. Hunc locum, a vicinis patriæ primotibus abstractum, sed postea restitutum, duo tresve monachi incolebant, cum faciles ad nova quæque molienda Aquitanorum animi eum rursus infestarunt. Mittitur ad eorum conatus reprimendos *Raganarius monachus, magna vir religionis, qui olim ab imperatore Ludovico Jerosolymam missus fuerat*, atque cum eo Sigevertus presbyter ac monachus: qui cellulam in prædicto compingentes loco, omnem Aquitanicæ geoti abstulere harum rerum denuo invadendarum licentiam. Forte vir quidam ejus gentis haud ignobilis, Stephanus nomine, quamdam vineam ejusdem cellulæ occupare moliebatur. Reclamanti Raganatio cum suo advocato ille furibundus proterve negavit, sanctum Benedictum umquam in illam vineam habiturum ullam potestatem. quod cum semel & iterum frendens, asseruisset, statim corruit ex equo, collisisque ac contritis membris domum reportatus, demum longo consumtus languore interiit; sicque sancto Benedicto vineam sua morte resignavit. Sed illa, & Caput-cervium ipsum sæculo insequente permutatum, ad alienas manus venit.

XXXIV. S. Dionysii monasterium a Normannis direptum, sed non impune.

Post non multum temporis ab incendio Floriacensi, Carolo ex urbe Colonia, ubi colloquium cum Ludovico fratre habuerat, in villam regiam Carisiacum redeunti nuntius allatus est, Nortmannos XIII. kalendas Novembris in monasterium sancti Dionysii inopinato irrupisse: ubi viginti circiter diebus demorati, novasque in dies prædas tollentes, raptis fere omnibus ad sua castra, quæ non longe aberant, impune revertisse. Hæc annalista Bertinianus: qui tamen paucis interpositis addit, Normannos, qui prædictum monasterium deprædati fuerant, variis infirmitatibus correptos, alios in rabiem versos, alios scabie vexatos, quosdam etiam intestina cum aqualiculo egerentes, omnes demum morte periisse. Hinc illi discesserant, cum eo advenit Carolus: qui, relicto ibidem contra eos præsidio, Silvanectas se recepit, nativitatis dominicæ sollemnia celebraturus.

XXXV. Lotharii abbatis obitus.

Illic cum resideret, Lotharii filii sui & abbatis sancti Germani Autisiodorensis obitus ei nuntiatur. Bertinianis annalibus, qui id referunt, consentit Ado tum Viennensis archiepiscopus; additque alterum Caroli filium æquivocum Aquitaniæ regem, eodem anno decessisse, quod tamen quidam alii in sequentem differunt. In libro de gestis abbatum prædicti monasterii memoratur [a] *capsula beati Germani, olim a bonæ memoria Lothario abbate, filio Karoli regis, auro & gemmis decorata*: quæ Radulfi abbatis tempore auro & gemmis spoliata fuisse traditur, frontibus tantum remanentibus. Morti proximus optimæ spei princeps vixdum adolescens, missos suos, Bosonem venerabilem abbatem, & quosdam e monachis sancti Germani designavit, qui ad patrem irent, Silvanectis tunc degentem, rogaturi, ut pro animæ ipsius remedio quasdam res proprietatis suæ largiretur sancti Germani Autisiodorensi monasterio, ubi eum sepultum fuisse non dubitem. Piam carissimi filii petitionem non potuit non exaudire Carolus, cujus donationis diploma hoc loco integrum referendum existimo, tametsi ad anni sequentis initium pertineat.

[a] Labbe biblioth. to. 1. p. 580.

Caroli donatio pro eo.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Si locis divinis cultibus mancipatis quiddam munificentiæ nostræ largimur, ac largiendo conscrimus, profuturum nobis & ad præsentis vitæ curricula felicius transigenda, & futuræ beatitudinis præmia facilius adipiscenda non dubitamus. Noverit igitur sanctæ Dei ecclesiæ omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum, industria, quia carissimus valdeque amantissimus nobis filius noster Lotharius, sancti Germani præcipui confessoris Christi cœnobii Autisiodorensis reverentissimus abbas, ante sui obitus terminum, divina sibi, ut credimus, inspirante clementia, per communem fidelem nostrum Bosonem venerabilem abbatem, atque alios ejusdem cœnobii monachos, nostram suppliciter expetiit magnificentiam, ut pro animæ ejus absolutione, ac pro æterna in futuro sæculo retributione,

ANN. CHR. 865.

retributione, eumdem sanctum locum ex nostræ proprietatis rebus munificaremus. Cujus admodum salubribus atque animæ nostræ proficuis postulationibus, celsitudinis nostræ aurem accommodando, faventes, eidem sancto loco quamdam villam, nomine Bernaicum, in præfixo pago Autissiodorensi sitam, cum omni illa integritate, qua quondam Wacaldo fideli nostro, ad deprecationem Adalardi illustris comitis, largiti fuimus, per hoc auctoritatis nostræ præceptum damus, ac dando perpetualiter confirmamus, & de nostro jure in jus ac dominationem ejus transferimus atque transfundimus, eo videlicet pacto, ut, sicut isdem amantissimus nobis filius noster per prædictos fideles nostros deprecatus est nostram sublimitatem, ex uno præfatæ villæ manso in basilica ejusdem sancti Germani, ante sacratissimos sepulcri ipsius cineres, ob ejus memoriam & eleemosynam una lucerna indeficienter accensa augeatur; nec pro hac quæquam ceterarum minuatur: & hospitali jam dicti cœnobii alius prædictæ villæ mansus conferatur, unde ibidem unus pauper cibo, potuque cotidie reficiatur, nec pro hoc numerus ceterorum ullo modo minuatur. Ex ceteris vero rebus annuatim, in anniversario ejusdem carissimi filii nostri, monachi sæpe dicti cœnobii sollemnem sumant refectionem. Post nostra quoque ac dilectissimæ seu amantissimæ conjugis nostræ Irmindrudis gloriosæ reginæ ab hoc sæculo migrationem, anniversarius utriusque annuatim a prætaxatis monachis sollemniter celebretur, & præfatæ res usibus ac stipendiis illorum absque aliqua subtractione, vel diminutione, Domino adjuvante, perpetuis temporibus famulentur. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas majorem in Dei nomine per supervenientia tempora obtineat firmitatis vigorem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus. Data x. kalendas Februarii, indictione XIIII. *anno* XXVI. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Silvanectis urbe in Dei nomine feliciter, amen.*

XXXVI. Hericus Lotharii mortem luget.

Lotharii præmaturam mortem luget Hericus monachus, ejus præceptor, in præfatione ad sex libros carminum de sancto Germano patrono suo, quos, jubente Lothario ipso, inchoavit, eoque mortuo perfecit, dicavitque *immortalibus sceptris prædestinato, regumque omnium præcellentissimo Carolo, perpetuo triumphatori ac semper augusto, Hericus, cœnobitarum extimus*, qui eum in illa præfatione cæsarem non semel appellat. *Vix primas*, inquit ille, *operis partes attigeram, &, heu misera humanæ conditio sortis! abbas ille meus, propediem futurus in orbe terrarum mirabilis, teneros excedens artus, intempestiva sæculum morte deseruit. Hic casus tam lugubris, tam acerbus, omnia mihi studia, omnes curas excusserat, nisi probabilis illa sententia animo subvenisset, dolorem tempore minui; quodque diuturnitas allatura esset, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos anteferre consilio, prudentiaque debere. Hac cogitatione animum impuli, ut vivo morigeratus fueram, etiam mortuo obsequi; inque defuncti gratiam cœpto operi perfectionis pertinaciam admovere.* Confectum opus Carolo jam imperatori nuncupavit: tum quia eum cæsarem ac triumphatorem semper augustum vocat: tum quia hoc carmen perfecit post duos libros de miraculis sancti Germani, quos itidem Carolo dicavit ex præfatione ad libros sex carminum, qui proinde posteriores sunt. Atqui in libro secundo de miraculis unum affertur factum anno octingentesimo septuagesimo-tertio, ac proinde post hunc annum libros carminum Carolo jam imperatori obtulit. Cum ergo ait in fine libri sexti *se trina decennia* ætatis cum duobus annis tum attigisse; id intelligendum de prima molitione, non de absolutione operis, quod jam ætate provectior absolverit.

Abbates Germanenses & Reomaenses.

Post mortem Lotharii abbatis dignitatem tulit Boso, qui sub principe minorenni forte jam proabbatis officium gesserat. Is est Boso, qui Silvanectas ad Carolum accessit, & præmissum diploma donationis ab eodem obtinuit, haud diu in abbatiali dignitate superstes, quæ Hugoni abbati clarissimo, Conradi comitis filio, & Caroli regis consobrino non multo post commissa est.

Quod attinet ad abbatiam Reomaensem, ea Hincmaro Laudunensi episcopo concessa dicitur, qui jam administrationem in palatio regis obtinuerat. De utroque conqueritur Hincmarus archiepiscopus ejus patruus, quod se inconsulto hæc officia impetrasset. Et quidem hanc administrationem coram eodem rege, aliisque ex sacris regulis ei interdixerat, isque ab ejus administratione aliquamdiu cessaverat. *Postea autem*, inquit archiepiscopus, *per exteras, id est sæculares, potestates, contra Sardicenses canones, eamdem administrationem cum abbatia in tertia provincia ultra Remensem provinciam sine mea conscientia obtinuisse*, id est Reomaensem, uti

ANN. CHR. 865.

explicant veteres ejus loci abbatum indices, quæ adiri non poterat ab Hincmaro Laudunensi, nisi per Remensem primo, dein per Senonensem provinciam transiret, ut sic ad Lugdunensem, in qua situm est Reomaënse monasterium diœcesis Lingonensis, perveniret.

Non diu hac abbatia potitus est Hincmarus, qui, si ejus patruo credimus, more instabilitatis & inconstantiæ suæ contra regem ita sine ratione contumaciter se erexit, ut & administrationem palatinam, & ipsam abbatiam rex ipsi auferret, & duriora ingerenda minaretur. Eo remoto, Reomaënsis abbatia Carolomanno diacono, ipsius Caroli regis filio, Elnonensis etiam & Laubiensis monasteriorum abbati, tradita est. qui ob defectionem a patre omnibus demum abbatiis privatur anno ejus sæculi septuagesimo; & post triennium diaconatu & oculis orbatur. Hinc ad Ludovicum Germaniæ regem, patruum suum, confugit, calamitatum suarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ejus sortem miseratus Ludovicus, Epternacum sancti Willibrordi monasterium ei ad subsidium vitæ præsentis concessit: ubi non multo post mortuus, sepultusque est, ut Regino tradit.

XXXVII. Mors Pippini & Drogonis Caroli filiorum Elnone,

Eodem tempore obiere in Elnonensi monasterio duo alii Caroli regis filii, Pippinus & Drogo, qui ibidem sub disciplina Milonis monachi erudiebantur. Ambo eo loci humati sunt prope sancti Petri oratorium, apposito a Milone hoc epitaphio.

Quisque videns nostras sollerti corde figuras,
Perspice quam subito defluat orbis honos.
Rege sati fuimus, nomen qui nomine duxit
De Magni magnus, de Karoli Karolus.
Nec licuit totum vitæ complectier annum,
Sed rapuit nostras debita mors animas.
Si genitor nostram dignaris visere tumbam,
Rex, nostros obitus ne doleas petimus.
Terris sublati, placida regione locati,
Cum sanctis requie perpetua fruimur.
Vos nostri memores felices este parentes.
Hoc Pippinus ego posco, simulque Drogo.

De his aliisque Caroli filiis intelligenda est adnuntiatio Herardi archiepiscopi Turonensis, anno sequenti facta in synodo Suessionensi pro benedictione Irmintrudis reginæ, in qua ait, Carolo datos fuisse a Deo filios: *de quibus aliquos Deo obtulit, ut etiam de fructu ventris sui oblationem Deo offerret: aliquos adhuc ætate immatura, sua gratia de hoc sæculo rapuit, ne, ut scriptum est, malitia mutaret corda eorum: aliquibus autem, quod vos non latet*, inquit ille ad episcopos, *suo judicio talem passionem permisit incurrere, sicut fideles illius agnoscuntur dolere.* Propterea petit benedictionem episcopalem super uxorem suam venire, *ut talem sobolem ei Dominus de illa dignetur donare, unde sancta ecclesia solatium, & regnum necessariam defensionem, & fideles illius desiderabile adjutorium, & ista christianitas optabilem tranquillitatem, & legem atque justitiam, cum illis, quos adhuc habet, annuente & cooperante Domino, possit habere.* Ex quibus intelligitur, ut Lotharium in Reomaënsi, sic Pippinum & Drogonem in Elnonensi monasterio oblatos Deo fuisse. Scio Pippinum & Drogonem a recentioribus nonnullis filios censeri, non Irmentrudis reginæ, prioris Caroli uxoris, sed Richildis posterioris conjugis. At illud obstat, quod ambo regii illi liberi fuere discipuli Milonis Elnonensis monachi, qui secundo vel tertio a Richildis nuptu anno decessit.

XXXVIII. Abbates Elnonenses & Sithienses.

Si accurati sunt indices Elnonenses, istius monasterii abbas erat hoc anno Altfridus episcopus, an Hildenesheimensis, qui identidem in Francia his temporibus versabatur, & quidem Carolo familiaris. Altfridus in Elnonensi regimine successerat Adalardo, qui & abbas erat Sithiensis, mortuus IV. nonas Februarias anni superioris. Brevis fuit Altfridi Elnonensis præfectura, quæ ad breve etiam tempus Carolomanno regis filio tradita est. Huic ob defectionem abbatiis privato successit apud Elnonem Gozlinus, jam abbas sancti Germani apud Parisios, cujus diuturnior fuit monasterii procuratio. De his plura inferius.

Post Adalardi obitum Sithienses Hunfrido, Morinorum episcopo ex monacho

ANN. CHR. 865.

Prumiensi, abbatiam regendam commendarunt. Hoc abbate puer nobilis Megenfridus Deo a patre Ruodwaldo istic oblatus, monachusque factus est, concesso ad victum ejus ac vestitum, ait Iperius, quodam prædio bunuariorum duodecim in pago Boloniensi, cujus usum-fructum pater vitæ suæ tempore sub annuo censu retinuit. Litteras donationis laudat Iperius, quarum tantum initium ac notas chronicas refert in hæc verba: *In Christo domino & venerabili patri Humfrido episcopo & abbati monasterii sancti Petri, vocabulo Sithiu* &c. *Actum Sithiu monasterio in ecclesia beati Petri apostoli, anno vigesimo-sexto regnante domno Karolo rege.* Post annos dnos Ruodwaldus ipse ibidem monasticam cucullam induit.

XXXIX. Hilduini secundi præfectura.

Nec favorabilior fuit Carolus in episcopum sanctum, cui cum dedecore abbatiam postero anno abstulit, ut eam Hilduino sæculari canonico traderet, a partibus Lotharii ad suas converso. Sic versatilis principis animus abbatias pro arbitrio versabat, prout aulici abbates ei placebant, aut displicebant. Nec gratuita fuit ista collatio: cum Hilduinus, testante Folquino, nonnisi datis auri libris triginta-septem a Carolo eam obtinuerit XIII. kalendas Julii anni sequentis. In regimine tamen ita se gessit, ut nullus abbatum, secundum beatum Bertinum primum loci conditorem, magis strenue in relevando monasterio laboraverit. Varias donationes sub ejus administratione factas refert Iperius post Folquinum. Eo petente, Carolus Sithiensium privilegia confirmavit, litteris datis pridie idus Februarii, indictione VI. anno XXXIV. regni sui in Francia, & in successiune H Lotharii regis anno IV. Actum Sancto Quintino. quibus in litteris dicitur *venerabilis abbas Hildwinus, fidelissimus noster, atque ministerialis noster librarius.* Confer quæ de Hilduino superius [a] diximus.

[a] lib 34. n. 61.

XL. Egil abbas Wenilonis Senonensis antistitis successor.

Hic annus Wenilonis Senonum archiepiscopi extremus fuit ex Clario monacho, a quo discimus, eum V. nonas Maii sepultum fuisse apud Vallilias, quod monasterium ipse vivens privilegio & benefactis ornaverat. Huic successit in episcopatu Egil seu Eigil, aliis Egilo, monachus & abbas, Prumiensis primum, dein Flaviniacensis in diœcesi Æduensi. Ægre tulit Nicolaus papa, hominem alienæ ecclesiæ & parochiæ ad Senonensem cathedram promoveri: sed tamen, postulante Carolo rege, qui Egili nostro impense favebat, probavit ejus electionem, eique pallium misit. Testes ea de re Nicolai epistolæ duæ, una Carolo regi, altera *Egiloni Senonensi episcopo* inscripta, Egilonem hortantis, ut monasticum propositum servaret, &, qui diu in monasterio versatus erat, a pristino voto ne diverteret. *Quod enim*, inquit, *diu in humili habitu custodisti, profecto indecens est, si nunc in potiori dimiseris ordine, hoc ipsum sancta quoque scriptura, venerandisque decretis pleniter edocentibus.* Scripturæ testimonium, seu Christi Domini, intelligit pontifex, dicentis, eum qui manum miserit ad aratrum, & respexerit retro, haud aptum esse regno Dei.

XLI. Episcoporum ex monachis vita qualis esse debeat.

Quænam sint illa edicta, quibus id præcipi ait pontifex, non capio. Exempla quidem plurima obvia sunt, quæ id probent, in decursu nostrorum Annalium a nobis observata. Sed nullum memini legere hujus rei decretum ante octavam synodum generalem, post quatuor abhinc annos habendam: in qua statutum est ultimo loco, ut *ne monachi, ad episcopatum assumti, monasticum habitum deponant.* nimirum ut ex hoc habitu semper memores sint prioris instituti, a quo recedere ipsis etiam episcopis nefas esset. Exemplo sit in primis sanctissimus ille Turonum antistes Martinus, qui in episcopatu *idem constantissime perseveravit, qui prius fuerat.* Eadem quippe *in corde ejus humilitas, eadem in vestitu vilitas erat.* Idem in sanctis Cæsario Arelatensi, Leobino Carnutensi, Germano Parisiensi, Fructuoso Bracarensi, Cuthberto Lindisfarnensi, Ælberto Eboracensi, Anschario Bremensi, ac Remberto ejus successore, aliisque jam vidimus, multos alios in consequentibus observaturi. adeo ut tanta nubes testium pro lege esse debeat ac judicio decretorio contra secus agentes. Haud scio an Nicolaus intelligat hoc loco epistolam Cælestiui primi ad episcopos provinciæ Viennensis & Narbonensis, in qua reprehendit Gallicanos episcopos, qui, cum antea monachi non fuissent, monasticum habitum gerebant exemplo aliorum, qui ex monasterio in ecclesiam, *quæ in alia conversatione habuerant,* inferebant. Sed, ne longius abeamus, episcopos ex nostro assumtos ordine a carnium usu more solito abstinuisse satis innuit Pardulus Laudunensis episcopus in epistola ad Hincmarum ex morbo recens convalescentem, quem monet, *ut a lardo sive quadrupedibus abstineat, donec sanitas confirmetur: & sic ad siccos & miseros, tardioresque monasticos cibos revertatur.*

ANN. CHR. 865.

Idem Hincmarus, Frodoardo referente, responsum dedit ad litteras cleri Ravennatis ad *Carolum juniorem*, id est Calvum, conquerentis, quod monachi nostri, ad sedem Ravennatem promoti, *scapulare* monasticum, *quod pro opere fertur*, retinerent: cum clerici Ravennates censerent satius fore, ut episcopi omnes, cum ex-clericis, tum ex-monachis, *uniformi* [a] *sacerdotalis vestis æqualitate commune ministrandi ecclesiæ ministerium sortiantur, quam amicto sub honore pontificatus pallio singulari, ab utriusque ordine, singularitatis siquidem & episcopalis, professione, vita & moribus discrepetur.* ubi *singularitatis* nomine vita monastica intelligitur. Neque vero Ravennates illi clerici reprehendunt, quod episcopi ex-monachis facti monasticum habitum retinerent: sed quod solo scapulari, quod pro labore manuum datum est, contenti, cetera monachorum insignia insuper haberent. *Nec hoc quidem dicimus*, inquiunt illi, *ut in omnibus hujus religionis, cum ad sanctam pervenerint dignitatem, relicto more ecclesiæ vel religionis, in qua provecti sunt, mutandam vestem singularitatis censeamus: sed potius in utroque habitu sacerdotum, morem ecclesiarum & ordinem, in quibus provecti sunt, nullis patrum præjudiciis obnoxium, irreprehensibiliter arbitramur sequendum.* Ejusmodi vero episcopos merito reprehendendos existimant, qui sub habitu sæculari a pristinæ vitæ institutis penitus discordarent, communis vitæ genus sectantes. Quid ad hæc responderit Hincmarus, ignoramus. neque enim id prodit Frodoardus; & responsum Hincmari ad nos usque minime pervenit. Præclarum est quod legitur de Eugenio tertio in libro secundo [b] de vita sancti Bernardi abbatis. *Adhærebat carni ejus lanea tunica, & diebus ac noctibus cuculla vestitus, sic ibat, & sic cubabat: intus monachi habitum retinens, extra se pontificem & moribus, & vestibus exhibebat: rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietatem exprimens personarum.* Nimius sim, si cuncta ejus argumenti exempla persequi velim: sed tamen hoc loco præterire non possum decretum institutorum [c] Cisterciensium, quo statuitur, ut episcopi ex Ordine assumti consuetudinem pristinam retineant *in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in observatione jejuniorum, in officio horarum regularium: excepto quod mantellum de vili panno & pelle ovina, & pileum similem aut simplicem habere poterunt qui voluerint.* cum quibus tamen rebus nec claustra intrare, nec conventibus Ordinis interesse poterant. Idem asserit Cæsarius [d] Heisterbacensis, ad quamcumque dignitatem illi assumti fuerint, *sive sit episcopatus vel patriarchatus, vel papatus.* Quin etiam in variis capitulis generalibus ejusdem Ordinis, sæculo tertio-decimo celebratis, arguuntur quidam ex illis episcopi, quod a regulari habitu & victu desciscerent: &, si id in posterum non emendent, Ordinis societate privati denuntiantur.

a Cordes. pag. 639.

b cap. 8.

c Instit. Cist. c. 59.

d Cæsar. hom. Domin. 3. post pentec.

XLII. Gothescalci finis extremus.

Sed ut ad Egilem archiepiscopum, cujus occasione hæc dicta sunt, recurrat oratio, is, ubi primum ordinatus fuit, Romam profectus est, forte ut pro sua ipsius electione & pallio accepto gratias pontifici ageret. Discessuro varia commisit negotia Hincmarus archiepiscopus, tum de iis quæ in synodo in causa Wlfadi [e] gesta fuerant, tum de iis, quæ Gothescalcum, hactenus in ergastulo detentum, spectabant. In posterioribus [f] ad Egilonem litteris, *carissimo & fidissimo sibi* inscriptis, ait, post priores de Wlfadi restitutione scriptas litteras, sibi renuntiatum fuisse, monachum suum Guntbertum nomine, hominem sæpe pro suis negligentiis, & pro sua cum Gothescalco necessitudine regulariter correptum, de cella, quæ vocatur Altum-villare, cum libris, vestimentis, & caballis, aliisque rebus, quas furari potuit, aufugisse, ut Gothescalci reclamationem perferret ad domnum apostolicum, quippe quem sciret erga ipsum Hincmarum non bene affectum esse. tum Egilonem rogat, ut pontifici perversam Gothescalci doctrinam exponat, quem a duabus synodis damnatum, jubentibus episcopis in custodiam retruserit, ne aliis perversa ejus doctrina noceret. Paratum se esse, ut eum ad pontificem, si quidem jusserit, examinandum mitteret. Eum jactitare, quod multos habeat fautores, uti habuit *domnum Prudentium, sicut scripta ipsius testantur*, in his *Annale gestorum nostrorum regum, quæ composuit*, in quibus, ad confirmandam suam *sententiam*, *gestis anni dominicæ incarnationis* DCCC LIX. *indidit*, dicens: *Nicolaus pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & de sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & catholice decernit.* quod nusquam alibi se legisse Hincmarus affirmat. idque domno apostolico suggerendum monet, ad vitandum scandalum, ne idem, quod absit, atque Gothes-

e Hincm. to. 2 p 285.

f ibid. p. 290.

ANN. CHR. 865.

calcus, sentire Pontifex videatur. Hæc Nicolai dicta, mox relata, leguntur in Annalibus Bertinianis, qui Prudentio ex hoc loco possent tribui, nisi longe post ejus obitum, qui anno DCCC LX. aut insequenti[a] accidit, producti essent. Pergit Hincmarus scribere de Gothescalco, quam perniciosus sit, multo magis noxius futurus, si ex ipsa custodia fuerit absolutus, quippe qui dæmoniacus sit, aut maniaticus. Ceterum ipsum bene tractari; eumdem cibum & potum, easdemque vestes, ac ceteris fratribus, ei præberi; ligna ad focum faciendum, aliaque necessaria suppeditari, immo & lavacra illi non denegari: sed ab eo tempore, quo in custodiam ingressus est, non solum corpus, sed nec manus, nec faciem, lavare voluisse; adeoque turpissimum esse. quod fortasse dicit Hincmarus, ne hæc turpitudo ipsi imputaretur, quasi eum durius tractaret. Aliud de eodem Gothescalco commonitorium eidem Egiloni tradidit Hincmarus epistola[b] sequenti. Reversus in Galliam Egilo, varias ad regem, ad Hincmarum, aliosque episcopos litteras retulit pro causa Wlfadi, quem Hincmarus in synodo Suessionensi restituit anno sequenti; at in illis Nicolai litteris nulla mentio de Gothescalco, de quo altum deinceps apud illius temporis auctores silentium.

a *V. sup. lib.* 35. *n.* 98.

b *Hincm to.* 2. *p.* 293.

Ex his intelligitur, non diu post id tempus superstitem fuisse Gothescalcum. Sub ejus vitæ exitum consultus ab Altivillarensibus Hincmarus, quo pacto cum eo, cum morti proximus esset, se gererent; misit eis schedulam[c] seu formulam, quam ei ad ejurandos errores ipsi imputatos proponérent. quam si profiteretur & subscriberet coram testibus, eum absolverent, & participationi corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, & communioni catholicæ ecclesiæ restituerent, omnimodamque humanitatem, cum spiritalem, tum corporalem, illi exhiberent. Si vero in contumacia sua mortuus fuerit, cum psalmis & hymnis ad sepulturam ne deportaretur, nec in communi fratrum conditorio humaretur: sed tamen privata ei sepultura concederetur. Cum vero finis ejus jam instaret, fratribus qui aderant, ut ab erratis suis resipisceret, sicque communionem sacram perciperet, cohortantibus, respondisse dicitur, se a sua sententia discedere non posse: sicque vitam finiisse absque viatico, ceterisque christianæ pietatis subsidiis. Hæc scribebat Hincmarus sub finem libri de non-trina-deitate, quem aliquanto post librum de Prædestinatione, anno DCCC LIX. compositum, absolvebat, cum ei nuntiatum est, Gothescalcum morti appropinquare. Hic finis extremus fuit miserabilis illius monachi, cujus obitum in veteri necrologio Altivillarensi notatum puto ad tertium kalendas Novembris, ubi *Godescallus monachus* legitur. quæ enim de eo leguntur ipso die in novo martyrologio, recentissimi sunt auctoris. Varia de eo vivente ac mortuo fuere hominum ad nostrum usque tempus judicia, quibus meum interponere nil juvat, ne rixas, necdum sopitas, denuo excitare videar. Historicum ago, non theologum. Porro historici partes implere studui, referendo in utramque partem, quæ ultro citroque hoc de argumento ab antiquis scripta sunt.

c *Id. to.* 2. *p.* 152. *& seq.*

XLIII. Hoc anno absolutum est monasterium sancti Urbani in pago Pertensi * ab Erchenrao Catalaunensi episcopo, & ad ejus basilicæ dedicationem reliquiæ sancti Urbani papæ & martyris allatæ ex Autisiodorensi monasterio sancti Germani. Hujus rei testem oculatum habemus Hericum ejus loci monachum in libro secundo de miraculis sancti Germani, ubi, postquam translationem reliquiarum ejusdem sancti martyris, ex urbe Roma ante triennium istuc factam, commemoravit, hæc[d] subdit. *Anno dominicæ incarnationis* DCCC LXV. *merito suæ religionis venerabilis Herchenraus, Catalaunorum episcopus, ad cænobium sancti Germani veniens, largitione fratrum reliquias pretiosi papæ & martyris Urbani obtinuit; eisque susceptis, monasterium in pago Pertensi in ejus honore construxit. quo loco tanta, tamque frequentia postmodum claruere miracula, ut, si litteris universa mandarentur, suo per se possent suppeditare volumini.* Hujus operis consilium communicavit piissimus antistes cum Carolo rege, cujus auctoritate hæ reliquiæ a Romano pontifice paullo ante impetratæ fuerant; idemque rex suppetias contulit ad novum monasterium construendum, uti discimus ex ejus diplomate in Appendice referendo, quod ante biennium datum est, altero anno, quam hæc translatio facta fuerat, cum scilicet ex celebritate sancti martyris, ejusque miraculorum in itinere patratorum, Erchenraus condendi monasterii consilium cum rege cepit. In illo diplomate ait rex, se hortatu dilectæ suæ conjugis Irmindrudis, ac deprecatione venerabilis Erchanra-

S. Urbani monasterium conditũ in pago Pertensi.

* *le Portois.*

d *Labbe. Bibl. to.* 1. *p.* 161.

AN. CHR. 865.

» vi, sanctæ matris ecclesiæ Catalaunensis episcopi, consensu unanimi ae concordi
» voluntate parique intentione, nempe pro suorum peccatorum absolutione, simul
» tractavisse de ædificando in honore sanctæ Trinitatis novo monasterio, sub reli-
» gione monastica consecrando, in quo corpus sancti Urbani Romani pontificis cum
» honore congruo coleretur, ad salutem animarum suarum, ceterorumque fidelium
» christianorum. Idcirco quasdam res proprietatis ad hoc opus legasse, sitas in pago
» Pertensi, in villa quæ vocatur Wittiniacus, id est ecclesiam unam ex fisco suo,
» quam Hugo jure beneficiario habebat, cum omnibus ad eam pertinentibus; item
» in Piscione-villa, aliisque locis: mercatum quoque in dicta villa Witriniaco per
» singulas hebdomadas. quæ omnia prædicto episcopo in usus fratrum consignat.
Data VII. *kalendas Novembris, indictione* XI. *anno* XXIII. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Pontigone palatio regio.* Hoc præceptum Hildeboldus notarius ad vicem HLudowici recognovit. Perstat etiam nunc hoc monasterium sub Benedictina congregatione sancti Vitoni.

XLIV. S. Basoli elevatio.

Sub idem tempus Hincmarus Remorum pontifex corpus sancti Basoli a loco, in quo primum jacuerat, extulit, & cum debita reverentia in loco honorificentiori collocavit, nempe idibus Octobris, cum ipso die ecclesiam in honorem sancti Martini & sancti Basoli dedicasset. Utrum canonici an monachi in hoc monasterio tunc exstiterint, non satis liquet. Certe anno ejusdem sæculi octogesimo-secundo jam locum occupabant canonici, ut fidem faciunt litteræ excusatoriæ clericorum Remensium ad Hildeboldum Suessionensem episcopum, aliosque metropolis Remensis suffraganeos, quibus sese purgant, quod mortuo Hincmaro de futuro successore, ante Visitatoris adventum tractavissent. quibus litteris *canonici de sancto Basolo* subscribunt. Sed tandem canonicis amotis restituti sunt monachi medio sæculo sequenti sub Odoleo abbate, cui successit Adso abbas a monachorum restitutione secundus. quo abbate Adso alter Dervensis abbas librum de sancti Basoli vita, translatione, ac miraculis composuit. In illis primordiis apud sanctum Basolum litteras utcumque viguisse intelligimus ex Gerberti epistola septima, in qua Plinium & Eugraphium ex sancti Basoli aut Orbacensi monasterio sibi describi ab Airardo postulat.

XLV. Euticii dialogus de statu ecclesiæ.

Exstat in bibliotheca regia quidam codex, qui fuit olim Adsonis Dervensis abbatis, in cujus calce notantur alii Adsonis codices, quos inter *Euticius unus* recensetur. Hunc non dubito esse dialogum Euticii & Theophili de statu ecclesiæ, qui a Johanne Cordesio cum quibusdam Hincmari Remensis opusculis typis vulgatus est. Fictum Euticii, uti & Theophili, nomen esse nequaquam dubitem, auctoremque illum sæculo nono vixisse crediderim. quod tum ex operis argumento & stilo, tum ex illo codice Adsonis, qui sub finem sæculi decimi floruit, satis intelligitur. at quis fuerit Euticius ille, non facile est divinare. Sed tamen in ejus stilo, non omnino barbaro & impolito, non nihil Lupini salis & genii deprehendere mihi videor. Sic dialogum orditur Euticius. *Residentibus nuper sanctis & gloriosis sacerdotibus in palatio regio, simulque plurimis adstantibus nobilibus viris, me quoque contigit adfuisse: ortusque est sermo inter eosdem venerabiles sacerdotes de statu sanctæ ecclesiæ, qualis in primordio sui fuerit; qualiter sub procellis persecutionum pugnaverit: quomodo his sopitis effloruerit: quam diu in eodem flore permanserit; & qualiter nunc in fine sæculorum pene usque ad terram dejectus sit.* Tum ait Euticius, se has res sciendi avi-
» dum festinasse ad Theophilum, ut, quod sæcularium tumultus abruperant, ejus dulcis & grata suppleret oratio. Ad hæc Theophilus: *Cum tu in schola Christi educatus sis*, inquit, *& veteris ac novi testamenti notitia sit tibi tradita; quid novi in palatio audisti, ut tam subito, tam vehementer inflammatus sis?* Ex his conjicere licet, Euticium monachum fuisse, quippe qui *in schola Christi educatus* dicitur. Pergit Euticius inquirere de vario statu ecclesiæ, eique Theophilus exponit nascentis ecclesiæ communem vitam, a qua longe recedere subinfert eos, qui *res ec-*
» *clesiæ pejerant & usurpant.* Si enim Ananias morte damnatus est, qui de propriis
» fraudem fecit; quid illi passuri sunt, qui non ea quæ dederint repetunt, sed quæ
» alii pro remedio animarum suarum contulerunt, invadunt? Porro invasores etiam
» esse eos, qui ab episcopo donum aliquod ex rebus ecclesiæ temere perceperint.
» Alia nimirum esse, quæ dare potest episcopus; alia, quæ non debet. Ex his quæ
» dare potest, justum esse donum; ex his quæ non debet, injustum. Non prohiberi

AN CHR. 861.

tamen episcopum ex his quæ Dei sunt, cibum vel vestitum aut parentibus, id est propinquis, vel quibuslibet egenis dare; sed prædia & possessiones, quæ a fidelibus oblata sunt, alienare. quod Karolus Magnus & filius ejus H Ludovicus, cognomento Pius, fortissimi sanctæ Dei ecclesiæ tutores, vetuerint. Primus itaque hujus dialogi scopus est contra invasores & alienatores bonorum ecclesiæ. Tum consequenter invehitur Theophilus adversus sæculares, qui non solum ecclesias, sed etiam *ipsa altaria* possidere volebant, oblationes Deo ad altare factas usurpando. Indignum esse, ut coram eis ardeat candela, quæ Deo oblata est, & ejus altare & sacrificium sine lumine sit. Atqui tamen difficilem fore harum rerum restitutionem, infit Euticius, quas invasores illi defendere volent *judicio, pugna, sacramento.* Verum hæc in dubiis tantum valere debere Theophilus respondet; se vero manifestorum justitiam poscere; justitiam, inquit, canonica auctoritate munitam, ut, quibuscumque ecclesia injuste nudata est, justo ordine vestiatur; & tunc in conspectu regis & sanctorum sacerdotum virorumque sapientum causa tractetur. Recte, inquit Euticius, si hoc humana justitia consentiret. In Saxoniæ quidem & Germaniæ partibus quamdam umbram justitiæ in hac re adhuc reservari. Inthronizato enim episcopo, omnes, quicumque ecclesiæ beneficia tenent, ante pedes episcopi inthronizati ea deponere, in potestate episcopi, quem honorare antiquo beneficio, vel quem exspoliare malit, relinquentes; nec timorem esse ullum, ne quis per vim ad eas res, quibus nudatus fuerit, adspirare possit. *Inter nos autem*, inquit, *si de justitia sancta Dei ecclesia episcopus vel mutire præsumpserit, non solum de rebus, sed de vita illius quemlibet profanum minas inferre vilissimum est.* Sic fere desinit ille dialogus, cui alios subjungendos auctor promittit: sed an eos ediderit, incertum. Nec certius quid ex his elucet de auctore, quem virum doctum ac religiosum fuisse manifestum est. Certe ne Lupo nostro eum confidenter tribuamus, obstat dialogi stilus tantisper asperior, & Pii cognomen Ludovico Augusto tributum. quod a Lupi formula, & tempore fortasse, videbitur nonnihil alienum.

XLVI. Ingelwinus Cormaricensibus dat Duodecim-pontes.

Vix Ingelwinus diaconus palatii Turonicam sancti Martini abbatiam, Huberto cæso, a Carolo obtinuerat, cum Audachri abbatis & monachorum Cormaricensium sanctitate permotus, xenodochium sancti Martini, quod Alcuinus abbas apud Duodecim-pontes ad Sequanam in pago Tricassino condiderat, eisdem Cormaricensibus contulit, ut ipsum in pristinum statum restituerent, ibique *ob infestationem paganorum*, id est Nortmannorum, perfugium habere possent. Hanc donationem a Carolo confirmari petiit. cujus petitioni rex annuens, regiæ auctoritatis præceptum eidem monasterio sive Audachro, qui eidem loco *merito sanctitatis* præerat, *seu etiam sanctis fratribus, inibi Dei obsequiis famulantibus* fieri jussit, eisque hoc hospitale jure perpetuo firmari, eo pacto, *ut secundum priorem consuetudinem viginti pauperes inibi habeantur. Data* XIII. *kalendas Julii, indictione* XIII. *anno* XXV. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Vermerias.* quod præceptum Hildeboldus diaconus ad vicem Ludovici recognovit. Nunc in eodem loco cella est monasterii Cormaricensis. Idem Hildeboldus itidem recognovit aliud præceptum regiæ defensionis, quod Rodulfus Bituricensis archiepiscopus pro Bellilocensi monasterio ab se condito ab eodem rege obtinuit XIV. kalendas Novembris, anno XXV. regni Caroli, indictione XIII. Actum Carisiaco palatio. quod ad annum superiorem referendum est, quo annus Caroli vicesimus-quintus a duodecimo kalendas Julii incipiebat, indictione tertia-decima a kalendis Septembris inchoata.

Caroli præceptum pro Bello-loco.

XLVII. Palnatum monasterium instauratur.

Destructo a Nortmannis, ut superius[a] vidimus, Palnato monasterio, non statim inventus est, qui de eo instaurando cogitaret, Adalgasio abbate ad Vabrense monasterium cum Palnatensibus monachis translato. Sed tandem restitutus est hic locus sub hoc tempus, cum Frotarius episcopus Petragoricensem ecclesiam regeret. Exstat in archivo sancti Martialis apud Lemovicas charta ipsius Frotarii, in qua legitur, Palnatum monasterium primum quidem, agente Carolo rege, præcepto regali & episcopali liberum factum; postea vero ob paganorum infestationem omnino desertum, & ad nihilum redactum; ac demum, Deo annuente, reparatum fuisse. quo tempore idem Frotarius rogatu abbatis & fratrum monasterii sancti Martialis, cui locus ille subjectus est, eamdem libertatem Palnato restituit, *videlicet ut ab omni prorsus rigore ecclesiastico sit immunis.* Caret chronicis notis hæc charta, in

a Lib. 33. n. 86. & l. 35. n. 104.

ANN. CHR. 865. XLVIII.

qua dedicatio Palnatensis basilicæ mense Julio facta dicitur, regnante Carolo rege.

Otfridi libri Teutonici de evangelio.

Florebat hoc tempore in Weissemburgensi Alsatiæ monasterio sub Grimoldo abbate Otfridus monachus, non minus pius quam doctus: ut testatur volumen evangeliorum, quod rythmis theotiscis composuit quinque libris. Occasionem & causas operis idem auctor in sua præfatione explicat, aitque id factum studio & in- » terpellatione quorumdam probatissimorum virorum, & quorumdam memoria di- » gnorum fratrum, maximeque cujusdam venerandæ matronæ, nomine Judith, qui » offensi laïcorum canticis obscœnis, ipsum flagitarunt, ut partem evangeliorum » theotiscis versibus redderet, quos laïci illi discerent; sicque evangeliorum in ver- » nacula lingua occupati dulcedine, sæcularia illa cantica paullatim dediscerent. Fecit ille quod rogabatur, *non quasi peritus*, inquit, *sed fraterna petitione coactus*; totumque opus in quinque libros distinxit, non tantum in quatuor, ut scripsit Trithemius. Hoc itaque opus examinandum, probandumque Liudberto archiepisco- » po commendavit, hac maxime ratione, quod a Rabano venerandæ memoriæ, di- » gno ejus sedis quondam præsule, ipse auctor educatus fuisset. Paullo ante id tempus, id est principatu Ludovici augusti, a quodam Saxone, *qui apud suos non ignobilis vates habebatur*, vetus ac novum testamentum in Germanicam linguam translatum fuerat, *ut non solum litteratis, verum etiam illiteratis sacra divinorum præceptorum lectio panderetur*; feruntque eumdem vatem in somnis fuisse admonitum, *ut sacra legis præcepta ad cantilenam propriæ linguæ* congrua modulatione coaptaret. quod Trithemius Otfrido nostro tribuere videtur, pluraque alia ejus generis opuscula. Idem jussu Ælfredi regis in Britannia majore Saxonice tentatum. Quippe piis doctisque viris semper persuasum fuit, idque experimento sæpius probatum, nihil magis valere ad mores emendandos, pietatemque vulgi etiam animis instillandam, quam lectionem divinorum librorum, præsertim novi testamenti; nec parum conducere cantica illa spiritualia, quæ ex iisdem libris componuntur.

Otfridi ætatem discimus ex triplici præfatione, jam dictæ evangeliorum versioni præfixa. Prima carmine theotisco inscripta est *Ludowico orientalium regnorum regi*, qui annu DCCC LXXIII. decessit. Post illud carmen theotiscum sequitur altera præfatio latina ad Liutbertum archiepiscopum Moguntinum, cujus *sagaci prudentia* hunc librum *probandum* transmittit Otfridus, *quamvis indignus*, ut ipse dicit, *tamen devotione monachus, presbyterque exiguus*. Moguntinam ecclesiam rexit Liutbertus ab anno DCCC LV. ad annum DCCC LXXXIX. Huic latinæ præfationi succedit carmen theotiscum ad Salomonem Constantiensem episcopum, quod carmen totidem tetrastichis constat, quot litteris hæc inscriptio: *Salomoni episcopo Otfridus.* Hic est Salomon ejus nominis primus Constantiensis præsul, qui anno DCCC XXXI. electus, eodem anno DCCC LXXIII. quo Ludovicus rex orientalis Franciæ, vivere desiit. In codice Cæsareæ Bibliothecæ, in quo hoc opus integrum exstat, non mutilum, ut Illyricus typis vulgavit, primus liber hunc præfert titulum: *Incipit liber evangeliorum primus, Domini gratia theotisce compositus.* quem titulum male reddidit Trithemius in hunc modum: *Ad Luitbertum Moguntiacensem archiepiscopum octavum in evangelium opus grande & insigne, quod prænotavit Otfridus, Gratiam Theotista, Libri V.* quod Illyrico fucum fecit, scribenti in præfatione sua, Otfridum huic evangeliorum volumini *nomen Gratia pro titulo* imposuisse; & hoc modo significare voluisse, (vide hæretici hominis insana præjudicia!) *Opera necessaria non esse ad salutem.* Multa alia peccat in sua editione Illyricus, ut Lambecius [a] recte observat. quale est illud, quod Otfridum de Weissemburg *monachum sancti Galli* vocat; & quod editioni suæ hanc clausulam apposuit, *anno* DCCC XCII. quasi Otfridus eo anno istud opus composuisset. quod ex ætate Ludovici regis, Liutberti & Salomonis episcoporum manifeste refellitur.

[a] Lambec. to. 2. Bibl. p 415. & seqq.

Idem auctor aliud carmen theotiscum scripsit ad duos monachos sancti Galli, sub hoc titulo, *Otfridus Wizanburgensis monachus Harmuate & Werimberto sancti Galli monachis*, quod carmen totidem tetrastichis constat, quot inscriptio, ut apud Lambecium videre licet. Hic est Harmutus, qui anno DCCC LXXII. electus est sancti Galli abbas, quam præfecturam necdum adeptus erat, cum illud carmen Otfridus ei dicavit. Werimbertus ille est, quem monachus sancti-Gallensis in præfatione libri II. de gestis Caroli M. magistrum suum vocat. Denique idem auctor

periphrasim

periphrasim prosaïcam in Psalmos & in Cantica, quæ in divinis officiis decantari solent, composuit, cum nonnullis theotiscis rythmis in quædam evangelia, quæ omnia habentur in altero codice Cæsareo, qui ex bibliotheca Ambrasiana juxta Æenipontem translatus est. Hæc fortasse minutiora, sed necessaria ad internoscendum scriptorem haud satis notum. ANN. CHR. 865.

XLIX. Ruodolfus scholasticus obit.

In annalibus Fuldensibus ponitur hoc anno mors Ruodolfi monachi ac presbyteri Fuldensis in hæc verba: *Ruodolfus Fuldensis cœnobii presbyter & monachus, qui apud totius pene Germaniæ partes doctor egregius & insignis floruit historiographus & poeta, atque omnium artium nobilissimus auctor habebatur, VIII. idus Martii diem ultimum feliciter clausit.* Ejus obitum Petrus Bibliothecarius refert ad annum sequentem, nimirum quod annalista Fuldensis forte secutus sit veterem calculum, Bibliothecarius novum. Ruodolfus gesta sanctæ Liobæ virginis & abbatissæ scripsit jussu Rabani præceptoris sui, cujus etiam vitam in litteras retulit, nec scio an absolvit. Huic Ludovicus Germaniæ rex conscientiæ suæ latebras aperiebat, concionantem audire solitus, & scholis Fuldensibus præfectum regia liberalitate coluit, testante * Browero, qui ejus rei vadem affert donationis chartam ipsius Ludovici, Ruodolfum oratorem, confessoremque suum, ac scholarum Fuldensium præfectum appellantis. Alius haud dubie fuit HRuodulfus scholasticus & cancellarius, qui Ratgario abbate quasdam litteras donationum pro monasterio suo exaravit anno primo Ludovici augusti.

* *Antiq. Fuld. lib. 2. c. 14.*

L. Ruthardus item & Micho monachi.

A Ruodolfo scholastico sejungendus non est Ruthardus scholasticus secundus Hirsaugiensis monasterii, qui a Trithemio dicitur hoc anno mortuus fuisse vicesimo-quinto die Octobris, sepultusque in ecclesia sancti Aurelii; vir æterna, inquit, memoria dignus, quippe qui in omni doctrina monachos plures eruditissimos auditores reliquit. Richbodo monachus, ejus successor in annos viginti-quatuor, decessori suo composuit epitaphium, quod idem Trithemius refert in fusiori historia Hirsaugiensi. His adjungendus etiam Micho Centulensis monachus, ab eodem laudatus auctore, qui ei epigrammatum libros quatuor, epistolarum ad diversos librum unum, aliaque tribuit. Ex ejus operibus nihil reperimus præter quosdam versus, quos *Micho diaconus Centulensis* de sancto Richario composuit.

LI. Lauriss. abbates.

In Laureshamensi monasterio post Eigelbertum abbatem subrogatur hoc anno Thiodrocus, qui pastorale officium recte administrasse traditur; in his monasterium in monte Abrahæ * a fundamentis erexisse. Huic successit post annos decem Babo in annos sex: cujus tempore Ludovicus tertius quoddam prædium per Werinherum comitem tradidit Laureshamensi monasterio, ubi patrem suum humari curavit, paternæ statim in eum locum benignitatis & munificentiæ induens affectum: quem etiam sub Waltario Babonis successore factis demonstravit, & ipse post obitum ibidem sepultus. Fuit etiam Carolus imperator ejus frater, paternæ fraternæque pietatis erga eumdem locum imitator, eique privilegium libertatis & eligendi abbatis liberam facultatem confirmavit, & quoddam prædium donavit. Idem etiam præstitit Arnolfus, Caroli ex fratre Carlomanno nepos, sub Gerhardo abbate, qui abbatiam anno ejus sæculi octogesimo-tertio in annos decem obtinuit. Eo defuncto infensus Laureshamensibus Arnolfus, abbatiam commisit Adelberoni Augustensi episcopo, viro integerrimo: qui post annos tres aut quatuor, (quinque numerat chronographus, non satis sibi constans) postposito sæculari honore & commodo, quod ex abbatia consequi poterat, monasterii ab se reformati curam ultro resignavit, fratribusque pristinam eligendi abbatis libertatem restitui curavit.

* *Abrinsberg.*

LII. Regimarus abbas ad Nicolaum papam missus.

Exstat apud Baronium ad hunc annum Adventii Mettensis antistitis epistola ad Nicolaum papam, cui gratias agit pro venia sibi indulta ob probatum Lotharii a Theutberga divortium, eidemque munus quoddam in grati animi monumentum mittit per Regimarum abbatem, quem laudat his verbis. *Denique nostræ parvitatis legatum vestræ dignationi dirigimus, religiosum videlicet presbyterum & monasterii nostri abbatem, Regimarum nomine, quem ut benigne suscipere dignemini, humiliter petimus, & parvulam benedictionem sancti Stephani Mettensis ecclesiæ, quam nimio vestro amore succensi dirigimus, ea affectione suscipiatis, qua mittitur.* Tria erant tunc temporis apud Mediomatricum urbem virorum monasteria, nempe sancti Arnulfi, sancti Martini, & sancti Symphoriani. Cujusnam ex his locis abbas esset Regimarus, non liquet. tametsi eum potius sancto Arnulfo assignaverim, in cujus necrologio

notatur IV. kalendas Julii *Reimarus abbas*, quem non alium a Regimaro esse nullus dubitem.

ANN. CHR. 865. Berengosus abbas.

In eodem necrologio adscriptus legitur IX. kalendas Octobris *Berengozus abbas* absque designatione monasterii, is ipse, ut videtur, ejus nominis Trevirensis apud sanctum Maximinum abbas, qui de laude & inventione sanctæ Crucis libros tres, variosque sermones composuit. De ætate auctoris non constat: at sæculo hoc nono superiorem esse haud crediderim.

LIII. Lis de oblationibus in monasterio sancti Zenonis.

Veronæ composita est hoc anno contentio, orta inter canonicos majoris ecclesiæ, & Leonem abbatem, monachosque sancti Zenonis de oblationibus fidelium in illo monasterio fieri solitis, quas utrique sibi deberi asserebant, præceptum Ludovici imperatoris utrimque prætendentes. Litem diremit Ardecarius episcopus, media parte utrisque concessa. Editum est hac de re publicum instrumentum apud Ughellum [a], datum anno præsenti, domini Ludovici imperatoris sexto-decimo, sub die quinta Februarii, indictione quarta-decima. Subscribunt post episcopum Leo abbas, Lunaldus presbyter & monachus, & quatuor alii, quorum tres se presbyteros & monachos itidem dicunt. Ardecario successit Adelardus, qui Nonantulanam abbatiam invasit, ob idque a Johanne VIII. excommunicatus est.

[a] Ital. Sac. to. 5. c. 612.

ANN. CHR. 866. LIV. Rotberto a Normannis fuso datur abbatia S. Martini, tum Hugoni.

IN Gallia contra Normannos anno sequente infeliciter actum ad Sequanam prope Miliduonum, ubi sine conflictu Rotbertus & Odo duces Francorum in fugam conjecti sunt, ingensque ex regno Caroli tributum Normannis impensum ad generalis prædationis malum avertendum. Rotberto nihilo minus abbatia sancti Martini a Carolo data est, atque Ingelwino ablata. verum ea non diu potitus est Rotbertus, qui anno subsequente iisdem barbaris, a Cenomannensis pagi vastatione revertentibus, Brisertæ occurrens, conserto prœlio, cum multis aliis occubuit. Mox eadem abbatia Hugoni abbati, Chonradi regis avunculi filio, qui Coloniensem ecclesiam Hilduino clerico, Gunthardi fratri, resignavit, commissa cum comitatu Andecavensi, isque in Neustriam loco Rotberti ducis missus est, tametsi clericus erat, & quidem subdiaconus: nec semel contra Normannos haud infeliciter pugnavit. Hic finis fuit magni illius ducis Rotberti, qui alter sui temporis Maccabæus dictus: cui a virtute bellica Fortis cognomen a posteris inditum est; sed longe gloria major, quod ex ejus sanguine stirps Capetiorum inclyta prodierit. Duos filios reliquit, Odonem & Rotbertum, qui, unus post alterum, thronum Francicum conscenderunt. A Rotberto juniore ortus est Hugo Magnus, parens Hugonis, cognomento Capeti, qui caput est tertiæ stirpis regiæ, quæ modo gloriose & feliciter regnat.

LV. Synodus Suessionensis apud S. Medardum.

Interim clericorum Remensium, qui ab Ebone post ejus defectionem ordinati, & ab Hincmaro abjecti fuerant, querelæ ad Nicolaum papam deferuntur, agente in primis Wlfado cum amicis; ejusque rei causa synodus medio mense Augusto a pontifice indicta Suessionas, & quidem in monasterio sancti Medardi, ubi prius ab Hincmaro sententia in illos clericos lata fuerat. Eorum restitutio a patribus, ne diutius altercando controversia magis flagraret, Nicolao papæ reservata, qui frustra obnitente Hincmaro, clericos illos in pristinos gradus restituit. Wlfado commissa ecclesia Bituricensis post mortem Rodulfi archiepiscopi, de ordine nostro optime meriti, quæ hoc anno accidit XI. kalendas Julii. Erat tunc abbas sancti Medardi Carolomannus regis filius, qui a patre missus est Bituricas ad consignandam Wlfado metropoliticam ejus urbis dignitatem. Acta synodi ab Egilone archiepiscopo Senonensi perlata ad Nicolaum papam, cui Remenses clerici scriptis litteris gratias, ut par erat, ob restitutionem suam egerunt. In eadem synodo regina Hirmintrudis sollemni ritu coronata fuit apud sanctum Medardum, & episcopali benedictione sacrata. Huic synodo interfuerunt e nostris Egilo seu Egil Senonensis antistes, Hunfridus Morinensis, Hildegarius Meldensis, & Odo Belvacensis.

LVI. Sollemniacense privilegium confirmatum.

Adfuit etiam eidem synodo præter alios Bernardus abbas Sollemniacensis apud Lemovices monasterii, regiam clementiam, & episcoporum conveniens pietatem ad impetranda monasterio suo privilegia, *quibus sub tuitione regia, atque apostolica* » *& synodali defensione muniretur*, regi & synodo exponens, quo pacto vir venerabi-
» lis ac beatissimus Eligius, Viromandensis ecclesiæ episcopus, cœnobium ipsum in
» agro Lemovicino, in honore omnipotentis Dei, & veneratione beatorum apostolo-

ANN. CHR. 866.

rum Petri & Pauli, ac martyrum Dionysii & sociorum, Crispini & Crispiniani necnon Pancratii, atque sanctorum confessorum Martini, Hilarii, Medardi, Remigii & Germani a fundamentis exstruxisset, monachosque ibidem instituisset, qui divinam ibidem exercerent militiam, & pro totius ecclesiæ statu supernam clementiam implorarent. quod suo testamento, a sanctis episcopis subscripto, corroborari curaverit, obtenta a Dagoberto eidem loco regia tuitione, ut monachi ibidem quiete degerent, *& normam sancti Benedicti inviolabiliter tenerent.* His expositis, Bernardus regem ac patres rogavit, ut, quoniam Normannorum crudelitate grassante prima sui monasterii instrumenta concremata fuerant, eadem privilegia renovarentur. Cujus precibus rex & episcopi annuentes, eumdem locum regali & episcopali auctoritate ac privilegio munierunt, interposita obtestatione per virtutem sanctæ crucis ac sanctorum ibidem quiescentium, ut eumdem locum nec reges, nisi defensionis ac tuitionis causa, sibi usurparent; nec cuiquam clericorum canonici habitus, multo minus laïcorum, tribuerent, sed sub sua tutela & regulari abbate, ex ipso monasterio assumto, conservarent. Huic privilegio subscribunt episcopi omnes, qui synodo interfuerunt; & extra ordinem Wlfadus archiepiscopus Bituricensis, qui postea rogatus idem privilegium manu sua roboravit. Idem Carolum minorem, Aquitaniæ regem, qui hoc anno ex vulnere capitis, olim accepto, & male curato, interiit, Bituricis in suburbana monasterii Sulpiciani basilica sepelivit. Ibidem humatum fuisse Rodulfum, Wlfadi antecessorem, tradit Vincentius Bellovacensis: ast falsum esse ait scriptor Patriarchii Bituricensis, asserens, eum sepultum fuisse in suburbana basilica sancti Ursini, ubi magna devotæ plebis veneratione excolitur. Auctor est cœnobiorum Bellilocensis apud Lemovices, & Doverensis apud Bituriges.

Caroli regis & Rodulfi archiepiscopi sepultura.

LVII.

Ludovicus Aquitaniæ rex dictus.

Ex chartario Bellilocensi discimus, Ludovicum Caroli filium, qui postea Balbus cognominatus, Carolo fratri mortuo in Aquitaniæ regno successisse. Id vero probant duæ chartæ Bellilocenses, quarum una est Godofredi comitis, qui, consentientibus uxore sua Gerberga, & filiis suis Godofredo & Rodulfo, quasdam res proprietatis suæ confert *ad monasterium, quod nuper a rusticis Vellinus, sed novo opere a nobis*, inquit, *Bellus-locus nominatur, ubi vir venerabilis Guarulfus præesse videtur.* quæ res sitæ erant in pagis Lemovicino & Caturcino. Hæc autem donatio fit eo pacto, ut, si ejus loci rector seu abbas ex rebus ipsis aliquid cuiquam in beneficium vel precariam dederit, vel commutaverit; continuo donatoris heredes has res in suam revocent potestatem. Ad hæc, ut *ante horam capituli* omnis congregatio quinque psalmos pro ejus anima decantet seu recitet; & quolibet anno in die obitus ejus *officium & missam* persolvat; & rector, qui tunc loco præfuerit, unam fratribus refectionem exhibeat. Facta hæc cessio *in mense Octobri anno XXVII. Caroli regis, & anno I. Ludovici filii ejus, Aquitanica regionis regis.* Aliud instrumentum est quoddam placitum, factum *anno quinto Ludovici regis, filii Caroli regis:* quo in placito Gairulfus Belliloci abbas cum advocato suo Aycardo venisse dicitur in villam Semmarium, ante virum illustrem Bernardum comitem, eumque interpellasse de quodam homine, qui ecclesiam sancti Christophori, in villa pagi Lemovicensis Cosatico sitam, quam Rodulfus Biturigum antistes Bellilocensibus donaverat, præter jus invasisset. Id factum die lunæ. Tum die ad judicium sub fidejussorum cautione præfinito ad quintum idus Augusti, cum factum probare non posset invasor, causa cecidit, atque prædicta ecclesia Belliloco asserta est. *Facta ista notitia in mense Augusto, anno quinto Ludovici regis, filii Caroli regis.* Ex quibus intelligitur, Ludovicum hoc anno Aquitaniæ regno impositum fuisse.

Belliloco factæ donationes.

LVIII.

Privilegium Balneolis concessum.

Carisiaci versabatur hoc anno Carolus IX. kalendas Martii, cum ad eum accessit Petrus [a] abbas monasterii, quod Balneolas vocant, in pago Bisuldunensi constructi in honorem sancti Stephani protomartyris; petiitque renovari ac confirmari regiæ immunitatis ac tutelæ præceptum, quod jam idem princeps ad preces Heliæ abbatis ratum habuerat, sicut quondam divæ recordationis genitor ipsius consimile indulserat. Ad hæc idem abbas postulavit, ut rex quamdam cellam sancti Fructuosi, in pago sitam Petrelatensi, aliamque eidem monasterio largiri dignaretur. Utrumque concessit princeps in palatio Carisiaco, IX. kalendas Martii, indictione XIV. regni ejus anno XXVI. Postridie idem rex ibidem rogatu Augarii [b] comitis Rimilæ abbati quamdam cellam concessit, quam idem abbas in honorem sancti Juliani & sancti

a *Marca Hisp.* c. 789.

b *ibid.* c. 791.

ANN. CHR. 866.

Vincentii in deserto loco pagi itidem Bisuldunensis exstruxerat. Hildeboldus notarius ad vicem Ludovici hoc præceptum recognovit.

Compostellæ duo monasteria.

In Hispania, post inventum sancti Jacobi corpus principatu Alfonsi Catholici, ex Iriensi ecclesia sedes episcopalis translata est Compostellam Theodemiro episcopo, qui primus Compostellanam ecclesiam rexit. Eo mortuo, electus est Athaulfus, cui Sisenandus ejus nepos successit æra nongentesima-quarta, quæ præsenti Christi anno DCCC LXVI. respondet. Hic duo construxit monasteria, unum sancti Jacobi *Ante-altaria* dictum, forte quod ante altaria seu fores majoris ecclesiæ situm esset; alterum Pinarium in honorem sancti Martini. Utrumque vero *de propriis beati Jacobi facultatibus* construxisse dicitur, *ut, si quis hujus ecclesiæ seniorum sub regula sancti Benedicti suorum criminum sordes divina compunctionis fletibus proluere inardesceret*, in alterutro, tamquam in propria domo, fieri monachus, & habitare posset. Eodem animo *Lovium* seu xenodochium, ubi sancti Felicis reliquiæ conditæ sunt, infirmis ac debilibus *juxta turrim* principalis portæ ejusdem ecclesiæ constituit: ut, si quis de ejusdem ecclesiæ familia infirmæ ac fractæ valetudinis esset, illuc se, veluti ad quemdam quietis portum, emeritus se conferret. Hæc discimus ex historia ecclesiæ sancti Jacobi de Compostella, auctore Petro familiari Didaci primi archiepiscopi Compostellani, cujus historiæ excerpta nobis transmisit amicus noster humanissimus & eruditissimus Joachimus *Le-Grand*, tunc a secretis illustrissimi abbatis *d'Estrées*, dum in Hispania legati officio pro Rege christianissimo fungeretur. Sub finem sæculi sequentis abbas sancti Jacobi Ante-altaria exstitit Petrus de Mosantio, qui ad Compostellanum promotus episcopatum, ecclesiam illam, superiorum episcoporum tempore deformatam, instaurasse perhibetur.

LIX. Casauriensis monasterii primordia.

Jacta sunt hoc anno fundamenta Casauriensis monasterii, quo nullum fere in tota Italia olim illustrius. Situm est in insula Aprutii ulterioris ad fluvium Aternum seu Piscaram, a quo Piscariense fuit appellatum; olim diœcesis Pinnensis, modo Theatinæ, ab ea urbe quatuordecim millibus passuum distans, versus occidentem hiemalem. Ludovicus secundus imperator, ejus auctor, hoc opus animo jam conceperat, vivente adhuc Lothario parente: quo ex tempore omnes illius insulæ possessiones comparavit, aliasque circumquaque bene multas, quibus novum monasterium amplissime dotaret. Quia vero hanc insulam sub potestate cujusdam Sisenandi illustrissimi viri, & de jure Pinnensis episcopi esse intellexit; prius ejus dominium a Sisenando viginti libris argenti redemit; tum, permutatione facta cum Grimbaldo episcopo, totam insulam imperialis juris effecit. His ita compositis, quemdam religiosum presbyterum ecclesiæ sancti Mauri martyris, in colle Amiternino positæ, Romanum nomine, abbatem designavit, eique novæ fabricæ curam commisit, dum ipse in Beneventanam provinciam adversus ejus vexatores proficisceretur. Inchoata igitur hoc anno basilica, atque in honorem sanctissimæ Trinitatis primitus consecrata, quæ paullo post etiam sancti Clementis dicta est ob translatas istuc hujus sancti martyris reliquias. Ceterum non aliam ob causam monasterio Casæ-aureæ vocabulum inditum puto, quam ob splendorem & magnificentiam basilicæ, aliorumque ædificiorum, forte etiam ob possessionum & latifundiorum amplitudinem. Hoc vero monasterium ab origine uni subjectum fuit imperatori, nec quidquam juris, etiam spiritalis, in illud sibi tribuerunt Pinnenses episcopi ante annum nongentesimum quinquagesimum-primum, tempore Ilderici abbatis: quo tempore Johannes episcopus hoc monasterium ecclesiæ suæ vindicare ac subjicere, sed perperam, molitus est. Nullum tamen a pontifice Romano immunitatis privilegium Casaurienses petiere ante præfecturam Dominici abbatis, qui a Leone papa IX. diploma pontificium obtinuit; quo se suumque monasterium contra Pinnenses episcopos, & quosvis alios tutaretur. Quippe antea id non passuri fuissent imperatores, rati, quod in Farfensi etiam monasterio contigit, solam imperialem auctoritatem sufficere ad jus immunitatis defendendum. Parum civile est quod pro ratione affert Casauriensis chronographus, ubi ait, Romani abbatis antecessores a Romano pontifice non habuisse privilegium, propterea quod *vel habere non potuerunt, vel habuerunt pro minimo*. Ad hæc, ea prærogativa fuit ejus loci abbatis, ut imperiali sceptro ipsius Ludovici pro baculo pastorali uteretur. Hæc in antecessum præmissa de insigni illo monasterio, quæ in consequentibus illustrabuntur. Chronicon Casauriense sub finem sæculi undecimi contexuit ex sui monasterii monumentis Johannes

Berardi monachus, quod præclarum chartarium habetur in bibliotheca regia, a Carolo VIII. rege Francorum ex Italia allatum; ex quo Andræas Chesnius nonnulla depromsit, edita in tomo ipsius tertio; & post eum noster Acherius breve chronicon & quædam diplomata & instrumenta Spicilegii sui tomo quinto inseruit. Aliud chronicon extat apud Ughellum ad calcem tomi sexti Italiæ sacræ.

LX. Ludovicus imperator Casinum adit.

Dum Romanus abbas Casauriensis basilicæ fabricam promoveret, Ludovicus imperator, a Beneventanis jam dudum invitatus, hostium vexationibus laboranti provinciæ opem tulit. Id de Sarracenis interpretatur Leo Marsicanus, Herchempertus de Landulfo præsule Capuano, qui militem ac militum ducem agens potius, quam episcopum, Beneventanos & Capuanos multis cladibus afflixit. Quamquam utrosque hostes Beneventanis infestos fuisse non dubitem, Landulfum scilicet cum suis, & Seodanum cum Sarracenis, quorum duplicem in illas partes incursationem Leo Marsicanus in unam confudit. Invitatus itaque, ut cum Herchemperto loquar, Ludovicus cæsar in commune a Beneventanis & Capuanis, ad defensionem perditæ patriæ, Beneventi fines per urbem Soram ingreditur: sed prius ad monasterium beati Benedicti appulit cum Angelberga augusta, ubi a Berthario venerabili abbate cum omni honoris officio excepti sunt. Istuc ad eum legati ex diversis partibus accessêre: nec defuit Landulfus, more suo fallax, ille monachorum & bonorum omnium osor, cujus illud effatum refert Herchempertus: *Quotiens monachum visu cerno, semper mihi futura dies auspicia tristia subministrat.* Ille vero causam suam apud imperatorem perorare studuit, seseque purgare: at subdolis ejus dictis haud fidens Ludovicus, Capuam se contulit, obsessamque tribus hinc inde mensibus funditus delevit. Postea Salernum profectus, atque inde Beneventum, ibidem ab Adelgiso exceptus est. Hæc ex Herchemperto, qui varia per annos sex bellica ejus in illis partibus facta deinde commemorat, simulque infamem proditionem Adelgisi ducis, qui liberatorem patriæ Beneventi in vincula conjecit, sed post quadraginta dies ereptum, Sarracenis in ultionem cælitus ex Africa immissis.

LXI. S. Vincentii monasteria & Casini direptio per Sarracenos.

Non solum contra Landulfum, sed etiam contra Sarracenos Ludovicum in Beneventum hoc anno profectum fuisse tradunt annales Bertiniani. Certe in chronico sancti Vincentii ad Vulturnum, Sangdam seu Seodan, dux Sarracenorum, monasterium sancti Vincentii omnino deprædatus fuisse, & pro ædificiis non combustis tria millia aureorum, totidemque *a beati Benedicti vicario*, scilicet Berthario Casinensi abbate, accepisse dicitur, priusquam Ludovicus cæsar in Beneventum moveret. Proinde huc referendum est quod tradit Ignotus Casinensis eorum temporum scriptor, nempe Seodanum in sanctum Vincentium irrupisse, cum monachi Casinates ibidem diversarentur. Mos quippe tum erat monachis utriusque monasterii, ut diebus sanctæ quadragesimæ vicissim sibi *rogum*, id est, si bene capio, epulum, aut certe donativum, uti Cangius explicat, *caritatis gratia* exhiberent, & *de ordine*, ut Leo habet, seu disciplina regulari, una colloquerentur. Fors evenit, ut Casinates apud sanctum Vincentium, de more adessent hoc anno *die veneris* in quadragesima, & spiritualia miscerent colloquia, cum inopinato Sarraceni illuc irruerunt. Mox in proximum monasterii castellum confugêre monachi; Sarraceni vero monasterium ingressi, plurima diripuerunt, cetera vel confregerunt, vel in profluentem projecerunt. Parsum hac vice ædificiis, quæ Ignotus Casinensis trium millium aureorum pretio redemta fuisse testatur. Hic longe præferendus est Leoni Marsicano, qui duas Sarracenorum incursiones in unam confundens, scribit universum ecclesiæ thesaurum a Sarracenis tunc repertum ablatumque, monasterium incensum, monachosque partim occisos, partim in diversa dissipatos fuisse. quod post sexdecim annos accidisse inferius videbimus.

Post aliquot versus detritos ac laciniosos Ignotus Casinensis subdit, eumdem Seodanum, capta & vastata Venafro civitate, contendisse ad sanctum Benedictum, id est Casinum, initio quadragesimæ, & quidem in sancta dominica, cum Bertharius abbas sanctum gregem divinis præceptis instrueret. quo audito, fratres, qui in monasterio inferiori erant, concito gressu *ad sanctum conscendisse Benedictum*: sequenti vero mercurii die Sarracenos ad duo stadia monasterio appropinquasse: sed, fallente itineris duce, quem ideo interfecerunt, direptis villis monasterii, Casinum accedere non valentes, Venafrum ad socios revertisse. Sane hoc loco allucinatum fuisse Leonem vel ex eo patet, quod hanc monasterii sancti Vincentii cladem dicit

ANN. CHR. 866.

accidisse hoc anno Maione abbate, qui non nisi post sex annos eidem loco præesse cœpit post Artefusum, cui hoc anno diploma confirmationis omnium bonorum concessum legitur anno a capta Capua primo. Hujus diplomatis etsi vitiosi sunt chronici characteres: at sanum est placitum, quod in chronico sequitur de quibusdam rebus sancto Vincentio Maionis abbatis tempore evindicatis, anno Ludovici imperatoris XXIII. prima die Januarii, indictione quinta, id est anno ejus sæculi septuagesimo-secundo. quo primum anno successit Artefuso Maïo abbas, cujus tempore altera monasterii sancti Vincentii vastatio facta est.

S. Vincentii abbates.

Non satis constans & exploratus est ordo sancti Vincentii abbatum in chronico, in quo post Josuen abbatem ponendus Epiphanius, cui Ludovicus augustus præceptum de quibusdam monasterii possessionibus fecit anno imperii decimo-octavo. Hunc excepisse videtur Teuto, cujus rogatu idem imperator præcedentia diplomata confirmavit anno incerto. nam mutilæ sunt chronicæ hujus præcepti notæ, & vitiosa indictio. Teutoni præponitur in editis Jacobus, qui videtur postponendus. quippe qui cum Bassacio abbate Casinate ad Ludovicum secundum accessit, ejus opem imploraturus. Jacobo itaque subjungendus Johanoes, tum Artefusus, cujus tempore superior illa clades evenit, mortuus ante annum ejus sæculi septuagesimum-secundum, quo ineunte Maïo ejus successor judicatum a Ludovici judicibus obtinuit. Huic annos tantum octo regiminis tribuit chronographus, non sibi consentiens, qui alteram monasterii cladem sub eo collocat anno octogesimo-secundo.

LXII. Imperatoris beneficia in Casinum.

Redeo ad Casinense monasterium, ad quod Ludovicus imperator cum Angelberga augusta mense Junio accessit, id est ad inferius monasterium, ubi a venerabili abbate Berthario, ut jam dixi, universisque monachis, obviam ei progressis, maximo cum honore susceptus est. Die altera montem adoraturus ascendit, pari honorificentia in superiori monasterio exceptus. Cumque universum cœnobium perlustrasset, atque ædificiorum statum laudasset; præceptum confirmationis more decessorum suorum beato Benedicto fecit, & regalia eidem munera contulit. Dein, auditis variis legationibus, cum se fratrum precibus commendasset, Capuam profectus est. Bari postea obsessa, rediit Beneventum: ubi, cum in ejus obsequio Bertharius abbas moraretur, oratorium parvum, quod intra monasterium sanctæ Sophiæ decessor ipsius Bassacius inchoaverat, diligenter absolvit, & in honorem sancti Benedicti a Stephano Teanensi præsule dicari curavit. Ad hæc, cum Ludovicus Telesiam civitatem obsedisset, idem Bertharius Isembardo gastaldioni, qui illam urbem obtinebat, veniam & gratiam ab imperatore impetravit. Idem imperator monasterio sancti Angeli in Barregio possessiones omnes ac cellas confirmavit; & Ravennam reversus cellam sanctæ Mariæ, in Maurinis sitam, Casinatibus, agente Angelario præposito, restitui præcepit. Quid Lothario regi post biennium Casini acciderit, inferius dicendum.

LXIII. Neapoli ab Athanasio episcopo monachi instituti.

Dum imperator Beneventi moraretur, ad eum accessit Athanasius senior, venerabilis præsul Neapolitanæ ecclesiæ, a Sergio duce fratris filio atrociter exagitatus, cui Ludovicus opem pollicitus est. Inde Romam profectus, ab Hadriano papa secundo, qui anno sequenti in locum Nicolai subrogatus est, honorifice excipitur; in reditu ad imperatorem mortuus prope Casinum, ubi & sepultus fuit. Is antequam a Sergio in carcerem conjiceretur, monachos, græcos an latinos, in insula Salvatoris prope Neapolim seorsim absque pastore degentes, in unum cœtum congregavit, eisque abbatem præfecit, nempe venerabilem senem Antonium, sanctæ Luciæ martyris ecclesia eis in stipendium assignata. Illic erat Lucullanum monasterium, de quo Gregorius Magnus in epistolis suis mentionem facit, eo in loco situm, ubi nunc Arx-ovi, ut vulgus vocat, posita est. Ad hæc idem sanctus præsul in suburbana ecclesia sancti Januarii martyris, quæ Magna nuncupatur, cui unus tantum sacerdos tum serviebat, monachorum cœtum itidem instituit, eisque *religiosæ vitæ*, ut acta ejus loquuntur, *virum singularem patrem* ordinavit, qui cum collato sibi grege Deo juge laudis officium persolveret. Athanasio in carcerem Sergii jussu conjecto, *græca latinaque pars*, ut ejus acta habent, *sacerdotalis & monachica turba, præcipueque Antonius, vir satis idoneus & probatæ ætatis, monachorum abbas, jejuniis & ægritudine corpore jam defecto, alternis erectus manibus, cum universo clero ad prætorium advenit*; & Sergium dure increpitum eo adduxit, ut Athanasium

ANN. CHR. 866.

relaxaret. Verum cum a Sergio denuo vexaretur, Beneventum ad Ludovicum refugit, ut mox dicebam, ejus patrocinium imploraturus: quo ne frueretur, mors intercessit. Mortuus est in oratorio sancti Quiricii, octo millibus dissito a Casinensi monasterio, ubi sepulturæ mandatus fuit, & quidem *in ecclesia beati principis apostolorum, quæ a Ratchiso rege constructa est, & jungitur basilica sancti Benedicti*, ut legimus in ejus actis apud Theatinos Neapolitanos, a Petro diacono scriptis: in quibus ejus translatio e monte Casino in urbem Neapolim, sub Berthario abbate post quinque annos facta, fuse describitur. Sacrum ejus corpus in suburbana illa sancti Jannarii ecclesia depositum: quæ olim *ad-corpus* dicebatur, antiquo Neapolitanorum cœmeterio insignis.

LXIV. Dani Angliam cæde ac rapinis infestant.

Cum plurimæ Danorum in majorem Britanniam irruptiones fuerint, una præ ceteris funestissima toti fere Northumbrorum & orientalium Anglorum regioni hoc anno generalem intulit cladem. nam magna paganorum classis, Inguaro potissimum duce, e Danubia in Britanniam appulit, qua Estanglorum seu orientalium Anglorum regnum patet, Edmundo piissimo regi tum parens; ibique hiberna statuit, ferro & flamma universa devastans, in primis monasteria, quæ a fundamentis eversa sunt, monachis & ancillis Dei aut cæsis, aut fuga dissipatis. Eadem clades Eboracensi provinciæ ab iisdem inflicta. Merciorum regnum eamdem subiisset fortunam, nisi Beornredus rex, collecto ingenti exercitu, Danis apud Nothingam occurrisset, eosque Eboracum repetere coëgisset, adjutante in primis Ethelredo occidentalium Saxonum rege cum Alfrido ejus fratre, quorum ille sororem in matrimonium duxerat. Enituit in illa expeditione præ ceteris Algari comitis junioris virtus: qui, ut erat Crulandensi monasterio & Theodoro abbati amicissimus, privilegium a rege Merciorum eidem cœnobio obtinuit, quo tum donatio ab ipso facta pro anima senioris Algari patris sui, tum aliæ ejusdem loci possessiones confirmatæ. Mendosæ sunt in editis apud Ingulfum hujus diplomatis chronicæ notæ, quod datum videtur anno incarnationis octingentesimo sexagesimo-octavo, kalendis Augusti: uti colligitur ex libro Thomæ Eliensis monachi de vita sanctæ Ethildritæ reginæ, ubi pagani illi tertio, quam in Britanniam appulerant, anno in regnum Merciorum accessisse dicuntur. *Datum hoc chirographum*, ut vocant, in ipsa expeditione apud Snothringam, *coram fratribus & amicis. & omni populo in obsidione paganorum congregatis*: eique subscribunt, præter regem & episcopos, Wlsius abbas Eveshamensis, Heda Medeshamstedensis, & Tivinus sancti Albani. Mercii ad pacem ineundam adduxerunt paganos, qui anno insequente sexagesimo-nono antiquum ac celeberrimum itidem apud Mercios Bardeneiense monasterium destruxerunt, monachis omnibus absque ulla commiseratione in ecclesia interfectis. quod monasterium Remigios, ex monacho Fiscamnensi Lincolniensis episcopus, labente sæculo undecimo instauravit. Cetera Danorum facinora in consequentibus prosequemur. Hoc ipso anno decessit Winherus abbas sancti Augustini prope Cantuariam, cujus successores vide sis apud Willelmum Thornum.

Diploma pro Crulande.

ANN. CHR. 867.

LXV. Ludovici abbatis S. Dionysii obitus.

ANno ejus sæculi sexagesimo-septimo ineunte, Ludovicus abbas sancti Dionysii, ac summus Caroli Calvi cancellarius, & Magni ex filia majore natu Rotrude nepos, rebus humanis excessit, mortuus v. idus Januarii, apud sanctum Dionysium, ut veri simile est, sepultus. Goslinus abbas Pratensis, ejus frater, summi cancellariatus dignitatem post eum obtinuit: at Carolus rex abbatiam sancti Dionysii sibi retinuit, qui anno superiore abbatiam sancti Vedasti, ex dono Lotharii regis, excluso Adalardo comite, jam acceperat. Itaque causas monasterii, & *conlaborationem* seu œconomiam per præpositum & decanum atque thesaurarium administrari jussit: militiæ vero curam majori-domus commisit. Tum ad villam Bellum-Pauliacum, super Ligerim sitam, profectus, filium suum Ludovicum Aquitaniæ regem dixit, vel potius confirmavit, ex dictis [a] supra, atque inde reversus, paschale festum apud sanctum Dionysium celebravit. Abbatia sancti Dionysii sibi retenta, Carolus ejus profectui amplius invigilare se debere intellexit. Quare hoc anno villam Cadussam *, super fluvium Seræ positam in comitatu Laudunensi, cum duabus ecclesiis, quas Adalelmus comes ad id tempus in beneficium tenuerat, ad monasterium construendum sancto Dionysio contulit, aliaque in ipsius diplomate memorata, quod Dubletus [b] vulgavit. *Data IV. kalendas Septembris, indictione XV.*

Abbatia a Carolo retenta, & ditata.

[a] num. 58.

* *Chausse.*

[b] *Doublet* p. 802. & *seqq.*

ANN. CHR. 867.

anno XXVIII. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in Ruffiaco-villa.* Hæc villa non longe aberat a Compendio, ubi Carolus hoc anno kalendis Augusti versabatur; idque colligitur ex aonalibus Bertinianis ad annum DCCC LXV. quo idem rex Compendio ad villam Rosiacum venisse dicitur.

LXVI. S. Deodati corpus Latiniaci.

a Fred. lib. 3. c. 24.

Fuit Luduvicus abbas oatura mitis ac benignus, a quo nihil sinistri in monasteria factum legimus. Is est, cui Hiocmarus [a] Remorum antistes litteras scripsit ad repetendum corpus sancti Deodati, quod quidam Giso, cupiditate rerum ipsius sancti ductus, *ex diœcesi* seu metropoli Remensi furtim transferri fecerat io Parisiacensem parochiam, inconsulto episcopo loci, in quo sancti Deodati corpus servabatur. quibus in litteris Hincmarus ait, se nemini, neque sibi vel proprio sanguini hac in re contra divioa præcepta parsurum. Quio etiam indignatum ex his Ludovicum iteratis litteris monere non destitit, hurtans eum, ut ecclesiasticis regulis quantocius satisfacere curaret, quæ restitutionem ejusmodi præscribebant. Iisdem
» litteris scribit pro quodam nepote suo, quem eidem Ludovico commendaverat,
» & de rebus, quas Hincmarus ipse olim monachus sancti Dionysii ex dono regis
» tradiderat. Quis fuerit sanctus ille Deodatus, quove ex loco metropolis Remensis in parochiam Parisiensem ejus corpus allatum sit, omnino ignoramus. Neque exploratus Parisiensis parochiæ locus, io quo depositum est. Existimo tamen hoc esse Latiniacense monasterium, io quo sanctus Deodatus episcopus & confessor colitur III. nooas Februarii: quo die ad oram veterrimi exemplaris nostri Usuardi antiqua maoo legitur: *Latiniaco natalis sancti Deodati episcopi & confessoris.* quod sancto Deodato episcopo Niveroensi oon convenit, quippe qui in Tullensi parochia Trevirensis metropolis habetur, coliturque XIII. kalendas Julii. In eodem Latiniacensi monasterio memoratur III. idus Junii translatio sanctorum Deodati episcopi, Maldegarii, Fulberti, Ansilionis, Lamberti, & unius ex Iooocentibus, ex additionibus Molani ad Usuardum.

LXVII. Synodi Trecensis litteræ pro Hincmaro, ad Nicolaum papam.

E monasterio sancti Dionysii Carolus io urbem Mediomatricum ad colloquium cum fratre suo Ludovico Germaniæ rege proficiscens, obvium habuit Egilonem archiepiscopum Senonensem, Roma revertentem cum litteris Nicolai papæ pro restitutione Remensium clericorum, quibus in litteris multa Hincmaro falso imputasse dicitur pontifex ab Aonalista Bertioiano, qui Hincmari partibus omnino favet. Hæc restitutio denuo retractata probataque est in synodo Trecis VIII. kalendas Novembris habita, cujus nomine favorabilis de Hiocmaro epistola, episcoporum muoita sigillis, scripta est, ad pontificem deferenda per Actardum Namnetensem episcopum; sed a Carolo rege intercepta, qui aliam contra ipsum Hincmarum papæ scripsit, bulla sui nominis sigillatam, & cum epistola synodali per ipsum Actardum Romam misit, *immemor fidelitatis atque laborum*, ait Annalista, quos pro *ejus honore & regni obtentu* per complures aonos idem Hincmarus subierat. Legimus in chartario ecclesiæ Nivernensis synodicas litteras Trecensis concilii, quas obtinuit Adelardus sacerdos de restaurandis quibusdam ecclesiis parochiæ Nivernensis, scilicet sancti Nazarii martyris, *& sancti Vincentii presiosi confessoris apud Maguiacum, ubi sacratissimum ejus corpus jacens miraculis clarescit*, & aliis: quibus litteris multi sobscribunt episcopi, e nostris Egil archiepiscopus Senonensis, *Hildegarius Meldensis ecclesia humilis episcopus*, quibus verbis usus est in libro de vita sancti Faronis. *Acta* IIII. *nonas Novembris, anno incarnationis* DCCC LXVII. *indictione* I. *anno etiam* XXVI. *regnante domno nostro Karolo rege.* Has litteras in Appendice referre visum est.

Anastasii litteræ de obitu Nicolai papæ.

b Conc. 10. 8. p. 168.

Ubi Actardus Romam attigit, Nicolaus papa e vivis decesserat idibus Novembris; adeoque Actardus regis litteras reddidit Hadriano II. Nicolai successori, qui magna cum omnium gratulatiooe, cum insigni ipsius modestia, XIX. kalendas Januarii consecratus fuerat. Mortuo Nicolao papa, Anastasius bibliothecarius Adoni
» Vienoensi archiepiscopo *triste* hoc, ut ipse vocat, *nuntium* litteris significavit, eum
» obsecrans, ut lupis rapacibus, in gregem dominicum irrumpentibus, strenue re-
» sistat, & sedulas pro defuncto pontifice preces fundat. Eheu, quam sero, inquit,
» talem virum ecclesia meruit, quam cito amisit. Satius erat, ut sol radios suos sub-
» traheret, quam ut taotus pontifex oculos clausisset, quos ad ecclesiæ profectum sem-
» per apertos & intentos habuit. tum subdit, nunc ejus opera sugillari ab eis, quos pro
» criminibus redarguerat; hortaturque Adonem, ut cunctis fratribus, scilicet episco-

pis,

ANN. CHR. 867.

pis, id nuntiet, eosque moneat, ut pro domo Dei laborare certent. *Nam si tanti pontificis acta*, inquit, *cassantur, vestra, quæso, ubi parebunt?* Ceterum plurimos esse in Gallia, qui non curvaverunt genua ante Baal. In fine eumdem Adonem monet de electione Hadriani pontificis; rogatque, ut Arsenium suum, id est ipsius " Anastasii, avunculum (is Hortensis episcopus, erat, & in Galliam legatus) qui mul- " tas a Nicolao molestias pertulerat, ob idque *a studio ecclesiasticæ correctionis* seu " disciplinæ paullulum refrixerat, ad pristinum pro pontifice & ecclesia zelum in- " flectat. Verum ex Adonis monitis non profecit Arsenius, immo paullo post Bene- " ventum ad Ludovicum imperatorem profectus, mala morte periisse traditur. Nec " fere melior fuit Anastasii fortuna, ab Hadriano excommunicatus, quod auctor cre- " ditus sit cædis, quam Eleutherius ejus nepos Stephaniæ Hadriani uxori, ejusque " filiæ ab eodem Eleutherio raptæ intulerat. Alius fuit Anastasius bibliothecarius, " ut superius [a] diximus, qui acta synodi octavæ latine vertit. Denique prædictus Anasta- sius in embolo Adonem obtestatur, ut omnibus metropolitis Galliarum denuntiet, ut " ne, si quod ab eis concilium habeatur, quidquam *in derogationem defuncti præsulis* " agant, quippe qui a nullo, dum viveret, reprehensus sit, *nec heresi umquam, ut fingunt, annuerit*. quod de Gothescalco forte intelligendum, cui Nicolaus favisse ab Hincmaro, aliisque creditus est. Ex his intelligitur, quanta fuerit Anastasii de Adone nostro existimatio, quanta Anastasii cum eo familiaritas. Eadem fuit de eo Hadriani II. opinio in duabus epistolis ad eum scriptis, in quarum una Nicolaum antecessorem suum miris laudibus extollit, seque ipse purgat, quod quædam ejus acta æquitate magistra moderando temperasset: in altera zelum ipsius Adonis laudat, & in præcavendis impiorum insidiis industriam,

[a] lib. 34. n. 71.

Favorabilem quoque Hincmaro archiepiscopo epistolam scripsit, testatus eum, etsi " ex sola fama, quæ numquam nisi cum laude vulgata erat; tamen ex relatu & præ- " coniis Arsenii sedis apostolicæ apocrisiarii, atque Actardi episcopi, necnon dilectis- " simi filii sui Anastasii bibliothecarii, factum esse, ut virtutum, probabiliumque " morum ejus prædicamenta agnosceret. Dein eum hortatur, ut Carolum regem excitet ad constantiam in causa Lotharii. Ex quo intelligitur, Hadrianum nullam habuisse rationem litterarum, quas Carolus contra Hincmarum Nicolao scripserat. Idem pontifex in epistola ad episcopos synodi Tricassinæ petit, ut Nicolai papæ nomen in codicibus vel *diptychis ecclesiarum* inscribatur, & inter sacra missarum sollemnia recitetur. quod executi Dionysiani monachi, nomen Nicolai papæ primum scripserunt in codice Sacramentorum, qui modo in bibliotheca monasterii Vallis-claræ asservatur.

LXVIII. Græcorum capitula contra Latinos.

Romam præcesserant clerici Remenses mense Augusto, qui Nicolaum papam jam valde ægrotantem, & objectis Græcorum adversus Latinos magnopere occupatum invenerunt. Quam ob rem Romæ ad mensem Octobrem remorati iidem clerici, Nicolai binas retulere epistolas, unam ad Hincmarum Remensem, a quo sibi de omnibus satisfactum esse rescripsit: alteram ad Gallicanos omnes episcopos, quos ad communem causam contra Græcos defendendam hortatus est. quæ res ut melius intelligatur, eam paullo altius repetere juvat. Imperante apud Græcos Michaële Theodoræ filio, Ignatius, vir sanctus, Constantinopolitanum patriarchatum post Methodium paullo ante medium hoc sæculum adeptus est. Inde pulsus post annos undecim Bardæ cæsaris opera, quod eum ob incestam cum nuru stupri consuetudinem communione privasset; & quod Theodoram, Michaëlis imperatoris matrem, in ordinem redactam, tondere nollet invitam. Ejus in locum a Barda Photius ex laïco subrogatus, Ignatium damnavit; damnatusque ipse a Nicolao papa, vicissim in Nicolaum sententiam dicere non dubitavit; & quidquid in speciem sinistrum corradere potuit homo multæ eruditionis, sed ambitione supra modum inflatus, pontifici Latinisque omnibus objecit. Capitula illa omnino decem erant, nempe de processione Spiritus-sancti ex Patre Filioque, de jejunio sabbati, de cælibatu presbyterorum, de chrismatione fontis baptizatorum presbyteris interdicta, de abstinentia octo hebdomadarum ante pascha non inchoata, de barbæ rasione clericorum, de episcoporum ordinatione per saltum, de primatu Romani pontificis, de confectione chrismatis ex aqua fluviali, & de oblatione agni in festo paschæ. Hæc capitula Nicolaus Hincmaro, ceterisque archiepiscopis & episcopis in regno Caroli constitutis miserat, dato mandato, ut de his archiepiscopi singuli in

ANN. CHR. 867.

suis diœcesibus una cum suffraganeis tractarent, & sibi quæ ad respondendum reperissent, suggerere curarent. Pontificiæ litteræ datæ sunt Romæ x. kalendas Novembris. In provincia Remensi hæc cura demandata est Odoni Bellovacensi episcopo, cui Hincmarus [a] hac de re scripsit non semel.

a Frod. lib. 3. c. 23.

LXIX. Ratramnus ad illa respondet.

Hanc provinciam exsecutus est Odo, sive per se, sive per Ratramnum Corbeiensem monachum, cujus loci & ipse olim monachus fuerat, suasque ad illa objecta responsiones ad Hincmarum misit, uno *libello* contentas, in quo Hincmarus quædam *retractanda & corrigenda* deprehendit. Hinc alia videtur esse Ratramni responsio, quæ non uno *libello*, sed quatuor libris constat: maxime cum Ratramnus ipse sub finem libri quarti satis innuat, se id operis hortatu non solius Odonis suscepisse, sed episcoporum, qui ad se illa objecta miserant. *Egimus*, inquit, *prout potuimus, respondentes ad ea, quæ nobis scripta misistis: quæ si placuerint, Deo gratias agimus: si vero displicuerint, vestræ correctionis censuram postulamus.* Æneæ Parisiensi episcopo id officii commissum est in provincia Senonensi: sed quantum distet ejus opus a Ratramni scriptione, facile intelliget eruditus lector. Eadem capitula etiam ad Germaniæ episcopos a pontifice missa fuere, quibus in synodo Wormatiensi anni sequentis congrua responsa edita sunt, ut tradunt Annales Fuldenses: at illa responsa minime ad nos pervenerunt.

Ratramni operis œconomia.

. Verum nobis sufficere potest unus Ratramnus, qui commissam sibi a Belgicæ secundæ episcopis provinciam quatuor libris optime exsecutus est: quorum tres priores objectioni de processione Spiritus-sancti a Filio solvendæ adhibuit, duobus quidem prioribus ex Scripturæ testimoniis, tertio ex Patrum auctoritate adversarios confutans. Initio libri primi [b] ait, non imperatorum, quales erant Michaël & Basilius, qui » illa capitula miserant, sed episcoporum esse de sacris dogmatibus & de ecclesiasticis ritibus disputare. Discendi illis, non docendi in ecclesia ministerium commissum esse. Nullum novum in Romana ecclesia ritum, nullam novam esse doctrinam. denique varios ecclesiarum ritus sanæ fidei non præjudicare. Tum quæstionem de processione Spiritus sancti ex Patre Filioque aggreditur, eamque probat ex verbis tum Christi Domini, qui mittendum a se Spiritum-sanctum discipulis promittit, eumque a se accepturum, quæ discipulis annuntiaturus erat; tum Pauli apostoli, qui Spiritum Christi vocat; idemque multis aliis scripturæ testimoniis Ratramnus confirmat. Ceterum quod opponebant Græci, in scripturis diserte non exprimi processionem a Filio, nec debuisse addi in symbolo synodi Constantinopolitanæ: reponit Ratramnus in scripturis non excludi; & qua ratione patres synodi Constantinopolitanæ processionem a Patre, aliaque addiderunt symbolo Niceno, licuisse etiam Romanæ ecclesiæ addere *Filioque*, quod evangelia, quod apostoli & prophetæ docent. Mitto Patrum hac de re testimonia, quæ Ratramnus adducit in secundo & tertio libro.

b lib. 1. c. 1.

In libro quarto Romanos ritus adversus Græcorum sugillationes idem auctor » defendit, aitque hanc partem omitti posse, cum nihil de dogmatibus fidei, quæ ubique una esse debet, contineat. Varios fuisse ritus jam inde ab initio nascentis ecclesiæ, cum alii nihil proprium haberent, alii suas possessiones retinerent. Immo apud ipsos etiam orientales variam esse consuetudinem jejunandi tum in sabbato, tum in quadragesima. In his Alexandrinam ecclesiam cum Romana consentire in jejunio sabbati, quod *major* [c] *numerus occidentalium* non observat. Ad hæc in insula Britannica qualibet feria [d] sexta jejunium servari: & Scottos Hiberniam incolentes consuevisse *per monasteria monachorum, seu canonicorum, vel quorumcumque religiosorum, omni tempore, præter dominicam festosque dies, jejunare, nec nisi vel ad nonam, vel ad vesperam, corpori cibum indulgere; ad nonam quidem æstivis, ad vesperam vero diebus hiemalibus*; nec tamen hac de re ab aliis ecclesiis reprehendi. Neque vero merito Romanos seu occidentales culpari ab imperatoribus Græcis, si non tot hebdomadas, quot illi, jejunent: cum illos quadraginta dierum jejunio coæquent. Ad barbæ tonsionem quod attinet, id tam leve esse, ut responsione haud indigeat. Longe potiori jure culpari posse clericos orientales, qui barbam nutrientes, caput ex omni parte nudant, & veste cooperiunt, contra præceptum Pauli apostoli, qui ait, virum non debere velare caput suum, *quoniam imago & gloria Dei est*; &, si id fecerit, caput suum deturpare.

c lib. 4 c. 3.

d ibid.

Post hæc Ratramnus respondet ad objecta Græcorum contra Latinorum pres-

byterorum cælibatum; eumque asserit in primis exemplo Christi Domini, Paulique apostoli, tum ex eo quod nefas esset veteris testamenti sacerdotibus sacrificia offerre, nisi eo tempore se continuissent: quanto minus id licere novi testamenti sacerdotibus, *qui dominici corporis & sanguinis omni tempore debent sacramenta contingere?* Nec tamen ab eis idcirco damnari nuptias, uti nec Christus Dominus suo eas exemplo damnavit, immo sua ipsius præsentia honoravit. His addit Ratramnus decreta ecclesiæ pro cælibatu sacerdotum. Denique refellit ceteras Græcorum objectiones, quarum una est, quod Romani levitas ordinarent episcopos, presbyterii gradu non prius accepto; & quod agnum simul cum Christi corpore consecrarent. quod utrumque falsum esse contendit Ratramnus. Attamen Æneas in objectione septima ejusmodi ordinationem per saltum aliquando factam esse concedit, cujus rei exempla in commentario super Ordinem Romanum attuli. Et Walafridus [a] Strabo, qui ante hæc Græcorum discidia decessit, fatetur morem offerendi & consecrandi agni ex Judaïcarum superstitionum seminario quorumdam simplicium errore ad sua usque tempora perseverasse. quod apud Augustenses in paschate obtinuisse in vita S. Udalrici episcopi legitur. At hic paucorum mos erat, nec agnus super altare simul cum Christi corpore, sed seorsim ponebatur, non consecrandus, sed benedicendus. quæ benedictio notatur in vulgato Ordine Romano. Verum hi peculiares ritus erant, quos facile ignorare potuit Ratramnus: tametsi in ejusmodi scientia eum versatissimum fuisse quartus ejus liber probat. Sed, etiamsi verum fuisset, quod objiciebant Græci de Latinorum ordinationibus per saltum; longe potiori jure culpandos esse recte arguit Ratramnus Græcos ipsos, qui neophytos ordinabant episcopos, qualis erat Photius, istarum objectionum fabricator. In fine Romanæ ecclesiæ prærogativam & primatum super alias ecclesias, adeoque super ipsam Constantinopolitanam ecclesiam demonstrat. Denique librum quartum & ultimum sic concludit: *Egimus velut potuimus, respondentes ad ea, quæ nobis scripta misistis. quæ si placuerint, Deo gratias agimus: sin vero displicuerint, vestra correctionis censuram præstolamur.* quibus verbis videtur alloqui episcopos, qui ipsum ad scribendum impulerant; hincque colligi potest, deesse in editis præfationem, quæ illis inscripta erat. Porro eadem fere objectionum capita medio sæculo undecimo in Leonem IX. refricavit Michaël Cerularius, ut suo loco videbimus.

a Walafrid. de reb. eccl. c. 18.

Alia ejus scripta.

Nulla deinceps apud veteres memoria Ratramni, cujus ceteram fortunam & obitum ignoramus. Præter ejus scripta de eucharistia, de nativitate Domini, & responsiones ad objecta Græcorum, de quibus superius egimus, librum insuper composuit super clausula hymni de sanctis martyribus, *Te trina Deitas* &c. quam Hincmarus archiepiscopus, aliique nonnulli improbabant, Ratramnus vero cum ceteris propugnabat. Ejus hac de re liber excidit, cujus mentionem facit Hincmarus [b] in libro *de non-trina deitate*, in hæc verba. *Diu est, quod quidam, occasione accepta de fidelitate hymni, cujus auctor penitus ignoratur, in quo dicitur,* TE TRINA DEITAS, UNAQUE POSCIMUS, *cœperunt contendere, quod sicut trinus & unus Deus, ita trina & una deitas & debeat, & absolute valeat dici. unde quique pro suo modulo scriptitarunt. Inter quos & Ratramnus, Corbeiæ monasterii monachus, ex libris beatorum Hilarii & Augustini, dicta eorumdem detruncando, & ad pravum suum sensum incongrue inflectendo .... ex hoc volumen quantitatis non modicæ scribens ad Hildegarium Meldensem episcopum compilavit. cujus perversam intelligentiam ipsa ejus collectio, scriptis authenticis collata, mendacii redarguit & revincit.*

b Hincm. to. 1. p. 413.

Præter ea aliud scriptum edidit idem auctor contra quemdam monachum, qui unam in omnibus hominibus animam esse contendebat. Hoc scriptum præ manibus habemus ex veterrimo codice monasterii sancti Eligii Noviomensis, nuncupatum Odoni Bellovacensi episcopo, cujus hortatu insanam hanc opinionem Ratramnus confutare aggressus est, quam prius scripta ad auctorem epistola improbaverat. Hunc Corbeiæ, aut certe sancti Luciani monachum fuisse colligimus ex hac Ratramni inscriptione: *Domino sancto, summaque venerationis honore prosequendo patri Odoni, reverentissimo præsuli, Ratramnus, servus servorum Christi novissimus. Suscepi vestræ sanctitatis debita cum veneratione litteras, quibus præcipitis postulantes, ut respondeam cujusdam monachi de cœnobio vestro scriptis, quibus, de anima contra catholicam fidem perversa sentiendo, disputare non timuit.* Fuit Odo ante episco-

ANN. CHR. 887.

patum Corbeiæ monachus & abbas, & forte ejusdem monasterii regimen jam episcopus post Trasulfum ad breve tempus resumsit, paterna in sanctum locum sollicitudine semper affectus, atque adeo Corbeia Odonis cœnobium a Ratramno dici potuit. In boc opusculo Ratramnus ait, monachum illum a quodam Macario Scotto, quem ejus magistrum vocat, hanc opinionem bausisse, sumta occasione ex quodam loco male intellecto sancti Auguitini libri de qnantitate animæ, in quo sanctus doctor de unica diversorum hominum anima dubitanter scripsisse videtur. Forte Macarius ille Scottus, quem Ratramnus per deridiculum Baccharium vocat, non alius fuerit a Macario monacho, cui Rabanus librum suum de computo nuncupavit. Ceterum hæc de unica in omnibus hominibus anima opinio, in concilio Lateranensi sub Leone X. damnata est, quam totis pulpitis nunc decantant philosophi sub sollenni sua distinctione *unitatis specificæ & numericæ.* Alius sine dubio fuit Ratrannus præpositus monasterii Orbacensis, quem Hincmarus[a] excommunicavit ob direptam *collaborationem* Amalrai canonici Remensis. Distinguendus etiam ab utroque Ratramnus abbas Novi-villaris in Alsatia, laudatus[b] in libro fratrum conscriptorum in monasterio Augiensi.

Ratramni plures.

a *Frod. lib.* 3. c. 28.

b *Analect. to.* 4. *p.* 644.

LXX. Inter Nicolai pontificis epistolas una est Hincmaro archiepiscopo Remensi directa, de pænitentia cuidam Eriartho injuncta, qui monachum presbyterum injuste occiderat. Tanti facinoris reus ad apostolorum limina confugit, indulgentiam ejus noxæ postulaturus, pænitentiæ remedium paratus subire. Huic injunxit pontifex pænitentiam duodecim annorum, devotionem ejus considerans, humanius cum illo agens, quod ad suffragia apostolorum festinasset: cum alias *usque ad mortem* pænitentia ejus extendi debuisset. Hæc autem duode-
» cim annorum pænitentia sic a Nicolao imposita est, ut ille tribus prioribus an-
» nis, *ante fores ecclesiæ* lugendo, singultus edendo, misericordiam Domini con-
» sequi studeret: quarto & quinto *inter auditores* ad orandum admitteretur, absque
» corporis & sanguinis Domini susceptione: residuis vero septem annis communio-
» nem sacram ei percipere liceret celeberrimis festivitatum diebus; sic tamen ut
» oblationes nequaquam offerret, totoque prædicto tempore, exceptis festivitatum
» diebus & resurrectione dominica, continue quadragesimali more jejunium usque
» ad vesperam protraheret. Ex quibus patet sollemnes pænitentiæ gradus etiam tunc in usu fuisse. Cujus monasterii fuerit monachus ille, ex Nicolai litteris haud apparet: at sancti Richarii in pago Ambianensi monachum fuisse discimus ex Frodoardo, summam referente[c] cujusdam epistolæ ab eodem Hincmaro scriptæ *Magenardo præposito, & fratribus in monasterio sancti Richarii degentibus*, pro litteris, quas apostolicus papa regi Carolo sibique miserat pro quodam, qui monachum atque presbyterum interfecerat: in quibus litteris tenorem injunctæ pænitentiæ exposuerat pontifex, admonens, ut eam exsecutioni mandari procurarent. Alias itaque litteras ea de re ad regem scripserat Nicolaus, uti etiam ad eumdem Hincmarum archiepiscopum, cujus summam epistolæ idem Frodoardus[d] refert. Ex eadem Nicolai ad Hincmarum epistola intelligitur, Hilmeradum Ambianorum episcopum, sancti Richarii monachis infestum fuisse, & eorum quietem & propositum interturbasse, ut innuere videntur illius epistolæ hæc verba: *Interea hortamur vos, ut reverentissimo Hilmerado episcopo, suffraganeo vestro, præcipiatis, quatenus permittat monachos monasterii sui sub monastico habitu quiete degere, & pænitentiæ fructus exercere.*

Pænitentia ob cæsum S. Richarii monachum.

c *Frod. lib.* 3. c. 25.

d *Ibid. c.* 23.

LXXI. Sancti Richarii abbatiam eo tempore obtinebat Guelfo seu Welfo, regii generis abbas & comes, qui villam sancti Richarii, Civinicurtem vocabulo, sitam in pago Bellovacensi, militum frequenti transitu nimium gravari ægre ferens, accessit ad regem Ludovicum, Caroli regis filium, *qui ante ferme triennium*, ait Hariulfus, *rex a patre* institutus fuerat; precatusque est, ut auctoritatis suæ præcepto ejusmodi transitus peditum, equitumve prohiberet. cui tum ob personæ dignitatem, tum ob cognationem annuit Ludovicus, & ad ejus petitionem præceptum hac de re concessit. Et ita quidem censuit Hariulfus, qui ad hunc annum istud præceptum revocat, consentientibus fere chronologicis notis ipsius diplomatis, dati III. *kalendas Januarii*, *indictione* XV. *anno secundo regnante Ludovico gloriosissimo rege*, *Compendio in palatio.* quod Audacher notarius ad vicem Gauzlini recognovit. Verum Hariulfi opinatio refellitur ex Annalibus Bertinianis ad an-

Ludovici regis diploma pro S. Richario.

num octingentesimum-sexagesimum-quintum, ubi Carolus filium Ludovicum in Neustriam direxisse traditur, *nec reddito, nec interdicto ipsi nomine regio*, quod antè quatuor annos usurpaverat. Neque vero id passurus fuisset in celebri palatio Compendio Carolus, regiæ dignitatis ardentissimus vindex; nec cancellarius notariusve Caroli ambitioso juveni manum anctoritatemque suam accommodaturi fuissent. Neque huc trahi potest, quod Carolus superiori anno eumdem Ludovicum Aquitaniæ regem constituit. Quid enim Aquitaniæ cum pago Pontivo? Porro III. kalendas Januarii anni præsentis non secundus, sed primus tantum regni Ludovici fuisset, si de Aquitania agatur; si de Neustria, tertius. Itaque hoc diploma, quod genuinum esse constat, ad annum ejus sæculi septuagesimum-octavum, qui Ludovici a morte parentis secundus erat, revocandum videtur, & pro indictione quinta-decima reponenda indictio undecima. At satis de illis chronologicis tricis.

AN. CHR. 867.

LXXII. Reliquiæ Centulensibus concessæ.

Certius est quod de Odulfo monacho & custode basilicæ Richarianæ subdit Hariulfus, eum nempe hoc anno quasdam reliquias sanctæ Columbæ virginis & martyris Senonensis obtinuisse cum assensu & jussione ejusdem Guelfonis, utriusque loci abbatis, sancti Richarii scilicet ac sanctæ Columbæ Senonensis, cujus monasterii nonnulli monachi tunc temporis in Centulensi demorabantur. Hi ad suos reversi, os ex humero sanctæ Columbæ virginis Centulam miserunt, quod idem Odulfus in capsa capitis sancti Richarii, multis jam, ut superius [a] vidimus, referta reliquiis, decentissime reposuit, cum multis aliis, quas venerabilis HRuodum, forte HRuodrut, abbatissa, in Centulenses pie affecta, hoc itidem anno istuc attulit. Mitto ossiculum ex corpore sancti Viti martyris, quod Samuel monachus *ad limina sancti Dionysii* profectus, ex urbe Parisiaca reportavit. Non omittendum tamen quod scribit idem Hariulfus de Ansegiso monacho sancti Richarii, viro prudente, qui Romam a Carolo rege missus ad Nicolaum papam, ab eoque honorifice susceptus, a quodam Romano, *tum prece, tum præmio*, reliquias sanctorum impetravit, corpus scilicet sancti Johannis martyris pæne totum, necnon brachium sancti Urbani papæ, item brachium sancti Alexandri papæ & martyris, simulque caput beatæ Felicitatis, multasque alias, tum quatuor ejus filiorum, tum aliorum sanctorum reliquias, quas omnes in Centulense monasterium attulit: quibus obviam progressus cœtus monachorum, *eas pronis in terram corporibus in modum crucis adorans*, kalendis Decembris festive suscepit, & in eadem capsa honorifice collocavit. Veri simile est, hunc Ansegisum a Carolo Romam missum fuisse cum monachis sancti Germani Autisiodorensis, qui corpus sancti Urbani, ut vidimus, in suum monasterium asportarunt: ex quo forte brachium sancti Urbani Ansegiso, legationis atque itineris sui socio, concesserint. Denique nemo reliquiarum avidior fuit, quam iste Odulfus, qui etiam quamdam portiunculam ex capite sancti Mauricii martyris, & particulam de camisia sancti Exsuperii, sanguine ejus intinctam, a quodam sancti Mauricii ministro, qui in Pontivo morabatur, obtinuisse fertur.

[a] Num. 121

LXXIII. Gerardus Pultariense monasterium condit.

Florebat per id tempus Gerardus de Rossilione, comes Provinciæ, qui contra Normannos feliciter pugnavit, teste Lupo [b] abbate, qui eum, pro more illorum temporum, aliquando ducem, aliquando comitem vocat. Hunc quidam perperam confundunt cum altero Gerardo comite Arvernensi, qui in prœlio Fontanetico cæsus est, ut Baluzius colligit ex Ademaro in notis ad Lupi epistolam XXVIII. Pervenit ad hunc annum Gerardus alter cum Berta, paris nobilitatis ac virtutis femina, qua cooperante hoc anno Pultariense monasterium virorum, & Vizeliacense puellarum, sed brevi postea etiam virorum, ædificavit. Pultariæ seu Pulteriæ * locus est in regno Burgundiæ, diœcesis Lingonensis in pago Laticensi * ad Sequanam: ubi ambo conjuges primum illud monasterium in fundo proprietatis suæ *in honore Domini nostri Jesu-Christi, & veneratione beatissimorum apostolorum Petri & Pauli* condiderunt: *ut sibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fidelium frequentaretur, conversatioque cælestis sub regulari districtione & institutione beati Benedicti viventium omni desiderio & ardore intimo perquireretur & expeteretur.* Hæc verba sunt testamenti seu instrumenti eorumdem Gerardi & Bertæ, testantium se hoc monasterium construxisse, ut in eo jugis oratio & supplicatio fieret pro Ludovico gloriosissimo augusto & Judith ejus conjuge, filioque eorum

[b] Lup. epist. 122.

* Pontieres.
* Lausois.

Carolo, a quibus plurima beneficia acceperant; & ut dignam rependerent honorificentiam parentibus suis Leuthardo & Grimildi, atque gratissimis Hugoni & Bavæ, qui Bertæ parentes videntur fuisse, liberisque ipsorum, suisque affinibus & propinquis, Leufredo & Adalardo comitibus præclarissimis. Ad dotandum vero hoc monasterium conferunt in primis villam Pultarias, id est quidquid ex hereditate, sive ex munificentia Caroli regis, & ex proprio comparatu in ea habebant; ad hæc in pago Senonico Sextam, aliasque in aliis pagis possessiones.

ANN. CHR. 867.

LXXIV. Vizeliacense item cœnobium.

Eodem etiam studio, parique devotione ambo conjuges eodem tempore construxerunt aliud monasterium ancillarum Dei in regno itidem Burgundiæ, in loco, qui dicitur Vizeliacus, seu Vezeliacus, quem nonnulli Virziliacum vocant, in pago Avalensi, diœcesis Ædoensis, & quidem *in honore Domini nostri Jesu-Christi, sub districtione regulari & institutione beati Benedicti*: cui dotando contribuunt villam ipsam Vizeliacum, quam partim per commutationem a Judith augusta, partim ex liberalitate Ludovici augusti habuerant; aliasque villas, quas in pagis Avalensi vel Tornodorensi acquisierant. Utrumque vero monasterium Romano pontifici subjiciunt, ac vectigale reddunt, ita ut pro benedictione annis singulis *ad reverentissimam sedem beatorum Apostolorum*, cui eadem loca subdunt, *Romæ offerantur beato pontifici urbis Romæ libræ argenti duæ*; & de cetero monachi & ancillæ Dei, *liberi ab aliis exhibitionibus*, sub quieto servitio regulariter vivant, & liberam habeant eligendi abbatis vel abbatissæ facultatem, *cum sanctorum virorum consilio, & pontificis super hac re probatione* seu confirmatione. quod utrumque
» tunc novum & insolitum erat. Denique statuunt, ut rerum seu possessionum
» quantitas in suscipiendis fratribus vel sororibus semper attendatur, ne superfluo
» numero congregationes ipsæ forte gravatæ dilabantur. Illud porro sub gravi ob-
» testatione & interminatione postulant, ut ne cui ipsorum votum liceat in perpe-
» tuum commutare, vel præpostero ordine irrumpendo perturbare. Huic testamento subscribit post Gerardum & Bertam Eva filia ipsorum, aliique multi optimates, sed sine chronicis notis in editis, etiam initio historiæ Vizeliacensis, quæ quatuor libris, auctore Hugone monacho sæculi duodecimi, in tomo tertio Spicilegii Acheriani edita est. Ne vero utriusque monasterii conditio ultra hunc annum differatur, vetat ipsorum conditorum epistola ad Nicolaum papam hoc anno exstinctum, cui utrumque locum ita subjiciunt, ut diœcesano episcopo *nec ordinatio aliqua, nec dominatio* concedatur. Hanc epistolam subsequitur privilegium Nicolai papæ, utrumque locum sub sedis apostolicæ defensione accipientis sub iis conditionibus, quæ in prædictis testamento & epistola continentur. *Scriptum per manum Sophronii regionarii & scriniarii Romanæ ecclesiæ in mense Maio: datum vero per manum Tiberii primicerii sedis apostolicæ*, sed sine ullo alio chronologico charactere. Verum ejusmodi chronicæ notæ quodam modo suppleri possunt ex diplomate Caroli regis, fundationem approbantis Vizeliacensis monasterii, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ primitus dedicati. quod diploma datum legitur VII. *idus Januarii, indictione prima, anno vigesimo-octavo regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum in Bello-Pauliaco.* quæ notæ initio anni insequentis conveniunt. ac proinde nova erat tunc ejusdem cœnobii constructio. Non diu perstitere sanctimoniales in Vizeliacensi monasterio. quod probat Johannis papæ octavi privilegium, *Eudoni venerabili abbati Vizeliacensis cœnobii*, totique ejusdem monasterii congregationi monachorum inscriptum, datum III. kalendas Octobris, anno sexto an septimo ejusdem Johannis papæ, indictione XII. id est anno ejus sæculi septuagesimo-nono. qui Eudo seu Odo adhuc abbas erat anno nonagesimo-septimo, quo abbate Stephanus pontifex, eo nomine septimus, eadem privilegia confirmavit. Aimo abbas simile privilegium a Johanne XI. impetravit. quod etiam successores a subsequentibus renovari curarunt. Tot licet privilegiis munitum monasterium nihilo minus a monachis ad sæculares canonicos vertit, omniaque jura exemtionis paucis abhinc annis amisit decretorio judicio senatus Parisiensis, qui hunc locum Æduensi episcopo subjecit. Istuc corpus sanctæ Magdalenæ Jerosolymis attulisse fertur vir Dei venerabilis Badilo seu Baidilo, qui in Belgii abbatia Lutosa requiescit, testante Balderico [a] in chronico Cameracensi. Pultariensi monasterio primus præfectus videtur Saro abbas, ut colligimus ex chronico [b] sancti

Saro abbas Pultariensis.

a Balderic. l. 2. c. 43

b Spicil. to. 7. p. 417. & 418.

Benigni, cujus monasterii & ipse rector fuit sub Bertilone chorepiscopo & abbate. Saro in Pultariensi monasterio sibi commisso quievit.

ANN. CHR. 867.

LXXV. Gerardus & Berta cum liberis ibidem sepulti.

Non diu post obtentum a Carolo rege diploma superstites fuere Gerardus comes & Berta ejus uxor, qui tamen adhuc in vivis erant anno ejus sæculi septuagesimo-primo, ex annalibus Bertinianis: quo anno Gerardus, Vienna Carolo Calvo relicta, inde cum Berta discessit. Ambo conjuges sepulti sunt in Pultariensi basilica, ubi hactenus eorum monomenta, at sine inscriptione, ostenduntur. In necrologio ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Lazari Avalensis, Gerardi & Bertæ memoria consignatur his verbis: IV. *nonas Martii obiit Gerardus de Rossillon comes, & Berta uxor ejus, qui dederunt ecclesia sancta Maria & sancti Lazari Avalons villam, qua dicitur Tarel, & justitiam cum appendiciis suis.* Non tamen eo die decessit Berta, quæ in fragmento necrologii Pultariensis sic laudatur: VI. *idus Novembris depositio domina Berta comitissa, istius loci fundatricis.* His præter Evam filiam, quæ paterno testamento subscripsit, unus filius fuit, Theodericus nomine, in cunis mortuus, uti nos docet ejus epitaphium, quod integrum superest, tabulæ marmoreæ insculptum in basilica Pultariensi in hunc modum:

Francia quem genuit, Lugdunus flumine sacro
Diluit, & Christo participare dedit:
Theodricum innocuum retinet hic urna sepultum,
Quem dura ex ipsis mors tulit uberibus.
Nec tamen in mortis poterit consistere regno,
Quem vita aterna fons sacer exhibuit.
Germine praclaro, claris natalibus ortus,
Vix anni unius transierat spatium.
Sed Christi in regno aternos ille obtinet annos,
Atque Agnum niveum candidus insequitur.
Deponat lacrymas pietas jam sancta parentum:
Pramissum studeat pignus ad astra sequi.
Abstulit hunc terris Octimbris concita mensis
Quinta dies, celso restituitque Deo.

Visitur in eadem basilica item alia tabula marmorea, cum mutilo epitaphio haud ineleganti cujosdam feminæ, quæ obiit sexto-decimo vel quinto-decimo, aut certe quarto-decimo kalendas Maias, Severino V. C. consule, annos nata quinquaginta & duos: cui mater, viro, liberisque, uno excepto, superstes, hoc epitaphium posuit, in appendice hic referendum. Asservatur in Lugdunensi sancti Stephani ecclesia insignis palla altaris ex dono Bertæ comitissæ, in cujus medio, ubi scilicet sacra mysteria componi solent, agnus depictus est, ibidemque litteris aureis adscriptum legitur **A** & **Ω** cum his duobus in orbem versibus:

Agne Dei, mundi qui crimina dira tulisti,
Tu nostri miserans cunctos absolve reatus,

tum a dextra parte circuli:

Hic panis vivus, calestisque esca paratur.

& a sinistra:

Et cruor ille sacer, qui Christi ex carne cucurrit.

Ad hæc in longum:

Sumat perpetuam pro facto Bertha coronam,
Hac cujus studio palla hoc effulgurat auro.

In extremis vero pallæ circumquaque partibus hoc donum factum legitur Remigio archiepiscopo, cui Berta bene precatur.

Remigius prasul Christo per sacula vivat.

Alios versus prætereo, quos apud Johannem-Mariam a Mura [a] videre licet.

LXXVI. Gerardus de Carolo rege queritur.

Vix duo hæc monasteria condita erant, cum nuntius ad Gerardum comitem pervenit, Carolum regem ea occupare velle. Hinc Gerardo visum est hac de re

[a] *Hist. de Lyon*, p. 293.

ANN. CHR. 867.

a Frodoard. lib. 3. c. 26.

scribere ad Hincmarum Remorum antistitem, cujus magna erat penes regem auctoritas, ut eum ab hoc consilio revocaret. Id discimus ex Frodoardi[a] Remensi historia, ubi ait, hunc comitem scripsisse, se audisse, quod *rex iste Carolus monasteria vellet usurpare, quæ beato Petro apostolo idem Gerardus tradiderat*; & quod, *si res ipsius, quæ in hoc regno conjacerent, ab eo forent ablatæ, ipse, licet invitus, res hujus regni, quæ in illo habebantur regno*, nempe Provinciæ, *præsumeret*. Ad hæc respon» dit Hincmarus, quod sua voluntate nemo res ecclesiæ in suum periculum usur» paret, veritus, ne coram Deo dignus haberetur, ut tempore sacerdotii sui com» missa sibi patiatur ecclesia. Verum tamen si quis præsumserit, plus illi dolere, quam sibi. Ex quibus intelligitur, Gerardum Hincmaro comminatum fuisse, quod res ecclesiæ Remensis, in Provincia sitas, quas Hincmarus eidem comiti alias commendaverat, occupaturus esset, si Carolus monasteria sua invaderet. » Pergit Hincmarus, se nihil ejusmodi antea de Carolo inaudiisse, nec proinde vi» sum esse, ut *de vanis suspicionibus seniorem* seu dominum suum corriperet. nunc au» tem cum certam & causam habeat, & personam, quæ id contestetur; se primo quoque tempore *dominationem ipsius*, id est regis, moniturum. Aliis litteris ad Hinc-

Provinciæ comes, non Burgundiæ.

marum idem comes conquestus fuerat, quod *Carolus Franciæ rex, senioris sui Caroli, Cisalpinæ Galliæ regis, regnum sibi vellet subripere*. qui Carolus Provinciæ rex anno ejus sæculi quinquagesimo-octavo mortuus est, ex annalibus Bertinianis. Ex quo intelligitur, Gerardum comitem seu ducem fuisse Provinciæ sub ipso Carolo, quem *seniorem* seu dominum suum vocat. Et tamen comitatum Burgundiæ tribuunt ei plerique hoc argumento, quod Hincmarus[b] ad eum scribat *pro Isaac Lingonicæ sedis electo*, ut ejus hortatu ordinaretur episcopus: quia Wlfadus, qui ipsam occupaverat ecclesiam, canonice non potuit ordinari. Verum id non evincit hoc argumentum, quod eo tantum tendit, ut Isaac ordinaretur a Lugdunensi metropolitano, qui e regno Provinciæ erat.

b Ibid.

LXXVII. Placita pro S. Benigno.

c Perard. p. 147. & seq.

Burgundiæ comitatum per id tempus Odo administrabat, quemadmodum patet ex duobus placitis a Perardo[c] relatis. In priori, cum resedisset Isaac episcopus Lingonensis mox laudatus, & Odo comes cum aliis assessoribus in villa Luco, » ad universorum causas in mallo publico audiendas atque dirimendas; quidam » Alcaudus, advocatus sancti Mammetis & Isaaci episcopi, in jus vocavit quem» dam Hildebernum, quod res sancti Benigni in villa Saciaco injuria sibi vindica» ret, cujus rei judicium in proximum placitum remissum est. Actum *die Martis in mense Decembri, in anno* XXVII. *regnante Carolo rege*. quæ notæ anno superiori conveniunt. Habitum aliud ea de re placitum coram iisdem Isaac episcopo, Odilone comite, Hisdebaldo abbate, aliisque missis dominicis in eadem villa: sed causæ judicium rursus dilatum *post legitimas noctes*, in proximum mallum, quod Curagone ante Isaac episcopum & Odonem comitem celebratum est *mense Februario, anno* XXVIII. *regnante domino nostro Karolo rege*, id est anno sequenti sexagesimo-octavo. Nonnihil variat sancti Benigni chronographus[d] his referendis: sed id tanti non est, ut his minutiis immoremur.

d Spicil. to. 2. p. 414.

LXXVIII. S. Benigni monasterium instauratum.

Eodem tempore monastica disciplina, curante eodem Isaaco episcopo, denuo restituta est in cœnobio sancti Benigni, quod *pessumdatum*, ut Carolus rex in suo diplomate loquitur, *ac pene adnullatum erat*. Illic itaque Isaac venerabilis episcopus monachos adunavit, qui regulariter viverent sub Bertilone chorepiscopo & abbate, indulto eis privilegio liberæ electionis secundum regulam sancti Benedicti. Idem jam eo in loco præstiterat ante annos quinquaginta Albericus episcopus, qui Herleberium chorepiscopum eidem monasterio præfecerat. Prima sub Bertilone charta data est anno XXVIII. Caroli regis, forte hoc ipso anno, quem præ manibus habemus: quo tempore Aldo quidam & uxor ejus Ermenrada[e] aliqua prædia conferunt *sacrosanctæ basilicæ sancti Benigni martyris, sub opido Divionis constructæ, ubi venerabilis vir domnus Isaac præesse videtur pontifex, & Bertilo chorepiscopus-abba cum omni congregatione monachorum*. Plures aliæ, tum donationes, tum permutationes factæ sunt Bertilone abbate, apud Perardum & chronographum relatæ. Verum cum animadverteret Isaac episcopus, Bertilonem *coepiscopum*, ut vocat[f] chronographus, seu chorepiscopum & abbatem, utrique officio non posse sufficere, rebus ecclesiasticis & publicis in magno tunc discrimine ob infestationem paganorum constitutis; Saronem abbatem Pultariensis monasterii ei socium dedit

e Perard. p. 348.

Saro abbas S. Benigni sub Bertilone.

f Spicil. to. 2. p. 415.

dedit *ad curam animarum :* ut, dum hic in cœtu fratrum spiritalibus ac divinis rebus intenderet, ille liberius ecclesiasticis inserviret ministeriis.

ANN. CHR. 867.

LXXIX. *Abbates Sulpicíani & Masciacenses.*

Neque hoc anno quies a Nortmannis, qui urbem Biturigum vastarunt & incenderunt, ut in brevi chronico [a] Masciacensi legitur. Non dubium quin vastatum etiam fuerit Navense sancti Sulpicii monasterium suburbanum, cujus abbatem Ebrardum superius [b] laudavimus. De ejus successore Adeleno infra. Eodem anno Wandalmarus abbas Masciacensis ordinatur in locum Abbonis abbatis piissimi, qui anno superiore mortuus est ex eodem chronico, cujus hæc verba : *Abbo abbas moritur, & Aurelianis crematur.* quod ita interpretandum, ut Abbo mortuus sit ipso anno, quo urbs Aurelianorum cremata est, tametsi ante biennium id accidit. De eo in veteri kalendario ita legit Labbeus : *VII. kalendas Decembris Abbo, abbas migrat ad Christum.* Virum fuisse pietate illustrem illud argumento est, quod non modo ejus ordinatio & mors in eodem chronico notetur, sed etiam nativitas anno octingentesimo decimo-septimo, qui proinde quinquagenarius decessit. Post Wandalmarum abbatem nullus alius invenitur ante Bernonem, qui Masciacum reformavit. Bituricensis comitatus hoc anno ablatus est Gerardo comiti, datusque non sine xeniis Acfrido, qui Pictavensem sancti Hilarii abbatiam, aliaque beneficia jam habebat : sed tamen hunc comitatum contra Gerardum retinere non valuit.

a *Labbe bibl. to. 2. p. 731.*
b *lib. 34. n. 97.*

LXXX. *Placitum pro S. Tiberio.*

Narbone in Septimania cum resideret Bernardus comes, missus serenissimi domini Caroli regis, una cum Leopardo & Eudalberto, vassis dominicis, alisque judicibus ad jus suum cuique reddendum ; in eorum præsentiam venit Bonesindus abbas ex monasterio sancti Tiberii, quod alio nomine Cesarion vocabatur ; questusque est, « quod Ato quidam, forte vicecomes Biterrensis, abbatiam sancti Velosiani martyris, sitam in pago Tolosano, suburbio Savartensi, ad fluvium Aregam, & fiscum Homegianum, positum in territorio Biterrensi, suburbio Caprariensi, quæ duo Carolus rex olim eidem monasterio contulerat, per vim ab eodem cœnobio abstulisset. Instrumenta donationum jussus protulit Bonesindus : quibus lectis, & veritate comperta, mandatum est Leopardo vasso dominico, ut prædictum abbatem, ejusque monachos in possessionem utriusque redintegraret. Data & facta traditio » est idibus Junii, anno XXX. regnante Karolo rege, indictione XV. ubi, si error non est in numeris, anni Caroli computantur ab eo tempore, quo eum Ludovicus parens regem in Neustria constituit. Bonesindus abbas Modario [c], haud scio an proxime, successerat : at quis Bonesindi successor fuerit, usque ad Rodoaldum, qui principatu Caroli Simplicis locum rexit, nobis incompertum.

c *V. lib. 39. n. 12.*

LXXXI. *Hispaniæ quædam monasteria.*

Inter illa monasteria, quæ abbatiæ sancti Æmiliani, quam de Cuculla vocant, subjecta erant, censetur Orbaniacense, quod Guisandus abbas hoc anno condidisse dicitur, ut cum aliquot fratribus identidem illuc secederet. Paullo ante, id est anno sexagesimo-tertio, abbas Severus in Aucense monasterium se receperat : ubi Didacus comes in manu ejus se tradidit *ad regulam sancti Felicis de Auca*, ut legitur in ejus litteris apud Sandovallium, id est ad regulam, quæ in illo sancti Felicis monasterio servabatur. Aliud erat in eadem urbe Auca monasterium sancti Menæ, quod initio hujus sæculi conditum est. Hæc monasteria, uti & sancti Vincentii de Ocaytza, quod post quatuor annos exstructum legitur, abbatiæ sancti Æmiliani subjecta fuere. Ad hæc Galindo Aragoniæ comes villam Exaveriam [d] hoc anno contulit Serasiensi monasterio, prope Jaccam Aragoniæ opidum sito, ubi *virtutes*, id est reliquiæ, sanctorum Petri, Andreæ, Stephani, Benedicti, aliorumque fuisse dicuntur.

d *Blanca hist. Aragon. ann. 969.*

LXXXII. *S. Othmari oratorium dedicatur.*

In Alamannia, post annos tres a translatione seu elevatione corporis beati Othmari abbatis sancti Galli, cum basilica in ejus honorem vota, jam perfecta esset, Grimaldus abbas, idemque Ludovici regis archicapellanus, Salomonem Constantiensem episcopum ad eam consecrandam invitavit. Confluxere ad eam celebritatem undequaque frequentes populi : cui honorandæ adfuerunt etiam Heyto Augiensis abbas cum aliquot e suis fratribus ; fratresque e monasterio, quod Campidona vocatur, ab suo missi abbate. Constituta die Salomon adveniens, novam ecclesiam sollemni ritu dedicavit : tum sancti Othmari corpus e basilica sancti Galli istuc intulit, detractis quibusdam particulis, quas præsentibus donaret, atque *in arca saxea* sub altari reposuit VIII. kalendas Octobris, quarta feria, indictione prima a kalendis Septembris inchoata. Saero ejus corpori etiam oblatæ illæ, quæ in ejus

ANN. CHR. 867.

tumulo repertæ fuerant, superpositæ sunt, præter quasdam, quas in testimonium ejus sanctitatis hactenus incorruptas pyxide recondidit. His peractis, beati Michaëlis oratorium itidem consecravit, multosque sacro chrismate confirmavit; tum, salutatis fratribus, e monasterio discessit. Postera die abbatem, fratresque Augienses ac Campidonenses cum canticis prosecuti monachi Sancti-Gallenses, dato pacis osculo, ad sua revertentes dimiserunt. Hæc fuse narrat Iso monachus, qui rei gestæ interfuit, nonnulla etiam referens miracula subsecuta, in quibus *sanctimonialis quadam de opido Basula*, ante annos quatuor utrisque orbata oculis, ipso anno lumen recepisse dicitur.

Ludovicus rex Corbeiæ-novæ adest. Hoc anno Ludovicus Germaniæ rex ad monasterium Corbeiæ-novæ devotionis caussa profectus dicitur; laudataque disciplina fratrum, nullam beatiorem vitam esse dixit, quam monachorum Deo rite semper famulantium. Inde cum Adalgario abbate Herifordense monasterium adivit, admiratusque est ejus loci virginum sanctitatem, ut in annalibus Corbeiensibus legitur, a Paullino vulgatis.

LXXXIII. Carolus rex Autisiodori apud S. Germanum. Sub finem hujus anni Carolus rex venit in urbem Autisiodorum, ibique natale Domini celebravit, ex Annalibus Bertinianis. Eum autem in monasterio sancti Germani hospitatum fuisse docet nos ejus diploma pro Turonica basilica sancti Martini, cui tum cellam Capleiensem concessit ad deprecationem carissimi sui Hugonis, » *reverendi* (sic eum vocat) *ejusdem beati Martini cœnobii abbatis*, in divæ recorda- » tionis genitoris sui HLudovici excellentissimi augusti, & genitricis suæ Judith glo- » riosæ imperatricis eleemosynam, ac suam, necnon amantissimæ ejus conjugis Her- » mintrudis gloriosæ reginæ, atque prolis. Erat hæc cella fisci regii, nomine Ca- » pleia *, vulgo Chableia, sita in pago Tornodrensi super fluvium Sedenæ, in ho- » norem sancti Lupi dedicata. Hanc autem rex confert eidem basilicæ in usus & sti- » peodia ejusdem congregationis clericorum, ut pro his omnibus, & pro totius regni » statu Deum jugiter precentur, & quotidie, post singulas horas canonicas, unum » ex septem psalmis pœnitentialibus cum tribus capitulis & collecta recitent. Hæc notitia, etsi rebus nostris haud omnino propria, tamen ad sequentium illustrationem necessaria erit. *Data vj. kalendas Januarias, indictione prima* a Septembri inchoata, *anno xxviii. regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio sancti Germani Autisiodorensis dacatas, in Dei nomine feliciter.* Frotgarius notarius ad vicem Gozlini recognovit. In hac cella corpus sancti Martini quievit anno octingentesimo septuagesimo septimo, ut postea videbimus.

* *Chably.*

LXXXIV. Cormarico factæ donationes. Mense Novembri præcedente Herardus archiepiscopus Turonensis Cormaricensi monasterio, ad preces Audachri abbatis, locum Troïum donavit, prope ipsum monasterium in honorem sancti Martini constructum super fluvium Agnerem. *Datum idibus Novembris anno xxviii. regnante Karolo rege, Christi* DCCC LXVII. *indictione* I. *ordinationis suæ anno* VIIII. Valet hic locus ad stabiliendos annos pontificatus Herardi. Hic consequenter notanda est charta cujusdam Mainardi, conferentis monasterio Cormarico, *ubi domnus Audacher abba sub potestate & regimine sancti Martini* præerat, res proprietatis suæ in pago Turonico, in vicaria Becensi, in villa, quam Nogarias vocant, hoc est mansum cum domibus, ceterisque appendicibus. quæ donatio facta est mense Aprili subsequente, anno XXVIII. regnante Carolo rege. Hanc esse puto villam Nucarias * seu Nucerias, ubi processu temporis monasterium ejus nominis conditum est, hactenus superstes sub congregatione sancti Mauri. Nulla deinceps Audachri mentio est in tabulario Cormaricensi, neque in Villa-lupensi, cujus etiam abbas erat: tametsi hunc serius vitam produxisse constat. si quidem is est Audacher notarius Ludovici abbatis & archicancellarii Caroli regis; idemque, qui quædam ejusdem regis diplomata ad vicem Gozlini, Ludovici fratris & in summi cancellarii dignitate successoris, recognovit. qnale est illud Centulense, de quo superius * egimus. Post Audachrum nullus Cormarici abbas nobis occurrit ante Ivonem, cujus interventu rex Odo villam Moliensem in pago Pictavensi Cormaricensibus dedit. Porro hunc Audachrum seu Odacrum Lupi abbatis consanguineum fuisse jam probavimus ex Lupina epistola octogesimasexta.

* *Noyers.*

Audachri abbatis ætas.

* *num. 71.*

LXXXV. Ebrardus ejus propinquus. Ejusdem Lupi, atque adeo Audachri propinquus erat Ebrardus, ad quem exstat Lupi epistola XXXV. qui non alius esse videtur ab Ebrardo illo, qui codicem homiliarum, Caroli Magni jussu collectarum, Autisiodorensi sancti Germani monasterio

concessit. Unus fere superest hic codex ex veteri ejus loci bibliotheca, pretio nuper redemtus a nostris: cui Ebrardus hos versus adscribi curavit.

ANN. CHR. 867.

S. Germani Autisiodorensis bibliotheca.

Obtulit hunc librum Domino, Germane, tibique
Ebrardus supplex: supplicis esto memor.
Auferet hunc nullus, cujus præcordia Christus
Possidet, iratum ne patiatur eum.
Quin etiam fratris munus votumque probando,
Insistet parili quicquid amore valet.
Nam petit in cœtu fratrum sollemniter illum,
Ad laudem Domini nocte, dieque legi.
Jungitur huic alter, solarem ut compleat annum.
His festos poterit quis reperire dies.
Augusti Caroli jussu collegit utrumque:
Amplius hinc nobis munera tanta placent.
Doctus erat, credas, Carolus qui jusserat istud:
Quilibet hinc placido corde sequatur idem.

Hi versus probant Ebrardum fratrem fuisse cœnobii sancti Germani, si non monachum, saltem conscriptum, ut tum vocabant. In illo codice nullæ occurrunt homiliæ Gregorii Magni & venerabilis Bedæ tempore posteriores. Alter codex continens alteram partem homiliarum necdum recuperari potuit. Porro patrum nostrorum sæculo supererat adhuc in eodem cœnobio non exigua veterum librorum supellex, teste Petro Pesseliæro ejusdem loci cœnobita in epistola ad Ludovicum a Lotharingia abbatem suum, cui Claudii Taurinensis episcopi commentarium in epistolam ad Galatas, ex ea bibliotheca erutum, nuncupavit, relictis aliis ejusdem Claudii in omnes ferme Pauli epistolas commentariis, *inter varias scientiarum omnium gemmas, quæ sane non pauca*, inquit, *in bibliotheca vetustissima diligenter asservantur.* Hæc scribebat ille anno sexti-decimi seculi quadragesimo-secundo: quo ex tempore Calvinistarum furor omnia illic sacra & profana dissipavit, proculcavit, absumsit. Ex vetustis libris quidam in alienas manus devenerunt, ut canones Isaaci episcopi Lingonensis a Baluzio [a] laudati, & codex capitularium [b] modo in bibliotheca regia asservatus.

[b] *Baluz. to. 2. capitul. c. 1036.* [c] *ibid. c. 1217.*

ANN. CHR. 868

LXXXVI. Fames & pestis.

Annus insequens fame & pestilentia, multorumque hominum interitu funestus fuit, uti discimus ex pervetusto necrologio, olim Senonensis ecclesiæ, nunc bibliothecæ Floriacensis, cujus hæc verba ad xv. kalend. Februarii. *Anno incarnationis Domini* DCCC LXVIII. *indictione* I. *cometes apparuit circa* IIII. *kalend. Februaris, dies circiter xvii. primo sub temone minoris arcturi, tandem progressa est pene ad triangulum. Exstitit eo anno fames & mortalitas inaudita per totum fere imperium Francorum, sed maxime per Aquitaniam & Burgundiam, ita ut præ multitudine morientium non essent qui sepelirent. nam Senonis civitate una die* LVI. *homines mortui inventi sunt; etiam ea tempestate in eodem pago masculi & femina, pro nefas! alios homines occidisse & comedisse... Igitur mense Maio Senonis civitate modium frumenti venditum est solidos viii. modium segali solidos vii. & modium ordei solidos vi. & modium avenæ solidos v. modium salis solidos xii. Sed divina providente clementia novi fructus temporius solito succurrerunt. nam viii. kalendas Junii, primo videlicet die rogationum, panis novus oblatus est Senonis ad benedicendum, ex quo plurimi, Deo gratias agentes, eulogicos sumpserunt.*

Caroli diplomata pro S. Richario & S. Amando.

Ineunte anno Carolus Autisiodoro discedens, ad Bellum-Pauliacum supra Ligerim accessit: atque inde, audita Acfridi nece, cui Gerardus Biturigum comes cervices absciderat, in pagum Biturricensem profectus est, quasi Acfridi necem ulturus. Verum, eo intacto, sancti Hilarii abbatia, quam Rotberti comitis nuper exstincti filio abstulit, Frotario Burdegalensium archiepiscopo data, ad sancti Dionysii monasterium rediit in capite jejunii, atque inde Silvanectas perrexit. Illic cum moraretur, monachis sancti Richarii, quibus Guelfo abbas præerat, quædam prædia in villa pagi Bellovacensis, vocabulo Valle, largitus est. Hujus donationis charta exstat in chronico Hariulfi, *data vi. kalendas Aprilis, indictione prima, anno xxviii. regnante*

ANN. CHR. 868.

Karolo gloriosissimo rege. Actum Silvanectis civitate. Frotgarius ad vicem Goslini recognovit. Ex urbe Silvanectis rex ad sanctum Dionysium regressus est, pascha celebraturus. Dein Silvacum proficiscens, paullulum Carisiaci substitit. Illic, ex regia munificentia fiduciam sumens Guelfo abbas, cui facilem ad regem accessum præbebat propinquitas, eum rogavit, ut quiddam supplementi eidem monasterio addere dignaretur. Hortanti acquiescens princeps, villam quamdam monasterio proximam, nomine Bersiaccas, donavit ad luminaria ecclesiæ subministranda, statuens, ut tria continue luminaria coram capite sancti Richarii, reliquiisque sanctorum in eo inclusis arderent; & *annotina translatione* sanctarum reliquiarum cum illo reconditarum, quæ evenit IV. nonas Decembris, fratribus ejus loci congrua cibi ac potus refectio subministraretur. *Data IV. kalendas Junii, indictione prima, anno XXVIII. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Carisiaco palatio.* Præceptum hoc Hildeboldus notarius ad vicem Gozleni recognovit. Eodem kalendis Decembris reversus est Carolus, ut fidem faciunt Annales Bertiniani, qui seriem ejus itineris accurate distinguunt. His consonat tertium diploma ibidem sancto Richario indultum rogatu itidem Guelfonis abbatis, qui Hasloas villam pagi Ambianensis, ad Somnam fluvium sitam, in usus ac stipendia fratrum, & ad eorum refugium concessit, aliasque res eisdem antea deputatas novo præcepto a rege confirmari curavit. Data VII. idus Decembris, indictione & anno prædictis. Actum Carisiaco palatio regio. Frotgarius notarius ad vicem Gozlini recognitor.

Hoc ipso anno Carolomannus, Calvi filius, Elnonensem abbatiam post Altfridum obtinebat: quo anno Carolus ejus pater ad deprecationem carissimi filii sui Karolomanni, monasterii sancti Amandi egregii abbatis, mediam partem Barisiaci villæ pagi Laudunensis concedit ad potum monachis ministrandum; & villam *Domneveri*, in pago Tornacensi super fluvium Scaldim, ad vestimenta fratrum. *Data XV. kalendas Novembris, indictione j. anno XXVIII. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Autrei-villa palatio regio.* Verum non diu hanc abbatiam retinuit Carolomannus, qui paullo post eam Gozlino abbati cessit.

LXXXVII. Sancti Mauri translatio ad Fossatense monasterium.

Cum per annos tres ac dimidium corpus sancti Mauri abbatis in Burgundia, id est in fundo Audonis comitis, ad Ararim substitisset; jussu Caroli regis deportatum est ad Fossatense sancti Petri monasterium, quinque passuum millibus supra Luteciam-Parisiorum positum in quodam Matronæ recessu, ubi olim castrum Bacaudarum erat. Obviam sacro corpori cum magna populi frequentia processit Æneas Parisiorum episcopus, &, qua pietate erat, feretrum ab introitu monasterii, ut scribit Odo, suis humeris excepit, & cum frequenti cœtu monachorum in ecclesiam beati Petri festivo ritu deportavit, atque *in arca ferrea ad hoc ipsum preparata recondidit.* Id factum quarta feria passionis, quæ hoc anno in septimum diem Aprilis incidebat. Atque ut ejus rei perennis esset memoria, eidem monasterio unam præbendam in ecclesia Parisiensi concessit, & annuam eadem die recurrente processionem a posteris fieri instituit, *in monumentum processionis*, quam ipse beato Mauro eadem die exhibuerat. Æneæ hac de re litteræ, editæ non semel, hanc
» summam continent. Æneas Parisiorum episcopus notum facit universis sanctæ Dei
» ecclesiæ filiis, quod anno dominicæ incarnationis octingentesimo sexagesimo-octavo,
» indictione prima, jussu serenissimi regis Caroli ad Fossatensem abbatiam accesserit,
» corpus beati Mauri levitæ recepturus. quod cum super altare beatorum apostolo-
» rum deposuisset, in perpetuum concessit eidem abbatiæ, *annuentibus cunctis archi-*
» *diaconibus & clericis suis*, qui illic secum una aderant, in episcopali ecclesia beatæ
» Mariæ *prebendam integram:* ita ut deinceps tam venerabilis Odo, qui tunc illi cœ-
» nobio præerat, quam ejus successores, eam libere & absque ulla molestia, aut quo-
» vis servitio possideant: statuens insuper, ut processio quotannis in quadragesima,
» quarta feria post dominicam, quæ Passionis vocatur, a posteris fieret in monumen-
» tum processionis, quam ipse beato Mauro in exceptione ejus corporis exhibuerat:
» sed eo pacto, ut qui huic annuæ processioni interesse voluerint, jejuni veniant, ac
recedant. In fine diras iis, qui hanc donationem aut processionem violaverint, imprecatur. Johannes Launoius hoc instrumentum falsi arguit, tum ob *prebendæ* vocabulum, eo tempore, ut putabat, inusitatum, tum ob archidiaconorum pluralem numerum, cum ante Æneæ ætatem scriptores unius tantum archidiaconi, ut in aliis, sic etiam in Parisiensi ecclesia meminerint. Utrumque Gerardus a Bosco in

historia [a] Parisiensi facile diluit testimonio Hincmari Remorum antistitis, qui & præbendæ, & archidiaconorum Remensis ecclesiæ meminit. Major esset difficultas de Odone abbate, qui tum Fossatensi cœnobio præfuisse dicitur: cum ex Odone ipso, Godefredus abbas hunc locum tunc rexisse videatur. nam testes suæ narrationis in epistola prævia ad Adelmodum Cenomannensem archidiaconum afferens hic auctor: *Horum primus*, inquit, *& ordinis dignitate, & perfectioris vitæ sanctitate Godefredus venerandus abbas Fossatensis monasterii exstat, qui prolixiori tempore sub regimine sanctæ recordationis Theodradi in eodem degnit cœnobio*, scilicet Glannafoliensi. Ambiguum quidem est verbum *exstat*: sed Odo in illius epistolæ inscriptione *abbatem cœnobii sancti Mauri* se dicit, quo nomine Glannafoliense monasterium intelligitur, non Fossatense, quod serius sancti Mauri vocabulo insignitum est. Denique in consequentibus [b] Godefredum, tamquam superstitem laudat, testemque denuo adducit. At forte prædictum instrumentum condidit Æneas post aliquantum temporis ab ipsa translatione, cum jam Odo Godefredo abbati in Fossatensi regimine successisset. Ut ut est, processio ista fiebat adhuc initio sæculi undecimi, hancque præbendam possidebant Fossatenses: ut patet ex litteris Rainaldi Parisiensis episcopi, hanc processionem confirmantis anno millesimo sexto in gratiam Hildeberti Fossatensis abbatis: cui potestatem facit instituendi vicarium in ecclesia Parisiensi, in qua præbendam Æneas eidem monasterio contulerat.

a Du-Bou to. 1. p. 449.

b cap. 9. n. 10.

S. Viventii Amausium.

Eadem tempestate corpus sancti Viventii confessoris, beatissimi Hilarii discipuli, e castello pagi Pictavensis Gravione, ubi in monasterio suo quiescebat, ob infestationem itidem Nortmannorum delatum est in urbem Arvernorum, cui tunc Agilmarus episcopus præerat. Hic sacras reliquias devote suscepit, easque in propria possessione reposuit, quam a proavis in Burgundiæ partibus, in comitatu Amauso, sex millibus ab Arari flumine dissitam, habebat. Illic basilicam in honorem sancti Viventii cum claustris, aliisque regularibus monachorum ædificiis exstruxit, eidemque loco universa, quæ illic possidebat, contulit cum plurimis auri argentique donariis. Solum ejus loci opulentissimum, aquis, silvis, pratis ac vineis abundantissimum fuisse ait anonymus auctor, qui librum de sancti Viventii gestis ac translatione [c] composuit. Non diu stetit hoc monasterium: quo a Normannis incenso, sancti Viventii reliquiæ in castrum Vergiacum seu Verziacum translatæ sunt, ut suo loco videbimus.

c Bolland. to. 1. Jan p. 813.

LXXXVIII. Puerorum oblationes apud S. Remigium.

Duas puerorum oblationes hoc anno factas legimus in Remensi sancti Remigii monasterio: unam VIII. kalendas Maii, feria sexta, qua Hildegrimus quidam nepotem suum Rifuinum sollemni ritu, hoc est *cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manu sua involuta*, ad nomen sancti Remigii, aliorumque sanctorum, quorum illic reliquiæ habentur, obtulit Deo, abbate præsente, qui non alius tunc erat quam archiepiscopus Hincmarus. Altera est cujusdam Gisardi, filium suum Adelbertum simili ritu offerentis kalendis Julii. Formulas quasdam ejusmodi oblationum integras retulit Marlotus ex veterrimis schedis: ex quibus intelligitur, non solis parentibus, sed etiam aliis propinquis concessam fuisse facultatem offerendi pueros in monasteriis ex regulæ Benedictinæ præscripto, ita ut nefas esset illis pueris ad sæculum redire.

LXXXIX. Almanni monachi facta & scripta.

Per idem tempus jussu Caroli regis detectum est sepulcrum sancti Memmii, Catalaunensis episcopi, testante Theudoïno præposito ejus ecclesiæ in epistola ad Almannum monachum, qua eum ad scribendam ejusdem sancti vitam hortatur. *Noveris*, inquit, *quod non absque occulta divinæ dispositionis providentia accidit, ablato mausoleo, & aggere terræ semoto, perlustrasse nos beati Memmii sepulcrum in quadrangula & cæmentaria pretiosi corporis fossa: & hoc est factum jussu regis Caroli anno ab incarnatione Domini* DCCC LXVIII. *indictione prima, VIII kalendas Aprilis, quæ fuit quarta feria ante mediam quadragesimam: ejusque sanctum sepulcrum est inventum minime ex ulla parte hærere ad terram; sed virtute omnipotentis Dei, apud quem merita tanti patroni refulgent, in ipsa fossa, veluti libratum in aëra, pendere quatuor digitis a terra.* quo miraculo spectantes stupefactos fuisse ait Theudoinus; eaque occasione *ad innovandam* viri sanctissimam vitam hortatur Almannum, quem *ab ineunte ætate in loco religioso nutritum* fuisse dicit, & in litteris exercitatum. Theudoïni epistola [d] inscripta est, *Dilectissimo fratri Almanno, monacho professione.* Rescripsit ille *venerabili præposito Theudoino Almannus peccator*, causam non unam afferens ad

d Analect. to. 1. p. 36.

ANN. CHR. 868.

se excusandum, ut ne hanc vitam, *vetustate neglectam & imperitia corruptam, haud secus ac si ex cineribus* effossam, innovaret. Paruit tamen bonus vir flagitanti, & libellum haud scio an impolitiorem, certe non majori auctoritate præditum, composuit, in quo sancti Memmii missionem in Galliam, non sancto Petro, ut prima vita ferebat, sed sancto Clementi tribuit. Idem alias vitas sanctorum scripsit, scilicet Nivardi antistitis Remensis, Sindulfi presbyteri ac solitarii in pago Remensi, ac beatæ Helenæ imperatricis historiam translationis in monasterium Altivillarense, cujus ille monachus erat. Ad hæc Franciam, suo tempore a Nortmannis devastatam, exemplo Jeremiæ quadruplici alphabeto planxisse fertur. Is est sine dubio Altmannus monachus ac presbyter, quem Hincmarus [a] procul obedientiæ causa direxerat, quem epistola ad eum scripta corripit, quod adspiraret ad beneficia & negotia sæcularia, quæ non convenirent professioni ejus & saluti. quod Hincmarus ex quibusdam litteris intellexerat, sibi datis per hominem quemdam Arduici archiepiscopi, scilicet Vesontionensis. quare præcipit, ut quantocius ad monasterium suum redeat, ubi lectioni & orationi, deflendo delicta suæ juventutis, vacare curet. In necrologio Altivillarensi antiquiori notatur x. kalendas Julii *Almannus monachus*. Legi in veteri codice ecclesiæ Laudunensis *epitaphium Almanni monachi atque philosophi*, hic in appendice referendum, in quo ejus obitus eodem die assignatur.

a Frod. lib. 3. c. 28.

Willebertus episcopus Catalaunensis.

Vacabat tunc temporis Catalaunensis sedes, Erchanrao episcopo mortuo, cujus in locum Willebertus suffectus, sacratusque hoc anno nonis Decembris *in monasterio, quod Brittennacus * dicitur, in diœcesi Remensi, & parrochia Noviomagensi.* Fuerat in ministerio regis, & *præpositnram monasterii sancti Vedasti*, jubente Johanne episcopo Atrebatensi, & consentientibus fratribus susceperat, qui de ejus vita & conversatione, & quod in eodem monasterio nihil contra sacras regulas egisset, testati sunt, ut patet ex libello ejus examinationis, quem Sirmundus [b] vulgavit. Is est Willebertus, qui Hincmarum archiepiscopum [c] consuluit, an ex monacho, necessitate cogente, archidiaconum constituere posset.

* Breigny.

b Sirm. to 3. conc. p 651.
c Frod. lib. 3. c. 23.

X C.

Conwoionis abbatis obitus in monasterio Salomonis.

Hunc annum haud prætergressus est sanctus Conwoion abbas primus Rothonensis. siquidem Rucandus ejus successor privilegium a Salomone Britanniæ duce hoc ipso anno dicitur obtinuisse IV. kalendas Septembris. Obiit Conwoion nonis Januarii, ut vetera kalendaria Rothonensia probant; & quidem in monasterio Salvatoris, quod Salomon dux, eversu a Normannis Rothonensi, apud Plebelanum exstruxerat, Monasterium-Salomonis * ab auctore appellatum. Rothonensis cœnobii eversio contigit ante annos circiter quatuor. quo tempore Salomon Conwuioni, ejusque monachis palabundis ad refugium & subsidium contulit regiam, quam sibi in villa Plebelana diœcesis Alctensis loco munito condiderat. Illic octogenarius vir sanctus decessit, sepultusque est in præclara Salvatoris ecclesia, funus curante Rivalino episcopo Aletensi. Sedatis Nortmannorum procellis, ac restructo Rothonensi monasterio, sacrum ejus corpus cum aliis sanctorum pignoribus istuc translatum: ubi magna pars ejus reliquiarum hactenus asservatur.

* Moutier-Salaun.

Insignes ejus discipuli.

Ibidem sub ejus disciplina floruere monachi pietate insignes, in primis Riowenus sacerdos ac monachus sanctus, qui fluvium Visnoniæ sicco pede pertransiisse perhibetur, mortuus XIX. kalendas Septembris, sepultusque in cœmeterio fratrum; Condelucus hortulanus, vir simplex ac rectus, atque eximia præditus castitate, qui obiit in pace VIII. idus Novembris; Conhoiarnus & Fidwetenus, qui paralyticum sanaverunt: ex quibus ille VIII. kalendas Februarii, hic III. idus Decembris ad Christum migrarunt; Doëthenus scriptor, qui primum *ita vivebat, sicut unus ex canonicis*, tametsi stabilitatem & conversionem morum in eodem monasterio voverat; postea monachus factus cum ceteris monachis perfecte vixit, *obiitque XV. Kalendas Octobris confessor in pace.* De Fidweteno id memoriæ proditum est, eum vidisse aliquando, *cum ad opus divinum in scamnis sederent fratres*, diabolum in specie puerili secus pedes ejusdem fratris, nomine Orberti, qui postea egressus e monasterio, vitam angelicam, quam coram Deo & angelis ejus voverat, pro nihilo ducens, ad sæculum est reversus: sed postmodum resipiscens, & denuo conversus ad Deum, religiosam ac perfectam vitam duxit Papiæ cum sanctis monachis monasterii sancti Petri ad Cælum-aureum, ubi prioris vitæ maculas pænitentia diluit. His adjungendus Tethwius, sanctus monachus, vir miræ abstinentiæ & pa-

tientiæ, qui mutus ac paralyticus per quinque posteriores vitæ suæ annos, demum III. idus Januarii sarcinam carnis deposuit. Addendi etiam Heldemarus & Louhemelus, qui cum beato Conwoione corpus sancti Hypothemii episcopi ex urbe Andecavorum ad Rothonense monasterium attulerunt. Hujus sancti antistitis meritis febre liberatus Jarnithimus sacerdos & monachus, deinceps in summa sanctitate longam vitam duxit: qui extremis quinque annis oculorum lumine orbatus, hanc plagam patienter sustinuit, gratias Deo referens; tandemque kalendis Januarii ex hujus vitæ tenebris ad æternam lucem migravit. Jam superius legimus de Brithoco sancto monacho Lehonensi, qui Rothoni supremos vitæ dies in continuis jejuniis ac precibus transegit. ANN. CHR. 868.

XCI. Teutgaudi Trevirensis olim pontificis obitus.

Non ita felix, forte nec ita pius fuit exitus Teutgaudi archiepiscopi quondam Trevirensis, ob probatum Teutbergæ repudium a Nicolao papa, cum Gunthario Coloniensi exauctorati. Ambos superiore anno sub spe restitutionis Romam adduxit Arsenius pontificis legatus, multæ cupiditatis homo, qui hanc eis restitutionem pretio ac muneribus venalem præstiturum receperat. Verum utrique spe sua frustrati sunt; nec umquam Romani pontifices Nicolaus primus & Hadrianus secundus huic restitutioni assensum dare voluerunt. Interim dum res tractaretur, Hadrianus Teutgaodo in monasterio sancti Andreæ hospitium indulsit. Verum in somnis a beato Gregorio loci conditore admonitus, ut e monasterio exiret; cum ille merum somnium esse credens haud recederet, durius ab eodem postea increpitus fuisse dicitur, quod monasterium suum diversorii instar haberet. Huic vero pontificis facultatem obtendenti sanctus Gregorius respondit, ambos perperam egisse, pœnasque brevi daturas; ipsum vero Teutgaudum, ni brevi exeat, proxima hebdomade cum suis omnibus periturum. Nec mora, ille è lectulo exsurgens, primo suis, tum monachis visum narravit: &, cum a pontifice aliud in urbe hospitium impetrare non potuisset, ad Sabinos, forte in Farfense monasterium, secedens, eodem anno ibidem cum suis omnibus morte multatus est. Hæc Johannes diaconus in libro quarto de vita Gregorii Magni. De tempore mortis Teutgaodi consentiunt Annales [a] Bertiniani: at rei circumstantias Johannes, Romæ tunc degens, facile addiscere potuit. Teutgaudi obitum in biennium differt Browerus ex membranis Cardonensis ecclesiæ, quæ id diserte testantur. Hunc ex nimio partium Lotharianarum studio, & canonum ignoratione corruisse idem auctor opinatur. Primum facile concesserim: alterum evinci non potest, nisi ex approbato Teutbergæ repudio, quod potius culpæ, quam ignorantiæ tribuendum. Sane ad hunc Teutgaudi errorem multum contulit Gunthari Coloniensis temeritas & impudentia, qui eum cum aliis ad Lotharii partes pertraxit, a quibus inter primos Teutgaudus recessit. Si ejus obitus ante biennium non contigit, suffectus est in viventis locum Bertulfus, abbas, ut ipse olim, Mediolacensis, de cujus ordinatione anno sequenti agemus.

[a] ad an. 867.

Hunfridi item episcopi Morinensis.

Eodem anno, referente Iperio, ad cælestem patriam migravit Honfridus Morinorum præsul ex monacho Prumiensi, & quidem cum Romam iter meditaretur. Dies ejus obitus incertus: nisi quod certum est eum accidisse post sextum kalendas Augusti. Ipso quippe die, hoc anno, *Gundberto Romam ire disponente*, in Wabrante villa episcopali, in solario, *in manu domni Hunfridi episcopi, Wigmari comitis,* " & aliorum, Berardus & Erkembaldus, vice Asbaldi patris sui, sancto Bertino de- " derunt in *Humbaldingahem* & Embrica villis pagi Teruannensis, quidquid ibi Goi- " bertus habuit, Gundberti monachi pater, de quo alias diximus. *Actum est anno episcopatus Hunfridi episcopi tertio-decimo, ipso etiam pariter Romam ire disponente*, ut in Folquini chartaceo codice legitur. Ex quo intelligas, Hunfridum, non annis quindecim, ut vult Iperius, sed tantum tredecim Morinorum ecclesiæ præfuisse: cui Acardus in episcopatu successit. Tunc Hilduinus junior Sithiensem abbatiam, quam Hunfrido episcopo abstulerat rex Carolus, obtinebat.

XCII. Wormaciensis synodi acta

Hoc ipso anno, cum Hadrianus secundus jam ab anno superiore Nicolao primo successisset, habitum est Wormaciæ concilium provinciale in causa ecclesiasticæ disciplinæ, in quo tres canones pro monachis conditi sunt. In quinto-decimo statuitur, ut in monasteriis, ubi furta [b] perpetrata fuerint, de illis fratres se hoc modo expurgent: nempe ut *missa ab abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse abbas preceperit, præsentibus fratribus: & sic in ultima missæ celebratione, pro expur-*

[b] v. lib. 51. n. 118.

ANN. CHR. 868.

gatione sua corpus & sanguinem Domini nostri Jesu-Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant. Canon XXI. præcipit, ut, *si pater, vel mater filium, filiamque intra septa monasterii in infantia annis sub regulari tradiderint disciplina, non liceat eis, postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi, & matrimonio copulari, &c.* tum subditur canone sequenti: *Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria professio facit. quicquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reversi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.* Hæc duo statuta conformia sunt regulæ sancti Benedicti, & decretis quorumdam conciliorum Toletanorum, alias a nobis relatis, quibus postea derogatum est. Quot episcopi huic synodo interfuerint, in editis conciliorum libris non exprimitur. Id vero discimus ex epistola synodica ejusdem concilii, qua fundatio Heresiensis parthenonis confirmatur, relata in annalibus Paderbornensibus ad hunc annum: ubi septemdecim episcoporum & unius chorepiscopi signa & nomina subscripta habentur, & sex abbatum.

XCIII. Herisiense parthenium conditur.

In illa epistola Liudbertus Moguntiacensis archiepiscopus cum coëpiscopis, chorepiscopis atque abbatibus, aliisque sacerdotibus Wormaciæ congregatis, ait,
» Liuthardum Paderbornensem episcopum synodali suggessisse conventui, sororem suam
» nomine Walburgam, & nonnullas alias *domicellas*, sub sanctimoniali habitu &
» professione divino servitio se mancipare decrevisse in villa dicta Heresi, seu He-
» risi, quam prædicta Walburga a Paderbornensi ecclesia *jure mutuario* acceperat. quam fundationem patres consensu & auctoritate sua confirmarunt. *Datum in Wormacia anno incarnationis dominicæ* DCCCLXVIII. *imperii vero gloriosissimi regis Ludovici anno XXVIII. indictione prima.* ubi Ludovici regni initium a morte Ludovici augusti ejus patris repetendum est. His litteris apposita sunt signa Liutberti Moguntiacensis episcopi, Adalwini Saltzburgensis, Rimberti Hammaburgensis, Altfridi Hildenesheimensis, Guazonis * Wormaciensis, Salomonis Constantiensis, Annonis Frisingensis, Lantfridi Sabionensis, Ermenrici Pataviensis, Otgeri Rubelacensis, Liutgarii * Augustburgensis, Liudberti Mimigarnifordiensis, Thiadrici Mimindensis, Hildegrimi Halverstadiensis, Liuthardi Paderbornensis, Eralt Feridensis, Ægiberti Osnabrugensis, Bernardi chorepiscopi, Heïonis abbatis & presbyteri, Adalgari abbatis & presbyteri, Thiadrici abbatis & presbyteri, Tiadorici abbatis & presbyteri, Brawardi abbatis, & Egilberti abbatis. Hæc nomina singillatim referre visum est, tum quia desunt in actis hujus concilii, tum quia plerique illorum episcoporum ex ordine nostro assumti sunt. Primus subscribentium abbatum videtur esse Thioto Fuldensis abbas: qui secundo loco subscripsit Adalgarus, abbas erat Corbeiæ-novæ, Warini successor; Thiadoricus abbas Laureshamensis, Brunwardus Hersfeldensis.

* l. Gunzonis.

* l. Nitgarii.

In prædicta epistola, ut ingenue fatear, quædam suspecta forte videbuntur, quippe *domicellarum* nomen illis temporibus necdum usitatum fuisse censeri poterit: & Walburga non soror, sed *neptis erat venerabilis episcopi Liuthardi*, ut in actis sancti Remberti episcopi Hammaburgensis legitur, quæ quidem scripta sunt ab auctore gravi & æquali. Attamen in diplomate [a] Ludovici regis, res monasterii confirmantis, aliisque, eadem Walburga Liudberti soror dicitur. ex quo veri simile est, auctorem illum anonymum in actis sancti Remberti memoria lapsum fuisse. Ex iisdem actis discimus, Walburgam ab infantia Deo fuisse oblatam, & in virginitate permansisse: quam sanctus Rembertus tanti fecisse dicitur, *ut unicam dilectionis suæ filiam vir sanctus eam nominare solitus sit.* Eidem scripsit insignem epistolam ad ædificationem sacrarum virginum, quæ sub ea degebant: quam epistolam actis sancti Remberti ea tantum conditione inseri passa est, ut ipsius nomen, *vitandæ jactantiæ causa*, reticeretur. Sic ergo in prædictis actis se habet illius epistolæ inscriptio & exordium.

a Annal. Paderborn. p. 169.

Remberti epistola ad monachas.

Carissima filia, ceterisque virginibus & sponsis Christi, Rimbertus, gregis Dei vilis servulus, in Domino salutem. Frater Adalgarius [b], *nuper a vobis rediens, dixit mihi graviter vos ferre, quod parvitatis meæ litteras raro suscipiatis. quod modo mihi emendare cupienti, quid scribere debeam, nihil convenientius occurrit, quam ut vos de vestræ sanctitatis commoneam proposito. Si igitur ad sublimissimam gloriam vultis pervenire, omni virtute incorruptionem corporis ac spiritus excolere debetis. Interioris enim fotu ac pabulo puritatis subministrari necesse est etiam exterioris hominis castitatem, eamque jugiter*

b V. supra num. 81.

giter ad perseverantiam perpetuæ incorruptionis animari. Illæ namque sunt veræ atque incorruptæ virgines Christi, non quæ metuunt, sed quibus non libet fornicari. Quod donum si per Dei gratiam adeptas vos sensistis, quanto magnæ estis, ut sacra monet [a] *Scriptura, humiliate vos in omnibus, & coram Deo invenietis gratiam. Ea enim via pervenire debetis ad Christum dominum & sponsum vestrum, quia ipse* [b] *dixit: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Curandum itaque est, ut omni custodia mens servetur a superbiæ tumore. Non enim ante oculos Dei vacuæ transvolant cogitationes vestræ. Intus ergo videt Deus quod mentem elevat: & idcirco foris permittit invalescere quod deponat. Hinc quippe per Osee* [c] *contra Israelitas dicitur: Spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognoverunt. Qui ut ostenderet, sicut dicit beatus* [d] *Gregorius, quod causa libidinis ex culpa prorumpat elationis, mox subdidit, dicens: Et respondebit arrogantia Israël in faciem ejus. ac si diceret: Culpa, quæ per elationem in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondebit. Proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Domino recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure & a subjecta carne prælium suscipit. Hinc est enim quod longa continentia repente solvitur: hinc quod plerumque, & usque ad senium virginitas servata vitiatur. Quia enim negligitur humilitas cordis, rectus Judex despicit etiam integritatem corporis: & quandoque per apertum malum reprobos annuntiat, quos dudum reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu servatum bonum subito perdidit, apud semetipsum intus aliud malum tenuit, ex quo aliud subito erupit: ac per hoc omnipotenti Deo etiam tunc alienus exstitit, quando se ei per munditiam corporis inhærere monstravit. Hæc ego, filiæ, non ideo scribo, quod in vobis quidquam de qualitate superbiæ vel vanæ gloriæ cognoverim: sed quia vos opto in illarum consortio esse, de quibus* [e] *legitur, quoniam sequuntur Agnum, quocumque ierit. Ubi multos cecidisse doleo, vos stante ambulare desidero, &c.*

ANN. CHR. 868.

[a] Eccli 3. 20.
[b] Matth. 11. 20.
[c] Osee 5. 4.
[d] Greg. lib. 26. in Job. c. 10.
[e] Apoc. 14: 4.

Pluribus ex illa epistola referendis supersedeo, ne nimius sim, tametsi jam non semel in similibus referendis forte modum excessi. at rebus historicis morales subinde interserere juvat, ne factis legendis distractus animus ad pia officia, secus quam ferat præcipuus operis nostri scopus, omnino languescat. Post biennium Ludovicus auctoritate regia firmavit [f] constructionem Herisiensis cœnobii, quod exinde celebre & florentissimum evasit instar Herivordensis & Bodecensis, quæ sanctimonialium Benedictinarum ab origine fuisse constat. Ecquis enim putet, sanctum Adalhardum & Corbeiæ utriusque monachos diversi a Benedictino instituti puellas in Herifordensi instituisse? immo eas *ad exemplum* [g] Benedictinarum Suessionensium institutas fuisse constat. Nunc tamen Herisiense monasterium, Nova-Herisia * dictum, nobilium canonicarum collegium est, uti & multa alia, quæ a primigenio declinarunt proposito, retenta nihilo minus ab initio declinationis votorum monasticorum & regulæ Benedictinæ professione, quam cum canonicali vita conciliare non valentes, sancto Benedicto repudium dare sustinuerunt. Ceterum Walburga, prima ejus loci abbatissa piissima, sancto Remberto superstes fuit, ut ex ejus actis intelligitur.

[f] Annal. Paderborn. p. 169.
[g] V. Annal. to. 2. lib. 29. n. 24.
* Nienherse.

XCIV. Hincmari Laudunensis origo historiæ.

Hoc anno cœpit famosa Hincmari Laudunensis episcopi historia seu potius tragœdia, quæ ad res nostras non pertinet, nisi qua Hincmarum Remensem, ejus patruum, spectat. Primæ vexandi ejus occasio ex eo nata est, quod prædia ecclesiæ suæ, regis ministris in beneficium data, revocavit. Quare Carolus, ex colloquio Attiniacensi cum Lothario habito revertens per curtes seu villas regias in pago Laudunensi consistentes, Hincmarum episcopum, nullo ejus provinciæ antistite conscio, ad sæculare judicium citavit, aut pro se actorem mitti jussit, causas dicturum, ob quas beneficia illa quibusdam regis hominibus abstulerat. Non comparuit Hincmarus, nec quisquam pro eo ad locum sæcularis judicii, causatus, sibi non licere, relicto ecclesiastico judicio, sæculare tribunal adire. Quam ob rem sæcularium judicum sententia episcopatus ejus bona omnia proscripta. Interim generalis conventus apud Pistas habitus, ad quem Hincmarus Remensis cum Hincmaro nepote suo profectus, ecclesiæ hoc in facto gravamen regi exposuit, obtinuitque, ut, revestito rebus suis episcopo, ejus causa in provincia Remensi, ubi hæc primum definienda erat; & postmodum, si necesse foret, synodali examine ter-

ANN. CHR. 868.

minaretur. Hæc anno præsenti. Insequente idem episcopus Vermeriam ad synodum citatur, in qua tria maxime ei objecta, nempe excommunicationes quædam immoderatæ & injustæ, sacramenta erga regem non observata, & beneficia per vim ablata. In hac synodo Hincmarus Remensis cum faveret Carolo, nec Laudunensis facilem causæ suæ exitum fore sentiret, hic ad sedem apostolicam appellavit, quam appellationem in synodo etiam Attiniacensi iteravit. Ubi adeundæ Romæ facultas cum a rege, tum ab Hincmaro patruo negata esset, & ipse Hincmaro metropolitano obedientiam denegavit. Quapropter in concilio Duziacensi episcopatu dejicitur. quod Hadrianus papa improbavit, eumque Romam evocavit. Ille nihilo minus in exsilium ad duos annos missus, postea oculis orbatus est. Id factum opera Suari comitis legitur in vita sancti Theodardi archiepiscopi Narbonensis apud Catellum [a]. Principio parum favorabilem ei se præstitit Johannes VIII. Hadriani secundi successor, qui in locum ejus alium episcopum ordinari mandavit. verum in concilio Tricassino, audita Hincmari reclamatione, a pontifice statutum est, ut Hedenulfus, in locum ejus suffectus, sedem Laodunensem retineret ac regeret: Hincmarus vero cæcus, si vellet, missam cantaret, & partem de rebus episcopii Laudunensis haberet. quo audito, episcopi eum sacerdotalibus vestimentis indutum in præsentiam papæ, indeque sublatum in ecclesiam cum canticis adduxerunt, & signum benedictionis super populum ab eo dari fecerunt. Acta hæc anno ejus seculi septuagesimo-octavo. Ea vero fuit Hedenulfi modestia, ut episcopatu cedere, & in monasterium se recipere vellet. Verum aliter visum Johanni papæ, qui hunc in episcopatu remanere jussit. Nunc ad ordinem redeundum.

[a] Catel. Langued. p. 765.

ANN. CHR. 869.

XCV. Carolus S. Maurum veneratur.

SUb initium anni sexagesimi-noni, quo ingens regno incubuit fames, ad Conadam *, vicum pagi Autisiodorensis, profectus est Carolus, ubi quosdam Aquitanos & tres Bernardos comites offendit. Inde Silvanectas revertens, Fossatense adiit monasterium, sancti Mauri reliquias ibidem veneraturus. Id factum ait Odo nonis Februarii, cum rex *a partibus Burgundiæ* regrederetur. quod mire consonat Annalibus Bertinianis, in quibus Caroli iter Conadam initio hujus anni ponitur. E Fossatensi monasterio rex perrexit Silvanectas, indeque ad sanctum Dionysium, ex iisdem Annalibus: quo ex loco, *post non multos dies*, ait Odo, *honorabilia beato Mauro transmisit munera, per Otulfum strenuæ probitatis monachum, pallia scilicet duo pretiosissima, quibus corpus ejus in diebus processionis & festivitatibus cunctarum decoratur sollemnitatum.* Hic est Ottulfus monachus, qui in catalogo monachorum Dionysianorum recensetur in litteris societatis eorum cum Remigianis, de qua suo loco egimus. Tunc Glannafolium Fossato a Carolo subjectum fuisse tradunt. De alia corporis sancti Mauri tum in pagum Remensem, tum in Saxiacense monasterium translatione inferius sermo erit.

* Cone.

XCVI. Carolus S. Dionysio nundinas Cornelarum tribuit.

Carolus ex urbe Silvanectis ad sanctum Dionysium in capite jejunii reversus, ibidem totum quadragesimæ tempus exegit, & Pascha celebravit. Dum istic moraretur, castellum in gyro monasterii ex ligno & lapidibus exstruendum curavit, & nundinas hebdomadales Corneliarum, quæ villa est pagi Vilcassini, monachis concessit, quibus antea ipsum locum assignaverat. Id factum ad preces Gerardi decani & sacerdotis, qui monasterium sub Carolo rege tum abbate procurabat. *Data IV. idus Aprilis, indictione secunda, anno* XXIX. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio sancti Dionysii.* Mancio levita hoc diploma ad vicem Gauzleni recognovit. Id factum proinde post pascha, quod hoc anno in tertium Aprilis incidit.

Inde paullo post Vermeriam profectus est Carolus, ubi synodus omnium ejus regni episcoporum habita VIII. kalendas Maii in causa Hincmari Laudunensis, ut modo notavimus. Ante iter suum ad vicum Conadam rex edixerat, ut episcopi, abbates, & abbatissæ *breves*, ut tum vocabant, id est recensionem bonorum suorum, quot quisque mansa haberet, ad futuras kalendas Maii afferre curarent. Idem injunctum vassallis & comitibus, mandatumque, ut singuli pro quota sua parte, alii unum *haistaldum* seu colonum pro centum mansis, & pro mille unum carrum cum duobus bobus, aliaque dona, quæ regnum magnopere gravasse dicuntur, ad pontem apud Pistas conficiendum subministrarent.

XCVII. Caroli diplomata pro Cella & pro Surrdensi & Arulensi monasteriis.

Dum rex Carolus in monasterio sancti Dionysii versaretur, Tricassino sancti Petri monasterio, quod tunc Nova-cella dicebatur, quasdam res proprietatis suæ, sitas

ANN. CHR. 869.

apud Tanoclarias * villam pagi Tricassini donavit xiii. kalendas Maii, indictione secunda. Actum in monasterio sancti Dionysii, anno regni ejus, non tricesimo-primo, ut [a] in editis, sed vicesimo-nono. Eodem tunc accessit Johannes abbas [b] Suredensis cœnobii sancti Andreæ, in pago Elenensi super fluvium Tacionum positi, eique exhibuit regiæ immunitatis & tuitionis præceptum genitoris ejus Ludovici augusti, supplicans, ut illud confirmare dignaretur. cui supplicationi rex assensum præbens, abbatem ipsum cum suo monasterio ac monachis sub regiæ tutelæ patrocinium suscepit, cum omnibus cellis ad eumdem locum in ipso pago pertinentibus, nempe cella sancti Martini, & cella sancti Vincentii: quarum alteram Miro, alteram Sisegutus abbates ædificaverant. Ad hæc eisdem liberam tribuit eligendi abbatis facultatem. *Data* vii. *kalendas Martii*, *indictione* ii. *anno* xxix. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio sancti Dionysii.* Frotgarius notarius ad vicem Goslini recognovit. Consimile ibidem præceptum [c] eodem die concessum est Arulensi monasterio sanctæ Mariæ, in pago Ruscinonensi, ad preces Hilperici abbatis.

[* *Tenolieres.* a *Camuzat fol.* 81. b *Marca Hisp.* c. 781. c *ibid. col.* 793.]

XCVIII. Placitum pro Exalatensi monasterio.

Mense Septembri hujus anni magna disceptatio facta est inter monachos Exalatenses, & Salomonem comitem Ruscinonensem de Canavellis alode vallis Confluentinæ, quem Ricosindus mandatarius seu actor ejusdem comitis de ejus beneficio esse asserebat. Contra Witiza Exalatensis abbas contendebat, alodem illum suo monasterio datum fuisse ab Anna & Rotrude matre ejus, filia Berani comitis quondam Ruscinonensis, cui hæc possessio, non ex fisco, sed ex hereditate parentum competebat. Hæc controversia disceptata est in placito ipsius Salomonis comitis, Eldesindi vicecomitis, aliorumque judicum tunc præsentium; ac sententia dicta secundum Exalatenses, quibus alodes ille adjudicatus [d] est xv. kalendas Septembris anno Caroli regis vicesimo-nono.

[d *Append. capitul. ut.* 98.]

XCIX. Vermeriensis synodi litteræ pro Carrofo.

Tempore synodi Vermeriensis episcopos adiit Guillelmus Carrofensis abbas, pridie kalendas Maii, eisque præsente rege obtulit præcepta, in quibus continebatur, quo pacto venerabiles patres ejusdem monasterii, Gumbaldus scilicet ac Walafredus, imperatoriæ dignationis munificentiam, id est, si bene capio, Ludovici augusti, expleverant, tria scilicet construendo monasteria, Carrofensi abbatiæ assignata: unum, quod dicitur Colonus, situm in pago Alnensi: alterum in Andecavensi exstructum in honorem sancti Saturnini: tertium in pago Santonico sub titulo sancti Florentii martyris. Ad hæc, quod idem princeps Fraxinidum villam pagi Belvacensis, & Montiniacum pagi Meldensis eidem abbatiæ restituisset. quæ omnia Guillelmus a synodo confirmari petiit. quod patres ratum habuerunt, suisque litteris ac subscriptionibus roborarunt.

C. Lotharii iter in Italiam & Casinum.

Interim rex Lotharius iter in Italiam parabat, humanitate illectus novi pontificis, a quo sui purgandi, siquidem criminis post excommunicatam Waldradam insons esset; aut, si reus, pœnitentiæ subeundæ copia ipsi facta est. Itaque, omnibus ad regni sui securitatem & tranquillitatem dispositis, mense Junio, tempore ad id itineris omnium minime opportuno, vix se committit, Theutberga se subsequi jussa; & fratrem Ludovicum imperatorem, qui tum Beneventana in Sarracenos expeditione occupatus erat, primum adire statuit, ut ejus auctoritate a pontifice retinendæ Waldradæ licentiam eliceret. Verum Ravennam usque jam progresso legati a Ludovico fratre occurrunt, suasuri, ut hoc consilium in aliud tempus magis opportunum differret. Perstitit nihilo secius in suo proposito Lotharius, & ad fratrem Beneventum contendit, extorsitque ab eo, ut Engelberga augusta secum *usque ad monasterium sancti Benedicti, quod in monte Casino situm est*, veniret, eodemque Hadrianus papa jussu imperatoris accederet. Facta omnia, ut ipse optabat. Accessit ad montem Casinum pontifex, rogatusque tum a Lothario, tum ab Engelberga, rem divinam fecit, ac sacram communionem Lothario porrexit, sacramento ab eo accepto, quod post excommunicatam a Nicolao Waldradam nihil cum ea commercii habuisset. Juravit ille falso quod exigebatur, idemque præstitere ejus proceres: qui omnes sacram ea conditione communionem acceperunt, ut hæc, si verum affirmassent, eis ad vitam; sin falsum, ad internecionem animæ susciperent. Tunc etiam laïcam communionem accepit Guntharius, olim Coloniensis antistes, se pontifici deinceps in omnibus obsecuturum professus: eaque professio scripto confirmata, ejusque manu subscripta est. *Data kalendis Julii, indictione secunda, in ec-*

ANN CHR. 869.

a Chron.Casin. lib. 1. c. 17.

Placentiæ moritur.

clesia Salvatoris, quæ est in monasterio sancti Benedicti in Casino, ut habet ipsa professio, relata in Annalibus Bertinianis. Ex quo redarguas eos, qui id Romæ factum tradunt. Ecclesia illa Salvatoris erat inferioris monasterii, a Gisulfo abbate [a] extructa; nunc collegiata opidi sancti Germani. Hinc conjicere licet, Teutgaudum jam tum obiisse, aut certe absentem fuisse, a quo similis professio elicita non est. Quamquam id jam ante cum aliis sponte præstiterat. Redeuntem Romam pontificem subsecutus est Lotharius: sed brevi postea domum revertens, cum Luccæ febre correptus fuisset, demum Placentiæ mortem oppetiit VIII. idus Augusti, sepultus in quodam monasteriolo suburbano. Similiter reliqui pæne omnes, ea sceleris tabe contacti, ante anni exitum variis casibus perierunt.

CI. Carolus regnum ejus invadit.

Bertulfus & Walto de Trevirensi sede certant.

b Frod.lib.3. c. 20.

Audita Lotharii morte, Carolus mox Silvanectis Attiniacum profectus est: ubi a quibusdam primoribus regni Lotharii ad vacuum regnum quantocius capessendum, dum frater ejus rex Germaniæ Ludovicus bello contra Winidos implicatus erat, invitatur. His non ægre assensit Carolus, & in urbem Mettas festinato accessit: ubi ab episcopis vicinarum civitatum, Adventio præsule in primis favente, in ecclesia sancti Stephani v. idus Septembris rex ab Hincmaro coronatus est. Carolus vero, ut Adventio gratiam referret, Bertulfum abbatem Mediolacensem, ejus propinquum, in locum Teutgaudi Trevirensis olim archiepiscopi ab Hincmaro Remorum pontifice ordinari curavit. Non tulit hanc injuriam rex Ludovicus, qui, dum causam suam pro regni portione ageret, Waltonem monachum Trevirensis diœcesis, forte sancti Maximini, Bertulfo objecit. Bertulfi partes Hincmarus Remensis non tantum suo, sed etiam Remigii Lugdunensis, Arduici Vesontionensis, Herardi Turonensis, Adonis Viennensis, & Egilonis Senonensis nomine strenue tuendas suscepit, litteris [b] ad Ludovicum datis, quibus eum a vexando Bertulfo, simulque a protegendo Waltone, dehortatur. quippe Bertulfum, citra regis ipsius contemtum, in ecclesia jam dudum vacante, unanimi consensu legitime & regulariter ordinatum fuisse, seque invitatum id præstitisse, utpote provinciæ primatem: *& quia tot in eadem provincia suffraganei non erant episcopi, ut metropolitanum regulariter ordinare valerent:& quoniam ecclesiæ Remensis & Treverensis comprovinciales atque sorores, & ex auctoritate, & ex antiqua consuetudine habentur: ea conditione, ut, qui prior eorum fuerit episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in synodo, & sibi mutuo consilio & auxilio foveantur. atque fulciantur. unde Treverensis provinciæ episcopi a primate provinciæ Remorum solatium suæ ordinationis secundum sacras regulas quæsierunt, sicut sancti Sardicenses ca-*
» *nones dicunt.* Ceterum Waltonem præsumtorem esse & apostatam monachum de
» monasterio Treverensis parochiæ, qui hanc ecclesiam exitiabiliter usurpaverat & læserat, nec umquam posset esse episcopus. An vera fuerint hæc, quæ de Waltone scribit Hincmarus, nescimus: at certum est Bertulfi ordinationem obtinuisse: Waltonem vero sancti Maximini abbatiæ præfectum fuisse. Verum mirari subit, quod Hincmarus ait, tot in provincia Trevirensi non fuisse episcopos, quot ad Bertulfi ordinationem necessarii erant: cum eo tempore tres comprovinciales ecclesiæ suos haberent episcopos, Mettensis Adventium, Virdunensis Attonem, & Tullensis Arnulfum: qui omnes prædictæ Caroli coronationi adfuere. Hanc vero maxime improbavit Hadrianus papa, ut litteræ ejus testantur.

CII. Waldrada ad S. Romaricum se recepit.

Lutrensis abbatia Heberardo comiti data.

Hac subita Lotharii morte consternata Waldrada nequissima femina, Theutbergæ justam iram reformidans, conversionis specie ad monasterium sancti Romarici se recepit, sumtoque velo ibidem aliquamdiu conversata est. Cumque abbatiam Lutrensem, quam a Lothario acceperat, sibi mox auferendam non dubitaret; Heberardo Alsatiæ comiti, consanguineo suo, eam advocationis titulo commisit. Ille vero, ut erat lucri avidus, & sacrorum invasor locorum, hac occasione abusus, hanc abbatiam in propriam hereditatem convertit; additoque sceleri scelere, Adallindam legitimam conjugem repudiavit, ut alienis adhæreret. quod ipsi & uxori exitio fuit. Hic enim demum vermibus scatens, Herodiana morte consumtus fuisse traditur. Eamdem abbatiam, quasi hereditario jure, post mortem patris adiit Hugo comes: qui territus subita contractione trium filiorum, qui sepulcrum sancti Deicoli eo, quo par erat, honore non tractaverant, ipse cum tribus filiis suis resipiscens, monachum induit, & disciplinam regularem eodem in loco per venerabilem Baltramnum abbatem restitui curavit, ut fusius suo loco dicturi sumus.

ANN. CHR. 869.

CIII. Caroli donatio facta S. Luciano.

Paullo ante id tempus Carolus, ad preces Odonis Bellovacensis episcopi, villam ejusdem pagi, vocabulo Luciacum *, suburbano monasterio sanctorum martyrum Luciani, Maxiani & Juliani integram contulit. Hujus villæ mediam partem olim a prædicto monasterio in beneficium tenuerat Rodingus regis capellanus: quo mortuo, Carolus hanc portionem, rogante Odone, sancto Luciano restituerat. Alteram vero partem itidem habebat ejusdem regis vassallus, nomine Sigefridus: post cujus obitum rex integram villam eisdem fratribus contulit pro remedio animæ fidelis ac carissimi quondam vassalli sui Widonis, cujus anniversarium ibidem instituit. Sed quia is eodem die, quo divæ memoriæ Ludovicus augustus, ipsius Caroli genitor, nempe XII. kalendas Julii, decesserat; Widonis anniversarium in decimum kalendas ejusdem mensis rex transfert, quo die refectionem fratribus ex eadem villa præparari jubet: sic tamen, ut præter hoc anniversarium, sicut pro unoquoque monachorum ex eodem cœnobio a sæculo migrantium; ita pro absolutione animæ ipsius Widonis in missis ac psalmis, aliisque precibus eadem fiant. *Data IV. kalendas Julii, indictione secunda, anno XXX. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum apud Salas* Basiu.* qui locus est prope Malliacum in pago Ambianensi. Ubi *Salarum* nomine intelligendum regale ejusdem palatii atrium, ut in Supplemento librorum de re diplomatica capite XI. ostensum est.

* *Luchy.*

* *Baisieu.*

CIV. Synodicæ litteræ S. Petro Senonensi. S. Benigni monachis partio assignata.

Mense Augusto subsequente, dum idem princeps apud Pistas moraretur habita est de more synodus episcoporum, in qua Egil Senonum archiepiscopus petiit, ut villa Sevriaci, sita in comitatu Senonensi, monasterio sancti Petri, ad orientalem ejus urbis partem posito, cum suis appendicibus restitueretur, cum ecclesia sancti Petri, sita in vico Alsonis. quod patres ratum habuere, ac synodicas hac de re litteras subscripsere, editas in Spicilegii tomo secundo & in collectione conciliorum Labbeana. Sancti Petri monasterio tunc præerat Aquila Didonis successor, ipsiusque Egilis discipulus, *qui omni philosophia eruditus* a Clario dicitur. In eadem villa regia, scilicet Pistis, Carolum adiit Isaac Lingonum episcopus, petiitque, ut quasdam res ac possessiones deputare dignaretur [a] ad usus & stipendia monachorum cœnobii sancti Benigni Divionensis, quod ipse pessumdatum ac pæne adnullatum restruxerat & redintegraverat, restitutis eo loci monachis, qui sub regula sancti Benedicti ibidem militarent: ubi sepulturæ suæ locum præparaverat. Isaaci petitionem ratam habet Carolus, numerans prædia & possessiones, quæ in usus fratrum perpetuo cedere deberent: ita ut nulli Lingonensis ecclesiæ antistitum liceat ex eisdem rebus quidquam subtrahere vel minuere, vel in alienos usus detorquere. *Data XII. kalendas Augusti, indictione secunda, anno XXX. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum apud Pistas villam.* Utrumque præceptum Hildeboldus notarius ad vicem Gosleni recognovit. Exstat apud Labbeum [b] notitia judicati, quo Bertilo chorepiscopus & abbas sancti Benigni servos quosdam evindicavit. Denique Carolus rex Mettis insequenti mense exsistens, quamdam [c] sancti Hilarii capellam in Jussiaca villa pagi Muslensis sancto Arnulfo tribuit ad deprecationem carissimi filii sui Karlomanni reverendi abbatis. *Data V. iduum Septembrium, indictione secunda, anno XXX. regnante Karolo gloriosissimo rege, & primo in successione regni HLotharii. Actum Mettis civitate.*

a *Perard.* p. 149.

b *Mesllanges histor.* p. 470.

Diploma pro S. Arnulfo.

c *Capitul.* to. 2. col. 1489.

CV. Salomonis ducis litteræ ad Hadrianum papam, & responsio.

Ad hunc annum refert Argentræus, & ex eo Baronius, litteras Salomonis Britanniæ ducis ad Hadrianum pontificem, à quo pallium petit pro Festiniano Dolensi episcopo, cui a Nicolao papa negatum fuisse dicit, propterea quod nomen suum ejus nomini in fronte epistolæ præposuisset, quam nec sigillo suo obsignaverat, nec per idoneum legatum miserat. tum ait animo propositum sibi fuisse adire urbem Romam causa orationis: at Brittones suos obstitisse ob paganos, qui Britanniam infestabant. ideoque munera quædam pontifici mittere, nempe statuam auream ad ejus magnitudinem cum lapidibus diversi generis, & mulum optimum cum sella, & camo, & freno; triginta camisias, totidemque drapas laneas, variis tinctas coloribus, cum triginta cervinis pellibus, & totidem palliis pedalibus ad usus ejus domesticorum; insuper trecentos solidos denariorum, quotannis deinceps persolvendos. quæ omnia pontifici grata & accepta esse cupit, mittitque per Harennam episcopum, & Felicem archidiaconum: tum ut dignitas, sibi a superioribus pontificibus collata, confirmetur: tum ut quasdam reliquias impetret pro novo monasterio, quod ipse ædificabat. Sequitur apud eosdem auctores Hadriani

ANN. CHR. 869.

responsio, asserentis, se per septem dies cum tribus cardinalibus orationi ac jejunio vacasse, ac demum, Spiritu-sancto revelante, sibi visum esse, ut de corpore beati Leonis papæ, qui olim per iuvidiam Romanotum oculis ac lingua orbatus fuerat, brachium, grande quidem munus, ei mitteret, cum pallio pro Festiniano episcopo. Utrasque vero litteras antiquas esse non dubito: at genuinas præstare nolim ob stilum & res illis temporibus parum convenientes. Certe Salomoni non a Romano pontifice, sed a Carolo rege permissum fuit circulo aureo & purpura uti, & proprium numisma, & omoia regi convenientia habere, ut ex schedis monasterii sancti Michaëlis notat Sirmundus. unde non mirum, si se regem aliquando ferebat. quod sane elogium ei tribuit Nicolaus papa in epistola LVI. quæ *Salomoni regi Brittonum* inscripta est.

CVI. Ejusdem litteræ pro Plebelanio monasterio.

In illis autem epistolis, cujuscumque demum sint auctoritatis, Festinianus positus videtur pro Fastcario episcopo, qui primus nominatur in epistola synodica concilii Saponariensis ad episcopos Brittunum, qui a metropolitano suo descive-rant. Haud scio an melioris notæ sit ejusdem Salomonis diploma de conditu ac dotatione monasterii Plebelaniensis, Richardo abbati concessa, in qua Salomon inducitur, exponens, se Conwoionem abbatem cum Rothonensibus monachis profugis ibidem excepisse, ubi & sepultus sit, & venerabilis conjux ipsius Salomonis Guihenereci, & ipse velit etiam sepeliri; ac sanctissimum Maxentium, sibi pro magno munere traosmissum, ibidem collocasse: qua in epistola enumerat varias oblationes, quas eidem monasterio fecerat. At, licet argumentum epistolæ verum sit, ridicula est ipsa inscriptio, in qua *Salomon Dei gratia totius Britanniæ, magnæque partis Galliæ princeps* dicitur. Ceterum ad argumentum hujus diplomatis confirmandum valet id, quod anonymus scriptor vitæ sancti Conwuionis scribit, nempe ipsum ejusque monachos, antequam Normanni Rothonense monasterium everterent, acceptis in sinum sanctorum pignoribus ac ceteris ecclesiæ thesauris, eorum furori cessisse, & ad Salomonem se contulisse. qui eos favorabiliter excepit, atque ad subsidium vitæ abbati ac monachis *tradidit eleemosyna sempiterna regiam, quam sibi in Plebelam construxerat, cum designata terminis possessione.* quod unum est superioris diplomatis argumentum, in quo pro Richardo abbate legendum Ricandus, Conwoionis in Plebelanio successur. Processu temporis, ob translatas istuc, ut perhibent, sancti Maxentii abbatis reliquias; appellatum est sancti Maxentii monasterium, idque nomen etiam nunc retinet, non jam abbatia, sed cella monasterii Rothonensis.

CVII. Hirmentrude mortua, Carolus Richildem uxorem ducit.

Revertor ad Carolum regem, cujus conjux Hirmintrudis regina in monasterio sancti Dionysii pridie nonas Octobris decessit, ibidemque sepulta est. Hoc nuntium in villa Duaiaco * ad Carum cum rex accepisset, nullum dolori spatium dedit: sed mox Richildem, Buvini quondam comitis filiam, Bosonis sororem, ad se adductam in thorum concubinæ primum nomine adscivit: ob idque eidem Bosoni abbatiam sancti Mauricii cum aliis honoribus dedit. qui Boso postea rex Provinciæ dictus est, frater Rodulfi Burgundiæ ducis. Paullo post tamen eamdem Richildem sollemni ritu desponsatam atque dotatam in conjugem accepit. Dein ex villa Duziaco Carolus Aquas se contulit, residuos regni Lotharii accepturus honores; inde ad Gundulfi-villam: ubi Hadriani papæ legatos offendit, conquerentes, quod, prætermisso Ludovico imperatore, qui rei publicæ negotiis occupatus erat, regnum Lotharii, ei hereditario jure debitum, invasisset. Mox rex falso rumore deceptus, fratrem scilicet suum Ludovicum in extremis agere, in Alsatiam properavit: atque inde Aquas reversus est, natale Domini celebraturus.

* *Douay.*

CVIII. S. Cæsarii abbatia Rotlando archiepiscopo data.

Non solum virorum mulieribus, sed etiam puellarum abbatiæ viris qoandoque illis temporibus dabantur. Exemplo est sancti Cæsarii abbatia Arelatensis, quam sub tam gravi interminatione sanctus Cæsarius episcopus, ejus conditor, episcopo Arelatensi interdixerat, eamque ob causam Romani pontificis tutelæ commiserat. Hanc nihilo minus Rotlandus ejus urbis archiepiscopus ab Ludovico imperatore & Engelberga augusta non vacua manu adeptus est. Hinc in insula Camaria *, in qua plurimæ ejus abbatiæ possessiones sitæ erant, castellum contra Sarracenos opere tumultuario ex sola terra ædificare cœpit, auditoque eorum adventu, in illud imprudenter se inclusit. Verum a Sarracenis eo appulsis, trecentis amplius suorum amissis, captus ipse, in una eorum nave religatur. Pactæ ad ejus redemtionem

* *la Camargue.*

argenti libræ centum & quinquaginta, totidemque mantelli cum totidem spathis ac mancipiis. Interea ipse in navi moritur XIII. kalendas Octobris. Sarraceni vero mortem ejus dissimulantes, accelerata redemtionis solutione, episcopum pontificalibus indutum vestibus, & in cathedra sedentem ad terram usque deportarunt. quem cum vellent alloqui Arelatenses, mortuum invenerunt. Hunc itaque cum magno luctu, nec minori pudore exportantes, in sepulcro, quod ipse sibi præparaverat, X. kalendas Octobris humaverunt. ANN. CHR. 869.

CIX. Ebo episc. Gratianopolitanus obit.

Eodem tempore in sede Gratianopolitana Ebo episcopus, Ebonis Remensis nepos, mortuus Bernario locum fecit. Quo die obierit, quove in loco sepultus sit, veteres non produnt. Annum ejus obitus colligimus ex litteris Ludovici imperatoris, in Gallia-christiana relatis, quibus Bernarii ejus successoris electio hoc anno probatur. Ebonem laudat Hincmarus archiepiscopus, tametsi in eum offensus: tum quia Ebonis ejus æmuli nepos erat: tum quia censebatur auctor Valentinæ synodi canonum, qui in ipsius Hincmari capitula Carisiacensia conditi erant. Et tamen in epistola ad Carolum Calvum, a Frodoardo [a] relata, Ebonem laudat, *qui religiosus est ut audivimus*, inquit, *quippe, sicut ab ipsis pene cunabulis, sub religione & habitu regulari nutritus in Remensis ecclesiæ monasterio, ubi requiescit S. Remigius: in quo loco religioso suam exegit ætatem, quousque a domno Ebone avunculo suo, tunc Remorum archiepiscopo, ibidem diaconus consecratus, & abbas monachorum ad regularem ordinem tenendum & gubernandum constitutione episcopali est ordinatus. quemque ita humilitatis tenore nutritum, & humilitatis locum appetere, & tenere velle didicimus &c.* Eum tamen superbiæ non obscure arguit Hincmarus in eadem epistola, propterea quod Valentinæ synodi capitula, *prætermissis aliorum consacerdotum nominibus* (quæ ob id ab eo *confecta* esse se non credere simulat Hincmarus) *solius Ebonis nomen cum archiepiscopis*, scilicet Remigin, &c. *est ibidem jactanter, ut quibusdam videtur, expressum: & quod quam maxime in hoc ipse collaboraverit, quasi e regione sit sensum, ut etiam cum archiepiscopis major ceteris & doctor in sententia fuerit. Hoc enim de S. Augustino, qui in conciliis Africanis sententia & labore ac vigilantia major exstitit, nequaquam invenimus.* Verum, etsi forte in illo synodi Valentinæ exemplari, quod Hincmaro missum fuerat, solius Ebonis nomen cum archiepiscopo expressum fuerit; at in primariis concilii exemplaribus quatuordecim ex tribus provinciis episcoporum nomina subscripta erant, quamvis in editis libris octo tantum episcopi subscripti inveniantur, & post eos Audincus chorepiscopus, quia nimirum *aliæ subscriptiones in manu-scripto excisæ erant*, ut notavit Sirmundus, qui illius synodi acta vulgavit. sed de his, & de Ebone satis.

[a] Frod. lib. 3. c. 15.

CX. Thiotoni Fuldensi abbati suffectus Sigehardus.

Hoc ipso anno Thiotonem Fuldensem abbatem depositum fuisse tradit Lambertus monachus: at causam hujusce depositionis nullam affert. Id Ludovici & Caroli certaminibus tribuit Browerus, quasi Thioto, qui legatione pro Ludovico rege ad Ludovicum imperatorem egregie perfunctus fuerat, Caroli partibus præ Ludovici regis sui causa faverit, ob idque Ludovici jussu magistratu dejectus fuerit. Huic telo brevi succubuit, siquidem eodem anno humana reliquit, teste Browero, vir promtæ voluntatis in sublevandis egenorum ærumnis. Huic suffectus Sigehardus seu Sigehartus, quem Lambertus *virum religiosum*, veteres chartæ *pium pastorem* vocant. Is laudabiliter ac *rabanice*, id est Rabani more, abbatiam gubernasse, ac vitam suam, suorumque monachorum, secundum regulam vivendo, nobilissime rexisse dicitur. Ad hæc thecam evangeliorum auream lapillis ornasse, & anniversariam vita functorum memoriam celebrem instituisse. Variæ eo abbate donationes factæ leguntur in libro secundo traditionum Fuldensium ab hoc anno. nam anni superioris donationes ad Thiotonem referuntur, saltem [b] usque ad mensem Augustum. qui annus cum Ludovici regis vicesimo-octavo comparatur, ejus regni desumto exordio, non ab anno ejus sæculi tricesimo-tertio, ut in aliis, sed ab anno [c] quadragesimo, qui Ludovici augusti ejus patris supremus fuit. qua de re superius egimus. Ex his conficitur, corrigendam esse temporis notam in quadam charta [d] earumdem traditionum, quæ Sigehardo abbate facta dicitur *anno* XXVI. *regnante Ludovico gloriosissimo rege orientalium Francorum*, ejusque loco reponendum annum XXIX. quod evincitur ex synodica epistola concilii Wormatiensis, superius [e] memorata, cui Thioto abbas subscripsit una cum Gunzone Wormatiensi episcopo e nostris, qui, uti & Thioto, hoc anno vita functus est XIV. kalendas Decembris, vir

[b] Trad. Fuld. p. 568. 569.

[c] lib. 33. n. 30.

[d] ibid. p. 569.

[e] num. 92.

ANN. CHR. 869

sanctissimæ vitæ, ut apud Bruschium legitur. Ad eumdem calculum exigenda sunt duo prædicti regis Ludovici diplomata pro Herifordensi parthenone, a Schateno [a] relata, quibus prædia quædam eidem cœnobio confert, annis XXVI. & XXVII. regni sui, tempore Hadewigis abbatissæ consanguineæ suæ. His tertium adjungitur, datum in ipso monasterio anno sequenti.

[a] *Annal. Paderborn p. 117. & seqq.*

CXI. Octavæ synodi generalis quædam canonda.

In oriente octava synodus generalis Constantinopoli, agente Basilio imperatore, hoc anno celebrata, decem actionibus comprehensa est: in qua restitutus in patriarchalem thronum Ignatius, & Photius depositus. In secunda actione pænitentia lapsis episcopis, qui scilicet Photio adhæserant, vel ab eo ordinati fuerant, imposita est in hunc modum: ut, qui carnibus vesci solebant, a carnibus, caseo & ovis abstinerent: qui vero carnes non comedebant, nempe qui ex monachis episcopi facti fuerant, a caseo, ovis & piscibus, quarta feria & parasceve seu feria sexta abstinerent, legumina & olera comederent cum oleo & pauco vino, singulis diebus quinquaginta genuflexiones facerent, & centies *Kyrie eleison*, centies itidem *Domine peccavi*, & *Domine ignosce mihi peccatori*, ac sextum atque tricesimum-septimum psalmos recitarent. In septima actione damnatus Photius illius sedis invasor; ejusque damnationi episcopi, non simplici atramento, sed, horrendum dictu! calamo sanguine Salvatoris intincto subscripserunt. Sententia etiam dicta est in falsos testes, qui contra Ignatium testimonium dixerant; statutumque, ut hi duobus annis extra ecclesiam essent, totidemque inter audientes divinas scripturas, absque communione; quatuor illis annis abstinentes a carnibus & vino, præter dominicos dies & dominicas festivitates; deinde aliis tribus annis stantes cum fidelibus, divinæ communionis solis dominicis festivitatibus participes: ita ut tribus singularum hebdomadum diebus, secunda scilicet, quarta & sexta feria, a carnibus & vino abstinerent. Id factum actione octava, in qua damnata est prava consuetudo quorumdam laïcorum illusorum, qui sacerdotalibus induti vestibus palam progredi, & sacra facere consuevissent, quod Michael imperator & Photius intrusus dissimulaverant. Quædam vestigia tam perniciosi moris superioribus patrum nostrorum sæculis in quibusdam Galliarum locis adhuc perseverabat sub nomine *festi follorum* seu *fatuorum*. Ultima actione reprobata est eorum sententia qui dicebant, synodum quamlibet sine præsentia principis non posse celebrari: cum constet, principes solis œcumenicis conciliis interfuisse.

Decretum de monachis episcopis.

In eadem synodo conditi sunt canones viginti-septem, quorum ultimo decernitur, ut ii, qui ex monastica vita ad episcopalem honorem promoti fuerint, *schema & amictum monachicorum indumentorum, & ipsam beatam vitam conservent*; & nullus ex eis hæc abjiciat, *ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum*. Qui secus fecerit, *aut corrigatur, aut a patriarcha proprio* deponatur. Huic synodo generali cum apostolicis legatis interfuit Anastasius abbas superius laudatus, tunc sanctæ Romanæ ecclesiæ bibliothecarius, qui Romam reversus acta hujus synodi latine vertit. Cum vero in illa regia urbe versaretur, septimam synodum generalem latini itidem juris fecit: in cujus versionis præfatione Gallos adhortatus est ad colendas imagines more & exemplo Græcorum, eum ad modum, quo crucem & librum evangeliorum Galli ipsi venerabantur. Ex quo intelligitur, Gallos ad id temporis nondum omnino assuefactos fuisse ritui Græcorum, idque testantur Annales Bertiniani, in quibus octava synodus irreverenter habetur, & ad triennium differtur, forte quod eam confuderit annalista cum Photiana synodo, quæ octavæ loco a Photianis supposita est. Hæc paullo extra metas, sed necessaria ad res sequentes illustrandas.

ANNALES

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER TRICESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 870. ad annum 877.

ANN. CHR. 870.

I. Lothari regni divisio inter duos fratres.

OCCUPATUM a Carolo regnum Lotharii graviter ferens Ludovicus Germaniæ rex, in apertum bellum contra eum denuo prorupisset, nisi, agentibus utrimque legatis, ad amicum colloquium, ac demum ad pacificam regni divisionem ventum esset. Convenere Aquisgrani utriusque partis legati pridie nonas Martias, anno ejus sæculi septuagesimo, cui conventui Liutbertus archiepiscopus Moguntinus, & e nostris Altfridus Hildenesheimensis, & Odo Bellovacensis episcopi, cum sex comitibus interfuere. Hæc porro divisio v. kalendas Augusti fieri cœpit ad Mosam fluvium, in meditullio inter Heristallum, ubi Carolus; & Marsnam, ubi Ludovicus tum residebat. Ludovico urbes Colonia, Aquisgranum, Treviri, Trajectum ad Rhenum, Mettæ, Argentoratum, & Basilea obtigere: Carolo Logdunum, Vesontio, Vienna, Tungri, Tullum, & Virdunum cum adjacentibus utrisque locis abbatiis & monasteriis. Id acerbe tulit Ludovicus imperator, Sarracenico tunc bello in Benevento distentus, qui fraternam hereditatem ad fratrem potius, quam ad patruos pertinere contendebat: sed irritæ ejus querelæ, uti preces ac minæ Hadriani pontificis, qui ad duos fratres reges, & ad utriusque partis episcopos sine fructu scripsit. Affereodus in hoc loco videretur index monasteriorum, quæ in utraque portione recensentur: at satius duxi eum ad calcem hujusce voluminis rejicere, ne tædiosa enumeratione series narrationis interrumperetur.

II. Guelfoni abbati Centulensi suffectus Carolomannus.

Dum Carolus Aquis resideret, ad eum accessit Carolomannus ejus filius, monasterii sancti Richarii abbas, rogaturus, ut quamdam villam * ipsius ecclesiæ, Durcaptum vocabolo, quam quidam Hungarius jure beneficiario olim tenuerat, ad luminare ipsius sancti Richarii concedere dignaretur. Petenti filio benigne annuit pater, ea conditione, ut ad pedes sancti confessoris *tria luminaria olei assidue ardeant*, & ut unumquodque altare ipsius ecclesiæ proprium singulis noctibus habeat luminare, quod ut melius fiat, quædam alia monasterio ipse confert. *Data xviii. kalendas Februarii, indictione iii. anno xxx. regnante Carolo rege, & in successione Lotharii anno primo. Actum Aquisgrani palatio.* Itaque ante hoc tempus Carolomanno hæc abbatia concessa fuerat, ablata scilicet Guelfoni abbati, qui eam

* Spicil. to. 4. p. 535.

ANN. CHR. 870.

post Carolomanni defectionem recuperavit, ut postea videbimus. Fallitur proinde Hariulfus, cum Guelfoni abbati exstincto Carolomannum abbatem successisse tradit.

III. Caroli donatio facta Blandinio.

Antequam prædicta regni Lotharii divisio fieret, Carolus Aquis Compendium venit, ibique duodecim missos fratris sui Ludovici, qui de hac divisione tractarent, ad suam audientiam admisit. Eodem etiam accessit Balduinus abbas monasterii, *quod vocatur Blandinius*, a sancto Amando episcopo in monte Blandinio prope Gandavum exstructi, ejusque rogatu rex fratribus, in eadem ecclesia digne Deo militantibus, villam *in pago Wasia* * *super fluvium Scaldæ*, vocabulo Temsecam, dedit, cum ecclesia beatæ Mariæ & sancti Petri apostolorum principis, ubi sancta
» Amalberga a sæculo ad Christum migraverat, cujus corpus tunc in eodem cœno-
» bio quiescebat. *Data idus Aprilis, indictione iii. anno xxx. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Compendio palatio regio.* quod præceptum, a Sandero [a] editum, Hildeboldus notarius ad vicem Gosleni recognovit. Translationem ejusdem sanctæ Amalbergæ paullo ante procuraverat Robertus venerabilis ejusdem loci abbas, ut in actis sanctorum nostrorum, Sæculo quinto [b] legitur.

* le pais de Vas.
a Sand. p 262.
b Sæc. 5. Benedict. p. 264.

Diploma pro S. Dionysio.

Post venationem autumnalem, quam in Cotia * silva prope Compendium exercuerat rex Carolus, sancti Dionysii monasterium adiit, ejusdem sancti festivitatem celebraturus, ut in Annalibus Bertinianis ad hunc annum legitur. Cum illic versaretur, Riogilum * villam agri Parisiensis eidem monasterio contulit ad instituenda septem luminaria ante altare sanctissimæ Trinitatis, ad pedes ejus tumuli olim positum, quæ tam die, quam nocte perpetuo arderent: quorum unum esset pro patre suo Ludovico augusto, alterum pro sua genitrice Judith imperatrice, tertium pro se ipso, quartum pro Hirmintrude conjuge, quæ anno superiori obierat; quintum pro Richilde, quam recens uxorem duxerat; sextum pro liberis suis, tam vivis, quam mortuis; septimum denique pro Bosone ac Widone, ceterisque familiaribus suis. Paullo ante [c] ejusdem Widonis anniversarium apud S. Lucianum instituerat.

* de Cuise.
* Ruel.
c supra lib. 36. n. 103.

IV. Ejusdem præceptum pro cœnobio Vabrensi.

Mense Junio insequente, idem princeps immunitatis præceptum Vabrensi monasterio concessit ad preces Bernardi Tolosani marchionis, cujus pater Ragemundus, seu Raymundus, comes prædictum monasterium in honorem sancti Petri construxerat, ibidemque *ad divinum officiam sacerdotes & levitas*, ceterosque ministros constituerat, id est monachos Palnatenses, cum Adalgasio abbate palabundos ob eversum a Normannis ipsorum monasterium; *suumque filium ibidem ad serviendum tradiderat*, nempe Benedictum, ejusdem Bernardi fratrem. Eidem monasterio post Adalgasium tunc præerat Rollandus abbas, antea ipsius Ragemundi clericus, qui se, resque suas sub monastico ordine ibidem Deo tradiderat. quæ omnia eidem Rollando abbati, & post ipsius decessum Benedicto, filio Ragemundi, rex confirmat. *Data xi. kalendas Julii, indictione iii. anno xxx. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Morianis-valle.* Ita apud Catellum [d] in historia comitum Tolosanorum, ubi is hunc Bernardum esse Hincmari propinquum opinatur. Forte legendum in notis chronicis *xv. kalendas Julii*, aut certe Karoli regis *anno xxxi.* qui a duodecimo kalendas Julii incipiebat. Morianis-vallis * locus est prope Compendium.

d Catel. p. 74.
* Marimval.

Hadriani bulla pro Crassa.

Eodem anno Sunifredus abbas Orbionensis, seu Crassensis beatæ Mariæ monasterii, siti in pago Carcassensi, ab Hadriano papa obtinuit privilegium, quo universæ ejus possessiones confirmantur. Id factum indictione tertia, ut in contextu privilegii legitur, quod ceteris chronicis notis in tabulario Crassensi destitutum est. Hunc Sunifredum seu Sungfredum abbatem quidam perperam, ut mihi quidem videtur, confundunt cum Suniario ejusdem cœnobii abbate, qui ante annos quindecim consimile privilegium a Carolo rege impetraverat.

V. S. Trudonis bona recensentur.

Hoc ipso *anno ab incarnatione Domini octingentesimo * septuagesimo, indictione tertia, & anno decimo-tertio sedis domini Adventii gloriosi præsulis* Mettensis, sub die *decima-octava Kalendarum Septembris*, jussu ipsius descriptio rerum omnium, quæ ad sancti Trudonis abbatiam pertinebant, facta est per ipsius legatos, Fredelonem & Herigandum. nimirum quod istud monasterium Mettensi sancti Stephani ecclesiæ a sancto Trudone ejus auctore ab origine subjectum fuisset. In illa descriptione primo recensentur ea, quæ in thesauro habebantur, scilicet reba seu repa, id est umbella, corporis sancti Trudonis, auro argentoque fabricata; item *reba*

* in edit. male septingentesimo.

ANN. CHR. 870.

ſancti Eucherii epiſcopi Aurelianenſis ex argento ; altare ſanctæ Mariæ, & beati Petri auro, argentoque *imaginatum*, id eſt imaginibus ornatum, *cum ciborio* eidem impoſito, e cujus medio corona ærea deaurata pendebat. Ciborium itidem umbella erat, quatuor paſſim fulta columnis ſuper altare : at repa ſuper tumulos ſanctorum, quæ alio nomine freda dicebatur. Ad hæc recenſentur altare in honore ſancti Stephani argento paratum ; capſa gemmis auroque inſignita ; item aliæ numero vinginti-una, argento tectæ ; cruces, cum majores, tum minores, argento *parata* decem ; capſæ evangeliorum argento paratæ tres ; calices argentei cum patenis novem-decim ; item aliæ patenæ ſex ; & calix aureus cum patena argentea ; altaria parva argento parata quinque ; candelabra argentea ſeptem ; *buxta* argenteæ ſeu acerræ duæ ad ferendum incenſum ; offertoria argentea ſeptemdecim ; ſcyphi argentei quatuor ; vita ſancti Trudonis imaginibus decorata ; lampades argenteæ quinque, & ſeptem ex ſtanno ; coronæ argenteæ duæ ; *lambitta* duæ argento tectæ, legendum videtur *cambutta*, id eſt baculi paſtorales ; vexilla quatuor, cappæ triginta-tres pretioſæ *de pallio*, caſulæ duodecim pretioſæ *de pallio*, id eſt ex panno ſericeo ; *pallea* ſeu pallæ lineæ, ſerico coopertæ decem ; aliæ ſine ſerico nonaginta-octo ; & alia plura. Ad victum fratrum ſpeltæ ad conficiendum panem corbi centum & viginti, ſeu modii mille ſexcenti ; ad cerevisiam faciendam hordei corbi centum nonaginta duo, id eſt modii mille nongenti ac viginti ; porci ſaginati quindecim, nempe ad ſagimen ex eis exprimendum ; leguminis modii ſexaginta, ſalis modii viginti quatuor. Hæc fortaſſe minutiora, ſed tamen haud inutilia ad res noſtras illuſtrandas.

VI. Ado S. Deſiderii vitam cum reliquiis mittit ad S. Gallum.

Nortkerus monachus in martyrologio auctor eſt, Adonem Viennenſem pontificem hoc anno ad Sancti-Gallenſes monachos miſiſſe libellum ab ſe ſcriptum de paſſione ſancti Deſiderii ejuſdem eccleſiæ epiſcopi & martyris, cum ejus reliquiis, aliiſque ſanctorum pignoribus, per Beroldum presbyterum, eorumdem locorum indigenam, *ſed nunc*, inquit, *in caſtro Turcio*, an Turicino, *degentem*. Editus eſt ab Henrico Caniſio [a] hic libellus, cui præfigitur ipſius Adonis præfatiuncula, *anno incarnationis Domini* DCCC LXX. *indictione tertia*, cum eadem paſſione directa *dilectiſſimis fratribus & filiis* eccleſiæ Viennenſis : qua in præfatione ait, ſe beatiſſimi Deſiderii vitam & martyrium *ex antiquis ſcriptis* novo ſtilo commiſiſſe, ut ejus incitamentis & ſtudiis ad amorem vitæ æternæ amplius inflammarentur. In fine libelli eadem ferme repetit : cui Iſo monachus ſancti Galli, qui tum vivebat, hanc adnotationem appoſuit. *Hanc autem paſſionem præfatus Ado epiſcopus nobis fratribus, in cœnobio ſancti Galli ſub Grimaldo abbate Deo militantibus, reliquiaſque ſancti Deſiderii ab eo poſtulantibus, cum ipſius aliorumque ſanctorum reliquiis, actibus quoque & paſſionibus infra deſcriptis, anno ſupra memorato per nuntios ſatis fideles dirigere curavit.* Quid cauſæ Sancti-Gallenſes impulerit ad petendas ſancti Deſiderii ab Adone reliquias, non facilis conjectura. Forte id ipſis venit in mentem ob ſancti Galli devotionem erga ſanctum Deſiderium : qui Gallus geſtare ſolebat *pendentem collo capſellam, in qua continebantur reliquiæ beatæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum martyrum Mauricii & Deſiderii.* Præter ſancti Deſiderii paſſionem & reliquias, idem Ado ſancti Galli monachis *actus & paſſiones* ſeu *agones*, id eſt martyrologium ſuum, miſit.

a Antiq. lect. to. 6. p. 444.

VII. Velnenſem eccleſiam ſancto Augendo confirmat.

Idem Velnenſem eccleſiam monaſterio ſancti Augendi confirmavit in ſynodo Viennæ hoc anno congregata, cui ipſe præſedit. Ad hanc cum adveniſſet reverendus [b] vir Manno præpoſitus cœnobii ſancti Augendi ſeu Eugendi Jurenſis, ſynodo ſignificavit, eidem loco quamdam ſancti Petri eccleſiam, in villa Velnis diœceſis Viennenſis ſitam, ab anteceſſoribus ejuſdem Adonis conceſſam eſſe : contra quam conceſſionem rector vici ſancti Albani reclamaret. « & jam quidem inquiſitionem hac de re factam « fuiſſe temporibus piæ recordationis domni Agilmari archiepiſcopi, occaſione ſimi- « lis altercationis, quam rector ejuſdem vici excitaverat ; eamque irritam fuiſſe judi- « catam : ſed quia hæc pontificis ſententia canonicorum ſubſcriptionibus roborata non « fuerat, placuit ſanctiſſimo pontifici totam hanc cauſam a capite per ſanctiſſimos « presbyteros denuo iterari : ut, veritate comperta, vetus hæc demum controverſia « penitus finiretur. Ea itaque rurſus diſcuſſa, viſum eſt domno pontifici una cum con- « ſenſu ſanctiſſimæ ſynodi, ut, ſicut diebus anteceſſorum ſuorum, ſic etiam in poſte- « rum hanc eccleſiam poſſideret ſancta congregatio cœnobii beatiſſimi Augendi. *Actum*

b Spicil. to. 12. p. 131.

Viennæ publice, mense Aprilis, episcopatus domni Adonis anno decimo, indictione tertia.

ANN. CHR. 870.

VIII. Manno ejus loci præpositus eruditus. [a] Analect. tom. 1.

Qui hic laudatur Manno præpositus, vir fuit in litteras optime affectus, ut testantur varii codices, quos eidem cœnobio donavit. qualis est Petavianus codex, Flori carmina a nobis edita [a] continens, cum hac inscriptione: *Voto bonæ memoriæ Mannonis liber ad sepulcrum sancti Augendi oblatus.* Eamdem dedicationem præfert etiam chronicon Fredegarii Scholastici, aliique plures codices tum in bibliotheca Boheriana, tum in aliis. quæ sane argumenta Mannonis in bonas litteras amorem ac studium manifeste ostendunt. quo fit, ut eum esse vix dubitem, de quo sermonem facit antiquus auctor in libello de vita sancti Radbodi Trajectensis episcopi, qui, primis litteris apud Guntherum Coloniensem antistitem, avunculum suum, delibatis, *primo ad Caroli regis Francorum*, scilicet Calvi; *inde ad Ludovici ejus filii aulam se contulit: non quod palatinos ambiret honores, sed quod intra regis palatium liberalium litterarum studia præclare colerentur. Præerat autem gymnasio illi Manno philosophus: cui sanctus puer fervens discendi studio sedulus adhærebat.* Forte a palatinis scholis Manno in sancti Augendi monasterium ante hunc annum se receperat, ibique locupletem librorum supellectilem ad sepulcrum sancti Augendi obtulerat. Quamquam etiam monachus ibidem forte docere perseveravit: cujus rei similia exempla Remigius Autisiodorensis monachus, Gerbertus, aliique e nostris suppeditant. Quod vero in prædicta controversia solius præpositi sancti Augendi mentio fiat, hinc non sine fundamento colligi potest, abbatiam homini sæculari tum commissam fuisse.

Radbodus an ejus discipulus.

IX. S. Theuderii abbatis vitam scribit Ado.

Quo anno libellum de vita sancti Theuderii scripserit Ado, incertum, nisi quod cum jam Viennensis episcopus *fratribus in cœnobio sancti Theuderii consistentibus* nuncupavit, nempe ut eos ad sectanda vestigia patris sui animaret. *Patris vestri vitam*, inquit, *id est beati Theuderii, idcirco vestræ sanctitati scriptis meis commendare disposui, ut vos suis exemplis ad amorem vitæ æternæ amplius invitarem. Cupio enim vos imitatores & æmulatores ejus exsistere, cujus patrocinium Dei munere acquisivisse plurimum gaudeo. Quem si patronum*, ait ille in fine libelli, *apud Christum habere desideratis, vitam ejus imitari plenam amore concupiscite. Desiderabat enim hic sanctus vir lucra Domini sui, & de vestra corona & ipse in Christo gratulari.* Nullam de sancto Theuderio, nec de sancto Desiderio, quod observavit Notkerus, mentionem fecit Ado in suo martyrologio, quod ante episcopatum illud composuisset.

X. Carolus apud S. Dionysium. [b] *supra n. 3.* [c] *V. Iter Germ. p. 54.*

Hoc ipso anno Carolus Viennam, cedente Gerardo comite, recepit: sed antequam istuc progrederetur, post autumnalem venationem [b] ex villa regia Compendio ad monasterium sancti Dionysii accessit, ejus festivitatem ibidem celebraturus. quo tempore forte eximium [c] codicem evangeliorum, aureis hoc anno scriptum litteris uncialibus, qualem nusquam videre memini, sancto Dionysio obtulit, postea dono datum, ut tradunt, Arnulfo regi, cum adversus Nortmannos suppetias tulit: qui eumdem codicem demum sancto Emmerammo donavit. Cum apud sanctum Dionysium versaretur Carolus, Hadriani papæ legatos excepit, epistolas ad se & ad regni episcopos deferentes, quibus pontifex sub gravi interminatione cavebat, ne regnum Lotharii, quod Ludovico imperatori ejus fratri hereditario jure competere debebat, Carolus invaderet; simulque rogabat, ut filium suum Carolomannum, qui Silvanectis arta custodia inclusus tenebatur, relaxaret. quod quidem postremum haud gravate rex exsecutus est: at primum illud moleste admodum accepit. Quare legatos, qui pontificem placarent, Ansegisilum presbyterum & abbatem monasterii sancti Michaëlis, & Lotharium laïcum, Romam misit cum litteris ac donis, panno scilicet aureo pro altari sancti Petri, & duabus coronis aureis gemmis ornatis: ipse vero, cum legatos papæ Remis aliquot dies detinuisset, Lugdunum profectus est, indeque Viennam. qua a Gerardo recepta, ibidem natale Domini celebravit. Interim Carolomannus Lugduno a patre noctu aufugiens, in Belgicam provinciam venit: ubi, collectis sui propositi satellitibus, omnia circumquaque depopulatus est.

XI. Ansegisus abbas, Egilis archiepiscopi successor.

Ansegisilus, unus ex duobus illis legatis Romam a Carolo missis, haud alius est ab Ansegiso abbate, qui anno sequente subrogatus est Egili seu Egiloni archiepiscopo Senonensi, cujus obitus hoc anno contigit, teste Odoranno monacho, notatus in necrologio Flaviniacensi his verbis: IV. *kalendas Julii sancti Egilis Senonensis*

ANN. CHR. 870.

archiepiscopi, primum Prumiensis, deia Flaviniacensis abbatis, qui multis claruit miraculis. Sepultus est in suburbano sancti Petri monasterio, & quidem in oratorio sancti Stephani ad lævam majoris altaris: ad cujus tumulum Aquila abbas humatus est. Nullo publico cultu Egil honoratur in ecclesia Senonensi, ejusque corpus adhuc in sepulcro latet. Post unius fere anni vacationem in ejus locum postulatus est Ansegisus, quem Hincmarus [a] archiepiscopus *Remensis diœceseos*, id est provinciæ, *monachum* vocat. De ejus postulatione exstat decretum cleri & populi Senonensis ad provinciales episcopos, v. kalendas Julias anni sequentis scriptum, in quo hæc leguntur. *Idcirco cum decreto electionis nostræ, manibus singulorum nostrorum roborato, ad paternitatem vestram accedentes, Ansegisum presbyterum Remorum diœceseos, ecclesiæ autem Belvacensium, atque abbatem monasterii sancti Michaëlis, quem per licentiam vestram, patres venerandi, domino etiam christianissimo rege Karolo annuente, secundum decreta Cælestini papæ, ex propria ecclesia deficiente electione, pari consensu ac concordia, voluntate ac devotione elegimus, nobis & ecclesiæ nostræ episcopum atque pontificem per manus vestras consecrari implorantes petimus, rogamus, atque precamur.* Quodnam fuerit illud sancti Michaëlis monasterium, cujus abbas erat Ansegisus, non levis controversia est. Sunt qui existimant hanc esse sancti Michaëlis apud Bellovacos ecclesiam, quæ ex monasterio collegiata evaserit. At contra opponunt alii, nullum ejus ecclesiæ monumentum reperiri ante sæculum duodecimum; nec veri simile videri, quod Ansegisus Fontanellæ abbas hoc monasterium omissurus fuisset, quippe qui aliis ejus pagi monasteriis & ecclesiis aliquid legavit. Sed is forte consulto hanc prætermisit ecclesiam; vel hæc ecclesia paullo post condita est, erectaque in monasterium, quod monachis a Nortmannorum persecutione palabundis asylum esset ac perfugium. Certe hæc ecclesia quondam abbates habuit, qualis fuit sæculo duodecimo Guillelmus [b] Magdunensis, qui anno M C XLVI. abbatis titulum decano resignavit. Hinc conjicere licet, illic monachos olim cum abbate exstitisse. Nec plura de illios ecclesiæ antiquitate nobis suppeditant ejus instrumenta, quorum ea, quæ sæculum duodecimum præcedunt, temporum injuria, ut in multis aliis locis, periere.

[a] Frod. lib. 3. c. 23.

[b] Louvet, to. 1. p. 469.

XII. Bernardi monachi iter ad loca sancta.

Sub extremum tempus Nicolai papæ, Bernardus Francus monachus ad loca sancta iter aggressus est, comitantibus aliis duobus monachis, uno Hispano, altero Italo *ex monasterio beati Innocentis Beneventani.* Itaque Romam profecti, Nicolai pontificis benedictione & subsidio muniti, ad montem Garganum primo perrexerunt: *cujus loci abbas Benignatus multis præerat fratribus.* Inde progressi ad Barim civitatem, a Sarracenis tunc occupatam, litteras fidei publicæ a principe illius civitatis ad principes Alexandriæ ac Babyloniæ obtinuerunt. Hæ litteræ apud principem Alexandriæ minus valuerunt, quam summa tredecim denariorum, quos singuli eorum ei dederunt, ut similes litteras ad principem Babyloniæ impetrarent. Ubi observat Bernardus, morem esse illorum hominum, *ut quod ponderari potest, non aliter accipiatur, nisi in pondere. unde accidit, ut sex apud nos solidi & sex denarii faciant apud illos tres solidos & tres denarios.* Extra portam orientalem Alexandriæ tunc exstabat monasterium sancti Marci cum monachis: quo ex loco Venetii, ait Bernardus, navigio tulerunt furtim corpus sancti Marci a custode ejus, & in suam insulam deportarunt. quod testimonium hominis fere æqualis validissimum est ad firmandam Venetorum possessionem. Alexandria profecti peregrini, venerunt Babyloniam, ubi eorum litteræ nihil itidem profecerunt apud principem Sarracenorum, nomine Adelhachem, a quo in carcerem conjecti sunt, dum unusquisque pro se tredecim itidem denarios persolvisset. Obtentis ab eo litteris, secure deinceps iter prosecuti sunt usque ad sanctam civitatem Jerusalem. *Ibi*, inquit, *habetur hospitale, in quo suscipiuntur omnes, qui causa devotionis illum adeunt locum, loquentes lingua Romana. cui adjacet ecclesia in honore sanctæ Mariæ, nobilissimam habens bibliothecam studio prædicti imperatoris*, nempe Caroli Magni. Idem Bernardus quatuor sanctæ civitatis memorat ecclesias insignes: unam in monte Calvariæ: alteram ad meridiem; tertiam ad occidentem, in qua sepulcrum Domini.

XIII. Ignis paschalis ad sepulcrum Domini.

De hac id observat, *quod sabbato sancto, quod est vigilia paschæ, mane officium incipitur in ecclesia; & post peractum officium* KYRIE ELEISON *canitur, donec, veniente angelo, lumen in lampadibus accendatur, quæ pendent super prædictum sepulcrum: de quo dat patriarcha episcopis & reliquo populo, ut illuminent sibi in suis locis.*

ANN. CHR. 870.

Hujus Bernardi scriptum legerat Willelmus Malmesburiensis; ut patet ex libro ejus quarto de regibus Anglorum, ubi de Jerosolymis agens hæc habet. *Ibi decenti opere compacta ecclesia sancti Sepulcri capax, a Constantino Magno ædificata, nullam umquam ab inimicis fidei talis injuriam, metu, sicut conjicio, pro igne cælesti perculsis, qui quotannis in vigilia paschæ serenus infulget. Quod miraculum quando cæperit, vel si ante tempora Sarracenorum fuerit, nullius historiæ cognitione discernitur.* tum subdit idem Willelmus. *Legi ego in scripto Bernardi monachi, quod abhinc annis ducentis quinquaginta, id est anno incarnationis octingentesimo septuagesimo, idem Jerosolymam profectus, ignem illum viderit* (quod tamen in ejus itinere non lego) *hospitatusque fuerit in xenodochio, quod idem gloriosus Carolus Magnus construi jusserat, ubi & bibliothecam ingentis expensa compegerat.* Idem miraculum attestantur e latinis Glaber [a] Rodulfus, chronicon Andrense, itidemque Fontanense, quorum alterum in Spicilegii tomo nono, alterum in decimo editum est. Sed insigne præ ceteris testimonium est in historia belli [b] sacri ab auctore æquali composita: in qua convictus hac de re legitur rex Babylonius, non credens, *quod sabbato vigiliarum pascha ignis ille apud sepulcrum dominicum per semetipsum in lampadibus accendatur.* quod ipsemet experimento probavit, aptatis per se lychnis & oleo repletis, in quibus repente hora nona vigiliæ paschæ, rege ipso spectante, ignis de more accensus est, & ardere cœpit. Huc spectat quod habetur in veterrimo pontificali olim Pictavensis ecclesiæ, nunc patrum Minimorum apud Parisios, ubi de vigilia paschæ: *Eadem nocte Jerosolymis in sepulcro Domini lampas ab angelo illuminatur, ut veracium relatione traditur, qui nostro tempore de Jerusalem venerunt.* Ita vetus codex scriptus ante annos circiter octingentos. De hoc igne allatus est ignis in Floriacense monasterium, ut rubeis litteris adscriptum legitur ad horam martyrologii Usuardi in hæc verba: *Kalendis Junii susceptio ignis paschalis ab Jerosolymis allati.* quo tempore, incertum.

a Glaber lib. 4. c. 6.

b Mus. Ital. to. 1. p. 209. & 210.

Pergit Bernardus dicere de Theodosio patriarcha Jerosolymitano, qui ob meritum devotionis a christianis e vicino monasterio ad eam dignitatem raptus fuerat. Hic est Theodosius patriarcha, cujus epistolam hoc anno Baronius refert, scriptam ad Ignatium patriarcham Constantinopolitanum, ad repetendos ab imperatore captivos Sarracenos. In reditu Bernardus venit ad Montem-aureum, ubi crypta erat habens septem altaria: cujus loci abbas erat domnus Valentinus. De Romana basilica beati Petri apostolorum principis id asserit, »non esse ei similem in magnitudi»ne ecclesiam in universa terra. Ultima itineris ejus periodus desinit *ad sanctam Michaëlem ad Duas-tumbas, qui locus est situs in monte, qui porrigitur in mare per duas leucas:* cujus in summitate *est ecclesia in honore sancti Michaëlis; & in circuitu illius montis redundat mare quotidie duabus vicibus, id est mane & vespere;* præterquam in festivitate sancti Michaëlis, in qua, si huic auctori credimus, mare stabat *instar murorum a dextris & a sinistris,* ut omnes, quicumque vellent, orationis causa montem adire omnibus horis possent. quod cum nemo alius memoriæ prodiderit, suspectum, ne dicam fabulosum, censeri potest. Hactenus iter Bernardi monachi, qui Franciam nativitatis suæ locum esse testatur. Allucinatur Albericus, qui hoc iter ad annos centum differt.

XIV. Algari comitis & Tolii monachi cædes per Danos.

c Lib. 36. n. 58.

Cum Dani Northumbriam & orientalium Anglorum, Merciorumque regiones, ut superius [c] diximus, devastare pergerent; collecta suorum manu, cis rursus occurrere statuit strenuissimus Algarus Hoylandiæ comes. Huic, præter alios, ducentorum bellatorum cohors Crulandensis monasterii se se adjunxit, duce Tolio ejusdem loci monacho converso, qui ante conversionem suam in tota Mercia nominatissimus miles fuerat. Omnes collecti apud Kesteven, die festo sancti Mauri prœlium cum Danis commiserunt, tandemque, favente Deo, victoriam reportarunt, tribus regibus paganorum cum ingenti multitudine cæsis, aliis ad propria tentoria pulsis: ubi cum acerrime resisterent, nox prœlium diremit. Interim ipsa nocte supervenerunt alii paganorum duces, qui alio ad prædandum abierant. Eorum adventu cognito, christianorum pars maxima, timore perterrita, noctu diffugit. adeo ut vix ducenti cum Algaro comite restiterint. Hi nihilo minus prima luce, auditis divinis officiis, sumtoque sacro viatico, omnes ad moriendum pro Christi fide & patriæ defensione paratissimi, in campum contra barbaros processerunt. Comiti adfuit cum quingentis viris fortissimis Tolius monachus: cui dextrum cornu assigna-

ANN. CHR. 870.

tum, cum ala insignis militis Morcardi, qui ejus vexillum sequebatur. Ad sinistrum cornu positus vicedominus Osgotus cum quingentis itidem viris, & ala strenuissimi militis Hardingi. Ipse vero Algarus cum suis senescallis in media stabat acie, utrique cornu, cum res exigeret, affuturus. Dani contra suorum cæde, non tantum natura efferati, adversus christianos procedunt, quatuor reges & octo comites, relictis duobus regibus & quatuor comitibus ad castrorum & captivorum custodiam. Porro christiani, pro suorum paucitate in unum coneum conglobati, contra sagittariorum impetum durissima testudine clypeorum, & contra violentiam equitum densissima lancearum acie instructa, invicti a prima luce ad vesperam perstitere. Tum vero barbari ad dolos conversi, fugam simulant. Hos christiaoi, nequiquam reclamantibus ducibus, dissipati insequuotur. Mox illi, conversa facie, tamquam leones in paucas oviculas ruunt. Tum Algarus comes & Tolius in quodam campi tumulo cum aliquot e suis in orbem conferti, barbaros arietantes durissime sustinent: sed, cum fortissimos quosdam suorum cecidisse cernerent, eorum sanguinem ulturi, in confertissimum cumulum corporum Christianorum irrumpentes, ibique pro viribus pugnantes, tandem innumeris confossi vulneribus, super fratrum suorum cadavera occubuerunt.

XV. Crulandensis monasterii eversio, & cædes monachorum.

Hujus stragis nuntio Crulandam a quibusdam fugitivis allato, mox Theodorus abbas, retentis secum senioribus monachis & paucis infantibus, quorum imbelli ætati parsuros paganos credebat, ceteros, numero triginta, ex quibus decem sacerdotes, ceteri inferiorum graduum erant, cum sacris reliquiis, cimeliis, & monumeotis seu chartis monasterii, in proximam silvam Ankarigensem, ubi quidam anachoretæ commanebant, refugere, ibidemque belli eventum exspectare jussit. cetera supellex in fontem claustri conjecta, præter tabulam majoris altaris, aureis laminis contectam, quæ loco posteris incognito defossa est. Postea vero abbas, ceterique in monasterio relicti, sacris induti vestibus, regulares horas divini officii, dein psalterium ex integro persolvunt. tum majorem missam abbas celebrat cum sacris ministris, Elsegeto diacono, Savino subdiacono, atque Egelredo & Wlrico pueris ceroferariis. Absoluta missa, in qua prædicti ministri sacris communicaverunt, in ecclesiam irrumpunt pagani, Osketulo duce, qui abbatem super sanctum altare crudeliter obtruncat. tum ministri omnes circumstantes capitibus plexi. Senes ac poeri hac illacque diffugientes capti, durissimisque applicati tormentis, ut absconsos thesauros proderent: at, ubi nihil quæstio profuit, neci addicti. Et Askerus quidem prior in vestiario, Lethwinus subprior in refectorio interfecti. Turgarus juvenis, subpriori adjungi cupiens, a juniori comite Sidroco, detracta cuculla, Danico indutus colobio, morti subducitur, servatorem suom ad castra sequi jossus. Occisis monachis, cum thesauros nequaquam reperissent pagani, sepulcra sanctorum, qui circum sancti Guthlaci tumulum humati erant, confringunt. tum, ubi nihil præter ossa repertum, omnia in unum acervum congerunt, & subjecto igne in favillas redigunt; ac demum ecclesiam cum omnibus monasterii ædificiis incendio consumunt. Id factum VII. kalendas Septembris, tertio quam eo advenerant die.

XVI. Medeshamstedensium eadem fortuna.

Postridie cum innumeris jumentorum, variorumque aoimalium gregibus egressi, ad Medeshamstedense cœnobium contendunt. mox admotæ muris machinæ, ac sagittis locus oppugnatus. Secundo assultu, in ipso introitu jactu lapidis ab obsessis graviter læsus Tulba, frater Hulbæ comitis; qui supra modum ira exæstuans, obvios quosque ejus loci monachos manu sua ioterfecit. Omnes ad unom monachi, numero octoginta-quatuor, cum venerabili Hedda abbate cæsi. Altaria omnia suffossa, sanctorum omnium confracta monumenta, sanctarum virginum Kineborgæ, Kinesbitæ ac Tilbæ pedibus proculcatæ reliquiæ, sacrorum librorum ingens bibliotheca cum chartis monasterii combusta, muri eversi, ipsaque ecclesia cum cunctis officinis concremata. Dum vero Dani, immensa onusti præda, inde recederent, iis trajiciendo flumine occupatis, juvenis Torgarus, quem cladi Crulandensi subductum fuisse diximus, clam aufugiens, Crulandam rediit. quo indice cæsorum corpora, monasterii obruta ruinis, uno excepto Wlrico, demum reperta sunt, tam eorum, quos supra commemoravimus, quam Paulini & Herberti seniorum, qui in capitulo manibus truncatis reperti: Grimketoli & Agamundi, qui ambo centum ætatis annos exegerant, gladiis in claustro transfossi, sed in locutorio in-

venti, & aliorum. De hac clade Brickstamus, cantor monasterii, musicus peritissimus, facundissimusque poëta elegos versus composuit.

ANN. CHR. 870.

Erudera10 dein ac repurgato cum multo labore ac gemitu Crulandensi monasterio, de novi abbatis electione agi cœptum. Omnium vota & suffragia conspirarunt in venerabilem Godricum, qui magistratum subiit invitus. Erat haud procul a Crulandæ insula quædam silva, vocabulo *Ancarig*, cujus superius meminimus, ubi solitariam vitam degebant quidam anachoretæ sub regimine abbatis Medeshamstedensis. Horum prior venerabilis senex Toretus, ac Tisa subprior, ad quos recens Crulandenses monachi refugerant, Godrico abbati supplicarunt, ut fratrum suorum Medeshamstedensium, quos cum abbate suo interemtos diximus, funus curare haud gravaretur. Obsequens eorum precibus Godricus, assumtis secum e suis fratribus non paucis, eo se contulit cum prædictis anachoretis. Tum illi omnes interfectorum corpora recolligunt, comportantque in grandem fossam, in medio ejusdem monasterii paratam cœmeterio, quod contra frontem ecclesiæ orientalem positum erat. Conditum ibidem corpus venerabilis Heddæ abbatis in medio fratrum suorum octoginta-quatuor; & super ejus corpus erecta petra pyramidalis, tres pedes in altitudine, totidemque in longitudine, & unum in latitudine continens, cui insculptæ erant abbatis, ac circumpositorum ejus monachorum imagines. Id factum die festo sanctæ Cæciliæ virginis & martyris: quo die recurrente quotannis Godricus abbas, quoad vixit, sacrum locum frequentavit, fixoque supra eamdem petram tentorio, pro animabus ibidem sepultorum missas per biduum celebrare non destitit. Hæc loci vastitas integris annis centum perseveravit: dum Ethelwoldus Wintoniensis antistes Medeshamstedense monasterium excitavit, Petriburgense deinceps appellatum.

XVII. Eliensis item parthenonis.

Hujus miserandæ cladis haud quaquam expers fuit Eliense virginum monasterium cum sua insula, quo indigenæ omnia sua convexerant. Huc non difficili aditu appulsi immanissimi piratæ, universa deprædantur, cunctosque sibi obsistentes vectibus enecant. Ad cœnobium autem virginum, quod sancta quondam Etheldrita regina exstruxerat, pervenientes, locum invadunt, sancta contaminant ac diripiunt. Quin etiam furentium gladius in sacra virginum capita desævit. Mactatur innocens sanctimonialium turba, nullo sexus, nedum sanctæ professionis respectu, & quotquot occurrunt ejusdem instituti fratres ac sorores, absque ulla humanitatis ratione præcipiti strage perimuntur. sicque monasterio cum adjuncta urbe combusto, sacrilegi prædones, immensis ditati spoliis ad propria redierunt. Ex his unus, dum sanctæ Etheldritæ tumulum, ubi repositos thesauros credebat, bipenni tentat perfodere, oculis a capite cælitus avulsis, animam etiam ad tartara evomuit. Ex eo tempore orbatus sacro virginum cœtu hic locus, clericis nonnullis cessit: qui sæculo insequente ob flagitiosam vitam inde expulsi a prædicto Ethelwoldo episcopo monachis nostri Ordinis, eodem præcipiente, avitam possessionem restituere coacti sunt.

XVIII. Coludensium virginum admirandum factum.

Sed heroïcum in primis factum fuit Coldingamhensium seu Coludensium monacharum, quæ inauditum hactenus servandæ pudicitiæ studium, & exemplum futuris sæculis exhibuerunt. Cum enim barbari etiam in Northumbrorum septemtrionales oras, ubi Coludense monasterium situm erat, suo more debaccharentur, nec modo ecclesias & monasteria deprædarentur & everterent, sed etiam in Dei servos & ancillas sævissimis & indignissimis desævirent modis: sororum suarum pudicitiæ timens Ebba venerabilis abbatissa, omnibus in capitulum convocatis in hunc modum verba fecisse [a] traditur. „Non vos fugit, dilectissimæ sorores, advenisse nuper in has partes nequissimos paganos, omnis humanitatis expertes, qui obvia quæque devastantes, nec parvulorum ætati, nec sexui muliebri parcunt, nec sacrarum virginum pudori. Itaque si meis acquiescere vultis consiliis, spem certam de divina clementia concipio, vos ab eorum furore, salva pudicitia, ereptum iri. Assentientibus mira concusione & alacritate omnibus, hæc arrepta novacula nasum sibi cum superiori ad dentes usque labro præcidit. quod factum totus ille virginum cœtus sequi non dubitavit. Cum vero insequenti die trucissimi barbari eo accessissent, conspecto horrendo hoc spectaculo, virginum quidem pudori vim inferre horruerunt: at injecto igne monasterium cum ipsis sanctimonialibus concremarunt. Erit fortasse, inquit ad hunc locum illustrissimus annalista Baronius, erit fortasse audaculus

[a] Matth. Westm. hoc anno.

AN. CHR. 870.

lus quispiam, qui sanctas illas virgines, christianæ fortitudinis exemplum incomparabile, inter martyres receptas, & cultu martyrum ab ecclesia celebratas, audeat sugillare, quod, cum nemo sit dominus membrorum suorum, ipsæ de illis adeo prodigæ fuerint. Cui modo sat illod: dijudicari ab ecclesia, quando quid divini fit impetu spiritus, vel humana tantum audacia: quæ non has tantum recensuit inter martyres, quæ membris suis, virginitatis servandæ causa, non pepercerunt, sed alias, quæ sive præcipitio, sive aquarum vorticibus, sive etiam ignibus dedere corpus pudicitiæ servandæ gratia, quas uno consensu, tam occidentalis, quam orientalis ecclesia colit martyres, & sanctissimi utriusque orbis patres defendunt & prædicant. Hæc Baronius.

XIX. Alia monasteria destructa.

Eadem tempestate, eodemque Danico furore totius Northumbrorum regionis eversa & combusta monasteria, in qoibus interfecti passim monachi & sanctimoniales: in his Lindisfarnense, Girwense & Wiremutense virorum; Tinemuthense & Streneshalense virginnm: quibus Capgravius addit Ebehestrense itidem virginum, quod in pago Dunelmensi quondam exstruxerat sanctissima virgo & abbatissa Hilda, & ipsa Streneshalensis parthenonis parens. Nimins sim, si cuncta velim recensere aliorum ejusdem insulæ monasteriorum excidia, quorum Dani exstitere auctores.

XX. Edmundi regis & Ceolnoti archiepiscopi obitus.

Eodem anno Edmundus, rex orientalium Anglorum piissimus, dum contra eosdem paganos pugnaret, in acie occubuit, a posteris sanctus & martyr habitus. Tunc etiam obiit Ceolnotus Cantuariensis antistes, post annos regiminis unum & quadraginta; & in ecclesia Christi sepultus est. Huic cum assensu Ethelredi regis & Ælfredi ejus fratris suffectus est Athelredus seu Æthelredus Wintoniensis episcopus, propterea quod antea [a] Cantuariensis ecclesiæ monachus fuisset. Is clericos simul cum monachis in ea ecclesia psallere gravate ferens, id tamen corrigere distulit usque ad tempora pacis & tranquillitatis. Sed, cum pagani ecclesias, monasteria & sacra loca susque deqne verterent, monachos & sanctimoniales cæderent aut fugarent; id infectum remansit, & clerici tam in ecclesia Cantuariensi, quam in aliis, monachatu non suscepto, cum monachis permisti permanserunt. Semper tamen monachi Cantuariensis ecclesiæ dominatum retinuerunt.

Clerici cum monachis Cantuariæ.

XXI. S. Justinæ in Italia cœnobium.

In Italia Rosius Patavinus antistes, natione Gallus, sanctæ Jostinæ virginis & martyris basilicam instauravit, atque instituti nostri monachis tradidit paullo ante hunc annum, quo testamentum suum in commodum ejus loci monachorum condidit. Erat illic antiquitus paganorum tempore ædes Concordiæ, qua dejecta Opilio Picarius, nobilis patricius Patavinns, templum ibidem erexisse traditur in honorem Dei sub titulo sanctæ Justinæ, a sancto Prosdocimo episcopo postea consecratum, & sacris virginibus, si qua Scardeonio [b] fides, destinatum. Idem miræ pulcritudinis sacellum ibidem, pario marmore incrustatum, testudinea fornice & tessellato opere, ac porphyreticis & alabastritis lapidibus tunc insigniter exornatum, beatissimæ virgini Mariæ vovisse dicitur: in cujus medio collocatum est corpus sancti Prosdocimi primi episcopi Patavini, juxta quem ejusdem Opilionis corpus appositum fuit. quod ædificium ad suum tempus integrum perstitisse idem Scardeonius testatur. In archivo illius monasterii habetur ipsius Opilionis instrumentum donationis, conditum *imperante piissimo augusto Constantino, a Deo coronato pacifico magno imperatore anno quinto-decimo, sub die mensis Junii, indictione prima.* quod non de Constantino Magno, nt quidam volont, sed de alio Constantino intelligendum esse constat, idque facile definiri posset, si integrum instrumentum haberemus. Aliud laudat Cavaccins Opilionis, ejusdem an alterius, instrumentum, quo is multa latifundia legat ecclesiæ sanctorum Jostinæ & Prosdocimi, sed imperatoris Valentiniani anno XV. editum: quod longe distat a Constantinorum ætate. Opilionis porro memoriam servat antiquus lapis, e ruderibus veteris templi effossus, cum hac inscriptione circulo inclusa: OPILIO V̄C̄ ET INL. P̄P̄. ADQUE PATRITIUS HANC BASILICAM VEL ORATORIUM IN HONORE SANCTAE JUSTINAE MARTYRIS A FUNDAMENTIS COEPTAM, DEO JUVANTE, PERFECIT. ✠ Extra circulum utrimque crux est, a cujus transversa parte pendent minores cruces & litteræ græcæ A & Ω. Hic Opilio nonnullis videtur idem cum Opilione consule, qui consulatum gessit anno XXXIII. Valentiniani imperatoris, sed an solido satis fundamento, alii viderint.

a *Gervas. col. 1643.*

b *Scardeon. Patav. antiq. p. 256.*

Processu temporis Rosius episcopus, qui Patavinam sedem sub noni sæculi an-

ANN. CHR. 870. num sexagesimum iniit, eidem basilicæ cœnobium adjunxit, eodemque coloniam monachorum deduxit sub regimine Christiani abbatis. Hoc vero anno multa prædia monachis facto testamento *juxta legem Salicam* donavit, in his villam Maceratæ cum ecclesia sancto Martino sacra, oratorium sancti Prosdocimi cum curte urbana, denique servorum & ancillarum plurimam catervam, ea con-„ditione, ut monachi tres pauperes in perpetuum alerent; & quo die testatori jus-„ta persolverentur, sacerdotalis seu levitici ordinis viros quadraginta convivio exci-„perent, & postridie centum pauperes pascerent. quod ne a posteris violetur, idem Rosius interminatur his verbis: *Quod si tu, Christiane abbas, vel successores tui de prædicta eleemosyna, quam pro remedio animæ meæ dari instituo, aliquid subtrahere volueris, aut facere neglexeris, id omnipotentis Dei judicio reservo, cui omnia manifesta sunt, & nihil eum latet.* quæ verba refert Cavaccius in historia sanctæ Justinæ, & ex eo Ughellus, qui conditi testamenti tempus hoc modo referunt, *imperante domino nostro HLudovico HLotarii filio, postquam imperare cœpit anno quinto decimo.* Optandum esset ut integrum instrumentum retulisset Cavaccius, qui ejus conditiones, etsi valde deminuta testatoris donatione, hactenus observari asserit. Non diu stetit hoc monasterium, quod ab Hunnis eversum Gauslinus episcopus denuo excitavit sæculo insequenti. Nunc vero in eam amplitudinem provectum est, ut nullum fere eo magnificentius in tota Italia, ne dicam Europa; nullum locupletius inveniri possit. Sed id maxime hunc locum commendat, quod ex eo orta sit celebris illa reformatio, sanctæ Justinæ dicta, quæ per totam diffusa Italiam, deinceps etiam in Galliam propagata est.

ANN. CHR. 871. XXII. Nonantulæ abbates. DEcessit hoc anno Ragimbaldus Nonantulæ abbas, cum vix solidum annum monasterio præfuisset, mortuus VIII. idus Octobris. Huic successit ad septemdecim annos Theodoricus, qui ecclesiam sancti Michaëlis extra castrum ædificavit, ibique sepultus est in arca saxea, ubi beati Silvestri papæ corpus nunc habetur. Post ejus obitum, qui kalendis Martii accidit, abbatia quatuor annis vacasse fertur. Landefredus ejus successor ordinatus dicitur anno ejus sæculi nonagesimoquinto. adeoque abbatia septem annis vacasse dicenda est. Abbatiam rexit Landefredus annos quinque, exstinctus kalendis Aprilis. Leopardus ejus successor.

Carolus rex apud S. Dionysium. In Gallia Carolus rex, Vienna sub finem anni recepta, & Bosoni fratri uxoris suæ Richildis commissa, per urbes Autisiodorum & Senonas ad monasterium sancti Dionysii quantocius redire maturavit. Interim Carolomannus diaconus, ejus filius, Mosomum opidum & circumjacentia loca more suo devastabat. Sed, audito patris reditu, missos suos ad eum specie pænitentiæ direxit, ad eum accedere, si quidem ipsi tuto liceret, se velle simulans: nec tamen a solitis abstinens prædationibus & rapinis. Nihilo minus eum secure venire posse, rex per Gauzlinum abbatem & Balduinum comitem ejus sororium significavit. Verum, cum ille deluso patre a male cœptis non desisteret, ab episcopis communione privatus, ac demum comprehensus, Silvanectis iterum custodiæ mancipatur. Carolus vero ab indicto colloquii loco ad monasterium sancti Dionysii imminente quadragesima reversus, ibidem pascha Domini celebravit.

XXIII. Gozlino abbatia Elnonensis data. Hæc Carolomanni rebellio in causa fuit, cur ejus pater Elnonensem abbatiam ei abstulerit, tradideritque Gauzlino seu Gozlino abbati monasterii sancti Germani Parisiensis. Legimus in chartaceo codice Elnonensi Caroli regis præceptum, in „quo *carissimus nobis*, inquit, *Gozlinus venerabilis abbas & ministerialis noster* postu-„lasse dicitur, ut quasdam res suæ abbatiæ, scilicet sancti Amandi, quas ipsius cle-„ricus, nomine Wlfarius, *atque diaconus, præfati monasterii prælatus*, ejusdem lar-„gitione possidebat, sitas *in comitatu Pabulo, in villa, quæ dicitur Radbodirodo*, mo-„nachis sancti Amandi largiretur. Annuit rex eo pacto, ut quotannis V. idus Ja-„nuarii anniversarium carissimi sui propinqui Ludovici reverendi abbatis fratres de-„vote celebrarent; & prædictus Wlfarius diaconus ipsas res jure beneficiario, quoad „vixisset, retineret. *Data pridie idus Aprilis, indictione IV. anno XXXII. regnante Karolo gloriosissimo rege, & in successione HLutharii regis anno III. Actum monasterio sancti Dionysii.* Idem Gozlinus abbas mense Februario præcedente res quasdam, ad usus fratrum sancti Amandi assignatas, regio præcepto iterum confirmari cura-„vit, in his res illas, quas Rodericus clericus super fluvium Elnonem tenebat, ea

AN. CHR. 871.

conditione, ut ipsas toto vitæ suæ tempore teneret, & *ad missam sancti Dionysii* in memoriam ejusdem Gozlini abbatis io cibo & potu congruam refectionem præberet. Actum in monasterio sancti Vedasti pridie nonas Februarii, indictione quarta, anno regni Caroli tricesimo-secundo. Hic est sine dubio Gozlinus abbas, cui scribit [a] Hiocmarus Remorum antistes *pro Bernardo nepote ipsius*, qui seditionem contra regem moliri ferebatur, hortans ipsum, ut ab hoc oesario consilio studeat eum revocare; & ut ipse Gozlinus pro quovis carnali affectu a recta via non declinet; fratrem quoque suum Gozfridum commoneat, ut ambo memores parentum suorum, a fidei sinceritate non degenerent. Idem Hincmarus de eodem Gozlino queritur, quod ipsi de more non scribat: quod ex amico factus sit inimicus; jubens eum recordari, quod Remensis ecclesia eum regeneraverit in Christo, tonsumque clericum sub religiooe nutriverit, & docuerit; de captione paganorum redemerit (cum scilicet Gozlinus una cum fratre suo Ludovico abbate a Nortmannis captus est) & ad gradus ecclesiasticos usque ad diaconatum provexerit; deniqne quod plurimorum monasteriorum, per concessiooem regum, abbatem constituerit. Contra quæ ille potentia elatus, seditionem in hac ecclesia, immo in regno excitaverit. quæ sane omnia multum juvant ad Gozlini facta illustranda; eaque ad principatum Ludovici Balbi filiorum, quo tempore Gozlinus a fide discessit, referenda mihi viderentur, nisi Hincmarus de uno tantum rege in priori illa epistola loqueretur. Gozlino Elnonensium abbate corpus sancti Amandi ex suo monasterio in Pratense sancti Germani, cujus & ille abbas erat, allatum est ob procellosa tempora Nortmannorum, uti domestica etiam Elnonensium documenta probant.

[a] Frod. l. 3. c. 24.

S. Vedasti abbatiæ status.

Versabatur Carolus hoc anno in monasterio sancti Vedasti, cujus abbatiam ad id tempus per decennium tenuerat, non alio, ut videtur, animo, quam ut eam, e sæcularium manibus ereptam, in meliorem statum redintegraret. Per id enim tempus amplissimum Vedastinis monachis diploma indulsit, quo plurimas possessiones ad eorum usus assignat, commemorans, quæ villæ ad victum & vestimenta eorum & farta-tecta; quæ ad portam monasterii pro egenis, quæ ad xenodochium deputarentur: idque ab Hincmaro, aliisque Gallicanis episcopis confirmari curavit. Hoc autem anno eamdem abbatiam Hugoni abbati Conradi filio tradidit: qua de re cum Madfrido, abbatiæ itidem inhiante, disceptavit. Hæc strictim referre cogimur, quod vetera insignis monasterii documenta nobis inspicere datum non sit. Ejus brevem historiam ex Colbertina bibliotheca accepimus, sed non accurate scriptam, ex qua oonnihil lucis ad res subsequentes mutuabimur.

XXIV. Carolus rex apud S. Remigium.

Per id tempus, idem princeps anno regni sui tricesimo-secundo, cum Remos profectus esset, in basilicam sancti Remigii venit: ubi Hincmarus archiepiscopos ei sepulcrum Carlomanni regis ostendit, simulque præcepta ipsius Carlomanni, & Caroli ejusdem Caroli avi de villa Novilliaco, quæ Remensi ecclesiæ olim concessa fuerat, quam rex eidem ecclesiæ restitui jussit, ut legitur in quibusdam gestis ejusdem Hincmari in appendice Sirmundi apud Frodoardum.

XXV. Duziaci partitio S. Medardi confirmata.

Convocatum est hoc anno, mense Augusto, concilium octo provinciarum episcoporum in villam regiam pagi Remensis, vocabulo Duziacum seu Duciacum, ad Carum fluvium sitam: ubi Hincmarus Laudunensis episcopns judicio episcoporum exauctuutus est, jussu regis dein in exsilium actus & excæcatus. Huic synodo interfuere octo metropolitani, Hincmarus Remorum concilii præses, Harduicus Vesontionensis, Remigius Logdunensis, Frotharius Burdegalensis, Wlfadus Bituricensis, Bertulfus Trevirensis, Adalardus Rotomagensis, & Ansegisus Sennensis seu Senonensis: ex quibus Hincmarus, Bertulfus & Ansegisus nostri erant. Ex episcopis eorum suffraganeis alii per se adfuerunt, alii per vicarios suos. Ex priorum numero tredecim, Hildegarius Meldensis, Odo Bellovacensis, & Berardus Viridunensis ordinis monastici erant. In hac synodo confirmata est a patribus partitio bonorum, quam rex Carolus, qui & ipse in synodo præsens fuit, pro monachis sancti Medardi fecerat. In hac partitione alia cameræ vestimentorum & camerario; alia hospitali tam nobilium, quam peregrinorum, & hospitalario; alia thesaurario & portario assignantur. ubi claustralia, quæ vocamus, officia vides. Thesaurarius in translatione sanctorum Tiburtii & Gildardi *plenariam* fratribus refectionem exhibere debebat. Sollemnes item refectiones in festivitatibus sancti

Claustralia officia.

ANN. CHR. 871.

Medardi & sancti Sebastiani, atque in anniversariis Caroli regis parentum, Hermentrudis conjugis prioris, & liberorum defunctorum similiter institutæ; ad hæc in die nativitatis Carolomanni ejus filii, qui tum sancti Medardi abbas erat; denique in anniversario Bertæ Caroli amitæ, quæ erga idem monasterium vivens munifica fuerat. Hujus anniversario deputat villam Bernoïlum: ex qua sanctæ Sophiæ basilicæ inferiori, & sanctæ Trinitatis superiori luminaria suppeditari statuit. Synodicis hac de re litteris subscribunt plerique ejus concilii episcopi, quibus Birico chorepiscopus, & Sigemundus presbyter & abbas sancti Carilefi accedunt. Exstant hæ synodicæ litteræ in probationibus[a] ad historiam parthenonis beatæ Mariæ Suessionensis. Caroli de hac partitione literæ datæ sunt in Causiaco * palatio ad Axonam, XI. kalendas Octobris, indictione IV. Caroli regis anno XXXII. Verum, cum hæ litteræ synodicas Duziacensis concilii, quod mense Augusto celebratum est, præcesserint, mendum in mense litterarum regiarum irrepsisse dicendum est.

a Pag. 432.
* Choisy.

XXVI
S. Medardi aliud monasterium Turonis.

Aliud erat sancti Medardi monasterium in urbe Turonica, quod, uti & Majus-monasterium, a Nortmannis tunc temporis eversum jacuisse probat Hadriani papæ secundi epistola ad Carolum regem, ubi ait, omne monasterium in potestate episcopi consistere debere juxta canonicam auctoritatem: *& quia hoc est transgressum, ideo plurima monasteria esse destructa: sicuti monasterium sancti Medardi Turonis, in quo jacent episcoporum primi Turonensium Lidorius & Gattianus; sicut & Monasterium-majus; sicut etiam alia in eadem civitate monasteria, quæ forsitan per episcopale ministerium, & vestrum sapientissimum consilium, & largissimum donum poterunt redire ad priorem statum.* Hæc scribebat pontifex ad suggestionem Actardi episcopi, a synodi Duziacensis patribus missi ad perferenda ad ipsum acta ejusdem synodi: quem Actardum, antea Namnetensis urbis, tunc a Nortmannis incensæ, episcopum ad sedem metropolis Turonicæ pontifex transferebat. De hoc sancti Medardi monasterio superius[b] actum est. Exstat in suburbio Turonensi, olim Pauperis, nunc Divitis appellato, prioratus sancti Medardi, a Villæ-lupensi monasterio pendens: quod videtur esse illud ipsum S. Medardi monasterium, de quo hic agitur.

b Lib. 34. n. 62.

XXVII.
S. Andreæ monasterium Helnense.

Dum Carolus Duziaci moram faceret, ipsum adierunt ex parochia civitatis Urgellensis, cum permissu Wiladi episcopi, septem sacerdotes, liberi genere, scilicet Witiça seu Witiza, Protasius, Victor, Lugarus, Gundefredus, Recesvindus, & Sanctiolus, adjunctis sibi Attila, Barone, Leudomiro, aliisque nonnullis; regique[c] supplicarunt, ut conditum ab se monasterium suo patrocinio tutari dignaretur, ac liberam concedere facultatem omni tempore eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Positus erat hic locus *in confinio Ceredania marcha, sub diœcesi Fredaldi Narbonensis archiepiscopi, & parochia Audelindi Helnensis episcopi*, dictus *Exalada, juxta fluvium Tete, in capite vallis Confluentis*: quem locum prædicti sacerdotes, cum ex propriis rebus, tum ex fidelium largitionibus coëmerant, ibique monasterium construxerant in honorem sancti Andreæ apostoli, aliorumque apostolorum Petri, Johannis, & Thomæ. Supplicantium votis favit Carolus, ac petita concessit. *Data nonis Augusti, indictione* IV. *anno* XXXII. *regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum Doziaco palatio regio.* Hinc redarguas Vincentium Domenecum in libro de sanctis Catalauniæ, aliosque scriptores Hispanicos, qui hujus monasterii originem integro sæculo antiquiorem faciunt, eumque referunt ad principatum Caroli Magni. Quamquam paullo ante hunc annum hoc monasterium, sed parvis, ut fit, initiis, exstitisse patet ex litteris Beræ[d] comitis, qui cœnobio sancti Andreæ, *situm in valle Engarra*, in loco dicto Exalata, quædam confert VI. *kalendas Martii, anno* VI. *regnante Carolo.* Neque id repugnat prædicto Caroli diplomati, ex quo hoc monasterium ante hunc annum, tam ex propriis rebus septem illorum sacerdotum, quam ex fidelium oblationibus jam stetisse intelligitur. Verum vix integris annis septem perstitit istud cœnobium, ut in consequenti videbimus. Porro ex prædictis etiam litteris constat superstitem ad hunc annum fuisse Fredaldum episcopum Helnensem, immo ad biennium saltem supervixisse, ut suo loco videbimus. Hinc confirmatur Sirmondi observatio de epistola Nicolai primi ad Rodulfum Bituricensem archiepiscopum, ubi fragmentum istud, in quo de Sigebodo Fredaldi successore mentio fit, ab Ivone & Gratiano[e] relatum, deesse notat in sinceris ejus epistolæ exemplaribus, ex quibus eam edidit integram. Qui ex septem illis sacerdotibus primus recensetur Witiza, Exalatensis monasterii abbas

c Spicil. to. 8. p. 349.
d Marca Hisp. col. 782.
e Cap. Conquestus.

ANN. CHR. 871.

erat, ut probat judicium Salomonis comitis Ruscinonensis, de quo anno sequenti. Immo jam abbas erat anno quinto-decimo Caroli regis, ut patet ex charta reparationis Exalatensis, quæ est quadragesima in appendice Marcæ Hispanicæ, ubi *Witidade* appellatur.

XXVIII. Alagonense monasterium & Gerrense.

Exstabat per id tempus ad Pyrenæos montes Alagonense monasterium, in honorem sanctæ Mariæ & sancti Petri conditum in pago Palliarensi, valle Urritensi, sed incerto auctore. Hujus loci venerabilis abbas Frugellus [a] hoc anno adiit Bernardum comitem, ducem ac marchionem; ab eoque impetravit, ut ecclesias, „ terras, cellas, ceterasque possessiones ad idem monasterium pertinentes, pro auc- „ toritate Caroli regis, ejusdem loci monachis confirmaret, atque omnimodam ei- „ dem cœnobio immunitatem concederet. Ad hæc, ut cuncta pecora gregum suo- „ rum in pascuaria collium, aliorumque vicinorum locorum inducere sibi liceret. „ *Data* XII. *kalendas Augusti*, *anno* XXXII. *Karolo gloriosissimo rege.* Ex his litteris intelligitur, eidem cœnobio jam concessum fuisse consimile privilegium, quod Johannes Briz Martinez Carolo Simplici male tribuit, ut Baluzius [b] recte observavit, ubi etiam advertit, Bernardum illum comitem non alium esse a Bernardo comite Tolosano, cui hoc ipso anno Carolus rex Carcassonem & Rhedas haud procul a comitatu Palliarensi commiserat. Erat in eodem Palliarensi comitatu monasterium [c] Gerrense, quod a Sarracenis destructum, hoc fere tempore instauratum ac locupletatum est a Fredolo comite, & Guadamiro abbati commissum.

a Marca Hisp. col. 796.

b Ibid. col. 359.

c Ibid. col. 361.

XXIX. Isonis magistri obitus.

In monasterio sancti Galli apud Alamannos Isonem magistrum pridie idus Maii decessisse Hepidannus auctor est, & Hermannus. Erat is piis ortus parentibus, ut superius [d] diximus; atque a teneris sancto Gallo voto addictus ac traditus: ubi vir doctissimus, ut tempora illa ferebant, aliorumque doctor & magister evasit. Huic scholæ exteriores commissæ. Vulgata ejus fama, Ruodolfus Burgundionum dux, Ekkehardo [e] rex dictus, eum ad erudiendos Grandivallenses monachos expetiit, adhibitis precibus Harmuoti decani, ducis cognati, qui eum ad tres annos a Grimaldo abbate obtinuit, eo pacto, ut ter quotannis sumtibus regis fratres suos Sancti-Gallenses viseret. Dum apud Grandivallenses moraretur, multos infirmos, leprosos, paralyticos, unguento adhibito, non sine miraculo sanasse dicitur, cæcis etiam lumen restituisse. Ejus doctrina informari certatim studebant totius Burgundiæ & Galliæ ingenia; eratque de illo fama, quod obtusiora quæque acuere valeret. Tribus annis apud Grandivallenses exactis, flagitantibus discipulis, ad plures annos ibidem morari permissus est, abbatem ac fratres suos identidem visitare solitus. Interim morbo correptus, cum validæ adhuc esset ætatis, istic diem obiit, multum dolens, quod procul a suis mortuus, in cœmeterio Sancti-Galli sepeliendus non esset. In Grandivallensi sancti Germani ecclesia humatus fuit, collectis undequaque ad ejus funus discipulis. Ibidem eum miraculis coruscasse tradunt, ob idque corpus ejus furto sublatum a quodam præpotente viro, qui illud in Burgundiam transtulerit. quod etsi pro certo Ekkehardus non asserat, constare tamen ait, ejus corpus in tumulo, quo primum conditum fuerat, non haberi.

d Lib. 32. n. 45.

e Ekkeh c. 6.

XXX. Notkerus, Ratpertus, & Tutilo ejus discipuli.

Isonis præcipui apud sanctum Gallum discipuli fuere Notkerus, Ratpertus, & Tutilo, quorum cor unum & anima una erat; & ipsi septem liberales artes, præsertim musicam, edocti a Marcello superius [f] laudato. Hi, etsi studiis ac votis unanimes, natura tamen ac moribus longe dissimiles erant. Notkerus corpore gracilis, voce balbulus, in divinis constans, & infractus in adversis, mitis ad omnia, disciplinæ rigidus exactor, ad repentina timidulus, adversus dæmones intrepidus; in orando, legendo, dictando frequens, &, ut paucis cetera complectar, sancti Spiritus vasculum erat, quo nullum ejus tempore cælestibus donis magis refertum habebatur. Tutilo contra, vir bonus atque utilis, lacertis ac membris valentissimus, expeditæ vocis, cælandi ac pingendi peritus, fidibus & fistulis doctus, gravis ac serius pro tempore, alias joco festivus, adeo ut Karolus rex aliquando ei maledixerit, qui virum ejusmodi monachum fecisset. Inter hæc nihilo minus in choro strenuus, in secreto promtus ad lacrymas, castus, ut decebat discipulum Marcelli, qui ad præsentiam feminarum oculos clausos habebat. Ratpertus inter ambos illos medius erat, scholarum ab adolescentia moderator, inque iis sedulus, disciplina regulari asperior, maxime in servanda solitudine, raro pedem e claustro efferens, monachorum *excursus mortem nominare* solitus. Tutilonem

f Lib. 31. n. 44.

ANN. CHR. 871. ob hoc sæpe objurgans, quem *itinerarium* vocitabat. Hi tres, cum unanimes & occupatissimi essent, a monachis otiosis ac levibus obloquia non raro patiebantur & contumelias, quas unus Notkerus facile perferebat. Quid bis tribus Salomone abbate, Isonis itidem discipulo, contigerit, alias aperiemus.

XXXI. Ælfredi regis initium. Hunc annum in primis insignem fecit initium principatus Ælfredi seu Alfredi regis, qui Ethelredo fratri, in monasterio Winburnæ sepulto, in regno Westsaxonum successit annos natus viginti duos; dein totius insulæ monarchiam consecutus. Huic non alia institutio fuit, quam ex disciplina Saxonicæ nobilitatis venari, feras persequi, aliasque id genus delectationes, ex agris quæsitas: ceterum litteras penitus negligere & ignorare. Hanc patriæ atque sæculi sui infelicitatem deplorabat juvenis princeps, cui forte hæc desideria, semel & iterum Romam profecto, Romana curia indiderat. Verum initio regni litteras excolere ipsi non licuit per Danos, quibuscum assidue per decem amplius annos ei colluctandum fuit. Non tamen hunc litterarum in ipso amorem detrivit armorum tractatio, quo minus adulta jam ætate, subactis hostibus, ferulæ quodam modo manum subjiceret ad litteras addiscendas, quarum studium & amorem in patria excitavit. Nec minor ei fuit de religione sollicitudo & cura. quod hoc ipso anno ante initum regnum probavit, cum Ethelredo archiepiscopo Dorobernix [a] seu Cantuariæ, & monachis ejusdem ecclesiæ quamdam villam *ad vestitum monachorum* donavit.

a Monast. Angl. to. 1. p. 20.

ANN. CHR. 872. XXXII. Caroli colloquium cum Normannis, & diploma pro S. Andeolo, & S. Germani partitione. INitio anni insequentis Carolus e villa regia Compendio, ubi versabatur, XIII. kalendas Januarii ad colloquium cum Rorico & Rodulfo Normannis venit. Locum indicti colloquii *Monasterium* vocat annalista Bertinianus. quod intelligendum puto de sancti Landberti monasterio Leodicensi, ad quod post annos quatuor itidem venisse dicitur. Certe alterum cum iisdem colloquium idem princeps mense Octobri insequente Trajecti habuit. Reversus initio quadragesimæ Compendium, sabbato ante Palmas accessit ad monasterium sancti Dionysii, ubi pascha Domini, quod fere in more habebat, celebravit. Cum istic versaretur Ricmiro [b] abbati, monachisque cœnobii sancti Andeoli & sancti Laurentii Bisuldunensis insignem donationem fecit multarum possessionum & ecclesiarum in comitatu Bisuldunensi. *Data III. idus Aprilis, indictione quarta*, lege *quinta*, *anno XXXII. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio sancti Dionysii.* Illic adhuc morabatur XII. kalendas Maii, quo die partitionem monachorum sancti Germani Parisiensium, a Gozlino abbate factam, regio diplomate confirmavit. Hujus diplomatis, a nobis [c] olim editi, hæc fere summa est. Cum Carolus apud sanctum Dionysium demoretur, ad eum accesserunt vir venerabilis Gozlinus abbas monasterii almi confessoris Christi Germani & sancti Vincentii martyris (ubi vides sanctum Germanum beato Vincentio, primo loci patrono, jam præferri) necnon monachi ejusdem congregationis, devotissimi oratores, ac regiæ serenitati suggesserunt: ut pro Dei amore & futuro ejusdem congregationis emolumento, ne aliqua successorum ipsius abbatis negligentia, ut sæpius contigisse manifestum est, ordo in ea monasticus in posterum perturbaretur, villas quasdam ad victum & vestimenta fratrum & ad sarta-tecta assignatas, tam eas scilicet, quas HLudovicus augustus quondam præcepto suo eisdem monachis confirmaverat, quam alias a Gozlino abbate adjectas, regiis litteris approbare dignaretur. Ex his villis, quæ in diplomate enumerantur, quotannis monachis erogari debebant frumenti modii mille sexcenti ac viginti, leguminum modii centum octoginta, casei pensæ centum sexaginta, adipis modii viginti, butyri totidem sextaria; mellis vero quatuor, ceræ libræ duæ quolibet mense, salis modii centum, braciæ viginti per modia duodecim, vini bis mille modii in potum quotidianum fratrum & hospitum. Fratrum porro numerus centum-viginti statuitur; quibus refectiones in missa seu festo sancti Germani V. kalendas Junii, in dedicatione ecclesiæ & anniversario Childeberti regis, in festivitate sancti Vincentii, cœna Domini & vigilia paschæ; ad hæc volatilia cum pulpastis tribus diebus in natali Domini, totidemque diebus in pascha per abbatem subministrari præcipitur, præter *caritates*, (sic potiones prandio & cœnæ intermedias vocitabant) quæ in eisdem festivitatibus ex antiquo more ab abbate dabantur. Insuper statuitur quasdam alias refectiones in festivitate translationis sancti Germani & in sollemnitate sancti Dionysii præberi a decano, qui monasterii providentiam

b Marca Hisp. col. 795.

c Sæc. 4. parte 2. p. 219.

sub sæculari abbate gerebat. Denique Carolus præcipit, ut ex villa pagi Laudunensis Bospatio, quam eisdem fratribus in refugium contulerat, eisdem refectio a decano exhibeatur VIII. idus Junii, quo rex ipse inunctus fuerat, & post ejus obitum in anniversario die ipsius depositionis. *Data XII. kalendas Maii, indictione* V. *anno* XXXII. *regnante Karolo gloriosissimo rege, & in successione HLotharii regis* III. *Actum monasterio sancti Dionysii.* Gammo notarius ad vicem Gozleni recognovit.

XXXIII. S. Frodoberti abbatis altera translatio.

Cellense prope Trecas monasterium tunc regebat venerabilis Bodo abbas, monasticæ disciplinæ studiosissimus, qui levandi sancti Frodoberti abbatis corporis, cælestibus præeuntibus signis, auctor fuit. Rogatus hac de re Otulfus religiosissimus Tricassinæ ecclesiæ antistes, quod Prudentius episcopus morte præventus exsequi non potuerat, per se ipse exsecutus est. Ejus rei gratia Cellam adiit initio quadragesimæ XII. kalendas Martias, effossoque tumulo sacra ossa cum abbate & sacerdotibus reverenter extulit, ac postridie in paratam capsam sub pontificali anulo reclusit. De hac translatione intelligendum est Hincmari archiepiscopi rescriptum [a] ad Octulfum, *de reliquiis sanctorum, quas ille significaverat ostensis mirabilibus se reperisse, qualiter eas disponat; & de ecclesia sancti Petri, quam restituere tractabat.* Bodonis ejus loci abbatis nomen nobis suggerit anonymus poëta ejus temporis, qui diem & annum factæ elevationis notat: ex quibus annum tantum vitæ Frodoberti scriptor expresserat. Male itaque Bodo abbas a Camuzato præponitur Adehingo abbati, qui novæ Cellensis ecclesiæ dedicationem [b] a Prudentio fieri longe ante hunc annum curavit. Hic est Bodo abbas, cujus tempore Aledramnus comes, ejusdemque cœnobii advocatus, possessiones ejus loci a Carolo confirmari curavit, obtento regio diplomate, quod absque chronicis notis a Camuzato [c] editum est. Inter testes sancti Frodoberti miraculorum, quæ huic elevationi occasionem dederunt, laudatur a prædicto poëta Arembertus monachus Cellensis, qui virtute & sanguine clarus dicitur.

a Frod. lib 3. c. 23.

b lib. 32. num. 11.

c Camuz. pag. 10.

Nec miracula etiam post translationem defuere. In his Ratbertus quidam, pagi Ledunensis indigena, ob matrem impie percussam sinistro oculo & brachii dextri assidua agitatione, insuper amentia cælitus punitus, ad Egilem Senonensem archiepiscopum perductus est: cujus præcepto carceri mancipatus, squaloribus ergastuli triennio tolerans, fame deinceps invalescente dimittitur, ne inopia deficiens moreretur. ubi vides, ejusmodi facinorosos (quod multis aliis exemplis patet) ab episcopis punitos fuisse. Hinc ille ad sancti Michaëlis ecclesiam, quæ *ad Duas-tumbas ex antiquo* vocatur, properat; tum Romam petit, cujus sedem tunc administrabat Hadrianus papa, qui sub finem hujus anni fato functus est. Inde ad sanctum Michaëlem ab ipso pontifice remissus, cum in pagum Tricassinum pervenisset, ad basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, apud Falearias sitam, candelam ad sui corporis longitudinem factam deferri curat: dum ipse ad sancti Petri cœnobium Cellense pergit: ubi sospitate integra meritis sancti Frodoberti donatur, suspenso ad ejus tumulum cilicio, quo solo, pænitentium more, indutus erat. Demum crescente populorum in eumdem sanctum devotione, episcopo & abbati visum est, ut dies ejus obitus, qui ob circumcisionis dominicæ festum minus celebris ac sollemnis esse videbatur, in octavum abhinc diem transferretur. quod ut non sine aliquo fundamento fieret, sancti Frodoberti sacrum corpus VI. idus Januarias in vicinam beati Michaëlis ecclesiam defertur, indeque die insequente in sancti Petri basilicam relatum; statutumque, ut in posterum hic translationis dies sollemni ritu coleretur.

XXXIV. S. Launomari variæ translationes.

Cum Normanni Galliam continuis incursionibus vastare ac depopulari pergerent, sacra profanaque omnia sine ullo discrimine pervertentes, castella & monasteria solo exæquantes; eorum metu Garno, Corbionensis apud Dorcassinos monasterii abbas, permittente ac consentiente Carolo rege, sancti Launomari corpus in villam pagi Abrincatensis, Patricliacum vocabulo, transferendum curavit. Hanc villam olim Rodulfus, Caroli vassus dominicus, memorato monasterio cum Unciaco villa Parisiensis agri contulerat: sed eam postea rex Carolus tradiderat Salomoni Britanniæ duci, qui ejus dominium Gurhamio gentis suæ principi largitus fuerat. Hic vero, audita fama sancti Launomari virtutum ac miraculorum, eamdem villam sancto Launomaro & jam dicto abbati fratribusque restituit: qui tum ob re-

ANN. CHR. 872.

cuperandam loci possessionem, tum ob metum Normannorum, patroni sui reliquias istuc transtulerunt hoc anno XVII. kalendas Maii. Istic varia miracula patrata referuntur ab anonymo auctore æquali, qui omnia oculis suis se vidisse testatur. Paullo post cum nec eo in loco tuti essent monachi, Cenomannos cum sacro loculo se receperunt, quibus Rotbertus episcopus ecclesiam sancti Michaëlis inhabitandam concessit. Sacrarum reliquiarum custodia Azariæ cuidam tum deputata erat, *monacho justo & timorato: cui circumcisi mores & ad purum defæcata religio nomen ingens paraverant & gratiam.* Vix biennio illic substiterant Corbionenses, cum in Blesense castrum, imminentibus Cenomannicæ urbi Nortmannis, se recipere coacti sunt cum corpore sancti sui patroni, quod in oratorio sancti Carilesi depositum est. Hujus tertiæ translationis auctor fuit Saimo seu Simon abbas, qni Garnoni anno superiori subrogatus fuerat. Pace tandem cum Normannis composita, sancti Launomari corpus e castello Blesensi ad suburbanum sancti Leobini sacellnm delatum est: ubi, subsidia conferente Theobaldo comite palatino, insigne monasterium conditum est, sancti Launomari nomine hactenus insignitum: quod Rodulfus rex litteris suis probavit.

His temporibus Garno, an Simon, abbas quatuor ex suis monachis cum baculo sancti Launomari misit ad Unciacum * villam agri Parisiensis, quam Corbionensibus a Rodulfo vasso dominico Caroli regis simul cum Patricliaco donatam fuisse diximus. Multa ibidem miracula virtute baculi sancti Launomari facta, finitimorum populorum istuc concursum ac pietatem excitarunt. quæ res vicini presbyteri villæ Vitriaci invidiam accenderit. Re ad Æneam Parisiorum episcopum delata, monachi ad eum citati, ut oblationes sancto Launomaro factas episcopo redderent. quod cum illi facere detrectassent, Æneas Unciacum venisse fertur, ecclesiæ portas removisse, altare subruisse, signa seu campanas e campanili dejecisse; ac demum ecclesiæ aditum spinis obstruxisse: cujus rei non feras pœnas dederit, in letalem morbum lapsus. cujus causa injuriam quantocius reparari jusserit per Vitriaci presbyterum, qui paullo post una cum ipso Ænea interierit. Si verum est hujus historiolæ argumentum, non dubito quin multa auxerit prædictarum translationum scriptor alter, ætate posterior, qui eam retulit. Neque enim tantæ iræ Æneæ pontifici pio tribuendæ sunt, ut recte probat Gerardus a Bosco [a] in historia Parisiensi, cujus censuræ hac in re facile subscribo, uti & ejus sententiæ de tempore mortis Æneæ, quem ante Duziacense anni præcedentis concilium obiisse demonstrant acta ipsius concilii, cui Ingelwinus Æneæ successor interfuit ac subscripsit. Ex quo consequens est, præmissam historiolam, si vera est, contigisse tempore Garnonis abbatis, non Simonis, qui nonnisi secundo post synodum anno Garnoni suffectus est.

* Ongy, vulgo Rongis.

[a] Hist. Paris. to. 1. p. 458.

XXXV. Milonis Elnonensis monachi obitus.

Sub idem tempus e vivis excessit Milo Elnonensis presbyter ac monachus, qui scholis Elnonensibus præfuit. Discipulos præ ceteris habuit Pippinum ac Drogonem, Caroli regis filios, de quibus superius actum est. Quædam scripsit, cum prosa oratione, tum metro. Exstat ejus supplementum ad librum de vita sancti Amandi episcopi, cujus gesta versibus reddidit. Ejusdem carmen de sobrietate laudat [b] Sigebertus, a quo *scientia litterarum clarus* prædicatur. Miræus ad hunc locum alia ejusdem auctoris opuscula commemorat, aitque eum obiisse anno ejus sæculi septuagesimo-primo. Sane Milo ipse asserit, se testem oculatum fuisse cælestis illius ignis, accensi ad tumulum sancti Amandi anno ab incarnatione Domini octingentesimo qninquagesimo-quinto: qua de re hos versiculos edidit.

[b] Sigeb. c. 105.

Lumen in æthereo quam clarus haberis olympo,
Monstrasti monachis, præsul Amande, tuis.
Da famulis ambire tua consortia vitæ,
Ut valeant donis participare tuis.

Milonis dies obitus in fastis Elnonensibus notatur XII. kalendas Julii. Avunculus fuit Hucbaldi, ejus in moderandis Elnonensibus scholis successoris, qui hoc epitaphio avunculi tumulum ornavit.

Milo poëta sophus jacet hoc sub marmore clausus,
Carmine dulciloquo qui librum sobrietatis

Edidit,

Edidit, & sanctum pulcre depinxit Amandum,
Floribus exornans, metro prosaque venustans;
Tanti pontificis palmam capit atque coronam.

ANN. CHR. 872.

Forte his versibus Hucbaldus designare voluit codicem vitæ sancti Amandi, varias sancti Amandi icones & tabellas continentem, ex quo quasdam imagines in primo ᵃ Annalium nostrorum volumine retulimus.

Fontanellense monasterium, etsi plerique monachi cum corpore sancti Amandi XXXVI.
apud Morinos prope Quentavicum residerent, necdum tunc omnino desertum erat, ut colligitur ex anonymo ejus loci chronographo apud Chesnium ᵇ edito, qui de se ipse hæc scribit: nempe se Fontanellam accessisse IV. kalendas Martias anni octingentesimi quadragesimi-primi, rectore hujus cœnobii Joseph archiepiscopo; deinde post annos novemdecim diaconatus ordinem suscepisse per manus archiepiscopi Wenilonis, anno ejusdem sæculi sexagesimo-primo, XII. kalendas Octobris; tandemque per manus Adalardi archiepiscopi, qui Weniloni paullo post successit, sacrum presbyteratus ordinem suscepisse hoc anno septuagesimo-secundo, indictionn quinta, VIII. idus Martii sabbato. Hujus chronographi nomen nondum rescire potuimus, a quo alius videtur chronographus Fontanellensis itidem anonymus, cujus chronicon, ab Acherio nostro vulgatum, desinit in tempore Ludovici Pii.

Fontanellensis chronographus Chesnianus.

Adalardo archiepiscopo, cujus obitus VIII. idus Martias hujus aoni contigit, suffectus est Riculfus, idemque abbas cœnobii sancti Petri, sanctique Audoëni, *quod ᶜ in suburbis metropolica urbis quondam augustius claruit.* Hic primo ordinatioois suæ anno, & quidem sexto-decimo kalendarum Decembrium, limina sanctorum Audoëni ejusdem urbis quondam antistitis, ac beatorum martyrum Nigasii, Quirini, Scuviculi, & sanctæ Pientiæ adiit, eorum reliquias veneraturus, quæ tunc temporis apud Vadiniacum * villam pagi Vilcassini, quem Normannicum vocant, caussa metus Normannorum, licet in proprio solo, exsulabant. Postridie, adhibitis secum ejusdem congregationis *quibusdam optima religionis fratribus*, sacrum beati Audoëni loculum religiose reseravit, inspecturus, an sacrum ejus corpus in sua theca cum debito honore ac cultu repositum esset. quod ut cognovit, duos mansellos in Bidolido ei donavit ad ejus luminaria perpetuu fovenda; obsecrans successores suos episcopos, ut apud eos hæc donatio inviolata permaneat. Subscribunt post Riculfum Sicbardos episcopus, Germenteus abbas, Gaduinus archidiaconus, Wanilo abbas, Leutbrandus præpositus, item Wanilo abbas, aliique. Johannes Riculfi successor post tres annos portionem bonorum monachis assignatam a Carolo confirmari curavit. Perstitit ad aliquod tempus Vadiniaci corpus sancti Audoëni, everso a Normannis ejus monasterio; in varia dein loca, ac demum in Vallem-monachorum Trevirensis diœcesis deportatum; dum tandem, Rollone ad fidem converso, Rotomagum in pristinum locum revectum est. XXXVII.

Riculfus archiepiscopus & abbas S. Audoëni reliquias visitat.

In Saxonia hoc anno, kalendis Novembris dedicatum est *principale monasterium*, XXXVIII.
id est cathedralis ecclesia, *sancta Maria in Hildensheim* ab Altfrido ejusdem ecclesiæ episcopo, & Rimberto Bremensi, Liuthardo Patherbrunnensi ac Theodorico episcopis, præsente quoque Adalgario Corbeiæ-novæ abbate, sub titulo sanctorum Cosmæ & Damiani, Tiburtii & Valeriani martyrum, & sanctæ Cæciliæ virginis, uti legitur in veteri chronico Saxonico.

Hildensheimensis ecclesiæ dedicatio.

Apud sanctum Gallum Grimaldus abbas & Ludovici regis archicapellanus, cum XXXIX.
finem vitæ suæ imminere sentiret, cum alia loca & monasteria sibi subjecta haberet, sancti Galli monasterium ceteris prætulit, ibique exitum suum præstolari statuit. Cœpit igitur monasticis se exercere disciplinis, &, licet non habitu, conversatione & voto monachum exhibere, precibus sæpius insistere, ceterum eleemosynarum largissimus dispensator, ut pater pauperum vocaretur, essetque. His studiis consenescens, hoc anoo de hac luce migravit idibus Junii, sexta feria, postquam sancti Galli monasterium annos triginta & unum rexisset. Huic subrogatus est canonica demum electione Harmuotus seu Harmotus Harmutusve decanus, qui pro-abbatis eo vivente munus strenue ac laudabiliter gesserat. Electioni fratrum lubenter assensit Ludovicus rex, qui loci immunitatem ac libertatem electioois denuo confirmavit. Emeriti pastoris studio adeo nihil detraxit amplificata dignitas, ut contra novos ei stimulos addiderit, quasi tum primum magistratum cepisset. Post

Grimaldus abbas S. Galli obit.

Harmotus ejus successor, ejusque facta.

ᵃ *Annal. Bened. to.* I. *p.* 518

ᵇ *Chesn. to* 2. *p.* 387.

ᶜ *Pommeraye* p. 319.

* *Geny.*

ANN. CHR. 872.

disciplinæ curam, altera ei sollicitudo fuit tum de sacris ædibus, ceterisque ædificiis exornandis, tum de bibliotheca, nova librorum congerie instruenda, quam decanus jam multum auxerat. Idem velum optimum, quod in quadragesima ante crucem appenderetur, per manus sororis suæ Richlinæ contextum, donavit. Quos vero codices, cum decanus, tum abbas, bibliothecæ contulerit, apud Ratpertum recensitos invenies: in his collectanea Flori presbyteri Lugdunensis ex operibus sancti Augustini in epistolas ad Romanos, ad Corinthios secundam, & ad Hebræos, quæ collectanea in editis perperam Bedæ adscripta sunt, aliorum collectaneorum breviorum auctori, ut singulari disquisitione * alias ostendimus. Grimaldo abbati, in sancti Otmari æde sepulto, Harmotus hoc breve posuit epitaphium.

* Analect. to. 1. p. 12.

Hic manet interius divinæ legis amator
Grimoldus humilis, templum hoc qui condere jussit.

Horum abbatum tempore apud sanctum Gallum res contigit memoratu non indigna.

XL. Salomoni canonico ingressus ad S. Gallum quo pacto concessus.

Inter Isonis magistri discipulos, cui scholas exteriores sancti Galli commissas fuisse diximus, unus e præcipuis erat, Salomon nomine, quem parentes clari & illustres Isoni, tunc temporis doctori nominatissimo, erudiendum, & clericatui initiandum tradiderunt. Iso vero hunc delicatius, tamquam canonicum, educavit, majorique cura erudiit quam ceteros, qui natalibus pares, Salomonem sibi præferri indignanter ferebant. Mortuis parentibus Salomon, cum unico fratre magnarum facultatum heres factus, ad maximas res animum intenderat; scholisque abstractus, Grimaldo abbate juvante, capellanus factus fuerat Ludovici regis: in cujus gratiam brevi insinuatus, Elewangensem abbatiam adhuc canonicus, tum Campidonensem obtinuit. Aliæ denique præfecturæ processu temporis eidem commissæ ab Hattone archiepiscopo Moguntino, sibi amicissimo; ac demum sancti Galli abbatiam adeptus, postremo Constantiæ pastor & episcopus factus est. Sed, ut ad priora ejus acta me referam, vix pedem e sancti-Gallensibus scholis extulerat, cum inter fratres conscriptos ejus loci a patribus, Grimaldo jubente, ac favente Harmuto, admissus est. Quare ut gratum se testaretur, ex multis prædiis, quibus abundabat, locum, qui Golda dicitur, sancto Gallo tradidit, eo pacto, ut annonam monachi & locum hospitis, dum viveret, in refectorio haberet; & collem quemdam, qui ultra Iram amnem amœnior ipsi videbatur, cum pratis & agellis ei adjacentibus possideret. nimirum, ut mansione ibi parata, cum sanctum Gallum frequentaret, nec abbati, nec fratribus esset incommodus & importunus. Perseveravit hæc in sanctum Gallum propensio, etiam postquam Ludovici regis capellanus factus est, & prædictis abbatiis prælatus. Verum id sancti Galli fratribus displicebat, quod, cum esset præpotens, absque duce, &, quod maxime indecorum & abnorme censebatur, *cum lineis vestibus* in claustrum ingrederetur. Hinc querelæ & secreta in absentem obloquia: quæ ille munusculis compescere tentavit. Forte pelliceum dederat cuidam e patribus plurimum reverendo: qui unam ei cucullam, qua indutus claustrum ingrederetur, concessit. Nec sic tamen cessavere obmurmurationes, maxime Tutilonis & Ratperti. Et ille: Nonne, inquit, & abbas vester lineus, nempe Grimaldus, tot annis claustrum ingreditur? Sed non idem jus erat fratrum conscriptorum. Abstinuit vero tandem absque aliquo patrum, ut moris est, præduce claustrum introire. Quamquam Grimaldus jam senescens & Harmutus patres sedulo monebant, ut ne Salomonis animum, hominis divitis ac potentis, exasperarent.

Interim in colle sibi ad habitandum concesso, ecclesiam in honorem & in modum crucis ædificavit, quam a se dotatam brachio sancti Magni, e Faucensi monasterio, Adalberone Augustensi episcopo procurante, accepto, locupletavit. Huc spectant festivi illi de sancto Magno versus a Canisio ᵃ editi, quos patres excipiendo sacro brachio accinuere. Accidit per id temporis, Harmuto necdum abbate, ut Salomon e palatio ad sanctum Gallum veniret, quadragesimæ tempore ibidem moraturus; & penetralia claustri noctibus furtim nudipes ingrederetur, cappa indutus, ut quasi unus e fratribus putaretur. Piam fraudem aliquamdiu dissimulaverant Notkerus, Ratpertus, & Tutilo: sed, quoniam id contra disciplinam erat;

a Canis. to. 5. p. 710. & seqq.

non visa est diutius ferenda res tam insolens, & monasticis legibus contraria. Initur itaque consilium, statutumque est, ut ad id emendandum, duo e fratribus vigiles designarentur, qui intranti cum lumine occurrerent. Ad id officii designantur Raipertus & Tutilo. Intrantem nihilo minus prior sensit Ruggerus, venerabilis & plurimi apud Deum meriti pater, qui noctu ad sepulcra cœmeterii oraturus adire solebat. Ad vocem ejus vigiles confestim cum lumine approperant. Ruggerus vero, illis silentibus, ad Salomonem: Per sancti Galli, ait, meritum (sic enim patres tum jurabant) hunc in claustro ejus his horis non patimur habitum. Tremefactus ille ob viri reverentiam, orat sibi saltem hac vice concedi, ut ad sancti Petri oratorium precaturus ingrediatur. ceterum postridie se rogaturum abbatem, ut sub monachico habitu claustrum ingredi, unaque cum fratribus sibi uni conversari liceret, relicto foris canonico habitu & famulorum satellitio. Re ad consilium delata, diversæ fuerunt fratrum sententiæ, verentium, ne hac arte, homo in palatio potens, eorum abbatiam aucuparetur. Id tandem ipsi concessum ea lege, ut sic apud sanctum Gallum initiatus, aliquando demum fieret monachus. Promisit ille, si modo ingressus in claustrum sibi cum cuculla indulgeretur. Post varia consilia vix tandem id ei conceditur, designaturque locus ad claustri januam, ubi intrans habitum monasticum indueret, exiens deponeret. Hic vero pro tali beneficio crucem ex argento deaurato dedit sancto Gallo; fratribus autem singulorum mensium kalendis, quoad sæcularis fuit, convivia exhibuit. quod non conscripti fratres actitabant. ANN. CHR. 872.

XLI. Ludovici imperatoris præceptum pro Farfa.

Hoc anno, ex Annalibus Bertinianis, Ludovicus imperator vigilia pentecostes Romam venit, & postridie ab Hadriano pontifice, forte ob festi celebritatem, iterum coronatus, perfectis sacris, cum eo in Lateranum insigni cum pompa processit. Dein, collectis copiis, reversus est ad partes Beneventanas, unde paullo ante discesserat. Ante suum discessum ipsis festis Pentecostes, cum ad Farfense monasterium accessisse, indeque Romam revertisse, colligitur ex imperiali præcepto [a], quo possessiones, tum Farfensi beatæ Mariæ, tum vicino Salvatoris monasterio abstractas, restitui jussit. Huic loco Salvatoris tunc præerat Anastasius abbas, Farfæ vero Johannes, quibus hoc diploma indulsit, ut ipsi eorumque successores quiete & tranquille inibi cum gregibus sibi commissis Deo servirent. Eodem diplomate præstarias, quas *Petrus Aretinus episcopus cum Honorato abbate* injuste fecerat, cassas & irritas esse sanxit. Data v. kalendas Junii, anno imperii ejus vicesimo-tertio, indictione v. *Actum in civitate Roma, palatio imperatoris.* Exstat Johannis papæ octavi epistola [b] ad Anastasium abbatem, cui præcipit, ut cellulam sancti Valentini, in Sabinis positam, Gangerico episcopo reddat.

a Chron. to 3. p. 666.
b Johan. viij. epist. 191.

XLII. Hadriani II. & Johannis VIII bullæ pro Corbeia-nova & Fulda.

Eodem anno kalendis Novembris Hadrianus papa II. excessit e vita, atque ei Johannes octavus XIX. kalendas Januarias ex archidiacono Romanæ ecclesiæ suffectus est. Paullo ante obitum Hadrianus Corbeiæ-novæ [c] monasterium in suam tutelam admisit, ejusque possessiones ac liberam eligendi abbatis facultatem confirmavit pontificio diplomate, quod *Adalgario religioso abbati venerabilis monasterii sanctorum Stephani & Viti* inscriptum est. Scriptum per manum *Stephani notarii cameræ sacræ Romanæ ecclesiæ, anno xviij.* Ludovici imperatoris, *& post consulatum ejus anno xxiv.* * *indictione vj.* a Septembri inchoata, datumque idibus Octobris per manus Sergii primicerii defensorum sanctæ sedis apostolicæ. Vix quindecim diebus superstes Hadrianus, successorem habuit Johannem VIII. cujus auctoritate & gratia Sigehardus Fuldensis abbas pristinos monasterio suo honores restauravit, renovatis ea [d] conditione antiquis privilegiis, ut statis temporibus pontificem de cœnobitarum religione, disciplina & concordia faceret certiorem. Addunt veteres loci membranæ, Sigehardum hoc ipso anno, in expeditione Sclavica, Ludovico Germaniæ regi strenuam navasse operam cum Arnone Wirziburgensi episcopo, qui Carlomanno Ludovici filio contra Sclavos, aliosque hostes suppetias contulerunt, multisque suorum amissis, cum magna difficultate regressi sunt.

c Annal. Paderborn. p. 171.
* Sic
d Antiq. Fuld. p. 250.

XLIII. Casauriensis basilicæ dedicatio.

Ad hunc item annum refertur dedicatio basilicæ Casauriensis, & translatio istuc corporis sancti Clementis papæ & martyris, quod Ludovicus imperator ab Hadriano papa obtinuisse dicitur ad novæ basilicæ dedicationem. Hæc facta legitur [e] hoc anno, indictione quinta, VI. kalendas Junii, eidemque Ludovicus imperator interfuisse. Verum id cohærere non potest cum Annalibus Bertinianis, in quibus

e Ughell. to. 5. col. 1298.

ANN. CHR. 872.

Ludovicus ex urbe Roma ad partes Beneventanas profectus perhibetur; neque cum tabulario Farfensi, in quo idem Ludovicus Farfense monasterium adiisse dicitur, eidemque præceptum indulsisse v. kalendas Junias hujus anni, indictione v. atque adeo Casauriensi dedicationi pridie ejus diei, id est vi. kalendas Junii, adesse non potuit. Itaque si hujus dedicationis tempus a chronographo recte statutum est, hanc absente imperatore factam esse oportuit. Facta porro est in honorem sanctæ Trinitatis & sancti Clementis papæ & martyris, inductis in hunc locum monachis a Romano abbate, quem ante id tempus Ludovicus ad præparanda ædificia ibidem instituerat. Tria erant in superiori basilicæ parte altaria. Primum ac præcipuum in honorem sanctæ Trinitatis & sancti Clementis, cum reliquiis sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quas Hadrianus papa eidem imperatori cum corpore sancti Clementis concesserat. Ad dexteram ipsius altaris medii aliud erat sub titulo omnium apostolorum cum reliquiis sancti Andreæ, & aliorum sanctorum. Ad sinistram consecratum est altare in honorem beatissimi Benedicti patris monachorum, cum reliquiis sancti Stephani, aliorumque. In crypra item inferiori totidem aræ erant: quarum media sanctissimæ virgini Mariæ, dextra sancto Blasio, sinistra sancto Nicolao sacra erat.

ANN. CHR. 873.

XLIV.

Ludovici privilegia pro Casa-aurea.

a Spicil. to. 5. p. 369.

POstero anno Ludovicus, dum Capuæ capta urbe moraretur, eidem monasterio amplissimum * concessit privilegium, in quo quidquid pro conditu ejus ab » ipso factum fuerat, paucis commemorat. Ac primo omnium aream ipsam in qua » claustrum venerabilis loci exstruendum censuit, a Pinnensi episcopatu facta com» mutatione comparavit: ubi ecclesiam ab antiquo beati Quirici martyris constru» ctam inveniens, alteram non longe ab ea ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis » ædificavit. Deinde omnes donationes eidem loco ab se factas confirmat: ad cujus » regimen *venerandum presbyterum, Romanum nomine, probum moribus, & regularibus* » *instrumentis tritum*, abbatem instituerat. Ad hæc tam ipsum abbatem quam mona» chos, cunctasque loci possessiones sub imperiali sua defensione & immunitate acci» pit. Denique districte vetat, ne quisquam extraneus ad regimen ipsius sacrati loci » umquam inducatur; sed liceat Casauriensibus monachis ex suo grege pastorem eli» gere. *Data vii. Kalendas Junias, indictione vi. Actum Capua. anno domni Ludovici serenissimi imperatoris augusti vicesimo-quarto.* Post dies sex ad eumdem accessit Celsus monachus, a Romano abbate missus, ut ecclesiam sancti Mauri martyris, in colle Amiterno sitam, ex qua idem Romanus abbas assumtus fuerat, eidem monasterio conferret. qua de re litteras imperator confici jussit, datas Capuæ pridie kalendas Junias, iisdem anno & indictione. Denique reversus ex Beneventanis imperator, idem monasterium adiisse memoratur, illudque de omnibus longe lateque acquisitis investiisse. Unde augusti jussu Grimbaldus episcopus & Erifridus imperatori confecerunt investituram de curte Breliano, domno Celso monacho ipsam recipiente, qui alias etiam ab aliis recepit. Præter ea idem imperator unum e collateralibus suis, virum splendidum & illustrem, Heribaldum nomine, sacri palatii comitem, designavit, ad quem causæ & negotia istius monasterii referrentur. quo agente, eidem monasterio sollemnis atque legalis investitura de cunctis rebus & possessionibus, quas idem imperator per diversas Italiæ provincias acquisierat, in manus Celsi monachi & Maïonis ejus advocati facta est *in Pinne ad sanctum Desiderium*. anno *imperii domni Ludovici vicesimo-quarto, die quinto mensis Decembris per indictionem septimam*. a Septembri inchoatam. In his litteris fit mentio curtis sancti Desiderii de Pinne, quam Heribaldus comes sacri palatii Ludovici imperatoris, ejus jussu, cum ipsa ecclesia sancti Desiderii, per funes de campanis tradidit in manus Celsi presbyteri & monachi, atque Maïonis advocati: quam curtem Hirmingarda genitrix ipsius imperatoris acquisierat, ac paullo ante imperator ipse Piscariensi seu Casauriensi monasterio, cum aliis rebus denuo contulit cum imperiali præceptione, *data tertio kalendas Maias, indictione septima. Actum foris civitate Ravenna ad sanctum Apollinarem, anno imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris vicesimo-quinto.* Ubique Giselbertus presbyter & notarius ex jussu imperiali scribit & subscribit. Per id tempus vir nobilis & ditissimus Lupo se suaque omnia Deo obtulit in manibus Romani abbatis; rerumque suarum oblationem fecit ad altare, & secundum regulæ morem vitam monasticam professus est.

ANN. CHR. 873.

XLV. Ambrosianæ basilicæ tutela ab eodem indulta.

Idem imperator dum Capuæ adhuc moraretur, Petrum abbatem Ambrosianæ apud Mediolanum basilicæ, cum universis, qui cum eo illic degebant, servis Dei, cunctisque possessionibus, suggerente Angilberta augusta, *sub imperialis*[a] *mundburdi tutelam*, & suæ providentiæ immunitatem perpetuam accipit, interdicens Mediolanensis sedis præsulibus & œconomis, ne quid de rebus ejus sacri loci subtraham aut minuant. Ad hæc ne quisquam in cellulam monasterii ejusdem, sitam Papiæ, ad hospitandum ingredi ausit absque permissu abbatis, aut præpositi Ambrosianæ basilicæ. Actum civitate Capua, anno imperii domni Ludovici XXIV. Hic Puricellus observat, prædictam Papiæ cellulam illic exstitisse, ubi nunc est ecclesia & monasterium sancti Petri in Viridario, italice *Verzolo*; & ubi nunc monachi Cistercienses commorantur.

a Puricell. p. 214.

XLVI. Carlomanni varia fortuna & obitus.

In Gallia Carolus synodum episcoporum convocat Silvanectis, ubi Carlomannus ipsius filius, qui illic in custodia tenebatur, judicio episcoporum in ordinem redactus est, laïcali tantum communione ipsi relicta, retrususque in Corbeïense monasterium agri Ambianensis. Hinc major accrevit seditiosis rerum novandarum audacia, ratis, homini exauctorato & laïco faciliorem ad regiam potentiam aditum patere. Intellectis eorum consiliis, Carolus filium judicio Francorum optimatum subjicit, qui eum morte dignum pronuntiant: at mitiori sententia, ut pænitendi spatium haberet, oculis potius privari satius esse judicant. Interim dum Carolus ad recuperandam Andecavorum urbem, quam Nortmanni occupaverant, cum numeroso pergit exercitu, in ipso itinere nuntium accepit, Carlomannum, jam oculis orbatum, factione Ludovici fratris sui Germaniæ regis, conspirantibus duobus Corbeiensibus pseudomonachis, de Corbeiæ monasterio subtractum, in Germaniam, duce Adalardo comite, perduci. Non tamen a cœpta expeditione destitit Carolus, qui, Nortmannis ad deditionem compulsis, Andecavorum urbem recepit, Salomone duce Brittonum opitulante. Inter ea Ludovicus rex Germaniæ, contra Winidos profecturus, Carlomannum cæcum Liutberto Moguntino archiepiscopo, in monasterio sancti Albani sustentandum, commendavit, valde improbans seditiosos ejus mores, & impia ejus facinora in ecclesiam, in patrem & populum christianum. Non multo post concessa est eidem Epternacensis abbatia, in qua post breve tempus decessit.

Guelfo postea abbas denuo Centulæ.

Tunc restituta est Guelfoni abbatia Centulensis, quam usque ad obitum videtur retinuisse una cum abbatia sanctæ Columbæ, quam jamdudum possidebat. Sane hunc abbatem Centulensem, regnante Ludovico Balbo exstitisse demonstrat præceptum, quod idem Ludovicus ejus rogatu Centulensibus concessit.

XLVII. Concilia Cabilonense & Coloniense.

Habita sunt hoc anno & alia duo concilia, unum Cabiloni in Gallia, alterum Coloniæ in Germania inferiori. In priori, quod in suburbana sancti Laurentii ecclesia XII. kalendas Junii hoc anno, Caroli regis in Burgundia tertio, celebratum est, eadem sancti Laurentii ecclesia basilicæ sancti Marcelli martyris restituitur, agente Leutherio presbytero & advocato canonicorum sancti Marcelli: quæ basilica postmodum Cluniacensibus monachis cessit. Synodicis hac de re litteris subscribunt metropolitani duo, Remigius Lugdunensis, & Ado Viennensis; tres episcopi, Liudo Æduensis, Bernardus Matiscensis, & Girboldus Cabilonensis, ac post eos Leuboinus chorepiscopus Lugdunensis; denique Herpinius, Eudo, & Guntardus abbates, & Heriboldus monachus.

In concilio vero Coloniensi sub Williberto archiepiscopo confirmata sunt acta & decreta Guntharii ejus decessoris, qui monasteriis canonicorum necessaria & libertatem electionis præpositi providerat; simulque fundatio parthenonis Asindensis, quem idem Willibertus eo in loco, ubi primitus metropolitica ecclesia sub titulo sanctæ Mariæ & sancti Petri erat, sub patrocinio sanctæ Cæciliæ exstructum dedicavit, & collegio virginum honoravit. Hoc monasterium cognominatur Vetus in litteris Brunonis archiepiscopi, qui *sanctimonialibus de monasterio sanctæ Cæciliæ*, quibus tunc Beresvintia abbatissa præerat, multa prædia largitus est. Hæc basilica[b] modo est una e præcipuis urbis ecclesiis, a nobilibus canonicabus sæcularibus occupata: quibus canonici quinque cum pluribus vicariis deserviunt.

b Gelen. pag. 357. & seq.

XLVIII. Placitum pro Caunensi monasterio.

Apud Occitanos in sollemni placito, quod Salomon missus dominicus cum assessoribus suis in castro Minerbæ prope Narbonem tenuit, judicium[c] prolatum est pro Caunensi sancti Petri monasterio, cujus abbas Daniel debitum ab ecclesia Nar-

c Diplom. p. 143.

ANN. CHR. 873.

bonensi repetebat, contractum a Fredaldo archiepiscopo nuper mortuo, qui ab Egiga Caunensi abbate frumenti modios viginti, ac vini totidem, mulos item & equos, aliasque res pretio solidorum CCCC L. acceperat. Cum vero debito nondum soluto Fredaldus obiisset, Daniel abbas, Egigæ successor, hoc debitum ab ecclesia Narbonensi reposcebat. Negantibus debitum creditoribus, adhibiti testes ad id probandum, & juramento asserendum. quod cum præstitissent, debiti solutio a judicibus decreta est *sub die nono kalendas Madias*, anno XXXIII. regnante domno nostro Karulo rege.

XLIX. Rothonenses abbates.

XLIX. In Armorica Ricandus Rothonensis abbas post sanctum Conwoionem, successorem habuisse dicitur Liosicum abbatem, qui hoc anno in Gallia christiana notatur. Exstant in codice bibliorum, qui fuit quondam ejus monasterii, nunc est penes Augustinianos Burdegalenses, litteræ Lyosoci abbatis, testantis, quo pacto *Rufredus Mala-manus de sancto Johanne armiger* ipsi supplicaverit, ut respectu divinæ pietatis reciperet in fratrem & monachum Guehennocum filium suum primogenitum, ictu cujusdam anguis pestiferæ percussum, de cujus sanitate recuperanda penitus desperabat. *Nos autem*, inquit, *Lyosoc abbas Rothonensis, cum assensu nostri capituli eumdem induimus habitum monachalem. Ipse vero collati sibi beneficii non ingratus, voluit & concessit, quod nos caperemus liberaliter lapides ad adificia nostri monasterii in perpetuum facienda, ubicumque eos possemus in terra sua de Mineria, vel alibi, eundo & redeundo commodius invenire.* Hæc & plura quædam habet ista notitia, chronicis destituta notis: quæ sæculi noni stilum non omnino sapit.

L. Carolus apud S. Vedastum.

L. Sub finem hujus anni Carolus rex ad monasterium sancti Vedasti ex Audriaca villa accessit, ibique nativitatem Domini celebravit. Tunc abbatiam occupabat Hugo abbas, quem secundum dicunt, haud scio an satis solido fundamento: cujus tempore orta est altercatio inter sancti Vedasti, & aliarum potestatum piscatores, ex quibus hi in suum consortium ad capiendam balenam in mari Britannico noluerunt admittere Vedastinos, quibus piscatio præ aliis belle successit, testante Ulmaro * presbytero & monacho Vedastino, qui id factum refert anno primo imperii Caroli Calvi.

* Sæc. 4. Bened. partis 1. p. 601.

Per idem fere tempus, quidam Scottigena accessit ad monasterium sancti Vedasti, petiturus ejusdem nonnihil reliquiarum ad construendam in Scotia sub ejus patrocinio ecclesiam. quod cum ei negatum fuisset, ex tumuli ejus pavimento collegit pulverem, quem in patriam reportavit, ibique ecclesiam fabricavit. Forte erant ei apum alvearia pro foribus ejus ecclesiæ, quæ fur quidam inde auferre non valuit, prohibente sancto Vedasto, quem Badastum Scottigenæ ex innata barbarie vocitabant. Hoc factum Ulmarus ait se rescisse a nobilissimo illius indigena soli, nomine Ethone, qui, relictis parentibus, abdicato patrimonio, cum pater ipsius ex regia prosapia esset, secundusque a rege, voluntariam aggressus peregrinationem in Galliam, in cœnobio Vedastino per annos circiter triginta religiosissime vixit, ibidemque in Christo vitam absolvit. Ejus cognatus nobiliter sceptra Scottorum gubernabat, cum Ulmarus hæc scriberet.

Etho Scottus, monachus S. Vedasti.

ANN. CHR. 874.

LI. Placita apud S. Dionysium & Duziacum.

LI. CArolus e monasterio sancti Vedasti postero anno reversus est ad Dionysianum, ubi in purificatione sanctæ Mariæ virginis placitum cum suis consiliariis habuit, ac subsequens pascha celebravit. Dein apud Duziacum villam parochiæ Remensis, alterum ab eodem rege placitum habitum est, ibidemque synodus episcoporum congregata, quæ sub nomine secundi concilii Duziacensis vulgata est.

Dudæ monachæ ob stuprũ pœna imposita.

In eadem discussa fuit causa Dudæ monachæ, quæ ab Huntberto presbytero, ut ipsa asserebat, constuprata fuerat. Illi factum neganti primum objectum est, » quod breviculos scripsisset pro ipsa Duda, quæ ad abbatissæ dignitatem adspirans, » eos contra regulam suæ professionis ad diversos misisset, ut abbatissa fieret. ad hæc » quod idem Huntbertus contra abbatissam, cui fidelitatem juraverat, sed & contra » præpositum suum falsos breves scripsisset, ut abbatissa deposita, Duda regimen » posset assumere. De his convictus Huntbertus, in negando nihilo minus stupro per- » sistebat. Verum, quia quæ contra eum de hoc crimine testimonium ferebant mo- » nachæ, a monasterio longius abduci, & ad synodum sisti non poterant; vicarii sy- » nodi cum missis regiis ad idem monasterium directi sunt ad causam examinandam » & definiendam. His ejusmodi commonitorium a patribus datum. Separandas ab

ANN. CHR. 874.

invicem, cum Dudam, tum alias duas monachas factum asserentes, & præstito super sacro-sancta evangelia juramento, seorsim de crimine Huntberti presbyteri interrogandas. Si Huntberto stuprum imputare pergant, eum non admittendum, nec singulariter, nec cum aliis presbyteris, ad se juramento purgandum, quod contra testes non valet. Tum proposita vicariis canonum hac de re decreta, simul cum testimoniis regulæ monachorum, quam sanctus Spiritus per beatum Benedictum *eodem Spiritu, quo & sacri canones*, edidit. quæ omnia Dudæ attentius & sæpius relegenda, ut intelligat, quantam dignitatem amiserit, & ad quantam vilitatem devenerit. *Cæterum quoniam eadem regula, sancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate beati papæ Gregorii inter canonicas scripturas, & catholicorum doctorum scripta est inter decreta; sæpe fata Duda, sacrilego adulterio corrupta, secundum eamdem regulam ea temperantia, ut cum sacris canonibus judicium regulare conveniat, est judicanda.* Somma judicii hæc erat. Primo ex regulæ præscripto, coram abbatissa & sororibus, ut ceteræ metum habeant, nudo dorso, remota virorum præsentia, virgis flagellanda. Deinde, quia sacri canones hujusmodi crimen pænitentia publica jubent multari; tribus annis publicæ pænitentiæ subjicienda, a sororum suarum remota consortio. quibus exactis, sororibus in oratione communicaret, non tamen in choro cum sororibus, sed pone ostium stans vel orans in loco sibi a matre monasterii constituto, ut ab omnibus posset videri, secundum regulam. Post hæc, septimo anno in ultimo posita loco, in oblatione sororibus secundum sacros canones communicaret; & post septem annos communionem corporis & sanguinis Christi, si digne pænituisset, perciperet. De cetero usque ad ultimum vitæ suæ finem permaneret in omni regulari subjectione, &, sicut regula præcipit, præterita peccata sua cum lacrymis vel gemitu quotidie Domino cum oratione confiteretur; &, quotiescumque turpes & fluxæ cogitationes illi subrepsissent, frontem suum & cor suum signo crucis Christi signaret, Christum Dominum rogans, ut crucifigeret carnem & mentem suam cum vitiis & concupiscentiis. Si vero ante expletum tempus in periculosum morbum incidisset, *viatico munere* non privanda. at, si convaluisset, reponenda inter eas, quæ communionem orationis tantummodo habebant, usque dum præfixos pænitentiæ annos absolvisset. Quia vero aliæ duæ monachæ, Berta & Erpreda, ejus sceleris consciæ fuerant, nec illud indicaverant; post moderatam virgarum castigationem, quia interrogatæ facile crimen confessæ fuerant, per tres annos & dimidium prædicto Dudæ modo pænitere jubentur. Gravissima videretur nostris temporibus hæc pænitentia: sed levior a Duziacensibus patribus visa est. *Debuerant enim*, inquiunt patres, *Duda, & ejus sceleris consentientes, duplicem annorum numerum in pænitentia duplicare: quia & monacha cum presbytero sacrilegum commisit adulterium; & suæ complices huic sacrilego adulterio consenserunt.* Sed ob sexus fragilitatem visum est patribus moderari judicium, sperantibus, per hanc pænitentiam, si tamen stricte & digne illam egissent, eas Domino posse satisfacere, cujus misericordiæ, ut Leo Magnus scribit, nec modum possumus ponere, nec tempora diffinire.

LII. Cari-loci monasterii origo.

In pago Matisconensi vetus monasterium est, cui Carus-locus nomen, cujus auctorem Ratbertum Valentinensem episcopum, una cum Eudrado, aliis Eduardo, fratre fuisse tradunt, & quidem *per manus & cooperationem Gausmari abbatis, suorumque monachorum*, ut legitur in privilegio, quod eidem monasterio in Pontigonensi conventu post biennium, agente Ratberto episcopo, concessum est. Ratbertum Bosonis fratrem faciunt nonnulli recentiores, ejus, qui postea regnum Arelatense adeptus est. At contrarium elicitur ex præcepto ipsius Bosonis regis, quod post annos quinque Cari-loci monasterio concessit rogatu Siwaldi comitis, vivente adhuc Ratberto episcopo Valentinensi, qui non alium apud Bosonem, siquidem frater ejus fuisset, deprecatorem adhibuisset, quam seipsum ad impetrandum hoc præceptum, quo abbatiola sancti Martini confertur monasterio Cari-loci, quod *dicatum* dicitur *in honore sancti Stephani in comitatu Matisconensi super Sonam fluvium.* Nihil nobis occurrit de Gausmaro abbate, primo loci institutore, nisi quod is videtur esse Gausmarus abbas Bonæ-vallis in agro Carnutensi, Carolo [a] regi perquam familiaris. Gausmarum Carilocensem excepit Ingelarius, qui privilegium a patribus Cabilonensis concilii post annos abhinc duodecim obtinuit.

[a] Sæc. 4. part. 2. p. 505.

LIII. Salomonis Brittonum ducis interitus & successores.

Contigit hoc anno interitus Salomonis Brittonum ducis, quem Pasquitanus &

ANN. CHR. 874.

socii, cum *in quoddam monasteriolum*, forte Plebelanium, quod ipse condiderat, fuga se recepisset, a suis circumventum, ac comprehensum luminibus orbarunt. quo ex vulnere sequenti die mortuus est; d guam vicem recipiens, inquit annalista Bertinianus, quippe qui *seniorem* seu dominum suum Herispogium, in ecclesia ejus persecutionem fugientem, & invocantem Dominum, super altare occiderat. Ejus ducatum inter se partiri voluere Pasquitanus & Wrfandus; sed, quia difficilis est regni societas, in hanc partitionem consentire non potuerunt. Pasquitanus, tametsi numero ac viribus superior, Normannos auxilio advocat: sed tamen Wrfando victoria cessit. Pasquitanns, plurimis suorum amissis, fuga sibi consulere coactus est: Normanni vero ejus auxiliares in proximum sancti Melanii monasterium (nam prœlium in campis Redonensibus commissum est) se receperunt, sed nocte insequenti ad naves reversi sunt. Panllo post Wrfando in morbum lapso, Pasquitanus resumit animos, ac ducis fautores bello aggreditur. Wrfandus, lectica in campum deportatus, alteram victoriam de adversario retulit: sed patrata victoria non diu potitus est, in itinere mortuus, dum in domum reportaretur. Huic paucis diebus Pasquitanus supervixit. Post horum duorum continuas mortes Judichael ex filia Herispogii natus, & Alanus Pasquitani frater, Britanniam inter se se diviserunt, sed non sine multis jurgiis ac bellis, dum, Judichaële a Normannis interfecto, in ditionem Alani tota Britannia venit.

LIV. Hustiæ ecclesia exstructa.

Odo Bellovacensis episcopus, qui olim Corbeiensis monachus & abbas fuerat, pristinæ domus ac professionis in ipso episcopatu non immemor, ecclesiam hoc anno exstruxisse traditur in villa parochiæ Tornacensis Hustia, prope Aldenardam opidum sita, quam Conradns comes superiori anno donaverat Corbeiensi monasterio, cui nuperrime nostris diebus restituta est. Hanc vero ecclesiam in honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli Odo exstruxit ea conditione, ut Corbeiensis jurisdictionis, ait loci chronographus, remaneret, sacrumque oleum & chrisma singulis annis ab episcopo Tornacensi acciperet.

LV. Juviniaci parthenonis primordia.

* Stenay.

Sub hoc tempus Joviniacum seu Juviniacum monasterinm in pago Vabrensi haud procul Satanaco * opido, a Richilde regina exstructum est, dicatumque sub titulo sanctæ Scholasticæ virginis, cujus corpus illuc hoc anno translatum fuisse produnt veteres ejus loci membranæ. Hujus condendi parthenonis ea traditur occasio. Cnm aliquando rex Carolus cum Richilde regina tempore quadragesimæ in monasterio sancti Dionysii versaretur, forte contigit lectionem fieri Dialogorum sancti Gregorii papæ, in quibus de sancta Scholastica, beatissimi patris Benedicti sorore, agitur. Hac lectione accensa est regina ad construendum in ejus honorem cœnobium in villa Juviniaco, quæ ipsi ex parentum hereditate obtigerat; & ad petendas ejusdem sanctæ virginis reliquias, quas apud Cenomannos asservari intellexit. Ea de causa Goëslenum venerabilem abbatem, an Glannafoliensem, fratremque ejus Godefridum, in quorum tutela Cenomannica civitas posita erat, adiisse dicitur. Cum illi reliquias tradere abnuissent, accidit ut Carolo Andecavos pergente, Richildis apud Cenomannos remaneret. Hæc Rotberium episcopum obnixe rogavit, sibi ut pignora sanctæ Scholasticæ virginis largiretur, ne in paganorum manus devenirent, tutiori in loco ab se reponenda. Majorem eorum partem reginæ concessit episcopns, Scotto custode ægre mandatum exsequente. Reliquiæ sacræ, agente regina, sollemni pompa Juviniacum delatæ, ubi hactenus ostenduntur. Hæc auctor anonymus ex ore ipsius Richildis, aliorumque ejus familiarium se accepisse dicit. Ab eo tempore Juviniacum dictum est sanctæ Scholasticæ monasterium. unde in necrologio sancti Agerici abbatiæ Virdunensis laudatur VIII. idus Martii *Walburgis abbatissa sanctæ Scholasticæ, quæ quondam exstitit inclusa sancti Agerici.* Hanc præcessisse videtur Hadvidis [a] Joviniacensis abbatissa, quæ cum Lanzone abbate sancti Michaëlis ad Mosam controversiam habuit super ecclesia de Spiregio, quæ lis sæculi duodecimi anno vicesimo-octavo a Willelmo Prænestino, & Matthæo Albanensi episcopis, necnon a Johanne Cremensi cardinale composita est. Nostro etiam tempore Juviniacense monasterium florescit religione ac disciplina regulari.

a *Baluz. misc. coll. tom.* 4 *p.* 454.

LVI. Ludovici regis beneficia in Fuldā & Laurissam.

Ludovicus Germaniæ rex in hebdomade paschali hujus anni Fuldense monasterium orationis causa petiisse memoratur, tum in annalibus Pithœanis, tum apud Lambertum. Nec immunem ac sine fructu venisse litterarum documenta produnt, Browero [b] testante, quibus, avi Caroli & Ludovici patris exemplo, monasterii libertatem

b *Fuld. Antiq. p.* 281.

ANN. CHR. 874.

bertatem asseruit, forensia onera dimovit, fisci vectigalia attribuit, certasque possessiones uni cœnobitarum alimoniæ servire decrevit, Sigehardo abbate. Tunc temporis etiam accessit ad Laoreshamense monasterium, cujus in proxima villa Lobetenburgo quasdam res proprietatis suæ in pago Rhenensi concessit prædicto monasterio, ubi sequenti anno sepeliendus erat. Hujus rei diploma ex authentico eruit Freherus, editum in opere ipsius postumo de Lupoduno, ex quo Conringius illud [a] retulit in censura diplomatis Ludoviciani, sub his chronicis notis: *Data* IV. *nonas Maias, anno Christo propitio* XXXVII. *regni domni HLudowici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, indictione* VII. *Actum Lobetenburc.* Si bene expressa est indictio septima, hoc præceptum huic anno convenit: at non bene consentit annus XXXVII. regni Ludovici cum eodem anno, si teneatur calculus, a nobis superius [b] assertus non semel, de initio Ludoviciani regni in orientali Francia, quod ab anno currentis sæculi tricesimo-tertio aut insequente repetendum esse ostendimus. Neque desumi potest a morte Ludovici Pii ejus patris, cui filius annos dumtaxat triginta-quinque superstes fuit. Neque denique ab anno DCCC XXXIX. quem Schatenus suggerit, sed ab anno DCCC XXXVII. aut insequente. Consimilis est difficultas in altero ejusdem regis diplomate pro sancto Dionysio, dato V. kalendas Augusti, anno regni ejus tricesimo-quarto, indictione XIII. quo diplomate [c] cellulas quasdam, in Alamannia sitas, sancto Dionysio confirmat, nempe Hetsilingam super fluvium Nechram, ubi sanctus Vitalis; Harbrittingam, ubi sanctus Veranus; & Hadalonge-cellam, ubi sanctus Georgius corpore quiescit. Laurissæ adhuc præerat Thiodrocus abbas, cum Ludovicus eidem loco hoc diploma concessit; anno subsequenti successorem sortitus Babonem, qui eumdem locum sex tantum annis gubernavit.

a Conring. p. 83.

b V. lib. 33. n. 30.

Ejusdem diploma pro S. Dionysio.

c Doublet p. 784.

LVII. Heldradi abbatis Novaliciensis gesta, mors, & successores.

Ultra hoc tempus differri non potest obitus Heldradi seu Eldradi Novaliciensis abbatis, quem regnante Ludovico secundo imperatore decessisse tradit ejus vitæ scriptor anonymus, haud dubie Novaliciensis chronographus, qui librum de ejus vita & miraculis, quantumcumque *tam ex visis, quam auditis, lectisve* colligere potuisset, a se scriptom fuisse testatur. Non dubito quin is sit libellus, in Martio [d] Bollandiano editus de gestis Heldradi abbatis, sed jejunus admodum & exilis, ex quo hæc pauca delibare juvat. Heldradus ex Gallicana patria, quæ dicitur Provincia, non infimis parentibus ortus perhibetur, *Amboliacensis opidi, alpinis montibus undique septi. municeps & indigena.* Is, Aquitania & Hispania lustratis, se recepit in Novaliciense monasterium, trecentorum tunc monachorum, quod Amblulfus sollerti disciplina regebat. Istic brevi didicit, *quidquid sancti Benedicti regula, Columbani edicta, & Basilii scripta continent.* Defuncto Amblulfo, ejusque successore Hugone, Heldradus abbas institutus est, ac, pastorali officio rite impleto, decessit *tertio idus Martii, regnante Ludovico Lotharii filio, & sepultus est apud Novalicium*, ubi & miraculis vigere dicitur. Vixit sub monastica disciplina annis septem; Novaliciensibus præfuit annis triginta. Hunc virum excellentissimum vocat chronographus. Ejus tempore a Ludovico Pio missus dicitur Boso comes cum suis judicibus Augustam-Taurinatium: in quorum præsentia villa Otiatis monasterio denuo asserta est, agentibus Claudio Taurinensi episcopo & duobus monachis, Agleranno scilicet ac Richario præposito, cum suo advocato. Eldrado abbati in chronologia Pedemontana substituuntur Eirardus, Demontius, & Dondivertus, quo abbate monasterium a Sarracenis penitus eversum est, indeque ab Adalberone marchione translati monachi ad Bremetensem abbatiam, ut suo loco videbimus, dum Novalicium omnino instauraretur.

d Bolland. 13. Martii.

LVIII. Ludovici diplomata pro Casa-aurea & Monticello.

Ludovicus imperator quatuor hoc anno præcepta edidit pro monasterio Casauriensi. Primum datum est III. kalendas Maias extra Ravennam ad sanctum Apollinarem, eoque res quasdam Casauriensibus contulit, quas Hirmingarda genitrix sua quondam acquisierat. Alterum est de rebus Tusciæ, aliarumque provinciarum, in quibus ea commemorat, quæ Walterus episcopus in territorio Tuscanensi ipsi legaverat. Actum Olonna curte imperiali, kalendis Septembris, indictione octava inchoante. Ibidem etiam sequens datum est III. idus Octobris, eoque statuit imperator, ut tres quotidie pro ipso missæ, & omnibus diurnis ac nocturnis officiis centesimus-vicesimus psalmos decantetur, præter vespertinales & matutinales hymnos, quos pro animæ suæ remedio repeti jubet. Quarto denique privilegio,

ANN. CHR. 874.

quod Olonnæ etiam editum est, confirmantur kalendis Novembris universæ monasterii possessiones, quas immensas & infinitas fuisse patet ex chronographo [a] apud Ughellum. In his tribus posterioribus præceptis primum mentio fit de corpore S. Clementis papæ & martyris, translato in Casauriense monasterium, & ab imperatore imprecationes in violatores horum præceptorum adhibentur. In postremo horum diplomatum Ludovicus mentionem facit de alio monasterio, quod in quodam loco, Moninello nomine, duobus ferme millibus ab urbe Mantua dissito, exstruxit cum basilica *in honore gloriosissimæ resurrectionis seu ascensionis Domini nostri Jesu-Christi*: ubi cœtum monachorum, die noctuque supernæ majestati famulantium, coadunari jussit. quibus, ut nullam in Dei servitio paterentur egestatem, res suas omnes, quas in inferiori Italia acquisierat, legali more contulit. Eodem anno Heribaldus comes sacri palatii, superius jam laudatus, placitum [b] habuit in insula Piscaria, in loco dicto Casa-aurea, ubi monasterium sanctæ Trinitatis ædificatum est, cujus in gratiam de rebus cujusdam Candoli sententiam tulit. Huic judicato Heribaldus comes, *propter ignorantiam litterarum*, tantum signum crucis apposuit. In alio Johannis papæ VIII. [c] placito, tunc ibidem habito, bona Gundæ feminæ fisco adjudicantur ob matrimonium ab ipsa initum post susceptum *habitum & velamen sanctæ Dei genitricis* Mariæ.

a *Ital. sac. to. 5. col. 1303. & seqq.*

b *Diplom. p. 543.*

c *ibid. p. 544.*

Johannis VIII. epistola de Pomposia, &c.

Johannes VIII. in quadam epistola [d] ad Ludovicum imperatorem, qui Pomposianum, & quædam alia monasteria, Ravennati ecclesiæ à Romanis pontificibus ablata, eidem restitui petierat, ea retinere pergit, Ravennati ecclesiæ haud ablata fuisse causatus. Hæc monasteria sunt *sancta Maria in Comaclo, quod Pomposia dicitur; monasterium sancti Salvatoris in monte Feretri; aliudque monasterium, quod vocatur sancto Probo.* Data est hæc epistola IV. kal. Februarii, indictione VII. quæ huic anno respondet.

d *Baluz. to. 5. Misc. p. 489.*

LIX.
S. Sixti cœnobium Placentiæ & alia.

Nec minori studio in Ordinem nostrum affecta fuit Angilberga augusta, ejusdem Ludovici conjux. Hæc enim cœnobium virginum, quod modo virorum est, Placentiæ ædificavit itidem *sub titulo dominicæ resurrectionis, & in honore sanctorum martyrum Sixti, Fabiani, Marci & Apulei*, quorum reliquias ibidem reposuit. Habetur in archivo ejus loci authenticum ipsius Ludovici præceptum, monasterii constructionem dotationemque confirmantis *tertio idus Octobris, indictione octava, anno imperii* XXV. *apud Olonnam curtem imperialem.* qui locus est in pago Mediolanensi, ubi tria superiora pro Casa-aurea diplomata data sunt. Appensum est authentico exemplari sigillum ex plumbo, in antica præferens Ludovici effigiem cum hac inscriptione: † HLUDOWICUS IMP. R. & in postica parte CL. AUG. DEC. IMP. Idem Angilbergæ augustæ aliis litteris donat *abbatiam in honore beati Petri, non procul a Placentina urbe, in loco, qui nuncupatur Caput-Trebia.* quod modo prædium est monasterii sancti Sixti. Idem eidem Angilbergæ tradit *monasterium Salvatoris, quod dicitur Novum, intra mœnia Brixiæ constructum*; & alterum in Papia, quod *vocatur Reginæ, & xenodochium sanctæ Mariæ cum hospitali sancti Benedicti; necnon & monasterium situm in Sirmione, seu xenodochium sanctæ Mariæ, quod dicitur Sancta-Maria-Brittonum; ea conditione, ut, si prædicta Angilberga ante filiam suam Hermengardem obierit, in ipsa loca filia sua succederet.* Johannes papa VIII. hoc monasterium Angilbergæ vocat in litteris [e] ad Liutfridum comitem, ejusque conjugem, quos excommunicat, propterea quod Garelindam sacro velamine tectam, & in monasterio Angilbergæ imperatricis augustæ, quod Placentiæ situm est, sub professione regulari diutissime conversatam, inde abstrahere ausi fuerint. Carolus, cognomento Crassus, non uno diplomate confirmat res monasterii ab Angilberga concessas. Denique Arnolfus hortatu Hirmingardis, quam mater Engilberga ad se miserat, eadem rata habet, & monasterium Novum, quod Ludovicus Brixiæ situm esse dicit, alio nomine sanctæ Juliæ dictum, *in comitatu Prissanensi* locat. Addit Papiæ *monasterium sancti Marini, atque monasterium sancti Thomæ, necnon monasterium Reginæ, in quo sanctimoniales Domino famulantes conversantur.*

e *Joh. VIII. ep. 165.*

LX.
Ripandunense monasterium eversum.

In unum ex his monasteriis, forte Reginæ, se recepit Ethelsvida, Burredi Merciorum regis conjux, cum rex ipse Romam se recepit. quod qua occasione factum sit, paucis explicandum. Cum Dani Britanniam late popularentur ac devastarent, Merciorum quoque regnum dire infestarunt, regemque ipsum regno [f] deturbarunt, & Romam diffugere compulerunt: ubi brevi postea mortuus est, sepultus-

f *Vuillelm. Malmesb. lib. 1. de reg. Angl. c. 2.*

que in schola Anglorum. Uxor ejus Ethelsvida, Atulfi regis filia, mox virum secuta, Papiæ in monasterio demorata est, ibidemque supremos vitæ dies exegit. Rege fugato, Dani Ripandunense monasterium invaserunt, in eoque hiberna egerunt, *monasteriumque celeberrimum*, inquit Ingulfus, *omnium regum Merciorum sacratissimum mausoleum*, funditus destruxerunt.

ANN. CHR. 874.

ANN. CHR. 871. LXI. Caroli acta apud S. Dionysium. a Diplom. p. 541.

POstero anno Carolus rex e palatio Compendio ad sancti Dionysii monasterium venit, ubi pascha Domini celebravit, quod hoc anno incidit in sextum kalendas Apriles. Ipsis kalendis ejusdem mensis idem princeps præceptum [a] edidit, quo mancipia quædam ex fisco Bekercio, quæ Rainboldus quidam sanctæ Columbæ partibus acquirere voluerat, monachis Dionysianis tradit rogatu decani, Franconis præpositi, ac Meinardi thesaurarii. quod præceptum Adalgarius ad vicem Gausleni recognovit. *Data kalendis Aprilis, indictione* VIII. *anno* XXXV. *regni Karoli, & in successione regni Lotharii anno* VI. *Actum in monasterio sancti Dionysii.* Dum istic moraretur, rogante Geilone venerabili abbate vagæ ac profugæ congregationis Herensis, ipsi Geiloni, ejusque congregationi donavit abbatiam sancti Valeriani, « quæ est in pago Cabilonensi super fluvium Sagonam seu Ararim, ubi etiam idem « venerabilis martyr corpore quiescit; & castrum Trenorchium *, in quo hæc abba- « tia sita est, cum cella sancti Romani in pago Matisconensi, ad deprecationem Bo- « sonis comitis, Richildis reginæ fratris, aliisque prædiis, & cum annali mercato « per dies quatuor *in missa* seu festo sancti Filiberti *de transitu*, id est in quo ejus « depositio celebratur. *Data* XIV. *kalendas Aprilis, indictione* VIII. *anno* XXXV. *regnante Karolo gloriosissimo rege, & in successione regni HLotharii anno sexto. Actum in sancto Dionysio.*

* Trenorchium: Tournus.

Haud scio an tunc Hildericus [b], abbas Caunensis monasterii in pago Narbonensi, a Carolo rege obtinuerit confirmationem immunitatis, quam olim Carolus Magnus eidem loco tribuerat rogatu Danielis abbatis, qui monasterium Aniano abbati concesserat; quamque Carolus Calvus alteri Danieli abbati confirmaverat. Dum idem rex apud sanctum Dionysium moraretur, Richildis ejus uxor ante quartam feriam paschæ abortivum fetum peperit, qui baptizatus mox obiit. Dum vero purificationis dies ibidem ageret regina, rex ipse ad Basivum palatium agri Ambianensis profectus est; indeque ad litanias celebrandas ante ascensionem ad monasterium sancti Dionysii reversus, dein vigilia pentecostes Compendium adiit. Dum in Basivo palatio ageret, ipsum adiit Johannes Rotomagensis antistes, rogaturus, ut res, « priscis [c] temporibus sancti Petri & sancti Audoëni usibus assignatas, « sicut tempore venerabilis Remigii episcopi segregatæ fuerant, sua auctoritate com- « probaret. quod lubenter præstitit Carolus, jubens, ut omnes, qui beneficia ex re- « bus monasterii habebant, decimas ad hospitale ejusdem monasterii darent, concessa « insuper eligendi abbatis integra facultate. Actum *Basiu palatio imperiali* VII. kal. « Julii anno regni ejus XXXVI. imperii primo.

b Ibid. p. 544.

c Pommeray p. 401.

LXII. Bosonis beneficia in Dervenses.

Boso comes, paullo ante laudatus, optime affectus erat in Dervense monasterium, cui hoc anno res suas largitur, sitas in pago Pertensi, in fine Olonnensi. *Actum Pertense ad basilicam sancti Desideris, ubi vocabulum est Olumna, vico publico. Datum est hoc testamentum* VIII. *idus Octobris, anno* XXXVI. *regnante domino nostro Karolo rege sive imperatore.* Hinc colligas, opidum sancti Desiderii * in pago Pertensi Olonnam seu Olumnam olim appellatum fuisse. De Olonna item mentio fit in epistola Karoli, an Calvi, scripta Letrico & Ademaro fidelibus suis, jubentis Dervensibus restitui, quidquid in Gihinnicurte, & Gundricurte atque Olonna erant de thesauro ecclesiæ. Alius fuit Boso comes, & quidem Rodulfi regis frater, quo petente Albericus abbas ecclesiam sancti Amandi, sitam in villa Piscionis, ad vitam dedit cuidam Rotfredo, & post ejus decessum Rotgerio fratri ejusdem, ut suo loco dicturi sumus. Superiorem vero Bosonis donationem regali præcepto a Carolo imperatore fuisse confirmatam, testis est charta Heriberti Viromandorum comitis, alias referenda. Post hanc observationem de Olonna a me factam venit in manus meas chronicon Alberici, Trium-fontis monachi, in quo hæc leguntur ad annum DCCCLXXIII. *Boso comes dedit ecclesiæ Dervensi sanctum Desiderium: quod Carolus-Calvus rex Francorum confirmavit.* qui locus hanc observationem omnino illustrat.

* S. Disier.

ANN. CHR. 875. LXIII. Carolus Ludovico imperatori succedit.

Idem Carolus mense Augusto Duziacum profectus, certo nuntio mortem accepit Ludovici imperatoris, qui Mediolani in æde Ambrosiana sepultus est. Magna inde pro imperii titulo certamina inter duos fratres, Ludovicum & Carolum reges, quod imperator nullis liberis masculis relictis decessisset. Accepto mortis nuntio, Carolus statim motis castris Duziaco Pontigonem perrexit; moxque iter in Italiam ingressus, per montem Jovis transire contendit. Ex adverso Ludovicus Germaniæ rex primo Carolum, qui postea Crassus dictus est, tum Carlomannum filios, qui iter Calvo impedirent, magno cum exercitu misit. Cum vero Crassum in fugam conversum, Carlomannum perterritum a Carolo audisset; Ludovicus ira furens ipse cum tertio filio Ludovico in Franciam magno impetu irruit, & usque ad villam Attiniacum obvia quæque devastavit. Calvus a proposito nihilo secius dimotus, acceptis a pontifice legatis, quorum unus Ansegisus Senonum præsul erat, Romam accessit sexto-decimo kalendas Januarias, ibidemque in natali Domini in basilica Vaticana a pontifice sollemni ritu coronatus est imperator. quo facto, multa, eaque pretiosa, beato Petro dona obtulit, ac sequenti anno ineunte in Galliam revertit. Postridie suæ coronationis præcepta [a] regum & imperatorum Farfensi monasterio confirmavit ad preces Johannis abbatis. *Data* VII. *kalendas Januarii, anno* XXXVI. *regni domini nostri Karoli in Francia, & in successione Lotharii VI. & imperii ejus primo. Actum in sancto Petro, indictione* IX. Post biduum vero Johannes pontifex, Caroli interventu, fratribus Nobiliaci seu sancti Vedasti apud Atrebatas monasterii castrum ac monasterium confirmavit, & quidquid eis per suum præceptum concesserat, & Gallicanorum antistitum decreto muniri fecerat. Massonus & alii pontificias litteras retulerunt.

a Chesn. to. 3. p. 667.

Angilberga augusta fit monacha.

Mortuo Ludovico imperatore, Angilberga seu Engilberga augusta in Brixiense Salvatoris & sanctæ Juliæ monasterium secessit, ibidemque religiosum induit habitum. Ad eam Johannes papa consolatoriam epistolam [b] scripsit de morte imperatoris, cujus anniversario die [c] pro ejus animæ sempiterna requie sacrificium se oblaturum promittit, & quotidianas pro eo preces.

b Joh. VIII. ep. 43.
c Id. ep. 86. & 91.

LXIV. Trenorchii bona confirmata in synodo Cabilonensi.

Interim episcoporum conventus apud Cabilonem in ecclesia sancti Marcelli habitus est ad ordinandum Adalgarium episcopum Æduensem: quo in conventu conditæ synodicæ litteræ de confirmatione bonorum & possessionum monasterii Trenorchiensis, siti in ipso comitatu Cabilonensi ad Ararim, ubi sanctus Valerianus martyr, cum sancto Filiberto abbate istuc translato, colebatur. In recensione ejus loci possessionum memorantur cella sancti Romani in pago Matisconensi; in Arvernico cella sancti Porciani, confugii causa monachis sancti Filiberti a rege concessa; in Pictavensi cella sancti Prudentii; in Cenomannico Bussiolium, denique in pago *Valagio* seu Vellavensi * cella, *Godes* dicta, ad Ligerim sita, quam Desiderius quidam eisdem donaverat. His litteris subscripsere non modo præsentes, sed etiam absentes episcopi, immo etiam posteri, quibus hoc privilegium subscribendum postea oblatum est. Ex metropolitanis subscribunt Remigius Lugdunensis, & Ado Viennensis, qui ambo paullo post e vita migrarunt. Certe iisdem litteris subscriptus invenitur Aurelianus Remigii successor ex abbate Athanacensis monasterii, quod ipse monastico ordini restituerat. Idem Saxiaci in agro Lugdunensi monasterium condiderat ante pontificatum, ubi Fossatenses monachos profugos jam præsul collocavit. Caroli regis litteræ de dono abbatiæ sancti Porciani, & confirmatio Johannis papæ VIII. exstant in Spicilegii tomo [d] duodecimo, & alibi.

* le Velay.

Aurelianus fit præsul Lugdunensis.

d Spicil. to. 12. p. 511. & seqq.

LXV. Ado Viennensis moritur.

Sub finem ejusdem anni ad cælestem patriam migravit Ado Viennensis antistes, & quidem XVII. kalendas Januarii, quo die Viennenses fasti hæc de eo habent. XVII. *kal. Januarii sancti Adonis Viennensis episcopi, miræ sanctitatis viri, anno ab incarnatione Domini* DCCC LXXV. *indictione* VIII. *Rexit autem ecclesiam suam sexdecim annos, & sepultus est in ecclesia Apostolorum Vienna*, id est in extramurana monasterii sancti Petri basilica, ubi Viennenses pontifices humari mos erat. Hoc monasterium olim nostri Ordinis, nunc canonicorum sæcularium est. Sancti Adonis festus dies sub ritu duplici colitur in ecclesia Viennensi, sollemnius in basilica sancti Petri, ubi ejus reliquiæ promiscue cum aliis aliorum sanctorum archiepiscoporum pignoribus sub altari asservari dicuntur post sacrarum thecarum expilationem, ab hæreticis factam memoria patrum nostrorum. In breviario Romanensi Ado annos plus minusve septuaginta-sex vixisse traditur. De ejus martyrologio,

chronico, & actis sanctorum Desiderii episcopi & Theuderii abbatis ab eo scripris, superius actum est. Othrannus ejus successor itidem in æde sancti Petri conditus est post annos regiminis fere tredecim. ANN. CHR. 875.

LXVI. Altfridus item Hildenshemensis, cujus successor Liudolfus.

Adoni adjungendus Altfridus Hildensheimensis episcopus itidem e nostris, qui hoc ipso anno in consortium sanctorum migravit XVIII. kalendas Septembris, & in Alnedensi [a] ecclesia, quam ipse struxerat, sepultus est: ubi miraculorum virtutibus in morbis sanandis claruisse perhibetur in chronico Saxonico nondum edito. Is est Altfridus transrhenensis episcopus, ad quem Hincmarus [b] scripsit pro quibusdam rebus S. Remigii in Thoringia sitis, quas eidem administrandas commiserat. Post hunc Liudolfus, novæ Corbeiæ monachus, episcopatus successor designatur: sed subita morte præventus, ante initam sedem interiit. Huic sufficitur Marcwardus, qui anno regiminis quarto a Sclavis interfectus est, ut legitur in chronico Hildensheimensi, ubi Liudolfus mendose *chorepiscopus* electus dicitur.

a lib. 34. n. 46.
b Frod. lib. 3. c. 23.

LXVII. Sclavi a Corbeiensibus conversi.

Forsan hic Marcwardus uti & Liudolfus, assumtus est ex cœtu Corbeiæ-novæ monachorum, qui hoc tempore Sclavos seu Slavos ad fidem christianam convertisse memorantur. Tunc enim, referente Helmodn, egressi e Corbeia monachi sanctitate insignes, qui Slavorum salutem sitiebant, seipsos impenderunt ad subeunda pe-
« ricula & mortes pro legatione & prædicatione verbi Dei. Hi, peragratis multis Sla-
« vorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani sive Rugiani, habitant-
« que in corde maris: ubi fomes erroris & sedes idololatriæ erat. Illic verbum Dei
« cum omni fiducia & libertate prædicantes, totam illam insulam Christo lucrati
« sunt: ibique oratorium construxerunt in honorem Dei & Salvatoris nostri Jesu-
« Christi, & in memoriam sancti Viti, Corbeiæ suæ patroni. Processu temporis,
« etsi Rani a fide defecerint, nihilo minus retinuerunt cultum sancti Viti, quem pro Deo quodam habent. Tunc temporis Corbeiam-novam regebat Adalgarius abbas tertius, cui Hincmarus [c] scriptis litteris gratias agit de precibus, ab ipso & fratri-
« bus sibi commissis Deo pro se oblatis, & de donis ejusdem abbatis, cui res eccle-
« siæ Remensis in Thoringia sitas commendat. In chronicn Corbeiensi apud Meibo-
« mium, ubi Corbeienses sub Adalgario abbate monachi recensentur, inter alios memorantur Margwardus & Liudulfus, sed non dicti episcopi, haud scio an iidem, qui Altfrido in sede Hildensheimensi successisse perhibentur. Apud Paullinum in recensione Corbeiensium sub eodem Adalgario abbate monachorum notatur Walbertus episcopus Hildensheimensis. Non diu superstes fuit Adalgarius abbas, qui post viginti annos præfecturæ VII. idus Januarii obiisse dicitur, forte anno sequenti. Ejus successor Thancmarus vix mensibus octo Corbeiæ præfuit, obiitque III. idus Septembris. Nec diuturnus fuit post eum magistratus Avonis abbatis, qui, cum vix tribus annis locum rexisset, & ipse decessit V. idus Novembris. Longior fuit Bovonis primi præfectura, qui post annos undecim exstinctus est III. kalendas Novembris, locumque fecit Godeschalco abbati, ad annos decem, qui pridie idus Januarii e vita migravit, successorem sortitus Bovonem secundum ad annos decem, de quo in sæculo sequenti. Bovoni primo tribuendum videtur id, quod ex ejus scriptis refert Adamus Bremensis canonicus de sancto Rimberto episcopo, cujus adhortationibus ac precibus Frisii barbarorum immensam stragem fecerunt, ut suo loco videbimus.

Adalgarius abbas, & successores.
c Frod. lib. 3. c. 24.

LXVIII. Hersfeldenses abbates.

Lambertus Scafnaburgensis auctor est, Brunwardum, Herveldensem seu Hersfeldensem in Turingia abbatem, hoc anno e vivis excessisse, eique Drugonem successisse, locumque rexisse ad annum ejus sæculi nonagesimum-secundum, quo anno Harderadus ei suffectus est: cujus successor Dietbardus regimen subiit sæculo decimo ineunte. Brunwardo abbati scripsit Hincmarus [d] Remorum antistes pro rebus sancti Remigii, & colonis Remensis ecclesiæ in Thoringia constitutis.

d Frod. lib. 3. c. 24.

Glandeirense monasterium

Post mortem Ludovici imperatoris, cum Carolus Francorum rex occupandi imperii causa in Italiam contendisset, Ludovicus Germaniæ rex cum valida manu regnum Caroli ingressus est, ut eum ex Italia reverti cogeret, misso interim filio Carlomanno in Italiam adversus ipsum, sed mox reverso sub fictis Caroli promissis. Perstitit in Francia occidentali Ludovicus usque ad finem anni: sed tandem multorum precibus expugnatus, ne Galliæ regionem perderet; mense Januario anni insequentis in regnum suum rediit. quæ omnia discimus ex Annalibus Fuldensibus. Forte per id tempus apud urbem Mediomatricum versabatur, cum ad eum accesse-

ANN. CHR. 875. re *fratres ex cœnobio sancti Martini, necnon & beati Undonis confessoris Christi*, quod Glanderiense, vulgo Longæ-villæ monasterium vocant, rogaturi, ut ad supplendam ipsorum inopiam, res quasdam eidem cœnobio ablatas eis restitueret. Horum postulatis rex acquiescens, *quia ecclesia ipsa in manibus*, inquit, *nostris habebatur*, consultu Bertulfi Trevirorum archiepiscopi, villam *Grinstat* seu *Grindestat*, sitam in pago Wormatiensi, eis restituit. *Data* XI. *kalend. Decembris, anno* XXXVIII. *regni Ludovici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, indictione* IX. *Actum Mettis civitate*. quæ indictio a mense Septembri inchoanda est, ut huic anno conveniat. Certe hoc diploma differri non potest in annum sequentem, quo Ludovicus ipse v. kal. Septembris Franconofurti decessit. Hoc primum nobis occurrit sincerum instrumentum pro monasterio Glanderiensi, cujus conditores fuisse dicuntur beati Dignus & Undo; benefactor vero Bodagisus, sancti Arnulfi Mettensis episcopi pater, ut legitur in qualicumque diplomate sub nomine Ludovici Pii, recognito a Sigismundo Romanorum rege: quo in diplomate ecclesia Glanderiensis *in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sanctorum confessorum Martini, Digni, Bodagisli atque Undonis consecrata* dicitur; spoliata vero a regibus, qui ante Carolum Magnum exstiterunt. Sunt qui istius monasterii originem Arnaldo *, Ansberti ducis filio, tribuunt: sed præferenda videtur altera opinio. Hactenus perstat Glanderiense monasterium diœcesis Mettensis sub Benedictina Congregatione sancti Vitoni. Ad res Italicas revertor.

* V. lib. 8. n. 17.

LXIX. Johannes Diaconus vitam S. Gregorii scribit.

Johannes diaconus hoc tempore libros quatuor de gestis beati Gregorii papæ, cognomento Magni, scripsit, eosque Johanni papæ VIII. inscripsit. Tempus quo librum tertium absolvebat, ipse notat in ejus libri capite LVIII. scilicet indictionem octavam, quæ, si a kalendis Septembris computetur, anno superiori; si a kalendis Januarii, huic anno convenit. In præfatione horum librorum ad Johannem papam occasionem suscepti operis memorat. nempe cum ad vigilias festi beati Gregorii Romani pontificis & Anglorum apostoli lectiones ex sancto Paulino Nolano episcopo desumerentur, substomachatus est Johannes papa, quod is, qui tot sanctorum vitas in suis Dialogis scripserat, propria vitæ suæ historia in sua ipsius ecclesia careret. Id vero eo indignius pontifici visum est, quod Anglosaxones acta ejus propria ex venerabilis Bedæ historia, & Langobardi ex Paulo Warnefridi haberent. qua re commotus Johannes papa Johanni diacono scribendæ Gregorii vitæ curam demandavit: ut Romani haberent in promtu, quod in Romana ecclesia lectitarent. Pontificis jussis incunctanter paruit diaconus, totumque opus in quatuor libros distinxit, non tam rationem habens temporis, quo quæque res facta est, quam rerum similium, quas in unum contulit. Sub finem libri quarti Johannes edita opera probat, Gregorium in monasterio servasse *speciem propositi regularis, olim a sancto Benedicto statuti, cujus ipse vitam describens in dialogo, regulam quoque laudaverat*. quod quidem probat tum ex baltheo ejus seu zona in tumulo reperta, quæ unius pollicis mensuram non excedebat; tum ex instituto monachorum, quos Augustinus monachus, ab eo in insulam Britanniam ex suo monasterio missus, ibidem instituerat, quos regulæ sancti Benedicti mancipatos fuisse ex eo demonstrat, *quod ex ipsius discipulis vix posset in illis partibus monachus aliquis inveniri, a quo non observetur tam in proposito, quam in habitu regula Benedicti*. quod quidem tanto molimine probandum non suscepisset Johannes diaconus, nisi & ipse monachus ejusdem fuisset instituti. Ejus porro diaconia erat in oratorio sancti Johannis ad Suburram, ut ipse testatur in libri tertii capite LVIII. ubi ait se auctorem fuisse, ut Gaudericus Velitrensis episcopus altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod extra oratorium sancti Johannis in apertissimo atrio positum, congruis luminaribus honorari non poterat, intra oratorium locaret; tumque pyxidulas duas sigillatas ab altari removisse dicitur, quarum alteram cum aperuisset, particulæ quædam ex sacris tunicis in ea visæ sunt. quibus sub altari depositis, divinitus accensæ lampades ibidem sæpius apparuerint. Plura de Johanne diacono superius.

LXX. S. Cuthberti translationes.

Per hoc tempus cum Northumbrorum quoque regionem Danica tempestas afflaret, visum est Eardulfo magni meriti episcopo, qui Lindisfarnensem regebat ecclesiam, ut sancti Cuthberti episcopi corpus in tutiorem locum asportaret. Assensit episcopo Eadredus abbas, qui sub episcopo monachis Lindisfarnensibus præerat, & ipse miræ apud Deum sanctitatis, nec exiguæ apud homines nobilitatis.

ANN. CHR. 871.

Teniata in Hiberniam cum sacro corpore trajectio, sed divinitus impedita, plaudentibus incolis, qui tanti patroni ablationem inconsolabiliter lamentabantur. Omnium demum sententia fuit, ut venerabile corpus deferretur ad Crecam monasterium, in Bulmerensi agro positum haud procul Eboraco, ubi ab ejus loci abbate, nomine Geve, honorifice exceptum est; post quatuor menses translatum Cuncacestram cum episcopali sede Lindisfarnensi: donec tandem Dunelmum hæc translata est. Io omnibus porro ecclesiis, in quibus sancti pontificis corpus stetit, nullus patuit feminis aditus, quod olim in Lindisfarnensi ecclesia vir sanctus districte vetuerat.

ANN. CHR. 876.

LXXI.

Caroli acta in Italia.

INsequente anno Carolus, imperatoria dignitate insignis, nonis Jannarii ex nrbe Roma egressus, Papiam venit, ubi, electione ejus ab episcopis & proceribus confirmata, leges regio more sancivit, ac Bosonem, Buvini comitis filium, Richildis uxoris suæ fratrem, illarum partium ducem declaravit. Ibidem quoque Berengarium Fori-Julii comitem dixit loco patris ejus Eberhardi seu Evrardi, qui ante biennium obierat, uti colligitur ex charta donationis, quam Gisla Evrardi conjux Cisonio [a] fecit pro sua & viri sui sepultura, cujus corpus, cum adjutorio filii sui Unrochi, *ab Italicis partibus* Cisonium * deferri curaverat. qui locus est pagi Tornacensis in Belgio, ubi monasterium seu collegium canonicorum cum marito suo construxerat. Hujus donationis instrumentum datum est *Fevis* * prope Insulam Belgii opidum, *mallo publico, kalendis Julii anno* XXXV. *regnante Karolo rege gloriosissimo*, id est anno DCCC LXXIV. quo proinde tempore jam Evrardus mortuus erat. Eamdem donationem Gisla confirmat aliis litteris [b], in quibus Carolum Calvum *germanum* suum cum reverentia vocat. Hinc est quod Johannes papa VIII. Berengario comiti scribens, eum *regia prosapia ortum* dicit. Exstat Evrardi ipsius patris testamentum [c], *actum in comitatu Tarvisiano, in corte Musiestro, imperante domino HLudovico augusto, anno regni ejus Christo propitio* XXIV. quod de Ludovico II. rege, postmodum imperatore, intelligendum est, cujus annus XXIV. regni Longobardici coincidit in annum DCCC LXVII. initio ducto ab anno DCCC XLIV. quo aono a Sergio papa rex coronatus fuit. Hæc observatio necessaria est, tum ad illustranda ea, quæ de Berengario comite, postmodum imperatore, inferius dicturi sumus; tum ad refellendum Miræum, ejusque sequaces, qui hoc Evrardi testamentum de Ludovico Pio interpretantes, illud suspectum habent, adeoque Evrardi cum Gisla matrimonium, ob chronicas ejusdem testamenti notas, quas cum annis Ludovici Pii regni in Italia conciliare non poterant.

Redeo ad Papiæ conventum, qui a Carolo mense Februario habitus est, in quo post episcopos Raginerius abbas ipsius Caroli coronationi subscripsit. Antequam Roma discederet imperator, a Johanne papa litteras obtinuit, quibus partitio sancti Medardi monachorum, ante annos quinque ab se facta, confirmatur. Has litteras in Appendice videre licet, scriptas mense Januario per manom Anastasii bibliothecarii, anno quarto Johannis papæ, Caroli imperatoris augusti anno primo, & post consulatum ejus anno primo, indictione IX.

Ejus reditus in Franciam.

Ex Italia io Franciam reversus Carolus, in monasterio sancti Dionysii pascha celebravit, atque ex auctoritate papæ legatorum conventum episcoporum in idus Junias Pootigonem * indixit, qui locus est diœcesis Catalaunensis in pago Pertensi ad Saltum * amnem Orna auctum, qui paullo infra in Matronam devolvitur ad vetus Victoriacum *, quod Incensum vocant.

LXXII.

Pontigonensis conventus acta.

Is cooventus XI. kalendas Julias, indictione nona, imperatore ac legatis præsentibus, institutus est, ac sessionibus septem absolutus. Prodiit in illum conventum Carolus, primo quidem *in vestitu deaurato, habitu Francico*; postea vero *græcisco more paratus & coronatus.* quem ritum deinceps plerumque sectatus est, græcas glorias æmulari amans. In eo actum de primatu, Ansegiso Senonum antistiti a Johanne papa per Gallias concesso, cui Gallicani episcopi fere omnes, præ cæteris Hincmarus Remensis, strenue repugnarunt, quantumvis instantibus legatis: sed tandem regiæ voluntati cesserunt. Actione sexta, v. idus Julii legati dona a pontifice missa obtulerunt, imperatori sceptrum & baculum aureum; imperatrici pallia & armillas cum gemmis; iidemque damnationem Formosi Portuensis episcopi, Gregorii nomenclatoris, aliorumque, qui cum eis contra pontificem conspiraverant,

[a] Spicil. to. 12. p. 497.

* Cisoin.

* Fives.

[b] ibid. p. 100.

[c] ibid. p. 490.

* Pontion.

* le Saut.

* Vitry-le-Brulé.

ANN. CHR. 876.

toto approbante concilio recitarunt. Soluto inde concilio, Carolus legatos eximie donatos in urbem dimisit, profectusque Pontigone III. kalendas Augusti venit Catalaunum, ibique usque ad idus ejusdem mensis imbecillitate valetudinis detentus est. Inde progressus Remos, cum in regiam villam pagi Laudunensis Silvacum pergeret, nuntium accepit de morte fratris Ludovici Germaniæ regis, qui Francofurti v. kalendas Septembris diem obierat. Concilii actis post episcopos subscripsère abbates, Hugo sancti Martini Turonensis, Albustus ex monasterio, quod Bethleem sive Ferrarias vocant, Hilduinus abbas, nempe Sithiensis, & bibliothecarius, Wlfardus Flaviniacensis, Gauzlenus abbas, Pratensis videlicet, & archicancellarius.

LXXIII. Carilocensis monasterii privilegium.

a Labbe. to. 9. conc. col. 1261.

Carilocensi [a] monasterio privilegium in eodem conventu concessum est, agente Ratberto Valentinensi episcopo, qui una cum fratre suo Eduardo, recens mortuo, divino succensus amore, *per manus Gausmari abbatis, suorumque monachorum*, hoc monasterium fundaverat & construxerat in possessione propria, in pago Matiscensi, super fluvium, qui dicitur Scorvinus, haud procul a Ligeri. quem locum, quod fuerit minus gratus, Carilocum vocavit. Et ne forte bene cœpta minui, vel perturbari quolibet instinctu possent; patres synodi rogavit pius antistes, ut synodali privilegio, atque etiam imperiali præcepto munirentur. nempe ut is, dum viveret, Cariloci dispositionem per abbatem & monachos obtineret, eisque omnem, ut patrem decet, tuitionem ac sollicitudinem exhiberet: at post ejus obitum nulli propinquorum suorum, aut quibusvis aliis, ullam in eumdem locum potestatem, vel dominationem usurpare fas esset: sed liceret sanctis monachis ejus loci normam suæ religionis, nullis obstantibus, exercere, & de rebus propriis, Domino, sanctisque martyribus Stephano & Fortunato concessis, expedita dominatione libere disponere, ut ab omnibus benedicatur Deus. Huic privilegio subscribunt octo metropolitani, Aurelianus Lugdunensis, Otrannus Viennensis, Hincmarus Remensis, Johannes Rotomagensis, Theodericus Vesontionensis, Rostagnus Arelatensis, Frotarius Bituricensis, Ansegisus Senonensis, præter Segaldum Turonensis ecclesiæ legatum. Ex episcopis illarum provinciarum subscribit e nostris Odo Bellovacensis, & forte Berardus Virdunensis, qui in Theologio monasterio decessit ac sepultus est. Abbatum pariter subscriptorum nomina pleraque corrupta sunt in editis. Primi leguntur absque locorum designatione *Grymphatus*, *Warno*, *Bego abbates*. Post eos *Gumertus* Corbeiensis monasterii abbas, *Bernardus* Sollemniacensis, *Carnulfus* Belli-loci monasterii abbas, quorum nomina in vulgatis concilii actis desiderantur. *Data kalendas Junias, indictione* VIII. *anno* XXXIII. *regni Karoli gloriosissimi augusti in Francia, & imperii ejus primo. Actum in Pontigono palatio.* Vitiosæ sunt in editis hæ chronicæ notæ, ubi pro *indictione octava*, legendum *nona*, & pro *anno* XXXIII. regni Caroli, legendum XXXVI. facili utrobique numerorum errore.

b spicil. to. 12. p. 261.

Abbates in hac synodo.

LXXIV. Diplomata pro Bello-loco & Sollemniaco.

Vitiata sunt etiam, ut jam dixi, abbatum pleraque nomina, quorum postremus Belli-loci abbas Gairulfus, seu Gayrulfus, laudatur in diplomate Caroli imperatoris, quo prædia quædam in villa pagi Lemovicensis Orbaciaco, in vicaria Exandonensi, Belli-locensibus tunc largitus est *ad deprecationem Frotarii Bituricensis archiepiscopi, & Gayrulfi monasterii Belli-loci abbatis, quod est in honore beati Petri constructum, ubi requiescit corpus sancta Felicitatis martyris Christi, situm in pago Torinensi super fluvium Dordoniæ. Data* III. *idus Julii, indictione nona, anno* XXXVI. *regnante Karolo gloriosissimo imperatore, & in successione Lotharii anno* VI. *imperii autem anno primo. Actum Pontioni palatio imperiali.* ubi legendum *anno* XXXVII. regni Caroli, a vicesimo die Junii inchoato. Ibidem Bernardus Sollemniacensis abbas, qui & synodo interfuit ac subscripsit, a Carolo duas villas, Vosias & Ludiniacum, obtinuit. *Data* XVII. *kalendas Augustas, indictione* VIIII. *anno* XXXVII. *regnante Karolo gloriosissimo imperatore, & in successione Lotharii anno* VI. *imperii autem ejus anno primo. Actum Pontioni palatio imperiali.* Audacher notarius ad vicem Gozleni diploma recognovit.

LXXV. Corbeiæ abbates.

Mendosum est etiam nomen *Gumerti* abbatis Corbeiensis, cujus loco legendus videtur *Guntarius*, quem Trasulfo proxime successisse existimo. Odoni abbati in sedem Bellovacensem assumto subrogatus in vetustis ac novis indicibus legitur Angilbertus seu Engilbertus abbas, & post eum Trasulfus. Sic enim in veterrimo indice, cujus prima manus in Ratoldo abbate sub finem decimi sæculi desinit, ordinantur

ANN. CHR. 876.

nantur post Odonem hujus sæculi Corbeienses abbates, eorumque obitus. *Angelbertus abbas nonis Februarii, Trasulfus abbas x. kalendas Januarii, Hildebertus abbas x. kalendas Martii, Guntharius abbas III. idus Julii, Heilo abbas XVI. kalendas Septembris, Franco abbas VIIII. kalendas Martii.* At Angelbertum seu Engilbertum principatu Ludovici & Carolomanni fratrum abbatem fuisse constat ex ipsius versibus, quibus codicem sancti Augustini de Doctrina christiana Ludovico regi, Carolomanni fratri, nuncupavit, ut suo loco videbimus. Forte Angelbertus Odoni ad breve tempus suffectus, postea loco motus fuerit a Carolo rege, qui arbitratu suo abbates mutabat, dein restitutus tempore Ludovici & Carolomanni. Ut ut est, brevi post Odonem intervallo Corbeiam rexit Trasulfus; dein Hildebertus, & post eum Guntharius, cujus tempore Carolus Calvus [a] imperator Corbeiæ privilegia confirmavit anno sequenti, ut patet ex his chronicis notis: *Data IV. calendas Aprilis, indictione X. domni Karoli imperatoris in Francia XXXVII. imperii ejus anno secundo, atque in successione Lotharii anno VIII. Actum Compendio palatio imperiali.* In editis male insertum est inter pontifices, qui Corbeiensia privilegia confirmarunt, Christophori nomen, qui fere anno tricesimo post mortem Caroli imperatoris Romanam sedem occupavit.

[a] Spicil. to. 6. p. 408.

Sic itaque instituenda videtur series Corbeiensium abbatum post Odonem Paschasii Radberti successorem. Odonem creatum Bellovacorum episcopum excepit ad breve tempus Angelbertus abbas, anno ejus sæculi quinquagesimo-nono; dein Trasulfus, triennio post ab Hincmaro archiepiscopo missus ad Rothadum Suessionum episcopum, ut eum a Romano itinere deterreret. Idem anno sequenti confirmationem privilegii Corbeiensis a Nicolao papa obtinuit. Eo abbate Carlomannus subdiaconus, Caroli regis filius, in Corbeiense monasterium retrusus. *Transulfo* [b] *Corbeiensi* ejusque fratribus scripsisse dicitur Hincmarus archipræsul pro quodam fratre, qui temere abscesserat a monasterio, *quem a rege receptum in gratiam* præceperat idem pontifex ad monasterium quantocius reverti, regis mandato pacifice suscipiendum, donec ejus conversationis modus a rege & eodem episcopo tempore opportuno disponeretur. Sic Corbeiensis monasterii res curabat Hincmarus, propterea quod illius loci privilegiis tutandis, Remensis archiepiscopus peculiari jure, invigilare deberet. Porro monachum illum, de quo hic agitur, unum puto esse ex duobus illis Corbeiæ monachis, quorum auxilio Carlomannus e monasterio ad Ludovicum Germaniæ regem confugit. quod si ita est, Trasulfus abbas pervenisse dicendus est minimum ad annum ejus sæculi septuagesimum-tertium, quo id contigit. Non diu post superstes fuit Trasulfus, cujus obitus in tabulis funerariis notatur x. kalendas Januarii, quo die fratres pastum de Richoldi-monte habere debebant. Eo mortuo Corbeiensibus scripsit Hincmarus [c] archipræsul, aut potius ad eorum litteras rescripsit, gratias agens pro impensa sibi ab eis benignitate, asserens se plurimum eorum orationibus confidere; monensque eos, ut quicumque ex ipsis *navem dominicæ gubernationis susceperint regendam, contra insurgentium tempestatum impetus impigra sollicitudine dirigere studeant, & ut in persecutione imminenti paganorum,* id est Nortmannorum, *quacumque recedendum sit, a bono proposito non recedant.* Trasulfo mortuo, haud scio an loci regimen, repugnantibus monachis, resumere, an abbatem non electum, favente Hincmaro, obtrudere voluerit Odo episcopus Bellovacensis, ad quem idem Hincmarus scribit *de litteris* [d] *sibi ab eodem Odone missis, in quibus compererat insurgere quosdam monachos contra sacram auctoritatem, & de privilegiis Corbeiensis monasterii.* Certe illo temporis intervallo Hustiensem ecclesiam in Belgio, velut abbatiali jure, condidit idem Odo in fundo, quem Conradus comes paullo ante Corbeiensibus donaverat. Sed tandem subrogatus est in locum Trasulfi Hildebertus, tum Guntharius, quorum brevis admodum præfectura fuit, suffecto paullo post Angelberto seu Engilberto, ut ex ejus versibus inferius probaturi sumus. *Gunthario abbati*, haud dubie Corbeiensi, scribit [e] Hincmarus archiepiscopus, eumque valde reprehendit, quod quemdam irreligiosum monachum de proprio monasterio irreverenter proprio libitu recedere fecisset, ostendens id nefas esse ex auctoritate regulæ; monetque, ut cum misso regis perquiratur & comprehendatur, atque in monasterium reducatur, & in artissimam custodiam retrudatur; ejusque culpas & errata sibi describi, ac descriptionem ipsam cum proprii episcopi litteris mitti curet Guntharius, ut secundum sacras regulas Hincmarus ipse

[b] Frod. lib. 3. c. 24.
[c] ibid.
[d] ibid. c. 23.
[e] ibid. c. 24.

ANN. CHR. 876.

cum consilio coëpiscoporum de illo decernat. Hinc patet falli eos, qui Guntharii præfecturam differunt in annos octo vel novem, atque adeo post mortem Hincmari archiepiscopi, qui ejus sæculi anno octogesimo-secundo decessit.

LXXVI. S. Columbæ villa Peredus data.

Ex urbe Remorum Carolus Silvacum profectus est, dein Carisiacum, ubi Chunradn comiti, propinqnitate sibi conjuncto, villam pagi Senonici, vocahulo Peredum, dono dedit. *Datum pridie nonas Septembris, indictione* VIIII. *anno* XXXVII. *regni domini Karoli imperatoris in Francia, & in successione HLotharii* VII. *& imperii ejus* I. *Actum Carisiaco palatio.* Ejus rei præceptum Audacher notarius ad vicem Gauzlini recognovit. Eamdem villam paullo post idem Chunradus, qui se comitem Vermeriensem dicit, *in perpetuam eleemosynam ecclesiæ domnæ Columbæ Senonensis* contulit. *Datum apud Senonas, anno* XXXIX. *regni gloriosissimi Karoli imperatoris in Francia, & imperis* III. XVII. *kalend. Augusti*, ubi legendum *anno* XXXVIII. *regni, & imperii* II. nam Carolus annum sequentem, qui ejus imperii secundus erat, non excessit. Utrasque litteras habes in Appendice hujus tomi.

LXXVII. Ludovico rege mortuo novæ turbæ.

Cum Remis Silvacum pergeret Carolus, nuntium accepit, fratrem suum Ludovicum Germaniæ regem V. kalendas Septemhris Francofurti diem obiisse, postridie sepultum in monasterio Laureshamensi. Itaque propere Aquisgranum, dein Coloniam contendit, ut partem Lotharii regni, quæ Ludovico quondam obtigerat, occuparet. Ludovicus ex Hemma regina, quæ paucis ante ipsum diebus Ratisponæ mortua, ihidemque in monasterio sancti Emmerammi humata fuerat, tres filios reliquit, Carlomannum, Ludovicum, & Carolum, qui postea Crassus dictus est. ex quibus Ludovicus, qui paternum funus curaverat, ubi patruum, paterni regni fines ingressum, castra ad Rhenum posuisse audivit, Francofurto copias movit, atque ad alteram Rheni ripam consedit. Mox jure primum, dein gratia per legatos petita, cum neutrum impetrasset, probationis modo rem tentare aggressus est, atque homines decem cum aqua calida, totidemque cum frigida; decemque alios cum ferro eandenti ad judicium misit, hoc ritu probaturus, utri paterna illa regni Lothariani portio conveniret. qui omnes, re tentata, cum detrimentum nullum cepissent, tum Ludovicus, juris æquitate, & cælesti, ut sibi videbatur, judicio fretus, rem armis dirimere constituit, ac Rhenum copias occulte trajecit. quod ubi patruo compertum, mox hic Richildem imperatricem prægnantem per Hilduinum abbatem Sithiensem Heristallum misit; ipse vero contra nepotem hostili more perrexit, præmittens legatos, qui ficte amicum colloquium expeterent. quod cum Ludovicus approbasset; ille nepotis castra noctu adortus, fusus nihilo minus fugatusque est nonis Octobris, mnltis suorum cæsis, quibusdam etiam captis: ex quibus Ottulfus Tricassium episcopus, & Gauzlenus abbas Pratensis numerantur ab annalista Bertiniano.

LXXVIII. S. Dionysii delatio ob Nortmannos.

a Vuillel. lib. 2. c. 9.
b Dudo lib. 2.
* Conservaux.

Dum hæc ad Rhenum prope Andernacum geruntur, hac occasione usi Nortmanni, cum centum circiter navibus Sequanam ingressi, solitis prædationibus obvia quæque diripiunt. In transcursu Gemeticum veniunt, & corpus sacræ virginis Ameltrudæ, quod a Britannia asportasse dieuntur, in capella sancti Vedasti, quæ trans flumen est, super altare ponunt. quæ capella hactenus, ait Willelmus [a] Gemeticensis monachus, illius virginis nomen retinet. Idem tradit Dudo [b] sancti Quintini decanus, additque Rollonem, cum Gimegias venisset, vidissetque sancti Petri monasterium monasticis ædificiis adornatum, sanctum locum esse reputasse, ibique morari noluisse, sed ultra flumen ad capellam sancti Vedasti naves applicuisse. Nortmannorum accessu perterriti monachi Dionysiani, sacra beatissimorum Dionysii, Rustici & Eleutherii corpora e monumentis efferunt, & ad Superiorem-curtem *, quam eisdem Berta Magni Caroli filia, in pago Remensi ad Axonam contulerat, deducunt, atque in ecclesia sancti Martini deponunt. Interim Nortmanni irruunt in sancti Dionysii monasterium, quod tamen, non sine peculiari Dei auxilio, incrematum reliquerunt. Ihidem sacra corpora remanserunt saltem ad mensem Junium anni insequentis, quo tempore Gozsboldus quidam, qui Carolum imperatorem Romam euntem comitaturus erat, una cum Gozboldo locum adiit, iter suum Deo per sanctos martyres commendaturus. Hæc scripta reliquit anonymus Dionysianus in libro tertio de miraculis sancti Dionysii, qui plurima ibidem facta commemorat testis rerum oculatus, testes adducens præ aliis Haginonem diaconum, & Otrannum archieustodem sacrorum corporum, monachos Dionysianos

ANN. CHR. 876.

ad probanda illa miracula, quibus utitur ad revincendos eos, qui sanctum Dionysium suo tempore *Areopagiten* agnoscere nolebant. In his miraculis mentio fit de villa *Postionis* in pago Laudunensi, quæ erat *de potestate sanctæ Mariæ Suessionum*; & de villa *Saidis*, sita in pago Vonciaco, quæ erat *de potestate sancti Remigii Remorum inclyti pontificis.* Idem etiam meminit *Blandiaci villæ sancti Medardi subjectæ potestati.* Ultimum miraculum ibidem accidit XVI. kalendas Octobris, cum nocte dominica nocturnale officium celebraretur.

LXXIX. *Abbatiæ sæcularibus datæ.*

Victus Carolus Doziacum venit, & conventum publicum Salmoniacum ad quintum-decimum diem post festum sancti Martini indixit, ibique quosdam homines ex parte regni Lotharii, quam frater suus Ludovicus obtinuerat, ad se post pugnam Andernacensem venientes, excepit, eisque quasdam abbatias dedit; quibusdam ex abbatia Marcianensi, quæ ad Scarpum in Belgio sita est, prædia in beneficium concessit, eosque a se dimisit. Inde contra Nortmannos, in Sequanam ingressos, proficiscens, in villa Vinzinniaco *, qui locus est, ni fallor, prope Præmonstratum, in morbum periculnsissimum incidit, ex quo tamen convaluit. Victo Carolo, Ludovici regis filii paternum inter se se regnum partiti sunt: ex quibus Ludovico Franconia, Turingia, Saxonia, Frisia, & pars regni Lothariani evenit; Carlomanno, Bajoaria, Pannonia, Caramtanum, Boëmia, & Moravia; Carolo Crasso, Alamannia & pars altera regni Lotharii. Post pugnam Andernacensem, cum Carolus in Elidione villa moraretur, Crassensis monasterii possessiones denuo confirmavit ad preces Songfredi seu Sunifredi abbatis. *Data* VIII. *kalendas Novembris, indictione decima*, a Septembri inchoata, *anno* XXXVII. *regni domni Karoli imperatoris in Francia, & imperii ejus primo. Actum Elidione villa.* qui locus est haud procul ab opido Trajecto ad Mosam, ubi Carolus VI. idus Octobris versabatur. Hoc diploma, jam mendose editum, & Carolo Magno adscriptum, in appendice referre visum est ex chartario Crassensi.

* *Vissignicourt.*

Ludovici regni partitio.

Præceptum pro Crassa.

LXXX. *Remberti ope Frisii Nortmannos vincunt.*

Per idem tempus, ut in annalibus Pithœanis legitur, Frisiones occidentales, quos nunc Hollandos Septemtrionales a situ regionis vocamus, cum Nortmannis dimicant, victores existunt, cunctosque thesauros, quos illi plurima loca spoliando congregaverant, inter se se dividunt. De hac victoria intelligendus videtur Bovo Corbeiæ-novæ abbas, ab Adamo [a] relatus in hæc verba. *Nec incongruum videtur*, ait Adamus, *quoniam de persecutione diximus, quæ tunc late efferbuit in ecclesius, grande miraculum per merita sancti Rimberti* Bremensis episcopi, *Fresonibus ostensum tangere. quod scriptor gestorum ejus nescio cur præterierit: sed Bovo Corbiensis abbas, de sui temporis actis scribens, non reticuit, dicens. Cum modernis temporibus gravis barbarorum irruptio in omni pene Francorum regno immaniter debacchaeretur, contigit eos divino judicio ad quemdam Fresiæ pagum devolvi, qui in remotis ac mari magno vicinis locis situs est. Norwide hunc appellant. quem subvertere aggressi sunt. Erat enim illic eo tempore venerabilis episcopus Rimbertus: cujus adhortationibus & doctrinis confortati & instructi christiani, cum hostibus sunt congressi, & prostraverunt ex eis centum millia trecentos septuaginta-septem, pluribus insuper, dum fuga præsidium quærunt, in transitu fluviorum necatis. Hæc ille scripta reliquit*, ait Adamus, *cujus rei miraculo usque hodie merita sancti Rimberti penes Frisones egregia, & nomen ejus singulari quodam gentis colitur desiderio. adeo ut collis, in quo Sanctus oravit dum pugna ferce, perpetua cæspitum viriditate notetur.* Addit historia episcoporum Bremensium, lapidem in quo Rembertus genua flectens brachia posuit, juxta Oslingam vestigium ostendere. De hac victoria Frisonum agunt annales Fuldenses ad hunc annum, quo Frisiones, qui dicuntur occidentales, cum Nortmaonis dimicantes, victores exstitisse dicuntur. Porro ex Adami loco relato colligitur, Bovonem abbatem Corbeiensem, haud dubie primum, qui Remberto æqualis, octo dumtaxat annis ei supervixit, quoddam chronicum de sui temporis actis reliquisse, quod adhuc io tenebris latet. Is *fratrum amator* dicitur in chronico Saxonico, & Avonis abbatis successor ab anno ejus sæculi septuagesimo-nono. In veterrimis litaniis [b] Arnulfi principatu conditis, *Bovoni abbati & congregationi sancti Stephani salus & vita* optatur. Schatenus Caroli Crassi imperatoris diploma refert, anno DCCC LXXXII. datum, quod pro confirmatione jurium & privilegiorum monasterii sui obtinuit *reverentissimus Puppo abbas*, non alius a Bovone abbate, qui sextus Corbeiæ-novæ abbas fuit. Primus quippe fuit sanctus Adalhardus ab anno DCCC XXII.

[a] *Adam. c.* 33.

Bovo abbas Corbeiæ-novæ, chronici auctor.

[b] *Chron. Corb. pag.* 138.

Abbatum hujus loci series.

ANN. CHR. 876.

in annos quatuor : ſecundus Warinus per annos triginta : tertius Adalgarius per annos viginti, qui proinde hoc anno deceſſit : quartus Tancmarus, vix menſibus octo : quintus Avo vix tribus annis, longiori vita dignus : cui ſexto loco ſucceſſit Bovo ejus nominis primus in annos undecim, ſucceſſorem ſortitus Gotheſcalcum ſeu Godeſcalcum, ut ſuis locis videbimus.

LXXXI. Patriciacus Floriaco datur. * Perecy. a Perard p. 22.

Principio hujus anni Eccardus ſeu Heccardus comes, cum conjuge ſua Richilde, res ſuas, in pagis Auguſtodunenſi, Matiſconenſi & Cabilonenſi poſitas, *id eſt* in villa, quæ dicitur Patriciacus *, cum eccleſia ſancti Petri, [a] confert *ad monaſterium ſancta Maria & ſancti Petri atque ſancti Benedicti Floriacenſis loci, ubi ipſe ſanctus Benedictus debito quieſcit honore*, & *ubi praeſſe cognoſcitur vir venerabilis abbas Theodbertus una cum plurima turma monachorum Domino famulantium* : eumque locum eis concedit *ad confugium ſupradictorum monachorum faciendum cauſa inſequentium paganorum*, id eſt Nortmannorum, & ad ſtipendia fratrum, retento ſibi uſufructuario ſub annuo cenſu duodecim denariorum, quos *in feſtivitatem ſancti Benedicti* perſolvere debebant. *Data in menſe Januario, anno primo imperii domini Karoli junioris.*

b ibid. p. 23.

Hujus donationis cauſa veniens [b] idem Eccardus comes ad monaſte-
» rium Floriacum die ſabbati menſis Januarii, in eccleſia ſanctæ Mariæ & ſancti Be-
» nedicti conſtitutus, præſentibus tantum duobus vaſſallis ſuis, Otgario & Fulcoïno,
» qui ſuperioribus litteris primi ſubſcripſerunt, necnon venerabili ejuſdem loci abba-
» te Theotberto cum parte non modica monachorum ejuſdem cœnobii. *ſed & vaſ-*
» *ſallis abbatis*, & aliis nobilibus viris, Arnulfo, Theodulfo, Theotboldo, & Art-
» manno ipſius abbatis advocato, *inter majus altare & ſacratiſſimum patris Benedicti*
» *corpus*, tradidit per manus jam dicti advocati Artmanni Deo & ſanctæ Mariæ,
» ſanctoque Petro apoſtolorum principi, atque ſancto Benedicto, res ſuas in ſuperio-
» re charta nominatim expreſſas, maxime villam Patriciacum, quam a Ludovico [c]

c ibid. p. 24. d ibid. e ibid. p. 27. * l'Oudrache. * Le Perrier. * Barbince. * l'Aroux.

Pio, & a Pippino [d] ejus filio Aquitaniæ rege, olim dono acceperat. Hæc villa ab amœno ſitu quondam Vallis-aurea dicta, poſita eſt in pago Auguſtodunenſi [e] ad Wldracam * amnem, habens ab oriente Parrulam * & Burbunciam * rivulos, quorum hic Parrula auctus, in Iſrum ſeu Eſrum * fluvium devolvitur.

LXXXII. Eccardi comitis genus, & teſtamentum. f ibid. p. 25.

Genus ſuum & propaginem declarat Eccardus comes in ſuis de Patriciaco litteris, maxime in ſuo [f] teſtamento, in quo parentes ſuos Childebrannum & Donnanam nominat; fratres ſuos Theodericum & Bernardum, ſororem Adanam; uxores duas, Albegundem & Richildem; filium Richardum: ubi etiam Gerberganam ſeu Gerbergam neptem memorat, & Guiniterium nepotem; duoſque ejus filios, Winiterium & Theodericum. Alii Eccardi propinqui & cognati in eodem teſtamento exprimuntur. Adana, Eccardi germana, monacha erat *Afrano*, id eſt in ſanctę Faræ, *monaſterio* : cui tum Bertradana ſeu Bertrada abbatiſſa præerat, laudara in teſtamento ipſius Eccardi, quod chronicis notis deſtitutum eſt. In primis donat
» Floriaco monaſterio villam Patriciacum cum eccleſia ſancti Petri, cunctiſque ejus
» appendicibus, & quidquid Ludovicus imperator ſuo præcepto in eadem villa ipſi
» contulerat, præter Balgiacum, quod puellari monaſterio ſancti Andochii Auguſto-
» dunenſi dari jubet. Item quædam alia tribuit ſanctæ Mariæ & ſancto Benedicto,
» ad veſtimenta fratrum; ut ex his ipſius & propinquorum ſuorum anniverſarius dies
» ſingulis annis fiat. Ad hæc Abezzonum in baſilica, *qua dicitur Alba*, donat Deo
» & ſanctæ Mariæ, ſanctoque Stephano, & ſanctæ Faranæ ſeu Faræ, ac duo manſa
» in Longa-villa *Afarana monaſterio*, id eſt ſanctæ Faræ, ut ex ipſo ſit ei anniverſa-
» rius, necnon *Aldegundi & Adana, atque Bertradana abbatiſſa*. Item ſancto Martino
» Turonis, libras tres, crucem auream dono Richildis ex ſua capella, aliaque plura
» legat. Præter ea *ſancto Martino Atruſiaco*, id eſt in Truſiaco, crucem argenteam mi-
» norem cum ligno Domini & reliquiis, *& de clavo, unde Dominus crucifixus fuit*. Inſu-
» per *Vallana* ſeu Walæ *epiſcopo* Autiſiodorenſi legat libellum Iſidori, & alium de vita
» ſancti Gregorii & ſancti Laurentii; Raganfredo epiſcopo Meldenſi prognoſticorum
» libros duos, & alium de agricultura; *Enſchiſa archiepiſcopo*, id eſt Anſegiſo Seno-
» nenſi, geſta Longobardorum, & chronici Gregorii Turonenſis libros duos; Wal-
» tario epiſcopo Aurelianenſi pacti Romani librum; Adanæ germanæ ſuæ ſigillum
» de amethiſto, cui *homo* inſculptus eſt leonem interficiens; item pſalterium minus,
» & libellum cum orationibus & pſalmis; Bertradanæ abbatiſſæ evangelium theudiſ-
» cum, & vitam ſancti Antonii cum ſigillo de berillo, cui *ſerpens* inſculptus erat;

AN. CHR. 876.

bibliothecam seu codicem bibliorum sanctæ Mariæ & sancto Benedicto Floriacensi; *Aroma*, id est Romæ, ad sanctum Petrum solidos ducentos. Alia denique legat « Theoderico & Richardo filio suo, Terico filio Nivelongi, & Ademaro fratri ejus, « Heccardo filio Heccardi, Theutberganæ seu Theutbergæ uxori Lotharii regis, « quæ proinde adhuc in vivis erat; seniori suo, forte Ludovico Balbo, aliisque. Hujus vero testamenti duo paria exempla confici jussit: quorum unum penes se retinuit; alterum Adanæ germanæ suæ *Afrano* monasterio commendavit. Etsi vero hoc testamentum in chartario Patriciacensi, ex quo illud eruit Perardus, chronicis careat notis; non tamen ultra annum ejus sæculi septuagesimum-nonum rejici potest, quo anno vivere desiit Ansegisus archiepiscopus, cui quædam in hoc testamento legantur. In eodem obnixe rogat Eccardus, ut corpus ejus Floriaci ad sanctum Benedictum sepeliatur; &, si quid obstiterit, ossa ejus, ubi opportunum fuerit, istuc transferantur. Non diu post conditum testamentum superstes fuit Eccardus comes, sepultus utique Floriaci, sicut vivens præceperat: cui posteri rude hoc epitaphium apposuerunt.

Hic princeps triplicis requiescit Acardus honoris,
Consulis arce tenens triplicati numinis omen.
Exegit meritis vivens cælestibus uti,
Laudes egregis sibi dum tulit helesymonis.
Ex quibus una tibi conceditur Aurea-vallis,
Quam cuncti dicunt vocitatam Patriciacum.
Huic, Benedicte pater, dilecto parce potenter,
Et largita tibi sibi corde rependo fideli.
Nam bis septenas lustraverat Ars fenestras,
Dum tumulo corpus, cælo tibi spiritus itur.

quibus significatur, Eccardum seu Acardum obiisse quarto-decimo die, quam sol Arietis signum intraverat. Annum ejus obitus colligimus ex undecima charta tabularii Patriciacensis, data anno incarnationis octingentesimo octogesimo-quinto, in qua *olim beata memoria Heccardus comes* laudatur ob Patriciaci donationem Floriaco factam.

LXXXIII. Patriciaci cella condita.

Post ejus obitum cella Patriciaci a Floriacensibus condita est, testante Aimoïno[a] Floriacensi monacho in hæc verba. *Patriciacus dicitur villa, in Augustudunensi territorio regionis Burgundiæ sita. Hanc Echardus, comes Burgundionum ditissimus, sancto Benedicto & fratribus Floriacensis cænobii ad stipendiarios quosdam sumtus benigna largitate contulit. quo defuncto, ac in Floriacensi monasterio juxta ecclesiam sanctæ Mariæ sepulto, in memorata possessione fratres habitationem sibi statuerunt: in qua etiam, delatis a Floriaco sancti patris Benedicti reliquiis, ecclesia in honore Dei ac gloriosæ virginis Mariæ, simulque egregii ejus Confessoris constructa est, quam Christus Dominus meritis sanctæ suæ Genitricis, necnon dilecti famuli sui Benedicti, sæpissime miraculis illustrem reddidit.* ex quibus Aimoïnus, & post eum Tortarius quædam commemorant. In his[b] mentio fit etiam de reliquiis beatissimorum confessorum Eucherii & Verani, necnon Cypriani, Sperati, ac Pantaleonis matyrum: quas, sicuti Aimoïnus relatione seniorum suorum compertum habebat, *quidam aliquando Lugdunensis antistes cuidam monacho hujus sanctæ congregationis contulerat, remunerandæ sedulitatis gratia, quia liberalibus eum instruxisset litterarum studiis. quas ille, ut celebrior inde esset locus, in ejusdem Patriciaca villa oratorio condidit.* Hic Lugdunensis antistes non alius mihi videtur ab Aureliano, Athanacensis monasterii ante abbate & instauratore, qui reliquias quoque sanctorum martyrum Hilarii & Florentini Bonævallensibus nostris concessit ob reformatam Athanaci monasticam disciplinam. at quis fuerit ille Floriacensis monachus ad erudiendum Aurelianum missus, nobis incompertum. Hactenus subsistit Patriciacensis cella conventualis, Floriaco subjecta, sita in pago Carolensi *, qui pagus minor est pagi Augustodunensis. De Theotberto abbate, qui Bernardo hoc saltem anno successerat, & de villa Patriciaco plura inferius.[c]

a Aimoin. lib. 2. de mirac. S. Bened. c. 25.

b ibid. n. 36.

* le Charolois.

c lib. 38. n. 97.

LXXXIV. Hildegarii Meldensis episcopi obitus.

Hildegarius, ex monacho Dionysiano episcopus Meldensis, e vivis abierat ante concilium Pontigonense hoc anno habitum, cui Ragenfridus ejus successor inter-

ANN. CHR. 876.

fuit ac subscripsit. Nihil de Hildegario nobis occurrit post concilium Silvanectense ante annos tres celebratum, cui hic præsens adfuit. In codice bibliothecæ Gemblacensis hæc de eo invenimus scriptum. *Anno dominicæ incarnationis octingentesimo sexagesimo-octavo, regni vero gloriosi regis Karoli vicesimo-octavo, indictione secunda, sub die quinto-decimo kalendarum Novembrium, convocavit Hildegarius episcopus concilium sacerdotum suæ diœcesis apud ecclesiam sanctæ Celiniæ, in suburbio civitatis sitam: quibus, post multa salutifera admonitionis exhortamenta, etiam hæc capitula contulit observanda.* Hæc vero sunt ipsamet capitula Theodulfi episcopi Aurelianensis, quæ Hildegarius suis sacerdotibus & clericis observanda proposuit. In capite decimo-nono de scholis ita habet. *Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad scholam mittere; in ecclesiam sancti Stephani, aut sancti Martini, aut ceteris de his ecclesiis, quæ nobis ad regendum concessæ sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Cathedralis est ecclesia sancti Stephani, sancti Martini vero parochialis. Hincmarus archiepiscopus libellum de judicio aquæ-frigidæ ad eum scripsit. In necrologio Dionysiano *Hildegarius episcopus* III. nonas Decembris obiisse dicitur. Raganfredi seu Ragenfredi ejus successoris meminit Eccardus in suo testamento mox laudato.

LXXXV. Hincmari epistola ad Carolum de vita S. Dionysii

Ad hunc annum referenda est Hincmari archiepiscopi ad Carolum imperatorem epistola de auctoritate vitæ ab Anastasio bibliothecario e græco in latinum translatæ, ad Areopagitæ titulum sancto Dionysio, Parisiorum primo episcopo, asserendum. quæ epistola, ob res historicas hujus temporis in ea contentas, huc integra referenda nobis visa est.

Domno glorioso Karolo imperatori augusto, Hincmarus nomine, non merito Remorum episcopus, ac plebis Dei famulus. Lecta beati Dionysii passione a Methodio, Constantinopolim Roma directo, græce dictata, & ab Anastasio, utriusque linguæ perito & undecumque doctissimo, apostolicæ sedis bibliothecario, latine conscripta, sicut in præfatione sua narrat: recognovi his, quæ ibi scripta sunt, ea quæ in adolescentia legeram consonare, videlicet per quos & qualiter gesta martyrii beati Dionysii, sociorumque ejus ad Romanorum notitiam, indeque ad Græcorum pervenerint. Nam quando, Deo disponente, in Franconofurth palatio nati estis, Hucberto præcentori palatii episcopium Meldensis urbis commissum est: ubi, propter Hildrici episcopi ætatis prolixitatem & diuturnam ægritudinem, quædam ad scientiam & religionem pertinentia, necnon & ædificia, & cetera quæque necessaria neglecta invenit. Quapropter a familiari suo Bodone, clerico domni & nutritoris mei Hilduini abbatis, sacri palatii clericorum summi, quemdam clericum ipsius Bodonis propinquum, nomine Wandelmarum, qui cantilenam optime a Teutgario magistro in sancti Dionysii monasterio didicit, ad erudiendos clericos suos obtinuit: cui abbatiolam sancti Sanctini in beneficium dedit. Idem autem Wandelmarus in loco sibi commisso quaterniunculos valde contritos, & quæ in eis scripta fuerant, pæne deleta, de vita & actibus beati Sanctini reperit, quos ob familiaritatis notitiam, & quia me sciolum putabat, ad exhauriendaea, quæ in eisdem quaterniunculis contineri videbantur, & ad transscribendum aperte in nova pergamena mihi commisit. quod & studiose peregi & mihi commendata commendanti restitui. Sed quia diu est, quod idem Wandelmarus, etiam ante obitum Hucberti, defunctus fuit, &, sicut audivi, idem locus neglectus exstitit, ac demum in eadem urbe Nortmanni fuerant, & quædam incendio concremaverant, quædam vero prædantes diripuerant: nescio si ipsi quaterniunculi, vel eorum exemplaria in eadem urbe valeant reperiri. Propter ea eorum exemplarium, quod mihi retinui, vestro devoto & bono studio offerendum putavi: ut, si qua sunt illorum reliquiæ, qui negabant dominum & patrem nostrum Dionysium esse Areopagiten, & a beato Paulo apostolo baptizatum, ac Atheniensium ordinatum episcopum, & in Gallias a sancto Clemente directum; ex his, quæ græca testificatio, & Romanæ sedis assertio, & Gallicana intimat contestatio, ratum & in hac recognoscant, quod inde ante nos dictum est. Nam veritas, sæpius agitata, magis splendescit in lucem.

Ex hac epistola colligitur, adhuc superfuisse reliquias controversiæ, a tempore Hilduini exortæ, (quod jam ex anonymo scriptore miraculorum sancti Dionysii superius observavimus) de areopagitismo ejusdem sancti Dionysii: cujus rei sententiam forte Methodius, *Constantinopolim Roma directus*, ad Græcos transtulerit. Optandum foret, ut ad hanc controversiam finiendam accuratior & melioris notæ

esset prædicta S. Sanctini vita, quæ a Surio vulgata est.

ANN. CHR. 876.

LXXXVI. Hincmari alia epistola de Auriniaci reformatione.

Ad hoc ipsum tempus revocanda videtur epistola ejusdem Hincmari, inscripta *Sigebodo* [a] *sacerdoti & præposito monasterii sanctimonialium Laudunensis ecclesiæ*, nempe parthenonis sanctæ Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ, a sancta Salaberga conditi, *super interrogatione, qua requisierat ab eo*, scilicet Hincmaro, *qualiter oporteret eum agere de inquisitione sibi commissa in Auriniaco monacharum monasterio super abbatissa & præposito ipsius monasterii.* Hæc erat Ricoara abbatissa, favente præposito intrusa in regimen ejus monasterii, ut superius [b] vidimus. In responsione sua Hincmarus præcipit sibi afferri ejus loci privilegium, & assignari per certos testes accusationum capita, quæ in ipsam abbatissam & in præpositum afferebantur: *ut secundum sacras regulas, cum consilio coepiscoporum & visitatoris Laudunensis episcopii, quia tunc episcopus ibi non habebatur, inde Domino inspirante decernatur.* Id factum videtur ante ordinationem Hedenulfi episcopi, Hincmari Laudunensis successoris, de cujus electione decretum [c] cleri Laudunensis Hincmaro archiepiscopo, aliisque ejusdem diœceseos episcopis hoc anno inscriptum legitur v. kalendas Aprilis. Hedenulfus porro corpus sanctæ Benedictæ virginis & martyris, ejus loci patronæ, in ecclesiam sancti Petri hoc anno transtulisse dicitur.

a Frod. lib. 3. c. 21.
b lib. 34. n. 79.
c Sirm. to. 3. Conc. p. 430.

LXXXVII. Turbæ Pictavis pro electione abbatissæ.

Eædem fere turbæ tunc temporis fuere in Pictavensi sanctæ Crucis parthenone, occasione eligendæ abbatissæ, de cujus regulari ordinatione Hincmarus [d] scripsit ad Frotarium archiepiscopum Burdegalensem. Eidem [e] scripsit Carolus, necnon Erardo atque Angenoldo, quibus præcipit, ut ad prædictum monasterium pergant, regularem ibi electionem facturi. Forte pars monacharum Rotrudem abbatissam jam elegerat; sed cum aliæ repugnarent, jussit rex, ut, si cuncta concors congregatio, vel pars, etsi minor, tamen melior eam elegisset, hæc abbatissa institueretur: si autem omnis congregatio eam abjecisset, & aliam eligeret, in ordine abbatissæ maneret, donec id regi renuntiaretur; & tunc demum electa onus abbatissæ susciperet; & Odila, quæ forte ad id muneris Rotrudi opposita erat, ad suum monasterium reverteretur: primores vero clerici & vassalli ad reginam venirent, sub cujus defensione, post Dei & sanctorum ejus, consistere deberent. Scripsit etiam ea de re Hincmarus [f] archiepiscopus *Rotrudi Deo sacratæ, & ceteris sororibus monasterii sanctæ Crucis* & sanctæ Radegundis; eas monens, ante omnia ut se se mutuo diligant, & in publico conventu privatisque collocutionibus nihil acerbitatis aut rancoris significent; sed remittant omnes, si quas accepissent, offensas, nullamque de ulla sorore vindictam pro quovis dicto aut facto quærant, memores regulæ, quam professæ erant, quæ propter scandalorum spinas, in monasteriis oriri solitas, orationem dominicam in matutinis & vespertinis officiis a priori, omnibus audientibus, recitari [g] præcipit. quo facto, ne ob earum discordiam, quod absit, regularis electio de suo monasterio pereat, adunent sese ad Dei voluntatem & regularis devotionis unanimitatem, & ad regularem normam se reducant & constringant; ac demum cum caritatis concordia in salubri electione concordent. Prævaluit tandem electio Rotrudis, quæ filia erat Caroli regis, quem mirum est eo usque devenisse, ut abjiciendæ filiæ libertatem illis sanctimonialibus relinqueret.

d Frod. lib. 3. c. 21.
e ibid. c. 27.
f ibid.
g Reg. S. Bened. c. 13.

LXXXVIII. Wolonis monachi casus & mors.

Quo anno Ludovicus rex Germaniæ obiit, eodem Wolo sancti Galli monachus cecidisse ab Hepidanno dicitur. Rem fusius narrat Ekkehardus in hunc modum. Erat tunc in monasterio sancti Galli monachus quidam admodum litteratus, cujusdam comitis, nempe Kiburgensis, filius, nomine Wolo, inquietus & vagus, qui nec verbis, nec verberibus coërceri poterat. Hac de re pro talis viri ingenio dolebant omnes, experti, apud se, ubi nulli nisi liberi admittebantur, nobiliores sæpius aberrasse. Forte Wolonis parentes in monasterium venerant, pro eo solliciti: quorum ille monitis præsentibus parumper flexus est, sed post eorum abitum ad ingenium rediit. Interim accidit, ut dæmon domno Notkero, viro sancto, malam noctem ipsi, suisque minaretur. Fratribus proin admonitis ut sibi caverent, Wolo hæc ut anilia somnia irrisit. Ei nihilo minus ipso die interdictus e monasterio egressus. Cum vero sederet ille ad scribendum, forte desiit in illud Matthæi, *incipiebat enim mori*. Ilico exsiliens, ceteris inclamantibus, Quo nunc Wolo, quo nunc? in campanile ecclesiæ adscendit, ut oculis, quia gressu non licuit, montes camposque circumspectans, animo suo vago satisfaceret. In ipso adscensu, cum

ANN. CHR. 876. super altare virginum venisset, impulsu, ut creditum, satanæ, per laquear, confracta cervice, cecidit. Accurrentibus fratribus, & viaticum ei propere afferentibus, is confessione data communicavit. Denique cum ad domum infirmorum afferretur, dum ille sanctas virgines, vir alias continentissimus, auxilio suo devocaret; Notkerum, quem pro se etiam precari anxie petebat, manu stringens, emisit spiritum. Funus ejus & exsequias Notkerus curavit, semperque, quoad vixit, *duo monachi officia* pro eo persolvit. Hic finis fuit vagi illius & inquieti monachi, de cujus tamen æterna salute, quod in extremis erratorum ipsum vere pænituisset, non dubia indicia data sunt.

LXXXIX. *Bertilonis abbatis benefacta in S. Benignũ.* Sancti Benigni Divionensi monasterio tum præerat Bertilo chorepiscopus & abbas, ejusque commodis pro modulo prospiciebat. Exemplo sunt variæ commutationes & emtiones, quas hoc tempore fecisse memoratur in chronico, & apud Perardum [a], ubi hac de re chartæ complures habentur, a Wlfardo monacho & levita scriptæ. Verum, cum Bertilo, chorepiscopus simul & abbas, utrique officio non facile posset sufficere, maxime turbulentissimis illis temporibus, quibus ecclesiasticæ, uti & publicæ res, ob infestationem paganorum, in summa perturbatione erant; Isaaco Lingonensi episcopo visum est, ut Saronem ei socium & coadjutorem adjungeret ad regimen & curam animarum; ut, dum ille ecclesiasticis vacaret muniis, hic spiritali fratrum profectui invigilaret. Id factum opinor hoc anno, quo Fuscardus præpositus [b] quoddam prædium in Aziriacensi territorio pagi Oscarensis confert *Domino sacrosancta ecclesia sancti Benigni, ubi Saron præesse videtur abbas, Bertiloque chorepiscopus. Actum Aziriaco villa publice.* Subscribunt post Fuscardum præpositum Helias abbas & diaconus, Hosbertus abbas, aliique sacerdotes, diaconi & subdiaconi, forte ecclesiæ sancti Stephani Divionensis.

Saro ejus coadjutor.

a *Perard. p. 151. & seqq.*

b *ibid.*

ANN. CHR. 877. XC. *Bertilonis obitus.* Caret notis chronicis hoc instrumentum: sed in aliud tempus differri vix potest ob mortem Bertilonis chorepiscopi & abbatis, quæ anno sequenti contigit. Id colligitur ex duabus chartis, quarum una, quæ est Bertæ comitissæ, Bertilone abbate data est *mense Novembri, anno primo Ludovici regis*, cognomento Balbi, qui a mense Octobri ejus anni Carolo patri successerat: altera est Salamanni cujusdam, qui Ingoni abbati, Bertilonis successori, donat campum apud Aziriacum die veneris *in mense Maïo, in anno primo regnante Karlomanno rege*, Ludovici Balbi filio ac successore post biennium non integrum. In necrologio Benigniano adscripta legitur *septimo kalendas Aprilis depositio domni Bertilonis chorepiscopi atque abbatis hujus loci.* Sepultus est in basilica Benigniana *inter sepulcra sanctorum*, ad introitum cryptæ sancti Benigni. Bertiloni mortuo Saro abbas non diu supervixit, aut certe mox secessit ad monasterium Pultariense, ubi & sepultus est. Anno millesimo quadragesimo-quinto, cum Bertilonis sepulcrum, quod immensæ molis erat, ab aditu cryptæ sancti Benigni, cui impedimento erat, amovendum esset; aperto tumulo, ex quo mira odoris fragrantia emanasse traditur, repertum est ejus *corpus monachali habitu indutum, stola sacerdotali auro texta ornatum: caput* vero *ejus, quod et abscissum* fuerat, corpori adjunctum cum sanguine coagulato. Unde conjectura est, caput ei a paganis seu Nortmannis amputatum fuisse. Saronis ejus coadjutoris obitus in eodem necrologio notatur VII. kalendas Martii, his verbis: *Depositio domni Saronis abbatis istius loci.*

Ingo abbas, ejusque successores.

Ingo seu Hingo, ejus successor, brevi tempore, scilicet triennio, locum rexit, *agri dominici cultor devotus*, nam pro modulo terrena commoda auxit; divinum vero cultum minime tepescere sivit. Quæ ejus tempore emta sunt vel commutata, paucis commemorat chronographus [c] Benignianus. In his Deodatus quidam, vir nobilis, ad conversionem veniens, mansum apud Attegias cum mancipiis dedit. In necrologio domestico assignatur XVI. *kalendas Aprilis depositio domni Ingonis abbatis.* Ejus successor Hildebrannus paucis post annis ad cæleste regnum migravit. Hi duo abbates pontificatu Geilonis Lingonensis episcopi exstiterunt. Hildebrannum excepit Godefridus tempore Theudebaldi episcopi: eoque mortuo, Walo abbatis officium obtinuit. Uterque præfuit regnante Odone, quo tempore Richardus dux Burgundiæ mansum unum in Givriaco villa pagi Belnensis sancto Benigno restituit. cui rei præsentes adfuerunt Theudebaldus episcopus, Girbaldus, Wido, & Radulfus comites, Madelgaudus Oscarensium vicecomes, & Guntrardus sancti

c *Spicil. to. 1. p. 419.*

Benigni

ANN. CHR. 877.

Benigni advocatus. *Actum Longo-vico, in mallo publico.* In necrologio sancti Benigni laudatur Walo abbas VI. nonas Martii. De Lanterio ejus successore infra.

XCI. S. Benigno quædam villæ restitutæ.

Ubi convaluit Carolus, e villa Vinzinniaco Carisiacum, dein Compendium venit. Dum Carisiaci versaretur, *Boso dux & missus Italia, sacrique palatii archiminister*, idemque Richildis augustæ germanus, ab eo obtinuit restitutionem quarumdam[a] villarum, quæ monasterio sancti Benigni abstractæ fuerant, nempe Longi-vici in pago Oscarensi, & Albiniaci in Portensi, quas Carolus sancto Benigno restitui præcepit. *Data VIII. idus Januarii, indictione X. anno XXXVII. regni domni Karoli imperatoris in Francia, & in successione Lotharii VII. & imperii ejus secundo. Actum Carisiaco palatio imperiali.* Hujus præcepti *Boso comes ambasciator*[b] seu interventor fuisse dicitur: quod *Audacher notarius ad vicem Gauzlini recognovit.* Idem quoque pleraque alia hujus anni diplomata recognovit. Erat is abbas Cormeriacensis. unde patet falli eos, qui ejus obitum longe ante hunc annum statuunt. Certe Carolus hoc anno Johanni papæ ad se obviam accedenti præmisit inter alios *Odacrum, secundi-scrinii notarium*, ex annalibus Bertinianis. De eo rursus plura inferius[c].

a Perard. p. 154.

b V. Diplom. p. 540. Audacher abbas & regius notarius.

c lib. 38 n. 1.

XCII. Carolus Romam a papa vocatus.

E regia villa Carisiaco imperator Compendium venit ante quadragesimam, quam ibidem atque adeo pascha celebravit. Illic cognominis ejus ex Richilde filius, recens natus, moritur, & ad monasterium sancti Dionysii sepeliendus defertur. Interim Johaones papa exagitatus a Sarracenis, legatos ad Carolum duos misit, Petrum Forisempronii, & alterum Petrum Senogalliæ episcopos, orans, ut ad vindicandam, uti jurejurando promiserat, ab hostibus ecclesiam quantocius in Italiam armatus accederet. Carolus pontifici se non defuturum respondit, ubi res Francicas composuisset. quod in conventu per Junium mensem Compendii habito factum est. Paullo ante pascha, quod eo anno in septimum idus Aprilis incidit, silvam quamdam villæ Juviniaci in comitatu Tricassino, cum duobus mansis apud Leriacum contulit[d] Cellensi monasterio sancti Petri & sancti Frodoberti *ad petitionem insignis ducis* suique *ministerialis Bosonis*, qui omnia pro suo nutu disponebat. *Data quarto kalendas Aprilis, indictione X. anno XXXVII. regnante Karolo gloriosissimo rege, imperii vero secundo. Actum Compendio palatio.*

Ejus præceptum pro Cella.

d Camuzat fol. 21. verso.

XCIII. Compendiensis basilicæ dedicatio.

Idem imperator ad kalendas Maii insequentis episcopos Remensis provinciæ, aliarumque provinciarum Compendium convocavit, & *ecclesiam, quam in eodem oratorio construxerat*, (sic loquitur annalista Bertinianus) in sua & legatorum pontificiorum præsentia, ab eisdem episcopis in honorem beatæ Mariæ tertio nonas Maii consecrari curavit, eamque canonicis sæcularibus assignavit. Exstant in Spicilegii tomo decimo primigeniæ ejus basilicæ litteræ, ex vitiosis editæ membranis, quas ad authenticum exemplar emendatas in appendice hujus voluminis exhibere visum est. In his litteris ait Carolus, exemplo avi sui Caroli, qui capellam in palatio Aquensi in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ condiderat, se quoque in palatio Compendio in ejusdem honorem monasterium, quod *regium* appellari placuit, a fundamentis exstruxisse, ac donariis quam-plurimis ditasse, atque inibi clericos, *numero centum*, instituisse, qui pro felici ecclesiæ ac regni statu, pro genitoribus ac progenitoribus suis, pro se denique, conjuge & prole jugiter Domini misericordiam implorarent. Tum, enumeratis villis ac prædiis, eidem loco ab se concessis, hæc subdit. *Et quia præfatas res omnes ex fiscis nostris fuisse constat, volumus, pariterque jubemus, ut sub ea lege, qua res fisci nostri, jugiter maneant, atque sub eo mundeburde & defensione tueantur ac defendantur, & sub ea tuitione imperiali consistant, qua cœnobia, Prumia scilicet, quod atavus noster Pippinus construxit: & monasterium sanctimonialium, Lauduno in honore sanctæ Mariæ constitutum, consistere noscuntur.* In fine mentionem facit privilegii, eidem loco a Johanne papa indulti, quod ipse imperiali edicto ac decreto confirmat. Adscriptum est cum minio, more Græcorum imperatorum, *signum Karoli gloriosissimi imperatoris augusti*; & post eum *signum HLudovici gloriosi regis* ejus filii, quod forte post patris mortem appositum est. *Audacher notarius ad vicem Gauzlini recognovit. Data III. nonas Maii, indictione decima, anno XXXVII. regni domni Karoli imperatoris in Francia, & in successione Lotharii VII. & imperii secundo. Actum Compendio palatio imperiali.* His imperialibus litteris aureum sigillum appensum erat. Tabula altaris, non ex lapide, de more, sed ex ligno, instar Lateranensis, composita erat, haud dubie ex privilegio Johannis

ANN. CHR. 879.

papæ, cujus legati basilicæ Compendiensis dedicationi interfuerant. quod quidam non intelligentes, lapidem sacratum in medio tabulæ ligneæ temere inseruerunt. In hanc basilicam ex urbe Roma translatæ sunt reliquiæ sancti Cornelil papæ & martyris, a quo nomen postea monasterio inditum est.

XCIV. SS. Cornelii, Cypriani, &c. ibidem reliquiæ.

Hanc translationem Elinandus, & ex eo Albericus factam dicit anno M LXXIII. sed quo ex loco, neuter dicit. Addunt domesticæ tabulæ, cum vulgato Adone, reliquias S. Cypriani, simulque SS. martyrum Sperati & Pantaleonis, quæ ex Africa tempore Caroli Magni Arelate, teste Adone, indeque Lugdunum advectæ fuerant. Certe SS. Cornelii & Cypriani reliquiæ in una pretiosa capsa in Compendiensi ecclesia, ibidemque in duabus thecis sanctorum Sperati & Pantaleonis reliquiæ asservantur. In martyrologio manuscripto notatur idibus Martii *apud Compendium susceptio beatorum martyrum Cornelii & Cypriani*; iisdemque verbis in libro consuetudinum ejus loci. Compendiensem porro ecclesiam non modo sanctissimæ Dei genitrici Mariæ, quæ antiquior patrona erat, verum etiam sanctis martyribus Cornelio & Cypriano dedicatam fuisse, etsi primarium Caroli Calvi diploma diserte non exprimit, testatur nihilo minus authentica Caroli Simplicis præceptio de capella sanctæ Walburgis, statuentis, *ut eadem capella sit subjecta sanctæ Dei genitrici Mariæ, beatisque martyribus Cornelio ac Cypriano ad Compendsense cænobium. Data* IIII. *kal. Maii, indictione* VI. *anno* XXVI. *regnante Karolo rege glorioso, redintegrante* XXI. *largiore vero hereditate indepta* VII. id est anno Christi DCCCC. XVIII. *Actum Attiniaco feliciter*, cui loco proxima est villa sanctæ Walburgis. Idem quoque legitur in primario exemplari Ludovici Transmarini, apud quem *fratres Compendsensis cœnobii* conquesti dicuntur de Rothado Meldensium episcopo, ejusdem loci præposito, cujusdam terræ invasore, *quæ ibidem almæ Dei genitrici & intemeratæ virgini Mariæ & pretiosissimis martyribus Cornelio ac Cypriano, ad opus fratrum ibidem deservientium, a progenitoribus*, inquit, *nostris fuit concessa*. Neque illud insuper habendum, quod in tomo secundo[a] bibliothecæ ecclesiasticæ Steinwchii legitur, responsorium CIVES APOSTOLORUM *occasione translationis corporum sanctorum Cornelii & Cypriani apud Compendium* compositum fuisse. Nec obstat, quod unius sancti Cornelii mentio fieri dicatur, cum Remos anno M XLIX. delatum est *corpus sancti martyris Cornelii*, ex Anselmo monacho in libro de dedicatione ecclesiæ sancti Remigii. nam paullo superius idem auctor ait, sanctum martyrem Cornelium *cum aliis sanctorum pignoribus* a Compendiensibus clericis delatum fuisse, & a Leone IX. intra ecclesiam sancti Remigii susceptum. Compendiose itaque locutus est in priori loco Anselmus, ubi solius sancti Cornelii corporis meminit, eum ad modum, quo nunc sancti Cornelii monasterium & ecclesia vulgo dicitur, tametsi ecclesia illa sanctis Cornelio & Cypriano dicata sit. Plures aliæ ibidem insignes reliquiæ habentur ex dono Caroli Calvi, in primis sudarium, quo Christi Domini caput in monumento involutum fuisse creditur; necnon velum sanctissimæ Virginis. ad quod sudarium venerandum beatus Simon Crispiacensis comes sæculo undecimo accessisse traditur, cum scilicet sacrum illud sudarium transferretur in auream capsam, quam Mathildis Anglorum regina, Willelmi Conquæstoris conjux, donaverat, in quo illud hodie quoque religiose asservatur.

a Bibl. Stein. to. 2. p. 25.


Præter alia cimelia, idem quoque Carolus insigne diptychum seu tabulas consulares eburneas eidem ecclesiæ contulit, ibidem hactenus asservatas, cum inscriptione, quæ hoc diptychum Senatui olim oblatum fuisse docet a Philoxeno consule orientali anno Christi D XXV. sic enim habet: FL. THEODORUS FILOXENUS SOTERICUS FILOXENUS VIR ILLUST. COM. DOMEST. EX MAGISTRO. M. PER THRACIA ET CONS. ORDINAR.

Τυτὶ τὸ δῶρον τῇ σοφῇ γερουσίᾳ
Ὕπατος ὑπάρχων προσφέρω Φιλόξενος.

Docto catoque munus hoc senatui
Consul creatus offero Philoxenus.


Ita vertit eximius Sirmundus in notis secundis[b] ad Sidonium, ubi hujus diptychi breve specimen in æs incidi curavit, quod majori volumine hic repræsentare visum est. ubi excusandus scalptoris error, qui aversam operculi eburnei partem


b Sirm. in Sidon. lib. 1. ep. 6.



D. Io. Bapt. Morisse Pinxit.


To. 3. Annal. Bened. inter pag. 202. & 203.





D. Io Bapt. Morisse Pinxit.

To. 3. Annal. Bened. inter pag. 202 & 203.



ANN. CHR. 877.

primo loco posuit. Huic Compendiensi diptycho alterum adjunctum est, quod in collegiata ecclesia sancti Juniani Comodoliacensi apud Lemovices asservatur.

Philoxenus dextra sportulas gerit, continentes sollemnia munera, quæ spargi, aut mitti solebant in auspiciis consulatus, aliorumque magistratuum: sinistra baculum consularem: in quo id singulare, quod loco aquilæ, ejusmodi baculis superimponi solitæ, caput hominis præfert, ipsius Philoxeni an Justini imperatoris, cujus anno octavo Philoxenus cum Auicio-Probo juniore consul erat. De aliis consulum ornamentis & notis legenda erudita Cangii dissertatio de inferioribus ævi numismatibus, quæ tomo tertio Glossarii Latini subjecta est.

Alterum diptychum Comodoliacense exhibet duplicem Flavii Felicis consulis effigiem, forte ejus, qui cum Secundino consulatum gessit anno D XI. idemque *comes ac magister utriusque militiæ, patricius & consul ordinarius*, ut inscriptio præfert. Ejus habitus ab alio, ut videre licet, paullulum diversus. His obiter expositis, rerum nostrarum seriem persequor.

XCV. Capitula Carisiaci.

Carolus kalendis Julii placitum generale Carisiaci ad Isaram habuit, in quo multa de constituendo in sua absentia regni statu præclare instituta sunt. Primum, ut monasterium beatæ Mariæ apud Compendium, recens ab se exstructum, a filio suo Ludovico & fidelibus suis eo, quo cœperat, modo honoraretur. Quod si ipsum in Romano itinere mori contingeret, ut libri thesauri sui *inter sanctum Dionysium & sanctam Mariam in Compendio*, & filium suum dispertiantur per eleemosynarios suos, scilicet Hincmarum archiepiscopum, Odonem episcopum, Gauzlinum abbatem, Arnulfum comitem, aliosque. Interim castellum sancti Dionysii & Compendii jam inchoatum perfici jubet. Dein, si abbas vel abbatissa obiisset, ut episcopus, in cujus parochia monasterium situm esset, una cum comite illud custodiret, donec de eo ipse statuisset; nec quisquam, iis mortuis, res monasteriorum diriperet. Ad hæc episcopos, abbates & comites, qui filio suo adhærere deberent, designavit, alios atque alios pro varia, ubi versaretur ejus filius, regione. Si ad Sequanam, ei assidue adesse jubet ex episcopis Ingilwinum Parisiensem, aut Reinelmum Tornacensem, vel Odonem Bellovacensem; ex abbatibus Welfonem incerti loci, Gauslinum Parisiensem sancti Vincentii & sancti Germani, & Folconem Sithiensem, qui Hilduino hoc anno successerat. Si ultra Sequanam, Hugonem abbatem sancti Martini cum aliis. Cetera prætereo, utpote ab instituto nostro aliena.

XCVI. Fabariæ privilegia confirmata.

Commutatio inter S. Martini canonicos, & monachos S. Martini.

Rebus ita dispositis, Carolus e Carisiaco reversus Compendium, inde per urbem Suessionas ad Remorum civitatem pergit; sicque per Catalaunos & Pontigonem, atque Lingones cum uxore sua iter in Italiam instituit. Exstat in tabulario Fabariensi apud Helvetos diploma ejusdem imperatoris, Vitali abbati apud *Bittslaat* indultum x. kalendas Junii, indictione x. imperii ejus anno secundo, quo diplomate antecessorum suorum privilegia omnia confirmantur. Pontigone versabatur Carolus IV. idus Julii, ubi commutationem quamdam, factam inter canonicos Martinianos & monachos sancti Martini Æduenses, rogatu Hugonis abbatis propinqui sui, Conradi quondam comitis filii, comprobavit. Tunc Martiniani canonici, ob metum Nortmannorum, cum corpore sui patroni residebant in Capleiensi * cella parochiæ Autisiodorensis. His visum erat res quasdam permutare cum Arnulfo abbate cœnobii sancti Martini, siti in suburbio Æduensi, eo pacto, ut Hugo abbas cum canonicis suis quasdam res suas, quas in pago Avalensi, vicaria Ilimacensi, in loco, qui dicitur Goilis, possidebant, domno Arnulfo quondam venerabili abbati & monachis prædicti cœnobii cederent: hi vero contra mansum unum & prædia quædam in Sidriaco villa pagi Tornodorensis iisdem canonicis darent. Hæc vero permutatio a Carolo confirmata est imperiali præcepto, ita ut Hugo abbas *& canonici sancti Martini Capleiensis* rebus sibi concessis libere utantur: *similiter & venerabilis Badilo*, qui tunc cœnobii sancti Martini abbas erat, ejusque monachi. Eodem præcepto idem indultum est sanctimonialibus monasterii sancti Juliani Autisiodorensis, quæ etiam quamdam commutationem cum iisdem canonicis fecerant, prout in appendice nostra fusius leges, ubi hoc præceptum integrum referemus, quod *Audacher notarius ad vicem Gosleni archicancellarii recognovit. Data* IV. *idus Julii, indictione* X. *anno* XXXVIII. *regni domni Karoli imperatoris in Francia, & imperii ejus secundo. Actum Pontione palatio imperiali.* Ibidem ipso die confirmata est permutatio

* *de Chably.*

ANN. CHR. 877.

facta cum sanctimonialibus sancti Juliani, & quidem peculiari diplomate, cujus authenticum in archivo Martiniano vidimus. Porro cellam Capleiam, in pago Tornodorensi ad fluvium Sedenæ sitam, & in honorem sancti Lupi confessoris primum dedicatam, idem Carolus Marrinianis canonicis ad preces Hugonis abbatis paullo ante contulerat, ut legimus in regio præcepto, quod datum est *in monasterio sancti Germani Autisiodorensis ducatus* anno regni ejus vicesimo-octavo, indictione prima. Arnulfo abbate sancti Martini Æduensis, coacta dicitur anno sequenti Augustoduni synodus episcoporum, in qua, procuranre Ludovico Balbo, monasterii juribus ac bonis provisum est.

XCVII. S. Dionysio restitutio facta. a *Doublet* p. 807.

Cum Lingonas adventasset Carolus, ad eum accessit Franco præpositus ex cœnobio sancti Dionysii, petiitque, ut quarumdam [a] rerum, monasterio suo a fisci ministris ablatarum, quas olim femina quædam Deo sacrata, nomine Aglena, eidem in pago Barrensi super fluvium Albam in villa Cerecio seu Sopino-robore contulerat, restitutio fieret. Annuit imperator ea conditione, ut fratres singulis annis post diem rricesimum obitus sui generalem ex prædictis rebus refectionem accipianr. *Data* XII. *kalendis Augusti, indictione decima, anno tricesimo-octavo regni Karoli gloriosi imperatoris augusti in Francia, & imperii ejus secundo. Actum Lingonis civitate.*

XCVIII. Magnilocensis & Calmeliacensis abbatiarum libertas asserta.

Per id tempus Agilmarus Arvernensis antistes Magnilocensem sancti Sebastiani abbatiam, & Guido Vallavensis Calmeliacensem sancti Theotfredi, ecclesiæ suæ subjicere moliebantur, idque apud Carolum accepta præceptione obtinueranr. Adversus hanc subjectionem reclamarunt abbates cum monachis, Heirardus scilicer Magnilocensis, & Rostagnus Calmeliacensis, suasque hac de re querelas exposuere Carolo in Italiam proficiscenti, quem ejus rei causa Monasterioli ad Sagonam seu Ararim adierunt, allatis tam Ludovici Pii ejus genitoris, quam ipsiusmet Caroli præceptis, quibus utrumque monasterium immunitate & tuitione regia donatum erat. Hæc præcepta Frotario, Bituricensi tum archiepiscopo, examinanda tradita sunt. quibus probatis, utramque abbatiam ab episcopali dominatione denuo exemit imperator, ac liberam utrique abbatis electionem concessit. *Data kalendis Augusti, indictione* X. *anno* XXXVIII. *regni domni Caroli imperatoris in Francia, & imperii ejus anno secundo. Actum Monasteriolo super fluvium Segonnam.* Ita legitur in Magnilocensi præcepto, quod Audacher notarius ad vicem Gauzlini recognovit. Calmeliacensem Frotarius ipse iisdem anno, indictione ac die scripsisse dicirur, *actum* itidem *Monasteriolo* absque addito. Eædem sunt chronicæ notæ præcepti, quo Carolus Miliciacum villam pagi Cabilonensis donat ecclesiæ Martinianæ, data fratribus sancti Martini facultare ædificandi ibidem monasterii. *Actum Monasteriolo*, de quo supra.

XCIX. Caroli extrema facta & mors.

b *Perard pag.* 154.

Alpes demum prætergressus Carolus, Vercellas pervenit sub initium mensis Septembris: ubi Johannem pontificem obvium habuit, & cuidam fideli suo, Baldrico nomine, res quasdam in pago Tornodorensi concessit. Hujus donationis charta exstar apud [b] Perardum, *data* V. *idus Septembris, indictione* X. *anno* XXXVIII. *regni domni Caroli imperatoris in Francia, & imperii ejus anno secundo. Actum Vercellis civitate.* Vercellis congressi pontifex & imperator, una Papiam processerunt. Gravia dein Sarracenici belli propulsandi consilia interrupit Carlomannus Bajoariæ rex, qui, quod pater Ludovicus tentaverat, perfecturum se arbitratus, occupandi imperii causa in Italiam cum maximo armatorum numero descendebat. Hoc nuntio perterriti Johannes & Carolus, Dertonam se contulerunr: ubi Richildis augusta a pontifice coronata est. Mox Carolus, nihilo tutior a Carlomanni consiliis, Richildem cum thesauro domum remisit: neque ita multo post ipse subsecutus est, ubi proceres suos, quos acciverat, seditione conflata venire nolle; Carlomannum vero brevi adfuturum, sed falso, accepit. Eamdem ob causam pontifex urbem repetiit, cruce ingenris pretii ab eo donatus. Vix Alpes attigerat imperator, cum eum repentina febris invasit. cui sanandæ mortiferum pulverem a Sedechia medico, improbo Judæo, accepit: cumque Cinisio monte transscenso, ubi ad locum, qui *Brios* dicitur, venir, ingravescentis morbi & veneni violentia conflictatus, Richildem, quæ in urbe Maurienna erat, accivit, eaque præsente pridie nonas Octobris animam efflavit. Corpus ejus, extractis visceribus, vino & aromatibus conditum, loculo impositum, ur ad monasterium sancti Dionysii, ubi se humari præce-

perat, deferretur: sed ob fœtorem doliolo, interius exteriusque pice obducto, & coriis involuto, inclusum, cum nihilo minus ob intolerabilem fœtorem ulterius gestari non posset, in cella quadam monachorum Lugdunensis pagi, quæ *Nantoadis* seu Nantua dicitur, depositum sepultumque est ad septem annos, quibus exactis, ejus ossa in Dionysianam basilicam, procurante Gualtero abbate, translata sunt, & in choro monachorum, ante altare sanctæ Trinitatis, uti vivens constituerat, humata. Visitur ipso in loco ejus monumentum ex ære, a posteris positum, & super quatuor columnellas erectum, respersumque liliis, cum ærea itidem Caroli effigie coronata, sceptrum & globum gestantis, ad cujus pedes exstat leonis effigies, his versibus in circuitu appositis. ANN. CHR. 877.

Imperio Carolus Calvus, regnoque potitus
Gallorum, jacet hac sub brevitate situs.
Plurima cum villis, cum clavo, cumque corona,
Ecclesiæ vivus huic dedit ille bona.
Multis ablatis, nobis fuit hic reparator
Sequanæ fluvii, Ruolique dator.

Viderat hoc mausoleum Richerius [a] Senoniensis ante annos quadringentos, *aneum fusile, longitudine octo pedum, latitudine vero trium, super quod sculptus est leo ad magnitudinem sarcophagi. quod & ego*, inquit, *propriis oculis vidi.* Sed, si non fallit hic auctor, hoc monumentum loco motum erat, *positum a tergo altaris martyrum beati Dionysii & sociorum ejus.* De cetero fabulas narrat iste auctor, qui tamen haud sine fundamento ait, Carolum, domesticis in fratres bellis occupatum, cum ei ad conducendos milites facultas non suppeteret, *decimas ecclesiarum* militibus pro donativo jure hereditario distribuisse, quas Richerii ipsius tempore adhuc obtinebant. Carolo tribuitur *renovatio imperii Romæ & Franco.* sic enim legebatur [b] in aversa parte bullæ ejus aureæ, quæ olim appendebat imperiali ejus diplomati pro constitutione ecclesiæ Compendiensis. Unde suspicari licet, bullas illas plumbeas, in quibus *renovatio Romani imperii* Carolo imperatori tribuitur, Calvo assignandas esse, aut certe Crasso, qualis est ea, quam in Supplemento librorum de re diplomatica cum aliis exhibuimus. Quamquam in quadam charta ecclesiæ Viennensis, data *Barnardo vocato archiepiscopo* eodem elogio afficitur Carolus Magnus, *in anno* XII. *renovans imperium*, quod elogium aliis etiam imperatoribus indifferenter tribuitur. Ceterum nullus regum nostrorum plura bella gessit, quam Calvus, sed pauca feliciter absolvit. Nullus plura diplomata ecclesiis ac monasteriis concessit. Hic pietatis haud expers, strenuitate quam prudentia major, græcanicæ gloriæ, & prolatandæ dominationis avidissimus.

a Spicil. to 3. p. 312.

b Diplom. pag. 538.

C. Dionysiani abbates.

Freqnens erat in monasterio sancti Dionysii, in quo educatus fuerat puer, ob idque optime affectus in sanctum locum, cujus abbatiam sibi post mortem Ludovici abbatis ad decem annos retinuit, ut ex ea impensis regiis in illis temporum angustiis sufficeret. Eo mortuo, abbatiam obtinnit Gozlinus jam Pratensis abbas, atque Ludovici germanus; & post eum Ebulus seu Ebolus, utramque itidem abbatiam obtinuit. His successere Rothertus Franciæ dux, Odonis regis frater, & in regno successor; Hugo Magnus ejus filius, ac demum Hugo Capetus, qui ad regnum provectus, Dionysiano, ceterisque monasteriis abbates regulares tandem restituit. Sub illis sæcularibus abbatibus res monachorum ac monasticam disciplinam procurabant decanns, præpositus, & thesaurarius, penes quos summa rerum erat secundum abbates. Hoc tempore Franco præpositus erat Dionysiani monasterii, Deodatus thesaurarius, & post eum Meinardus: at decani nomen ignoratur. Porro locum Carolus infinitis donariis, sanctorumque reliquiis, in primis clavo dominico, ac corona sua imperiali locupletavit. quæ ut omnibus unoquoque anno sollemniter ostenderentur, frequentes nundinas (Indictum vocant) mense Junio post festum sancti Barnabæ apostoli instituit. In altari sanctæ Trinitatis, parvum altare quadratum quatuor pedum, ex porphyretico lapide posuit, in eoque tria sanctorum brachia collocavit, nempe Jacobi apostoli, fratris Domini in medio, sancti Stephani martyris a dextris, & sancti Vincentii a sinistris: ob quæ sanctæ Trinitatis nomen huic altari inditum fuisse vetus chronographus gallicus tradit, matutinale alias

appellatum, propterea quod missa matutinalis in eo quotidie celebraretur.

ANN. CHR. 877.

C I. Herici de Carolo encomia.

Caroli pietatem, sed maxime studium in litteras ac litteratos prædicat Hericus monachus Autisiodorensis in præfatione ad libros metricos de vita sancti Germani episcopi patroni sui, quos instinctu Lotharii abbatis, Caroli filii, olim scribere aggressus erat, sed post ejus mortem *immortalibus sceptris prædestinato, regumque omnium præcellentissimo Carolo, perpetuo triumphatori ac semper augusto*, nuncupavit hoc anno, ut Sigebertus testatur, aut certe præcedente. Præclara sunt quæ de eo scribit Hericus. *Multa sunt*, inquit, *tua monumenta clementiæ, multa symbola pietatis. Illud vel maxime tibi æternam parat memoriam, quod famatissimi avi tui Caroli studium erga immortales disciplinas non modo ex æquo repræsentas, verum etiam incomparabili fervore transscendis: dum, quod ille sopitis eduxit cineribus, tu fomento multiplici, tum beneficiorum, tum auctoritatis, usquequaque provehis.* Deinde eum laudat, quod, sicubi terrarum florerent magistri artium, hos ad publicam eruditionem undequaque conducat; & quod nequidem bellorum tempore in eo deferbuerit hic litterarum ardor & amor, *ita ut merito vocitetur schola palatium, cujus apex non minus scholaribus, quam militaribus consuescit quotidie disciplinis.* tum concludit Hericus: *Quidquid igitur litteræ possunt, quidquid assequuntur ingenia, tibi debent.* In fine idem auctor ait, confectum opus in publicum edere diu sibi displicuisse, quod, Lothario abbate suo mortuo, non satis animo deliberasset cui illud speciatim destinaret. Tandem vero *diu cunctanti*, inquit ille, *tu cæsar præcellentissime, tu, inquam, intestatæ prolis heres proximus occurristi: ejus bona ad te lege redierunt. His animo subductis, ausus sum hoc litterarum ad tuam majestatem præmittere, quæ sequentis operis continentiam, præstructo rationis ordine, commendarent.* Ceterum Caroli pietatem commendant, ut jam dixi, varia ejus diplomata, ecclesiis ac monasteriis concessa, quot & quanta nullus aliorum regum indulsit; variaque dona ecclesiis collata: in quibus præter ea, quæ superius commemoravimus, sancto Benedicto, seu Floriacensi monasterio concessit *sacerdotale indumentum, quod ex capella fratris sui Lotharii abstulerat, dum ex bello reverteretur Fontanetico; necnon duo vasa aurea* pretiosissima, *cum evangelii textu, subtili operis diversitate fabricato*, teste Adelerio ejus loci monacho, qui ait, Carolum nemini priscorum regum imparem visum fuisse in omni sancta religione.

Ejus dona S. Benedicto.

C II. Ludovici Balbi coronatio.

Audita morte Caroli parentis, Ludovicus, cognomento Balbus, Compendii cum Richilde noverca pridie kalendas Decembris convenit, atque ab ea regia insignia accepit, ac paullo post magno episcoporum, procerumque consensu rex ab Hincmaro archiepiscopo VI. idus Decembris inauguratus est. Inde, acceptis sollemnibus omnium sacramentis, factaque promissione, se *omnibus ordinibus, episcoporum videlicet, sacerdotum, monachorum, canonicorum, atque sanctimonialium, regulas a patribus conscriptas*, ex eo tempore in futurum *ex integro* servaturum; in monasterium sancti Medardi prope Suessionas accessit, ubi natale Domini, indeque pascha in monasterio sancti Dionysii celebravit. Initio ejus regni Hincmarus præclara novo regi dedit monita ex libro maxime sancti Adalhardi Corbeiæ abbatis de ordine palatii.

C III. Richildis augustæ prava facta Auriniaci.

Post mortem imperatoris Richildis augusta velamen viduitatis accepit, sed non ea, qua decuit, modestia illud ornavit. In primis illud indecorum & iniquum perpetravit, quod regularem abbatissam Auriniacensis in pago Laudunensi monasterii ejecerit, & accepta pecunia neophytam quamdam in ejus locum intruserit. Id vivente Carolo committi cœptum Hincmarus [a] archiepiscopus per Hedenulfum recens ordinatum Laudunensem episcopum regi suggerere curaverat, ut per eum regina male factum emendaret: at rex eam contristare veritus, male cœptis occurrere supersedit. Cum vero post obitum Caroli Richildis perperam factum tueri
» pergeret, Hincmarus eam litteris serio ejus rei admonuit, asserens, quamdiu in
» hoc male facto contumax persisteret, eam, quotiescumque corpus & sanguinem
» Domini percipere auderet, in damnationem incursuram. Eidem exprobrat tum
» sublatum Auriniaci privilegium ab episcopis concessum, ac præceptum regium;
» tum simoniæ crimen ab ea commissum; eamque monet, *ut legat capitula regulæ*
» *sancti Benedicti de ordinatione abbatis vel abbatissæ*: ubi inventura sit, quam gravi-
» ter pro hac ordinatione in Spiritum-sanctum, *a quo ipsa est regula promulgata*,
» peccaverit. Hæc neophyta abbatissa non alia sine dubio erat a Ricoara, quam in

[a] Frod. lib. 3. c. 27.

ANN. CHR. 877.

aliis ad Carolum litteris [a] idem Hincmarus sugillat, quod *contra leges* idem monasterium invasisset. Perstitit nihilo minus in suis erratis Richildis, ut patet ex lirteris [b] Fulconis archiepiscopi, Hincmari successoris, quibus eam ad resipiscentiam hortatur.

a ibid c. 23.
b id. lib. 4. cap. 5

CIV. Hilduino abbati Sithiensi succedit Fulco.

Is est Fulco, ante pontificatum abbas Sithiensis post Hilduinum juniorem, qui Hilduinus hoc anno Carisiaci, dum Carolus illic generale placitum celebraret, VII. idus Junii mortalem sarcinam exuit. Hic sub vitæ suæ exitum Carolo Sithiense monasterium commendavit, rogans, ut *ordinationem hujus loci*, quam Hugo abbas ejus patruus animo conceperat, sed morte præventus complere non potuerat, regia & imperiali auctoritate perficeret, ac ratam haberet. quod de partitione bonorum monachis facienda interpretandum puto. Insuper eidem regi supplicat, ut donationem quorumdam prædiorum, ex propriis eidem monasterio in pago Viromandensi factam, confirmet, ac litteris suis exprimat. quod Carolus quarto-decimo ab ejus obitu die exsecutus est, statuens, ut in eodem monasterio numerus sexaginta monachorum secundum constitutionem domini genitoris sui in perpetuum servetur; & ut præpositus, ceterique ministeriales nequaquam fiant nisi ex ipsis fratribus, per electionem eorum, & ex consensu abbatis. Hincmarus ad Carolum scripsit *de causa Hilduini abbatis defuncti*. Ejus corpus, uti is jusserat, [c] e villa Carisiaco delatum est in Sithiensem basilicam, ubi contra sancti Martini altare sepultum est, teste Johanne Iperio, qui privilegia per eum Sithiensibus obtenta septem commemorat. Dum ejus cadaver *Sithiu* deportaretur, Atrebati pernoctatum est in monasterio sancti Vedasti; cui pretiosum pallium ob id datum legitur. Fulco Hilduini successor, Sithiensis abbas decimus-octavus, *canonicus ecclesiæ sancti Audomari* dicitur ab Iperio domestico auctore; post annos plurimum quinque in locum Hincmari archiepiscopi promotus. Certe Fulco ipse [d] auctor est, se ab ipsis pæne cunabulis *educatum canonicis* fuisse *disciplinis*, donec a glorioso rege Carolo, imperatoris Ludovici filio, in palatinis ac domesticis ejus assumtus esset obsequiis; sicque in aula palatii perseverasse usque ad tempora Carlomanni regis, quando a sanctis provinciæ Remensis episcopis, necnon a clero & plebe ejus urbis episcopus electus est. Hie abbas monasterium, a Normannis incensum, instaurasse perhibetur, & propugnaculis munire cœpisse, quæ factus Remorum archiepiscopus imperfecta reliquit.

c Frod lib. 3. c. 28.
d id. lib. 4. c. 4.

CV. Belgicis parthenonibus data diplomata.

Paullo ante quam Carolus ultimo alpes transscenderet, varia præcepra Belgicis virginum monasteriis concessit, & quidem in regia villa Ponrigone, ubi sub initium mensis Julii versabatur. In primis ad deprecationem Richildis imperarricis quasdam possessiones & prædia [e] concedit, aut potius confirmat ad usus fratrum ac sororum Nivellæ cœnobii, quod conditum est in honorem sanctæ Mariæ, ubi sancta Gertrudis corpore requiescit. Actum Pontigone VII. idus Julii. Audacher notarius ad vicem Gauzlini recognovit hoc præceptum, quod *domna Richildis imperatrix ambasciavit*. Consimile item præceptum biduo ante ibidem ab eodem indultum sororibus & fratribus cœnobii Marcianensis, siti in comitatu Arrebatensi super fluvium Scarpum, sub tutela sanctæ Rictrudis inibi Deo militantibus, quorum inopiæ per Bernonem diaconum palatinum & ministerialem suum imperator subvenire curavit. Exstat in eodem pago Atrebatensi super eumdem fluvium Hasnoniense monasterium, nunc virorum, uti & Marcianense, tunc utriusque sexus, cui supplementum itidem Carolus dedit per Ermentrudem filiam suam abbatissam. Id actum dicitur *Carisiaco palatio imperiali* v. *idus Julii*. quo die non Carisiaci, sed Pontigone Carolus versabatur. Idem quoque obtinuit privilegium Gisla Caroli soror pro Dononiensi duplici item monasterio, quod olim sancta Ragenfredis in Hannonia ad Scaldim exstruxerat.

e Miræi notit. p. 68 & seqq.

CVI. Adalhelmus vitam S. Opportunæ scribit.

Adalhelmus seu Adhelelmus, Sagiensis præsul, quem alii corrupte Adelinum vocant, vivente adhuc Carolo libellos duos de vita & miraculis sanctæ Opportunæ virginis & abbatissæ videtur scripsisse, uti colligitur ex his libri secundi verbis, ubi agens de Carolo imperatore, *cujus beneficiis*, inquit, *sumus quidquid sumus*, *cujus vita semper a Domino gubernetur*. Iraque mors Hildebrandi ejus antecessoris contigerit statim post concilium Pontigonense superiore anno habitum, cui is subscripsit. Quamquam nonnulla huic calculo videntur obstare. Fuerat Adalhelmus ante episcopatum sancti Carilesi monachus, eoque nomine se ipse jam episcopus

ANN. CHR. 877.

insignivit in prologo ad librum de miraculis sanctæ Opportunæ, in hæc verba: *Domino miserante Adalbelmus, Sagiensium plebium humilis episcopus, necnon beati Karilesi monachus & servus*: quo in prologo scriptionis suæ occasionem commemorat. Quippe cum æmulos pateretur, electioni ac consecrationi suæ episcopali adversantes, voto se obstrinxit, scripturum se vitam & miracula sanctæ Opportunæ, si adversariorum tandem contradictionem expugnare valeret. Voti compos factus, at promissi haud memor, a Nortmannis captus venditusque, & exsilio in insulam Britanniam deportatus, ubi multa ludibria & verbera sustinuit; tandem Deo miserante in patriam redire permissus est. Verum transmisso oceano, cum per fluvium Somenæ ad opidum sancti Walarici accedere vellet, æstuarii violentia in fluvium lapsus, in summum vitæ discrimen incidit, ex quo sanctæ Opportunæ & sancti Carilesi invocato auxilio cum ereptus fuisset, votum demum ac promissionem scribendæ vitæ sanctæ Opportunæ exsolvit. In libro secundo auctor agit de sanctæ Opportunæ translatione hoc tempore facta in villam pagi Parisiensis Monciacum *, quam Ludovicus rex Caroli frater, causa refugii ob metum Nortmannorum sanctæ Opportunæ & Hildebrando Sagiensi episcopo donavisse dicitur. Non alius hic videtur a Ludovico Germaniæ rege, cui quo pacto Monciacus villa competeret, non video. Nunc eo in loco cella est Ordinis Cluniacensis: reliquiæ vero sanctæ Opportunæ in collegiata ejus nominis ecclesia Parisiis asservantur, excepto capite, quod Monciaci habetur.

* *Monchy-le-neuf.*

CVII. S. Benigno donatio facta a Berta comitissa.

Sancti Benigni Divionensi monasterio abbatis titulo adhuc præerat Bertilo chorepiscopus hoc anno, quo Berta [a] comitissa *domino sacro cœnobio sancti Benigni* pro anima *senioris* sui Unfridi comitis res quasdam largitur in villa pagi Dusmensis Colonica. *Actum Divione in ecclesia sancti Benigni publice, die Mercorii, mense Novembri, anno primo regni domini nostri Ludovici regis, filii Karoli imperatoris augusti*, quem Ludovicum Balbum posteri appellarunt. De Bertilonis obitu actum superius [b].

a *Perard.* p. 156.

b *num.* 91.

CVIII. S. Petri Cabilonense monasterium instauratur.

Sub id tempus Girboldus seu Girbaldus Cabilonensis præsul suburbanum sancti Petri monasterium, quod a barbaris destructum fuerat, instaurasse memoratur in litteris Hugonis archiepiscopi Lugdunensis & apostolicæ sedis legati, in quibus Girbaudus missus dicitur a Carolo Magno, ut pastor ejus ecclesiæ crearetur. qui prædicti loci desolationem videns, eum in pristinum restituit statum, monachosque ibidem denuo collocavit, quibus Aimonem *doctorem*, id est abbatem, præfecit. Idem insuper pro sepultura, tam episcoporum, quam canonicorum, qui jam illic sepulti fuerant, villam, *quam vulgus Deus-adjuva nominat*, cum ecclesia ejus sancto Vincentio dicata, ad perennem collati beneficii memoriam contulisse memoratur. In his litteris Caroli Magni nomine intelligendus est sine dubio Carolus Calvus, cujus principatu Girbaldus Godelsado episcopo subrogatus est. Erat ergo in illo monasterio commune conditorium, in quo episcopi & canonici ecclesiæ Cabilonensis antiquo jure sepeliebantur. quod cum secus fieri sæculo undecimo cœptum esset, Hugo archiepiscopus mox laudatus judicio suo secundum monachos litem diremit. Idem Girbaldus sanctorum antecessorum suorum, eorum maxime, quorum memoriam veteres scriptores libris suis celebraverant, reliquias honorare cupiens, corpus beati Lupi episcopi, quem in basilica sancti Petri ad dexteram partem altaris sepultum fuisse ex ejus vitæ libro compertum habebat, *adhibito secum e vicino Matiscensis urbis pontifice*, inde reverenter effossum, & sacerdotum manibus elatum, post altare congruo loco humavit, & super illud *lectieam de more erexit quarto kalendarum Septembrium die, octingentesimo septuagesimo-septimo dominicæ incarnationis anno*, ut testatur apud Bollandum [c] anonymus illius temporis auctor. Paullo post sacra etiam corpora sanctorum antistitum Silvestri & Agricolæ, atque beati Desiderati presbyteri ab eodem Girbaldo in suburbana basilica sancti Marcelli reperta, & condigno loco reposita sunt. Horum festivum diem Johannes papa VIII. celebrari apostolica auctoritate sancivir.

c *Martii* 10. *a. p.* 515.

CIX. Carlomanni diplomata pro Cremifanio.

Post mortem Ludovici imperatoris Carlomannus, Bajoariæ rex, Italiæ regis titulum usurpavit, non tamen imperatoris. Id varia ejus diplomata testantur, in quibus unum hoc anno edidit pro monasterio Chremisa seu Cremifanio, quo *Karlomannus, divina favente gratia rex*, quasdam res tradit *ad monasterium, quod dicitur Chremisa. Datum tertio nonas Decembris, anno Christo propitio secundo regni domni Karlomanni*

ANN. CHR. 877.

Karlomanni invictissimi regis in Wavaria, & primo in Italia, indictione X. Actum ad Ætingas curte regia. Baldo cancellarius ad vicem Theotmari archicancellarii recognovit. qui Theotmarus Saltzburgensis episcopus erat. Idem rex anno superiore eidem monasterio confirmaverat donationes quorumdam prædiorum, quæ Ludovicus ejus pater, nullo dato præcepto, concesserat. Denique Carlomannus ipse anno sequenti litteris suis ratam habet donationem, eidem monasterio a Chuniberto diacono factam: quibus in litteris regis tantum titulum sibi tribuit. Hæc diplomata cum aliis exstant in annalium Cremifanensium libro primo, capite nono. Idem princeps præceptum regiæ defensionis hoc anno [a] concessit monasterio Casauriensi.

[a] *Spicil. to 5. p. 390.*

CX. Adelardus episcopus ob occupatam Nonantulæ abbatiam excommunicatur.

Ad res Italicas quod attinet, Johannes papa [b] Carolo imperatori paullo ante ejus obitum significavit, se Adelardum Veronensem episcopum diris addixisse, quippe qui venerabile Nonantulæ monasterium, *quod pro Dei, tantique loci reverentia nullus umquam episcoporum vel judicum in beneficium quæsiverat*, timore Dei postposito, contra apostolicæ sedis privilegia, quibus de propria semper congregatione abbatem fieri jubetur, callide petiisset, invasissetque. Idem scribit Johanni Ravennati, Ansperto Mediolanensi, & Wiperto Aquileiensi, atque clero Veronensi, excommunicatum eum denuntians, *donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum qualitate idoneam satisfactionem coram positus exhibuisset.* Forte ob eam causam Adelardus secessit ad suburbanum sancti Zenonis monasterium, in quo cathedram [c] episcopalem habuisse dicitur.

[b] *Johan. papæ epist. 47. & seqq.*

[c] *Ital. Sac. to. 5. c. 193.*

CXI. Abbas Mediolanensis restitui jussus.

Carolo item superstite, Anspertus Mediolanensis antistes abbatem quemdam Mediolanensem, an Petrum Ambrosianæ basilicæ rectorem, nullo crimine comprobato, a regii cœnobii præpositura depulit, atque in ejus locum homicidam quemdam, aut facinoris socium substituere volebat. Archiepiscopo hac de re scripsit [d] Johannes pontifex, eumque hortatus est, « ut in promotionibus ejusmodi nihil agat, quod patrum possit regulis adversari, exspectato etiam, quando ita mos serat, « Caroli augusti assensu. Moderationem quippe sedis apostolicæ, & universalis ecclesiæ dispositionem id exigere, ut eo periculosissimo tempore cuncta *dispensatorie* gerantur. Abbatem vero, qui nullo comprobato crimine a regii cœnobii præpositura depulsus fuerat, ejusdem piissimi principis permissu, ipsiusque papæ precibus esse « revocandum; non solum autem homicidam, sed & socium homicidæ ab omni præpositura pellendum. *Data III. kalendas Martii, indictione decima.* «

[d] *Joh. pap. ep. 34.*

CXII. Carolus rex ob direptum Brixiæ cœnobium increpitur.

Triduo ante idem pontifex ad Carolum [e] regem, eum, qui postea Crassus dictus est, litteras increpatorias ac comminatorias scripserat, quod in Italiam profectus, atque in monasterium ancillarum Dei apud Brixiam constitutum ingressus, aurum abstulisset, tam ipsius venerabilis monasterii, quam Angelbergæ Dei cultricis, quondam imperatricis, quod sibi ad ipsius præcipue cœnobii sustentationem procul dubio reservaverat. se dolere, eum ad tam immane sacrilegii genus prolapsum, &, instar cujusdam gentilis regis, vasa domus Dei ad usus proprios deflexisse. Monere, ut ab se aliisve ablata quantocius restitui curet, ne, si aliter egerit, diras sedis apostolicæ in se accersat. quod certe futurum sit, ni intra sexaginta dies post acceptam epistolam thesaurum illum absque ulla diminutione restituat, & facti sui rationem per suum missum quam primum sedi apostolicæ reddat. Ad hoc monasterium, quod *Novum* dicitur, pertinet formula quarta inter Alsaticas nuper typis regiis editas, qua Carolus jam imperator testatur duo mancipia eidem parthenoni a fidelibus suis concessa: & unum ex illis, commutatione facta, libertate donatum fuisse: in cujus rei signum imperator ipse *denarium, & numerum, & argentum, & aureum, & dragmam, & sestertium, & minam* excussit, sicque secundum legem Salicam eum liberum dimisit. *Data VIII. Kal. Julii anno V. Karoli post mortem patris sui HLudovici in Francia & Alamannia, secundo regni ejus in Burgundia, imperatoriæ vero dignitatis & apostolica benedictionis primo.*

[e] *id. ep. 63.*

CXIII. Dominicus episcopus Romam citatus.

Eodem tempore ad idus Februarias citatus est Romam tertio Dominicus, in locum Senatoris subrogatus in sede Torcellana, quam invasisse dicebatur. Fuerat is antea abbas sancti Hilarii monasterii apud Altinum, quæ civitas, modo excisa, ad Silis fluvii ostium, Venetias inter ac Tarvisium sita erat. Hujus citationis auctor Petrus Gradensis patriarcha, qui eum ordinare renuebat, urgente quantumvis Ursо duce, qui Dominici electioni favebat. Semel & iterum accitus ad se purgandum Dominicus, Johannis papæ censuram incursurus fuisset, nisi pontifex, petente

ANN. CHR. 877.

Urso glorioso duce, minus severitate, quam patientia usus esset. Tertio demum Romam ille citatus est ad idus Februarias præsentis decimæ indictionis, ut in concilio, coram Petro Gradensi metropolita, cjusque coëpiscopis, ipsius causa examinaretur. Hæc ex epistola * Johannis papæ, data kalendis Decembris anni superioris, qua ci non solum communionis, sed & honoris jacturam cum anathemate, ni mandatis pateat, pontifex comminatur. Paullo aliter rem Dandulus narrat, scilicet Petrum patriarcham ordinare Dominicum, quem filium Leonis Calopini dicunt, constanter recusasse, quod virilia sibi amputasset, ut castius viveret; & quod patriam apostatando reliquisset. Id vero Ursum ducem, quo favente Dominicus in sedem Torcellanam promotus fuerat, gravate admodum tulisse, eoque rem urgente, patriarcham Romam ad pontificem hanc causam referre coactum fuisse. In id vero demum convenisse, ut Dominicus electus episcopus diebus ipsius patriarchæ episcopali consecratione careret, & tamen domo, & bonis ipsius episcopatus interim frueretur.

* id. ep. 29.

CXIV. *Berthari abbatis Casinatis legatio Romam.*

Interea Sarracenis Italiam dire infestantibus, aliud quoque incommodum adjunctum. Capuani, expulso Landulfo episcopo, Landenulfum summo apud se honore natum, licet uxore præditum ac neophytum, suffecerunt, multisque precibus pontificem, ut eum consecraret, orarunt. Ea re cognita, Bertharius abbas Casinas & Leo Theanensis episcopus Johannem pontificem Romæ adierunt, rogaturi, ne rei tam iniquæ assentiretur. Tantorum virorum gravitate permotus pontifex, id se facturum negavit: sed tandem nobilium precibus expugnatus, neophytum consecravit. Inde mala plurima consecuta, quæ ad institutum nostrum minime pertinent. Paullo post idem Bertharius quasdam res cum Romano * Casauriensi abbate commutavit.

* Spicil. to 5. p. 393.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER TRICESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 878. ad annum 885.

ANN. CHR. 878. I.

Ludovici diploma pro Centulo.

CUM natale Domini in Suessionensi sancti Medardi monasterio celebrasset Ludovicus, inde in Audriacam * villam pagi Atrebatensis profectus, dein venit ad sanctum Dionysium, ubi paschale festum egit. Progressus inde Cæsarodunum-Turonum ad quosdam motus compescendos, ibi gravissime ægrotavit. Dum a sancto Medardo ad Audriacam-villam pergeret, per villam regiam Compendium iter haud dubie instituit, ubi eum convenit Guelfo [a] Centulensis abbas, ejus consanguineus, ab eoque impetravit, ut villa sancti Richarii Civinocurtis, quæ frequenti commeantium peditum, equitumve regionis hospitio valde vexabatur, deinceps ab omni hospitum oppressione immunis esset. *Data III. kalendas Januarii, indictione* XV. legendum X. vel XI. *anno secundo regnante Ludovico gloriosissimo rege. Actum Compendio palatio.* Hoc præceptum Hariulfus ad annum ejus sæculi sexagesimum septimum refert, cum *ante ferme triennium* Ludovicus a patre rex institutus fuisset. Verum id nullo fundamento dicit Hariulfus, eo adductus falsa persuasione, quod Guelfoni abbati mortuo saltem anno Caroli tricesimo successisset Carolomannus, quem certum est Guelfone adhuc vivente (quod Calvi tempore haud insolens erat) Centulensem abbatiam obtinuisse, ac superstitem habuisse Guelfonem, qui ad annum octingentesimum octogesimum-primum vitam produxit. Ceterum Ludovico Balbo, non Ludovico ejus filio, hoc diploma tribuendum esse suadet formula ejus initialis in hæc verba, *In nomine Domini Dei æterni, & Salvatoris nostri Jesu-Christi, HLudovicus misericordia Dei rex.* qualis formula in omnibus aliis ejusdem Ludovici diplomatibus legitur. Primum hoc diploma *Audacher notarius ad vicem Gauzlini recognovit:* quorum alter notarius, alter cancellarius Caroli Calvi fuerat. De Audachro nulla deinceps mentio, quem Cormarici & Villælupæ abbatem fuisse superius [b] diximus. Ejus obitus notatur V. nonas Maii. Certe ne hoc Centulense diploma Ludovico Balbi filio tribuamus, illud obstat, quod Gozlenus abbas cum Chuonrado comite a Balbi filiis, Ludovico & Carlomanno, penitus defecit, & ad Ludovicum Germaniæ regem se contulit, ex annalibus Bertinianis.

* Orreville.

[a] Spicil. to. 4. p. 501.

[b] Lib. 37. n. 92.

ANN. CHR. 878.

II. Acta ejusdem Turonis.

a Diplom. p. 546 & seq.

Cum in urbe Turonum infirmus resideret Ludovicus, suggerente Hugone glorioso abbate, quasdam res cuidam fideli suo, Widrado [a] monacho, concedit ad perficiendam cellam sancti Flaviani, quam ille ædificare cœperat, sitas inter Moram & Ulmetum. *Data pridie kalendas Junii, indictione* XI. *anno primo regni domni HLudovici gloriosissimi regis. Actum Turonis civitate.* Hinc corrigendus videtur Hariulfi calculus, & forte in priori illo diplomate corrigendus Ludovici annus, uti & indictio, & pro *anno secundo* legendum *primo*. Hæc cella sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Flaviani sita est in parochia Lingonensi, cognomento Pulchrada seu Saxonis-fontanæ, quam Hugo comes postea Divionensi sancti Benigni monasterio contulit, approbante Hugone episcopo Lingonensi. In eadem Turonum civitate idem rex villam Merlaum, in pago Canisiacensi ad fluvium Ingerem seu Angerem sitam, canonicis sancti Martini largitus est pro anima genitoris sui Caroli imperatoris ac genitricis suæ gloriosæ reginæ Irmindrudis, ea conditione, ut, dum viveret, *diem nativitatis suæ, quæ est kalendis Novembribus*, & diem unctionis suæ in regem, *id est* VI. *idus Decembris*, refectione ex rebus illius villæ parata, fratres annis singulis observarent, & pro genitore ac genitrice sua, fratribusque suis Carolo & Carolomanno, sed & pro se, suaque conjuge ac prole, vigiliarum & missarum sollemniis ex more celebratis, Domini misericordiam implorarent. Ad hæc in fine petit, ut memoriam Lotharii fratris sui habere non negligant. *Data* XII. *kalendas Julii, indictione* XI. *anno primo domni Ludovici gloriosissimi regis. Actum Turonis in monasterio sancti Martini.* Denique in eadem urbe Pictavense sanctæ Crucis monasterium, cum suburbano cœnobio sanctæ Radegundis, præcepto regiæ defensionis munivit, & quidem rogatu Avæ seu Abæ [b] sanctæ Crucis abbatissæ, confirmans eidem parthenoni liberam eligendæ abbatissæ facultatem *secundum regulam*, & donationem quarumdam villarum, quas Carolus augustus, pater ipsius, *fratribus sanctæ Radegundis & ancillis Christi sanctæ Crucis* contulerat, quasdam etiam villas de suo superaddens. Actum Turonis in monasterio sancti Martini, mense Julio, indictione XI. anno regni ejus primo. Sic restituendæ hæ chronicæ notæ, quæ in editis vitiatæ sunt. Prædicta Ava abbatissa successerat Rotrudi, de qua superius [c]. Idem rex Trecis residebat IV. idus Septembris hoc ipso anno, cum Magniacum vicum, ubi sanctus Vincentius corpore quiescere dicitur, ecclesiæ Nivernensi concessit rogatu Abbonis episcopi.

b Gall. chr. to. 4. p. 317.

Abbatissæ Pictavenses.

c lib. 37. n. 87.

III. Ludovici fœdus cum Ludovico rege Germaniæ.

Inde Aquas seu Aquisgranum perrexit, ubi mense Octobri cum æquivoco suo Germaniæ rege colloquium habuit, uti nos docent annales Fuldenses. Ad istud colloquium haud dubie inductus fuerat humanissimis litteris ipsius Ludovici, qui donis & muneribus ejus in amicitiam se insinuare tentaverat. Huc enim pertinere arbitror amicam illam epistolam, quæ inter formulas antiquas Alsaticas nuper regiis typis edita, reparandæ illius temporis historiæ opportune hoc loco referenda videtur, utpote Ludovico regi perquam honorifica.

Dilectissimo fratri & unanimi amico, gloriosissimo Galliarum, Aquitaniæ, & Hispaniæ regi HLudovico, cognominis vestri * *HL. rex Francorum, gratia vobis & pax atque victoria de cælo vobis subministrentur. Obsecro, frater carissime, sanguis & ossa mea, pars animæ meæ, nomen meum, ut, postpositis, vel potius explosis & annullatis simultatibus & inimicitiis, quæ inter patrem vestrum & nostrum cupidi & perversissimi homines seminare gaudebant, christiano & cognato amore nos invicem diligere, & alter alteri domi militiæque, fidi & pacati esse curemus, ne quisquam tertius nos duos, nisi unum, se invenire tripudiet. & ita fit, ut nec nostri de nostra dissensione & minoratione glorias & dignitates aucupentur, nec adversarii & extranei de regni nostri defectu & casu glorientur. Ut autem fœdus inter nos conditum permaneat firmum, mittimus vobis pro arrabone cavallum, viribus & velocitate, non statura & carnibus probabilem; & sellam, qualem nos insidere solemus: ut nos fortitudine & utilitate, non luxu & inanitate delectari noveritis. Mittimus etiam cortinam præstantissimam, quæ in palatio vestro, tempore consilii, pro signo dilectionis nostræ suspensa, omnia maledicorum seminaria contabescant: dum & meam apud vos devotionem hoc munere, & vestram erga nos affectionem ipsa viderint & existimaverint ostentatione. Et ut de vita vestra diuturnitate nos sollicitos esse noveritis, dirigimus vobis aromata, & unguenta, & pigmenta medicabilia: quorum odore, delibatione, & sapore delectati, diu vivere, & nos diligere firmiter & jure debeatis.*

* f. vester.

ANN. CHR. 878.

Hactenus præclara & elegans epistola Ludovici regis Francorum, id est Franciæ orientalis, ad Ludovicum nostrum, quem non modo *Galliarum & Aquitaniæ* regem dicit, sed etiam *Hispaniæ*, id est Septimaniæ & pertinentium ad Hispaniam regionum. Ad eumdem Ludovicum Caroli filium & ad tres Ludovici Germaniæ regis filios spectant postremæ duæ inter illas Alsaticas formulas epistolæ: quarum prior est Brixiensis episcopi, forsan Antonii, ad quemdam Germaniæ, an Provinciæ episcopum, sciscitantis an tres illi fratres, Carlomannus, Ludovicus, & Karolus, pacem inter se se haberent, & cum consobrino seu comparruele suo, filio Caroli, scilicet Ludovico nostro: posterior est responsio hujus episcopi, asserentis, tres fratres ita se mutua caritate complecti, ut summa Trinitas inter illos media diversari credatur; & domnum quidem Karolum cum fratre suu HLudovico Galliam Lugdunensem & Treverim cum omni Mosellana regione, necnon Agrippinensem provinciam & Burgundioniam inter se dividendas accepisse: Italiam vero & Tusciam & omnem Campaniam domno Karolo, scilicet Crasso, regendas commissas fuisse: qui, sanitate recepta, brevi in Italiam profecturus sit. Hæc, ut in loco peregrino edita, indicasse visum est quoddam operæ pretium.

IV. Johannes papa in Galliam venit.

Interim Romæ, Caroli augusti morte accepta, Johannis papæ æmoli, Albertus & Lambertus duces, quos ille a sacris removerat, animos attollunt, ipsumque pontificem in carcerem conjiciunt. Hic vero suorum ope inde elapsus, ad Ludovicum, cujus patrem imperiali corona donaverat, sibi proficiscendum constituit. Alpibus itaque transscensis, Arelate in die pentecostes pervenit. Inde Bosonis ducis auxilio Lugdunum progressus, Ludovico Turonis ægrotanti per nuntios adventum suum significavit. Rex, missis obviam episcopis, Trecas ut adiret rogavit. Eo vero profectus pontifex, conventum episcoporum Galliæ ibidem habuit, & ab eis, ut anathema ab se in adversarios suos intentum confirmarent, facile impetravit. In eodem conventu Formosus Portuensis episcopus, omni ecclesiastica dignitate nudatus, & ad laïcam redactus communionem, etiam Urbis aditu interdictus est. Fallitur itaque Clarius [a] monachus, cum ait, Formosum Portuensem episcopum cum Johanne papa Trecensi concilio interfuisse, eumque *ad monasterium sancta Fara in Brigeso* profectum, caput beatæ Agnetis ibi dimisisse, aliasque reliquias tum ad sanctæ Columbæ Senonensis, tum ad sancti Germani Autisiodorensis monasteria attulisse. quod quidem per alium, si id verum est, factum esse oportet.

Trecensis concilii acta.

[a] Spicil to 2. p. 719.

Dum hæc Trecis aguntur, Ludovicus, valetudine demum confirmata, istuc accessit, ubi a pontifice coronatus est. quod de imperiali corona Sigonius, aliique recentiores nonnulli perperam interpretantur. Verum, ut uxorem illius reginam Johannes coronaret, impetrare non potuit, nempe quod illa, priori rejecta conjuge, superducta esset. Duas quippe uxores Ludovicus habuit, unam Ansgardem, quam in ipso juvenilis ætatis flore, inconsulto patre, duxerat, ex qua Ludovicum & Carlomannum filios suscepit: alteram Adheleidem, quam jussu patris, Ansgarde rejecta, thalamo suo sociavit, & moriens gravidam reliquit. Hanc itaque coronare ob eam causam pontifex recusavit. Dein a Frotario & Adalgario episcopis rogatur, ut præceptum, quo Carolus pater Ludovico regnum tradiderat, pontificia auctoritate confirmaret. quod ille se facturum pollicitus est, si rex ipse ratum haberet exemplar præcepti, de abbatia sancti Dionysii Romanæ ecclesiæ tradenda facti, aut potius, ut a multis credebatur, conficti in conventu episcoporum, aliorumque Ludovici consiliariorum, ut Gozleno hæc abbatia ablata, Johanni traderetur. quod cum a rege negatum fuisset, neque hic a pontifice quod petebat obtinuit. In eodem conventu Hincmaro Laudunensi olim episcopo permissum est, ut, licet oculis orbatus, missam cantaret, si vellet; probataque in ejus locum electio Hedenulfi, qui se episcopali onere absolvi petebat, *dicens se esse infirmum, & velle intrare monasterium.* quod a pontifice impetrare non potuit. His actis, pontifex, eodem comitante Bosone, per montem Cinisium in Italiam; Ludovicus vero Compendium abiit. Hic apud Trecas præceptum [b] regiæ defensionis cum facultate eligendi abbatis concessit Arulensi monasterio ad preces Castellani abbatis VI. idus Septembris: Compendii vero aliud præceptum, quo *abbatiam sancti Apri, sancti Germani, & sancti Martini*, Tullensi ecclesiæ, ad preces Arnaldi episcopi, confirmavit, jam dudum a Lothario imperatore *avunculo*, id est patruo, suo, & a filio, ejus æquivoco, sed & a patre suo Karolo imperatore eidem ecclesiæ restitutam.

[b] Marca Hisp. col. 799. & seq.

ANN. CHR. 878.

Data v. idus Decembris, indictione XI. anno secundo unctionis HLudowici in regno Franciæ. Actum Compendio palatio. Hoc præceptum Wlfardus notarius ad vicem Gozlini recognovit.

V. Flaviniacensis ecclesiæ dedicatio per pontificem.

Hic Wlfardus, Ludovici imperatoris sororius, idemque Flaviniacensis abbas, is, qui Pontigonensi concilio subscripsit, *consecrationem ecclesiæ Flaviniacensis a Johanne papa & octodecem episcopis* fieri obtinuit, testante Hugone hujus loci abbate; qui id factum ait post biennium, anno Carlomanni regis secundo, quo chartam inter abbates & vasallos ejus ac monachos fecisse dicitur. Verum hæc dedicatio a pontifice fieri non potuit nisi hoc anno, quo Johannes in Gallia versabatur. Certe hunc Flaviniaci hospitatum fuisse probat ejus epistola XXIX. qua excommunicat eos, qui ipsi apud Cabilonem equos, aliaque furati erant, nisi intra tertium diem ea restituant; itidemque Adwardum presbyterum, *qui nobis*, inquit, *in monasterio Flaviniaco ministravit, cujus homines scutellam argenteam sancti Petri*, nempe Flaviniacensis, *nescio utrum consensu illius, an non, furati sunt.* Hujus dedicationis festivitas v. kalend. Novembris etiam nunc celebratur. Præter superiora diplomata idem princeps alia duo indulsit Trenorchiensi monasterio, cujus donationem, a Carolo parente suo ante triennium sancto Filiberto factam, confirmat [a] ad preces Geilonis abbatis pridie idus Decembris; eodemque die villam pagi Matisconensis Ulcasiacum * ad hospitale pauperum, & villam pagi Lugdunensis Lovingum * ad luminaria ecclesiæ eidem loco largitur.

a *Tournus p. 229. & seqq.*
* *Ulchisy.*
* *Louhan.*

VI. Floriaco privilegium ab eodem concessum.
b *Sirm. tom. 3. conc p. 484.*

Tempore Trecensis concilii, Johanni papæ suggessit venerabilis Theotbertus [b] Floriacensis abbas, quod idem monasterium quidam religiosus abbas, Leodebodus nomine, monachis exstruxerit in honore Dei & sanctæ Dei genitricis Mariæ, necnon beati Petri apostolorum principis; & quod revelatione divina per monachos
» ejusdem loci a Beneventana provincia *corpus illuc sancti Benedicti pervenerit olim*
» *allatum, ibique reverenter humatum, sicut manifestissima constat veritate;* ad hæc
» quod ad stabilimentum monasticæ religionis, piæ memoriæ gloriosus imperator Karo-
» lus per præceptum suæ auctoritatis res quasdam monachis ad victum & vestitum
» assignaverit, partim a regibus, partim a religiosis hominibus illic contributas;
» denique quod beatæ recordationis pater ejus serenissimus augustus, nempe Ludo-
» vicus, in ipso loco hospitale nobilium, quod Porta appellatur, juxta regularem in-
» stitutionem; itemque hospitale pauperum ibidem instituerit, resque ad hoc oppor-
» tune agendum, necnon alias ad lumen ecclesiæ ministrandum deputaverit. quæ
» omnia pontificia auctoritate confirmari petiit Theotbertus; insuper humiliter cum
» sua congregatione postulans, ut ad reprimendam quorumlibet inlicitam cupidita-
» tem, *super abbate regulari ex eis eligendo*, cujus rei privilegia multorum jam episco-
» porum meruerant, apostolicæ auctoritatis privilegium eis concederetur. quæ omnia
» litteris suis pontifex liberaliter impertit, datis nonis Septembris per manum Wal-
» berti Portuensis episcopi, Johannis pontificis anno sexto, indictione XI.

S. Benedicti apparitio.

Ejusdem abbatis tempore contigit illa sancti Benedicti apparitio, quam describit Adelerius monachus, post nocturnas vigilias, facta cuidam fratri ecclesiæ custodi in festo ejus translationis, in qua se *fratrem Benedictum* vocat; aitque se fratri Aimerico, in partes Britanniæ abeunti, adfuisse, eumque e faucibus inimici eripuisse; nullumque hactenus Floriaci monachum, ex quo sacrum ipsius corpus istuc advectum est, æternæ quietis damna passum fuisse, sed omnes cælestis patriæ sede donatos. Ut vero illuxit, *fratribus somno experrectis*, idem custos *sonitu fusilis tabulæ, olim referandæ locutionis gratia compactæ*, abbatem Theotbertum cum reliquis adsciscens, cuncta, quæ Benedictus pater dicenda præceperat, eis per ordinem retulit. quo die sexaginta utriusque sexus & ætatis homines cælitus ibidem sanatos fuisse idem auctor tradit. Is est Adelerius, qui sancti Benedicti miracula scribere aggressus est post Adrevaldum monachum, alio nomine Adelbertum: qui tempore Ludovici Pii jam Floriaci [c] monachus erat. Fallitur itaque Sigebertus, cum ait, eum *usque ad tempus Odonis regis Francorum* librum suum de miraculis sancti Benedicti produxisse. nam qui eum prosecutus est Adelerius, desinit in victoria de Nortmannis reportata per Hugonem abbatem, qui ante Odonis principatum, id est anno ejus sæculi octogesimo-septimo, vivere desiit.

Adrevaldi monachi ætas.
c *Adrevald. cap. 29.*

Prædictæ apparitioni alia consimilis refertur in festo illationis facta Christiano Floriacensi æditio a sancto Benedicto de Reginhario ejusdem monasterii præposi-

ANN. CHR. 878.

to, qui *in Britannia-Oceani*, ubi obedientiæ gratia multo tempore subsliterat, ex hac vita migraverat: quem sanctus Benedictus adversus dæmones se defendisse, & in cælos perduxisse Christiano revelavit, seque ipsa die sacris adfuturum promisit. quo die, ad conciliandam dictis fidem, septuaginta-quinque infirmi salutem consecuti sunt. Plura apud Adrevaldum, de Christiano * illo Floriacensis ecclesiæ æditiuo, quem *omni religione & honestate præstantem* fuisse dicit, tantæque in sanctum Benedictum confidentiæ, ut, si quid adversi Floriaco accideret, adversus eum causaretur, & ablata restitui faceret. quod probat auctor de armillis e funibus campanarum dependentibus, quas fures abstulerant.

* *Adreuald, c. 26.*

VII. Indulgentia cæsis in bello a papa concessa.

Per id tempus atrocissimum prœlium, haud dubie cum Nortmannis, consertum est, in quo multi christiani ex regno Ludovici occubuerunt. Hinc Gallicani præsules Johannem Romanum pontificem sciscitati sunt, utrum ii, *qui pro defensione sanctæ Dei ecclesiæ, & pro statu christianæ religionis & rei publicæ in bello nuper ceciderant, aut de reliquo pro ea re casuri essent, indulgentiam possent consequi delictorum. quibus pontifex indubitanter respondet*, quod illos, qui *cum pietate catholicæ religionis* in belli certamine contra paganos & infideles strenue dimicantes cadunt, requies æternæ vitæ suscipiat; eosque pontifex pro apostolica auctoritate absolvit.

VIII. Nortmanni ab Hugone abbate victi ope S. Benedicti.

Etsi vero id generatim de universis, qui in diutino illo Nortmannico bello cecidissent, intelligi potest; non male tamen refertur ad eam pugnam, quæ cum Nortmannis ab Hugone abbate commissa hoc anno videtur, nempe initio regni Ludovici, qui, patrio regno suscepto, *vix duobus annis eo potitus, laboriosum quibusque nobilibus regni sui consecravit initium*, teste Adelerio Floriacensi monacho, qui unus hujusce pugnæ meminit. Nortmannica siquidem gens, quæ tantas jam regno strages intulerat; ex morte Caroli regis, qui-cum toties pacta inierat, eademque toties violaverat, viribus animisque resumtis, novam Galliæ cladem, paucis resistentibus, continue inferebat. Et primum Neustriæ partes aggressa, cædibus & rapinis omnia demum vastasset, nisi Hugo nobilissimus abbas, unus e regni primoribus, tum armis, tum consiliis ac virtute, barbaricos conatus repressisset, eorumque maximam partem peremisset. quod quo pacto per virtutem sancti Benedicti effectum sit, paucis explicandum. Nortmanni itaque, nullo obsistente, plurimos civitatum portus percurrentes, Aurelianos tandem perveniunt; indeque altius progressi, ad monasterium Floriacum, universa direpturi, contendunt. Verum eorum adventus præscii Floriacenses, pretiosa quæque plaustris aptata cum reliqua supellectile secum devehentes, ad Matriniacense pagi Wastinensis * prædium confugerunt, ubi tuta sua omnia fore existimabant. At barbari prædones, cum nihil apud Floriacum reliqui præter parietes invenissent, plaustrorum recentibus edocti vestigiis, eo tendere constituunt, quo Floriacenses abiisse relicta vestigia testabantur. Verum hoc consilium ad eorum perniciem vertit Deus, Floriacensium tutor ac protector. Cum enim istuc tenderent, a Burgundiæ partibus Hugo abbas cum exigua militum manu forte superveniens, hortatu Girboldi nobilissimi Autisiodorensium comitis, qui sancti Benedicti opem non defuturam asseruit, subito in barbaros irruit, eosque haud procul a monasterio tanta strage percussit, ut ex tanto numero vix aliquis superfuerit, qui prœlii exitum aliis nuntiaret. Post tam insignem victoriam, Hugo belli dux confessus est, sibi in ipso congressu præsentem adfuisse sanctum Benedictum, qui sinistra manu equi sui habenas regens, dextera vero baculum manu tenens, plurimos barbarorum prostraverit. Hæc ex Adelerio, qui eodem tempore hoc factum litteris mandavit, quæ res in majori basilicæ porta ad dexteram ingredientium, auctore Gauslino abbate, rudiori quidem scalpello expressa hodie quoque cernitur.

* *le Gatinois.*

IX. S. Benedicti illationis historia.

Consimilem omnino victoriam refert Diedericus Hersfeldensis monachus, eamque Gislolfo nobilissimo comiti ac monasterii advocato tribuit, at tam diversas permiscet circumstantias, ut non idem, sed diversum omnino factum narrare videatur. Is Floriaci studiorum ac disciplinæ causa diu commoratus, post reditum in patriam, id est Turingiam, interrogatus a Richardo Amerbacensi abbate, *quanam causa exsistat illius festivitatis, quæ apud Gallias præcipue celebratur in diebus dominici adventus sub nomine Illationis*; condidit ea de re libellum, in quo tradit, causam hujus sollemnitatis esse relationem corporis sancti Benedicti ex urbe Aurelianorum in Floriacense monasterium, post cladem eidem monasterio a Nortmannis illatam;

ANN. CHR. 878.

quos Gislolfus comes præda onustos, sancto Benedicto in somnis adhortante, insecutus, prope Andegavos demum post tridium assecutus sit, iisque fusis, prædam ex eorum manibus excusserit, contestatus, sibi in ipsa hora congressionis sanctum Benedictum equo suo insidentem, ejus frenum rexisse, ac scutum rotasse, seque in hoc prœlio cæli militiam opitulatricem persensisse. Subdit Diedericus, hac parta victoria, corpus sancti Benedicti ab ecclesia sancti Aniani, in qua per hanc tempestatem depositum fuerat, revectum fuisse ad Floriacense monasterium. qua in relatione Ligeris gelu concretus, soluta divinitus glacie, per adversas alvei aquas, nullo remige, facile iter naviculæ sacris onustæ reliquiis præbuerit, & cum ad portam, quæ Paschalis dicitur, pervenissent, ad earum adventum mense ipso Decembri, arbores in flores eruperint. Denique sacrum corpus eo die *in sancti Petri monasterio* seu oratorio repositum fuisse addit idem auctor, & sequenti anno ipsa die relatum *in proprium mausoleum in ecclesia beatæ Mariæ*, quæ jam *per biennium* suo patrono caruerat. Dein episcopos, qui rei gestæ interfuerant, statuisse, ut *quoniam relatio & illatio eodem die anno revoluto facta fuerant, annuatim deinceps eodem die, nimirum pridie nonas Decembris, per totam Galliam sollemniter celebraretur.* Hunc vero auctorem non admodum accuratum esse probat id, quod addit de Sigeberto, post hanc relationem in Gallias a Casinatibus, si superis placet, misso ad repetendum corpus sancti Benedicti, quod divinitus impeditum sit. ubi Sigebertum insigni nominis ac temporis errore sumit pro Carlomanno Pippini regis fratre, qui ante annos centum id tentaverat. Sunt & alia, quæ hujus scriptoris testimonium penitus elevarent, nisi ab aliis ejus temporis gravibus viris, Rodulfo Tortario in primis, & Petro venerabili abbate Cluniacensi, auctoritas ei accederet.

X. Ejus difficultates expositæ.

Quæ Diederici fidem infirmant, (neque enim ea dissimulare licet) hæc fere sunt. Primo silentium auctorum domesticorum eo superiorum, scilicet Adrevaldi, Adelerii, & Aimoïni, qui cum res ad sanctum Benedictum attinentes, & miracula per ipsum facta, unus post alium, data opera, usque ad annum millesimum scripserint, nullus tamen eorum mentionem facit ejusmodi illationis, duorumve miraculorum, quæ Diedericus commemorat. Deinde quod Girboldus comes apud Adelerium non alius videatur quam Gislolfus comes a Diederico memoratus, qui hortatu sancti Benedicti in somnis apparentis Nortmannos insecutus sit, fuderitque. Eædem enim apud utrumque singulares prœlii circumstantiæ, visum scilicet duci pugnanti sanctum Benedictum monastico habitu indutum, qui dimicantis equum manu duxerit. Ad hæc, siquidem corpus sancti Benedicti Aurelianos confugii causa deportandum erat, non in basilica sancti Aniani, quæ extra muros tunc exsistebat, reponendum fuisset, sed potius in ædicula sacra, quam Medo abbas intra muros in sancti Benedicti honorem longe ante condiderat. nam eo tum confugere soliti erant Floriacenses, teste [a] Adrevaldo.

a *Adrevald.* c. 21.

Jam vero miracula duo, quæ Diedericus in relatione sacri corporis facta commemorat, non omnino explorata videntur. nam præterquam quod a tribus illis auctoribus, qui sancti Benedicti miracula data opera scripsêre, non referuntur; miraculum de cymba, contra Ligeris undas absque ullo remige enatante, forte non aliud fuerit ab eo, quod Adrevaldus memorat in capite XIX. ubi Floriacensium navis, in portu fiscali a regiis retenta ministris, subito absque humano remige a portu emota, medium Ligerim, quo fortior vis aquæ decurrere solet, petiisse dicitur, ibique contra adversum fluvium enatando appulisse ad posterulam, quæ usque hodie sancti Benedicti vocatur.

Alia potior difficultas oritur ex tempore, quo hæc accidisse Diedericus tradit, nimirum post incendium ac direptionem Floriacensis monasterii per Nortmannos, & sexaginta amplius monachorum cædem ab eisdem factam. nam apud probos auctores unicum hujus cœnobii legitur incendium, per Nortmannos patratum anno ejus sæculi sexagesimo-quinto, ab Adrevaldo [b], annalista Bertiniano, aliisque memoratum: quo tempore sancti Benedicti corpus non Aurelianos delatum est, *sed hac & illac*, prout fugiendi necessitas impellebat; indeque absque pompa Floriacum revectum. Insuper hanc Floriaci cladem, quam Diedericus refert, Rollone Nortmannorum duce auctore, accidisse ait Floriacensis chronographus anonymus. Atqui tamen Rollo, vastata late Burgundia, *monasterium sancti Benedicti contaminare noluit, nec prædari illam provinciam propter sanctum Benedictum permisit*, ut Dudo sancti Quintini

b *Adrevald.* c. 34.

ANN. CHR. 875.

cti Quintini decanus [a] testatur, cui Willelmus [b] Gemeticensis totidem verbis suffragatur. Denique longe ante hoc tempus festum illud sancti Benedicti pridie nonas Decembris sollemne fuisse probat in primis Adrevaldus : utrum vero hæc dies sit translationis, an depositionis in basilica beatæ Mariæ, non ita perspicuum videtur. Nimirum corpus sancti Benedicti Floriacum e Casino allatum, primo quidem in oratorio sancti Petri repositum est ad tempus, dum ei magis congrua sedes in principe basilica sanctæ Mariæ pararetur. Rabanus in martyrologio adventum corporis sancti Benedicti Floriacum consignat pridie nonas Decembris : depositionem vero quam vocat v. idus Julii, quod sine dubio intelligit de depositione corporis apud Floriacum, non de obitu sancti Benedicti, quem XII. kalend. Aprilis reponit. Verum mihi præferenda videtur Notkeri sententia, qui translationem e castro Casino in Gallias collocat v. idus Julii. Atque adeo depositio corporis sacri pridie nonas Decembris facta est, quando scilicet illud sollemni ritu illatum est in cryptam, quæ in basilica sanctæ Mariæ præparata fuerat. Hinc *tumulationis* sancti Benedicti vocabulum sanctus Odo abbas tribuit huic festo, quod alii *depositionis* nomine designarunt. Hoc *sollemne festum sancti Benedicti* vocat Adrevaldus, *quod ex veteri consuetudine quotannis pridie nonarum Decembrium agitur*. & in chartario Patriciacensi [c] *missa sancti Benedicti, qua est in mense Decembrio*, appellatur. Antiquiorem illam festivitatem ignorasse videtur Diedericus ; eam vero, sub Illationis nomine institutam, non agnoverunt Adrevaldus & Adelerius, immo nec sanctus Odo, Aimoïnusve. Post Diedericum primus e Floriacensibus Rodulfus Tortarius, qui sub initia duodecimi sæculi historiam translationis corporis sancti Benedicti in Galliam metrice reddidit, in fine sui carminis hanc illationem celebrat his versibus, quos Petrus Venerabilis in hymno de sancto Benedicto elegantius reddidit.

[a] Dudo lib. 2.
[b] Willelm. lib. 2. c. 14.
[c] Perard chartis 24. 32 & 54.

Post tumulata pius qua gessit membra patronus,
Hac simul hac una congero paginula.
Adstrictus glacie Liger amnis tempore brumæ
Prabet iter sancto mobile legifero.
Imponunt navi sine remige membra magistri,
Oppositum flumen quo secat & glaciem.
Floret Floriacus, visu spectabile, vicus
Patris ad introitum: lux erat effugium.
Hinc sumsit nomen, cujus fuit ante vocamen
Aurea vallis, eo quod sit opimus humo.

Hanc nominis mutationem, non miraculo florum, sed divino præsagio tribuit Aimoïnus in libro secundo de miraculis sancti Benedicti. *Favorabili*, inquit, *superna dignationis præsagio hoc, in quo Deo auctore famulamur, cænobium, ut Floriacus vocaretur, accepit, qui priscis temporibus non dissimilis gratiæ prærogativa Vallis nominabatur aurea*. Probabilior sane Aimoïni sententia : quandoquidem locus iste Floriacus ante conditum monasterium dictus est.

XI. Diluuntur.

Has difficultates dissimulare non sivere historiæ leges : ad quas quid reponi possit, ne Diederico ac vetustæ traditioni fidem penitus abrogare videar, in præsens explicandum est. Et primo quidem ad silentium auctorum Diederico superiorum responderi potest, non omnia ab eis scripta esse, nec omnia eorum scripta ad nos pervenisse. Certe miracula, quæ Odonis abbatis tempore gesta sunt, *incognita manere*, & partim antiquitate, partim scriptorum negligentia, oblivioni tradita fuisse testatur Aimoïnus. quanto magis ea, quæ per turbulentissimas illas Nortmannorum tempestates facta sunt ? At unde hoc didicisset Diedericus, homo extraneus, fateor non video quo pacto explicari possit, nisi id ex amissis scriptionibus eum rescivisse dicamus. Ad tempus factæ illationis quod attinet, forsan corpus sancti Benedicti e Matriniacensi prædio Aurelianos relatum est, dum Floriacense monasterium instauraretur ; indeque postea Floriacum non sine miraculis reportatum, quibus cognitis, Rollonem, devastata alia vice Burgundia, Floriacensi monasterio, ob sancti Benedicti reverentiam parci voluisse. quæ sane religio hominis barbari & necdum christiani animo non nisi ob graves causas injecta fuisset. Ceterum, esto primaria alia fuerit instituendæ in mense Decembri festivitatis causa. quidni altera

secundaria ex miraculosa illa relatione accedere potuit? Cui rei argumento esse
ANN. CHR. 878. possit, quod ecclesia sancti Benedicti de reditu, ut vocant, quæ hodie quoque superest, in hujus facti memoriam condita traditur.

XII. Ejus tempus expenditur.

Superest alia difficultas de tempore, quo facta illatio dici potest. Id factum ait Diedericus eo anno, quo initium adventus Domini in kalendas Decembris incidebat. quod anno ejus sæculi octogesimo-tertio accidit, ac proinde regnantibus Ludovico & Carlomanno. Itaque Floriaci vastatio aliquanto tempore præcesserit necesse est, ut instaurando post illam cladem monasterio sufficiens esset intervallum. Chronographus tamen Floriacensis anonymus hanc cladem & illationem refert ad principatum Caroli Simplicis. Certe Carolus anno nongentesimo io monasterio Floriacensi versabatur, ut suo loco videbimus. quod his convenire potest, quæ Diedericus scribit de adventu regis Floriacum ad instaurationem monasterii: in quo solum *monasterium* seu oratorium sancti Petri ab incendio Normannico intactum fuisse dicitur. Parcat lector tam prolixæ digressioni: ad ordinem revertor.

XIII. Sancti Mauri translatio Saxiacum.

Sub idem tempus Fossatenses nostri, etsi tutum a Normannis præsidium in castro Bagaudarum habere videbantur, omnia tamen a barbaris intuta reputantes, pars in Burgundiam cum sancti Mauri corpore fugientes, in Saxiacense tandem monasterium accepti sunt ab Aureliano Lugdunensi archiepiscopo, qui eis ibidem litteris datis *perpetualiter manere* concessit, & liberam ibidem eligendi abbatis dedit facultatem. Fossatensium pars altera secessit in agrum Remensem, ubi aliquamdiu subsedit in prædio quodam ipsis olim collato, scilicet Floriaco, cujus prolixa mentio est in polyptycho Fossatensi, edito in appendice Capitularium. Rebus demum cum Rollone Normannorum duce compositis, Fossatenses in suum monasterium cum corpore sancti Mauri postliminio reversi sunt. quo tempore Dervenses monachi, qui cum reliquiis sancti Bercharii abbatis, aliorumque itidem in Burgundiam confugerant, a Rodulfo principe perhumane accepti, ad propria etiam redierunt. In litteris Ludovici Orbi, filii Bosonis Burgundiæ regis, invenio, sancti Teuderii monasterium [a] parochiæ Viennensis, agente Barnoino archiepiscopo, *Adalrico abbati monachisque quondam Dervensis cœnobii* ad regendum, Deoque serviendum commissum fuisse. quod ipse Ludovicus regia auctoritate confirmat, dato præcepto apud Lugdunum, anno DCCCXCVI. quod argumento est, Dervenses ad id tempus a monasterio suo abfuisse.

S. Bercharii in Burgundiа.

a Spicil. to. 12. p. 152.

S. Eparchii monasterium desolatum.

Per idem tempus Ecolismense sancti Eparchii cœnobium ab iisdem barbaris direptum, & in solitudinem redactum est, testante Ademaro monacho: ita ut nullus monachorum ibidem superfuerit, ob idque locus ille iterum ad canonicalem reverteretur statum, qui nuper illic suppressus fuerat.

XIV. Wlgarius monachus episcopo datus.

b Johan. ep. 138.

In epistolis Johannis papæ, hoc anno scriptis per indictionem undecimam, occurrunt præter superiores nonnullæ, quæ ad res nostras pertinent. Una [b] est ad Wlgarium incerti loci monachum, quem Wipertus episcopus *a proprio episcopo atque abbate per dimissoriam* acquisierat, prout pontifex ipse Trecis positus cognoverat. Hunc itaque prædicto episcopo restitui mandat, ut proprio pastori obedire posset, eumque pro ejus libito sequi jubet sub excommunicationis interminatione. Wipertus videtur episcopus esse Aquileiensis, de quo supra [c]. Altera epistola [d] est ad omnes fideles regni Gallicani, quibus præcipit, *ut de abbatia sancti Augentii* seu Augendi, quem alii Eugendum vocant, *quam diva memoria Carolus imperator fideli suo, & filio ecclesiæ nostræ*, ait pontifex, *ante jure beneficiario tribuit, nullus de ipsis rebus aliquid injuste auferre præsumat, nec prædicto episcopo & monachis ipsius loci aliquam in distrahendo illicite inferre molestiam.* Qui secus faxit, a communione fidelium separetur; si pertinax fuerit, anathematis vinculo feriendus. Tertia denique epistola [e] est ad Odonem Bellovacensem episcopum, in qua pontifex scribit, se *relatu quorumdam monachorum sancti Dionysii cœnobii*, qui Romam profecti erant, didicisse, *quod, quibusdam pueris impuberi ætate inter se rixantibus, hominum illorum instigatione unus ex illis est interemtus.* quos nihilo minus post peractam pœnitentiam ordinari posse docet. His addere licet quartam epistolam, nondum editam, sed mutilam ad Mainum seu Mahenum Dolensem, ceterosque Britanniæ episcopos pro quibusdam monachis, Romam ad apostolorum corpora visitanda profectis, qui per ignorantiam ab Heclocaro abbate temere, forte subdiaconatus ordine, insigniti fuerant. His non debere officere, quod nullo dolo malo, sed tan-

c lib. 37 n. 100.

Johannis papæ epistola de S. Eugendo.

d Id. ep. 143.

S. Dionysii monachi Romæ.

e Id. ep. 146.

Ordinatio per abbatem.

ANN. CHR. 878.

tum imprudenter ordinati fuerant, declarat pontifex: sed abbatem ab illicita deinceps ordinatione abstinere præcipit, donec censuræ nodis sit absolutus. De cetero monachos illos, ex quibus unus Resgallnn, alter Corvilus vocabatur, in suum monasterium se recipere præcipit pontifex, ubi regulam suam observare curent. Hanc epistolam, utpote mutilam, in appendicem rejicere visum est. Idem pontifex privilegium concessit *Grinferio religioso abbati ex monasterio sancti Salvatoris in Karrof,* eujus bona omnia & possessiones confirmat, vetatque, ut ne quis ex regibus, sacerdotibus, vel comitibus quidquam *de commoditate spiritualis aut temporalis obsequii* detrahat; neve episcopus, nisi invitatus eo accedat; neque ullus mortuo abbate ibidem ordinetur, *nisi quem conventus monachorum pro institutione regule sancti Benedicti elegerint. Scriptum per manum Georgii scriniarii sancta Romana ecclesia, Septembrio mense, indictione* XII. a kalendis ejus mensis inchoata. *Datum* V. *kalendas Octobris per manum Walperti humillimi episcopi sancta Portuensis ecclesia, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Johannis summi pontificis & universalis papa in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione duodecima.*

XV. Carrofense privilegium.

Ad hunc annum pervenit Gausmarus venerabilis abbas Bonævallensis monasterii in agro Carnutensi, is, cui Lambertus Castriduni comes locum in illo opido ad refugium concessisse traditur Ludovici Balbi anno primo. Ablaro ex hac luce *bona memoria Gausmaro abbate*, ait ejus loci chronographus, venerabilis Ingelarius ab omni congregatione subrogatur. Hinc allucinatum ostendimus [a] prædictum chronographum, ubi sanctorum martyrum Florentini & Hilarii reliquiarum translationem ad Bonam-vallem sub Ingelario abbate factam dicit. De Ingelarii abbatis proximis successoribus silet chronographus, obiter agens de Ingelramno abbate, cujus tempore quidam miles, Menelaus nomine, alodum quemdam sanctis martyribus donasse memoratur. Hoc monasterium instauravit Odo comes, eique Waldricum abbatem præfecit regnante Lothario.

XVI. Bonævallenses abbates.

a *Lib.* 14. n. 36.

Eadem tempestate in parochia Helenensi Exalatense sancti Andreæ monasterium, quod ante annos septem conditum erat, ex inundatione fluvii Tetis eversum est, eaque occasio fuit condendi cœnobii Cuxanensis. quod ipsis Stephani Baluzii verbis hic exponere visum est, scilicet ex Marcæ Hispanicæ libro quarto. Ea tempestate, inquit vir clarissimus, experti sunt, si umquam alias, incolæ vallis Confluentinæ, vera esse quæ de Teti fluvio prodidit Mela, parvum flumen, ubi accrevit, esse persævum. Circa annum enim DCCCLXXVIII. adeo intumuit, ut non solum se ipse non caperet, sed etiam cunctam submergeret atque vastaret regionem. Unde vetera temporum illorum acta hanc Tetis exundationem vocare solent diluvium; & monachi Exalatenses, qui ei superstites fuere, ex naufragio se evasisse profitentur. Tum ergo destructum est monasterium Exalatense; plerique monachi submersi cum hominibus monasterii; chartæ delavatæ & perditæ *naufragio perierunt simul una hora cum ipso* monasterio. Quoniam vero, ut eleganter olim dixit Phædrus, nemo libenter recolit qui læsit locum, timendumque erat, ne, quod semel evenerat, accideret iterum; monachi superstites decreverunt se suaque in alium locum transferre, elegeruntque propterea villam Cuxanum. Reperio autem consilium illud captum fuisse anno DCCCLXXVIII. ac mox exsecutionem secutam. Insigne est testamentum Protasii abbatis tum conditum, in quo ait, se Mironis comitis Ruscinonensis servum esse secundum Deum & secundum sæculum; rogat eum, ut quandocumque ipse ex rebus humanis excesserit, protectionem suscipiat monasterii Cuxanensis, eique præficiat dignum & pium abbatem, *ne* monachi fiant *errati, sicut oves sine pastore.* Rogat eum præterea, uti det operam, ne peccatum regnet in eodem monasterio; & inter gravia furti, adulterii, & homicidii scelera numerat, si monachi carnes comedant, aut peculiare habeant. Habebat autem jam tum Protasius sub se quinquaginta monachos & viginti famulos, quingentas oves, centum animalia, quinquaginta jumenta, porcos quadraginta, caballos duos, asinos quinque, boves viginti, libros perfectos triginta, præter supellectilem ecclesiasticam & monachalem. Hæc sunt initia & primordia monasterii Cuxanensis. Hactenus vir eruditus, qui Protasii abbatis testamentum in appendice [b] edidit cum aliis [c] chartis, quæ pertinent ad reparationem monasterii Exalatensis in loco Coxano seu Cuxano, ubi cœnobium primitus sub titulo sancti Germani episcopi Autisiodorensis, dein sancti Michaëlis ædificatum: in quo non vitia prædicta regnare cupit Protasius, sed

XVII. Exalatensi cœnobio everso, conditum Cuxanense.

b *Marca Hisp.* col. 803.
c *ibid.* col. 804. *& seqq.*

ANN. CHR. 878.

usum orandi, & jejunandi, & laborandi, sicut docet regula profutura. Instrumentis Exalatensis monasterii amissis, facta est rerum ejus ac possessionum recognitio ab idoneis personis, maxime ab iis, a quibus datæ aut venditæ fuerant, vel a testibus donationum aut venditionum. Ex his porro instrumentis colligitur series Exalatensium abbatum, quorum primus fuit Witiza, secundus Miro, tertius Baro, quartus Protasius, sub quo Exalatensis monasterii ruina, & reparatio in loco Coxano vallis itidem Confluentinæ facta est.

XVIII. Syracusis magna strages & cædes.

a Roccus notit. 2 ecclesia Syrac. p. 144.

In Sicilia Syracusæ post diutinam obsidionem a Sarracenis captæ; in eaque urbe ingens strages facta, ac multa cædes promiscui sexus, adeoque clericorum ac monachorum: ex quibus plures ordinis sancti Benedicti ob christianam fidem necatos fuisse Roccus Pirrus [a] colligit ex epistola Theodosii monachi ad Leonem archidiaconum, in qua illius urbis expugnationem atque cladem lugubri modo græce descripsit. Hanc latinitate donatam edidit Pirrus, in qua hæc de illa carnificina leguntur. *Primum iis, qui ad Servatoris ædis vestibulum contra eos aciem instruebant, ad unum trucidatis, magno impulsu valvas aperiunt, templumque subeunt strictis ensibus, crebro anhelitu ignem naribus, oculisque spirantes. Tum vero omnis ætas eodem temporis momento corruet; principes & omnes judices terræ, quod in psalmis canere solemus, juvenes & virgines, senes cum junioribus; monasticen professi, tum matrimonio copulati; sacerdotes & populus, servus & liber, quique in lectis jam multo tempore valetudinarie decumbebant. Nam ne his quidem pareere, Deus bone! carnifices illi audierunt.* Hæc aliaque longe plura, tum de miseriis obsessorum, tum de cæde ac clade expugnatorum scribit Theodosius, monachus haud dubie græcus, qui & ipse cum Sophronio Syracusano antistite captus & in carcerem conjectus, divina tandem providentia liber evasit. Ea tempestate eversa Syracusis monasteria, quorum unus Gregorius Magnus illic olim condiderat, venitque civitas cum reliqua Sicilia in potestatem Sarracenorum, qui in illa urbe usque ad annum Christi millesimum octogesimum-quintum dominati sunt.

ANN. CHR. 879.

XIX. S. Dionysio facta donatio ab Aletramno comite.

* Foron. * Mastrich. * Glare. b Doublet. p. 782. * Rubais. * Autrepe. c Diplom. p. 410. & seq.

CUm Furonis * prope Trajectum * ad Mosam conventum Balbus, ipsiusque cognatus Ludovicus Germaniæ rex ad kalendas Novembres habuissent, in eoque capitula pacifica edidissent; hic ad sua rediit, Balbus vero per Arduennam villam Longlarium * prope Andaginense sancti Hucberti monasterium venit, ibidemque nativitatem Domini celebravit. Dein aliquamdiu in Arduenna demoratus, circa purificationem sanctæ Mariæ Pontigonem accessit. In *Vriau fisco* residebat kalendis Januarii, cum Aletramno comiti [b] carissimo villas quasdam pagi Laudunensis donavit, id est *villam, quæ vocatur Resbaces *, super fluvium Resbacis* sitam, cum ecclesia sancti Martini; & Altrepiam * cum una ecclesia *super fluvium Eseram* seu Isaram. *Datum kalendis Jannaris, indictione* XII. *anno secundo domni HLudowici gloriosissimi regis. Actum Vrian fisco in Dei nomine feliciter.* sic restituta a nobis [c] ex authentico hujus præcepti clausula, quod Wigbaldus notarius ad vicem Gozleni recognovit. *Vriau* fiscus non multum aberat ab Arduenna silva, ubi tunc Balbus per id tempus demorabatur, ut mox diximus. Non multo post Aletramnus comes, qui se HLudowici propinquum [d] dicit, easdem villas sancti Dionysii monasterio contulit, scilicet kalendis Maii insequentis, anno secundo ipsius Ludovici, easque de manu comitis accepit Deodatus monachus, qui in aliis litteris *archicustos* [e] *ecclesiæ sancti Dionysii* dicitur. Duplex est itaque Resbacis locus, duplexque amnis cognominis: unus in Laudunensi pago prope Capellam opidum, hactenus prædium ecclesiæ Dionysianæ: alter * in Meldensi, ubi haud incelebre nostri Ordinis monasterium est, de quo sæpe jam disseruimus.

d Doublet. p. 783.

e id. p 786.

* Rebais.

XX. Ludovici Balbi obitus.

Pontigone Ludovicus Augustodunum versus ad comprimendos seditionum motus Trecas usque progressus, morbo ingravescente, quem ex veneni haustu contraxisse credebatur, longius ire non valuit. Quam ob rem, æquivoco filio suo Ludovico *bajulationi* seu tutelæ Bernardi comitis Arvernici commisso, Hugonem abbatem & Bosonem cum prædicto Bernardo & filio suo, necnon Theodericum cum suis sociis Augustodunum misit, ut ejus urbis comitatum, eidem Theoderico jam datum, vindicarent. His ita dispositis, Ludovicus Trecis cum magna difficultate *per fodrum monasterium* Meldensis pagi Compendium venit, tum mortis imminentis haud dubius, per homines fidos, Odonem Bellovacensem episcopum & Albuinum

ANN. CHR. 879.

comitem, coronam, ensem, ac reliquum ornatum regium ad Ludovicum filium misit, iis, qui cum illo erant, præcipiens, ut eum regem sacrari ac coronari curarent. Ipse vero non ita multo post, scilicet IV. idus Aprilis, die parasceves sub vesperam vita functus, crastino in ecclesia sanctæ Mariæ, quam pater ejus magnifice exstruxerat, sepultus est. Hic, referente [a] Aimoino, *Nihil-fecisse prænomem sortitus est, sive quod vix duobas annis*, immo vix octodecim mensibus, *regno potitus nihil strenue gessit: sive quod sanctimonialem quamdam, sicuti a majoribus accepimus, Kala monasterio puellarum abstractam, conjugio copalans suo, peccatum, quod nihil esse cognoscitur, perpetravit.* Frigida sane ratiuncula, quam tamen alii [b] auctores afferre non dubitarunt. Nondum ergo Ludovicus Balbi cognomen obtinuerat, quod posteri ipsi affinxerunt. Quod scribit Aimoïnus, aliique post eum, de sanctimoniali Calensi ab eo rapta & thoro sociata, non legitur apud vetustiores auctores, annalistas scilicet Bertinianum, Mettensem, aliosque ejus temporis æquales. Neque porro hæc videtur esse sive Ansgardis Harduini comitis filia, soror vero Odonis, quam jussu patris repudiavit: sive Adeleidis soror Wlfardi Flaviniacensis abbatis, quam Caroli Simplicis fetu gravidam reliquit. Qui eum Balbi cognomine viventem donaverit, invenio neminem. Post ejus mortem Abbo Pratensis monachus [c] absolute Balbum vocat.

XXI. Quæ inde consecuta.

Balbi mortem variæ rerum agitationes domi forisque subsecutæ. Hinc Odo episcopus & Albuinus comes regiis insignibus, quæ novo regi deferenda acceperant, Theoderico camerario consignatis, statim reditum maturarunt. Qui vero cum filio regis erant, Meldas conventum indixerunt ad consilia in rem præsentem capienda. Porro inter Bosonem & Theodericum, agente Hugone abbate, convenit, ut Boso Augustodunensem comitatum haberet; Theodericus vero abbatias, quas ille in iisdem partibus babebat, in commutationem acciperet. At Gozlenus abbas, memor injuriarum & insidiarum, quas ab æmulis passus erat, (quod maxime patuit in concilio Trecensi, cum Dionysianam abbatiam ipsi auferre moliti sunt,) confisus familiaritate, quam cum Ludovico Germaniæ rege, ejusque conjuge, & cum primoribus ejus regni, dum post Andernacensem pugnam apud eos captivus fuit, contraxerat; præclaram ulciscendæ injuriæ opportunitatem se habiturum ratus, ad eum confugere, ipsumque ad invadendum Franciæ regnum instigare constituit. quod ut melius succederet, adjuncto sibi Chuonrado Parisiorum comite, quem inani præcellentis potestatis spe delusit, aliisque similibus, conventum agere ante Meldensem properavit prope Credilium * opidum Bellovacorum, eo in loco, ubi Thara in Isaram influit, eoque, quotquot potuit, episcopos, abbates atque optimates convocavit, specie ut de regni pace utilitare tractarent; re vero, ut Ludovicum Germaniæ regem ad occupandum regnum invitarent, ejusque largitione honores ac dignitates obtinerent. Huc forte referendæ sunt Hincmari ad Gozlinum epistolæ, quarum summam superius [d] retulimus. Eorum itaque invitatu Ludovicus usque ad urbem Virdunum, ubi illi obviam venere, cum exercitu accessit, & trajecta Mosa regni fines invasit, tantis malis in itinere perpetratis, ut paganorum male-facta vicisse videretur. His acceptis, Hugo abbas, atque Boso & Theodericus, eorumque socii legatos ad Ludovicum mittunt, eique partem Lotharii regni, quam Carolus contra fratrem suum Ludovicum, ipsius Ludovici patrem, acceperat, *cum abbatia sancti Vedasti ad locarium* seu usum-fructum promittunt, modo ut, relicto Balbi filiis hereditario regno, in suum ipse reverteretur. Hac conditione accepta, Ludovicus Francofurtum recessit, ac cum dedecore Gozlenum, Chuonradum, eorumque socios rejecit. Hi vero ad reginam confugientes, quæ oblatæ conditionis sorte haud contenta erat, rumorem in vulgus sparsere, Ludovicum quam primum cum novis copiis ad Franciam occupandam reversurum. quod veriti Hugo abbas, ceterique primores, ad *Ferrarias* [e] *monasterium* cum episcopis convenerunt, ibique Ludovicum & Carolomannum ab Ansegiso Senonum archiepiscopo reges *consecrari & coronari* fecerunt. Id tamen nullo præsente metropolitano factum ait Ivo [f] episcopus Carnutensis, ubi solius Ludovici & uxoris ejus meminit. Verum Carolomannus ipse post annos tres, cum, mortuo fratre, denuo coronatus est Carisiaci, meminit scripti, quod *in Ferrariarum monasterio coram altare sancti Petri* tunc *perdonavit*, se scilicet unicuique episcoporum & ecclesiis eis commissis *canonicum privilegium, & debitam legem atque justitiam* conservaturum, & defensionem ex-

a Aimoin. lib. 2. de mirac. S. Bened. c. 1.

b Chesn. to. 2. p. 630.

c Abbo lib. 1. de obsid. Paris.

* Creil.

d lib. 37. num. 23.

e Annal. Bertin.

f Ivo ep. 189.

ANN. CHR. 879.

hibiturum. Facta pactione, Ludovicus Germaniæ rex, cum domum reverteretur, obviam habuit Nortmannorum innumeram multitudinem *juxta Carbonariam, in loco, qui dicitur Thimum*, cum ingenti præda classem repetentem. Hos adortus, maximam eorum partem prostravit: reliqui fuga dilapsi in prædicto fisco regio se communiunt: ubi Hugo, regis ex pellice filius, graviter vulneratus, patre inscio, ab hostibus rapitur, quorum in manibus animam exhalavit, sepultus in monasterio Laureshamensi. Locum pugnæ Thuinum opidum ad Sabim esse quidam viri docti existimant. at *Thimum* legitur in chronico Saxonico optimæ notæ, nondum edito, & forte is locus est Thinus * in pago Regitestensi, monasterio quondam insignis, a quo cognomen hactenus retinet. nam eo usque Carbonaria silva protendebatur.

* *Thin-le-moustier.*

XXII. Bosonis regis Provinciæ coronatio.

Inter ea Boso, instigante uxore sua Hermengarde, Ludovici imperatoris filia, quæ se vivere nolle aïebat, si, filia cum esset imperatoris, olimque Græciæ imperatori desponsata, maritum regem non faceret; episcopis Provinciæ, partim minis, partim promissis de abbatiis & villis eis dandis, constrictis persuasit, ut se regem coronarent. quod Mantalæ * prope Viennam hoc anno factum est idibus Octobris. Vix regnum inierat, cum privilegia Æduensis ecclesiæ confirmavit VI. idus Novembris, dato diplomate [a] Lugduni, quod Elibertus cancellarius ad vicem Aureliani archiepiscopi recognovit. Paullo post aliud præceptum rogatu Siwaldi comitis indulsit Carilocensi pagi Matiscensis monasterio, cui abbatiolam sancti Martini concessit. *Datum* IV. *nonas Decembris, indictione* XII. *anno primo regni domni Bosonis. Actum Karsloco monasterio.* quod præceptum Stephanus notarius ad vicem Adalgarii recognovit. Adalgarius non alius videtur, quam ejus nominis Æduensis episcopus, qui prædictum ecclesiæ suæ privilegium a Bosone obtinuit. Porro Stephanus cancellarius erat anno sequenti, quo idem Boso ad preces Ottranni archiepiscopi ecclesiæ Viennensi restituit [b] abbatiam sancti Andreæ inferiorem, quam eidem ecclesiæ injuste abstractam fuisse dicit. Ad hæc idem rex privilegia [c] ecclesiæ Arelatensis, ad preces Rostagni archiepiscopi, confirmavit, eidemque asseruit Crudatense monasterium in comitatu Vivariensi ad Rhodanum situm, quod antecessores reges, Lotharius augustus & filius ejus æquivocus, Rotlando archiepiscopo contulerant, eo pacto, *ut præsens rector ejusdem monasterii, ejusque successores, cuncti insuper monachi, amodo ibidem militaturi, cum omnibus rebus ac familiis, sub tuitione consistant Rostagni præsulis Arelatensis, universorumque sequacium ejus in eadem sede sancta.*

* *Mantalo.*

Diploma pro Cariloco & de Cruda.

a *Capitul.* to. 2. col. 1506.

b *ibid* c. 1507.

c *Gall. chr.* to. 1. p. 45.

XXIII. Nemausense monasterium ab episcopo vexatum.

Hoc ipso anno Johannes papa Rostagno [d] Arelatensi, Sigibodo Narbonensi, & Rotberto Aquensi archiepiscopis scribit, se veracium hominum relatione didicisse, Gibertum Nemausensem episcopum invasisse quoddam monasterium, quod pontifex super eum acquisierat, resque omnes ejus monasterii per suos homines diripuisse, & illius monachos contra sacras regulas inde expulisse. Quapropter eos
„ monet, ut episcopum ab hac invasione compescant; &, siquidem contumax fuis-
„ set, a ministerio episcopali excommunicando suspendant. *Data* XVIII. *kalendas Ju-*
„ *lias, indictione* XII. Duo erant tunc monasteria nostri Ordinis in parochia Nemausensi, nempe sancti Ægidii in valle Flaviana, & Psalmodiense, de quo hæc epistola videtur intelligenda, utpote sedi apostolicæ proxime subjecto.

d *Johan.* ep. 191.

XXIV. Pultariense item a vicinis.

Eodem tempore Pultariense monasterium pagi Lingonensis multas calamitates ab iniquis hominibus patiebatur. qua de re monachi sedis apostolicæ, cui a Gerardo conditore speciatim commissi fuerant, opem implorarunt. Litteris eorum acceptis, Johannes pontifex epistolam [e] rescripsit *sanctæ congregationi summi apostolorum principis Petri cœnobii nostri Pultariensis*, aitque se eorum calamitatibus condolere, & apostolicas hac de re litteras, prout ipsi petierant, Bosoni glorioso principi, & Hugoni nobilissimo abbati direxisse, quibus eos rogabat, ut defensionis auxilium contra eorum adversarios impendant; insuper exemplar testamenti, quo Gerardus bonæ memoriæ comes una cum Berta conjuge quondam sua, res omnes ejus monasterii beatis Petro & Paulo tradiderat, bulla nominis sui munitum mittere Ansegiso archiepiscopo Senonensi, & Conrado comiti, cujus in comitatu ipsæ res continebantur. Eo usque processit illa vexatio, ut *neque arare, neque cetera, quæ ad terræ culturam pertinent, exercere* valeret familia Pultariensis, ut scribit pontifex in epistola [f] sequente ad Hugonem abbatem. Ejusdem monasterii villam

e *id.* ep. 210.

f *id.* ep. 211.

ANN. CHR. 879.

Vendoaram invaserat quidam Arembertus, quasi a Bosone comite ex commutatione acquisitam, eidemque Aremberto ab ipso Bosone traditam. qua de re idem pontifex litteras [a] scripsit ad Hugonem & Radulfum, itemque ad Bosonem comitem, necdum regem coronatum, quem monet, ut Arembertum & quosvis alios ab ejus villæ invasione removeat, eamque Pultariensibus restituat, & monasterium ipsum tueatur.

[a] *id. ep.* 212. & 213.

XXV. Franco abbas Laubiensis.

Post Carolomannum Calvi filium Laubiensem abbatiam Ludovici Balbi principatu obtinuisse dicitur Franco, vir *multæ nobilitatis, & palatinis studiis instructus*, qui plurima eidem monasterio acquisivit. Sunt qui monasterium Antonium dictum, " inquit Folcuinus in chronico, tunc puellarum, nunc autem canonicorum, ejus " tempore Laubiis acquisitum dicant; alii restitutum malunt. Is factus demum Leo- " dicensis episcopus hanc abbatiam *ad opus ecclesiæ Leodicensis*, consentientibus fratribus, impetravit, eo pacto, *ut medietas abbatiæ fratribus ibi regulariter militantibus in usu communi deserviret: aliam episcopus sibi militantibus mancipare*t; & ut *decimæ omnes indominicata* ad portam monasterii in usus pauperum & peregrinorum cederent, fieretque x. kalendas Octobris anniversarius dies Carlomanni regis, patris Arnulfi regis, qui Arnulfus hanc abbatiam Tungrensi & Leodicensi ecclesiæ attribuit, prout Harbertus abbas eam olim tenuerat. Hujus rei diploma apud Miræum [b] habes, datum anno ejus sæculi octogesimo-octavo.

[b] *Miræi notit.* p. 76.

XXVI. S. Zenoni donatio facta a Carolomanno.

Exstat apud Ughellum præceptum [c] Carolomanni regis interpolatum, perperam seniori Carolomanno Pippini regis filio tributum, quo rex curtem suam Disentianum, juxta ripam laci positam, Veronensi sancti Zenonis monasterio cum universis appendicibus confert, Deodato tunc ejus loci abbate. *Data pridie nonas Octobris, anno tertio regni Karlomanni serenissimi regis in Bajoaria, & in Italia quinto, indictione* XII. *Actum in claustro sancti Zenonis*, quod in contextu diplomatis extra civitatem Veronam ad ripam Athesis situm dicitur. Mandavinus notarius ad vicem Theotmari hoc præceptum recognovit.

[c] *Ital. sac.* to. 5 *col.* 290. & *seqq.*

XXVII. Liutfredus comes arguitur ob susceptam monialem.

Inter epistolas Johannis papæ VIII. una [d] legitur ad Antonium Brixiensem episcopum & Berengarium comitem, in qua pontifex ait, sibi a Carolomanno rege Italiæ curam commissam, quæ jam pastorali ejus sollicitudini obnoxia erat; ob idque se ferre non posse, quod Liutfredus comes quamdam sanctimonialem, Gerlindam nomine, e Placentino monasterio fuga lapsam, exceperit, & post suam admonitionem apud se retinuerit. Proinde Antonio & Berengario mandat, ut eam a comitis " domo abstrahant, & in proprium reducant monasterium, haud dubie sancti Sixti, " quod Angilberga augusta condiderat. Ejusdem augustæ facultates diripuerat idem comes, quas ei restitui pontifex jubet. Hoc Placentiæ monasterium Gisulfi abbatis curæ idem Johannes committit, scripta [e] ad eum epistola, cujus hæc verba sunt. *Auctoritate sanctæ sedis apostolicæ tuæ reverentiæ committimus, ut curam perspicuam & sollicitudinem habeas monasterii dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ augustæ, siti in civitate Placentia, sicut idoneus Christi minister & gregis dominici provisor eximius: quatenus, secundum regulam sancti Benedicti, jure abbatis quæ ordinanda vel disponenda sunt, disponas & ordines; & quæ corrigenda perspexeris, subtili dumtaxat indagatione, ut Domino placeas, ex nostra auctoritate corrigere procures. Data indictione* XII. Monasterium sanctæ Christinæ, cui Gisulfus abbas præsidebat, situm erat in ducatu [f] Mediolanensi ad Olenam fluvium, sexdecim circiter millibus passuum Mediolano distans, occidentem æstivum versus, modo unitum collegio Germanico urbis Romæ ab anno sexti-decimi sæculi octogesimo-primo per Gregorium XIII.

[d] *Johan. epist.* 257.

[e] *id. ep.* 259.

S. Christinæ monasterium.

[f] *Luben p.* 99. & *seqq.*

ANN. CHR. 880.

XXVIII. Concordia regum, ac regni divisio.

Ineunte anno octingentesimo octogesimo Ludovicus Germaniæ rex, una cum uxore sua regni prolatandi avida, instinctu Gozleni abbatis & Chuonradi comitis, ab Aquis palatio Duziacum, indeque Attiniacum, dein Ercuriacum * ad Axonam, demum usque ad Ribodimontem, pagi Laudunensis opidum ad Isaram, pervenerunt. Verum ubi spes suas parum succedere, Francis in officio persistentibus, intellexêre; redintegrata cum Balbi filiis amicitia, & condicto ad sequentem Junium apud Gundulfi-villam conventu, ad propria reversi sunt. At Balbi filii Ambianis convenientes, paternum inter se se regnum diviserunt. Ludovico Francia & Neustria; Carolomanno, quem natu-majorem fuisse Regino perperam dicit, Burgundia & Aquitania obtigit. Junio placitum in Gundulfi-villa, ut condictum fuerat,

* *Ercy.*

ANN. CHR. 880.

habitum : cui Carolus vice Ludovici fratris, qui ob morbum adesse non potuit, a Longobardia reversus interfuit. Illic firmatum cum regibus fœdus. Balbi filiis suppeditatæ a Ludovico copiæ ad reprimendos rebelles. Carolus ipse iisdem contra Bosonem, qui Provinciæ regnum instituerat, opem tulit.

XXIX. Carolomanno rege mortuo, Carolus fit imperator.

Interim Carolomannus Bajoariæ rex ex paralysi in villa Ottinga interiit VII. nonas Aprilis, secundum annalistam Mettensem, & chronographum Saxonicum, ubi mendum in VII. nonas irrepsit: at secundum Hermannum & annales Fuldenses XI. kalendas Aprilis. Hoc nuntio accepto, Carolus, relicta Viennæ obsidione, qua Boso cum uxore se incluserat, imperii Romani cupidine ardens in Italiam advolat, tum Romam cum Walperto Aquileiensi patriarcha progressus, summoque studio a Johanne pontifice populoque Romano exceptus, ut sibi insignia augustalia traderentur, facile impetravit, imperiali corona in natali Domini donatus, quo die Calvus eodem honore ante annos quinque ab eodem pontifice affectus fuerat. Hic est Carolus, cui cognomen Crasso postea inditum : qui, mortuo post annos quatuor Carolomanno rege propinquo suo, imperio Francicum regnum adjunxit, quod ad breve tempus & parum feliciter administravit. Ludovicus Germaniæ rex Bajoariæ regnum, quod frater ejus Carolomannus, nulla legitima prole suscepta, vacuum reliquerat, occupavit, & Catantanum Arnulfo ejus notho concessit.

XXX. Normannorum facinora in Belgio.

Per id tempus Normanni cædibus, incendiis, ac vastationibus solito more debacchantes, *in Gandavo monasterio*, scilicet Blandiniensi sancti Petri, sedem sibi ad hiemandum statuunt. Inde Tornacum, & omnia supra Scaldim monasteria ferro & igni devastant, interfectis accolis, aut in captivitatem abductis. Dein, mutato consilio, Cortriaci ad biberna se muniunt. quo ex loco proximos Menapios & Suenos sibi infestos usque ad internecionem delere pergunt. Eos tunc usque ad Peronam Scottorum venisse, eamque igni succendisse tradit anonymus auctor sermonis de tumulatione sancti Quintini martyris. Verum id potius ad annum insequentem referendum est.

XXXI. Angilbertus abbas Corbeiæ librum regi offert.

Hoc item anno vel proximo Angilbertus seu Engilbertus, Corbeiæ veteris abbas, codicem sancti Augustini de Doctrina christiana, suo jussu scriptum, Ludovico regi, Carolomanni fratri dono obtulit, præmissis[a] versibus, in quibus summam quatuor librorum exposuit. tum subdit.

[a] Analect. tom. 4. p 657.

Hunc abbas humilis jussit fabricare libellum
Angilbertus enim vilis & exiguus :
Quem daret ille pio, celesti numine fulto,
HLodoico regi, qui est pius atque humilis.
Qui sancta Sophia certat rimare secreta,
N.bila ingenio, nocte dieque simul.
Quique etiam domini ac fratris praclarus amator
Ingenti dictu permanet ore pio.
Quem Deus omnipotens multos feliciter annos
Glorificet, servet, diligat, ornet, amet.

In fine codicis alios versus addit, in quibus ejusdem *Chloduici regis* meminit, cujus *conjugium, prolem, cunctosque fidel.s* Deo commendat. Hi versus saltem valent ad definiendum tempus præfecturæ Angilberti, qui Trasaro in antiquis & recentioribus indicibus præpositus est, ut superius[b] vidimus.

[b] V. lib. 37. n. 75.

XXXII. Enziacum S. Martino Æduensi datum.

Apud Æduos suburbanum sancti Martini cœnobium cum regeret Arnulfus abbas superius laudatus, Letbaldus seu Leobaudus, vir locuples ac nobilis, cum uxore sua Altasia, accessit ad idem monasterium, eique possessionem suam in loco, qui Enziacus * dicitur, donavit. Illic cella non multo post condita, cujus præpositus fuit sanctus Hugo, ejusdem abbatiæ monachus, de quo mox agemus. Exstat hic locus in parochia Æduensi haud procul a Ligeri & parthenone Marciniacensi. Idem sine dubio Leobaldus est, qui chartæ[c] cujusdam Winiterii subscripsit *Augustiduno civitate*, mense primo post obitum Odonis regis. In necrologio sancti Martini notatur idibus Septembris *Letbaldus*; & kalendis Januarii *Artasia*. Letbaldi epitaphium in sacrario visitur in hunc modum.

* Anzy le Duc.

[c] Perard p 37.

Mausoleo

ANN. CHR. 880.

Mausoleo comptus tegitur de more sub isto
Letbaldus, quondam nobilis atque probus.
Scandit ad astra die, Christi qua crux veneranda
Exaltata fuit.

Letbaldi tumulo adhæret alius Bernardi cujusdam viri prænobilis cum mutilo epitaphio, ex quo hæc excerpsimus: *In hoc specu Bernardi cineres continentur. Genus eximium a proavis, natale decus meritis. . . nctus in orbe sacer, nonis Octobris juvenis migravit, voto monachus*, forte monastico habitu in extremis, ut tum fiebat, suscepto. In necrologio Martiniano nudum Bernardi nomen ad prædictum diem legitur.

XXXIII. Hugo Arnulfi abbatis adjutor, vir sanctus.

Arnulfi abbatis veluti coadjutor ac consolator præ ceteris erat Hugo religiosissimus asceta, qui una cum Oddone ac Johanne piissimis monachis & quindecim aliis, e Pictavensi sancti Savini monasterio, a Badilone illustri comite accitus fuerat ad restituendam in sancti Martini cœnobio regularem disciplinam. Hugonis hortatu ac monitis Badilo comes non modo in melius mores reformavit, sed etiam vitæ monasticæ nomen dedit in ipso monasterio, cujus instaurator erat. Huic erat æquivocus nepos optimæ indolis, quem etiam a secularibus abstrahens negotiis, in eodem loco divinæ secum servituti mancipavit. Nec minus quidem & ipse Badilo junior in cultu divino strenue ac pie se gessit. Talium exemplorum fama late propagata, multi nugis ac pompis seculi nuntium remittentes istuc se receperunt, quibus instituendis Hugo, tamquam dux & magister, factis amplius quam verbis prælucebat. Ita crescente hujus loci sanctitate ac celebritate, crevit etiam res familiaris, multæque possessiones, quæ primitus eidem loco datæ fuerant, sed a posteris ablatæ, citra & ultra Ararim & Ligerim monasterio restitutæ sunt.

Badilo comes fit monachus cum nepote.

XXXIV. Oddonis monachi sanctitas.

Erat in sacro illo cœtu domnus Oddo sanctitate præcipuus, Hugonis amicissimus, & cum illo e sancti Savini asceterio eductus, cujus sanctitatem Deus peculiari signo declaravit. Hic, expletis nocturnis vigiliis, cum in oratorio, uti sanctus Benedictus permittit, peculiaris orationis gratia remoraretur, & cum pro suis, tum pro aliorum peccatis Deum profusis lacrymis pro more suo exoraret; contigit una die, ut ante Salvatoris imaginem cruci affixam in medio basilicæ, expansis manibus Deum exorans, visus sit a quibusdam fratribus in sublime raptus unius horæ spatio, eidemque ipsa Salvatoris effigies visa caput inclinare. Hujus rei spectator fuit abbas ipse cum aliis fratribus, qui deinceps Oddonem plurimum venerati sunt, quem antea, ut vanæ gloriolæ ob privatas illas orationes sectatorem, vituperabant. Multis aliis deinceps miraculis Deus servi sui sanctitatem confirmavit. Visitur etiam nunc in eadem sancti Martini basilica hæc crucifixi Domini effigies, quæ multo fidelium concursu honoratur. Arnulfo abbati Martiniano Badilonem substituunt vulgati indices, forte juniorem; Badiloni Gregorium ad annum ejus seculi nonagesimum-quartum: cui Gregorio David successit ad breve tempus, & post eum Aimo seu Eimo, de quo in consequentibus acturi sumus.

Abbates ejus loci. v. lib. 37. n. 96

XXXV. Geilo fit episcopus Lingonensis.

Isaac Lingonum antistes hoc anno videtur decessisse, & quidem XVIII. kalendas Augusti. De ejus successore deligendo ingentes turbæ in clero Lingonensi excitatæ. Aurelianus Lugdunensis metropolites, *inconsulto clero*, favente fursan Bosone, Geilonem Trenorchiensem abbatem ordinasse episcopum dicitur in litteris [a] Fulconis Remensis ad Stephanum papam; eumque *nolentibus* præposuisse. Geilonem nuper conversum ait Fulco, cum episcopus ab Aureliano ordinatus est, tametsi jam ab annis minimum undecim Herensem cœtum abbas & monachus regebat. Ceterum Lingonensem ecclesiam Geilo recte administrasse dicitur, eamque pacifice jam obtinebat anno insequenti, quo ad utilitatem ejus ecclesiæ commutationem quamdam fecit cum illustri viro, nomine Baldrico, Carolomanni regis litteris [b] confirmatam, in quibus *Geilo Lingonensis ecclesia venerabilis episcopus* appellatur. *Data XV. kalendas Augusti, indictione* XIIII. *anno tertio regnante Karolomanno gloriosissimo rege. Actum apud Cauciacum* * *villam* prope Compendium. Hoc diploma Norbertus notarius recognovit ad vicem Wlfardi abbatis Flaviniacensis. Post Geilonem Galterius abbas Trenorchiense monasterium administravit: cujus regimen Geilo episcopus retinuisse dicitur a Falcone chronographo Trenorchiensi, quem Chiffletius [c] falsum fuisse ex eo probat, quod Geilo ad annum ejus seculi octogesimum-

[a] Frod. lib. 4. c. 1.

[b] Perard p. 153. & seqq.

* Choisy.

[c] Tournus pag. 326.

ANN. CHR. 880.

ſeptimum vitam produxerit. quo tempore Galterius poſt quatuor annos præfecturæ jam locum Blitgario fecerat.

XXXVI. *Carolomanni præceptum pro Glonna.*

Glonnenſe ſancti Florentii monaſterium per id tempus in vaſtam ſolitudinem redactum erat, ejuſque loci monachi apud Bituriges in cella ſancti Gundulfi ad Ligerim reſidebant, quam Carolus rex Hecſrido abbati ad refugium conceſſerat. Hanc vero donationem Rodulfus abbas a Carolomanno rege confirmari petiit, ut eam haberet *ad ſuorum refugium monachorum, & ad requiem ſanctiſſimi corporis beati Florentii.* quod rex libenter annuit, dato diplomate nonis Junii, anno tertio regni ſui, indictione XIII. ubi corrigenda indictio, quæ huic anno competit; vel annus Carolomanni, qui hoc anno tantum ſecundus erat. quo anno Adolenus abbas Navenſis apud Biturigas, Gumfridii ſucceſſor, permutationem fecit quorumdam prædiorum apud Calmetum menſe Decembri, anno ſecundo Carolomanni regis. Verum cum nec in illa cella ſancti Gundulfi ſatis tuti eſſent Glonnenſes, ad Trenorchium caſtrum ſe receperunt, ubi a monachis ſancti Filiberti excepti, demum ſæculo inſequente hac illacque diſſipati ſunt abſque ſancti Florentii corpore, quod Trenorchienſes eis reſtituere noluerunt. Sed tandem unus ex eis, Abſalom nomine, ſacras beati patroni ſui reliquias clam ſuſtulit, quæ poſtea in novo Salmurenſi monaſterio depoſitæ ſunt, ut fuſius ſuo loco exponemus. Cella ſancti Gundulfi * hactenus ſubjecta eſt ſancti Florentii abbatiæ Salmurenſi.

Adolenus abbas Navenſis.

* *S. Goudon.*

XXXVII. *Johannes electus epiſcopus Dolenſis.*

In Britannia Maheno ſeu Maino Dolenſi antiſtite mortuo, electus eſt Johannes ex abbate ſancti Melanii Redonenſis, qui ex duce monachus ante factus fuerat. Electus mox profectus eſt ad Johannem papam, ut ab eo conſecraretur archiepiſcopus, quam dignitatem Dolenſis eccleſia ſibi contra Turonenſem metropolitam aſſerere pergebat. Verum, dum rem differt pontifex, Johannes in morbum incidit, ex quo nondum ſacratus interiit decima die Septembris. quæ omnia Baldricus Burgulienſis abbas, ac poſtea Dolenſis antiſtes, hoc carmine expoſuit.

Splendidus ex atavis, atavorum ſplendor & ipſe,
Gente Britannus homo, conditur hoc tumulo.
Hic armis, patria, natis cum matre relictis,
Dux modo, continuo de duce fit monachus.
Metropolitana ſedi, quia vixit honeſte,
Cui Dolus eſt nomen, præſul hic eligitur:
Ut quibus exſtiterat conſul, de conſule præſul,
Præſul quam conſul conſuleret melius.
Ad papam venit: ſacrari poſſet ab ipſo.
Quod dum differtur, in Domino moritur.
Ponitur hic cultor & religionis amator:
Quemque dolent Britones, ſancta Sophia fovet.
Si quæras nomen, nomen ſibi ſcito Johannem:
Sique diem mortis, da decimam decimi.

Eadem fere ſors fuit Eveni ſeu Ivonis, qui ex abbate itidem ſancti Melanii electus eſt Dolenſis antiſtes tempore Gregorii ſeptimi.

XXXVIII. *Novienti magnæ turbæ.*

In Alſatia Novientenſe ſeu Novietenſe monaſterium, quod alio nomine Eberſheimenſe vocant, magnum detrimentum ſuſtinuit factione Baltramni Argentoratenſis epiſcopi, qui abbatiam, favente Arnolfo Noricorum duce, uſurpavit, Hartmannum abbatem ſibi reſiſtentem abjecit, ejuſque loco Helmerium quemdam monachum ſubſtituit. Sed is non diu abbatia potitus eſt. nam a Johanne papa dejectus & excommunicatus, locum cedere coactus eſt Hartmanno legitimo paſtori: quo agente, pontifex monaſterii immunitatem ac poſſeſſiones confirmavit. Ejus tempore Riccardis imperatrix Novientum venit, & triginta jugera agri ac vinearum ſancto Mauricio *ad ſacrificia divina* contulit, magnopere pænitens, quod quaſdam ejus loci decimas invaſiſſet.

Riccardis donatio.

Lanzonis zelotypi infelix amor.

Eodem abbate quidam nobilis Suevus, Lanzo nomine, uxorem maxime ſpecioſam, nomine Giſelhildam, habebat, quæ apud eum violatæ fidei conjugalis infamata eſt. Hic vero zelotypia tactus, iter in Sueviam ſimulat, unaque die in quodam Rheni latibulo tranſacta, domum nocte redit, ingreſſus oſtium pulſat cubiculi,

ANN. CHR. 880.

in quo uxor jacebat. Ancilla ad ostium accurrit, pulsantis nomen quærit, ille vero nomen suggerit militis, cum quo uxor consuetudinem habere insimulabatur. Tum illa ad ancillam: Ipse est, inquit, cujus causa infamata sum. Mox, arrepto ense, qui ad lectum appensus erat, apertoque ostio, in mariti caput unum & alterum ictum vibrat. Dein vociferans servos advocat, qui, admoto lumine, dominum suum, adhuc palpitantem & sanguine conspersum, agnoscunt. Tum clamor ingens, luctus & lacrymæ per totam domum. Curatus nihilo minus Lanzo, vulneribusque ligatis, animos utcumque colligit, uxori culpam confitetur, ac noxam remittit. Dein Hartmanno abbati accersito conscientiam aperuit suam; tum communione sacra percepta, prædium, in quo piaculum perpetratum fuerat, pro animæ suæ remedio donavit sancto Mauricio: ad cujus monasterium post mortem deportatus, tam diu in sarcophago inhumatus jacuit, dum a Romano pontifice conjux indulgentiam facti obtinuisset. Hanc non ægre concessit pontifex præsenti feminæ, quam alteram Judith appellavit. Ipsa vero post mortem ad viri sui tumulum sepeliri voluit. Hartmannum post Sambatium abbatem, cujus superius meminimus, præcesserant Talemon, Gibelinus, Ulfridus, & Herebaldus, antecessor Hartmanni, quem Eggehardus abbas excepit, de quo inferius.

Novietenses abbates.

XXXIX. Duellium * in Suevia, modo arx ducis Wirtembergensis, in edito monte prope Wilingam posita, olim ordinis nostri monasterio insignitum erat, cui hoc tempore præerat abbas Waldfredus, aliis Wilfridus, qui non sine opinione sanctitatis hoc fere anno ibidem sepultus est. De eo fit mentio in codice [a] fratrum conscriptorum Augiensis monasterii, in quo *Duelli domnus abba Waldfredus* laudatur. Omissus est in fastis Benedictinis a Wione, Menardo, ipsoque Bucelino, ab aliis inter sanctos relatus ad diem vicesimum Octobris. Duellii meminit Ekkehardus [b] junior in libro de casibus sancti Galli, ubi agit de Hadwiga, Heinrici Suevorum ducis filia, Burchardo duci nupta, quæ Duellii monasterium suum vocare videtur, quod tamen longe ante eam conditum fuisse Waldfredi abbatis ætas probat.

Waldfredus abbas Duellii.

* *Duviel seu Hochendvviel.*

a *Analect. to. 4. p. 642.*

b *Ekkeh. c. 10.*

X L. In Saxonia cum Nortmannis infeliciter dimicatum, testante annalista Fuldensi. Nortmanni superiores effecti, præter Brunonem ducem, qui & Liutgardis reginæ frater erat, aliosque undecim comites, præterque octodecim satellites regios, duos etiam episcopos occiderunt, nempe Thiotricum seu Theodericum Mindensem, & Marcwardum Hildensheimensem. Omnes ut martyres habiti, quod in prœlio, contra paganos pro salute patriæ inito, occubuissent, in ipso loco certaminis Ebbecstorfo sepulti sunt, ibidemque conditum virginum Benedictinarum cœnobium, quæ martyrum reliquiis assiduum honorem impenderent. Hanc veram ejus parthenonis originem tradit Krantzius [c], fabulam illam refellens, quæ Benedicti papæ quinti reliquiis hanc originem tribuebat. Wigbertus Hildensheimensis ecclesiæ sextus ordinatus est episcopus, suo tempore medicinæ peritissimus, qui *bibliothecam*, id est codicem bibliorum, *qua adhuc in monasterio servatur*, inquit chronographus Saxonicus, *propria manu elaboravit*. ubi monasterii nomine cathedralem ecclesiam interpretor, aut certe Gandersheimense virginum cœnobium, cujus ecclesiam absolutam dedicavit. Ibidem, Gerberga abbatissa defuncta, sororem ejus instituit Christinam: qua mortua, Rotswindam abbatissam ordinavit, ut ex chronico Saxonico discimus.

Ebbecstorfense cœnobiū conditur.

c *Krantz. metrop. lib. 2. c. 3.*

Gandersheimenses abbatissæ.

X L I. Sub hoc tempus in Urgellensi pago monasterium sanctæ Cæciliæ virginis & martyris surrexit *in valle eunte super fluvium Rivocavum*, conditum ad Edifredo, qui cum sociis locum illum desertum excoluit, primusque illic abbas exstitit. Id discimus ex præcepto Carolomanni regis, qui nascenti monasterio regiæ defensionis privilegium rogatu Edifredi abbatis indulsit, & liberam eligendi abbatis facultatem *juxta institutionem sancti Benedicti*, ut legitur [d] in regio diplomate, quod chronicis notis in editis destitutum est. De illo monasterio nihil deinceps occurrit usque ad annum millesimum vicesimum-quartum, quo controversia de quadam ecclesia inter Ermengaudum episcopum, Urgellensem, & Durandum hujus monasterii abbatem agitata est in sollemni procerum conventu.

S. Cæciliæ monasterium in pago Urgelensi.

d *Marca Hisp. col. 811. & seq.*

X L I I. Tunc temporis Aragonense regnum moderabatur Garsias rex, filius Ennecconis regis. Is hoc ipso anno accessit [e] ad Legerense monasterium sancti Salvatoris, ab ejus loci monachis *societatem in orationibus, jejuniis, eleemosynis, & bonis* denique *operibus* omnibus accepturus, credens se hoc pacto tutandum fore a cunctis adver-

Legerensi cœnobio facta donatio.

e *Blanca rer. Arag. pag. 598.*

AN. CHR. 880. „ securius in hoc sęculo, & a damnatione perpetua in futuro. quod ut sibi demereretur, „ præsente filio suo Fortunio, & episcopo domno Eximino, aliisque principibus suis, „ Salvatori sanctisque martyribus duas villas, Lerdam & Aniveslem, donavit, omnino liberas & ingenuas, ut nemo jus quodvis illic haberet, nisi abbas sancti Salvatoris ejusque monachi. Garsiæ exemplo Eximinus Pampilonensis episcopus harum villarum ecclesias itidem Salvatori & sanctis martyribus largitus est, abbati Sanctio-Gentullis jnre perpetuo possidendas. Facta hæc charta donationis XII. kalendas Novembris, æra nongentesima decima-octava. Subscribunt Garsias rex, „ Fortunius ejus filius, Eximinus episcopus Pampilonensis, aliique duo episcopi, & „ post eos Sanctius-Gentullis abbas Legerensis, Fortunius sancti Æmiliani, Salus „ sancti Prudentii. Hoc privilegium refero ex fide Hieronymi Blancæ, asserentis se illud eruisse ex tabulario Barcinonensi. Qui privilegio subscripsit Fortunius regis filius, processu temporis, abdicato regno, Legerensis monachus factus est.

XLIII. Ambrosianæ basilicæ data privilegia. Duo ad hunc annum privilegia a Puricello referuntur, quæ Carolus Crassus, dum Papiæ mense Aprili versaretur, Ambrosianæ basilicæ concessisse fertur. Utrumque privilegium impetravit Liutwardus (sic legendum) Vercellensis antistes, ejusque cancellarius, pro Petro venerabili abbate Ambrosiani monasterii. In priori [a] Carolus hoc monasterium in suam tutelam accipit, eidem confirmans *monasterium Anruna* in ipsa urbe positum, quod Engilberga olim imperatrix eidem sancto loco pro anima divæ memoriæ Ludovici augusti obtulerat; item curtem Lemontam, a Lothario quondam imperatore concessam, aliasque possessiones, cum cella ejusdem cœnobii sita Papiæ, in qua nullum hospitium absque servorum Dei consensu haberi permittit. *Data* XII. *kalendas aprilis, anno incarnationis Domini octingentesimo octogesimo, indictione* XIII. *anno vero regni regis Karoli in Francia quarto, in Italia primo.* Eædem sunt chronicæ notæ posterioris privilegii, quo idem princeps eadem confirmat, additis aliis donationibus, quibus hoc monasterium locupletavit. In his memoratur *monasterium unum non longe a Spigno* *, *quod nominatur sanctus Quintinus, ut sit in ordinatione & regimine abbatis sancti Ambrosii.* ubi opidum est Montis-ferrati, ad sinistram Bormiæ ripam. Hæc duo privilegia Puricellus revocari vult ad annum insequentem octogesimum primum, hac adductus ratione, quod Carolomannus Italiæ rex VII. nonas Apriles hujus anni mortuus sit, ac proinde ipso anno, mense Martio rex Italiæ nondum erat Carolus, cujus coronationem imperialem ob hæc diplomata & Reginonis testimonium rejicit in annum sequentem. Verum isti anno tertia-decima indictio, quæ in utroque diplomate legitur, non competit, sed præsenti anno octogesimo; nec Reginonis testimonium prævalere debet auctoritati annalium Bertinianorum, qui Caroli coronationem imperialem hoc anno consignant. Quod si indictionem quartam-decimam prædictis diplomatis apponere lubet, cur se tantum Italiæ regem dixisset Carolus, non imperatorem? cum hoc anno, ut quidem certum videtur, imperiali corona in natali Domini Romæ donatus sit. Utrimque ambages, quas non facile vitabis, nisi vitiatas dixeris horum diplomatum chronicas notas.

[a] Puricell. p. 125. & seqq.

* Spino.

ANN. CHR. 881. XLIV. Caroli Crassi diploma pro Farfa. CErte Carolus jam imperator sub finem mensis Februarii Aquis palatio versabatur anno sequenti, unctionis suæ anno primo, indictione quarta-decima, cum ad preces Ingoaldi Farfensis abbatis, eo nomine secundi, superiorum regum & imperatorum privilegia Farfensibus indulta [b] confirmavit. *Datum* IV. *kalendas Martii, anno Christo propitio imperii domni Karoli præpotentis augusti unctionis suæ primo, indictione* XIV. *Actum Aquis palatio.* In hoc diplomate, quod genuinum & sincerum esse constat, neque annus incarnationis apponitur, ut in illis duobus Ambrosianis; neque anni regni ejus in Francia orientali, aut in Gallia, quod postremum nondum Carolus obtinuerat. Idem diploma confirmat testimonium annalium Bertinianorum de anno, quo Carolus Romæ corona imperiali donatus est ipso die natalis Domini, præcedente quartum kalendas Martias quartæ-decimæ indictionis, quæ anno octogesimo-primo respondet.

[b] Chron. to. 3. p. 657. & seq.

Brumadum monasterium. Annus tamen incarnationis appositum est diplomati, quod idem Carolus Erimberto abbati [c] *ex monasterio, quod vocatur Brumadum*, Papiæ concessit hoc anno, IV. nonas Aprilis, anno ejus imperii primo, indictione quarta-decima. Sed fortasse annus incarnationis a posteris adjectus est, qui in sinceris diplomatibus ejusdem

[c] Ital. sac. to. 4. col. 1364.

ANN. CHR. 881.

Caroli ante initum Galliæ regnum vix legitur. Est autem Brumadum, olim celebre monasterium nostri Ordinis sub titulo sancti Petri, situm in Liguria ad Varram fluvium, nunc sedes episcopalis, modo Brumatum seu Brumacum, vulgo Brugnetum appellatum: cujus monasterii originem ad Liutprandi regis tempora referunt. Certe in hoc Carolino diplomate memorantur Carolus Magnus, ac Ludovicus Pius, necnon Lotharius & Ludovicus imperatores, qui eidem monasterio *quamdam cultam, quæ vocatur Accola*, cum adjacente silva, unus post alterum, suis præceptis confirmarunt. quod itidem a Carolo Crasso impetravit Erimbertus abbas, Ermibertus mendose dictus in editis. Ejus loci abbas erat Petrus anno insequenti, quo idem Carolus quasdam *superstitiones* [a] seu vexationes ab eodem monasterio removet, quas *a sæculari & publica potestate* monachi patiebantur, abjecta auctoritate Liutprandi, Ratchisi, Ridulfi, Desiderii & Gregorii papæ, qui eis omnimodam immunitatem concesserant. Ex quo intelligitur, quanta sit ejus monasterii antiquitas. Porro hanc abbatiam Innocentius II. erexit in episcopalem sedem sub metropoli Genuensi.

[a] *ibid* c. 1365.

XLV. Nortmanni novas strages edunt.

Redeo in Galliam, ubi Nortmanni novas strages, maxime in Belgica, & quidem atrocissimas, edere pergunt. Hi quippe VII. kalendas Januarii *Sithiu* opidum ingressi, ipsum opidum cum ecclesiis incendio consumunt, excepta sancti Audomari basilica, quæ optime munita erat. Inde, interfectis omnibus, quotquot in manus ejus venerunt, usque ad Somenam fluvium universa depopulantur. tum Cameracum ingressi, incendio ac exdibus totam urbem miscent, sancti Gaugerici monasterium vastant, & cum immensa præda ad sua castra, quæ Cortriaci anno superiori munierant, revertuntur. Illinc circa purificationem beatæ Mariæ per urbem Taruennam progressi ad Centulam monasterium sancti Richarii, cujus basilicam admoto igne succenderunt, omnia circa mare loca & monasteria, in his sancti Walarici, diripiunt; deinde Ambianos usque grassantes, Corbeïam etiam devastant, multisque demum onusti prædis, nemine prohibente, ad sua castra denuo repedant. Denique sub finem mensis Februarii Atrebatas veniunt, urbemque cædibus & rapinis funestant.

XLVI. A Ludovico victi.

His acceptis rex Ludovicus, relicto ad Viennæ obsidionem continuandam Carolomanno fratre, cum armato militum globo in Belgicam ocius advolat, Nortmannos aggreditur in villa pagi Vimnaceosis, quam Sculcurtem * seu Sathulcurtem, Regino *Sodalcurch* vocat, divinaque ope suffultus tantam eorum multitudinem peremisse traditur, quantam in Francia numquam cecidisse creditum est. quo facto, qui evaserant, & qui apud Cortriacum relicti erant Nortmanni, Batuam petentes, loca Mosæ adjacentia vastasse perhibentur, eaque clade Inda, Stabulaus, & Malmundarium monasteria in favillas redacta sunt; ac demum Nortmanni Haslaci Hiberna constituunt. De hac Ludovici victoria unus sinistre loquitur annalista Bertinianus, scribens, Nortmannis non modicam partem occisis, ceterisque fugatis, Ludovicum una cum suis retrorsum, nemine persequente, fugam arripuisse: ut argumento esset, hanc victoriam non humana, sed divina virtute patratam fuisse. In illa pugna ad novem millia equitum ex Nortmannis cæsa fuisse tradunt annales Fuldenses. Addunt Bertiniani, eumdem regem iterum processisse adversus Normannos in Franciam regressos, contra quos castellum in loco *Stroms* dicto ab ipso ædificatum sit, quod potius ad munimen paganorum quam Christianorum vertit. Reperi olim in codice Elnonensi Germanicum rythmum antiquum Ludovico regi Francorum victori Nortmannorum acclamatum. quem de illa Ludovici victoria interpretandum censet Johannes Schilterus, vir eruditionis humanitatisque haud vulgaris, qui hoc *invitus* in lucem edidit, notisque illustravit, hic in appendice referendum. Sane nulli magis, quam huic Ludovico id convenit. quippe qui *minorennis patre orbatus* (quod de Ludovico transrhenensi rege dici non potest) canitur, & Carolomannum fratrem habuisse, insuper multos rebelles passus fuisse. Is in ipso prœlii articulo brevem ad milites orationem fecit, *canticum publicum* (litaniam vocant) præcinuit, omnibusque commilitonibus conjunctim succinentibus, prœlium cœptum, in quo Ludovicus præ ceteris alacer & audax, alium percussisse, alium perfodisse memoratur; sicque victoriam feliciter, Deo juvante, reportasse. Certe in ipso congressu præ oimio feriendi impetu interiora sua rupisse dicitur [b] in chronico Centulensi, quæ res ipsi non multo post mortem attulerit. In

* *Seaucourt.*

[b] *Hariulf.* lib. 3. c. 20.

ANN. CHR. 881.

eodem chronico fit mentio de Esimbardo Francigena, qui se paganis adjunxerat, deque cæso eorum rege Guaramundo. quæ Ludovici victoria *non solum historiis, sed etiam patriensium memoria quotidie cantari ac recoli dicitur*. Ceterum hoc Germanicum canticum, ipso rege vivente, conditum videtur ex hac clausula, qua auctor ipse Deum precatur, ut *servet ipsum in sua majestate*.

XLVII. *Sanctorum translata corpora.*

In illa rerum trepidatione plurima sanctorum corpora in tutiora loca transferuntur, in his sancti Vedasti ex urbe Atrebatum in civitatem Bellovacorum, sanctorum Eucherii & Trudonis in subterraneam cryptam, quæ retro altare sancti Trudonis ad eos occultandos constructa est, ubi usque ad tempora Widrici abbatis latuerunt. Ad hæc sanctorum Martyrum Quintini & Cassiani reliquiæ Laudunum delatæ, indeque sequenti anno revectæ in die purificationis sanctæ Mariæ, sed altero anno iterum Laudunum delatæ, ut in sermone [a] de tumulatione sancti Quintini legitur, ubi hæc Nortmannorum facinora diserte referuntur. Denique ex urbe Remorum venerandum corpus beatissimi Remigii pontificis Orbacum transportatum est. De hac sancti Remigil ac sancti Vedasti translatione distinctius agendum.

[a] *Hemer. pag. 21.*

XLVIII. *S. Vedasti Bellovacum.*

Prior facta est sancti Vedasti translatio, cujus corpos ineunte hoc anno, aut sub finem superioris, cum Nortmanni Atrebatibus imminerent, nec locus monasterii munitus, murisve circumsæptus esset, monachi futuro prospicientes periculo, in Bellovacorum civitatem deportarunt, pretioso inclusum loculo, in quo eum venerabilis ejus urbis antistes Theodericus recondiderat. Has vero sanctas reliquias *cum summo gaudio & debita veneratione* suscepit *gloriosissimus Odo, tunc ejusdem sedis* Bellovacensis *episcopus, quondam vero Corbeiensis monachus & abba, dum Karolus vixit, gloriosissimus in palatio*. Illic sacrum corpus mansit annos amplius duodecim, indeque Atrebatas relatum est, *post bis senos semis & eo amplius annos*, & quidem *in dominica die, idibus Julii mensis*, id est anno Christi octingentesimo nonagesimo-tertio. unde si ab eo anno calculum annorum duodecim ac dimidii reflectas, hanc translationem ineunte hoc anno, aut sub finem superioris factam intelliges.

XLIX. *Odonis Belvacensis episcopi obitus.*

Hinc evincitur, Odonis Belvacensis episcopi obitum ante hunc annum non contigisse. Fuerat is, ut modo vidimus, ante pontificatum monachos & abbas Corbeïensis; dein Hildemanni ex monacho itidem ejusdem loci in Belvacensi sede post Hermenfridum successor, plurimis subinde legationibus a Carolo honoratus, idemque cui Carolus ultimo profecturus in Italiam, Ludovici filii sui tutelam ac regimen commisit, & cui Ludovicus ipse morti proximus regia insignia, filio suo æquivoco tradenda consignavit. quod argumento est, Ludovicum ejus primogenitum fuisse, non Carolomannum, ut Reginoni visum est. Hic Odo multa in episcopatu ecclesiæ suæ utilia egit, quippe numerum canonicorum ad quinquaginta auxit, eisque congruentes reditus assignavit. Oratorium, puellare olim ejusdem parochiæ cœnobium, & Flaviacum, in quo tunc canonici habitabant, *pro recompensatione Fontaneti monasterii*, quod olim ecclesiæ suæ juris erat, eidem obtinuit, probante Nicolao Papa. Denique finem vivendi fecit v. kalendas Februarii, quo die in Corbeiensi necrologio laudatur *Odo abbas Corbeiensis & episcopus Belvacensis*.

Odonis obitum hoc anno contigisse certum est ex Hincmari archiepiscopi epistola mox referenda, in qua Lodovico regi, Balbi filio, respondens ad litteras, quas
» rex ipsi pridie nonas Maii post mortem Odonis scripserat, ait, se gradu episcopali
» *per triginta & sex annos* ad id tempus functum esse. quod huic anno præcise respondet, quandoquidem Hincmarus anno DCCC XLV. mense Maio, archiepiscopus ordinatus fuerat.

Turbæ pro successoris electione.

Post mortem Odonis, de successore in sede Belvacensi substituendo magna regem inter & ipsum Hincmarum disceptatio fuit, in qua Hincmarus majorem, quam umquam alias, pro regulis ecclesiæ zelum, majoremque in iis servandis constantiam ostendit. Odone mortuo, Hincmarus visitatoris illius ecclesiæ officium, ut mos tum ferebat, Hadeberto Silvanectensi episcopo commiserat, dum successur eligeretur. Per id tempus apud S. Macram in Finibus * Remorum hâbita est synodus illius provinciæ episcoporum, ad quos allatum est decretum electionis cleri & populi Belvacensis in gratiam Odacri, quem rex Ludovicus ad illam sedem promoveri volebat. Hunc vero synodus [b] episcopatu indignum judicavit, petiitque a rege, ut

* *Fimes.*

[b] *Hincmar. to. 2. p. 188.*

ANN. CHR. 881.

libera illi ecclesiæ permitteretur electio. Ea re offensus rex, ad Hincmarum litteras scripsit, quas Teutbertus clericus attulit, pridie nonas Maii scriptas: quibus rex testabatur, se Hincmari consiliis & monitis obtemperanirum, si ille suæ pro Odacro voluntati assentiretur. Vota omnium, qui commorantur in Belvacensi ecclesia, in Odacrum concordasse. hortari, ut sicut ille antecessoribus suis regibus devotus & addictus fuerat; ita sibi devotus & fidelis exsisteret. Ceterum, si Belvacensem episcopatum filio suo, ipsiusque Hincmari fideli conferret, se quoque eos honoraturum, quos ei cariores & familiariores esse cognoverit.

Ad hæc graviter respondit Hincmarus, se Domini voluntatem regiæ præferre, scripturarum & canonum edictis, necnon christianorum imperatorum ac regum legibus promulgatam. Non mirum si Belvacenses, stulti, improbi, & cupiditate cæcati, in Odacrum concordent, qui jam olim in simili causa, ob eamdem in eligendis indignis hominibus pravitatem, suam electionem perdiderant. se hactenus regi fidelem ac devotum fuisse, ac fore in posterum: adeoque rex ipse sanctæ ecclesiæ, ejusque rectoribus deferret, quod ejus antecessores detulerant; & pro devotionis fidelitate, quam ipse Hincmarus cum ceteris ejus fidelibus regi in sua electione, non sine magno labore præstiterat, ne rex mala pro bonis retribueret. At, quidquid demum acciderit, se non commissurum, ut in senecta sua declinet a sacris regulis, quod hactenus nec pro cupiditate, nec pro ullius amore vel timore non fecerat; contingatque ne a gradu episcopali, quo *per triginta & sex annos* functus fuerat, merito decidat. Recordetur rex professionis, quam in die consecrationis suæ promisit, quamque manu propria subscripsit, & super altare posuit; &, si quid in eam peccavit, emendet. Denique non habeat fidem quorumdam pravis suggestionibus, dicentium, illum ab episcopis, clero & populo eligi debere, quem rex velit; & res ecclesiasticas episcopatuum ita in regis esse potestate, ut eas, cuicumque voluerit, donet. quod utrumque a vero alienum esse probat. Hanc epistolam Hincmarus ad regem misit.

Ad hanc rescripsit [a] rex litteris, sigillo suo signatis, quas Warinus clericus idibus Junii mensis ad Hincmarum attulit. Ex quo intelligitur, hanc controversiam diu durasse. siquidem Odo v. kal. Februarias decesserat. His litteris inter alia rex significabat, se nihil de consilio promovendi Odacri remissurum; &, si aliud quid hanc in rem faciendum sit, se facturum. Ad primum reponit Hincmarus, Deum quoque facturum quod sibi placuerit. Non vixisse tot annos HLudowicum imperatorem, quot annos vixit pater ejus Karolus; Karolum ipsius avum minus vixisse, quam patrem suum HLudowicum; denique ipsius regis patrem minus quam ejus patrem Karolum. *Et quando statis*, inquit, *in illo statu, ubi avus vester & pater vester steterunt apud Compendiam, inclinate oculos ubi jacet pater vester; &, si nescitis, interrogate ubi mortuus fuit, & jacet* * *avus vester; & non exaltetur cor vestrum ante eum, qui mortuus fuit pro vobis, & pro nobis omnibus, & resurrexit a mortuis, & jam non moritur: & certi estote, quia moriemini, nescitis qua die, vel qua hora, &c.* quibus verbis præsagire videtur breves fore vitæ dies ejusdem Ludovici regis, qui re vera vix duobus annis regnavit. Ad id vero, quod tacite minari videbatur rex, respondet Hincmarus: *Utinam aut per vos, aut per quemcumque sibi placuerit, educat me Dominus de isto carcere, videlicet infirmo & senili corpore, ad eum quem sua gratia largiente ex toto corde desidero videndum, non meis meritis, quæ nulla nisi mala sunt, sed sua indebita misericordia & gratuita gratia.* Denique addit, se contra plurimorum voluntates, minas & suggestiones regis electioni consensisse: optare se, si quid hac in re peccavit, in hoc sæculo, non in futuro per Dominum talionem recipere. Hi erant fere ultimi Hincmari sensus, qui anno sequenti e vivis excessit. Perstitit in sua intrusione Odacrus: sed non fracta Hincmari constantia, qui tandem hominem contumacem [b] excommunicavit, postquam Belvacensem ecclesiam ultra annum oppressisset invasor ille, qui demum Hincmari vigori cedere coactus est.

[a] ibid. pag. 196.

* scil. Nantum.

[b] ibid. p. 811.

L.

S. Remigii delatio Sparnacum & Orbacum.

Venerandum corpus sancti Remigii Remorum pontificis & Francorum apostoli hoc etiam anno propter infestationem paganorum ultra Matronam usque ad Orbacum monasterium delatum fuisse auctor est Haldoïnus [c] Altivillarensis abbas, qui quos versus pro ejusdem sanctissimi antistitis translatione condiderat, hos in delatione sacri ejus corporis, cum forte per Altivillarense monasterium deportaretur, concinuit. Hic est Harduinus abbas, qui ab Ebone exauctorato diaconus ordi-

[c] Analect. to. 2. p. 416.

natus, dein a Lupo Catalaunensi episcopo, sede Remensi vacante, presbyter consecratus, demum ab Hincmaro [a] degradatus est, quasi *saltu sine gradu diaconii ad sacerdotium* prosiliisset. Hanc tamen translationem anno insequenti factam testantur annales Bertiniani, & post eos Frodoardus [b], asserens, primo sancti Remigii corpus propter infestationem paganorum ad villam ipsius, nomine Sparnacum *, quia tunc temporis civitas Remorum muris nudata erat, deportatum fuisse, procurante Hincmaro archiepiscopo; & post ejus obitum ad Orbacense monasterium perductum: quo ex loco in urbem Remorum Fulconis archiepiscopi Hincmari successoris anno primo relatum sit, non sine miraculo profusi imbris, quo terra, jam dudum arida, tunc irrigata fuit.

ANN. CHR. 881.

[a] *Frod. lib. 3. c. 11.*

[b] *Frod. lib. 2. c. 21.*

* *Epernay.*

L I. Puerorum oblationes ad S. Remigium.

Non tamen per id tempus sancti Remigii insigne cœnobium monachis destitutum erat. Certe duas invenio puerorum oblationes hoc anno ibidem factas: unam XV. *kalendas Octobris, feria prima*, id est dominica, qua Oda quædam filium suum, nomine Emmonem, *cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manu sua involuta*, Deo ad sanctum Remigium obtulit. alteram *eodem anno kalendis Novembris, feria prima*, lege quarta, *hoc est missa omnium sanctorum*, itidem factam, qua Achadeus comes filium suum Hilduinum simili ritu obtulit, testibus supra dicti loci monachis, Teutboldo, & Hardrado presbyteris, aliisque diaconis & subdiaconis. Hic est Achadeus comes, quem Hincmarus [c] graviter increpat pro rapinis, quæ in ejus comitatu fiebant, & pro villa Spantia, ex qua ille annonam Remensis ecclesiæ auferre moliebatur. Hæc facta sunt sub Hincmaro archiepiscopo & abbate, Therboldo post Rotfridum præposito, qui Sigloardum monachum discipulum habuit, a Frodoardo [d] laudatum ob sanitatem sancti Rigoberti meritis recuperatam. Idem an alius Sigloardus crucem anno nongentesimo-primo erexit eo in loco, ubi sanctus Remigius claudum erexit, dum ejus corpus e majori ecclesia ad propriam ecclesiam deportaretur, ut suo loco videbimus.

[c] *Frodoard. lib. 3. c. 26.*

[d] *id. lib. 2. c. 15.*

L II. Concilium ad S. Macram.

Idem Hincmarus præsedit concilio, quod hoc anno, IV. nonas Apriles habitum est in Finibus * Remorum apud sanctam Macram. In eo conditi sunt canones octo, quorum quartus est de cura monasteriorum, tam canonicorum, quam monachorum & sanctimonialium, quæ missi regii perlustrare debebant, inquisituri una cum episcopo loci, *cum consilio etiam & consensu ipsius*, qui monasterio præerat, vitam & conversationem ibi degentium; quam, ubi necesse esset, corrigerent; congruas etiam, ubi deessent, officinas constructuri vel reparaturi; ad hæc necessaria quæque ad victum & vestitum inhabitantium, necnon ad susceptionem hospitum & pauperum, aliaque ordinaturi; denique numerum monachorum & sanctimonialium scripturi, qui, ubi minor fuerit, regia auctoritate addatur; ubi major, ad justam mensuram redigatur. Præclara etiam monita regibus data sunt in illo concilio, quod postremum fuit eorum, quibus Hincmarus interfuit. Ubi mirari subit illius præsulis curam & diligentiam in tanta rerum trepidatione.

* *Fimes.*

L III. Centulenses & S. Columbæ abbates.

Ad hunc etiam annum refertur obitus Guelfonis abbatis Centulensis & sanctæ Columbæ Senonensis, quem longe ante hoc tempus Hariulfus decessisse perperam opinatur. Sepultus est in monasterio sanctæ Columbæ, quo forte ob paganorum metum se receperat; & cum eo Hieremias monachus ac thesaurarius, de quo mox agemus. In necrologio sancti Stephani Autisiodorensis notatur XVIII. kalendas Decembris *Velfo abba*. In antiquo necrologio sanctæ Columbæ annus & dies diserte exprimitur his verbis: XVIII. *Kal. Decembris depositio domini Guelfonis abbatis anno* DCCC LXXXI. Hic regii generis erat, semelque ac iterum Centulensem abbatiam obtinuerat, primo quidem post Heligaudum abbatem, dein post Carolomannum Calvi filium, cui pater hanc abbatiam dedit, Guelfoni ablatam, sed postmodum eidem restitutam. Is est Welfo abbas, quem Carolus Calvus, ultimo profecturus in Italiam, uti & Gauzlinum & Folconem abbates cum aliis, assidue filio suo Ludovico adesse jussit. Post Guelfonem abbatiæ Centulensi præfuere *Herebertus atque Hedenolfus egregii atque viri; sed & Hugo atque Girardus magnæ sanctitatis viri*, inquit Hariulfus: *qui quantum temporis in regimine protraxerint, quibusve terminis hujus vitæ auram excesserint, nullis antiquorum docemur monimentis.* Neque mirum si nihil de prædictis abbatibus ad nos transmiserit antiquitas, cum, Centulensi basilica a paganis cremata, monachisque hac illac dissipatis, monasterium fere in solitudinem redactum esset, usque dum tempore Gerberti seu Gir-

berti

ANN. CHR. 881.

berti abbatis instaurari cœpit. Cum vero a paganis Centulæ vastitas illa immineret, Hieremias monachus ac thesaurarius, homo nobilis & prudentia præditus, cum sacris reliquiis io monasterium sanctæ Columbæ se recipere coostituit. Facta itaque capsa, pretiosiora quæque ex thesauró ecclesiæ in illam recondidit, sacrasque reliquias, excepto sancti Richarii corpore, quod Centulæ remansit absconditum; sicque Senonas ad sanctæ Columbæ cœnobium confugit, ubi, decedente abbate, abbas electus; ac demum, Senonensi episcopo mortuo, in ejus locum suffectus fuisse fertur apud Hariolfum. Verum utrumque valde incertum, ne dicam falsum. Nullus enim per ea tempora Hieremias, in serie sive abbatum sanctæ Columbæ, sive archiepiscoporum Senonensium, in quibus unus invenitur Hieremias archiepiscopus initio sæculi noni, longe proinde diversus ab hoc Hieremia, de quo agimus. Guelfonis porro in præfectura sanctæ Columbæ successores recensentur Conradus *christianissimus comes*. Guelfonis germanus, eodem & ipse anno mortuus, cum maximo omnium mærore, sepultus in stillicidio basilicæ sanctæ Columbæ, prout vivens ipse mandaverat; dein Hugo, Conradi & Welfonis pariter germanus, *qui monarchiam clericatus in palatio obtinens, ducatum etiam regni post regem nobiliter administrabat*; ac demum Richardus comes, qui ab Odone rege aream in urbe obtinuit ad asylum monachis tempore belli exstruendum. Locum deinceps sub Rotberti Fortis posteris rexere decani potius quam abbates, Rodulfus, Ragnaudus, Achardus, Rotaldus & Rainaldus, dum Gunzo seu Guocio abbas electus est regnante Hugone, qui vicarias quasdam sanctæ Columbæ restituit. Hunc excepit Wileocus tempore Heinrici regis, cui successit Arnulfus ex nobili Campanensium comitum stirpe, de quo alias plura dictori sumus.

LIV. Pultarienses duo monachi detenti Mediolani.

Hoc tempore duo Pultarienses monachi ex parochia Lingonensi Romam profecti, in reditu ab Angilberto Mediolanensi archiepiscopo capti, atque in vincula, incertum qua causa, conjecti sunt. Id ubi rescivit Johannes papa, litteris [a] archiepiscopum monuit, ut monachos suos, quippe qui sedi apostolicæ proxime subjecti essent, homines innocentes, quantocius in libertatem assereret. Pontificiæ epistolæ hæc verba sunt. *En, bone vir, aliquid deterius committere non formidasti, cum quosdam monachos nostros, nomine Rhodoaldum & Warlenum, Roma ad suum monasterium Pultarien e iter carpentes, comprehensos jusseris diu sub custodia vinculis reservari. quod quanti piaculi sit, sano intellectu ipse perpende; quantumque dedecus sedis apostolicæ, quæ, Christo auctore, etiam in barbaras nationes libera semper visa est fungi legatione. quod nefas malum sub omni celeritate te emendare hortamur, & prædictos Dei famulos cum omnibus suis illæsos abire patiaris ad locum, miserante Deo, sua habitationis: &, sicut tuo consilio pro certo eos cognovimus esse innocenter custodia mancipatos: ita, te faciente, sciamus eosdem funditus & cum competenti honore dimissos. Data mense Novembri, indictione* XIV.

a Joh. ep. 256.

LV. Hadericus abbas S. Simpliciani a papa probatus.

Dum Mediolani sumus, juvat referre hoc loco argumentum alterius [b] epistolæ, quam idem Johannes papa clero Mediolanensi scripsit, vel potius Haderico venerabili presbytero & abbati *sacrorum monasteriorum, beatorum scilicet Gervasii & Protasii, atque Simpliciani; necnon, & xenodochii sanctorum Cosmæ & Damiani, quod Romanorum dicitur*: quem laudat, quod hæc monasteria & patrimonia, intra vel extra civitatem Mediolanensem constituta, fideliter administret, & legationem Ambrosianæ ecclesiæ catholica fide & ardentissimo studio expleat. quæ res quorumdam livorem & invidiam adversus eum concitaverit. Quapropter eum sub tutela sedis apostolicæ recipit pontifex, cunctosque excommunicat, qui illi vel ejus ecclesiis aliquam molestiam intulerint. Erant itaque tunc temporis monachi in basilica sancti Simpliciani sub Haderico abbate, ibidemque hactenus perseverant sub congregatione Casinensi seu sanctæ Justinæ. In hoc monasterio solitariam vitam olim duxit sanctus Simplicianus episcopus, qui ibidem sepultus est, cujus nomine ob id insignitum monasterium; quod primum beatæ Mariæ sacrum erat, primitus positum extra muros urbis. Istuc anno septingentesimo migrasse dicuntur monachi ex intramurano sancti Protasii cœnobio, quod deinceps a præposito administratum fuit sub cura & sollicitudine abbatis monasterii sancti Simpliciani, qua de re in consequentibus fusius differemus. Exstant aliæ duæ Johannis papæ epistolæ de Angilberga olim augusta, tunc Deo sacrata, Romam mittenda: una [c] ad Ludovicum & Carolomannum reges, qui eam forte detinebant, ne quid pro Bosone amo-

b id. ep. 264.

c id. ep. 263.

ANN. CHR. 881.

a ep. 298.

re filiæ suæ ejus conjugis contra ipsos moliretur : altera [a] ad Riccardem augustam, Caroli Crassi conjugem, ejusdem omnino argumenti. Tandem Crassus eam per Leudoardum seu Liutwardum Vercellensem episcopum Johanni papæ, sicut petierat, remisisse traditur in annalibus Bertinianis.

LVI. Senonensis monasterii infelix status.

b Spicil. to. 3. p. 317.

Senoniense in Vosago monasterium ad miserabilem statum tunc temporis redactum erat sub Adelhardo [b] quarto-decimo abbate, qui sacrum locum, cum in temporalibus, tum in spiritualibus, omnino labefactavit. adeo ut locus ille, qui ad id tempus quasi hortus quidam deliciarum exstiterat, Dei cultu penitus neglecto, nonnisi vitiorum vepres ac spinas producere videretur. Prima ruinæ causa ab ipso abbate, qui non modo illius cœnobii bona, proventus ac possessiones profligavit, sed etiam ordinis ac religionis studium primus abjecit ac pervertit. Hinc monachi, pessimi rectoris exemplo, non ordini, sed suis quique voluptatibus insistere; ad ludos potius, quam ad ecclesiam convenire; claustrum, refectorium, dormitorium, velut carcerem & quamdam carnificinam exsecrari; privatas quisque domunculas fabricare, ubi pro libito quidvis agerent. Verum, dum divina contemnunt officia, operti sunt iniquitate & impietate sua; & sic transeuntes in affectum cordis, perierunt propter iniquitatem suam, ut Richerius monachus cum Psalmista loquitur. nam exteri cetera bona monasterii, quasi expositam prædam, impune devorabant. Tum monachi illi, seu potius ganeones, victu deficiente & vestitu, decreverunt more rusticorum agros excolere, ut ita saltem inopiam utcumque relevarent. Hæc fuit Senoniensis monasterii per multos annos infelix conditio, dum abbates, alii aliis succedentes, nec seipsos, nec subditos ab hac deterrima conversatione revocare curarent. Hic rerum status, aut potius lapsus fuit tempore sex abbatum, dum tandem per Rambertum, ejus loci monachum, quem Deus ad excitandum illic ordinem ab hac communi corruptela immunem servaverat, ibidem sanctæ conversationis studium ac disciplina regularis, juvantibus Gorziensibus monachis, omnino restituta est.

LVII. S. Laurentii abbatia data Narbonensi ecclesiæ.

* La Rize.

c Baluz. append. conc. Narbon. p. 68. & seqq.

Exstabat in parochia Narbonensi abbatia sancti Laurentii super fluvium Rigellam *, regiæ immunitatis litteris olim donata. Hanc vero cum suis cellulis ac villis Sigebodus *sanctæ matris Narbonensis ac Redensis ecclesiæ archiepiscopus*, ob paupertatem sui episcopatus, ecclesiæ suæ attribui obtinuit a Carolomanno rege, ad deprecationem Hugonis venerabilis abbatis, qui *hoc* [c] *ambasciavit :* sic tamen, *ut stipendia monachorum ibidem degentium non deficerent. Datum pridie nonas Junii, anno tertio regni Karlomanni gloriosissimi regis, indictione* XIIII. *Actum apud Pauliacum vicum.* Norbertus notarius hoc præceptum recognovit ad vicem Wlfardi archicancellarii, qui mendose in editis archiepiscopus dicitur. Eamdem subjectionem abbatiæ sancti Laurentii Odo rex litteris [d] suis Theodardo episcopo, & post eum Carolus [e] Simplex Agioni confirmarunt. Si hic Pauliacus * vicus est pagi Autissiodorensis, de quo Hericus in libro [f] de miraculis sancti Germani Autissiodorensis; ex præmisso diplomate inferas, Carolomannum non assidue Viennensi obsidioni per se institisse. cui rei argumento est sequens diploma, datum apud Petræfictum, qui locus videtur esse agri Parisiensis. Quamquam Carolomannus anno insequenti, post mortem fratris, ab obsidione Viennæ revocatus est, ex annalibus Bertinianis; eamque urbem Richardus ipsius Bosonis frater cepisse, atque inde Bosonis uxorem ac filiam in suum comitatum Augustodunensem adduxisse perhibetur. At ex præcepto ejusdem Carolomanni pro ecclesia Nivernensi, cui villam, vocabulo Curtim, restituit rogatu Abbonis episcopi, qui ipsum ejus rei causa convenerat, intelligimus eum exstitisse *apud villam Caciacum pridie idus Januarii, indictione* XIV. *anno regni sui tertio.*

d Catel Langued. p. 749.

e ibid. p. 776.

* Pouilly.

f Labbe to. 1. bibl. p. 547.

Carolomanni privilegium pro S. Polycarpo.

* Pierrefite.

g Spicil. to. 8. p. 352.

h ibid. p. 354.

Idem Carolomannus cum apud Petræfictum * villam agri Parisiensis versaretur, *coram frequentia procerum, primatumque* interpellatus est ab Attila abbate monasterii sancti Polycarpi, parochiæ item Narbonensis, ut litteras regiæ defensionis eidem loco tribueret cum libera facultate eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. [g] quod rex ipsi concessit. *Actum apud Petræfictum* X. *kalendas Junii, anno tertio regni Karlomanni gloriosissimi regis, indictione* XIV. Idem Norbertus, qui supra, hoc diploma recognovit ad vicem Wlfardi, qui abbas erat Flaviniacensis. Hoc privilegium rex Odo postea [h] confirmavit anno regni sui secundo.

LVIII. S. Vincentii ad Vulturnum monachi cæsi.

In Benevento magna strages ac cædes in monasterio sancti Vincentii ad Vulturnum facta est a Sarracenis, qui plagas illas frequentibus excursionibus eo tem-

ANN. CHR. 881.

pore vastabant. Moris tunc erat, ut alias jam diximus, Casinatium, ejusque loci monachorum, ut caritatis gratia invicem convenirent, de ordine suo ac disciplina regulari colloqnium habituri. Cum itaque Casinates ad sanctum Vincentium convenissent, & ad propria jam regredereotur; de improviso Sarraceoi, duce Sangdano seu Seodano supervenere. Casinatibus ad proximum castellum refugientibus, Vulturnenses plerique agmine facto cum servis monasterii ad pontem, qui Maroneus dicitur, enm lapidibus & armis occurrunt. Utrimque acerrime pugnatum, at quidam e servis monasterii, certaminis labore deterriti, dominis suis desertis, ad Sarracenos clam se subducunt, aliamque viam eis ad invadendum monasterium sub præmio libertatis ostendunt. Itaque Sarraceoi his ducibus, nescientibus mooachis, alia via in monasterium irruunt, & undique circumdatum ignibus comburunt, ac seniores monachos, viros sanctos, qui illic reliqui eraot, gladiis obtruncant. Exstabat adhuc tempore chronographi hæc scribentis sanguis sanctorum monachorum, per parietes & pavimenta respersus, evidens eorumdem sanctorum martyrii indicium. Fumantibus tectis, accurruot alii monachi, jam certamine fessi, atque impares ad repellendos hostes. Ruunt inter carnificum ictus, unaque demum cædes omnium fuit, quos nongentos enm fuisse tradunt; partim e cellis monasterii congregatos, ex quibus tantum quingenti cæsi videntur. Hac cæde paracta, Sarraceni servorum indicio absconsum ecclesiæ thesaurum ioveoiunt, diripiunt, & asportant, & quæ auferre non potuere, in profluentem projiciunt. Tum, divisa loter se se præda, triumphantes ad epulum discumbunt: ubi impius ille Sangdanus in sacris calicibus potasse, & turibulis aureis sibi turificari jussisse traditur. Facta est hæc cædes Vulturnensium monachorum *decimo die mensis Octobris, feria tertia.* quæ notæ huic anno conveniunt. In illa commuoi strage Maïooem abbatem occubuisse perhibent. Qui ex illa cæde evasere, Maïo senioris oepos & post eum abbas, ac pauci aliquot mooachi, Capuam ad piissimos principes Atenulfum & Landulfum confugiunt, eisque miserabilem sui monasterii casum exponunt. Hi vero monachorum sortem miserati, locum eis intra Capuam ad construendum munasterium, faventibus Capuanis, concesserunt. Hujus fabricæ causa, simulque ad redimendos quosdam e fratribus, qui captivi a Sarracenis tenebantur, multa prædia, multasque possessiones libellario seu beneficiario titulo dare coacti sunt Vulturnenses, qui non ante annos triginta-tres [a] suum ad Vulturnum monasterium instaurarunt. Huic cladi inter alios superstes fuit Sabbatinus sacerdos & monachus, qui in quadam possessione monasterii, Capriata vocabulo, tum residebat. Hic post hanc cladem *commemoratorium* [b] seu quoddam veluti polyptychum fecit earum rerum, quas monasterium sancti Vincentii in comitatu Iserniæ possidebat: ut, si quando monasterium restrueretur, id documento posteris esset. Libellum suum ab his verbis incipit: *Ego frater Sabbatinus sacerdos & monachus, qui olim a conspectu Sangdan regis Agarenorum aufugi Deo auxiliante, & cænobium beati Vincentii levita & martyris ab ipso rege iniquo depradatum & incensum fuit tempore Maionis abbatis, præfati commemoratorium facio* &c. Is ex prædicta Capriata quotannis ad suum cœnobium centum triuici modia, & quadragiota porcos dirigebat. Hæc secunda fuit monasterii sancti Viocentii clades, cujus nonnullæ circumstantiæ priori [c] omnino similes referuntur. quæ res in causa fuit, ut a Leone Marsicano duæ in unam confunderentur. Eadem tempestate monasterium sancti Martini in Marsico direptum [d] est ab aliis Sarracenis, qui in Gariliano juxta Trajectum habitabant.

a *Ital. sac. to. 6. c. 434.*

b *ibid. c. 435.*

c *Supra lib. 36. n. 61.*

d *Ital. sac. to 6. c. 486. & seq.*

ANN. CHR. 882.

L I X.

Nortmannorum nova facinora.

Ludovicus rex Germaniæ sepultus Laureshami.

POstero anno ineunte Nortmanni nova prioribus addunt facinora. Arduennam quippe percurrentes, ipso die epiphaniæ Prumiense monasterium ingressi, ibique triduo commorati, totam in circuitu regionem depopulati sunt, Ansbaldo abbate, tum Prumia cum immensa præda egressi, cœnobium subjecto incendio consumunt. Interim Ludovicus Germaniæ rex morbo ingravescente Francofurti XIII. kalendas Februarii fatis concedit, Laureshami prope parentem sepultus, & quidem, ut habent Laureshamenses annales, *in ecclesia, quæ dicitur Varia, quam ipse hujus rei gratia construxerat.* Abbas loci tunc erat Waltarius, Babonis ab anno superiore successor: cujus tempore imperator Carolus Crassus, Ludovici germanus, antecessorum suorum exemplo privilegium libertatis & de electione abbatis eidem monasterio confirmavit. Waltarium excepit anno sequenti Gerhardus abbas, vir

ANN. CHR. 881. nobilis ac strenuus, sub quo idem Carolus quamdam villam in comitatu Walonis sancto Nazario donavit. Ludovicus ex Liutgarde regina nullam prolem reliquit, exstiocto paullo ante Ludovico filio, qui ex fenestra lapsus, fractis cervicibus statim exspiraverat.

LX. Treviri & Mettæ diripiuntur. Audito Ludovici obitu, Nortmanni animo incitati, nonis Aprilis Treviros urbem nobilissimam in cæna Domini occupant, basilicas & monasteria totamque urbem diripiunt, flammisque exurunt, Bertolfo archiepiscopo cum quibusdam civibus fuga lapso. Ante paganorum adventum sanctimoniales parthenonis sancti Symphoriani ad tumulum sancti Modoaldi episcopi, qui in earum basilica sepultus erat, confugiunt, orantque ut se Deus ex imminenti periculo ejusdem sancti pontificis meritis, & ex hac vita eximat. Harum votis Deus obsecundans, omnes uno die ex hoc sæculo eripuisse dicitur. Monasterio sancti Paulini [a] nihil ignis sæpius injectus nocere valuit. Incensa urbe, Nortmanni infesta signa Mettas convertunt. His obviam cum copiis *ad Remiche* [b] processit Walo seu Wala episcopus, Bertulfo Trevirorum antistite & Adelhardo comite sibi adjunctis. Itur in manus: at Nortmanni victores Walam episcopum inter alios cædunt, ceteros fugant. Crassus ad accipiendum Lotharii regnum, & opem provinciæ ferendam accitus ex Italia, Nortmannos, sed inani cœpto, Mettis obsedit. Nihilo minus Gotafrido regi Nortmannorum, ut baptisma susciperet, persuasit. Tum ei, christiano facto, Frisia data, & Gisla Lotharii filia in matrimonium collocata; reliqui Nortmanni, ingenti auri & argenti pondere, quod ex thesauro sancti Stephani Mettensis, aliisque sacris locis sustulerant, relicto, finibus excessere. In auro & argento bis mille libras & octoginta, qualibet libra per viginti solidos computata, eis concessas fuisse tradunt annales Fuldenses. Hugoni vero, ipsius Lotharii junioris ex Waldrada filio, qui & ipse regioni infestus erat, permissi proventus Mettensis episcopii vacantis, quos *sacri* [c] *canones futuro episcopo reservari præcipiunt*. His actis, Crassus formandi regni causa ad kalendas Novembres conventum Wormatiæ habuit. Huc accessit Hugo abbas cum aliis Franciæ proceribus, partem regni, quam Crassi frater Ludovicus *in locariam* acceperat, pro Carolomanno Franciæ rege (nam Ludovicus jam decesserat) repetiturus: sed nihil obtinuit. Ex his corrigendi annales Mettenses, qui junioris Ludovici Germaniæ regis *tertio-decimo* kalendas Septembris obitum reponunt. siquidem Trevirorum clades post ejus mortem eodem anno nonis Aprilis accidit. Major est difficultas in annalibus Fuldensibus, qui Ludovicum tertio-decimo kalendas Decembris decessisse tradunt: sed hæc alii viderint.

a Spicil. to. 12. p. 217.

b ibid.

c Annal. Bert.

LXI. Ludovicus rex Franciæ, obit. Inter ea Ludovicus Balbi filius, relicta rursus Viennæ obsidione, ad Britanniæ partes proficiscens, tum ad debellandos Nortmannos, tum ad pactum cum Alstenio, aliisque Brittonum proceribus faciendum, in itinere morbo correptus, ad sanctum Dionysium revertit, ibique pridie nonas Augusti decessit, sepultusque est, magno sui relicto desiderio. Mirum est, cum primas ille in regno partes teneret, nullum ejus repetiri præceptum aut diploma, cum multa, eo vivente, a Carolomanno ejus fratre edita occurrant. Regnavit annos duos, menses tres, dies viginti-duos, ut in veteri codice ecclesiæ beatæ Mariæ Laudunensis scripum reperi. Sic tota regni moles cessit Carolomanno ejus fratri: qui cum satis virium ad Nortmannis resistendum non haberet, insuper quorumdam procerum defectionem passus est. Quare Nortmanni in Belgicam secundam irruptione facta, Laudunum usque veniunt, castella in circuitu posita diripiunt, atque incendunt. Tum Remorum urbem aggressi, quæ tunc muris nudata erat, ea, quæ extra civitatem erant, deprædati sunt, & villulas quasdam incenderunt. at civitatem, *quam nec murus, nec humana manus defendit, Dei potentia & sanctorum merita, ne illam ingrederentur, defenderunt*, ut testatur Annalista Bertinianus. Aberat nihilo minus ab urbe, ut jam dixi, corpus S. Remigii, quod Hincmarus, ob infirmitatem sella gestatoria deportatus, simul cum ornamentis ecclesiæ ultra Matronam fluvium ad villam Sparnacum, vix fuga lapsus transferre potuit, canonicis ac monachis atque sanctimonialibus hac illacque dispersis. Hincmaro Sparnaci mortuo, delatum est sacrum corpus beati Remigii ad vicinum [d] Orbacense monasterium: quo ex loco in urbem Remorum anno primo Fulconis archiepiscopi revectum est, magno terræ beneficio, quæ jamdudum arida, multo imbre tunc compluta fuit. Multa alia miracula tunc edita Frodoardus commemorat, dum sancti Remigii corpus ad Remensem ecclesiam

Sancti Remigii translatio propter Nortmannos.

d Frod. lib. 3. c. 21. & seqq.

beatæ Dei genitricis Mariæ deferretur, ibidemque ad tempus quiesceret, nempe usque ad pontificatum Herivei archiepiscopi, qui, sedata Nortmannorum persecutione, pace recuperata, sacrum depositum in propriam ecclesiam restituit. Ex illis miraculis quædam facta memorantur Calmiciaci * in parvula ecclesia, quam sanctus præsul olim dedicasse, signisque ac virtutibus illustrasse traditur. ANN. CHR. 882. * *Chaumuzy.*

Audita bac Nortmannorum impressione, Carolomannus ocius advolat, magnam eorum partem cædit, multis in Axona submersis, & ex aliorum manibus prædam excutit. Hæc una fuit Carolomanni de paganis illis victoria, ab ipso reportata paullo post novam ejus coronationem, quæ Carisiaci boc anno facta est *quinto idus*, ut veri simillimum est, Septembris, altero scilicet mense post mortem Ludovici fratris, quæ pridie nooas Augusti præcedentis accidit. Exstat in appendice ad Lupum Baluziaoa capitulum Karolomanni regis, ejusque promissio tunc facta ad petitionem episcoporum, *quando ei se commendaverant in Carisiaco quinto idus*, ut in codice Rivipullensi legitur.

LXII. Hincmarus Remorum antistes obit.

Dum Hincmarus infirmus cum sancti Remigii corpore Sparnaci resideret, partim morbo, partim mærore, ex publicis calamitatibus contracto, oppressus est, episcopatus sui anno tricesimo-septimo, mensibus septem cum diebus quatuor adjectis. Paullo ante obitum ad coepiscopus scripsit, monens, ut lectioni sacrorum canonum darent operam, simoniam fugerent, insisterentque diligenter Christi pascendis ovibus. quæ epistola zelum ejus probat. Ejus obitus anous exploratus ex annalista Bertiniano, qui in eo desinit in hunc annum, eidem passim favens. Annalistæ nomen ignoratur, cujus annales dicti sunt Bertiniani, propterea quod ex codice Bertinianæ bibliothecæ a Chesoio eruti sint. Hincmari obitus diem vetera necrologia ecclesiæ Remensis statuunt, non mense Septembri, ut apud Marlotum, sed x. kalendas Januarii: Remigianum antiquius XII. easdem kalendas, ut mox videbimus. Forte hoc discrimen ex eo ortum, quod alii ejus obitum signanter adstruunt duodecimo kalendas; alii decimo, quo die ejus corpus e villa Sparnaco Remos relatum sit ad monasterium sancti Remigii: in cujus basilica in sepulcro ab se prius præparato bumatum est, apposito epitaphio, quod sibi ipse composuerat, legiturque hactenus ad lævam majoris altaris, laminæ æreæ incisum in hunc modum.

Nomine, noa merito, præsul Hincmarus ab antro
Te, lector, tituli quæso memento mei.
Quem grege pastorem proprio Dionysius olim
Remorum populis, ut petiere, dedit.
Quique humilis magnæ Remensis regmina plebis
Rexi pro modulo: hic modo verme voror.
Ergo animæ requiem nunc, & cum carne resumpta,
Gaudia plena mihi hæc quoque posce simul.
Christe, tui clemens famuli miserere fidelis:
Sis pia cultori, sancta Maria, tuo.
Dulcis Remigii sibimet devotio prosit,
Qua te dilexit pectore & ore, mana.
Quare hic suppetiit supplex sua membra locari,
Ut bene complacuit: denique sic obiit.

Hæc laminæ æreæ, se vivente, Hincmarus ipse inscribi curavit: & post ejus obitum additum, *anno incarnationis dominicæ* DCCC LXXXII. *episcopatus autem sui* XXXVII. *mense* VII. *die* IV. Hic in antiquiori necrologio Remigiano XII. kal. Januarii obiisse dicitur: at in alio minus antiquo ponitur *x. kal. Januarii anniversarium Hincmari archiepiscopi, qui corpus beati Remigii, ubi modo jacet, translulit, & sepulcrum ejus auro & gemmis honorificentissime adornavit. Jacet intus.* Ad hæc in antiquo necrologio ecclesiæ Remensis, quod e bibliotheca Christinæ reginæ Sueciæ in Ottobonianam translatum est, Hincmari obitus notatur x. kal. Januarii bis verbis: *Obiit domnus Hincmarus Remensis archiepiscopus tricesimus-quartus, pro quo reddit nobis hospitale ecclesia nostra quatuor tunicas*, pauperibus scilicet erogandas. Vestimenta & calceamenta quinque habet codex Igniacensis, ac viginti-quatuor solidos canonicis obsequium celebrantibus distribuendos, quos suppeditare debebat claviger hospitii, quod Hincmarus ipse condiderat.

ANN. CHR. 882.

Ejus mores quales.

Magnum sui temporis virum fuisse Hincmarum, licet non absque nævis, in confesso est apud omnes. Inculpati ejus mores fuere, ac sordium expertes. In episcopatu abstinentiam a carnibus retinuit. unde ex morbo revalescentem hortatur Pardulus episcopus Laudunensis, ut *ne a lardo & quadrupedibus abstineat, donec sanitas confirmetur, & sic ad siccos & miseros, tardioresque monasticos cibos redeatur.* Peritior videtur fuisse sacrorum canonum, quos decretis pontificiis præferebat, quam ecclesiasticorum dogmatum & Augustinianæ doctrinæ. Critices defectum ei objicit Baronius, quod sermonem de assumtione corporea beatissimæ Virginis Hieronymo tribuat. Sed gravius forte in eo lapsus est, quod hypomnesticon Augustino adscribit, eoque passim utitur contra Gothescalcum; & quod sancti Fulgentii opera, tamquam apocrypha rejicit. Maxima ei gratia & auctoritas apud Carolum regem fuit, qua eum non semel abusum fuisse nonnulli opinantur, præsertim in caussa, Rothadi Suessionensis, atque nepotis sui Hincmari Laudunensis episcoporum, quos dignitate sua exauctoravit, non obstante appellatione ad papam, quam ille prohibuit. Sunt qui nepotis sui excæcationis invidiam in ipsum refundant: at potius ejus auctor fuit rex Carolus, cujus fortasse iram moderari potuisset. tametsi fatendum est, ejus nepotem, hominem turbulentissimum, temeraria agendi ratione, regis iram in se concitasse. In veteri codice, quem Odalricus præpositus Metropolitanæ ecclesiæ Remensi sæculo undecimo concessit, laudatur x. kalendas Januarii *domnus Hincmarus bonæ recordationis Remorum archiepiscopus.* Multos codices ecclesiæ Remensi & sancti Remigii monasterio donavit, nomenque suum singulis fere quaternionibus adscribi curavit. De Fulcone ejus successore agemus anno sequenti.

LXIII. *Marinus papa Johanni succedit.*

Hincmari obitum paucis diebus præcessit mors Johannis papæ VIII. quæ accidit XVIII. kalendas Januarii. Ejus in locum Marinus suffectus est, *qui*, testante Frodoardo in carmine [a] de pontificibus Romanis,

a *Append. Sæc. 3. Bened.*

> ——— *placitus Domino, & decus orbis habetur,*
> *Augustis carus, populorum dignus amator.*

& infra:

> *Nam Graios superans, pulsis erroribus unam*
> *Reddidit ecclesiam, scissumque coëgit ovile.*

Hic primus ab alia sede ad Romanam provectus est, Auxilio [b] in primis testante.

b *Analect. to. 2. p. 612.*

Ansperto Mediolanensi Anselmus.

Eodem mense, nempe VII. idus Decembris, e vivis excessit Anspertus Mediolanensis antistes, qui multas sacras ædes refecisse, atque atria struxisse dicitur ante fores basilicæ, haud dubie Ambrosianæ, in qua & sepultus est. Ad hæc basilicam sanctis Satyro & Ambrosio fratri, atque Silvestro condidit, inque illa octo monachos constituit sub regimine monasterii Ambrosiani, cui basilicam illam subjectam esse voluit. Ejus epitaphium tumulo inscribendum curavit Andreas levita, & forte monachus Ambrosianus, a Puricello, aliisque relatum. Quarto fere ante obitum mense Johannes pontifex alterum in Franciam iter meditabatur, ejusque causa epistolam [c] scripsit ad Supponem comitem, cui mandat, ut ad montem Cinisium una cum Angelberga imperatrice, atque Ansperto Mediolanensi præsule, & Wibbodo Parmensi ipsi occurrat. quæ epistola data est v. kalendas Septembris, indictione quarta-decima. Verum hoc consilium mors Johannis & Ansperti antevertit. Ansperto subrogatus est Anselmus, eo nomine secundus, & ipse bene meritus de basilica Ambrosiana, in qua etiam prope altare sanctæ Marcellinæ Ambrosii sororis sepultus est. Longe ultra hunc annum progressus est Petrus Ambrosianæ basilicæ abbas, qui anno insequente altercationem [d] quamdam habuit cum quibusdam accolis curti Limontæ subjectis, hanc subjectionem excutere volentibus, recusantibusque ex olivetis apud se exstantibus olivas colligere ac premere, oleumque proveniens ad monasterium deferre.

c *Johan. epist. 307.*

d *Puricell. p. 254.*

ANN. CHR. 883.

LXIV. *Remensis cleri excusatio.*

MOrtuo Hincmaro, non statim missus est visitator ad celebrandam electionem, quæ dilata est in annum insequentem. Hanc tamen absque visitatore factam fuisse falso renuntiatum est suffraganeis Remensis diœceseos, & domno Hugoni abbati & Angelvino venerabili episcopo, scilicet Parisiensi, qui primas in palatio

ANN. CHR. 883.

tenebant. Querelis hac de re perlatis ad clerum Remensem, excusatorias litteras Hildeboldo Suessionensi, cæterisque comprovincialibus episcopis scripsere canonici, monachi, & quidam laïci sedis Remensis, easque per *Guntramnum venerabilem monachum* & sacerdotem atque præpositum Altivillarensis cœnobii deferri curarunt. His litteris subscribunt primo loco canonici Remensis ecclesiæ, tum monachi sancti Remigii, in quibus Tetboldus presbyter atque præpositus primus est; dein canonici de sancto Basolo, & post eos canonici de sancto Theoderico, qui utrobique ex monachis canonici facti fuerant; denique monachi Orbacenses, quorum Rambardus præpositus, Helimardus decanus erat. In editis prætermissi sunt monachi Altivillarenses, quorum Guntramnus præpositus harum litterarum bajulus exstitit. Tandem vero celebrata electio est, & omnium vota in Fulconem abbatem Sithiensem conspirarunt. Is erat *vir valde nobilis, & palatinis assuetus officiis*, teste Frodoardo[a], ex canonico factus abbas Sithiensis. Pallium mox obtinuit a Marino papa, & ab eo Remensis ecclesiæ privilegia renovari & confirmari curavit, scriptis ad eum litteris, quibus significat, se ab eodem pontifice dudum fuisse cognitum, quando cum Carolo imperatore Romam ad Johannem papam profectus est.

Fulco Hincmari successor.

[a] Frod. lib. 4. c. 5.

LXV. Ramponis monasterium.

Fulconi frater erat Rampo, qui monasterium in parochia Senonensi ex rebus suæ proprietatis exstruxit. Post Ramponis obitum Erminfridus quidam, qui in Rotomagensi diœcesi degebat, mortui conjugem sibi copulavit; eoque nomine res ipsius monasterii pervasit. Non tulit hanc fratris injuriam Fulco, sed ad Marinum papam hac de invasione querelas detulit. Hinc pontifex Evrardo Senonensi archiepiscopo, in cujus parochia idem constructum fuerat monasterium, litteras direxit; sed & Johanni Rotomagensi antistiti, in cujus diœcesi Erminfridus degebat, dato mandato, ut eum ab hac pervasione monitis suis revocaret; sin minus, canonica feriret sententia. At monitis non statim paruit Erminfridus. Quare Fulco querelas Hadriano papæ Marini successori iterare coactus est.

LXVI. Ansegiso Senonensi succedit Evrardus.

Evrardus mox laudatus in Senonensi cathedra successerat Ansegiso archiepiscopo, qui VII. kalendas Decembris ad Christum migravit, *tristante mundo, lætante cælo*, inquit Clarius, sepultusque est in suburbano sancti Petri monasterio, in oratorio sancti Bartholomæi. De anno mortis Ansegisi non levis est difficultas. Clarius monachus eam refert ad annum, quo defunctus est Ludovicus Caroli filius, cognomento Balbus; adeoque ad annum ejus sæculi septuagesimum-nonum; Galliæ-christianæ auctores ad hunc annum. Verum hic calculus constare non potest. Ansegiso quippe successit *nutu divino*, ut Clarius loquitur, domnus *Evrardus monachus & præpositus sanctæ Columbæ*, IV. *kalendas Maii, doctrina & virtutibus mirabilis*. Itaque si hoc anno decessisset Ansegisus, & quidem VII. *kalendas Decembris* ex Clario, nonnisi anno insequente ordinatus dicendus esset Evrardus, cujus electionem, aut certe ordinationem IV. *kalendas Maii* factam asserit Clarius. Atqui jam e vivis excesserat Marinus papa XV. kalendas Februarii, anno octingentesimo octogesimo-quarto defunctus: qui tamen Evrardo Senonum archiepiscopo scripsit pro monasterio Ramponis, ut mox vidimus. Ergo ante hunc annum obierat Ansegisus, & forte ipso anno, quo Ludovicus Balbus, ut Clarius censuit. Quamquam non bene sibi constat ipse Clarius, qui Nortmannorum insultum in urbem Senonas, qui anno ejus sæculi octogesimo-septimo accidit, componit cum anno quinto pontificatus, extremoque vitæ Evrardi archiepiscopi. adeoque ejus pontificatus initium ad quartum kalendas Maii anni octogesimi-tertii; Ansegisi vero obitus ad septimum kalendas Decembris anni superioris revocari debent. Huic calculo id optime quadrat, quod Evrardus IV. *kalendas Maii* Ansegiso successit, quo die scilicet ordinatus est. Id factum non alia die, quam dominica, quæ hoc anno in ipsam diem incidebat. Extremo Ansegisi anno Gerbertus quidam, & uxor ejus Pavenildis ex villa pagi Senonici Braciago * *super flumine Rhodano*, res quasdam ibidem sitas donant *sacrosancto monasterio sancti Salvatoris vel sancti Remigii seu sancti Valeriani & beati Romani confessoris, quod est constructum in pago Senonico, in loco qui dicitur Vallilias, super fluvium Vedennam, una cum congregatione monachorum, qui ibidem sub sancta regula diu noctuque Deo deserviunt. Actum Braciaco villa publice. Datum in mense Septembrio, in anno quarto regnante domino nostro Carolomagno* seu Carolomanno. In Ansegisi epitaphio, quod Sancta-Marthani, aliique referunt,

S. Remigii cœnobio donatio facta.

* Bray.

ANN. CHR. 883. mentio fit de primatu apud Gallias ipsi concesso a Johanne papa, & de capite sancti Gregorii papæ ab ipso Roma allato, & in sancti Petri basilica reposito, quod Gregorii Magni esse putant.

LXVII. Hericus scribit acta episcoporum Autisiodorensium.

Ansegisi frater erat Wala Autisiodorensis episcopus, genere Francus, patre Ardrado, matre Witela, qui proinde etiam Ansegisi parentes erant. Walæ præcipuum post res sacras studium fuit in litteras ac litteratos, quos humanissime complectebatur, & in colloquium mensamque passim adhibebat. Biennio ante fratrem decessit VII. idus Martii, sepultus in Sessiaco monasterio parochiæ suæ. Is auctor fuit duobus ecclesiæ suæ canonicis, Rainogalæ & Alago, qui velut duo luminaria ceteris præfulgebant, ut gesta præsulum Autisiodorensium, *collaborante Herrico theosopho simul & monacho*, compendiose elucubrarent. quod illi optime exsecuti sunt. Is est Hericus seu Herricus, cujus non semel jam meminimus, monachus sancti Germani Autisiodorensis, qui ad hoc tempus vitam produxit. Ejus discipulus inter alios fuit Remigius, ejusdem loci monachus & magister. Eo usus est Fulco Remorum antistes, atque Hucbaldo Elnonensi monacho, ad restituendas Remis scholas duas, canonicorum scilicet ac ruralium clericorum, jam pæne collapsas; & *evocato* [a] *Remigio Autisiodorensi magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit; ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit. Sed & Hucbaldum sancti Amandi monachum, virum quoque disciplinis sophicis nobiliter eruditum, accersivit, & ecclesiam Remensem præclaris illustravit doctrinis.* Sed id paullo serius. nam Hucbaldus prius in Sithiensi monasterio litteras docuit, ut mox videbimus. Remigii discipuli fuere in primis Hildeboldus, qui grammaticam in monasterio sancti Michaëlis ad Mosam professus est, *ex discipulis domni Remigii, doctissimi ea ætate magistri*; atque Blidulfus Mettensis ecclesiæ archidiaconus, ac demum monachus Gorziensis, *qui ex scholis adhuc supererat Remigii*, ut legitur in libro de vita sancti Johannis abbatis Gorziensis. In necrologio ecclesiæ Autisiodorensis VI. nonas Maii *Remigius monachus, & egregius doctor* obiisse dicitur. Multa scripsit non solum de rebus grammaticalibus, sed etiam de sacris, qualis est commentarius in Paulinas epistolas, sancto Remigio Remorum antistiti falso adscriptus: qualis etiam expositio canonis missæ. Exstat etiam sub ejus nomine commentarius in psalmos, & in prophetas minores.

Remigius ejus discipulus.

a Frod. l. 4. c. 9.

Hucbaldus monachus cum eo Remis docet.

LXVIII. Rodulfus abbas Sithiensis.

Assumto in sedem Remensem Fulcone abbate, Sithiensibus monachis relicta est abbatis ex ipsis eligendi libera facultas. Communi suffragiorum calculo ex senioribus monasterii electus est Rodulfus, ejus loci decimus-nonus abbas, modice litteratus, sed in litteras optime affectus. Id argumento est, quod initio præfecturæ Hucbaldum, sancti Amandi monachum, a Gozlino abbate petiit, obtinuitque, ut ipse ab eo litteris, nullo ætatis, dignitatisve habito respectu aut pudore, informaretur, in quibus non mediocriter profecit. Anno primo Rodulfi abbatis, Rodinus quidam ei tradidit res proprietatis suæ in pago Pontivo, & in pago Ambianensi *in Sana-terra* *. quæ omnia idem abbas Rodino in præstariam concessit, ut fidem facit ejus charta, inscripta *domno sancto & venerabili patri Rodulfo abbati. Actum in monasterio Sithiu, in ecclesia sancti Petri, anno primo Karoli magni imperatoris*, VI. *idus Septembris*. ac proinde hoc anno, qui regni Caroli Crassi primus in Lotharii regno erat. Grimbaldus sacerdos & monachus scripsit.

* *la Santerre.*

LXIX. Grimbaldus ab Ælfredo acceptus in Angliam.

Existimavi aliquando hunc esse Grimbaldum monachum, quem ex Sithiensi monasterio Ælfredus rex in Britanniam invitavit ad restituendum in illa insula studium litterarum. At, re maturius considerata, visum est duos distinguere ejusdem nominis Sithienses monachos sibi æquales: quorum unus ab Ælfredo accersitus sit in Angliam: alter præpositi officio functus apud Sithienses usque ad necem Fulconis archiepiscopi Remensis: quo interfecto, ipse in eamdem insulam confugerit ad vitandum furorem eorum, qui manus injecerant in Fulconem, ab ipso rogatum ad capessendum denuo regimen abbatiæ Bertinianæ. Hæc pluribus explicanda inferius: nunc de Grimbaldo, Ælfredi in restituendis litteris adjutore, agendum, quem majorem deinceps appellabimus. Hic sub Hugone abbate, Caroli Magni filio, septennis, si Iperio credimus, oblatus est Deo apud sanctum Bertinum. Molanus ait eum præpositi officium ibidem gessisse, & abbatis munus post Rodulfi obitum recusasse, regique auctorem fuisse, ut Fulco, tunc archiepiscopus, hanc præfecturam denuo resumeret. Verum hæc alteri Grimbaldo convenire constat:

stat : cum eo tempore Grimbaldus major Wintoniensem abbatiam in Anglia regeret. De ejus missione in illam insulam ita scribit Asserus in libro de vita Ælfredi regis. Hic *legatos ultra mare ad Galliam magistros acquirere direxit, indeque advocavit Grimbaldum sacerdotem & monachum, venerabilem videlicet virum, cantatorem optimum, & omni modo ecclesiasticis disciplinis, & in divina scriptura eruditissimum, & omnibus bonis moribus ornatum. Johannem quoque aeque presbyterum & monachum*, de quo postea. Grimbaldum e Sithiensi monasterio accitum fuisse constat, & quidem a Fulcone abbate, aut a Rodulfo ejus successore missum. Si a Fulcone abbate; id factum oportuit haud serius anno præcedente octogesimo-secundo, quo Fulco abbas in locum Hincmari archiepiscopi suffectus est. Neque porro id differri potest ad secundam Fulconis jam archiepiscopi præfecturam post mortem Rodulfi abbatis, quæ accidit anno octogesimo-octavo. quo tempore Grimbaldus sine dubio in Britannia versabatur. siquidem anno DCCCLXXXVI. teste Assero, exorta est infausta Oxoniæ discordia *inter Grimboldum, doctissimosque illos viros, quos secum adduxit; & veteres illos scholasticos, quos ibidem invenit*. Discordia hæc orta fuit post tres minimum annos, quam Grimbaldus eo accesserat. quippe, ex ipso Assero, per tres annos haud magna inter eos fuerat dissensio : occultum tamen fuit odium, quod summa cum atrocitate postea erupit. Itaque vel superiori, vel certe præsenti anno hæc missio facta est.

Oxoniensis academiæ fundatio.

Non solus in Angliam trajecit Grimbaldus, sed *doctissimos viros secum illac adduxit*, ut modo ex Assero vidimus. Plures e Sithiensi monasterio, sed non omnes, accersitos fuisse veri simillimum est. Nec proinde mirum, quod Rodulfus abbas Hucbaldum monachum ex sancti Amandi cœnobio expetierit, magistrum futurum apud Sithienses, quibus tum copia deerat virorum doctorum ob missionem Grimbaldi, aliorumque in Angliam. Causa evocandi istuc Grimbaldi & sociorum fuit, referente [a] Willelmo, *ut litteratura studium, in Anglia sopitum & pene emortuum, sua suscitaret industria*. Quare fundata aut certe restituta est Oxoniæ celebris academia non serius hoc anno, siquidem post tres abhinc annos discordia illa Oxoniæ erupit. Hinc corrigendus Cambdenus, qui ad triennium differt hujus academiæ institutionem, & quidem *primitus in ea regentibus ac in schola theologica legentibus sancto Neoto abbate necnon in theologia doctore, & sancto Grimbaldo sacra pagina suavissima dulcedinis excellentissimo professore; in grammatica vero & rhetorica regente Asserio monacho*. Hi duo Anglici erant, non ex numero illorum doctissimorum virorum, quos Grimbaldus e Gallia secum adduxerat. An vero Johannes presbyter ac monachus cum eo istuc accesserit, postea videbimus, postquam de Neoto abbate, aliisque indigenis doctoribus dixerimus.

[a] Willelm. lib. 2. de regib. Angl. c. 4.

LXX. S. Neoti abbatis vitæ epitome.

Neotus abbas regio satus sanguine, cognatus Ælfredi regis, teste Assero, patrem habuit Flidulfum, totius Cantiæ rectorem; matrem æque ex regum prosapia ortam. Post liberalem educationem suis natalibus parem, in Glastoniensi monasterio religiosam vitam professus est adolescens. Factus sacerdos, cum ob virtutis ac natalium splendorem cunctos ad sui venerationem pertraheret; vitandæ inanis gloriæ causa, uno comitatus Barrio socio, in solitarium Cornubiæ locum secessit, haud longe a Leskerda opido; ubi post septem annos, Roma lustrata, monasterium exstruxit, a multis statim expetitum, cui ipse præfuit, ac mortuus nomen ex suo * dedit. Regnabat tunc Ælfredus, qui primo regni sui tempore vexatis subditis ad eum confugientibus non modo patrocinium non impendebat suum, immo eos omnino nihili pendebat. *quod beatissimus vir Neotus adhuc vivens in carne, qui erat cognatus suus*, inquit Asserus, *intimo corde doluit, maximamque adversitatem ob hoc ei venturam spiritu prophetico plenus prædixit.* nempe futurum, ut a barbaris subactus, exclususque regno, vagus & profugus, aliquamdiu latitare cogeretur. quod rei postea probavit eventus, scilicet anno ejus sæculi septuagesimo-octavo. quo tempore in paludosis & inaccessis Æthelingiæ locis Ælfredus ad tempus delituit. Denique Neotus meritis plenus ad cælum migravit pridie kalendas Augusti, sepultusque est in ecclesia monasterii sui, quam sancti Guevori tumulo etiam illustrem fuisse tradit Asserus. De anno sancti Neoti obitus non levis difficultas, quam facile solveremus, si primarium ejus vitæ scriptorem, ab Assero laudatum, præ manibus haberemus. at auctor anonymus, qui res ab eo gestas sæculo duodecimo retulit, sic rerum seriem perturbat, ut ex eo nihil certi statui possit. Neotum enim

* Neotstow.

ANN. CHR. 883. modo ante Gytronis pagani de Ælfredo victoriam, quæ anno ejus sæculi septuagesimo-octavo contigit, mortuum innuit; modo pervenisse ait ad Marini pontificatum, qui post annos quinque ab illa victoria incœpit. Atqui præferenda videtur prior sententia ex Assero, qui de illa Ælfredi clade sic agit, ac si Neotus jam vivere desiisset. quippe qui adhuc *viveus in carne* hanc illi adversitatem eventuram spiritu prophetico prædixisse memoratur. Quod si Oxoniensis academiæ fundatio ad annum octingentesimum-tertium, ut plerique censent, differenda est; Neotus, ante quinque annos mortuus, ad illam nihil, nisi monitis summum & adhortationibus suis, conferre potuit. Ejus reliquiæ primo Ainolbesbiriam, dein post medium sæculum undecimum Crulandam translatæ sunt.

LXXI. Ælfredi adjutores in excitandis studiis. Cum litterarum studia in suo regno excitare cuperet Ælfredus, primo ex ipsa insula Britannia, quotquot potuit, studiosos undequaque collegit. Hi præcipui fuere Werfrithus Wigorniensis ecclesiæ episcopus, in divinis litteris non mediocriter eruditus, qui libros dialogorum sancti Gregorii papæ, jussu regis, e Latina in Saxonicam linguam convertit. Dein Plegmundus, ex eremita Dorobernensis antistes, multa præditus sapientia; Æthelstanus quoque & Werwulfus sacerdotes & capellani eruditi, quos e Mercia rex evocaverat. Hos laudat Asserus, qui & ipse ab Ælfredo, multis præmiis propositis, invitatus, e remotiori Britannia *ad Saxoniam*, ut ipse loquitur, accessit. Certe Ælfredus ipse in præfatione ad versionem Saxonicam pastoralis Gregoriani, ait se id fecisse, sicuti didicerat a Pleimundo archiepiscopo suo, & Assero antistite itidem suo, necnon a Grimbaldo & Johanne sibi a sacris.

Asserus episcopus. Asserus seu Asserius, quem nonnulli Asserionem vocant, natus fuit in ultimis & occiduis Britanniæ finibus in Demetarum regione, quæ nunc Pemprochianus pagus dicitur; ibique Meneviæ in monasterio Dewi seu Degwi, sanctissimi olim ejus urbis episcopi, a quo urbs * cognomen accepit, educatus & sacris initiatus fuit. Fama ejus ad Ælfredum perlata, ab ipso advocatus, missis regiis comitatus ad regem pervenit, ac benigne ab eo, ut ipse scribit, susceptus est, rogatusque, ut se ejus „ servitio devoveret, & omnia, quæ in patria possidebat pro eo relinqueret, ma„ jora ab eo percepturus. Respondit Asserus, se id incaute ac temere promittere „ non posse. Injustum enim sibi videri, ut *illa tam sancta loca, in quibus nutritus & doctus, ac coronatus*, id est tonsura insignitus, *fuerat, atque ad ultimum ordinatus*, pro quovis terreno honore ac commodo, nisi coactus, relinqueret. Sed tandem consilio suorum, qui hac ratione Ælfredi tutelam sibi demereri cupiebant, regis petitioni acquievit, ejusque servitio se devovit, ea conditione, ut identidem ad suos remeare sibi liceret. Ita factum est, ut Saxonia *adjuvaretur per rudimenta sancti Degvi*, & *monasterium & parochia sancti Degvi*, quæ a vicinis regibus sæpius infestabatur, ab Ælfredo defenderetur. Nec inanis fuit Asseri in regem opera, qui ipsi duo monasteria in Saxonia tradidit, *Amgresbyri*, scilicet ac *Banuwille*, cumque demum Schireburnensi ecclesiæ præfecit. Hæc de indigenis magistris.

* S. Davidis.

LXXII. Johannes presbyter ac monachus. Sed cum nec sic ardentissimo regis desiderio factum esset satis, legatos *ultra mare in Galliam* direxit ad conquirendos magistros, indeque Grimbaldum sacerdotem & monachum, de quo superius egimus, evocavit; *Johannem quoque, aque presbyterum & monachum, acerrimi ingenii virum*, ut loquitur Asserus, & omnibus litterarum disciplinis excultum, *Ealdsaxonum genere*, id est *e veteri Saxonia oriundum*, ut recte Willelmus * Malmesburiensis, & post eum Ingulfus interpretantur, atque adeo Germano-Saxonem. Et ne quis de Asseri addubitet sententia, idem ipse *regionem antiquorum Saxonum Ealdsaxum* vocat. quo spectat Gregorii papæ secundi epistola, inscripta *universo populo provinciæ Altsaxonum*, qua eis Bonifacium episcopum commendat. Hac vel una ratione omnino distinguendus est hic Johannes a Johanne Scotto, quem *Scottigenam* Hincmarus & Anastasius vocant, id est *Scottum genere*, ut Nicolaus papa primus diserte explicat, & apud Scottos genitum. Accedit quod Scottus numquam se presbyterum, monachumve in librorum suorum præfationibus dicit, nec ullus veterum, æqualium scilicet aut suppariorum, ipsum his titulis afficit, quos Johanni Ealdsaxoni Asserus non semel tribuit. Denique Johannes Scottus attigit quidem, sed non videtur excessisse Johannis VIII. pontificatum. certe nulla ejus opera edita sunt post principatum Caroli Calvi, qui Scotto, si non fallor, supervixit. At Johannes Saxonicus vitam produxit ad an-

* Willelm. lib. 2. c. 4.

Alius a Johanne Scotto.

ANN. CHR. 883.

num circiter ejus sæculi nonagesimum-quintum : quo tempore is, vegetæ adhuc ætatis, necatus est, vir *bellicosa artis non expers*, teste Assero : cum Scottus nonnisi sophisticam artem calluerit. Denique nihil a Scotto recentius scriptum invenio, quam versus græco-latinos, veterrimo glossario græco-latino appositos : ubi, post versus regi Carolo inscriptos, alios [a] subjicit, in quibus Hincmarum archiepiscopum, Johannem papam, & Liuddonem hominem græcum laudat. adeoque hi versus a Johanne conditi sunt ante initum a Carolo imperium, id est ante finem anni octingentesimi septuagesimi-quinti. Liuddo græcus idem ipse videtur, ut jam superius [b] notavi, cujus meminit Hincmarus in epistola decima-septima ad Nicolaum papam, in hæc verba : *Ceterum Liuddo mihi dixit, quod cum eo rationem*, id est querelam, *de damnatione & reclusione Gothescalci habuissetis*. Sed de his satis, quæ fusius in Johannis abbatis elogio a nobis olim dicta hic repetere otiosum fuerit.

[a] *Exstant in præfat. Congesti ad Glossar. græcolat.*

[b] *lib. 35. n. 59.*

LXXIII. Monasteria ab Ælfredo condita.

Non modo de litteris sollicitus fuit Ælfredus, sed maxime de animæ suæ salute & de rebus sacris. Hinc duo monasteria construxit, unum virorum apud Æthelingiam, ubi aliquamdiu delituerat ob metum paganorum : alterum virginum juxta orientalem portam Sceftesburgi seu Sceftoniæ, *in quo propriam filiam suam Æthelgeofu, devotam Deo virginem, abbatissam constituit* : cum qua etiam aliæ multæ nobiles sanctimoniales ibidem sanctissime vixerunt. quæ duo monasteria multis prædiis ac possessionibus locupletavit. Tertium virorum item Wintoniæ condidit, cui Grimbaldum præfecit. Æthelingiense monasterium paludibus atque impermeabilibus locis & aquis cinctum erat, ad quod non nisi per pontem, inter duas arces positum, accessus erat. Cum vero in illis plagis, sive ob paganorum infestationem, seu *pro nimia illius gentis in omni genere divitiarum abundantia, propter quam multo magis id genus monastica vita despectum fieri* Asserus existimat, jam pæne monachi in illis regionibus defecissent, nec fere quisquam nobilium ac liberorum indigenarum, præter infantes, monasticam vitam subire vellet ; ideo ultramarinos quosdam presbyteros ac diaconos Ælfredus in Æthelingiense monasterium congregavit, in quo *Johannem presbyterum monachum, Ealdsaxonum genere, abbatem constituit*. Verum, cum necdum tantum numerum, quantum vellet, monachorum haberet ; *comparavit etiam quam plurimos ejusdem gentis Gallica*, ex qua scilicet non modo Grimbaldum, sed etiam Johannem illum, ac presbyteros diaconosque prædictos accersiverat : ex quibus quosdam pueros in eodem monasterio erudiri, & processu temporis monastico habitu indui curavit : ubi etiam unum ex paganorum genere, *non ultimum eorum*, in monastico habitu degentem, sibi notum fuisse Asserus testatur. Ex dictis intelligitur, Johannem presbyterum & monachum, licet e veteri Saxonia oriundum, e Gallia tamen una cum Grimbaldo evocatum fuisse : at quo ex monasterio locove Galliæ accersitus sit, non liquet. Mihi veri simile videtur, eum in Corbeiæ cœnobio degisse, ubi veterum Saxonum, recens ad fidem conversorum, plurimi liberi in religione christiana, litteris, ac monasticis institutis erudiebantur, ut ex Paschasio Radberto in actis Adalhardi ac Walæ abbatum, & ex anonymi libello de constructione Corbeiæ-novæ demonstravi in elogio Johannis Æthelingiensis abbatis.

Johannes Æthelingiæ abbas.

LXXIV. Sceftoniensis parthenon.

Sceftonia * urbs quondam, postea redacta in vicum, posita erat in Dorsatensi agro parochiæ Schireburnensis apud occidentales Saxones. Hanc Ælfredus anno regni sui octavo condidisse fertur. Ad ejus urbis orientalem portam exstructum est ab eodem rege virginum cœnobium, cui Æthelgeofu regis filia præposita, teste Assero, Elfgiva dicta a Willelmo [c]. Et tamen Elgiva, uxor Edmundi, qui Ælfredi pronepos fuit, ibi monasterium sanctimonialium fecisse dicitur ab eodem [d] Willelmo, ibidemque carnis exuvias post fatum deposuisse : at ditatum ab ea hoc cœnobium constat, non primitus ædificatum. Eo loci jacuit sanctus Edwardus, hujus reginæ ex filio Edgaro nepos, quem novercali fraude innocenter occisum cælum excepit. Sceftonia jam fere destructa erat tempore Willelmi Malmesburiensis, *vicus modo*, inquit ille, *quondam urbs, locus in prærupto montium situs. Vetustatis indicium dat lapis in capitulo sanctimonialium insculptus, ita a vetustissimi muri ruinis illuc translatus*. Æthelredus rex sæculo insequenti duodecim mansos donavit huic cœnobio, quod insulani etiam tunc usitato nomine *Scaftesbury* appellabant.

* *Scaftesbury.*

[c] *Willelm. lib. 2. de reg. c. 4.*

[d] *idem lib. 2. de pontif. Angl. c. 4.*

LXXV. Wintoniensis abbas Grimbaldus.

Wintoniense monasterium, quod Ælfredus rex Grimbaldo commisit, Novum dictum est ad discrimen veteris monasterii, quo nomine ex eo tempore cathedralis

ANN. CHR. 883.

ecclesia insignita est. Novum illud monasterium Ælfredus, morte præventus, imperfectum reliquit, quod Edwardus ejus filius omnino absolvit. Hic ad ejus officinas instituendas sufficiens terræ spatium ab episcopo Denewlfo & canonicis mercatus, insigni æquitatis exemplo, *ad unumquemque pedem mancam auri*, sic marcam vocat Willelmus [a], *publico pondere pensitavit.* Idem rex primum canonicos [b] ibidem posuisse dicitur, *Grimbaldo quodam monacho Flandrensi & sacerdote suadente, qui ibidem magna gloria humatus, sanctus prædicatur & creditur.* Mirum Grimaldo monacho venisse in mentem, ut illic canonicos, non monachos instituti sui collocaret. At fortasse ab hoc consilio deterritus ob necem, quam Johanni abbati Æthelingiensi duo monachi per duos sicarios intulisse perhibentur. Verum cum novi monasterii ecclesia cathedrali sic contigua esset, *ut voces cantantium alia obstreperent aliis*; idque mutuis querelis & offensis inter utriusque loci canonicos materiam præberet; Ethelwoldus episcopus Novum monasterium extra urbem transtulit, monachis canonicorum loco substitutis, quibus Edgarum abbatem præfecit.

a id. ibid.
b ibid.

LXXVI. Nortmannorum variæ in Franciam impressiones.

Asserus in libro de gestis Ælfredi regis varias tunc Nortmannorum in Franciam incursationes memorat. In primis Rollonem anno octingentesimo septuagesimo-septimo *in Nortmanniam* (mirum hanc Neustriæ partem sic jam vocari) cum suis penetrasse. Post annos tres exercitum paganorum, relicta Britannia insula, *ad orientalem Franciam* trajecisse, & *per unum annum in loco, qui dicitur Gaent* seu Gandavum, mansisse. Inde, anno octogesimo-secundo prædictum exercitum per flumen, quod dicitur Ine, sursum in Franciam progressos, ibidem uno hiemasse anno; ac demum per flumen Scaldis adversa aqua navigasse *ad monasterium sanctimonialium, quod dicitur Cundoht*; ibique uno anno perstitisse. Hic locus non alius est a Condato, ubi tunc temporis *regalis & dives in honore sanctæ Mariæ abbatia erat puellarum: nunc autem*, ait [c] Baldericus, est *monasterium, præ inopia, paucorum canonicorum*, qui forte ab illa Nortmannorum direptione in locum sanctimonialium successerunt. Illic sanctum Wasnulfum, Scottum genere, cursu peregrinationis suæ consummato sepultum fuisse, suisque meritis ac miraculis eumdem locum illustrare idem auctor testatur.

Condati cœnobium.
c Balderic. lib. 2. c. 42.

LXXVII. Alfa monasterium.

Exstabat hoc tempore in Burgundiæ pago Attoariensi monasteriolum, Alfa nuncupatum, quod Carolus Calvus in honorem Salvatoris exstruxisse perhibetur, eique *Rotfridum abbatem ex Manso-Corbonis, qui Cella-nova dicitur, virum strenuum, ipsis diebus vitæ suæ* præfecisse. Subjecta itaque fuit ab origine hæc cella Manso-Corbonis seu Cellæ-novæ, abbatiæ utique pagi Trecensis, cujus primus auctor & abbas Adremarus postea nomen loco indidit Adremarensi seu Arremarensi. Ejus successor, haud scio an proximus, fuit Rotfridus abbas mox laudatus, cui suffectus Sadrebertus seu Sadrabertus. quo mortuo, Adremarenses Carolomannum Compendii degentem adierunt, *per intermissionem Hugonis abbatum venerabilissimi*; ostensisque præceptis Karoli augusti ac Ludovici ejus filii, patris Carolomanni, humiliter petierunt, ut loco ipsius Sadreberti alterum Rotfridum, quem ipsi moribus & vita probabilem testabantur, abbatem sibi annueret, & Alfa monasterium eidem subjicere dignaretur, ipsosque sua tuitione fovere. Hoc vero non gravate indulsit Carolomannus, sanxitque, ut nullus alterius loci monachum eis præficeret, sed solum ex ipsis, *qui regulariter ibi ab infantia nutriti fuissent*: ut quieti ac molestiæ expertes, illic degerent monachi, & pro se, avoque suo Carolo Augusto, & Ludovico rege parente suo, avaque sua gloriosa regina Hirmendrude, necnon genitrice sua Ansgarde, fratreque suo Ludovico, ac pro regni statu liberius Deum precarentur. Nulla conjugis mentio in hoc præcepto Carolomanni, quippe qui conjugii expers decessit. Actum apud Compendium palatium publicum, v. idus Februarii, anno regni ejus quinto, indictione prima. De hac cella iterum inferius, quam Erchengerus abbas, Rotfridi secundi successor, Adremarensi monasterio coram Odone rege asseruit.

Adremarenses abbates.

S. Prudentii Besuam translatio.

In eodem Attoariorum pago positum est Besuense sancti Petri monasterium, quod hoc anno reliquiis sancti Prudentii martyris honoratum fuit. Has ex urbe Narbone Geilo Lingonum antistes attulisse dicitur, & Besuam intulisse nonis Octobris, quo die ejus translationis sollemnitas ab ipso sancita est, ut fusius tradit Theobaudus Besuensis monachus, qui hanc translationem, & consecuta inde miracula quatuor libris complexus est, in quibus pauca observatione digna occurrunt. Certe

ANN. CHR. 883.

Geilo ipse litteris suis [a] hoc anno datis testatur, se eodem anno beatissimum Prudentium martyrem Christi in Besuensi monasterio collocasse, ubi miraculis coruscabat, ideoque ad luminaria ei suppeditanda quædam prædia contulisse.

[a] *Spicil. to. 1. p. 619.*

LXXVIII. Marini papæ privilegium pro Sollemniaco.

Tunc Sollemniacensi monasterio apud Lemovices præerat Daniel abbas, qui ejus loci privilegium a Marino papa confirmari curavit, uti Bernardus ejus antecessor illud ipsum synodi Suessionicæ litteris roborari obtinuerat. Hoc itaque monasterium ejusque possessiones sub defensione ac tuitione beatorum apostolorum Petri « & Pauli ac sua statuit pontifex, sicut factum fuerat ab ejus antecessore, postulante « rege Francorum Dagoberto, & constructore ipsius loci sanctissimo viro Eligio episcopo Noviomagensi. quod quidem eo alacrius concedit pontifex, quo monachos « ejus loci Deo propinquiores in sancta conversatione esse noverat. Hoc autem privilegio vetat Marinus, ne quis quavis præditos dignitate, res ac possessiones ejus « monasterii quovis prætextu minuat vel subtrahat; ullasve paratas vel stationes illic « exigat: sed liceat servis Dei hospitalitatem cunctis fidelibus, prout sibi visum fuerit, impendere. Denique statuit, ut post mortem abbatis nullus ibidem abbatem « statuere ausit, nisi quem ejusdem loci monachi *secundum authenticam & regularem institutionem* ex seipsis elegerint ordinandum. Scriptum per manum Zachariæ scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ mense Madio, indictione prima. Datum pridie idus « Junias per manum Valentini ecclesiæ Portuensis episcopi, anno pontificatus domni « Marini universalis papæ primo, indictione prima. «

LXXIX. Bertholfo Trevirensi succedit Ratbodus.

Eodem anno Bertholfus Trevirensis antistes e vita migravit IV. idus Februarii. Huic subrogatus est VI. idus Aprilis Ratbodus abbas, uti & ejus antecessor, Mediolacensis: qui in Mettensi ecclesia Rotbertum præsulem X. kalendas Maii insequentis ordinavit, vir egregiis ad pontificium munus gerendum naturæ & doctrinæ præditus adjumentis, ait Browerus, qui Bertholfi ejus antecessoris ossa ecclesiæ beati Paulini illata fuisse testatur: ubi brevi saxo magni viri monumentum juxta sacrarium cum hac inscriptione clauditur: *Obiit Bertolfus Trevir. archiepiscopus IIII. idus Febr.*

LXXX. Hartmoto abbati S. Galli suffectus Bernardus.

In monasterio sancti Galli Hartmotus abbas, cum senio & incommodis affectæ valetudinis regimini se imparem sentiret, apud Carolum imperatorem ac fratres suos institit, ut alter in ipsius locum, qui molem præfecturæ sustinere valeret, substitueretur. Repugnantibus non solum monachis, sed etiam imperatore, cum ille nihilo minus dimissionem suam pertinaciter urgeret, tandem, licet ægre, optimi senis ardentissimis precibus cessit imperator, & primo quoque tempore rem se executurum pollicitus est. Hic itaque non multo post ex Italia reversus, divertit ad sanctum Gallum, ubi triduo demoratus est. Mox Hartmotus preces iterare, rogitare se absolvi. Flagitanti demum assensit Carolus, ac fratribus concessit, ut, quem vellent, ex seipsis Hartmoto successorem deligerent. Sub finem igitur hujus anni, cum rem alio flecti posse patres desperarent, unanimi voto Bernardum seu Pernhardum, nobilitate, religione, & prudentia insignem, atque ætate florentem, elegerunt: cujus electionem Carolus ultro approbavit, pollicitus, se jus eligendi patribus, quoad inter ipsos ad regimen idonei haberentur, integrum servaturum. Itaque Hartmotus præfectora cedens, in solitariam monasterii possessionem secessit; ac cæsaris, novi abbatis, patrumque omnium assensu quædam prædia sibi successoribusque, qui abbatiam abdicaturi essent, reservari curavit. In hoc secessu tandem senio confectus, diem ultimum clausit X. kalendas Februarii, atque in cœmeterio sancti Galli ad ecclesiam sancti Petri conditus est juxta sacros cineres Landolai seu Landeoli *Darviensis episcopi*, nobilis Suevi ac cognati sui: qui olim apud sanctum Gallum educatus, dum Roma aliquando rediret, Italici aëris vitio febre correptus, vix ad sancti-Gallenses suos pervenire potuit: apud quos diem clausit extremum, & non sine fama sanctitatis ac miraculorum in ecclesia sancti Petri humatus est. Eodem Hartmoto rogante, cooperante etiam Liutwardo episcopo & archicancellario, Carolus quamdam Italiæ abbatiolam, *Massin* vocabulo, vinearum & olearum feracem, quam Liutwardus in beneficium habebat, sancti Galli monasterio contulit. Omnium votis & exspectationi optime respondit Bernardus abbas, Sereneus dictus ob generis, ut putant, dignitatem, qui a Grimaldo & Hartmoto transmissum religionis & litterarum patrimonium studiosissime excoluit. Ejus ordinatio facta est circa finem hujus anni, sexta feria, VIII. idus

ANN CHR. 883

Decembris, indictione prima, anno vero Caroli imperatoris tertio, teste Ratperto monacho in libro de casibus sancti Galli, qui liber in Bernardi ordinatione desinit.

Anonymus S. Galli & Annalista Fuldensis.

Dum Carolus augustus apud sanctum Gallum in procinctu Romani itineris moraretur, forte incidit ei cogitatio, ut ad faustum regni sui auspicium Caroli Magni exemplum sibi imitandum proponeret. Quapropter ejus vitam cuidam monacho Sancti-Gallensi, cujus nomen ignoratur, scribendam commisit. quod ille duobus libris executus est, in quibus etsi quædam fabulæ permistæ sint, non pauca tamen singularia occurrunt, quæ alibi minime reperias. Primus liber agit de *religiositate & ecclesiastica domni Caroli cura*: secundus de *bellicis ejus factis*. Prioris libri argumentum [a] suppeditavit in primis Werenbertus, quem auctor ille sancti Galli monachum ac magistrum suum vocat, & septimo ante die de hac luce recessisse dicit: posterioris vero libri materiam se accepisse ait *ex narratione Adalberti, patris ejusdem Werenberti*, qui Hunisco, Saxonico & Sclavico bello interfuerat. Porro idem auctor satis aperte innuit tempus, quo librum saltem secundum scribebat, nempe cum abbas suus Hartmutus jam *inclusus* esset, post secessum scilicet a magistratu, qui hoc anno, ut modo dicebam, contigit. Ad Werenbertum ejus magistrum quod attinet, is videtur esse Werembertus [b] ille sancti Galli monachus, cui commentarium quemdam in Apocalypsin & historiam sui monasterii tribuunt: sed neutrum hactenus vidimus.

Eodem fere tempore Annales Fuldenses, a Pithœo primum, dein a Chesnio editos, scribebat anonymus Fuldensis monachus, de quo plura vide sis apud Gerardum Vossium [c] in libro secundo de historicis Latinis.

LXXXI. Caroli cæsaris præcepta pro Casa-aurea & Farfa.

In illo Caroli Crassi Italico itinere, cujus modo meminimus, ipsum obviam Marino papæ processisse, eumque honorifice Nonantulæ accepisse tradunt annales Fuldenses. Dum illic versaretur imperator, Romanus Casauriensis abbas Celsum præpositum ac monachum ad eum misit, rogans & petens ab eo, ut sex mansos, in Amiterno acquisitos, suo monasterio confirmaret imperiali præcepto. quod facile obtinuit abbas Liutardo seu Liutwardo episcopo & archicancellario suggerente. *Data* [d] XII. *kalendas Julii, anno incarnationis Domini* DCCC LXXXIII. *indictione prima; anno vero imperii piissimi imperatoris Caroli tertio. Actum ad monasterium, quod nuncupatur Nonantula.* Crassus deinceps, aliique post eum imperatores annos incarnationis in suis præceptis adhibuere. Ibidem adhuc versabatur VIII. kalendas ejusdem mensis, cum Teuto abbas monasterii sanctæ Mariæ, siti in loco, qui dicitur Acutianus, per eumdem Liutwardum præsulem & palatii archicapellanum litteras regiæ tuitionis renovari petiit, obtinuitque; simulque restitutionem earum rerum quæ per vim aut præstarias eidem monasterio abstractæ fuerant. Actum in monasterio Nonantula, octavo, ut dixi, kalendas Julii, anno & indictione prædictis. Post Johannem Acutianum seu Farfensem abbatem, de quo superius [e] egimus, locum illum rexit Anselmus ab anno octogesimo-primo tantum ad hunc annum, quo Teuto abbas ei in annos ferme sex successit. Hic *præceptum optimæ liberalitatis a Carolo magno imperatore* obtinuisse dicitur, anno ejus imperii tertio, Marini papæ primo, indictione prima. In Casauriensi vero seu Piscariensi monasterio mortuus est anno sequenti Romanus abbas, ejus loci primus: cui Beatus tantum ad biennium subrogatus; Beato vero successit Aimericus, qui Casæ-aureæ per annos octodecim præfuit temporibus Widonis & Lamberti augustorum, multaque suo monasterio acquisivit. De Lupo ejus successore & quarto loci abbate in consequentibus agendum.

LXXXII. Cerretum monasterium instauratur.

Idem imperator quoddam monasteriolum sancti Michaëlis, conditum in loco, qui dicitur Cerretum, ad flumen Ollei in confiniis agri Cremonensis, quod monachis destitutum erat, cuidam Autprando fideli suo [f] commisit, immo in beneficium dedit, eo pacto, ut illud ad monasticum statum reduceret, & singulis annis ecclesiæ sancti Alexandri Pergamensi seu Bergomati centum libras olei persolveret: post Autprandi vero obitum prædictæ ecclesiæ hoc monasteriolum cederet, ita ut omni tempore duodecim monachi regulariter viventes ibi consisterent; ipsis vero & abbati, secundum regulam beati Benedicti ab ipsis electo, tantum de rebus & familiis, quæ eidem cœnobio viciniores essent, quantum ipsis necessarium fuerit, unde secundum eamdem regulam victum & vestitum cum familiis sibi servientibus facile habere possent. *Data* III. *kalendas Augusti, anno incarnationis Domini* DCCC

a Præfat. lib. 2.

b V. Vossium de hist. Lat. lib. 2. c. 36.

c ibid. c. 37.

d Spicil. to. 5. p. 596.

e Abbates utriusque loci. l. c. lib. 34. n. 83.

f Ital. sac. to. 4. c. 596. & seqq.

ANN. CHR. 883.

LXXXIII. *indictione I. anno vero domni Karoli in Italia tertio. Actum apud Murgulam curtem regiam*, ubi etiam duo alia edita sunt præcepta pro ecclesia Bergomensi, in quibus hoc monasterium eidem ecclesiæ post mortem Autprandi attribuitur.

Savinionis monasterium. * *Lady.*

Eodem anno Marinus papa, rogatu Gerardi Laudensis episcopi, Savinionis monasterium, quod prope Laudem-Pompeiam * situm erat, Laudensi ecclesiæ tribuit, ea lege, ut semper in eodem cœnobio regularis institutio inviolabiliter servaretur; & post obitum Adelberti abbatis, libera esset successoris electio. Si quando vero episcopus ad idem monasterium venisset, non plures quam triginta homines & quadraginta caballos secum duceret, nec ultra triduum ibi moraretur. Quod si umquam prægravaretur abbas ab episcopo, libere ad apostolicam sedem appellaret. Hoc videtur esse monasterium sancti Petri, quod Racletus episcopus principatu Ludovici Pii erexit, multisque opibus ac privilegiis auxit.

LXXXIII. S. Facundi monasterii clades. a *Mariana lib. 7. c. 19.* Sancti Petri de Rupibus cœnobii origo. * *Orense.*

In Hispania sanctorum Facundi & Primitivi monasterium, in Vaccæis celeberrimum, hoc tempore a Mauris solo æquatum [a] est, dum pugnam cum catholicis Hispanicis detrectarent. Paullo post Alfonsus Magnus regio sumtu illud instauravit ea magnificentia, ut nullum in Hispania divitiis, amplitudine, majestate illustrius fuerit, nostraque ætate in paucis nobilissimum habeatur. Sub idem tempus in Gallicia monasterium sancti Petri de Rupibus, prope urbem Auriam *, conditur a quodam nobili viro, Gemundo nomine, qui inter venandum loci solitudine captus, eo se recepit, multisque adjunctis sociis cœnobium ædificavit, Alfonso rege impensas suppeditante. Processu temporis hoc monasterium in cellam redactum, Celsæ-novæ unitum ac subjectum est.

ANN. CHR. 884. LXXXIV. Marino papæ succedit Hadrianus III. b *Frod. lib. 4. c. 1.* c *num. 65.*

VIx annum in sede beati Petri secundum inierat Marinus papa, cum vitam simul & pontificatum amisit, fato functus XV. kalendas Februarias. Post triduum Agapitus Romanorum principum suffragante factione sublegitur, atque Hadrianus tertius appellatur. Huic initio pontificatus litteris gratulatus [b] est Fulco Remorum antistes, eique supplicavit pro Ramponis fratris sui monasterio, cujus res quidam Erminfridus, ut superius [c] vidimus, invaserat. Eidem commendat Carolomannum regem, qui non diu superstes fuit. Hic cum Nortmannorum novas in regnum incursiones sustinere non valeret, eis duodecim millia pondo argenti puri pro totidem annorum induciis dedit; neque ita multo post e vita migravit VIII. idus Decembris, quem alii inter venandum ab apro percussum, alii a Bertoldo quodam, qui eum in occidendo apro juvare volebat, fortuito sauciatum, & post dies septem mortuum tradunt. De loco, ubi percussus est, non convenit etiam inter veteres. Chronicon de gestis Nortmannorum eum in *Basiu* silva venationi dantem operam, alii fere omnes in Evelino * saltu agri Parisiensis, in monte-Ærico * percussum volunt. Sepultus est in basilica Dionysiana. Ad ejus mortis nuntium denuo excitati Nortmanni, in regnum se iterum intulère, inducias se cum Carolomanno, non cum aliis pepigisse inquientes, non aliter pacem cum successore, nisi eodem accepto pretio, habituri. Hoc responso territi Hugo abbas aliique optimates, cum Carolus, Ludovici Balbi filius, vix quadrimus sibi ipsi, nedum regno tutando impar esset, Carolum imperatorem ad capessendum regnum invitant, ac se illius potestati sollemnibus sacramentis apud Gundulfi-villam obstringunt. Tum Nortmanni in Lotharii regnum effusi, castris ad Lovanium positis, omnia circumquaque devastant. Eo quantocius advolat imperator, eosque ad deditionem compellit. Tunc temporis Libertum sancti Trudonis præpositum ab eisdem paganis ad altare obtruncatum tradunt.

Carolomanno regi Carolus Crassus. * *La forest d'Iveline.* * *Mont Lery.* Nortmannorum fraus.

LXXXV. Carolomanni præceptum pro S. Germano Autisiodorensi. d *Diplom. pag. 550.*

Paullo ante obitum Carolomannus, postulante Hugone monasterii sancti Germani Autisiodorensis abbate, quem pro fidelitate sibi semper servata *loco patris* se colere dicit, portionem bonorum ejusdem cœnobii monachis assignatam, confirmavit. In hoc præcepto [d] universæ ejus loci possessiones, earumque donatores recensentur: *res quoque, quas dedit Herimarus, vir nobilis, ad stipendia matricularioram, quos nonnones vocant*; item aliæ res, quas Hugo abbas pro remedio animæ genitoris sui Conradi & genitricis suæ, scilicet Adelaïdis; in his Bandiliacus villa, quam cum eodem abbate ipsi fratres commutaverant pro alodo, *quem venerabilis comes Autbertus* (sic legendum, non *Rudbertus*) *pro remedio animæ suæ ac loco sepulturæ Deo, sanctoque Germano contribuisse dicitur.* Hic est sine dubio Aubertus *Aval-*

ANN. CHR. 884.

lensium comes, a Lupo abbate laudatus in epistola XXVIII. Ad hæc in eodem præcepto memorantur ea, quæ *vir nobilis* Tedaldus, & nobiles quoque viri Nortgaudus & fratres ejus pro loco sepulturæ eidem abbatiæ contuleraot. *Data* III. *idus Junii, anno* VI. *regnante Karolomanno gloriosissimo rege, indictione* II. *Actum Meldis civitate.* Idem privilegium Carolus imperator totidem verbis, & Odo rex postea comprobarunt.

Sub finem bujus anni idem princeps Suessionensi sancti Crispini majoris basilicæ
» duos mansos apud Vermeriam donavit sub ditione & potestate Hermoni sacerdotis
» fidelis sui, uti vir illuster Erisonnus coram frequentia procerum, primatumque pe-
» tierat: ea lege, ut annuatim die obitus sui *ecclesia ipsa luminaria, & fratres ejusdem loci caritatem accipiant fraternam*, ut fusius legitur in ipsius Carolomanni regis præcepto, quod Norbertus notarius ad vicem Gauslini recognovit. *Datum* IV. *idus Decembris, anno sexto regnante Karolomanno gloriosissimo rege, indictione tertia. Actum apud Aadelei monasterium*, ad Sequanam supra Rotomagum. Itaque hoc pręceptum quod ex authentico excepimus, a Carolomanno datum est altero die, quam ab apro percussus fuerat, quarto vero die ante ipsius obitum, quem veri simile est ibidem contigisse; ex eoque colligitur, non longe ab eo loco percussum fuisse. Integrum diploma in appendice habetur, cujus sigillum non integrum servatum est.

LXXXVI. Caroli imper. pro Fulberto abbate, Laureshamo, & S. Apro.

Eodem anno Carolus imperator, rogatu Hugonis consanguinei sui, & Liutwardi Vercellensis episcopi, cuidam abbati fideli suo, Fulberto nomine, res quasdam extra civitatem Leucorum concedit. *Data* XVI. *kalendas Martii, anno ab incarnatione Domini* DCCC LXXXIIII. *indictione* II. *anno vero regni domni Karoli augusti* VIII. *imperii* IIII. *Actum Columbra in Dei nomine feliciter.* Nulla adhuc mentio regni Franciæ in autheotico, in Tullensi sancti Mansueti abbatia asservato, quod Segoinus notarius ad vicem Liutwardi archicancellarii recognovit. In circulo sigilli
» legitur, KAROLUS IMP. AUG. Idem pro remedio aoimarum piæ recordationis ge-
» nitoris sui HLudovici, necnon & carissimi fratris sui HLudovici, gloriosissimorum
» regum, ad monasterium, quod vocatur *Lauresham*, ubi sanctus Nazarius corpore
» requiescit, & prædicti reges humati sunt, *ubi Gerardus abbas & rector ejusdem mo-*
» *nasterii esse videtur*, coofert res quasdam juris sui, sitas in comitatu Wormatiensi,
» in villa, quæ dicitur *Alesheim*: ut perpetuo ad usus fratrum & ad luminaria eccle-
» siæ deputentur. *Data* III. *idus Junii, anno ab incarnatione Domini* D CCC LXXXIV. *indictione secunda, anno vero regni domni Karoli augusti* VIII. *imperii autem* IIII. *Actum Wormatia.* quod diploma primus edidit Marquardus Freherus [a], & post eum Conringius.

a Freber orig. Palatin. part. 1.

b Diplom. p. 552.

Non multo post idem imperator in villa publica Stirpiaco residens, *ad petitionem*[b] *Arnoldi Tullensis ecclesiæ præsulis*, non solum renovavit præcepta ac privilegia regum & episcoporum, cœnobio sancti Apri concessa, maxime Frotharii episcopi, qui monasticum illic ordinem restituerat; sed etiam res ac possessiones, negligentia vel malevolentia rectorum monachis ablatas, in integrum restitui præcepit: statuens insuper, *ut eidem monasterio abbas semper præficiatur, qui ab episcopo ipsius civitatis, aut ex eadem congregatione, aut, si ibi dignus inveniri nequiverit, ex alia qualibet electus, moribus & doctrina clarescat: ut secundum regulam sancti Benedicti & praeesse, & prodesse fratribus utiliter possit. Data* XI. *kalendas Junii, anno Christo propitio imperii domni Karoli serenissimi imperatoris augusti ... indictione tertia.* Actum *Stirpiaco villa publica.* Legendum videtur *indictione secunda*, propterea quod nulla fit mentio de regno Caroli in Gallia, quod sub finem bujus anni obtinuit.

Aliud pro Grandi-valle.

c Spicil. to. 7. p. 185.

Alia ratio est de alio præcepto [c] ejus imperatoris, confirmantis rogatu Lutfredi comitis, præceptum Lotharii imperatoris, qui res quasdam ad usus Grandivallensium monacborum assignaverat. *Datum* XII. *kalendas Octobris, anno ab incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo-quarto, indictione* III. *anno vero regni domni Karoli augusti octavo, imperii quarto. Actum Ratisbonæ civitate.* ubi indictio tertia a kalendis Septembris iuchoata est. Quod sequitur in Spicilegii tomo septimo ejusdem argumenti diploma Lotharii regis, ad annum ejus sæculi sexagesimum-sextum referendum est, quod obtinuit Hugo comes, filius Lutfridi comitis, quem Lotharius avunculum suum dicit. Alius proiode erat Lutfridus comes, cujus rogatu Carolus præmissum diploma obtinuit, forte is, qui conditiones pacti ex parte [d] Ludovici Germaniæ regis pro divisione regni Lotharii sacramento firmavit.

d Chesn. to. 2. p. 453.

Ejusdem

ANN. CHR. 884.

LXXXVII. *Eusebii reclusi obitus.* Ejusdem imperatoris munificentia in sanctum Gallum prædicatur a Ratperto monacho, ob donationem tum possessionis regiæ in pago Turgoiensi, tum montis siti in Rætia Curiensi, in quo exstabat basilica sancti Victoris, cujus nomine mons insignitus est. Hujus donationis diploma fieri jussit imperator, *rogante Eusebio Scottigena*, qui ibidem, id est in illo monte, per triginta annos sponte reclusus Domino serviebat; *anno vero incarnationis dominicæ octingentesimo octogesimo-quarto, pridie kalendas Februarias, de hac luce*, aut potius de his tenebris, *migravit ad lucem perennem.* Hic est Eusebius inclusus, quem Isonis monachi parentes de futura prole consuluerunt, & qui de futura Isonis celebritate & doctrina vaticinatus est, ex Ekkehardo.

LXXXVIII. *Gerungo Hirsaugiæ abbati succedit Regenbodo.* In nova editione chronici Hirsaugiensis auctore Trithemio, Gerungus, illius monasterii abbas secundus, hoc anno octogesimo-quarto, regiminis sui anno tricesimo secundo, pridie kalendas Augusti mortalem vitam exuisse dicitur. Suffectus in ejus locum venerabilis senex Regenbodo, nobili apud Bavaros prosapia ortus, qui ex canonico Constantiensi, post varios vitæ & fluctuantium cogitationum anfractus, Hirsaugiæ sub Gerungo abbate monasticen professus fuerat, ac sanctæ conversationis studio strenue excoluerat. Abbas magnæ in pauperes pietatis exstitit, quibus sæpe cibos sibi destinatos erogari curabat. Fuit ejus temporibus vir quidam præpotens, Herwidus nomine, qui tyrannidem in pauperes exercens, Hirsaugienses etiam monachos confictis debitis infestabat. Die ad jus dicendum præfinita, ille nocte præcedente a sancto Aurelio martyre, ejusdem loci patrono, dure increpitus ac percussus fertur. Hinc ad saniorem mentem reversus, fratres ad se vocat, veniam errati precatur, seque eorum precibus commendat. Ad fratrum preces ille brevi convaluisse dicitur, & ad ecclesiam profectus, oblationibus promissis sanctum Aurelium placasse.

LXXXIX. *Gozlinus episcopus Parisiensis.* Post mortem Ludovici Germaniæ regis in patriam & in gratiam Balbi filiorum reversus Gozlinus abbas, etiam Parisiensem episcopatum, mortuo Ingelwino episcopo, adeptus est. Eo pontifice facta hoc anno sancti Mederici abbatis translatio ex humiliori loco in alium honestiorem, quem Theodebertus ejus ecclesiæ presbyter ipsi paraverat. Hæc olim cellula erat aliquot monachorum suburbana, in qua sanctus Medericus presbyter & abbas, dum apud Parisios degeret, diversatus est, ubi diem obiit, sepultusque est. *S. Mederici translatio.* Commissa erat tunc temporis hæc ecclesia Theodeberto presbytero, qui corpus sancti confessoris ad maceriam ecclesiæ sine honore jacere graviter ferens, illud in decentiorem locum, quem ipse paraverat, transferre statuit. Hujus rei gratia Gozlinum episcopum adiit, rogavitque, ut ipse pium factum exsequeretur. Petitioni pontifex libenter assensit, idque brevi se facturum pollicitus est. Verum cum nova ei negotia in dies succrescerent, condicto die adesse non potuit episcopus, idque officii *archidiaconibus suis* injunxit: qui, universis collegiis *servorum Dei, tam monachorum, quam canonicorum*, in urbe & circa urbem commorantium, convocatis, sollemni ritu cum debitis psalmis & hymnis hanc translationem peregerunt. Nunc eo in loco celebris est parochialis ecclesia sub titulo sancti Mederici cum collegio canonicorum.

XC. *S. Pauli episcopi Leonensis vita scripta.* Hoc etiam anno litteris mandata est vita sancti Pauli episcopi Leonensis, a quodam monacho Landvenecensis cœnobii in Armorica, exemplo ipsius præceptoris & abbatis, qui librum de vita sancti Winwaloei, ejus loci primi abbatis, composuerat. Id discimus ex ejusdem monachi præfatione ad Hinworetum episcopum Leonensem, ex qua ea, quæ ad rem faciunt, delibare juvat. Sic itaque auctor ille ad episcopum. *Pauperem ergo tui Pauli, piissime pater Hinworete, mea parvitatis examine descriptam accipe vitam, sed a te inter festa episcopalis cathedræ convivia non negligendam. Erit enim ex ea non mediocre tuis ingenii opibus supplementum. Gratias autem Deo, qui per me utcumque digestum tale opus ad finem perducere reddidit. Quod ut auderem, Wrdisteni mei præceptoris studium animavit, qui in Winwaloei sui sanctique mei describendis actibus mirabile librorum construxit opus. Sub quo abbate ego presbyter & monachus, nomine Wrmonocus in ejusdem sancti regulari monasterio depinxi tale opus. Quorum simul protectus alis, exspecto me ab insanis invidorum dentibus defendendum, qui mihi præsenti blandientes, absenti tamen derogantes, de me falsa sermocinare non cessant. Sed illorum detractio, meorum erit peccaminum purgatio. Hoc autem opus, octingentesimo octogesimo-quarto ab incarnatione Domini anno consummatum, talem habeat prologum.* Hæc vita duobus libris scripta est, in cujus fine hi versus, aliique

leguntur, ab eodem auctore scripti ad Hinworetum, cui hos libros nuncupavit.

ANN. CHR. 884.

Vita sacrosancti descripta est ordine Pauli,
Hinworete, tuis quam scripsi fidus alumnis:
Cujus ad imperium qui constent nempe fideles
Nunc tandem, fratres venerandi, vota tenete.

a *Bolland. to. 2. Martii pag.* 111.

Hæc vita, nondum typis vulgata, ipsa est indubie, quam *Britannica garrulitate* scriptam ait monachus Floriacensis [a] anonymus, qui eam in compendium redegit.

XCI. Bertharii abbatis Casinatis martyrium.

Quod Nortmanni in Gallia, finimitisque regionibus; id quoque Sarraceni in Italia, maxime in Benevento, aliisque vicinis provinciis tunc temporis perpetrarunt. Certe hoc anno, cum ex Italia discessisset imperator, Casinatis monasterii allecti opulentia, eo ex improviso accesserunt, ac pridie nonas Septembris superiore monasterio combusto, XI. kalendas Novembris inferiori quoque incendium admoverunt, & Bertharium sanctissimum abbatem ad aram sancti Martini crudelissime obtruncarunt. Monachi inde fuga elapsi, sublatis quas quisque potuit de sacra supellectile rebus, Teanum se receperunt, & Angelario præposito monasterii sibi abbate delecto, in cella sancti Benedicti constiterunt. Sic unus pro omnibus victima fuit optimus pastor, cujus corpus in superiori monasterio juxta ecclesiam sancti Benedicti in capitulo fratrum cum decessore suo Bassacio sepultum est, ac demum in ecclesiam illatum, nunc in proprio ipsius sacello asservatur, coliturque annuo festo, scilicet XI. kalendas Novembris, quo die tamen in kalendario breviarii Oderisii primi abbatis nulla fit ejus memoria. Bertharii doctrinam & pietatem probant relicta ab eo ingenii monumenta, sermones, tractatus pii, atque etiam medicinales, ac versus in honorem Sanctorum, in primis de sancto patre Benedicto. Biennio ante obitum privilegium a Johanne papa obtinuit, quo Casinas monasterium sancti Benedicti, atque monasterium beatæ Scholasticæ, & ecclesiæ ab eisdem monasteriis pendentes, cujusvis episcopi jurisdictioni eximuntur. Hoc abbate Gaiferius Salernitanus princeps, morbo ad extrema redactus, monastico habitu se indui postulavit, & ad Casinense monasterium deferri. Sed cum id propter incursiones Sarracenorum non liceret, ejus corpus Teani humatum est, dum, rebus compositis, ad sanctum locum deportaretur.

Gaiferius princeps, monachus in extremis.

ANN. CHR. 885.

XCII. Hadriano succedit Stephanus V. Hugo cæcatus & tonsus Prumiæ.

HAdrianus pontifex, malorum Italiæ a Sarracenis impendentium, maxime ob imperatoris absentiam, timore permotus, ad eum quantocius proficiscendum statuit, Wormatiæ tunc comitia celebrantem. Verum in ipso itinere morbo correptus, exspiravit VII. idus Maii, eique continuo subrogatus est Stephanus quintus, quem alii sextum dicunt. Inter ea Hugo, Lotharii regis ex Waldrada filius, regni paterni occupandi avidior in dies, Godefridum regem Nortmannorum, qui Gislam sororem ipsius uxorem duxerat, ad partes suas sollicitat. Hunc dolo aggressus Carolus in Batua insula, Everhardum comitem, cui Godefridus infestus erat, adversus eum incitat, ut de injustitia sibi illata conqueratur. Barbaro contumeliosius respondenti comes gladium in caput vibrat, eumque Heinrici docis satellites confodiunt. Tum Hugo ad Gundulfi-villam, ejosdem Heinrici consilio, promissis illectus, dolo capitur, oculisque ab eodem Heinrico orbatur. Dein ad sancti Galli monasterium missus, indeque in patriam revocatus, postmodum tempore Zuenteboldi regis in Prumia monasterio manibus Reginonis abbatis, qui hæc scripsit, tonsura multatus est. Eumdem quoque Fuldam relegatum ad tempus fuisse testantur apud Lambecium additiones ad annales Pithœanos: at eum demum Prumiæ tonsum, ae mortuum, sepultumque fuisse idem Regino testis est.

XCIII. Florberti magistri obitus.

b *Trithem. hist. Hirsaug.*

Hoc ipso anno, XIII. kalendas Aprilis, Florbertus, sancti Mathiæ prope Treviros monachus, atque scholarum moderator, obiisse perhibetur [b] a Trithemio, vir undecumque, ait ille, doctissimus, multorumque monachorum præceptor, quos in omni doctrinarum genere nobilissime erudivisse dicitur. Hic inter alia de Trevirorum excidio, quod Nortmanni nuper regioni Mosellanæ intulerant, elegiaco versu libros quinque scripsisse memoratur. Huic in scholarum magistratu successit Eberhardus presbyter & monachus, & ipse doctus pro tempore, qui scholis annos ferme quatuor & viginti præfuit. Tunc monasterio sancti Maximini apud Treviros præfectus est Erkembertus, Wilcharii successor, qui favore Hattonis archiepiscopi Moguntini quædam privilegia ab Arnulfo rege obtinuit. Eodem anno V. kalendas

S. Maximini & Fuldæ abbates.

ANN. CHR. 885.

Septembris dedicatum est templum [a] in Slierera a Liutberto Moguntino præsule, rogatu Sigihardi Fuldensis abbatis, in honorem Christi Domini, sanctæ Mariæ virginis & sancti Viti.

a *Tradit. Fuld.* p. 526.

XCIV. Societates S. Galli.

In libello fratrum conscriptorum sancti Galli Ratholdus Veronensis episcopus, & duo monasteria, Morbacum scilicet ac Rinowa, in hanc societatem hoc anno admittuntur. De primo hæc leguntur [b] in illo libello. *Anno incarnationis Domini* DCCC LXXXV. *indictione* III. *venit Rathols, nobilissimus Alamannorum, Veronensis ecclesiæ pontifex, ad monasterium sancti Galli, & depositionis ejus festivitatem cum ipsa congregatione jocundissime celebravit. quem venerabilis tunc abba Bernhardus cum fratribus sibi subjectis in orationis suæ communionem suscepit: ut, sive in hoc sæculo vivens, sive ad Christum vadens, eadem cura Dei misericordia ab illis sicut unus commendetur ex ipsis.* De hoc Ratholdo inter Veronenses episcopos nihil occurrit hoc tempore, quo Adelardus pontificatum tenebat, cujus forte chorepiscopus fuerit ipse Ratholdus.

b *Gold. tom.* 2. p. 181.

Iisdem anno & indictione facta est salubris conventio inter monasterium sancti Galli, cui tunc venerabilis Bernhardus præerat, & aliud monasterium, quod Rinowa nuncupatur, ubi Wichramnus abbas præfuit: ut, quandocumque de uno ad alterum monasterium nomina defunctorum fratrum deferri contigerit, *plena missarum & vigiliarum, psalmorum & oblationum commemoratio peragatur, sicut solent in utraque parte pro suo proprio agere fratre.* Eodem anno, sed indictione quarta, a kalendis scilicet Septembris inchoata, talis conventio facta est inter Morbacenses & Sancti-Gallenses, qualis inter Augienses jam inita erat, *Bernhardo-Sereneo abbate regiminis jura tenente* apud Sancti-Gallenses; *apud illos vero Friderico abbate.*

XCV. S. Arnulfi clericis asserta bona.

In Mettensi basilica sancti Arnulfi tunc degebant canonici, qui Carolum imperatorem eo tempore convenerunt, rogantes, ut, quæ ad victum & substantiam eorum pertinebant, imperiali præcepto vel possessa confirmarentur, vel ablata restituerentur, juxta privilegium Ludovici Germaniæ regis, ipsius Caroli parentis. « Horum preces cæsar libenter excepit, eisque litteras hac de re per Ruodpertum « seu Rotbertum Mettensem episcopum scribi jussit, quas authenticas legimus in « archivo sancti Arnulfi, sed absque chronicis notis. His litteris post episcopum subscribunt canonici ac nobiles laïci, nempe *Gunbertus primicerius & archidiaconus, Herveus abba & archidiaconus, Lantfridus abba & archidiaconus, Adulwalu abba & archidiaconus; Herigaudus abba, Heinardus abba, Wulfridus abba*; tum Meinardus presbyter, aliique presbyteri & diaconi. Tunc itaque quatuor erant in Mettensi ecclesia archidiaconi, qui & abbates dicebantur, ut in ecclesia Augustodunensi, nempe ob quasdam abbatias suis dignitatibus attributas. Qui post eos subscribunt abbates, videntur rectores esse vicinorum monasteriorum. Ex his Heinardus forte abbas erat sancti Michaëlis ad Mosam, cujus nomen inter ejus loci abbates in domestico [c] chronico legitur. Ejus memoria in necrologio consignatur tertia-decima die Aprilis in hæc verba: *Hainardus abbas hujus loci, & cancellarius imperatoris Caroli Crassi.*

Heinardus abbas S. Michaëlis.

c *Analect. to.* 2. p 386.

XCVI. Turbæ in cœnobio Miciacensi.

Per id tempus maxima perturbatio in Miciacensi apud Aurelianos cœnobio orta est ex levitate Trohanni episcopi, qui *temulentus plurima dare, vel promittere solitus erat, quæ vino digesto penitus ignoraret.* Hac occasione utens Fredricus quidam nobilis clericus, post cœnam episcopi animum blandis sermonibus sibi conciliare studuit, & inter pocula sermonem miscuit de sancti Maximini abbatia, quam quidam Wlmarus monachus, secundum sæculi dignitatem clarus, ambiebat, ejusdemque Fredrici opera ab episcopo se obtenturum sperabat. Verum consilio Ermenthei fratris sui Fredricus, Wlmari petitione insuper habita, sibi ipsi consulere satius duxit, &, episcopi familiaribus adhibitis, inter potandum imaginariam abbatiæ sibi donationem extorsit. Et ne forte episcopus crapula digesta id negaret, baculum ejus donationis indicem clam asportat, & in crastinum episcopo repræsentat, multis gratiis pro beneficio actis. Pudefactus ea re episcopus, & an fecisset ignarus, sed factiosorum testimonio convictus, volens nolens, a Fredrico opipare exceptus convivio, consensit. Tum accedenti ad monasterium Fredrico Wlmarus cum reliquis fratribus portas occludit, atque ingressum negat. Itaque reversus ad episcopum Fredricus, eum ad monasterium usque conducit, & ad ejiciendos monachos impellit. Pulsi potiores quique cum Wlmaro, tantum quinque vilioribus relictis. sicque Fredricus, voti compos, nomen abbatis obtinuit, sed tyranni offi-

ANN. CHR. 885.

cium egit. nam relictos in cœnobio monachos tam indigne habuit, ut eos, tamquam vilia mancipia, *sigilo* seu secali aleret, ceteris bonis penitus detractis. qui tantam in se duritiam non ferentes, episcopum adeunt, & suæ calamitatis querelam coram eo deponunt. Verum eos ille omnino sprevit, & cum ingenti dedecore a conspectu suo ejici jussit. Illi, quæ una erat reliqua spes, ad preces confugiunt, sanctum Maximinum patronum suum, ut sibi adesset, inclamant. Nec irritæ preces. nam post paullum quiescenti nocte episcopo visi adesse sancti Evurtius & Maximinus, qui episcopum flagellis cæsum pæne exanimem reliquisse dicuntur. cui statim mortuo Fredricus non diu supervixit, & ipse a sancto Maximino multatus. Hinc reversi ad sua palabundi monachi, abbatem ex seipsis, nomine Letaldum, virum nobilem, deligunt. quo mortuo, locus in Theoderici optimi episcopi dominium devenit, ut suo loco dicturi sumus.

XCVII. Patriciacus villa Floriaco restituta.

De Eccardo comite superius[a] actum, deque donatione villæ Patriciaci ab ipso facta monasterio Floriacensi. Hanc villam postea invaserant Theodericus, & Urso ejus filius, ac gener Theoderici quondam comitis Augustodunensis: sed tandem facti pænitentes, sancto Benedicto sollemni ritu hoc anno restituerunt. Edita est eorum jussu hac de re notitia, quam hoc loco integram exhibere visum est ex Perardi editis & Patrieiacensi chartario.

a lib. 37. n. 81.

Notitia, qualiter, & quibus præsentibus, venientes Theodericus & Urso filius, & gener quondam Theoderici comitis, anno incarnationis dominicæ DCCC LXXXV. *indictione tertia, mense Aprili, die sabbati, ad monasterium sanctissimi patris Benedicti, quod vocatur Floriacus, in secretarium basilicæ, ante præsentiam domni abbatis Theotberti & monachorum ejusdem loci, necnon laicorum nobilium, [quorum nomina] partibus inferius inserta tenentur, humillime deprecati sunt, dari sibi ab eodem abbate & congregatione indulgentiam pro peccato, quod contra Dominum & sanctum Benedictum, ipsique commiserant ante fere biennium de rebus, quas olim bonæ memoriæ Heccardus comes in eleemosynam sui, parentumque suorum eidem loco testamento delegaverat, Patriciaco scilicet cum appendiciis suis; quasque ipsi erroneo jussu præfati Theoderici comitis, quasi hereditarias, contra legem & justitiam pervadendo exspoliaverant, & per hoc non parva ipsi loco impedimenta importaverant, confitentes deceptione aliorum, tam illum, quam se, in hoc gravissime deliquisse; & nunc, veritate comperta, se pænitere quod leviter fecerant. Ideoque non solum sibi, sed & etiam sæpe dicto fratri suo jam defuncto, & fratri Richardo, ut prædictam indulgentiam pro Dei amore exposcere, nulla extrinsecus alia necessitate, nisi spontanea ratione ad hoc se agendum profitentes adductos. Quorum humillimam & justam petitionem considerans prædictus sæpe venerabilis abbas simul cum monachis, aliisque religiosis & nobilibus viris, quorum primi fuerunt Hildebrandus & Ermenoldus, ipsorum propinqui, Deo gratias referentes, qui hæc illis inspiraverat, quique instanti, ut peccaverint, errantes non punit, sed ad pænitentiam miseratus provocat & exspectat, decreverit, ipsis ultro id offerentibus, ut uterque eorum, scilicet Theodericus & Urso, per suos guadios eidem abbati, per manus Ousonis advocati sui, legaliter emendarent, quicquid ipsi, & alii cum ipsis, in hac parte commiserant. quod & fecerunt; ac rursus per festucam, & sui, & fratris sui Richardi, heredumque & proheredum suorum vice, easdem res nihilo minus legaliter guarpiverunt. Deinde frequenter nominatus abbas propter Dominum omnem multam legis & commissi, ea ratione habita, illis indulsit: ut, si quando forte contigisset a suis partibus, id est a sancti Benedicti partibus, contra illos aliquid commissum iri iterum; & suos per hoc prius condemnare, quam ejusdem quantitatis multam eis indultam haberent, quæ sibi in hac causa tunc fuisset remissa. Quo peracto, ante altare ipsius ecclesiæ petita & accepta indulgentia, etiam cum orationibus & benedictione; & promissa eidem loco benevolentia & debita devotione, communiter statutum est, hanc fieri debere notitiam: quatinus certa & firma hæc eorum ratio omni deinceps tempore servaretur. Quam pæne omnes, qui affuerunt, nobiles videlicet laici, aut propria manus subscriptione, aut signo & jussu legali, sollemniter, ut subter insertum est, in crastinum firmaverunt. Signum Theoderici, qui hanc notitiam fieri & firmare rogavit. Signum Isgerii, signum Ursonis, qui hanc notitiam fieri & firmare rogavit. Signum Undonis, signum Ildebrandi, signum Ermenoldi, signum Helisei. Data mense Aprili, anno defunctionis domni Karlomanni regis. Gauzbertus minor scripsit.*

Theotberto Floriacensi abbati successit Girbertus, de quo in consequentibus agendum. Floriaco hactenus subjecta est cella Patriciacensis, etiam nunc conventualis.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER TRICESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 886. *ad annum* 894.

ANN. CHR. 886. I. Parisiorum obsessio a Normannis.

Etsi multas clades urbs Parisiorum a Nortmannis passa sit, nulla tamen funestior ea, quam ab anno octogesimo-quinto ad biennium sustinuit. Hanc cladem duobus metricis libris complexus est Abbo levita & monachus suburbani sancti Germani cœnobii, testis rerum oculatus, quos libros Gerardus a Bosco in compendium eleganṭissime redegit. Ex his ea tantum seligemus, quæ in rem nostram facient, & in gloriam sanctissimi Germani Parisiorum episcopi, cui Lutecia solutam obsidionem & ereptionem a Nortmannis refert acceptam. Urbis episcopus tunc erat Gozlinus, olim abbas sancti Germani Pratensis, cui Ebolus, ejus ex sorore nepos, tum præerat. Parisiensem comitatum obtinebat Odo comes, vir strenuus, cui Rotbertus frater in his angustiis aderat, ambo unus post alterum subinde reges, quibus animo constitutum erat, quævis potius perpeti, quam urbem hostibus dedere. Hanc adorti sunt anno superiore Nortmanni Sigefrido duce, postquam Pontisaræ arcem expugnaverant. Eorum multitudo ingens, quam Abbo ad quadraginta hominum millia numerat cum septingentis navibus, quæ totum Sequanæ alveum operiebant. Primo barbari civiliter in speciem rem tentant, rogantque episcopum, ut salva urbe sibi liceat adverso flumine præter urbem navigare. Ubi preces nihil succedunt, ventum ad apertam vim, cui Odo ac Rotbertus, aliique viri nobiles ac strenui cum civibus generose resistunt, adjuvantibus Gozlino episcopo & Ebolo abbate, quibus pietatis loco habebatur, animam pro aris & focis profundere. Una civibus secundum Deum & Deiparam Virginem in S. Germano spes, cujus corpus ante paganorum adventum intra urbem ad ecclesiam S. Germani-Veteris, ut vocant, delatum fuerat. Hinc illæ apud Abbonem opidanorum voces :

Tunc trepidant cives, cunctique vocant celebrandum
Germanum : Miserere tuis, Germane, misellis.
Concurrunt matres, pariter juvenesque puellæ
Ad sancti tumulum, suffragia poscere grata.
Hic jacuit sumet jugiter venerabile corpus,
Nobiliusque monasterium cunctis fuit illud,
Neustria qua refovere sinu discebat in amplo.
Hinc propriis fuerat famulis gestatus in urbem.

ANN. CHR. 886.

Primus hostium impetus in turrim, quæ ad dexteram Sequanæ ripam posita erat circa basilicam sancti Germani Teretis seu Rotundi, quem modo Autisiodorensem vocant. Post longos assultus, sed inanes, barbari ad alteram fluvii ripam transeunt, basilicam sancti Germani Parisiensis direpturi. Dum in eam irruunt, Abbo quosdam ex iis divinitus percussos fuisse testatur. Ex his unus, qui tumulum Eleutherii sancti Germani parentis temerare ac reserare volebat, saxo percussus occubuit. quod etiam ei accidit, qui sancti Germani mausoleum violare tentaverat. Ad hoc mausoleum,

S. Germani miracula.

> *Illustrem sobolis sanctæ servat genitorem*
> *Dextera; læva sacram prolis retinet genitricem.*
> *Est Eleutherius pater, est Eusebia mater.*

Post tot mortes,

> ———*jam nullus eorum*
> *Tunc audebat agrum sancti conscendere latum.*

Vix dici potest, quantas prædas egerint barbari ex locis urbi adjacentibus. Greges & armenta pecorum abducta; cumque deficiente ad stabulandum spatio, & monasterium, & ipsa basilica sancti Germani, nulla sacrorum reverentia, pro stabulo fuit. quæ basilica paullo post cæde pecorum sic computruit, ut in Sequanam tabida projicere cadavera coacti sint. De hac obsidione scribit Fulco [a] Remorum archiepiscopus ad Stephanum papam, significans, sibi in animo fuisse ad videndum papam properare, nisi paganorum vallaretur obsidione; hosque deno tantum milliario a sua civitate abesse; civitatem quoque Parisiorum ab ipsis obsideri. Hanc porro infestationem huic regno ab octo annis (immo a triginta octo annis) jam inserri cœpisse.

[a] *Frod. lib.* 4. c. 1.

Gozlinus in his angustiis Carolum imperatorem auxilio advocat. Mox auxiliares copias cæsar eo mittit Henrico Saxonico duce, qui ad hostium castra incaute progressus, ab iisque confossus interiit. Ejus corpus, vix ex hostium ereptum manibus, in basilica sancti Medardi humatum, ut tradunt annales Mettenses anno sequenti. quæ basilica *a Marcomannis* [b] seu Nortmannis combusta est. Id hoc anno factum a Sigefrido duce Nortmannorum legitur in veteri chronico de eorum gestis, in quo Sigefridus *famosissimam ecclesiam beati Medardi & palatia regia*, interfectis & captis illius terræ accolis, igne cremavisse memoratur. Ex alia parte alii relicta obsidione Parisiaca, Icaunam * fluvium ingressi, Senonas obsederunt: sed Evrardus archiepiscopus pacto pretio civitatem obsidione liberavit. In veteri chronico Senonensi legimus, Nortmannos hoc anno, pridie kalendas Decembris, ab urbe Parisiorum Senonas ascendisse; & sequenti mense Maio rediisse in Franciam, *jam defuncto Evrardo episcopo kalendis Februarii*, adeoque anno insequenti. Tunc vastata fuisse omnia, destructas ecclesias, succensa monasteria Clarius scribit, idque factum ait anno quinto Evrardi pontificatus. Tunc cœnobium quoque sancti Remigii, situm apud Vallilias *, incensum fuisse, & solo tenus dirutum; Suavum vero ipsius loci abbatem cum fratribus ad urbem confugisse cum corpore sancti Romani & plurimis reliquiis.

S. Medardi basilica combusta.

[b] *Spicil. to.* 2. *p.* 406.

* *Yonne.*

Senones obsessæ.

Monasteria diruta.

* *Vareilles.*

II.

Carolus Parisiis succurrit.

Non tamen ab obsidione Parisiaca omnino discessum est. Odo comes anceps animi, quibus artibus resisteret, ipse ad Carolum imperatorem pergit novum auxilium flagitaturus. Illud eo magis necessarium videbatur, quod Parisienses proceres, diutinæ obsidionis laboribus defatigati, ex urbe se proripuerant metu pestis deflagrantis, quæ ad summam malorum accesserat. Solus fere Ebolus noster, *Mavortius abbas* Abboni dictus, obsidionis molem sustinebat. Præmissis cum Odone subsidiariis copiis, Carolus quam primum se adfuturum pollicetur. Interim adest Odo cum Carolinis copiis, hostesque demum fugat ex turre, quam prope ceperant. Ast aliunde flagrabat incendium, quod hostes portæ turris subjecerant. Gliscenti ad proxima ædificia flammæ objicitur lignum sanctæ crucis, illud scilicet, quod ædificandæ in honorem sanctæ Crucis basilicæ Pratensi primitus occasionem dederat; atque ilico ignis exstinguitur. Hoc felici successu alacres & erecti animis Parisienses, venerandum sanctæ Crucis lignum ac feretrum sancti Germani ad basilicam sancti Stephani revehunt, Deoque immensas ob conservatam urbem gratias sollemniter referunt. De hac victoria sic canit Abbo:

Has virtute Crucis sancta victoria nostris
Ceditur, & meritis Germani antistitis almi,
Quem revehunt ad basilicam Stephani quoque testis.

Hanc basilicam Brolius, & post eum Valesius, putant esse basilicam sanctæ Crucis & sancti Vincentii suburbanam, quæ sanctum quoque Stephanum primitus patronum habuit : at Gerardus a Bosco ecclesiam vult esse sancti Stephani, cathedrali beatæ Mariæ ecclesiæ adjunctam. Priori opinioni favet, quod Pratenses monachi reditum suum a Normannis sex librarum argenti pretio mercati fuerant, ut Abbo canit initio libri secundi ; & quod Normanni ipsi, commoti miraculis, quæ in illa basilica meritis sancti Germani patrata viderant, sacerdotes, haud dubie monachos, ibidem constitui voluerant, qui missas & officia divina celebrarent. Paullo post Carolus imperator cum validis copiis urbis auxilio adest, & ad radicem montis Martis seu Martyrum castra locat. Normanoi tum longæ obsidionis moras pertæsi, tum novis perterriti auxiliis, de pace cum nostris agere statuunt, hisque conditionibus conventum est, ut liceret illis Senonas petere, septingentis libris ad mensem Martium persolvendis, quo tempore ad suos regredi constituerant. Caroli Parisios adventum plerique annales differunt in aonum sequentem, quo anno, Gozlino episcopo mortuo, Anscherici successoris electionem comprobavit. Ast hoc etiam anno Parisiis adfuisse Carolum probat ejus præceptum pro monasterio Fossatensi, datum *Parisius* hoc anno, & quidem VIII. idus Novembris, quod integrum hoc loco subjicere aliquod operæ pretium duximus ad stabiliendam maxime chronologiam.

In nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Karolus divina ordinante providentia imperator augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri confidimus. Idcirco notum sit omnibus, quia ad deprecationem Grimoldi abbatis Fossatensis [præcipimus,] ut idem monasterium cum abbate & monachis ibi degentibus sub nostra tuitione ac mundiburdo permaneat ; & ut nulli personæ episcopali seu fiscali subsit ; & ut, decedente prædicto abbate a sæculo, semper monachi jam dicti monasterii de suis eligant, qui eos regulariter gubernare possit ; & ut res, quas hodie absque contradictione possident, teneant absque ullo servitio militari, quo eos absolvimus, sicut semper absoluti fuerunt. Sed & cellulam sancti Mauri, positam super Ligerim, quam propinquus noster Karlomanuus rex eis tradidit, ad prædictum monasterium Fossatense subdimus &c. Signum Karoli serenissimi imperatoris. Amalberius notarius ad vicem Liutwardi recognovit. Data VIII. *idus Novembris anno Domini* DCCC LXXXVI. *indictione* IIII. *imperii autem Karoli*
[serenissimi imperatoris VI. *in Francia* V. *in Gallia*] II. *Actum Parisius feliciter.*
Omissus est Grimoldus abbas apud Gerardum a Bosco aliosque, locandus inter Odonem superius memoratum, & Rumaldum, de quo in consequentibus acturi sumus.

Ex hoc præcepto colligimus, Carolum hoc anno Parisios accessisse, rursumque anno sequenti, quo ea, quæ mox de Odone & Carolo ipso retulimus, acciderunt, ut ex Abbone discimus.

Sed quia hæc observatio, historicis nostris ignota, nonnullius momenti est, eam aliis argumentis fulcire convenit. In primis Jacobus Vignerius soc. Jesu in brevi chronico Lingonensi asserit, Carolum imperatorem sub finem hujusce anni DCCC LXXXVI. *Parisius exsistentem*, quædam Geiloni Lingonensi episcopo, & per eum Lingonensi ecclesiæ refundi jussisse. Sed quid aliena quærimus ? Idem Carolus Autissiodorensis sancti Germani cœnobii privilegia * eodem anno confirmavit ad pre- * Diplom. p. 551.
ces ejus loci monachorum, quos *pro sua religione* sibi valde acceptos dicit. *Datum* V. *kalendas Novembris, anno incarnationis* DCCC LXXXVI. *indictione* IIII. *anno imperii piissimi imperatoris Karoli in Italia* VI. *in Francia* V. *in Gallia* II. *Actum Parisius in Dei nomine feliciter.* Idem pridie ejus diei, id est VI. kal. *Novembris, Parisius* eo ipso anno, precariam de villa Appiarils, quam Hugo abbas sancti Aniani Aurelianensis Adalaldo Turonensi archiepiscopo fecerat, rogatu Odonis comitis præcepto suo ratam habuit, in appendice nostra relato. Accedit authenticum ejusdem imperatoris diploma pro Andecavensi sancti Mauricii ecclesia, procurante eodem Odone comite, confirmantis quamdam commutationem ab eodem Adalaldo

ANN. CHR. 886.

archiepiscopo & Reinone Andecavensi episcopo factam. *Data* II. *kal. Novembris, anno incarnationis Domini* DCCCLXXXVI. *indictione* IIII. &c. *Actum Parisius.* Mense Augusto præcedente Silviaci in pago Laudunensi versabatur Carolus, uti colligo ex ejus authentico pro Turonensi monasterio sancti Martini, dato hoc ipso anno XI. kal. *Septembris. Actum ad Silvei.* Non dubito, quin plura alia id genus argumenta congeri possint : sed hæc sufficiunt ad adstruendum ejusdem Caroli iter hoc anno Parisios. Apud Rotwilam in Suevia erat eodem anno, ubi liberam eligendæ abbatissæ facultatem tribuit Superiuri beatæ Mariæ monasterio apud Ratisponam sito, quod Hemma regina, ipsius genitrix, ordinaverat, ditaverat, amplificaveratque, ac tumulo suo illustraverat.

III. S. Dionysii & S. Botiani translatio.

Per has tempestates ac procellas multa Sanctorum corpora ex alio in alium locum deportata sunt. In primis sancti Dionysii Parisiorum episcopi, ejusque sociorum martyrum reliquiæ in urbem Remorum delatæ : ubi usque ad biennium servatæ fuerunt. Idem Nortmannorum furor Petræpontis in pago Laudunensi canonicos cum corpore sancti Botthiani seu Botiani confugere compulit ad Didonem episcopum, qui eos in suburbana S. Vinceutii basilica, tunc destituta monachis, collocavit. Exstat [a] hac de re ejusdem Didonis charta, in qua ipse ait, se cum consensu clericorum ac laicorum, corpus sancti Botthiani confessoris Christi, quod in sua ecclesia
» ob prædictam infestationem stare quiete non poterat, cum ejus canonicis, qui hue
» illucque diffugiendo deficiebant ac peribant, in ecclesia sancti Vincentii martyris
» collocasse, ubi perpetuo permanerent ; eisque res omnes, ad sancti Botthiani per-
» tinentes ecclesiam, assignasse : ut ex his rebus canonici, numero duodecim, ne-
» cessaria ad victum & vestitum habeant. *Actum Lauduno monte-clavato anno incarnationis domini nostri J. C.* DCCCLXXXVI. *indictione* IIII. *quarto idus Maii, ac anno secundo gloriosissimi domini Caroli imperatoris augusti, nepotis magni Caroli imperatoris*, scilicet Calvi. Persistebant nihilo minus in eadem sancti Vincentii ecclesia monachi cœnobii sancti Bavonis Gandavensis, ut patet ex his, quæ superius diximus de Radulfo eorum abbate ibidem electo, cujus successor Helias itidem eo loci postea electus est. Rebus serenatis, Petrapontenses canonici cum sancti Botthiani corpore ad sua reversi sunt. qua de re postea controversia orta est tempore Berlandi abbatis, qui sacrum depositum a Petrapontensibus canonicis reposcebat.

[a] Diplom. p. 553.

IV. S. Crispini basilicæ facta donatio.

Apud Suessionas monasterium sancti Crispini, quod a multis sæculis nostrorum est, tunc a clericis sæcularibus occupatum erat. Majus appellant ad discrimen alterius prope eamdem urbem abbatiæ, quæ canonicis regularibus sancti Augustini addicta est. De priori videtur intelligenda Hincmari archiepiscopi epistola ad Hildebaldum Suessionensem episcopum, *pro quibusdam* [b] *presbyteris ex monasterio sancti Crispini, de quibus domnus Johannes papa eidem domno Hincmaro scripserat, & de quibus diffinitum fuerat, ut extra claustra monasterii non pergerent : ut eadem censura eis paterne temperetur.* Eidem basilicæ Eiricus comes hoc anno mansa duo cum aliquot mancipiis in villa Montiniaco tradit atque legat *pro dente*, quem ex reliquiis
» sanctorum martyrum Crispini vel Crispiniani acceperat. Item in villa Saviaco man-
» sum unum cum duobus mancipiis pro remedio animæ suæ conjugisque suæ Bertanæ,
» confert ad altare, quod constructum erat in ipsorum martyrum basilica in hono-
» rem Salvatoris, eo pacto, ut sacerdos quotidie sacrificium pro salute ejus animæ
» offerat, ob idque modicam partem proventus ex ipsa villa percipiat : altera pars ad
» usum & ornamentum ejusdem altaris cedat. Insuper ejusdem basilicæ fratribus
» prædia quædam in villa pagi Suessionensis, vocabulo Alta-fontana, & in villa
» pagi Otmensis Vincella donat, ea conditione, ut VII. kalendas Novembris, quo
» die sanctorum martyrum festivitas celebratur, iisdem fratribus congrua exhibeatur
» refectio. Actum Suessionis in atrio beatorum martyrum sub die VIII. kalendas No-
» vembris, anno secundo regnante domno imperatore, scilicet Carolo Crasso. subscribunt post Eiricum comitem Rodulfus filius ejus, Geroldus nepos, aliique. In diplomate Caroli Simplicis confirmatur donatio facta ab Herico comite & abbate, quem ipsummet puto esse Eiricum, a quo superior donatio facta est.

[b] Frod. lib. 3. c. 23.

V. S. Benigno restitutio facta.

Divionense sancti Benigni monasterium olim quasdam res apud villam Plomberias * possederat, quas Lingonenses episcopi ei subtraxerant. Earum restitutionem facere decrevit Geilo Lingonensis ecclesiæ antistes, idque Caroli imperatoris auctoritate confirmandum curavit. Edita est apud Perardum [c] ejus rei præceptio, *Data*

* Plombieres.

[c] Perard. p. 160.

XIII.

XIII. *kal. Junii, anno incarnationis Domini nostri J. C.* DCCC LXXXVI. *indictione* IV. *anno imperii Karoli imperatoris in Italia regnantis* V. *in orientali Francia* IV. *in Gallia* I. *Actum Grania-villa.* Eidem Geiloni idem imperator abbatiam [a] sanctæ Mariæ & sancti Sequani, sitam in pagi Magnimontensis loco, qui Sicaster antiquitus nuncupatus est, tradit iisdem anno & indictione, anno imperii ejus in Italia VI. in orientali Francia V. in Gallia II. quo tempore Bonifacius abbas Segestericensis seu sancti Sequani ab eodem Carolo confirmationem omnium ejus loci possessionum obtinuit. Eodem anno vigilantissimus pastor Geilo, ut Jacobi Vignerii verbis utar, animadvertens clericos sive canonicos in monasterio sanctorum Geminorum, prope Lingonas sito, haud satis laudabiliter inibi deservire Numini supremo; illos alio transtulit, & in eorum loco monachos, ex sancti Benedicti regula viventes, Eutherio abbate, auctis reditibus collocavit. Idem auctor sub medium sæculum decimum ait ibidem floruisse Gotzelinum abbatem, filium Hugonis comitis Bassiniacensis ac Gertrudis ejus conjugis, qui in hunc locum benefici fuere.

S Sequani & Geminorum abbatia.

a Gall. chr. to. 2. fol. 656. verso.

VI. Habita est hoc anno synodus episcoporum apud Cabilonem in suburbana basilica sancti Marcelli martyris, eoque accessit Ingelarius abbas ex cœnobio, quod vocatur Carus-locus, sito in comitatu Matisconensi, patres rogaturus, ut sui monasterii possessiones suo decreto confirmarent, ac liberam concederent eligendi abbatis facultatem. Assensere patres, atque hac de re synodicas litteras fieri jussere. His litteris subscribunt cum Aureliano Lugdunensi & Bernoino Viennensi metropolitis, Geilo Lingonensis, Adalgarius Æduensis, aliique episcopi, numero quatuor, cum Leboino chorepiscopo Lugdunensi. In eodem conventu Geilo [b] Lingonum antistes ecclesiam sancti Martini de Luco, quod Isaac ejus antecessor jam fecerat, evindicavit.

Cariloco privilegium datum.

b Spicil. to. 4. p. 110.

VII. Apud Nivernum suburbana basilica sancti Martini, quæ modo canonicorum regularium est, villam Cuciacum * in comitatu Arvernensi possidebat. Illic cœnobium sanctimonialium condere decrevit Emmenus episcopus: reque peracta, privilegium [c] a Carolo imperatore obtinuit, « ut numquam monasticus ordo illic mutaretur ab ullo pontifice Nevernensi, nec alius ordo, quam sanctimonialium feminarum, ibi constitueretur. Ad hæc, ut post mortem abbatissæ libera esset penes sanctimoniales electio; nec episcopus Nevernensis ullo modo, sine consensu sanctimonialium, aliam aliunde abbatissam ibi constitueret. Atque ut sanctimoniales illæ se episcopo Nevernensi subjectas agnoscerent, sancitum, ut quolibet anno in festivitate sancti Martini, quæ in mense Novembri celebratur, libram unam argenti episcopo persolvant; at nullus alius ab eis census, nullæ decimæ exigantur. » *Data* XVI. *kalendas Septembris, anno incarnationis Domini* DCCC LXXXVI. *indictione* IV. *anno autem regni domni Karoli piissimi imperatoris augusti in Italia* V. *in Francia* IV. *Gallia* II. *Actum Attiniaco palatio.* Hodie quoque subsistit hoc cœnobium sub regula sancti Benedicti.

Cuciaci parthenonis origo.

** Conffay*

c Diplom. p. 554.

VIII. Eum ad modum corrigendi sunt chronici [d] characteres illius præcepti, quo idem imperator, deprecante Geilone Lingonensi antistite, Blitgario Trenorchiensi abbati ad refugium, victumque monachorum ejus, tradit monasterium proprietatis suæ, vocabulo Doseram seu Duseram, situm in regno Provinciæ & in comitatu Tricastinensi super flumen Rhodani. Actum apud *Kyrken* in Alsatia, sic enim legendum puto, non *Kyrien*, ut in editis apud Chiffletium. Certe idem imperator anno sequenti in villa *Chiricheim* ad Rhenum versabatur, ex annalibus Fuldensibus, quo forsan anno hoc præceptum Kirchemii editum est. Ab eo tempore Dusera evasit cella Trenorchiensis monasterii usque ad sæculum quartum-decimum, quo Vivariensi ecclesiæ a Clemente papa VII. denuo unita est.

Dusera Trenorchio data.

d Tournus p. 219.

Idem Carolus rogatu Willelmi comitis, cognomento Pii, ob memoriam & fidelitatem Bernardi comitis ejus patris, qui ejusdem Caroli hostibus ac Bosoni tyranno, ejusque asseclis se opposuerat, S. Cyriei ecclesiæ, cui tum prædictus Emmenus episcopus præerat, subjicit abbatiam [e] sancti Petri de Isodro *, sitam in Augustodunensi comitatu, & cellam sancti Reveriani martyris. Actum XV. kalendas Decembris, anno imperii quinto, in Italia quarto, in Francia tertio, in Gallia primo. Jam ab annis amplius quingentis Isodrensis abbatia cella est sanctimonialium, subjecta parthenoni sancti Menulfi, sita prope Molinas Burbonensium; cella vero sancti Reveriani martyris in diœcesi Nivernensi, a Cluniaco pendet, ubi

Isodri abbatia & cella S. Reveriani.

e Gall. chr. to. 3. p. 705.

** Issum.*

ANN. CHR. 886.

olim duodecim monachi præter priorem esse debebant. De utriusque origine nulla nobis notitia.

IX. Ansbaldi abbatis Prumiæ obitus.

In Prumiensi apud Treviros monasterio, Ansbaldus abbas, magnæ sanctitatis ac religionis vir, ad cælestem patriam transiit IV. idus Julii, testante Reginone, quo die Prumiæ colitur. Fisenus tamen eum commemorat ad decimum Martii, qui forsan ejus elevationis dies. Huic Farabertus venerabilis pater subrogatus VIII. idus Augusti. Ansbaldo abbate, Nittardus quidam prænobilis (fabulam narrare videar, sed post Browerum) incertus cui potissimum ecclesiæ res suas legaret in noxarum expiationem; consilio habito cum Erchanfrida uxore, torta in incertum sagitta Prumiam attigit, quæ ad ipsam aram, in qua Ansbaldus abbas rem sacram agebat, procidit. Is, sacris mysteriis peractis, sumta in manum scheda, quæ cum sagitta involuta erat, Nittardo rem significavit, & ab eo prædia multa retulit. Cæsarius, & ipse sæculo duodecimo ineunte Prumiensis abbas, postea monachus Heisterbacensis ordinis Cisterciensis, huic rei adstipulator est in libro censuum his verbis: *Constat quondam in loco isto sanctissimos viros mansisse. ideo Dominus eos mirificavit gloria & honore, quando sagittam de Francia cum magno allodio & optimo miraculose super altare sancti Salvatoris fecit transvolare.* Nittardus ille erat ex vico Hinnapiæ non procul a Guisia, non confundendus cum altero Nithardo Prumiæ monacho, de quo superius egimus.

X. Oxoniæ magna dissensio.

Oxoniæ in majori Britannia magna exorta est dissensio inter Grimbaldum superius laudatum, doctissimosque illos viros, quos secum e Gallia illuc adduxerat, ac veteres ejus insulæ magistros, qui leges ac prælegendi formulas ab eodem Grimbaldo institutas, observare nolebant, præfereotes eas, quas a superioribus magistris antiquissimis se accepisse aiebant. Aute annos tres gliscere cœperat hoc malum: sed tandem hoc anno in apertam seditionem erupit. Ea re accepta, rex Ælfredus statim istuc se contulit, litem compositurus: audit isque utrimque rationibus, utrosque piis ac salutaribus monitis adhortatus est, ut mutuam inter se se concordiam tuerentur. Tum inde discessit, ratus eos monitis suis obtemperaturos. At Grimbaldus, hæc iniquo ferens animo, mox ad Wintoniense monasterium, quod Ælfredus recens condere cœperat, ipsique commiserat, se recepit, ipsamque tumbam, in qua Oxoniæ sepeliri decreverat, in ecclesia scilicet sancti Petri, quam ipse ex saxis perpolitis construi curaverat, Wintoniam transferri curavit, ubi supremos absolvit dies.

XI. Lerense monasterium.

In Gallicia sub idem tempus condi cœptum Lerense monasterium, Alfonso rege impensas subministrante, qui Guntadum abbatem illic præfecit. Surgentis monasterii ædificia perfecit Ordonius secundus, ejusdem Alfonsi filius, qui ejusdem loci monachis multa latifundia, ornamenta, vasa sacra, librosque donavit, in his codicem regulæ sancti Benedicti, cujus accuratam observationem eis commendavit. Situm est hoc monasterium in diœcesi olim Iriensi, nunc Compostellana, in loco amœnissimo, haud procul a mari, ad fluvium Lerum, a quo nomen monasterio inditum est. Yepesius laudat diploma Ordonii regis hoc anno datum, cui præter episcopos subscripsisse dicuntur Sigeredus & Gondesindus abbates. Processu temporis monasterium, olim amplissimum, opibus exhaustum est tum a vicinis, tum a sæcularibus abbatibus: dum tandem tempore Caroli quinti unitum est congregationi Vallisoletanæ. In ejus loci basilica exstat sancti Benedicti effigies in illis partibus celebrata, ad quam quatuordecim infirmos sanatos Yepesius se vidisse testatur.

ANN. CHR. 887.

XII. Parisiacæ obsidionis continuatio.

Obsidione Parisiorum per Nortmannos urgente, Odo comes Carolum imperatorem auxilio advocat. Hic, præmisso Heinrico duce Saxonico, qui post strenue navatam operam, Nortmannorum dolo interiit, & ipse demum adfuit imperator, sed ejus præsentia parum profuit. Interim Pratenses monachi argenti sex librarum pretio reditum ad sua paciscuntur, tantaque per sanctum Germanum miracula patrata dicuntur, ut ipsis etiam barbaris sancti antistitis tumulus ac locus venerationi fuerit, & ministros, qui ibidem sacra celebrarent, remorari passi sint, immo statuerint.

a Abbo lib. 2.

Unde a sacerdotes statuêre locum venerantes.

Qui missas, cursusque sacros illic celebrassent.
Tunc omnes cuiquam prohibent hinc tollere quicquam.

quod quidam ex eis secus ausi, pœnas ilico dedisse referuntur apud Abbonem. Ex hoc auctore discimus, tunc ad sancti tumulum puteum quemdam, qui nunc quoque visitur, exstitisse, cujus aquis potati infirmi quique, meritis Sancti confisi, sanitatem recuperare soliti sint. Aimoïni historiæ continuator scribit, Odonem comitem, gavisum miraculis, quæ in prædicta obsidione facta viderat, adepto culmine regio, *vasculum* seu loculum, *in quo nunc*, inquit, *sanctissima pontificis membra requiescunt*, auro & gemmis mirifice componi fecisse. Asserus in libro de vita Ælfredi regis auctor est, paganos, diutina Parisiorum obsidione fatigatos, relicta incolumi civitate, classem suam per Matronam fluvium usque ad villam regiam, quæ dicitur *Catici*, deduxisse, ibique hiberna statuisse. Oppugnata in transcursu civitas Meldarum. Huic præerat Thetbertus comes, frater Anscherici, quem Carolus Gozlino Parisiorum episcopo mortuo substituerat. Urbis obsidionem Dani die ac nocte acriter urgent: nec impigre resistit comes. Sed demum interfectus ipse est, urbs capta, captus & ipse Meldensis episcopus, nomine Sigemundus. Hinc facilis paganis via ad superiora Matronæ loca, adeoque ad villam Caziacum [a], ubi eos hiemavisse mox diximus.

Meldarum obsidio.

[a] *Chezy.*

XIII. Caroli præceptum de abbatiis ecclesiæ Nivernensis.

Dum apud Parisios *cum Germanicis & Francis* ad amoliendam paganorum obsidionem versaretur Carolus imperator, ipsum adiit Emmenus Nivernensis præsul, & ab eo præceptum confirmationis obtinuit de omnibus abbatiis & rebus ecclesiæ suæ, scilicet de abbatia sancti Martini extra muros urbis sita, quæ nunc est canonicorum regularium; de abbatiis sancti Troësii, sancti Agricolæ, sancti Salvatoris, ex quibus hæc ordinis est Cluniacensis; de abbatia sancti Geldardi sanctique Lupi, de abbatia sancti Francoëni, sancti Vincentii in Magniaco, *de abbatia sancti Genesii & sanctæ Mariæ Dei genitricis, in qua sanctimoniales feminæ Deo militant*, quæ superest etiam nunc sub ordine nostro, & sub titulo sanctæ Mariæ, sed a quo condita, incertum; *de abbatia in Cusiaco*, itidem nostri ordinis sanctimonialium, *jussu & studio Emmeni episcopi ædificata*, ut superius [a] vidimus; *de abbatia etiam in insula Galli posita cum omnibus suis beneficiis, & de beneficio, quod Ricardus comes eidem abbatia per carta scriptum apposuit, Emmeno episcopo postulante*; de abbatia Glandone, de cellula sancti Desiderii extra & contra portam civitatis posita; de abbatia sancti Petrusii in Morvenno; *de abbatia sancti Patricii inter Ligerim & Alcricum fluvios*, &c. *Datum* XV. *kalend. Januarii. anno incarnationis Domini* DCCCLXXXVII. *indictione* V. *anno* VI. *regni Karoli piissimi imperatoris augusti, in Italia* V. *in Francia* IIII. *in Gallia* II. *Actum Parisius.* Hoc præceptum habes in appendice nostra integrum, cujus fragmentum tantum exstat in Gallia [b] christiana.

[a] *num. 9.*

[b] *Gall. Christ. to. 3. p. 701.*

XIV. Hugo abbas obit.

Tempore obsidionis Parisiacæ obiit non modo Gozlinus episcopus, sed etiam Hugo, *abbas-princeps* Abboni dictus, qui Aurelianis mortuus, Autisiodori sepultus est in basilica sancti Germani, erga quem vivens impense affectus fuerat, exemplo scilicet parentum suorum Conradi principis & Adheleïdis, qui ibidem humati fuerant. *Is est Hugo, ut absque assentationis fuco verum fatear*, inquit Hericus [c] monachus, *& nomine & officio abbas, de quo quidquid dixero, longe infra meritum ipsius est.* Erat is multorum monasteriorum abbas, in his S. Martini Turonensis, S. Germani Autisiodorensis, & aliorum. Falluntur qui eum Rotberti Fortis filium faciunt, decepti vulgato chronico [d] S. Benigni, & interpolato Aimoïni loco ex libro primo de miraculis sancti Benedicti, ubi *Hugo, per Gallias abbatis honore præditus*, Nortmannorum temerarios ausus compescuisse dicitur. quo in luco Johannes a Bosco post Hugonis nomen interponit hæc verba, *ut fertur, Rotberti filius*, quæ desunt in Patriciacensi, aliisque melioris notæ codicibus. Certe Hericus mox laudatus, qui Hugone vivente ac florente scribebat, eum solum ex parentum suorum liberis superstitem fuisse dicit. Qui prædictum glossema in Aimoïni contextum induxit, nominis æquivocatione forte deceptus est Hugonis Magni, qui filius fuit Rotberti se regem ferentis, cæsi in Suessionica pugna anno DCCCCXXIII. Hugonis abbatis ducatus Odoni concessus. Ad Gozlinum episcopum quod attinet, ejus depositio in necrologio nostro, scilicet sancti Germani monasterii Pratensis, cujus abbas erat, notatur XVI. kalendas Maii, ipso die quo Hilduini abbatis. Gozlino in episcopali dignitate suc-

[c] *Heric lib. 2. de mirac. S. Germani.*

[d] *Spicil. to. 2. p. 525.*

cessit, ut jam dixi, Anschericus, itidemque in abbatia sancti Germani Autisiodorensis; in abbatiæ Pratensis regimine Ebolus, *Mavortius* seu *Martius abbas* dictus in carmine Abbonis, qui eum Gozlini nepotem vocat. Idem Pictavorum comes erat, Ranulfi comitis secundi filius, cujus bellica potius facta, quam abbatialia novimus. nisi quod loculum sancti Germani ornavisse, & in propriam basilicam retulisse memoratur.

ANN. CHR. 887.

Gozlino abbati succedit Ebolus.

XV. Riccardis augustæ purgatio & secessus.

Crassus, seu causa inertiæ, seu iræ in Neustrasios, qui ei se dedere noluerant, Parisiorum urbe relicta, cum nihil imperatoria majestate dignum fecisset, in Alamanniam cum suis se recepit, permissa Nortmannis Neustria, quæ ejus imperium detrectaverat. Illic Riccardem augustam adulterii postulavit, atque in concione numquam se eam contigisse affirmavit. Liutwardus Vercellensis antistes, qui summum apud imperatorem locum obtinebat, in stupri suspicionem adductus, expellitur. Verum Riccardis istud crimen ita repulit, ut se virginem esse, idque se Dei judicio, aut singulari certamine, aut candentis ferri tractatione confirmaturam esse contestata sit. Ita innocens habita, facto nihilo minus divortio, *in monasterium, quod ipsa*, inquit Regino, *in proprietate sua construxerat, Deo famulatura recessit, & in quo sepulta miraculis præfulget*, uti additur in chronico Saxonico nondum vulgato. Hoc est monasterium Andelacense *, modo nobilium canonicarum, ad Vosagi montes in Alsatia situm: ubi Riccardis usque ad obitum ita religiose vixit, ut in sanctorum album adscribi meruerit, festivo cultu honorata XVIII. kal. Octobris, quo die in veteri kalendario Murensi *sancta Rehkart monacha* memoratur. Exstat in archivo Stivagiensis abbatiæ in Vosago, Præmonstratensis nunc ordinis, diploma ipsius Riccardis seu Recardis augustæ, multas possessiones & ecclesias largientis Stivagio monasterio, quod sibi a Carolo conjuge suo traditum fuisse dicit. *Datum kalendis Maii, anno domini mei Caroli in Italia* IIII. *in Francia* III. *indictione* II. quæ anno ejus sæculi octogesimo-quarto conveniunt, non septuagesimo-quinto, ut imperitus scriba antigrapho de suo apposuit.

* *Andlaw.*

Crassi abdicatio.

Exinde Crassus corpore languidiori esse cœpit, & conventum mense Novembri Triburias in festum sancti Martini diem indixit, in quo de re publica ageretur. Illic Germani experti, eum tractandis rebus parum consilii ac nervorum habere, communi consilio ab eo discesserunt, eique Arnulfum, Carolomanni ex pellice filium, suffecerunt, qui extemplo regnum accepit. Hæc vero discessio ea fuit, ut vix intra triduum quisquam ei adesset, qui ei vel ipsa humanitatis officia impenderet, uno excepto Liutberto Moguntino antistite, qui ei vitæ necessaria subministravit. Itaque desperatis rebus inops & miserabilis Carolus ab æmulo quædam prædia ad victum precario accipere coactus est, qua ex re tantum animi mærorem contraxit, ut initio anni insequentis interierit.

XVI. Liutwardi malefacta in parthenone Brixiensi.

a *Lambec. to. 2. bibliot. cæsar. p.* 357.

Expellendi Liutwardi episcopi non sola causa fuit stupri cum augusta suspicio, quæ falsa comperta est: sed etiam raptus nobilissimæ virginis ex Brixiensi sanctæ Juliæ monasterio, cujus rei fit mentio apud Lambecium a in additionibus ad annales » Pithœanos. Quippe Liutwardus præpotens apud imperatorem, ut alter Aman, ad » tantam devolutus est vesaniam, ut monasterium puellarum, in Brixia civitate si- » tum, invaderet, & per quosdam e suis filiam Wrnochi comitis, propinquam impe- » ratoris, vi raperet, suoque nepoti in conjugium daret. Sanctimoniales ad preces, » quod unicum eis refugium erat, mox conversæ. Is qui eam duxerat, eadem nocte » interiit. quod cuidam ejus loci sanctimoniali revelatum est. Forte istius sanctimo- » nialis pater fuerit Unrochus, filius Evrardi comitis Forojuliensis. Ceterum Liutwardus episcopus is est, cui Notkerus librum sequentiarum nuncupavit.

Coloniensis synodus.

Paullo ante Crassi dejectionem, id est kalendis Aprilis, habitum est Coloniæ concilium sex episcoporum, præsidentibus Liutberto Moguntino, & Williberto Coloniensi metropolitanis: in quo maxime contra pervasores rerum ecclesiasticarum, agente in primis Francone Tungrensi præsule, & contra vitiatores sanctimonialium actum est. Huic synodo interfuere etiam abbates, Nevelongus Indensis, Andulfus Werdinensis, & Folcharius Aquisgrani palatii abbas. Nevelongi successor Igelhardus a Nortmannis in villa *Berchem* non multo post cæsus est VIII. kalendas Julii.

XVII. Doncheriacensis cellæ origo.

Combusta superiore anno, ut vidimus, Suessionensi sancti Medardi basilica, Carolus profugorum monachorum sortem miseratus, villam dominicalem Doncheria-

ANN. CHR. 887.

cum seu Doncherium, sitam ad Mosam in comitatu Castrensi, cum omnibus ad eam pertinentibus concessit *dilectissimis monachis cœnobii sancti Medardi atque sancti Sebastiani, ad eorum scilicet usus ac stipendia, atque refugium ingruentis persecutionis:* nempe, ut inibi cella construi possit *ad divertendam violentæ persecutionis rabiem.* Hujus rei præceptum, a Marloto [a] relatum, datum est IX. *kalendas Julias, anno incarnationis Domini* DCCC LXXXVII. *indictione* V. *Actum apud Ingelheim.* Doncheriacum opidum est ad Mosam infra Sedanum, cujus loci ecclesia sancto Medardo sacra, olim cella conventualis, modo redacta est in simplicem, ut vocant, prioratum seu præposituram pinguissimi reditus, qui a sæcularibus occupatur. Henricus secundus rex Romanorum, interventu Friderici comitis, Bosoni abbati sancti Medardi concedit facultatem ædificandi mercatum in villa Doncherio. Ejus loci advocati seu defensores erant comites Regitestenses, & vicarii nomine fidem clientelarem monasterio sancti Medardi olim præstabant. cujus rei acta referuntur ab eodem Marloto.

a Marlot. to. 1. pag. 508.

XVIII. Odo abbas S. Martini Turonensis.

Post mortem Hugonis abbatis ac ducis, abbatia sancti Martini Turonensis tradita est Odoni comiti Parisiensi, qui Hugonis etiam ducatum obtinuit. Hic res quasdam ejusdem abbatiæ in Italia sitas, quas Carolus Magnus imperator olim fratribus sancti Martini ad eorum necessitates sufficiendas dederat, ad eorumdem confugium restituit *pro remedio animæ suæ, suique genitoris Rotberti ejusdem loci quondam abbatis, necnon pro remedio animæ suæ genitricis*, cujus nomen haud exprimitur in regio præcepto, quod *præstantissimus vir Odo religiosus abbas basilicæ eximii confessoris Christi beati Martini* obtinuisse dicitur: ubi *religiosus abbas*, qui sæcularis erat, appellatus est. *Datum* XVI. *kalendas Julii, anno incarnationis dominicæ* DCCC LXXXVII. *Actum in Cheirchiu.* quo in loco Crassus Bosonis defuncti filium honorifice accepisse, sibique filium adoptivum fecisse traditur in annalibus Fuldensibus. Vitiosæ sunt in antigrapho ceteræ hujus diplomatis chronicæ notæ. Eodem die ibidem ipse *Odo comes seu abbas* ejusdem cœnobii, cujusdam mancipii, nomine Leuthardi, libertatem, quam ejusdem loci canonici *per consensum quondam venerabilis Hugonis* ei concesserant, a Carolo confirmari petiit, obtinuitque ea conditione, ut, *more prædecessorum imperatorum ac regum, manu ipsius Leuthardi denarius excutiatur.* Amalbertus notarius ad vicem Ansberti archicancellarii hoc præceptum recognovit. ac proinde Liutwardus ab archicancellarii munere jam amotus erat. Odoni ad thronum promoto Rotbertus ejus frater in abbatia Martiniana successit. Hugoni abbati Anschericus episcopus successit in regimine, seu potius in possessione abbatiæ sancti Germani Autisiodorensis, cujus monasterium hoc anno a Nortmannis [b] incensum fuisse dicitur.

b Labb. tom 1. bibl. p. 313.

Hugonis abbatis tempus obitus.

De anno, quo Hugo abbas decessit, non levis oritur difficultas ex præcepto [c] Caroli Crassi, cœnobitis sancti Germani dato superiori anno, V. kalendas Novembris, in quo Hugo *memorabilis abbas* quædam eidem loco contulisse dicitur, *unde & ibidem venerabiliter conditus requiescit.* Jam ergo ante hoc tempus mortuus erat, cujus tamen obitus in plerisque annalibus hoc anno accidisse traditur. cui calculo videtur favere Abbo in libro secundo de obsidione Parisiaca, ubi Gozlino episcopo hoc anno defuncto, conjungitur Hugo abbas.

c Diplom. p. 551. V. supra n. 15.

Tempestate sub hac Hugo princeps obit abba.

Verum ordinem temporis ab hoc poëta non fuisse accurate observatum patet ex versu sequenti, in quo Senones Evrardo præsule docto viduatæ dicuntur: qui tamen non ante annum sequentem e vita migravit. Certe in chronico [d] Lemovicensi Hugo abbas inclytus anno DCCC LXXXVI. obiisse memoratur.

d Labb. ibid.

XIX. S. Martini Turonos relatio.

Idem Lemovicense chronicon, in quo sancti Germani monasterium a Nortmannis combustum legitur, hoc anno octogesimo-septimo collocat obitum Guilbaldi episcopi Antisiodorensis, quem alii Wigbaldum, alii mendose Uribaldum vocant. Eodem die in necrologio ecclesiæ Autisiodorensis ad quartum idus Maii obiisse dicuntur *Hugo abbas, & Wigbaldus episcopus, qui dedit fratribus*, id est canonicis, *xxj. mansos in Chirchiriaco per præceptum regis.* Eodem itaque die migrarunt e vivis Hugo abbas mox laudatus, & Wigbaldus episcopus: sed hic anno præsenti, ille præcedente.

ANN. CHR. 887.

Herbernus abbas, deinde archiepiscopus.

Wigbaldo subrogatus Herifridus, cujus tempore sancti Martini episcopi corpus ex urbe Autisiodoro Cæsarodunum-Turonum revectum est. Relationi adfuit *divæ memoriæ* Herbernus seu Hebernus abbas, *jam sine sociis*, id est sine monachis, qui, numero viginti-quatuor, corpus sacrum in Burgundiam, una cum Herberno abbate comitati fuerant; jam vero divina providentia omnes & singuli per universam Burgundiam ad episcopales & abbatiales dignitates promoti erant, ut tradit sanctus Odo abbas Cluniacensis, qui hanc sacri corporis relationem ab Ingelgerio comite procuratam testatur. Demum Herbernus ipse post mortem Adalaudi archiepiscopi, paullo post promotus est ad sedem Turonicam, in qua eamdem, quam prius, vitæ consuetudinem ac rationem retinuit.

XX.

Evrardus Senonum antistes obit.

Hic etiam annus Evrardi Senonum archiepiscopi supremus fuit, mortalis vero dies kalendis Februarii insequentis. Sepultus est in basilica sanctæ Columbæ, in oratorio sancti Martini. Annum ipsius obitus colligere licet ex inedito chronico Se-
» nonensi jam laudato, in quo Nortmanni pridie kalendas Decembris Parisiis Seno-
» nas ascendisse, & *sequenti Maio mense* rediisse in Franciam, *jam defuncto Evrardo episcopo kalendis Februarii, & ordinato Gualterio in loco ejus* IV. *nonas Aprilis, qui eodem anno unxit Odonem in regem*. Recte. nam dominica dies hoc anno incidebat in quartum nonas Aprilis. Itaque anni pontificatus tantum quatuor, non omnino integri, Evrardo tribuendi sunt, non quinque, ut Clario visum est. Gualterius seu Walterius, ejus successor, non multo post ordinavit in *Ngello cœnobio* parochiæ Trecensis, Herifredum Autisiodorensem episcopum, cui rex *pastoralem baculum* contulisse dicitur.

Geilo etiam episcopus Lingonum.

Obiit etiam hoc eodem anno Geilo Lingonum episcopus ex-abbate Trenorchiensi, in Besuensi monasterio sepultus, de cujus successore deligendo quantæ turbæ excitatæ sint, patet ex litteris Fulconis Remorum archiepiscopi, apud Frodoardum [a], ordinato demum Stephani papæ jussu Theutboldo diacono, cui postea oculi ab æmulis eruti sunt. Geilonis obitus non contigit ante quintum-decimum kalendas [b] Junias hujus anni, quo die in synodo Cabilonensi bona sancti Stephani Divionensis confirmari curavit.

a Frod. lib. 4. c. 2.

a Perard. p. 30.

XXI.

Belliloco facta donatio a Frotario archiepiscopo.

Bellilocense apud Lemovices monasterium benefacta prædicat Frotarii Bituricensis archiepiscopi, qui hoc anno villam comitatus Lemovicini & vicariæ Exandonensis, Orbaciacum vocabulo, sitam ad Viseram fluvium, Bellilocensibus contulit. Hanc prius triginta librarum argenti pretio ei vendiderat Oddo comes, & uxor ipsius Garsindis, assentiente fratre suo Auberto: Frotarius vero eam largitus est sacrosanctæ ecclesiæ Belliloci monasterii, cui tunc Gerulfus seu Gairulfus abbas, jam a nobis laudatus, præerat. Hanc donationem fecit prædictus antistes *pro anima Regimundi, filiorumque ejus Bernardi & Oddonis & Arberti*, ea conditione, ut *ab abbatibus & prælatis hujus sanctissimi loci* ex supra dictis rebus custodi ecclesiæ *vini modii decem tribuantur, unde sacrificium quotidie Domino offeratur*; & annis singulis hujus loci fratribus ob donatoris memoriam refectio exhibeatur. Actum mense Augusto, anno imperii Caroli VII. non IIII. in Galliis tertio. Frotarii litteris subscribunt, post Frotarium, Helfridus Pictavensis, Guillelmus Cadurcensis, Adolenus Albiensis episcopi, præter alios laïcos. Deest Adolenus in chronico [b] episcoporum Albigensium, interponendus inter Lupum & Paternum.

b Spicil. to. 7. p. 336.

XXII.

Werdenses & Fuldenses abbates.

Post mortem Hildegrimi Halberstatensis episcopi, eo nomine secundi, qui in Werdensi seu Werthinensi monasterio sepultus est, permissa est monachis libera successoris in abbatia electio, suffectusque Andolfus, qui eodem anno decessit. Hembilis ejus successor privilegia obtinuit ab Arnulfo rege & Stephano papa. Non diuturna fuit ejus præfectura, neque successorum Adaldagi, Odonis & Hogheri, de quibus consule, si libet, Bucelini Germaniam sacram.

Eodem tempore Sigehardus Fuldensis abbas, liberæ electionis privilegium ab Arnulfo rege renovari curavit, impetrato diplomate, quod unum e primis est Arnulfi regis, datum apud *Forcheim* hoc anno, regni ejus primo, & quidem III. idus Decembris, indictione VI. a Septembri inchoata. Quam diu superstes fuerit Sigehardus, non omnino liquet. Secessisse constat sua sponte in proximum montis sancti Johannis monasterium, ibique reliquum vitæ pie transegisse. Inde magnifico funere in majoris Fuldensis ecclesiæ conditorium relatus, ubi sepulcrale monumentum accepit. Huoggi seu Huoggerus ejus successor percarus fuit Arnulfo regi, qui

ANN. CHR. 887.

ei librum evangelii, scriptum ipsa sancti Bonifacii manu, concessit, ejusque monasterio tutelam regio diplomate asseruit. quod etiam præstitit Ludovicus, ejus filius ac successor. Arnulfi anno octavo quidam Boso [a] Fuldensi monasterio, ubi *vir venerabilis Huoggi abbas multitudini regulariter degentium praerat monachorum*, largitur quidquid rex Arnolfus in pago Hasegowe donaverat. Ad hæc commutatio [b] quarumdam rerum facta est inter Adalbertum strenuissimum comitem, & Huoggerum abbatem, *cum scientia & licentia gloriosi Francorum regis Ludovici junioris, anno regni ejus* VII. id est Ludovici Arnulfi filii, cui Francia orientalis parebat. Hinc redarguas eos, qui hunc abbatem diem clausisse putant anno Christi nongentesimo, qui Ludovici primus erat.

[a] *Trad. Fuld. pag.* 571.
[b] *ibid. p.* 160.

XXIII. S. Crucis monasterium apud Firmanos.

In Italia Theodorus, Firmanæ ecclesiæ antistes, monasterium Salvatoris & sanctæ Crucis in quadam insula suæ parochiæ, fluminibus Etha & Clento circumdata, exstruxit, dotavitque tum ex rebus ecclesiæ suæ, quas plurimum auxerat, tum ex donis Caroli imperatoris, qui hanc institutionem cum canonicis ecclesiæ Firmanæ comprobavit. In his prædictus episcopus eidem monasterio contulit [c] *gruptas eremitarum*, in quibus basilicam ad honorem Dei altissimi & sancti Ægidii consecrare curaverat; atque sancti Laurentii ecclesiam, positam in castello civitatis Firmanæ juxta episcopatum, cum omnibus rebus ad illam ecclesiam pertinentibus, & cum oblationibus vivorum & mortuorum: ut ad civitatem Firmanam accedentes monachi, illic diversarentur, tamquam in proprio monasterio. Aliæ insuper parochiales ecclesiæ eisdem concessæ ab eodem episcopo cum oblationibus itidem vivorum & mortuorum, data eis etiam facultate constituendi & amovendi in dictis ecclesiis capellanos vel clericos, cum potestate eligendi sibi abbatis: eo pacto, ut in signum subjectionis singulis annis mense Augusto monachi denariorum solidos decem persolverent. Actum in ipso monasterio, in consecratione ejusdem, mense Septembri, die XIV. intrante, anno incarnationis dominicæ DCCC LXXXVII. indictione V. anno Caroli imperii in Italia VI. qui falso tunc in illo monasterio adfuisse dicitur. nam a paschate anni superioris, quo ex Italia in Galliam venit, numquam illuc reversus est, ut testantur annales Fuldenses.

[c] *Ital. Sac. to.* 2. *c.* 746.

XXIV. Erkemperti monachi legatio & gesta.

Per idem tempus Athenulfus, qui summum Capuæ invaserat dominium, res omnes Casinatium in ea urbe præripuit. Ea re commotus Angelarius abbas, qui tunc, ob incensum & direptum a Sarracenis Casinense monasterium, Teani cum suis residebat, Erkempertum monachum misit ad Stephanum papam, per ipsum ea repetiturus, quæ Athenulfus occupaverat. Pro voto successit hæc legatio, eaque omnia restituere jussus est Athenulfus, qui paullo ante usurpati dominii possessionem sibi ab ipso pontifice confirmari petierat per Maïonem venerabilem abbatem [d] sancti Vincentii ad Vulturnum, & Dauferium diaconum. Erkemperto, ob hanc legationem inviso, cellam ab ejus abbate ipsi concessam vi abstulit. Meminit suæ ipsius legationis Erkempertus [e] in hæc verba. *In diebus illis, quando Atenulfus gastaldatus regendi jura adeptus est, omnia, quæque beatus Benedictus infra urbem Capuanam possedit, fratribus exsulantibus auferri precepit. qua de re missus ab Angelario venerabili abbate, & episcopo, ego ipse vestigia apostolorum adii, Stephanum summum pontificem postulaturus pro rebus nostris ablatis: a quo & benedictionem fratribus detuli, & privilegium nostri cœnobii, & supra dicto viro litteras exhortatorias attuli. Dominicalis res ablata reddita est: mente autem ex toto subtracta, in proximo etiam cellam, mihi ab abbate traditam, concepto dolore vi abstulit.* Erat Erkempertus Adelgarii nobilis Teanensis filius, forte Pilani natus: qui, cum Pilanum castrum a Pandonulfo Capuano comite expugnatum esset, captus ipse, bonisque exutus omnibus, *pedester* [f] *ante equorum capita* usque ad urbem Capuanam exsul abductus est X. kalendas Septembris, anno Domini DCCC LXXXI. Sub id tempus monasticum habitum induit, Casini sub Berthario, an Teani sub Angelario abbate, certe non sub Ragemprando, ut Leoni visum est, qui abbas fuit post annum ejus sæculi octogesimum-octavum. Casinensi monasterio [g] restitui cœpto, *anno Domini* DCCC LXXXVI. *mense Augusti*, dum Capuam negotiorum causa repeteret cum sociis septem Erkempertus, a Græcis capti omnes, rebusque suis exuti sunt, eisque ablati famuli & equi. Pretio redemtis famulis, & equis quinque, ipse solus *cum preceptore suo* Capuam pedibus profectus est, dein Neapolim, ubi negotia eos vocabant; inde sine fructu Capuam reversi sunt.

[d] *Erkemp. n.* 65.
[e] *id. n.* 65.
[f] *id. n.* 44.
[g] *id. n.* 61.

ANN. CHR. 887. Monachis in causis jurare nefas. a *id. n.* 78. b *Chesnii to.* 3. *p.* 681. c *Langob. leg. lib.* 2. *tit.* 48. *l.* 11. d *Chron. Casin. lib.* 4. *c.* 108.

Subsecuta anno præsenti ejus legatio Romam, ut mox diximus, ad Stephanum papam, a quo non modo rerum ab Athenulfo ablatarum restitutionem, sed etiam privilegium suo monasterio obtinuit. Hanc, ut sibi videbatur, injuriam ulturus Athenulfus, primo cellam prædictam Erkemperto vi abstulit; dein *monachos* [a] *beati Benedicti pro rebus perditis*, quas scilicet repetebant, *jurare compulit: quibus cessum fuerat ab omnibus retro principibus, cunctisque augustis Gallicis, sacramentum per se nulli homini dandum, nisi per scariones*, id est per ministros judicum. Id referendum videtur ad diploma [b] Ludovici Pii pro cœnobio sancti Vincentii ad Vulturnum, in quo eadem leguntur. *Et nullus audeat abbates vel monachos ejusdem cœnobii ad jurandum quærere, quia contra divinam credimus esse legem: sed per scariones omnibus temporibus fidem faciant, sicut prisca consuetudo fuit.* Eamdem legem renovavit Henricus imperator in legibus [c] Langobardorum; eamque obtenderunt Casinates [d] petitioni cardinalium, pro Innocentio secundo flagitantium, ut jurejurando filium Petri-Leonis anathematizarent. Hæc occasione Erkemperti Casinatis monachi, qui historiam Langobardorum Beneventi a Paulo Warnefridi prosecutus est ad annum insequentem, ad quem nunc progrediendum.

ANN. CHR. 888. XXV. Carolus Crassus obit. e *Diplom. p.* 141.

ABjectus a Germanis Carolus augustus, atque Arnulfo in ejus locum suffecto, tanto animi dolore contabuit, ut pridie idus Januarias, vel ipsis idibus e vita excesserit. Hic unus Caroli Magni & Ludovici Pii imperium æquavit, tribus regnis, Germaniæ, Italiæ & Galliæ cum titulo imperii in unum collatis. In quibusdam bullis plumbeis [e] ei tribuitur *renovatio regni Francorum*, quod mortuis duobus Carolomannis, fratre & agnato, post varias altercationes, ad eum tandem revolutum est. Crassus in Alamanniæ villa, vocabulo Indinga decessit: cujus cadaver in Augiense prope Constantiam monasterium delatum est, sepulumque juxta altare sanctæ Mariæ. Illic visitur lapis ejus sepulcralis cum epitaphio, quod e veteri marmore in pariete rescriptum legitur in hunc modum.

Pannonas & Cymbros diverso marte subegit
Carolus, a crasso corpore nomen habeat.
Sed bene quas juvenis regni tractavit habenas,
His sternm senior dispoliatus abit.

Imperium divisum.

Non tamen admodum provectæ ætatis erat, cum decessit. Decessit vero nulla relicta prole, præter Bernardum ex illegitimo thoro. unde post ejus mortem divisum in partes imperium. In Italia pars Berengarium, filium Eberhardi seu Evrardi Forojuliensium ducis; pars Widonem, Lamberti Spoletani ducis filium, propinquum Fulconis Remorum archiepiscopi, coronandos decernunt; multoque sanguine fuso, Wido tandem superior, Arnulfi patrocinio se tutatus est. Galliarum regnum, ob immaturam Caroli Simplicis ætatem, Odoni comiti Parisiorum, viro strenuissimo, commissum, assentiente Arnulfo; coronatus a Walterio Senonum antistite, qui Evrardo hoc anno successit. Burgundiam superiorem obtinuit Rodolfus, Conradi junioris filius, Hugonis abbatis ex fratre nepos, apud sanctum Mauricium corona insignitus. De Odone id a Folquino levita & monacho Sithiensi scriptum legimus, Arnulfum ei coronam Remos per legatos misisse, quam ille in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ capiti suo imposuerit in die sancti Briccii, ab omni dein populo rex acclamatus.

XXVI. Crassi commemoratio Augiæ instituta. f *Analect. to.* 4. *p.* 340.

Redeo ad Crassum, cujus, dum viveret, annuam commemorationem in Augiensi monasterio, ubi postea sepultus est, Cadoltus Novariensis episcopus instituit. Erat is Liutwardi Vercellensis præsulis & archicancellarii frater, ab incunabulis educatus in illo monasterio, ex quo ad Novariensem cathedram ab eodem imperatore assumtus fuerat. Ab eodem etiam regiam curtem Erichingam obtinuerat, quam Augiensibus cum ipsius permissu legavit. Id litteris suis [f] Cadoltus ipse testatum reliquit in hæc verba, de Carolo agens. *Qui me*, inquit, *non dico pro aliquo mea religionis studio, sed pro sua sanctitatis desiderio, de Auva monasterio more antecessorum suorum tulit, & in suum servitium coaptavit, ac sanctæ Novariensi ecclesiæ pastorem atque pontificem constituit. Deinde, fratre meo interveniente, videlicet Liutwardo archicapellano, curtem suam, qua vocatur Erichinga, placida ac benignissima*

ANN. CHR. 888.

sima meate in proprietatem concessit. Postea cœpi flagitare pissimum supra dictum principem, suffragante fratre meo prænominato episcopo, ut eamdem curtem ad præfatum monasterium, ubi ego ipse ab ipsis educatus sui cunabulis, pro sua mercedis augmento per sui praecepti firmitatem post obitum meum in proprietatem concederet. At ipse benignissimus princeps, in hoc etiam nostra satisfaciens petitioni, per sui praecepti firmitatem eidem sancto loco confestim supra dictam casam jure perpetuo confirmare decrevit. Horum beneficiorum memor Cadoltus, cum ejus loci abbate ac fratribus constituit, ut singulis annis ejusdem imperatoris sollemnis commemoratio fieret; id est ut singuli presbyteri singulas missas *cum oblationibus* pro eo celebrarent; ceteri autem fratres triginta psalmos recitarent, & quidem ipsa die *consecrationis* ejus, id est *epiphaniarum die*. Idem post ejus decessum ipso die obitus ejus fieri decretum, quo die *refectio plena* fratribus in refectorio exhiberetur. Idem quoque de se ipso Cadoltus post obitum suum fieri præcepit, non alius sine dubio, quam qui Candulsus apud Ughellum [a] dicitur: ubi nulla monasticæ ejus professionis fit mentio, quod in multis aliis episcopis evenisse haud dubium est, tametsi monachi fuerint.

[a] Bal. fac. to. 4 c. 910.

XXVII. Odo rex Parisios strenue tutari pergit.

Inter ea Nortmanni, Meldis captis ferociores, Parisios denuo aggrediuntur, quos solutæ obsidionis pudebat. Tum vero Odo, jam rex proclamatus, novos animos ex nova dignitate sumens, Francis, Aquitanis & Burgundionibus convocatis, urbem ac regnum strenue defendit. In uno ad Montem-Falconis congressu barbarorum novem-decim millia mense Junio cæsa, ipso die sancti Johannis. Nec auxilio defuit Gozlini exemplo Anschericus episcopus, qui una die cum trecentis militibus sexcentos ex hostibus tumultuario conflictu confecit. His cladibus acceptis, Nortmanni pars in Neustriam se recepere; pars in Burgundiam effusi, novas edidere strages. Soluta demum obsidione, Pratenses monachi, periculi expertes, sanctissimi patroni sui Germani loculum in suam basilicam reportant, ejus brachio in ecclesia sancti Germani-veteris ob impensi hospitii gratiam relicto. Novam ei thecam paullo ante paraverat Ebolus abbas, impensas conferentibus Henrico patre & Odone comite, ut subjecti versus testantur,

Hic positum sancti multis venerabile corpus
Germani, loculo nunc custoditur in isto.

& post pauca.

Hunc in honore tuo loculum, Germane, rogavit
Ebbolus abba pius fieri, donisque replevit.
Hic etiam, Henrice pater, tua dona refulgent:
Odo comes vernat, multi quoque Christicolas.

Ex hoc ultimo versu intelligitur, hanc thecam conditam fuisse ante coronationem Odonis, qui hic tantum *comes* dicitur.

Abbonis & Aimoini scripta.

De obsidione Parisiaca, deque miraculis a sancto Germano tum patratis, libros duos carminum, ut jam dixi, scripsit Abbo Pratensis monachus, eosque *fratri Gozlino* consodali suo nuncupavit, addito tertio, qui nihil ad historiam facit. His libris, post præfationem ad Gozlinum prosaicam, subjiciuntur versiculi dactylici ad magistrum suum Aimoïnum, Pratensem itidem monachum, qui libros quoque duos de miraculis sancti Germani prosa oratione composuit. Hic non confundendus cum Aimoïno Floriacensi monacho, qui libros quatuor de historia Francorum compilavit, eosque Abboni abbati suo dedicavit annis amplius centum post Aimoinum & Abbonem monachos Pratenses. Hic nempe Abbo in fine libri secundi tria vitia notat, quæ divinam in Franciam provocavere offensam, scilicet superbiam, voluptatem, & vestium luxum. De ejusdem Abbonis sermonibus alias.

XXVIII. Ebolus abbas S. Dionysii, cujus corpus Remis.

Ebolo abbati parebat etiam abbatia sancti Hilarii Pictavensis, ac monasterium sancti Dionysii martyris & episcopi Parisiensis, eujus corpus tunc Remis ob infestationes Nortmannorum servabatur. Forte istuc delatum fuerat ex Curte-superiori * ejusdem martyris villa ad Axonam, ubi aliquamdiu ob eamdem causam substiterat. Ejusdem villæ indigena quædam, Gislaidis nomine, quod religionem vesperæ sabbati primi, mola ad terendum frumentum vertenda, violasset; molæ manubrium dexteræ suæ adhærere sensit, nec ulla industria removere valuit. Hæc, comperto quod sancti [b] Dionysii corpus tunc Remis ob metum paganorum servaretur, eo

* Consreveux.

[b] Frod. lib. 2. c. 24.

ANN. CHR. 888.

contendit, ut hoc incommodo liberaretur. quod factum ad sepulcrum sancti Theoderici, uti cælitus præmonita fuerat. Hoc miraculum refertur non solum apud Frodoardum, sed etiam in libro de miraculis sancti Theoderici abbatis, idque factum in quibusdam codicibus legitur *anno ab incarnatione dominica* DCCC LXXXVIII. quo proinde anno sancti Dionysii corpus Remis servabatur. Consonat huic calculo chronicon Remense, in quo sanctus Dionysius metu Nortmannorum *anno quinto præsulatus Fulconis Remensis archiepiscopi* ad illam urbem translatus dicitur, *ibique moratus ferme per trium curricula annorum.* Hinc laudatur a Frodoardo [a] hic pontifex, quod multos, tam sacerdotes, quam monachos, ad se undecumque ob metum Nortmannorum confluentes, benigne susceperit, & paterne foverit: *inter quos etiam monachos sancti Dionysii, cum ipsius martyris pretioso corpore, aliorumque pignoribus, recepit & aluit.* Post illos tres annos sacræ illæ reliquiæ in basilicam Dionysianam relatæ sunt. Non multo post Heriveus antistes, Fulconis successor, ecclesiam in honore [b] sancti Dionysii extra murum civitatis, a canonicis constructam, consecravit. quæ modo abbatia est canonicorum regularium ordinis sancti Augustini.

a *ibid. c.* 8.

b *id. lib.* 4. *c.* 13.

XXIX. Fabula de sublato S. Dionysii corpore.

Superstes fuit tantum ad annos abhinc quinque Ebolus seu Ebulo abbas, cujus tempore corpus sancti Dionysii a quodam Gisalberto furtim sublatum, & Ratisponam in basilicam sancti Emmerammi transportatum ferunt. In hujus rei argumentum Emmerammenses nostri duos lapides proferunt, in quorum uno hæc leguntur: SUB EBULONE ABBATE GISALBERTUS FURAVIT. in altero: FURATUS EST QUINQUE NONAS JUNII. HUC VENIT PRID. NONAS DECEMBRIS TEMPORE TUTONIS EPISCOPI. Id ita accidisse recentiores narrant. Gisalbertus, homo Germanus, rem se gratam Arnulfo imperatori facturum existimavit, si corpus sancti Dionysii episcopi & martyris suffurari posset, eique offerre. Hujus rei causa in monasterium Dionysianum, tamquam criminis reus, se confugere simulavit, ut sanctitate loci se pœnæ subduceret. In hoc itaque asylo commoranti facilis fuit ad sacrum tumulum accessus. Rebus omnibus ad furtum dispositis, abbati & monachis lautum convivium parat, omnibusque post epulum in somnum resolutis, ostium tumuli recludit, thecam aperit, sacras aufert reliquias, easque ad Arnulfum affert: qui eas ad basilicam sancti Emmerammi quinto post mense deferri jubet, ibique offerri cum egregio codice evangeliorum, & altari portatili, quod in castris circumferre solebat. Et codex quidem evangeliorum ibidem adhuc cum ipso altari habetur, sed longe post id tempus, aliaque occasione sancto Emmerammo datus, ut postea [c] videbimus: at corpus sancti Dionysii loco incognito absconditum aiunt. Ceterum hoc furtum factum esse Ebulone sancti Dionysii abbate; Ratisponam vero allatum corpus, Tutone episcopo. quod vere sancti Dionysii primi Parisiorum episcopi & martyris corpus esse coram Leone IX. probatum sit, & pontificio diplomate confirmatum.

c *infra n.* 74.

Verum ad refellendam hanc fabellam non aliis auctoribus opus est quam Germanicis, Witichindo, inquam, Ditmaro, & Arnolfo monacho sancti Emmerammi, qui omnes sub finem decimi sæculi scripserunt. Ex his Witichindus monachus „ Corbeiæ in libro primo annalium tradit, Heinricum Germaniæ regem, Rheno „ trajecto, Lotharii regnum invadere cœpisse; eique occurrisse legatos Caroli Fran- „ corum regis, cognomento Simplicis, qui tunc in carcere tenebatur; eique signi- „ ficasse, nihil sibi ab inimicis circumvento jucundius accidere posse, quam glorio- „ sos ejus profectus audire; tumque ipsi in pignus fœderis *manum pretiosi martyris Dionysii, auro gemmisque inclusam* obtulisse. Ditmarus Merseburgensis episcopus id factum dicit, ut Heinrici regis auxilium Carolus sibi demereretur. His auctoribus accedunt Conradus abbas Urspergensis & Sigebertus. Cum igitur principatu Heinrici regis, qui anno vicesimo post Arnulfum regnavit, hoc brachium e corpore sancti Dionysii detractum sit, consequens est, sacrum illud corpus apud Dionysianos tum servatum fuisse. Neque enim ante illud tempus Carolo impuberi & nondum regi declarato hoc brachium concessum fuisse veri simile est. Sed illud palmare, licet abnutivum argumentum est, quod Arnolfus ex comite monachus sancti Emmerammi, qui sub annum millesimum scribebat, Arnulfi imperatoris in sanctum Emmerammum benefacta singillatim commemorans, prædia ab ipso data, præclarum codicem evangeliorum dono concessum refert, nullam vero corporis sancti Dio-

ANN. CHR. 888

nysii mentionem facit. Denique, ubi Ratisponenses fictitiam possessionem suam in vulgus jactare cœperunt, Heinricus rex Francorum loculum sancti Dionysii in frequenti episcoporum & procerum cœtu reserari præcepit, & in eo sacras beati Dionysii reliquias superesse oculis comprobavit. cujus rei festus dies sub titulo detectionis sancti Dionysii quotannis celebrari solet. Plura hac de re alias, ubi de bulla Leonis papæ IX. agendum erit.

XXX. Besuæ vastatio septima, & martyria.

Incidit in hoc tempus vastatio Besuensis monasterii per Nortmannos, quæ septima ejus loci clades a chronographo [a] *desolatio desolationum* emphatice appellatur. Prima destructio facta est ab ipsis Francis *per bella intestina*, cum scilicet Theodericus, Chlodovei junioris filius, cum Dagoberto secundo Austrasiorum rege de finibus regni decertaret: secunda a Wandalis perfidis paganis: tertia a Sarracenis, quando Augustodunum civitatem destruxerunt: quarta per Anglam pessimam feminam, quæ hoc monasterium principatu Pippini regis invasit, & in solitudinem redegit, quæ ad pontificatum Alberici episcopi, monasterii reparatoris, perseveravit. Quinta clades ob ingruentem pestem, quæ monachos locum deserere coëgit. Sexta prætermissa, septimam ad hoc tempus refert chronographus, quando Nortmanni, vastata late Burgundia, etiam in Besuense monasterium irruerunt, ibique septem monachos præcipiti furore trucidarunt, ceteris fuga elapsis. Martyrum nomina sunt Airmannus, Genesius, Beraldus, Sifardus, Rodco, Ansuinus presbyter, & Adalricus puerulus. Non sera fuit in barbaros divina ultio, quorum plurimam multitudinem dux Richardus, commisso cum eis prœlio in loco, Argentoïlo nomine, prostravit. Erat tunc Besuæ abbas Walcaudus, cui Argrimus episcopus anno sequenti res a Geilone concessas restitui curavit. Walcaudus seu Walcadus, aliis Galcadus, successores [b] habuit Warinum, dein Teutbertum, quem excepit [c] Milo, postmodum Matisconensis episcopus, qui nihil boni in hac domo gessisse dicitur. De ejusdem loci clade & incendio per Hungros alias agendum. Besuenses monachi, qui Nortmannorum furorem effugerunt, Divionem se receperunt cum sancti Prudentii corpore, quod Warnerius, Argrimi successor, in proprium locum anno DCCCC XXI. revehendum curavit.

Besuæ abbates.

a Spicil. to. 1. p. 526.
b ibid p. 516. & seq.
c ibid. p. 531.

XXXI. Luxovii iisdem strages.

Eadem tempestate Luxoviense monasterium regebat Gibardus abbas, vir, Adsone [d] testante, genere & doctrina clarissimus, qui longius ad alias digressus partes, paganorum sagitis confossus interiit, atque in loco, qui Martini-villa dicitur, sepultus est. Hæc non alia forsan fuerit ab ea villa ducatus Luxemburgensis, quæ ab aliis Martis-villa * appellatur. Tetelmus quoque monachus, honoratus inter suos, non longe a monasterio tunc inventus est interfectus. Quinam fuerint pagani illi, non exprimit Adso, qui paullo ante [e] de eadem clade agens, ait, paganos subito illuc irrumpentes monasterium incendere conatos fuisse; at manifesta Dei virtute impeditos: sed tamen quosdam monachos, in quibus Gibardus abbas & Titelmus, a paganis interemtos. Non ergo tunc destructum fuisse videtur monasterium, ut quædam alia scripta tradunt: sed monachi partim cæsi, partim fugati: ex quibus hi ad propria post aliquod tempus reversi sunt, & ad recuperanda bona ablata corpus sancti Walberti abbatis in villam Herlerium, oceano contiguam, detulerunt. In itinere, cum Matrona fluvius trajiciendus esset, navicula divino impulsu ex altera ripa delata fertur ad transportandos monachos sacri loculi gestatores. Hi ex eo loco profecti ad celebrem pagi Meldensis vicum, *Nant* ab Adsone dictum, sancti Walberti natale solum, qui locus non alius a Nantogilo * videtur. Recuperato ægre Herlerio, sacræ reliquiæ Luxovium relatæ. Visitur in medio Luxovii opido quoddam sancti Jacobi oratorium, in quo nulli, præter unius anni infantes, humari solent, ob hanc, ut creditur, causam, quod prædicti martyres illic sepulti sint.

d Sæc. 3. parte 2. p. 457.
* Marville.
e p. 415.
* Nanteuil.

XXXII. Mettense concilium.

Cum tanta mala Galliam, maxime Belgicam, infestarent, his ut præsens aliquod remedium afferrent episcopi, concilium Mettas indixerunt, kalendis Maii celebrandum. Convenere patres in suburbio ejus civitatis, & quidem in ecclesia sancti Arnulfi, Ratbodus scilicet Trevirensis, Rotbertus Mettensis, Dado Virdunensis, & Arnoldus Tullensium præsules, atque Stephanus venerabilis abbas, forte sancti Michaëlis ad Mosam, & multi sacerdotes cum comitibus & nobilibus viris. Primo canone patribus visum est, pacem a paganis & contumacibus christianis emenda- «
tione morum quærendam & implorandam esse. Septimo, ut nemo ederet, aut biberet «

ANN. CHR. 888.

cum Judæis, qui jam tum, ut modo, Mettis frequentes erant: in quos Guntbertus, Metteosis ecclesiæ primicerius, libellum proclamatioois obtulit. Caoone octavo vetitum, ne in locis non consecratis, id est in solariis sive io cubiculis, propter infirmos vel longius iter, sacrificium a presbyteris offerretur. Nono actum de duabus sanctimonialibus monasterii sancti Petri ejusdem urbis, quæ *propter suum facinus* de monasterio (quod sancti Benedicti regula in contumaces præcipit) ejectæ fuerant. sed juxta canones sancta constitoit synodus, ut velamina illis redderentur, & intra monasterium *in ergastulo posita, parvo pane & aqua brevi, cum abundantia divini verbi usque ad satisfactionem fruerentur*. Canone tertio-decimo & ultimo indictæ preces pro Arnulfo rege, cum triduano jejunio & litaniis ad impetrandam a Deo conversionem morum & pacem. qua de re plura inferius.

Sanctimonialibus ejectis velum redditum.

XXXIII. Arnulfi diplomata pro Cremisfanio.

In annalibus Cremisfanensibus [a] quatuor hoc anno Arnulfi regis diplomata concessa referuntur eidem monasterio, cui tum Snelpero abbas post Purchardum præerat. Primum diploma seu præceptum est de curte quadam pagi Troogowe in Bajoaria, vocabulo Newanhova, quam pro anima genitoris sui Carlomanoi, avique sui Ludovici Arnulfus coofert mooasterio Chremisæ, sito ad fluvium cognominem, „excepto quod prius venerabili abbati Purchardo apud *Papilindorf*, & Snelperoni „abbati ad Cidalario in beoeficium coocesserat. Datum Reginæ seu Ratisponæ „III. nonas Jaouarii. Alterum præceptum est ejusdem argumenti, datum ibidem sequenti die. Tertium de quibusdam bonis io comitatu Arbonis, in eodem pago positis, quæ Snelpero abbas, in beneficium prius a se possessa, in proprietatem a rege obtinuit. Datum ibidem oonis Januarii. Quarto denique præcepto Arnulfus cuidam capellano suo, ob fidele ejus servitium, res quasdam apud Welas tradit in proprietatem, cum facultate eas donandi mooasterio, *quod est Chremisa nominatum, ad sanctum Salvatorem*, qui loci patronus erat. Actum in eadem civitate idibus Aprilis. Albertus cancellarius omnia hæc ad vicem Theotmari archicancellarii recognovit. Augiæ prope Constantiam eodem anno decessit Rodolfus abbas, coi suffectus Hatto cellam & basilicam sancti Georgii io insula exstruxit.

a *Annal. Cremif. p. 34. & seqq.*

Augiæ abbates.

XXXIV. S Rembertus episcopus obit, successore Adalgario designato.

Hoc etiam anno mortalem sarcinam exuit sanctus Rembertus seu Rimbertus archiepiscopus Hammaburgensis, saocti Aoscharii successor ac discipulus, non magis senio, quam meritis gravis. Cum se ob continnum pedum dolorem obeundo per omnia ministerio haud parem seotiret; primo apud Ludovicum Germaniæ regem, cujus commendatione episcopatum adeptus erat; tum apud Ludovicum & Carolum ejus filios satis egit, ut *insignis vir Adalgarius, monachus novæ Corbeiæ*, quem jam socium habebat, in adjutorium illi confirmaretur, tum ad visitandas suæ diœceseos ecclesias, tum ad placita adeunda, tum ad proficiscendum, ubi necessitas exigeret, ad expeditionem militarem, vel ad palatium. Non multo post eumdem sibi successorem dari postulavit, & ioter regis consiliarios haberi. quod non ægre obtinuit, *assentientibus abbate & fratribus monasterii ejus, ac sancta synodo hæc omnia roborante*. Hunc Adalgarium nonnulli male cum Adalgario abbate confundunt, quem hujus Adalgarii fratrem germanum fuisse ex saocti Remberti actis discimus, & longe ante decessisse ex superioribus [b] cooſtat. Anoo pæne integro ante obitum sanctus Rembertus mortem imminentem ex cælestibus visis præsensit. Duodecimo ante transitum suum die Bremam accedens, ipso die gravi morbo corripitur: nec tameo a psalmodiis & lectionibus sacris vacabat. Septimo ante obitum die olei sancti unctionem sibi dari petiit, *& una cum communione corporis & sanguinis Domini usque in diem animæ exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit*. Instante obitu, coovocatis presbyteris & uoiversis fratribus, de omnibus, quæcumque forte in quemquam eorum commisisset, veniam petiit, ipse vicissim in se commissa cuivis iodulgens. tum, *percepto corpore & sanguine Domini*, animam Deo reddidit III. idus Junii. Sepultus est, uti viveos jusserat, extra ecclesiam prope tumbam sancti Willehadi primi Bremensis episcopi, ioterjecto tamen pariete ecclesiæ, extra murum orientalem: cujus sepulcrum Adalgarius ejus successor, oratorio sancti Michaëlis ac sanctorum martyrum Stephani & Viti superexstructo, adornavit. Suspensa etiam super ejus tumulum lampas ligoea, ut lumen continuum io ea ibidem arderet, expanso in superficie tumuli pallio, quod cadentibus ex lampade carbunculis illæsum remansisse perhibetur. Librum de rebus ab eo gestis scripsit gravis auctor anonymus, haud dubie monachus Corbeiensis, super-

b *lib. 37. n. 80.*

ANN. CHR. 888.

ftite Adalgario ejus fucceffore, ut ex Adamo Bremenfi canonico intelligitur, ex quo difcimus, *vitam ejus a fratribus ejufdem cœnobii* ad Bremenfes miffam fuiffe. Remberti fucceffor Adalgarius ferulam paftoralem, inquit [a] Adamus, fufcepit ab Arnulfo rege, pallium a Stephano papa; confecratus a Sundroldo Moguntino archiepifcopo, qui Liutberto fucceffit anno infequenti, aliis Sunzo dictus, ante monachus Fuldenfis. Bremenfem ecclefiam rexit difficillimis temporibus barbaricæ vaftationis, id eft Nortmannicæ feu Danicæ; nec tamen legationis fuæ ad gentes, quæ ex privilegio Bremenfibus præfulibus commiffa erat, ftudium ac follicitudinem omifit. a *Adam. c.40.*

XXXV. Corbeiæ immunitas afferta.

Corbeiæ-novæ abbas tum erat Bovo, cui ante biennium Stephanus [b] papa VI. Hadriani III. ab anno præcedente fucceffor, jura & privilegia ejufdem monafterii confirmavit. Idem præftitit anno DCCC LXXXVII. Carolus imperator, Craffus cognominatus, pro Herifienfi [c] parthenone, cui ad id tempus Walburga abbatiffa præerat; & pro Corbeienfi [d] & Herifordenfi monafteriis fub prædicto Bovone abbate, & Hedwige abbatiffa. Hoc autem anno DCCC LXXXVIII. vexata eft utriufque hujus cœnobii immunitas in nationali fynodo [e] Moguntino, cui Liutbertus illius urbis epifcopus præfidebat: fed tandem, productis a Bovone abbate inftrumentis, repugnante licet Bifone Patherbrunnenfi epifcopo, Liutbertus favorabilem utrique monafterio fententiam tulit, affentientibus fubfcribentibufque plerifque epifcopis: cujus fententiæ hæc fumma eft, ut fcilicet prædicta duo cœnobia res fuas omnes cum poteftate integra poffideant, nec epifcopus Patherbrunnenfis, ejufve œconomus, aliique miniftri ex iis quidquam detrahant, ordinationibus & confecrationibus ecclefiarum & altarium dumtaxat cum chrifmatis oleique facrati conceffione eidem epifcopo refervatis. Ad hæc ut horum locorum monachi & fanctimoniales abbatem vel abbatiffam eligendi femper habeant poteftatem, & eam perfonam eligant, quæ propofitum converfationis in utroque monafterio & moribus, & habitu profiteatur; non canonicum aut laïcum, neque alterius monafterii monachum aut fanctimonialem. Denique, ut illorum locorum abbas vel abbatiffa, *nulla poteftate prævalente*, dejiciantur, nifi in crimine, quod depofitionem mereatur, fuerint deprehenfi. quod tamen & ipfum non fiat, nifi poft canonicam & regularem examinationem. quod ftatutum fi quis violare tentaverit, a metropolitano conveniatur, ut ab incœpto defiftat: fin minus, apoftolicam fedem adire compellatur. Huic decreto primus fubfcriptus invenitur Fulco Remenfis metropolitanus, ubi improbat *moleftias hic fummatim prohibitas, quæ modernis temporibus contra facra monafteria per quofdam epifcopos recens ordinatos*, in quibus tacite notatur Bifo Patherbrunnenfis, *necnon etiam per quorumdam laïcorum infeftationem graffari cœperant.* Poft Fulconem fubfcribunt Willebertus Agrippinenfis ecclefiæ archiepifcopus, Thiadmarus Saltzburgenfis, Radbodo Trevirenfis, Johannes Rotomagenfis; Adalgarius Hammaburgenfis; & epifcopi quatuordecim, quorum nomina legere licet in fynodali illo decreto, quod in appendice referre vifum eft operæ pretium. Non ante autumnum hujus anni habitum eft hoc concilium, utpote fubfcriptum ab Adalgario Hammaburgenfi archiepifcopo, fucceffore fancti Remberti, qui III. idus Junias hujus anni decefferat. Eodem anno rex Arnulfus Werthinenfe [f] monafterium, quod a beatæ memoriæ Liudgero epifcopo conftructum fuerat, fub fuam tuitionem fufcepit, prout fidelis ejus Hembil abbas poftulaverat; idemque anno fequenti Corbeienfium poffeffiones auxit ad preces Bodonis five Bovonis abbatis. Corbeiæ-novæ verfabatur idem Arnulfus, cum Metelenfis [g] parthenonis conftructionem, quam Friduvigis matrona tunc meditabatur, approbavit.

b *Annal. Paderborn p.195.*
c *ibid. p.199.*
d *ibid. p.203.*
e *ibid. p.207.*
f *ibid. p.214.*
Metelenfe parthenium.
g *ibid. p.217.*

XXXVI. Abbatia Romanis Adelaïdi data.

Regnabat tum in fuperiore Burgundia Rodulfus, ut vidimus, cujus foror Adaleydis feu Adelaïdis hoc anno abbatiam, *Romanis* dictam, quam fancti Lupicinus & Romanus in Waldenfi comitatu pagi Laufannenfis olim conftruxerant, ab ipfo rege pro vitæ fuæ tempore obtinuit, cum poteftate eam poft fuum deceffum donandi ac relinquendi cui vellet. Hujus rei præceptum, in bibliotheca Cluniacenfi mendofe editum, ex authentico in appendice referemus. *Data* IIII. *idus Junias, anno Chrifto propitio Rodulfi piiffimi regis primo, anno ab incarnatione Domini* DCCC LXXXVIII. *indictione* VI. *Actum Vabrevilla.* Affixum eft authentico integrum adhuc figillum, in cujus circulo legitur RODULFUS REX, habens caput diademate redimitum. Poftmodum Adelais abbatiam illam fancto Odoni abbati Cluniacenfi tri-

buit, ubi Adelais *comitissa regiæ matris & abbatissa* titulum sumit.

ANN. CHR. 888. XXXVII. Rivipullensis monasterii origo. Florebat ea tempestate Wifredus Barcinonensis comes, cognomento Pilosus, vir eximiis factis, præsertim adversus Sarracenos, illustris, qui divinum cultum in plerisque marcæ Hispanicæ locis restituit, in his episcopatum Ausonensem, cui Godmarus antistes præfectus est. Nec minor ei sollicitudo de monastico instituto. Hinc insigne monasterium in diœcesi Ausonensi condere instituit, cujus basilicam hoc anno in honorem sanctæ Mariæ consecrari curavit. Exstant acta [a] ejusdem consecrationis, data hoc ipso anno, XII. kalendas Maii, indictione sexta, *anno primo imperii Odonis regis*: ex quibus discimus eam factam fuisse a Godmaro Ausonensi episcopo, præsentibus eodem Wifredo comite, & Widinilde seu Guinilde ejus uxore, qui & dotem novæ ecclesiæ, secundum canones, assignarunt, & supellectilem ecclesiasticam contulerunt; simulque Radulfum filium Deo ibidem obtulerunt, ut illic *omnibus diebus vitæ suæ* habitaret, concessa illi portione hereditatis, quam cum fratribus suis diviserat. Hæc omnia tradiderunt sub manibus Dagini seu Daguini abbatis, qui primus novi monasterii rector institutus est. Pro ecclesiastica supellectile Wifredus comes, ejusque conjux concessisse perhibentur *calicem & patenam de auro, missalem, lectionarium, planetam & albam, stolam & manipulum.* Godmarus vero episcopus *cortinam unam*, & *palleam* seu pallam, *ad honorem sanctæ Mariæ virginis ad ipsum altare cooperiendum.* Acta consecrationis ecclesiæ subsequuntur acta dotationis, iisdem anno ac die facta. Post biennium parœcialis ecclesiæ [b] sancti Petri in eodem loco dedicatio & dotatio eodem ritu, iisdemque auctoribus facta est: cui ecclesiæ Daguinus abbas cum fratribus suis monachis tradidit *eptaticum, homeliarium, missalem, ordinem, planetas lineas duas, pallea* seu pallia *quatuor, & albas duas.* Superest etiam nunc Rivipullense monasterium, in cujus bibliotheca non contemnenda veterum codicum supellex hactenus asservatur.

a Marca Hisp. c. 817.

b ibid. c. 822.

XXXVIII. Farfenses abbates. In Farfensi monasterio successit hoc anno Teutoni abbati ad brevissimum tempus Nordebertus abbas, eique eodem anno Spento, qui etiam haud diuturnam præfecturam gessit, successorem sortitus Vitalem anno subsequenti, & anno ejus sæculi nonagesimo Petrum, cujus tempore, id est anno nonagesimo-primo, monasterium [c] Salvatoris, Farfensi proximum, a paganis, id est Sarracenis, incensum fuisse traditur. Eadem tempestate direptum etiam ac vastatum ab eisdem Farfense monasterium: cujus thesaurum Petrus abbas, imminentis mali præscius, in tres distribuit partes, quarum unam in urbem Romam, alteram in Reatinam civitatem deferri curavit; cum tertia ipse ad comitatum Firmanum se recepit, ibique in monasterio sancti Hippolyti, quod dicitur Ad-silvam, cum fratribus secum a Farfensi cœnobio adductis, aliisque ibidem inventis habitare cœpit, lugens ac dolens monasterii sui vastationem. Dein, audito Sarracenos etiam illuc adventare, castellum cum suis monachis ac militibus construxit in Matenano monte, ubi postea corpus sanctæ Victoriæ locatum est; ibique cum suis ad obitum usque permansit. Ita nobilissimum Farfense cœnobium, quod nulli in toto Italico regno, præterquam Nonantulano, ut fatetur Johannes chronographus, monasterio cedebat, in summam redactum est solitudinem, usque dum finita persecutione barbarorum, quæ per annos octo & quinquaginta sævüsse dicitur, instauratum est.

c Mus. Ital. tom. 1. p. 64.

ANN. CHR. 889. XXXIX. Nortmannorum nova facinora. Odonis regis varia diplomata. PRoximo anno octogesimo-nono Nortmanni, relictis Senonibus, Parisios iterum obsident: sed ubi nihil promovent, per Matronam ascendunt, atque in vicinas effusi regiones, Trecas incendunt; Virdunum, Tullum, & circumposita loca depopulantur. Eorum infestationibus Odo & Arnulfus reges pro viribus resistunt. Quid rerum tunc egerit Odo, veteres annales silent, quorum defectum ex regiis ejus litteris utcumque supplere conabimur. Aurelianis [d] versabatur IV. idus Januarii, ubi rogatu Raimonis episcopi, servum juris sui per excussionem denarii in libertatem asseruit. Carnotis erat III. idus ejusdem mensis, ut probat ejus præceptum [e] pro Pictavensi sancti Hilarii ecclesia, quod *Trohannus notarius ad vicem Eboli recognovit. Actum Carnotis, anno dominicæ incarnationis* DCCC LXXXIX. *indictione* VII. (in editis male V.) *anno secundo Odonis gloriosissimi regis.* Ebolus cancellarius idem erat abbas Dionysianus & Pratensis. Eumdem Odonem in monasterio S. Maximini prope Aurelianos XVI. kalendas Julii [f] exstitisse testatur ejus diploma,

d Diplom. p. 555.

e Labb. Elog. pag. 131.

f Diplom. p. 556.

quo fideli cuidam suo Ricbodoni mansos aliquot in villa Gaugiaco dat in benefi-
cium. Ibidem adhuc erat, cum præceptum regiæ tuitionis monasterio sancti Po- ANN. CHR. 889.
lycarpi, diœcesis Narbonensis, cui Arnulfus abbas tunc præerat, concessit ad pre-
ces Enermiri episcopi & Suniarii comitis. *Datum* [a] *mense Junio, anno* DCCC LXXXVIIII. *indictione* VII. *anno secundo Odonis regis.* Eædem sunt chrnnicæ notæ in alio ejusdem præcepto regii mundeburdi pro Bellilncensi apud Lemovices monasterin, cui tunc Gairulfus abbas jam laudatus præsidebat. *Actum sancti Maximini monasterio subtus Aurelianis civitate. Datum mense Junio, anno incarnationis Domini* DCCC LXXXIX. *indictione* VII. *anno secundo Odonis regis.* Hæc ex chartario Bellilocensi, in quo male *indictione* VI. legitur. Trohannus notarius ad vicem Eboli recognnvir. Alius fuit hic Trohannus a Trohanno Aurelianensi episcopo tum mortuo, de quo superius egimus. Adde ipsius Odonis præceptum [b] pro ecclesia Carnutensi, *datum* XVI. *kalendas Julii, indictione* VII. *anno secundo regnante domno Odoni gloriosissimo rege. Actum sancto Maximino monasterio.* Affixum est sigillum Odonis regis præstantissimæ [c] formæ, cum lembo seu diademate in capite, quam veram ac genuinam esse Odonis effigiem ex inscriptione patet, non apparente quidem, ut mihi relatum est, in sigillo diplomatis Carnutensis, sed nmnino sana & integra in authentico ejusdem Odonis pro ecclesia Augustodunensi. quod præceptum *Trohannus notarius ad vicem Eblonis recognovit.* & sic legendum haud dubie in Carnutensi. En illa Odonis effigies.

a Spicil. to. 8. p. 314.

b Diplom. p. 413.

c Annal. Mett.



Ex his colligere licet, Odonis regis præcepta duo, unum pro monasterio Sollemniacensi, alterum pro Montis-olivi, data in monasterio sancti Maximini idibus Junii, anno Odonis regis secundo, ad hunc annum referenda esse, non ad præcedentem, ut in editis in appendice [d] capitularium; adeoque corrigendum annum incarnationis & indictionem, quæ hoc anno septima erat. Certe Odonis regis annus secundus non anno ejus sæculi octogesimo-octavo convenir, sed insequenti. quæ cnrrectio etiam ob easdem rationes adhibenda videtur alii ejusdem regis diplomati [e] pro ecclesia Ausonensi. Primum ex duobus illis præceptis est regiæ defensionis pro Sollemniacn, quod diploma Theodericus abbas obtinuit. Trohannus notarius istud recognovit ad vicem Eblonis, aliis Ebuli, cujus loco nonnulla diplomata mendose *Ebonem* habent. Consimile privilegium impetravit Ugobertus abbas *ex monasterio, quod nuncupatur Mallasti, situm in territorio Carcassensi*, alio nomine dictum Montis-olivi. Mense Julio insequente Odo ex urbe Aurelianorum Parisios reversus est, nimirum ut hanc civitatem ab Normannorum nppugnatione protegeret. Tunc ad eum ac- »
cessere monachi [f] sancti Germani Autisiodorensis, pro sua religione ac fide ipsi «
valde accepti, conquerentes se nb quorumdam infestationem & rapacitatem, qui «
eorum possessiones invadebant, nec debita frui quiete, nec regularibus posse va- «
care officiis; nihilque ipsis prodesse superiorum regum immunitates & auctoritates «
contra inauditam in servos Dei debacchationem. His querelis permotus Odo, *de-* «

d Capitul to. 2. c. 1315. & seq.

e Marca c. 819.

f Diplom. p. 536.

ANN CHR. 889.

precatione Anscherici venerabilis episcopi, scilicet Parisiensis, *reverendique eorum abbatis*, eosdem monachos in suam tutelam & protectionem admittit. *Datum v. idus Junii, indictione* VII. (non VI.) *anno incarnationis dominica* DCCC LXXXIX. *anno secundo regnante domno Odone rege gloriosissimo. Actum Parisius civitate.* Paullo post, id est XVII. kalendas Augusti, ibidem [a] regiæ immunitatis præceptum Blitgario abbati Trenorchiensi concessum est cum jure monetæ, sicut antecessores reges eidem monasterio jam concesserant. *Actum Parisius civitate*, & quidem XVII. *kalendas Augusti, indictione* VII. (male VI.) anno incarnationis mox dicto, Odonis regis secundo. *Throannus notarius ad vicem Abbonis* (lege *Eblonis*) *recognovit.*

[a] Tournus p. 270.

XL. Floriacenses abbates.

Ejusdem Odonis anno secundo Wlfardus quidam nobilis Æduensis ac locuples, res [b] suas, in villa pagi Augustodunensis, Cisa vocabulo, & in villa Floriaco sitas, contulit *ad monasterium sanctæ Mariæ & sancti Petri atque sancti Benedicti Floriacensis loci, ubi praeras vir venerabilis abba Girbertus, una cum turba plurima monachorum, ibidem Deo famulantium. Actum Patriciaco villa publica, anno secundo regnante Odone rege*, mensis Novembris die secundo. Hæc donatio facta est Floriaco in gratiam cellæ Patriciacensis. Theotberto abbati successerat Girbertus, cui vulgati indices Milonem substituunt, solo nomine notum. Illustrior fuit Lamberti præfectura, de quo infra.

[b] Perard p. 40. & seqq.

XLI. Balneolensi monasterio ablata restituuntur.

Odonem regem Aquitani haud agnoscere primo voluerunt, certe nec populi provinciæ Tarraconensis, in qua Balneolense sancti Stephani monasterium positum erat. Istuc cum accessisset juris dicendi causa Servus-Dei [c] episcopus Gerundensis, *una cum inclito atque excellentissimo abbate Sugnefredo, viro egregio*, conquesti sunt ejus loci cœnobitæ, quod ecclesiæ, quas primi eorum patres, maxime Bonitus primus eorum abbas, & Elias, manibus propriis, fabrili arte, in vastis ac desertis locis construxerant; quasque Carolus augustus imperator eidem loco litteris suis confirmaverat, ipsis abstractæ fuissent. quibus auditis, judices, *considerantes sanctissimas illorum orationes, quas pro omni ecclesiastico gradu die noctuque fundere non cessabant*, sanciunt, *ut prædicta parochia cum omnibus decimis & primitiis* eidem cœnobio restituantur, ea conditione, ut quotannis *modios duos inter vinum & annonam* ad sedem matrem genitricis Dei Mariæ persolvant. *Facta hac charta confirmationis kalendas Martias, anno secundo quo mortuus est Karolus imperator, regnante Domino nostro Jesu-Christo, nobis autem exspectante rege ab ipso largitore.* Ex quibus intelligitur, quod mox dicebam, Odonem in illis partibus regem haud agnitum fuisse.

[c] Marca, col. 821.

XLII. Bernonis abbatis genus & initia.

Sub id tempus Berno abbas Gigniacum monasterium exstruere cœpit. Erat is e comitibus Burgundiæ, eumque Sigebertus in chronico *ex comite abbatem* factum dicit. Alius fuit a Bernone, quem *fratres de monasterio sancti Dionysii, per licentiam domni abbatis HLudovici ad educandum atque erudiendum* Hincmaro commisere, & quem Æneas Parisiorum episcopus acolythum ordinavit. tametsi Baronius, qui huc Æneæ litteras [d] retulit, eumdem esse existimavit. Certe hic ex parochia erat Æneæ, Berno abbas ex Burgundia Jurensi. Forsan ejus pater fuerit Audo comes, qui in fundo suo ad Ararim corpus sancti Mauri abbatis, tempestate Nortmannorum istuc delatum, excepit. Laifinus, Bernonis consobrinus erat, laudatus in litteris Formosi papæ; consanguineum ipse Widonem agnoscit, quem in Balmensi cœnobio successorem testamento suo designavit. Denique id pro comperto habendum, Bernonem fuisse ex primoribus Burgundionum Sequanorum, apud quos Gigniacense monasterium ex propriis exstruxit. Hunc in Æduensi sancti Martini cœnobio monasticæ vitæ rudimenta hausisse auctor est anonymus in libro de vita S. Hugonis ejus loci monachi; additque, eum ex eodem cœnobio Balmam missum fuisse ad locum in melius reformandum. Verum, ut illud primum verum sit, Bernoni Balmense monasterium a Rodulfo rege commissum fuisse constat, cum Gigniacum monasterium condere cœpisset, illicque degeret. Veri similius est, eum non alibi vitæ monasticæ nomen dedisse, quam in ipso Gigniacensi monasterio, cujus auctor ac primus abbas fuit. Neque enim illis temporibus insolens erat, ut viri principes, qui sæculo nuntium remittere volebant, monasterium construerent, in quo ipsi monasticum institutum profiterentur.

[d] Baron. an. 912.

XLIII. Gigniaci monasterii origo.

Positum est Gigniacum in Burgundia Jurensi, inter Ledonem opidum * Sequanorum, & opidum sancti Amoris, in diœcesi Lugdunensi. Quo tempore hujus cœnobii a Bernone fundamenta jacta sint, non omnino compertum. Jam conditum

* Lon-le-Saunier.

erat

ANN. CHR. 889.

erat ante annum ejus sæculi nonagesimum-quintum, quo Formosus papa Bernoni jam abbati Gigniacensi litteras pontificias concessit. In his litteris Gigniacum monasterium ab ipso Bernone, ejusque consobrino, Laifino nomine, ex propriis rebus constructum dicitur in honorem beati Petri apostolorum principis in territorio Lugdunensi. Exstat in tomo nono [a] Conciliorum placitum apud Varennas, ad præsentem annum relatum, in quo Bernardus quidam, vassallus Ermengardis reginæ, Balmam cellam, quam Berno abbas, ejusque monachi a Rodulfo rege *per preceptum acquisierant*, Gigniacensibus restituere cogitur. Verum hujus placiti chronicas notas vitiosas esse constat ex ipso Rodulfi regis præcepto, quo Balmam cellam Bernoni abbati contulit anno Domini nongentesimo-quarto, ejusdem Rodulfi sextodecimo. atque adeo hoc placitum post hunc annum datum est, id est anno nongentesimo-quinto, indictione octava prædito, quæ in illo placito notatur. Itaque vix ante hunc annum condi cœptum est Gigniacum monasterium a Bernone, quem a Gedeone Vesontinnensi præsule abbatem ordinatum fuisse tradit chronographus Cluniacensis, qui Cluniaci vivebat sub sancto Odilone abbate, cujus jussu Cluniacenses chartas in unum codicem redegit, in quo ejus chronicon legimus. Hæc observare convenit, propterea quod plerique Gedeonem archiepiscopum ad principatum Caroli Magni referunt, adducti auctoritate cujusdam regii præcepti, quod potius Carolo-Calvo, quam Magno tribuendum esse superius [b] diximus. Hic est Berno abbas, cui celeberrimi Cluniacensis cœnobii primam originem, & sancti Odonis abbatis institutionem acceptam referre debemus. quod memoriam ejus in primis celebrem reddidit.

a *Labbe Concil. to. 9. c. 423. Bibl. Sebus. p. 60.*

b *lib. 26. n. 8.*

XLIV. Laubiensis abbatia ecclesiæ Leodicensi tributa.

Cum Franco Laubiensis abbas Tungrensem seu Leodicensem episcopatum adeptus esset, hanc abbatiam ab Arnulfo rege, consentientibus fratribus, ecclesiæ suæ impetravit, facta prius conventione, ut proventuum media pars fratribus inibi regulariter militantibus ad usum communem cederet, & *decimæ omnes indominicatæ* ad portam monasterii in usus pauperum & peregrinorum; pars vero altera episcopo, ejusque ministris manciparetur. Arnulfi regis hac de re præceptum [c] refert Miræus, in quo Franco diu ante hanc abbatiam in beneficium tenuisse dicitur, & Arnulfus commemorationem Carlomanni regis & genitoris sui x. kalendas Octobris, quo ex hac vita migravit, tam in Laubiensi, quam in Leodicensi ecclesia instituisse. Actum Francofurti XVII. kalendas Decembris hoc anno, Arnulfi regis secundo, indictione VII. Non semel in Nortmannos arma gessit Franco cum Reginerio comite, quem Longum-collum vocant, eorumque sanguine manus cruentavit. Hinc sancta cruentis manibus tractare nefas ratus, Bericonem Leodicensem clericum & Teutricum Laubiensem monachum ordinandos episcopos, ut ipsius supplerent vicem, Romam misit, eisque ordinatis atque illinc reversis parochiam suam gubernandam commisit: ipse vero de reliquo in pace & otio consenuit usque ad annum nongentesimum primum, quo decessisse memoratur. Eodem anno Arnulfus rex Fabariæ privilegia rogatu Hugonis abbatis, qui Vitali successerat, renovasse traditur.

c *Notitia p. 76.*

Fabariæ privilegia renovata.

XLV. Cantuariæ præsules.

Cantuariæ in Anglia e vivis migravit hoc anno Æthelredus archiepiscopus, ut fert chronologia Augustinensis, non anno nonagesimo-tertio, ut habent actus pontificum Cantuariensium, auctore Gervasio. Post duos vacationis annos in illam sedem subrogatus Plegmundus, vir admodum religiosus, & sacris litteris non mediocriter instructus, qui eremiticam per multos annos vitam duxerat. Hic Romam profectus, pallium a Formoso papa obtinuit, indeque reversus, septem episcopos vacantibus ecclesiis consecravit. Idem regem Edwardum coronasse fertur. Cantuariensem ecclesiam annis triginta-quatuor rexit: cujus tempore Alfridus, Ceolbertus, & Beccanus abbates suburbano sancti Augustini monasterio præfuerunt.

ANN. CHR. 890.

XLVI. Nortmannorum nova facinora.

POstero anno Nortmanni ex fluvio Matrona denuo Parisios accedunt, urbemque iterum circumsistunt. Sed cum opidani strenue se suaque defendere perseverarent, & a descensu hostium naves prohiberent; illi magnis laboribus, sicut prius, navigia per terram in Sequanam infra urbem devehunt; tum secundo flumine in oceanum, indeque ad fines minoris Britanniæ advehuntur: ubi, capto sancti Laudi castello, traductis in Britanniam ipsam copiis, duobus fusi prœliis, cum magna suorum jactura naves repetere coacti sunt. alii in regnum Lotharii effusi, agros vicosque Trajecto, Leodico, & Aquisgrano circumjacentes vastant,

ANN. CHR. 890. & Arnulfum regem, auxilio istuc cum copiis profectum; vincunt. qua victoria feroces Dani, altero prælio ab eodem rege subacti, & numero debilitati, in patriam demum reversi sunt.

XLVII. Ludovici regis Arelatensis coronatio. Post pascha hujus anni Ermengardis, filia Ludovici quondam imperatoris eo nomine secundi, viro suo Bosone rege orbata, magnis cum muneribus Arnulfum regem convenit, ab eoque honorifice accepta est, tum ad propria remissa, ut tradit annalista Fuldensis. causa ejus itineris haud dubie fuit, ut Arnulfum regem sibi propitium redderet ad futuram Ludovici Bosonis filii coronationem, quæ hoc anno ab Arelatensis regni episcopis, faventibus proceribus, *consultu domni apostolici*, Stephani scilicet papæ, in conventu Valentino facta est, agente in primis Bernoino Viennensi pontifice, cui Aurelianus Lugdunensis, Rostagnus Arelatensis, & Aroaldus Ebrodunensis cum suis coëpiscopis assensi sunt. In quadam charta donationis, a Bernuino archiepiscopo factæ ecclesiæ Viennensi, hæc clausula legitur: *Actum Vienna publice in mense Februario, anno in quo vocatus & electus est a nobilibus principibusque regionis hujus Ludovicus, indictione* IX. Hæc obiter.

XLVIII. Salomon abbas S. Galli & episcopus. Dimissa Ermengarde, Arnulfus causa orationis in Augiense monasterium venit, cui tunc Hatto abbas & Moguntinus archiepiscopus præerat, atque inde Constantiam accessit. Illic Salomoni episcopo mortuo, Salomon alter, ejus nominis tertius, suffectus. Hunc calculum probant annales Fuldenses. Paullo ante regia auctoritate abjectus Bernhardus abbas sancti Galli eidem Salomoni locum fecerat. Ejus exauctorandi causa hæc fuit, quod Berengario Fori-Julii duci contra Arnulfum ejus æmulum favere crederetur. Id factione maxime Hattonis archiepiscopi actum est in publico principum conventu, in quo Bernhardus innocens dejectus est. Exauctorationis ejus litteræ habentur. Eadem regis auctoritate subrogatus Salomon, quem apud Sancti-Gallenses educatum, & litteris imbutum fuisse diximus. Huic palatino adhuc clerico permissum olim, ut in claustra Sancti-Galli quovis tempore, sumta ad portam cuculla, subiret, pollicito, se primo quoque tempore monasticæ nomen daturum. Id vero exsecutus est anno superiore, agente Ruggero monacho, quem sibi in rebus spiritualem ducem elegerat. Huic aliquando capsam auream reliquiis refertam, quam a rege Arnoldo seu Arnulfo ex Caroli augusti cimeliis acceperat, sancto Gallo offerre volenti, suadet Ruggerus, non aurum, sed se ipsum Gallo suo tandem offerat, & monachum, uti pollicitus erat, profiteretur. Regis obtento consensu, capsam ille suam collo suspensam gerens, tunica & cuculla indutus, ad aram sancti Galli, Bernhardo annuente, nudipes accedit, multisque lacrymis peccata deflens, sæculo nuntium remittit, fitque sancti Galli monachus. Hunc lenius pertractavit abbas, quod magno Arsenio contigit, utpote in palatio mollius enutritum, eumque ceteris prætulit. Non multo post in aulam abbatis sui permissu revocatus, in pristinos restituitur honores, ac duodecim abbatias rexisse dicitur. In his erant Campidonensis, & Elewangensis, atque etiam Augiensis, si qua fides Ekkehardo, cui præferendus videtur Hermannus, domesticus auctor, qui Hattonem archiepiscopum per id temporis Augiæ abbatem præfert. Bernhardo itaque abbate, ut mox dictum est, abjecto, Salomon per Hattonem regis jussu adductus est ad regendum sancti Galli monasterium, quod præ omnibus aliis abbatiis, cum spiritualibus, tum temporalibus rebus amplificandum curavit. Non conveniunt veteres in assignando ejus abbatialis regiminis initio. Hepidannus & Hermannus illud differunt in annum sequentem. Ekkehardus vero ait, eum sancto Gallo annum unum ac dimidium præfuisse, ante quam Constantiensi ecclesiæ prælatus esset. quod hoc anno factum tradit annalista Fuldensis, ejus temporis æqualis. Hujus nodi solutio pendet ex litteris exauctorationis Bernhardi abbatis, quæ apud sanctum Gallum asservantur, sed forsan absque chronicis notis, a nobis petitæ, sed non obtentæ.

XLIX. Hatto archiepiscopus S. Georgii cellæ auctor. Si Bernhardi exauctoratio per Hattonem jam archiepiscopum facta est, hæc non contigit ante annum insequentem, quo Hatto in locum Sunderoldi Moguntini antistitis subrogatus fuit. Erat is Augiensis abbas, quem, quod regi acceptissimus esset, *Cor-regis* appellabant. Duodecim abbatias habuisse dicitur apud Ekkehardum. Idem cellam & basilicam in honorem sancti Georgii in insula, scilicet Augiensi, exstruxit, referente Hermanno. Eamdem basilicam ejusdem sancti martyris reliquiis

decoravit, capite nimirum & alio quodam membro, plurimisque aliis sanctorum reliquiis, quas a Formoso Papa, qui hoc anno ex Portuensi episcopo in locum Stephani suffectus est, impetravit, & in Alamanniam ad novum monasterium suum transtulit. Hiatus est in anno in martyrologio Notkeri ad septimum kalendas Maii, quo die ejus translationis fit mentio. Ekkehardus, aliique post eum, Hattonem Fuldensem monachum & abbatem fuisse aiunt, sed hæc nominis æquivocatio est apud illos auctores, qui hunc Hattonem cum aliu cognomini confundunt. Certe in annalibus Fuldensibus & in chronico Reginonis ad annum sequentem, Hatto iste *Augensis* tantum *cœnobii abbas* dicitur. inde oritur dubitatio de duodecim illis abbatiis, quas Ekkehardus ei tribuit. Reginoni *multorum in Augia monachorum pater*; annalistæ Fuldensi *Haddo abbas Augensis cœnobii, homo subtilis ingenii* prædicatur. Successit in locum Sunderoldi archiepiscopi ex abbate Fuldensi, qui Nortmannis incaute occurrens[a] interfectus est anno insequenti VI. kalendas Julii, ob idque quasi martyr a posteris habitus. Sepultus est apud sanctum Albanum, apposito epitaphio, quod Serarius retulit.

ANN. CHR. 890.

a *Ann. Fuld.*

L. Festivum factum apud S. Gallum.

Salomonis abbatis tempore festiva res contigit apud sanctum Gallum. In præclpuis ejus loci monachis tres eminebant, moribus longe dissimiles, sed tamen studiis pares, Notkerus, Tutilo & Ratpertus, de quibus jam superius egimus. His unus erat in litteras animus, sed frequens ab otiosis, ut fit, injuria & detractio. Notkerus, omnium hominum mitissimus, contumelias surdis auribus præteribat: Tutilo vero & Ratpertus, acriores animis, minusque perferendis nati injuriis, rarius ab aliis lædebantur. Inter alios refectorarius, Sindolfus nomine, homo rudis & illiteratus, cum annonam fratribus sæpe aut detraheret, aut depravaret, Notkero in primis incommoda facessebat. Hinc querelæ a fratribus, sed maxime a tribus his viris, quos Sindolfus apud abbatem fictis passim criminationibus traducebat, quasi de abbate ipso sinistra loquerentur. Impostori aurem ac fidem præbuit abbas facilior, tribusque illis viris rancorem animi nonnumquam factis demonstrabat. Hi vero, cum in nullo sibi conscii essent, Sindolfo vicem retaliare constituunt. Erat tribus illis cum permissu prioris consuetudo, ut illo temporis intervallo, quod sanctus Benedictus inter nocturnas vigilias ac laudes matutinas lectioni assignat, in scriptorio una convenirent, & de scripturis simul dissererent. Forte Sindulfus quadam nocte furtim ad locum foris appropiat, aureque ad vitream fenestram apposita, si quid in malam partem rapere posset quod abbati referret, tacitus auscultabat. Hominem sensit Tutilo, qui fenestræ assidebat, & latine, quod ille non capiebat, sodalibus suis consilium dat: Notkero quidem, quia timidiusculus erat, in ecclesiam ut cederet: Ratperto, ut, flagello fratrum, quod in pyrali pendebat, arrepto, foras iret, & Sindolfum egregie exciperet, dum ipse vitrea fenestra reclusa hominem introrsum teneret. Factum dictum: susurronem verberum grandine multavit Ratpertus, qui eo vociferante clam se subduxit. Excitati omnes insolitis clamoribus accurrunt, & Sindolfum belle multatum agnoscunt. Quærentibus nonnullis, quis eum sic castigasset; id ab angelo Domini factum respondit Tutilo. Aberat a loco abbas dum id contigit: qui re accepta delatori, cum pœnam tantæ gravitatis viris pro tali homine imponere non auderet, damnum quodam modo præstaturus, eum operariorum decanum constituit, verberibus quam præmio digniorem.

LI. Regenbodo Hirsaugiæ regimen Harderado cedit.

Ætatem senio gravem tunc agebat Regenbodo Hirsaugiensis abbas: qui, privatæ vitæ studio, præfecturam hoc anno in cœtu fratrum resignavit. Ex eo tempore tanta puritate reliquum vitæ exegit, tanta severitate corpus suum castigavit, ut omnes mirarentur in sene viribus effeto tantum fervorem. Nullum deinceps verbum otiosum ex ejus ore fluxit: levia vel scurrilia nec protulit umquam, nec tulit. Nulli, nisi de seipso, quemquam obloqui patiebatur. Parcus ciborum, sed vini parcissimus, omnibus diebus, præter dominicam, jejunabat. In oratione die noctuque assiduus, somno utebatur permodico, nullo umquam tempore otiosus. Interrogatus a fratribus, cur tanta se inedia & districtione maceraret, qui totam vitam criminis omnino expertem duxisset; respondisse fertur, se multa bona opera, dum abbatis officio fungeretur, omisisse. *Afferre namque solet*, aiebat, *plures negligentias prælatura infirmis hominibus, quam virtutes.* Et is quidem ejus vitæ tenor fuit usque ad mortem. Electus in ejus locum Harderadus Francus, scholarum præfectus, qui monasticum ordinem sub Gerungo abbate professus adolescens, ita illi-

ANN. CHR. 890.

batum deinceps retinuit, ut a cunctis quasi Placidus alter haberetur. Luthelmus post eum scholas rexit, multorum institutor monachorum. Harderadus Hirsaugiensibus præfuit annos fere viginti-octo. Anno ejus primo reliquiæ sancti Aurelii præsulis, ejus loci patroni, ob metum imminentium Nortmannorum in testudinem subterraneam ab ipso abditæ, per annos centum & septuaginta latuerunt. Spirensem ecclesiam, in cujus parochia Hirsaugia sita est, tunc administrabat Einhardus episcopus: cui Amalricus monachus Wissenburgensis, vir doctus, sequenti anno successit in annos tantum duos & quatuor menses; & post eum Beroardus, qui & ipse monachus fuisse dicitur. Hæc ex Trithemio in prolixiori historia Hirsaugiensi.

LII. Herisiense parthenium confirmatum. a Annal. Paderborn. p. 221.

Habita est hoc anno synodus apud Forcheimium, ubi Sunderoldus Moguntiacensis archiepiscopus, qui Liutberto eodem anno successerat, Herisiensis [a] parthenonis constructionem, dotationemque, rogatu Bisonis Patherbrunensis episcopi confirmavit, una cum venerabili Hermanno Coloniensi archipræsule, aliisque episcopis & abbatibus, qui prædicto conventui interfuere, synodicisque hac de re litteris subscripsere. Post episcopos, fere eosdem, qui prædicto Moguntino concilio subscripti leguntur, apposita sunt signa quinque abbatum, scilicet Lihardi, Faraberti, Hatthonis, Gerhardi & Godescalci, abbatis nimirum Corbeiæ-novæ, qui proinde Bovoni abbati, ejus nominis primo, jam successerat. Annus jam erat tricesimus a condito Herisiensi asceterio per Liuthardum Patherbrunnensem episcopum & sororem ejus Walburgam, primam ejus loci abbatissam, quæ ad hoc tempus pervenisse videtur. Certe in vivis adhuc erat anno DCCC LXXXVII. quo anno Carolus Crassus idem monasterium, resque omnes ad illud pertinentes, regia [b] auctoritate comprobavit. Hinc patet eam supervixisse sancto Remberto Hammaburgensi archiepiscopo, cui valde familiaris erat, testante ipsius Remberti ad eam epistola, cujus fragmentum superius [c] retulimus. Ejus sepulcrum ceteris erectius e terra hodie quoque conspicitur in adjuncto Herisiensi ecclesiæ sacello, cui inscriptum hoc epitaphium, a Schatero relatum.

Walburgæ abbatissæ obitus. b Annal. Paderborn. p. 200. c lib. 36. n. 93.

Hic veneranda jacet Walbrue, qua mente virili
Struxit, & hoc rexit prima monasterium,
Subjectis vita tribuens exempla beata,
Ecclesiæ cunctas amplificavit opes.
Nunc te, Christe, pium videat, quem semper amavit,
Ut dextris illam consocies ovibus.

IIII. NON MART. OBIIT.

Nec plura de hac Walburga.

Mollenbecanum monasterium. d Annal. Paderborn. p. 232.

Forcheimii residebat non multo post Arnulfus imperator, cum Mollenbecani [d] in Westfalia monasterii, quod Hildeborchia nobilis matrona condiderat, fundationem suo calculo comprobavit. Tabulas recitat Cleinsorgius Germanico idiomate, quas, si melius consultus fuisset, Latine, ut erant, retulisset.

Corbeiæ-novæ viri illustres.

Prædictum concilium sub finem anni habitum fuisse ex eo intelligitur, quod ei subscripsit Gothescalcus Corbeiæ-novæ abbas post Bovonem seniorem, qui hoc ipso anno, ut in ejus loci annalibus legitur, & quidem III. kal. Novembris decessit. Bovone abbate Wigbertus Corbeiæ monachus Hildensheimensem episcopatum adeptus est anno DCCC LXXXIII. idemque sententiæ, in Moguntina synodo pro Corbeiensi & Herifordensi monasteriis latæ, post triennium subscripsit, uti & Forcheimensi hoc anno. Floruere etiam sub eodem abbate Solatius monachus, religionis propagandæ causa missus ad Nortmannos; necnon Wimo lector, *ob expeditam doctrinam* magnus ubique habitus, ex annalibus Corbeiensibus. Denique Evilpus, Corbeiæ itidem monachus, anno præcedente DCCC LXXXIX. assumtus est ad sedem Halberstatensem, mortuus anno DCCC XCVI. Huic successit Sigismundus ex Hirsaugiensi cœnobita. Neque Wigbertum, neque Evilpum monachos fuisse rescivit Bruschius, quod ex prædictis annalibus discimus: in quibus Wigberti pontificatus prorogatur ad annum DCCCC III. quem alii plurimum decurtant.

LIII. Corbeiæ Gallicæ abbates. e lib. 27. n. 71. & lib. 38. n. 31.

In Gallia Angilbertus seu Engilbertus Corbeiæ abbas, sub hoc tempus mortuus, locum fecit Heiloni abbati, quem Gunthario domestici & vulgati indices substituunt, abbatum ordine perturbato, ut superius [e] probatum est. Engilberti obitus

ANN. CHR. 890.

contigit nonis Februarii, quo die fratres pastum ex villa Curcellis habere debebant. Heilo post eum electus ex majori ecclesiæ æditup, novem tantum mensibus Corbeïam rexit, mortuus XVII. kalendas Septembris: quo die fratribus refectio pinguior a cellerario exhiberi debebat pro Guntario & Heilone abbatibus. quæ communis iostiiutio Heilonem Guntario proxime successisse posteris persuasit. Heilonem excepit Franco vicesimus Corbeiæ abbas, frater Hermenfridi comitis Ambianorum: qno agente Franco sancti Gentiani martyris corpus ab Otgero Ambianorum aotistite impetravit. Id factum Odone rege tradit vetus hac de re historia, in actis oostris edita: diem notavit Nevelo Corbeiæ monachus ante annos sexcentos, his verbis: VIII. *idus Maii exceptio corporis sancti Gentiani martyris, quod divina dispositione a venerabili Ogero Ambianensium præsule pia memoria abbati Franconi donatum, & evidentibus miraculorum signis gloriose translatum, cum ceteris patronis digne collocatum veneratur, & semper venerabitur.* Hæc dies olim apud Corbeienses nostros sollemni ritu recolebatur: qui, ut se Otgero gratos exhiberent, ejus obitum sollemni anniversario kalendis Augusti instituerunt. Is est Otgerius Ambianensium præsul, cujus vita ad centum amplius aoöos producta fuisse dicitur in Frodoardi chronico, isque anno DCCCC XXVIII. obiit, *vir sanctus & plenus dierum.* Franco abbas Corbeiæ opidum muris cinxit, privilegiorum confirmationem a Christophoro papa & a Carolo Simplice obtinuit, tria placita quotannis fieri jussit, in quibus homines ligii ejus monasterii per tres dies in Natali Domini, paschate-clauso, & pentecoste, clientelam suam abbati exhibere deberent sub mulcta decem solidorum. Id factum dicitur assensu septem monasterii ballivorum, scilicet præpositi, cellerarii, camerarii, thesaurarii, hospitalarii, infirmarii, & eleemosynarii, quibus singulæ redituum portiones, sub annua ratione conventui reddenda, erant assignatæ. Habetur in rotulo seu volumine Corbeiensi index omnium hominum ligiorum, ex quibus præcipui erant domini Increnfis, Bovensis, Picquiniacensis, Britulienfis & Helliacensis: quorum heredes, cum in feodum succedebant, *domino abbati decem libras pro relevatione, & pallium suum cambellano debebant; fidelitatem faciebant domino abbati; & dominus abbas eos de feodo investiebat suo anulo aureo;* debebantque *exercitum & equitatum*; & post mortem abbatis *hominium & fidelitatem* exhibebant novo abbati, qui eos anulo suo aureo de feodo investiebat. Similia officia præstabant alii ligii homines, qui numero centum quinquaginta erant, præter homines non ligios, qui tantum fidem suam abbati obstringebant.

S. Gentiani translatio.

Officia claustralia & homines Corbeiæ.

Sub idem tempus combustum est a Nortmannis Amausense in Burgundia monasterium, quod Agilmarus Arvernorum præsul ad excipiendas, ut superius [a] vidimus, sancti Viventii reliquias in avito fundo condiderat. Forte hoc incendium contigit ante biennium; quo tempore Besuense monasterium ab iisdem paganis penitus vastatum est. Destructo Amausi monasterio, vir illustris Manasses, Richardi amicissimus, ejusdemque in ducatu Burgundiæ successor, monasterium in territorio Æduensi, tutissimo in loco sub montem Vergiaci castri ædificare cœpit cum consilio uxoris suæ Hermengardis, fratrisque sui Walonis seu Walæ Æduorum episcopi; ibique sancti Viventii ossa reposuit, collatis eidem cœnobio multis possessionibus, quod ab omni sæculari subjectione liberum Romani pontificis providentiæ commisit. In primario Usuardi martyrologio secunda manu, sed tamen antiqua, adscriptum legitur ad idus Januarii, *In monte Viriziaco sancti Viventii confes-fessoris.* Nunc ibidem cella est seu decanatus monasterii Cluniacensis, sita haud procul a Nuitio opido, ad radices montis Vergiaci, in cujus vertice olim munitissima arx erat, Vergiacensis stirpis caput, cujus muros Henricus IV. subrui jussit. Olim in illo monasterio viginti-octo monachi erant.

LIV.

S. Viventii translatio Vergiacum.

a *lib.* 36. *n.* 87.

Besuensi monasterio tunc præerat Walcaudus [b] seu Gualcaudus abbas, cujus rogatu Argrimus Lingonum antistes Besuensibus quasdam restituit ecclesias & possessiones, quas Geilo ipsius antecessor eis contulerat ob reliquias sancti Prudentii, ab eo ex Aquitania istuc translatas. Argrimi litteræ datæ sunt pridie idus Aprilis, indictione VIII. anno secundo regnante Odone rege. Idem Argrimus, petentibus monachis, beati Prudentii corpus retulit Divione, quo propter metum Nortmannorum antea translatum fuerat. Fallitur chronographus [c] Besuensis, qui Walcaudum abbatem a Walcado & Galcaudo distinguit.

Walcaudus Besuæ abbas.

b *Spicil. to.* 1. *p.* 529. *V. supra n.* 30.

c *ibid. p.* 531.

ANN. CHR. 890. L V. Odonis diplomata pro Æduo, Crassa, & Juncellis.

Nondum Walo Æduensem episcopatum adeptus erat hoc anno, quo Adalgarius ei adhuc præerat. Id patet ex diplomate Odonis regis, eidem Adalgario restituentis villas Cuniacum, Selviniacum, & Saviniacum, sitas in pagis Nivernensi, Cabilonensi & Matisconensi : cujus diplomatis authenticum exemplar legimus in archivo sancti Nazarii Æduensis, quod *Throannus notarius ad vicem Eblonis recognovit. Data* X. *kal. Julii, indictione* VIII. *anno incarnationis dominicæ* DCCC XC. *anno* III. *regnante domno Odone. Actum Macduno * monasterio*, infra Aurelianos. Sigillum diplomati affixum ª est integerrimum, idem omnino cum eo, quod in libro sexto de re diplomatica exhibuimus, sed cum hac inscriptione, ODO GRATIA DI REX. Ex qua intelligitur, genuinam in illo sigillo repræsentari Odonis regis effigiem, non antiqui imperatoris Romani, uti suspicabar ex sigillo Carnutensi, in quo lemma non amplius apparet. Idem princeps, rogatu Suniefredi abbatis beatæ Mariæ Urbionensis seu Crassensis in Septimania, superiorum regum privilegia eodem anno confirmavit III. kalendas Februarii : cujus rei authenticum in ejus loci archivo asservatur. Suniefredo abbati non multo post successit Adalainus, laudatus in litteris Olibæ comitis Carcassensis de donatione villæ Favariarum ; Adalaino Durandus, de quo inferius. Juncellense in pago Biterrensi monasterium tunc regebat Audegarius abbas, qui ab eodem rege Odone privilegium ᵇ liberæ abbatis electionis, a Pippino & Carolo jam concessum, renovari petiit, obtinuitque. *Datum* XI. *kalendas Decembris, indictione* VIII. *anno tertio regnante Oddone rege. Actum Silvanectis.*

* Meun.

ª V. supra n. 39.

ᵇ Capitul. to. 2. c. 1519.

L VI. Samsonis abbatis Hispani, & Vintilæ eremitæ obitus.

Dictum est superius de Samsone sancti Zoili prope Cordubam abbate, qui Sextilis mensis vicesima prima die hujus anni obiisse dicitur in epitaphio, quod Cyprianus presbyter ipsi composuit, quale a Morale relatum est in scholiis ad librum primum Memorialis sancti Eulogii, in hæc verba.

Quis, quantusve fuit Samson sanctissimus abba,
Cujus in urna manent hac sacra membra sub aula,
Personat Hesperia, illius famine fota.
Flecte Deum precibus, lector, nunc flecte peroro,
Æthera uti culpis valeat conscendere tersis.
Discessit longe notus, plenusque dierum
Sextilis namque mensis primo & vicesimo sole.

Era DCCCC XXVIII.

Apologeticum, ut diximus, tribus libris scripsit pro martyribus sui temporis, quod in bibliotheca Toletanæ ecclesiæ asservari testis est idem Morales.

Ad eumdem annum refertur obitus Ventilæ eremitæ Hispani, qui prope urbem Auriam * in Gallicia vitam severissimam exegit. Acta ejus leges apud Gononem. Annum ac diem ejus obitus apposita ad ejus sepulcrum docet inscriptio : *Hic requiescit famulus Dei Vintila, qui obiit die* X. *kalendas Januarias, era* DCCCC XXVIII. Colitur ut sanctus antiqua traditione majore, testante Baronio. Eadem æræ nota consignatum habetur Aldefonsi Magni testamentum, quo multa largitur monasterio sanctorum Hadriani & Nataliæ martyrum prope Turionem in parochia Ovetensi, cujus cathedrali ecclesiæ hæc abbatia unita est. Subscribunt regis testamento Xemena ejus conjux, Hermenegildus sedis regiæ Oveti * episcopus, aliique præsules, abbates & proceres apud Moralem & Baronium.

* Orense.

S. Hadriani monasterium.

* Oviedo.

ANN. CHR. 891. L VII. Normanni Sithiu aliaque loca infestant.

VErtente anno recrudescunt Normannorum in Galliam impressiones. Has sensit in primis Sithiense monasterium, quod quingenti amplius Dani hoc anno adorti sunt. Rem narrat auctor anonymus in libro secundo de miraculis sancti Bertini, ubi Danorum classis a confluentia Isaræ in Sequanam ad Noviomum civitatem ascendisse dicitur, ibique munitionem fecisse circa villam Chirisiacum seu Carisiacum, ad australem urbis partem sitam, natura loci, scilicet aqua & silva munitam : sed illinc tandem fame cogente discedens, in regnum Lotharii se se effudisse. Ex his quingenti & quinquaginta ceteris audaciores contendisse ad pagum Teruannensem, & ad Sithiense monasterium, quod Fulco abbas, tunc archiepiscopus, fuste, gleba & cæspite artificiosissime munierat, accessisse quinta-decima die

post pascha, cum *cardinalis missa conventus publice* ageretur. Ad eorum adventum ANN. CHR. 891.
Sithienses non omnino consternati, sed tutelarium sanctorum meritis ac virtutibus confisi, primo confessione & expiatione peccatorum, tum perceptione corporis & sanguinis Christi muniti, non modo hostium assultus strenue retuderunt, sed etiam cum præda hinc discedentes, præter novem, omnes occiderunt. quæ cædes ad locum Windigamum facta est. Hanc hostium stragem sanctus præsul Audomarus cuidam religiosissimo sancti Bertini monacho, ædit_uo ejusdem præsulis, nomine Hetrico, in somnis prædixisse dicitur. Alia Nortmannorum classis, Mosa circa Leodicum transvadata, prœlium ad torrentem Guliam cum Lotharianis conserunt. quo in prœlio christiani fusi, Sunzo seu Sunderoldus Moguntiæ antistes & Arnulfus comes cum innumeris aliis cæsi sunt VI. kalendas Julii.

Sunderoldo suffectus Hatto Augiensis abbas, ut anno superiori diximus, obscuro genere ortus, qui decessori suo moribus longe dissimilis fuisse traditur, homini religioso, simplici, & litteris a pueritia in Fulda imbuto: Hatto vero ingenio subtilis & vafer, consilio pejor, an melior fuerit, incertum esse dicit annalista Saxonicus. Accepta suorum clade, Arnulfus rex ex Bajoaria in Belgicam venit, Rhenoque transmisso, hostes ad Thiliam amnem prope Lovanium assecutus, eos ad internecionem delevit. quo facto, in Bajoariam revertitur. Sunzoni archiepiscopo Moguntino Hatto succedit.

LVIII. Chiemense monasterium S. Rodberto tribuitur.
Paullo ante hanc expeditionem Arnulfus ad preces Deotmari seu Theotmari Juvavensis seu Saltzburgensis archiepiscopi, suique archicapellani, monasterium sancti Salvatoris, ad lacum Chieminascum positum, quod vulgari vocabulo Owa tunc dicebatur, principi ejus diœcesis ecclesiæ S. HRodberti tribuit, a superioribus regibus traditum Mettensi ecclesiæ, cui Arnulfus ejus loco abbatiam Luxovii assignavit. *Data* IIII. *kal. Julii, anno Domini* DCCCXCI. *indictione* VIII. (legendum VIIII. *anno tertio Arnolfi piissimi regis. Actum Reganespurc.* Ex quo intelligitur, Luxoviensem abbatiam, uti & Chiemensem, tunc proprio pastore ad tempus destitutam fuisse, immo fere monachis, qui partim cæsi, partim fugati a paganis fuerant, ut paullo ante vidimus. Prædictum Arnulfi diploma, quod Hundius [a] retulit, Aspertus cancellarius ad vicem Deotmari archicapellani recognovit. Eamdem abbatiam eidem Juvavensi ecclesiæ Otto magnus, rogante Friderico archiepiscopo, confirmavit. Obscura est origo ejus monasterii, quod postmodum canonicis regularibus sæculo duodecimo cessit. Hoc est monasterium [b] Chaminceum, cujus abbas Lintfridus in libello societatum Augiensium laudatur. Eodem anno urbs Ratispona, ubi præmissum Arnulfi diploma datum, IV. idus Augusti combusta est, ut tradunt annales Fuldenses, excepta *domo sancti Emmerammi*, & sancti Cassiani basilica. Mortuus etiam Embricho episcopus, cui Aspertus ex-monacho sancti Emmerammi successit, idem, ut puto, cancellarius, qui superius Arnulfi præceptum ad vicem Deotmari archiepiscopi recognovit; Tutonem, ejusdem cœnobii itidem monachum, post tres annos sortitus successorem. Aliud ibidem cognomine cœnobium erat puellarum, ad quod post triennium Hildegardis Ludovici regis filia relegata ab Arnulfo est.

a Metrop. Salisb. to. 2. pag. 236.
Aspertus episcopus Ratisponensis.
b Analect. to. 4. p. 642.

LIX. Corbeiæ novæ abbates, & alii eventus.
In nova Corbeia Bovoni abbati mortuo Godescalcus jam successerat [c] ex dictis anno superiore, quo tempore corpus sancti Justini martyris e Gallia istuc translatum fuisse tradunt Saxonici annales. Sub Godescalco abbate, ut ibidem ex Ditmaro legitur [d], vixit quidam monachus, Alfricus nomine, admodum religiosus, qui gravem *migranea* dolorem patiens, pro remedio in capite secari jussus est. Is, ingravescente dolore, ad extrema redactus, dæmones adstantes, ex hisque unum peccatorum suorum volumen ipsi objicientem, sibi videre visus est. quibus fugatis, sanctus Vitus martyr, loci patronus, eumdem manu imposita sanaverit, jusseritque, Gothescalco abbati ut renuntiaret, nisi mox suis admonitionibus acquiesceret, brevi fore, ut, eo superstite, alium in sede sua substitutum videret. quod ita contigit, Bovone juniori in ejus locum suffecto. In Corbeiensi chronico Bovo senior annis undecim locum rexisse, ac III. kalendas Novembris obiisse dicitur. Godescalco vero regiminis anni decem tribuuntur. Post biennium Arnolfus imperator [e] Corbeiæ homines a militiæ onere exemit. quo tempore Adalwardus, ejusdem Corbeiæ monachus, episcopus in Suecia, multas Christo animas lucrabatur, ut in ejus loci annalibus legitur. Hic videtur esse Adalwardus episcopus, qui ad Heinricum Germaniæ regem anno DCCCCXXVI. missus [f] est a Folcmaro Corbeiæ abba-

c num. 52.
d Ditmar. lib. 4. p. 50.
e Annal. Paderborn. p. 128.
f ibid. p. 257.

te, rogaturus, ut sui monasterii privilegia renovaret.

ANN. CHR. 891.

L X. Hucbaldo monacho donatio facta.

Sithiense monasterium, cujus modo meminimus, tunc administrabat Rodulfus abbas, qui Hucbaldum monachum ex Elnonensi sancti Amandi monasterio ad se suosque erudiendos *Sithiu* accersivit. cui ad repensandam operæ mercedem quoddam prædium tribuit, ut tradit Folcuinus monachus in chartario Sithiensi. *Anno* DCCC XCI. inquit, *isdem abbas Rodulfus concessit per præstariam Hucbaldo monacho cœnobii sancti Amandi villam monasterii sui Sithiu in pago Vermandinse, nuncupante Hidlini-curtem, cum villulis ad eam pertinentibus.* Hanc vero possessionem Sithiensium monachorum usibus applicari voluit Hucbaldus scripta præstaria, in qua hæc observanda sunt. *Notum esse volumus, qualiter dilectus confrater noster Hugbaldus, ex cœnobio almi pontificis Amandi confessoris ad erudiendum domnum abbatem Rodulfum, seniorem nostrum, concedente ac præcipiente Gauzlino ejusdem loci abbate, omnibusque sanctæ illius congregationis fratribus consentientibus, destinatus, petierit a prefato domno Rodulfo quasdam res propter temporalis solatia necessitatis, dum ejus adhereret lateri, ab illo concessas sibi, nostris specialiter usibus delegari atque contradi:* sic tamen, *ut annis singulis ad festivitatem sancti Amandi, quæ est* VII. *kalendas Novembris, de ipsis rebus nobis refectionem præparet.* Ad eumdem modum Sigeberto Gemblacensi monacho a monachis cœnobii sancti Vincentii Mettensis ob præmium doctrinæ ipsis impensæ quædam possessio concessa fuit.

L X I. Abbatis electio monachis S. Petri Senonensis asserta.

Magduni in agro Aurelianensi ad Ligerim habita est hoc ipso anno synodus episcoporum jussu gloriosi regis Odonis, ubi, cum de diversis ecclesiæ utilitatibus ageretur, delata est querela monachorum sancti Petri cœnobii suburbii Senonensis, » expostulantium, quod eis ab archiepiscopis ejus urbis multi hactenus ex aliis cœ- » nobiis sibi præfecti sint abbates, magno ejus loci detrimento. quod quia præter » regulam beati Benedicti & institutionem sacrorum canonum factum erat, sancitum » est a beatis pontificibus, hortante Gualterio seu Walterio Senonensi antistite, *ut nullus deinceps ordinaretur vel constitueretur pater monasterii, nisi quem ipsi sua dispositione & libitu voluntatis ex seipsis eligerent.* Synodicis ea de re litteris subscripsere [illegible] Gualterius Senonensis, & Hebernus Turonorum archiepiscopi, aliique tum archiepiscopi, tum episcopi, quorum nomina videre licet apud Clarium monachum [a] Senonensem. Recentiorum temporum sunt constitutiones Gualtero archiepiscopo adscriptæ, in quibus *prioratus conventuales*, canonici *regulares*, moniales *nigræ*, vocabula insolita erant tempore Gualteri archiepiscopi Senonensis: qui etsi monachus non fuerat, sed canonicus, optime in monachos sancti Petri affectus fuit.

a *Spicil. to. 2. p. 734.*

S. Columbæ monachis refugium datum.

Grassantibus passim in Burgundia Nortmannis, cum sanctæ Columbæ apud Senonas monasterium suburbanum eorum insultibus pateret, rex Odo monachorum quieti & securitati consulens, interventu Rotberti comitis, *consentiente reverentissimo comite & abbate Richardo*, aream intra urbem eis concessit ad ecclesiam, & ædificia refugio necessaria construenda: ita ut imminente necessitate posternam ad prædictam aream habere possent, quæ iter secretius eis ad monasterium præberet ad necessaria comportanda vel exportanda. *Datum* XVI. *kal. Julii, indictione* VIIII. *anno* III. *regnante domno Odone gloriosissimo rege. Actum apud Vermeriam palatium.* Hoc præceptum Trohannus notarius ad vicem Eblonis recognovit. Exstructa eo loci ecclesia sancti Benedicti, modo parœcialis, cum domibus, quæ hactenus a monachis sub annuo censu locantur.

L X I I. Nantuaco restitutio facta ab Aureliano.

Eadem fuit caritas Aureliani Lugdunensis archiepiscopi in Nantuacenses monachos. Cum enim idem pontifex canonico more diœcesim suam perlustraret, venissetque in Nantuadis cœnobium sancti Petri; abbas ejusdem cœnobii, Bertrannus nomine, cum commisso sibi grege calamitatem & inopiam sui monasterii eidem pontifici flebili modo exposuit, obnixe rogans, ut quasdam possessiones, sibi a superioribus archiepiscopis subtractas, restituere ne gravaretur. Horum precibus flexus Aurelianus, cellam, quæ dicitur *Pomeirs*, & sanctum Albanum cum suis appendicibus, ab ipso loco abstracta, eis reddidit, addita etiam ex propriis aliarum villarum donatione, in episcopatu scilicet Lugdunensi, Nivernensi, & Gebennico, quod ut ratum in perpetuum permaneret, manu propria scriptum hac de re instrumentum roboravit, & nobilium ac pontificum manibus roborandum obtulit. Eorum nomina desunt in codice Nantuacensi, ex quo illud eruit noster Stephanotius,

ANN. CHR. 891.

Nantuacenses abbates.

rius, prout in appendice nostra referemus. Nantuacum annis decem rexerat Aurelianus; sed postmodum in suum locum Bertramnum seu Bertrannum substitui curavit. Berrranno suffectus Adalrannus eo nomine secundus, & ipse, sicur prior, Matisconensis episcopus, ut superius [a] exposirum est. Hic ab Aureliano evectus ad ordinem sacerdotii, ejusdem jussu ecclesiam sancti Stephani Girisiaci regendam accepir. Cum plebem sibi crediram sedulo erudiret, in locum Geraldi Matisconensis episcopi defuncti post multas turbas cælitus designatus subrogatur. Dein sæculi pertæsus, ad Nantoadis monasterium se recepit: ubi, postquam in obedientia strenue se exercuit, denuo præfecturam ejus loci subire coactus est invitus, parere malens quam præesse.

[a] lib. 38, n. 82.

LXIII. Bellilocenses abbates.

Bellilocensi apud Lemovices monasterio præerat hoc anno Rainulfus abbas, ut patet ex litteris cujusdam Aviti, qui res suas eidem cœnobio rradit, sitas *in orbe Lemovicino, in vicaria Asnacense, in villa, quæ vocatur Lupiacus, cum casa dominicaria, cum ipsa baccalaria, seu cum ipsis mansis*, qui ad ipsum pertinebant. «Hæc vero tradit pro remedio animæ suæ, & pro anima avunculi sui Goldrici, qui easdem res ipsi concesserat, & pro anima geniroris sui Avidi seu Aviti, genitricis suæ Ingelbergæ, & fratris sui Antonini. Facta hæc cessio in mense Augusto, *anno quarto regnante Odone rege.*» Subscribir ipse *Avidas*, & post eum Antoninus, Amaldus, Geraldus vicarius, & alii. Idem Rainulfus abbas notatur tum in litteris Eldoardi anno Odonis regis sexto, rum in charta cujusdam Blandini de villa Rodesalio & Sereniaco vicariæ Exidensis, *in mense Januario, anno octavo, quo Oddo regnare cæpit*; tum in alia charta cujusdam Frotarii & uxoris suæ Goldindis, qui, consentienre filio suo Galmando, res proprietaris suæ, positas *in orbe Lemovicino, in vicaria Vertadense, in villa, quæ vocatur Biarcis*, Bellilocο donant *in mense Maio, anno octavo regnante Oddone rege.* Er tamen hoc ipso anno, & quidem mense Aprili, Gairulfus abbas Belliloco præfuisse dicitur in litteris Calstoni & uxoris ejus Adalgridis, qui ecclesiam sancti Juliani martyris *cum ipsa baccalaria, & mansis ad eam pertinentibus*; aliaque Bellilocensibus contulerunt *in mense Aprili, anno octavo regnante Odone rege.* Is est Garulfus seu Gairulfus abbas primus Bellilocensis, qui, cum ob gravem senin ætatem regendo monasterio imparem se sentiret, Rainulfum sibi coadjutorem sublegit. Ejusmodi coadjutorum alia exempla passim occurrent in his annalibus, ut in monasterio Cluniacensi, & in ipso etiam Bellilocensi monasterin, in qun Geraldus simul cum Bernardo, item eum Adalgiso abbas memoratur. Garulfus abbas notatur annis secundo & sexto Odonis regis, idemque perstirir usque ad decimum annum ejusdem regis, ut postea videbimus. Nulla vero Raiuulfi mentio est post Odonis regis annum octavum, forsan quod decesserir ante Garulfum, quem ætate grandævum fuisse oportet, quippe qui ab anno primo Caroli Calvi ad decimum Odonis regis in Bellilocensibus chartis occurrir. Tertius Belliloci abbas fuit Rodulfus, cujus prima mentio est anno nono, quo Carolus Simplex regnare cœpir.

LXIV. Lamberti Widonis filii nativitas.

Regebat hoc anno monasterium sancti Vincentii ad Vulturnum in Benevento Leo abbas, Maïonis secundi successor, qui Ageltrudi Widonis imperatoris conjugi parturienti opportunum locum præbuir ad Balbam seu Valvam, urbem episcopalem in Pelignis: ubi sui monasterii cella erat sub titulo sancti Rufini, Lambetti filii partu nobilitata. Humanitati Leonis ut gratum se præberet Wido, auri puri libras ad pondus nati infantis cum ecclesia sancti Marcelli monasterio sancti Vincentii obtulit. Editum est hac de re diploma a Goldasto tomo tertio constitutionum imperialium, in hæc verba.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Wido divina favente clementia imperator augustus. Cum augustalis sublimitas in omnibus rebus non solum terrenis, verum etiam ecclesiarum, monasteriorumve cura [sollicita esse debeat] ut perficiantur, Deo favente, sedula intentione oportet ut sit pervigil, quatenus dignis digna tribuamus, cum etiam præcepto divino inimicis bona præbere dignum est. Et ideo notum sit omnibus, tam præsentibus quam absentibus, nostris fidelibus, quia a Benevento redeuntes nostra cum conjuge, tandem pervenimus Balbam, cui instabat pariendi tempus. Angebatur etenim maxime, quo loco diverteretur. Tandem vero per suggestionem Leonis venerabilis abbatis, nostri fidelissimi, in cellam sui monasterii adeo opulentam devenimus, quæ in honorem sancti Rufini constructa est in loco, qui dicitur Campus-de-Rocca. Post

ANN. CHR. 891.

tertium diem dilectissimus filius noster Lambertus natus est nobis. Quocirca ut superna clementia nobis illum ad imperii gubernacula concedat, per rogationem nostra conjugis pro merito concedimus monasterio beati Vincentii martyris Christi ecclesiam sancti Marcelli, qua est constructa in loco Florina, cum servis & ancillis, & omnibus suis pertinentiis. Insuper offerimus in prafato monasterio auri puri libras, quantum idem carissimus noster pensat filius. Et ut hac nostra concessio robur perpetuum habeat, & ab omnibus observetur, veriusque credatur, anulo nostro subter sigillari jussimus. Data idus Novembris, indictione decima. Actum in Balba.

a Chron. to. 3. p. 683.

S. Vincentii ad Vulturnum abbates.

b Frod. lib. 4. c. 2.

quæ indictio si a kalendis Septembris incipiat, ad hunc annum; si a kalendis Januarii, ad insequentem referenda est. Prædictam sancti Rufini ecclesiam cum ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ in territorio Valbensi seu Valvensi, in proprio solo ædificasse [a] ac dotasse dicitur *Zmilla humilis ancilla sancta Maria*, quæ ante ipsius ecclesiæ limen sepeliri voluit. Leo abbas successerat Maïoni ejus nominis secundo, qui ad hunc annum pervenisse traditur. Hoc diploma probat, Widonem imperatoris titulo hoc anno insignitum fuisse a Formoso papa, qui in litteris [b] ad Fulconem episcopum, *indictione decima*, imperatorem ab se coronatum fuisse dicit; Lambertum quoque ejus filium *anno secundo imperii patris ipsius* imperatorem factum. Ceterum quod de auri massa sancto Vincentio ad pondus nati infantis oblata hic dicitur, exemplum habet a Chararico Galliciæ in Hispania rege, qui, teste Gregorio [c] episcopo, auditis sancti Martini virtutibus, ægrotantis filii sanitatem ejus meritis adepturus, *pensato auro argentoque ad filii pondus, transmisit ad venerabilem locum sepulcri.*

c Greg. Tur. de mirac. S. Martini lib. 1. c. 11.

ANN. CHR. 892.

LXV. S. Christinæ monasterio imperialis tuitio asserta.

d Capitul. to 2. c. 1381.

SUperiorem de initio Widonis imperii calculum confirmat imperialis mundeburdi præceptum, quod idem Wido sanctæ Christinæ monasterio concessit anno insequente nonagesimo-secundo, qui cum anno ipsius imperii secundo componitur. In hoc præcepto [d] Wido significat, se divino instinctu, æternæque retributionis intuitu, beatæ virginis & martyris Christinæ cœnobium, in Italico regno haud procul a curte regia Ollona, seu Olonna exstructum, cui venerabilis abbas Rodulfus præerat, sub suum mundeburdum & perennem tuitionem suscipere, atque interventu dilectæ conjugis suæ Agelguidæ seu Ageltrudæ imperatricis omnes ejus loci possessiones confirmare; simulque liberam eligendi abbatis facultatem, ab antecessore suo Karolo imperatore jam concessam approbare. *Datum* III. *kalendas Julii, indictione* IX. (lege X.) *anno incarnationis dominica* DCCCXCII. *anno domni Widonis regni ejus* IV. *imperii* II. *Actum Papia.* De monasterio sanctæ Christinæ apud Insubres superius [e] actum est.

e lib. 19. n. 37.

LXVI. Angelarius & Ragemprandus abbates Casinenses.

f Chron. Casin. lib. 1. c. 47.

* Lody.

g ibid. c. 46.

Prædictæ Ageltrudæ augustæ Ragemprandus, Casinensis apud Teanum abbas, *libellario* seu precario more, pro vitæ ejus tempore, duas [f] sui monasterii cellas concessit in finibus Lombardiæ, unam scilicet apud Laudem-*Pompeiam, alteram in Persiceta, eo pacto, ut annuo censu eadem augusta tres libras argenti persolveret. Successerat a biennio Ragemprandus Angelario abbati vicesimo Casinati, primo apud Teanum post desolationem Casini factam a Sarracenis. Hoc abbate, id est Angelario, Hermefridus [g] quidam, Asculanus subdiaconus, vir dives, se ipsum cum suis omnibus *per capillos capitis sui* obtulit præposito Teanensis monasterii, nomine Walmefrido, decisis scilicet propria manu capillis, quos in signum suæ ipsius traditionis de more obtulerat Deo. Pari modo Beneventanus quidam, nomine Walamirus, se ipsum cum una curte obtulit in ecclesia sancti Benedicti apud Beneventum, quæ cella erat monasterii Casinensis. Erat & alia cella sanctæ Mariæ in Alifano territorio, cujus cellæ præpositus Laurentius diaconus & monachus quamdam commutationem fecit de quibusdam terris cum quodam Landoario Capuano, cum consensu ejusdem abbatis & Radelchisæ abbatissæ. Idem quoque de aliis terris fecit cum eodem Landoario Johannes sacerdos & monachus, ac præpositus prædictæ cellæ cum consensu ejusdem Angelarii abbatis, & Gaitrudæ abbatissæ. In hac itaque cella sanctimoniales erant sub abbatissa, & præposito Casinensis monasterii, a quo locus iste pendebat ex donatione cujusdam Beneventani, nomine Sarraceni, qui eam olim Petronaci [h] abbati tradiderat. De hac cella gravis postea orta est altercatio [i] cum abbatissa sanctæ Mariæ de Capua, quæ hanc cellam occupaverat. Denique idem Angelarius, in locum demortui episcopi Teanen-

h ibid. c. 6.

i ibid. lib. 4. c. 70.

ANN. CHR. 892.

fis a clero & populo electus est, atque ordinatus, sed non multo post mortuus, ibidemque sepultus nonis Decembris post annos sex abbatialis dignitatis. Electus in ejus locum Ragemprandus, tantum diaconus & monachus, Casinensis abbas vicesimus-primus, Teanensis secundus, eidemque loco per annos fere decem præfuit.

LXVII. Teanensis cœnobii incendiū.

Hujus abbatis tempore Teanense monasterium igne penitus [a] conflagravit, quo incendio pleraque Casinatium diplomata & instrumenta consumta sunt cum ipso autographo regulæ, quam sanctus pater Benedictus manu propria scripserat, necnon & saccis illis, in quibus ejus tempore annona Casinatibus cælitus subministrata fuerat. Hoc incendium Angelus a Nuce refert ad annum ejus sæculi nonagesimum-sextum. Idem Ragemprandus privilegium a Johanne papa IX. post annos tres obtinuisse dicitur, inscriptum *Ragemprando religioso diacono & abbati*, datum *in mense Martio, indictione secunda.* quod potius Stephano VI. tribuendum est. Ejus tempore, capta a Græcis Beneventana urbe, Symbaticius [b] imperialis protospatarius *enstelmu* seu præceptum eidem abbati fecit de Beneventano cœnobio sanctæ Sophiæ, ac de monasteriis sanctæ Mariæ de Cingla, ac sanctæ Mariæ de Plumbariola; imperatoris nomine graviter præcipiens, ne quis de rebus horum cœnobiorum Casinati subjectorum ullam inferret injuriam.

a ibid. lib. 1. c. 48.

b ibid. c. 49.

LXVIII. Conspiratio in Odonem regem.

In Gallia sub hujus anni initium adversus Odonem mota rebellio est, cujus auctor Waltgarius comes, filius Adalhelmi, quem ejusdem Odonis avunculum Regino appellat. Ille, seu regnandi cupidine, seu novæ potestatis æmulatione, adjunctis sibi suæ conjurationis sociis, Lugdunum-clavatum, vulgo Laudunum, occupat. Odo, nihil moratus, opidum obsidet, & Waltgarium ad deditionem cogit, eumque judicio Francorum primorum capite plecti jubet. Non sic tamen compressa rebellio. quin reliqui conjurati in Aquitaniam mox se recipiunt, & Aquitanos adversus Odonem concitant. Duces conjurationis erant Ramnulfus Pictavorum comes, & Gozbertus ejus frater, atque Ebolus seu Ebulo abbas Dionysianus ac Pratensis, qui in obsidione Parisiaca contra Normannos tam strenue se gesserat. Dum Odo in Aquitania contra rebelles occupatur, novi in Francia tumultus oriri cœpti, auctore in primis Fulcone Remorum archiepiscopo, qui Carolo impuberi, Ludovici Balbi filio, regnum ereptum impatientet ferebat. Huic Heribertus & Pippinus comites adjuncti, Carolum ad regnum evocant, & Remis anno sequenti ineunte sacra unctione per Fulconem inaugurari curant. Inunctionis suæ diem rex ipse quintum kalendas Februarii notat in quodam diplomate pro monasterio sancti Remigii, quod ex Marloto [c] inferius proferemus; id est in octavis sanctæ Agnetis, ut apud Dubletum [d]. Odo nihilo minus in Aquitania remanet, rebus pacandis intentus.

Carolus Simplex rex dictus.

c Marlot. to. 1. pag. 536.

d Doublet p. 814.

LXIX. Eboli abbatis mors.

Interim, quodam castello * a rebellibus oppugnato, dum Ebolus abbas rem ardentius exsequitur, ictu lapidis graviter percussus, paullo post interiit, & quidem VI. idus Octobris, quo die in Pratensi necrologio notatur *depositio domni Eboli abbatis*. Hoc *domni* nomine forte innuitur, eum cælibem, & fortasse clericum fuisse. Annalista Mettensis, ex quo hæc discimus, scribit, sancti Dionysii monasterium ab Odone *ad suum servitium* fuisse revocatum. Pratensis abbatia Hucboldo commissa, de quo nulla alia præter nomen memoria est, etiam in necrologio Pratensi omissa. Hucboldo non multo post successit Rotbertus comes Parisiorum, seu marchio, Odonis regis frater, qui hanc abbatiam a Carolo Simplice, an ab Odone fratre, obtinuit. Idem abbatiam sancti Dionysii, haud dubie ab eodem Odone acceptam, paullo post habuit, ut Dionysianæ tabulæ probant. Regino, ejus temporis scriptor, in annum sequentem differt Eboli obitum, quem Ebulonem vocat.

* Brillac en Poitou.

Abbates Dionysiani & Pratenses.

Rebus in Aquitania compositis, Odo cum Rotberto fratre quantocius in Franciam redit, atque infestis signis Carolum persequitur ad provinciam Remensem, cui plurima damna infert. Carolus Odoni impar auxilium poscit ab Arnulfo rege, cujus jussu episcopi & comites, qui ad Mosam erant, copias ipsi subministrant. Verum alieno commodo sanguinis sui pretio periclitari abnuens subsidiarius miles, Odonem ad Axonam intrepide subsistentem aggredi non est ausus, immo domum nulla re gesta regressus est. Carolus itaque ab exteris, vixdum a suis desertus, in Burgundiam recessit. Odo vero Parisios revertit. Aimoinus [e] auctor est, Ludovico Balbo mortuo, Francorum primores Caroli ejus filii in cunis agentis ætatem

e Aimoin. lib. 2. de mirac. S. Bened. c. 1. n. 6.

ANN. CHR. 892.

exercendæ dominationi incongruam, ut erat, arbitratos, *Odonem, licet reluctantem, tutorem pueri*, regnique gubernatorem elegisse. Unde mirum est, cum Carolo, jam majori facto, regnum haud quaquam resignare voluisse. Sed nimirum regis nomen & auctoritas initio molesta, brevi se in animum blande insinuat, ut facilius imperium nondum habitum spernas, quam habitum amittas.

LXX. Cluniacus Guillelmo comiti datur. a lib. 39. n. 70.

Postea quam villa Cluniacus ab Hildebaldo Matisconensi episcopo, ut superius [a] vidimus, ad Warinum comitem & Albanam ejus uxorem commutationis jure transierat; dein venit in potestatem Avæ, Willelmi Aquitaniæ comitis sororis, cui villa hæc hereditario forte jure obtigerat. Willelmus seu Guillelmus patrem habuit Bernardum Arvernorum comitem, qui duas conjuges habuit, Liutgardem & Ermengardem, quæ posterior Willelmi parens exstitit, an etiam Avæ, mihi non liquet. Bernardo pater fuit Bernardus alter, Pictavorum comes, avus Willelmi comitis, *qui eo tempore Aquitaniam Gothiamque suo jure tenebat*, testante Johanne monacho in libro de vita sancti Odonis abbatis. Willelmo comiti, uti & Ramnulfo secundo Pictavorum comiti, ejus consobrino, multa fuit altercatio cum Odone rege, qui Willelmo comitatum Arvernensem abstolit, deditque Hugoni, quem Willelmus vicit, atque interemit, sicque comitatum recuperavit. Inter hæc Willelmus Cluniacum villam obtinuit ab Ava sorore sua, quam nonnulli cum Albana Warini comitis uxore [b] perperam confundunt. Comitissa vocatur in quodam placito, quo Cluniacensibus monachis adversus Hugonem vindicatur terra quædam, quam Willelmus quondam comes eis donaverat, id est ecclesiæ duæ in villis Iggiaco & Domanico, & aliæ res, quas *Ava comitissa* habuerat, & quæ Willelmo hereditario jure obtigerant. Forte primum conjugata fuit, dein abbatissa, sed cujus loci incertum. Sane abbatissæ titulum ipsa sibi tribuit in subscriptione litterarum de cessione Cluniaci Willelmo fratri facta, in quibus *humilem Christi famulam* etiam se dicit. In his litteris, quæ a nobis editæ sunt in elogio [c] beati Bernonis abbatis, » Ava humilis Christi famula Willelmo fratri suo atque glorioso comiti villam suam » Cluniacum, in pago Matisconensi super fluvium, qui vocatur Grauna, sitam, cum » universis appendicibus post suum decessum possidendam donat, eo pacto, ut alo» dum Audoëni-villæ, in comitatu Calmontensi super fluvium Cernonis positum, » ipsi ad vitam cedat; &, si quidem ipsa fratri superstes fuerit, & ille ex legitimo » conjugio liberos habuerit, ipsi post Avæ decessum jure perpetuo Cluniacum obti» neant. Datum mense Novembri, *anno primo certantibus duobus regibus, Odone videlicet & Karolo.* Forte jam Willelmus de condendo Cluniaci monasterio cogitabat. Idem in Brivatensem sancti Juliani martyris ecclesiam munificus fuit, uti & pater ejus Bernardus, ex cujus dono ibidem asservatur etiam nunc egregia crux, in cujus trunco & ramis inscriptio hæc legitur: IN CHRISTI NOMINE ET IN HONORE SANCTI JULIANI MARTYRIS HANC CRUCEM BERNARDUS COMES ET LIUTGARDIS CONJUX FIERI JUSSERUNT. Willelmi conjux erat Ingelberga, quæ villam & fiscum, cui Romanis vocabulum est, sitam in pago Lugdunensi, monasterio Cluniacensi donavit.

b ibid.

c Sæc. 5. p. 76.

LXXI. Alsa cella Adremarensibus asserta.

Versabatur apud Conadam villam rex Odo sub finem mensis Septembris, quo tempore Erchengerus Adremarensis apud Tricasses abbas cellam pagi Atoariensis, Alsa dictam, evindicavit adversus quemdam Agnium monachum, qui eam Adremarensibus abstrahere non semel molitus erat. Hanc cellam ab origine Sadrovertus abbas a Carolo Calvo non ita [d] pridem suo, id est Adremarensi, monasterio, quod etiam Mansus-Corbonis, & Nova-cella dicebatur, obtinuerat: sed nescio quo prætextu Agnius ille eam repetebat. Ejus rei causa Odonem regem, Vermeriæ [e] » ad sollemne placitum residentem, primum adierat, causam dicturus. Assignati » sunt ei judices, Fulco Remensis, Walterus Senonensis, & Wido Rotomagensis » archiepiscopi; ex episcopis Dido Laudunensis, Honoratus Bellovacensis, & Riculfus Suessionensis. qui causa diligenter examinata, monachi proclamationem, tam» quam inanem ac frivolam, rejecerunt, sanxeruntque, ut cella prædicta *monasterio » ex Manso-Corbonis, qui Nova-cella dicitur*, uti ante, subesset, & sub Erchengeri » ordinatione regulariter consisteret; neque deinceps Agnius in illam se intromitteret. Verum is, hoc decretorio judicio haud contentus, iterum novas lites movet, & eamdem cellam denuo invadit. Quapropter Odonem adeundum ratus Erchen» gerus abbas, Conedam seu Conadam, ubi tum rex versabatur, profectus, præcepta

d lib. 38. n. 77.

e Gall. Christ. to. 4. p. 80.

AN. CHR. 892.

superiorum regum, atque apostolicæ sedis privilegia regi exhibuit, quibus constabat, hanc cellam suo monasterio subjectam esse; petebatque, ut id novo diplomate rex denuo approbaret, quod incunctanter indulsit princeps cum regia tuitione, & libera ex ipsis eligendi abbatis facultate. *Data pridie kalendas Octobris, indictione X. anno incarnationis Dominicæ* DCCC XCII. *anno quinto regnante domno Odone glorisissimo rege. Actum * Coneda*, quæ villa est parochiæ Autisiodorensis ad Ligerim. Erchengero abbati paullo post successit Bertoldus seu Bertradus, post quatuor annos laudatus in præcepto Manassæ Divionensis comitis, & in synodo Trecis habita anno sexto Rodulfi regis; post annos regiminis, uti numerant, viginti-duos successorem sortitus Vandelricum, qui monachos ad synodum Lingonensem, sedente Henrico episcopo, misisse dicitur, ac viginti annis locum rexisse. Gratianus & Orlandus Vandelricum, unus post alium, excepere. Orlando suffectus Guido seu Wido eo nomine primus, de quo alias.

* *Cine.*

Adremarenses abbates.

LXXII. S. Romani abbatia apud Senonas restructa.

Destructo, ut vidimus, sancti Remigii seu sancti Romani apud Vallisias monasterio, visum est Bovoni abbati, qui Suavo successerat, ut illud tutiori loco restrueret, nempe apud Senonas in suburbano prædiolo, ubi olim positum fuerat: qui locus & situs opportunitate, & fluminis præterfluentis amœnitate restituendo monasterio aptissimus videbatur. Exstructa itaque haud inelegantis formæ basilica sub priori sancti Remigii titulo cum ceteris regularibus ædificiis, corpus sancti Romani abbatis istuc translatum est, ubi subinde miraculis coruscasse dicitur. In his nobilis Aquitanus, Gundoinus nomine, ex imminentis mortis periculo liberatus. Teduinus, ejus cœnobii alumnus piissimus, ex primoribus Senonum oriundus, necnon liberalium artium doctrina pro tempore instructus, cum gravissima febri torqueretur, ad sancti Romani tumulum, uti petierat, delatus, facta prece convaluit; moxque psallentium choro adjunctus, de accepta sospitate gratias Deo retulit. Varia fuit subinde, sicut prius, ejus monasterii fortuna, ut suis locis videbimus.

LXXIII. Prumia direpta. Regino abbas.

In regno Lotharii Nortmanni, qui ad naves remanserant, transmissa Mosa in Ribuariorum pagum ingressi, universis pro ingenita barbarie vastatis, Bunnam usque perveniunt. Inde ad Prumiense monasterium, declinatis hostium copiis, ocius contendunt. Ei tunc præerat Farabertus abbas, qui audito barbarorum accessu, cum plerisque suorum fuga salnti consuluit. Qui in monasterio reliqui fuerant, irruentibus barbaris, omnes vel trucidati, vel in captivitatem abducti. Tum Nortmanni cum ingenti præda regressi ad naves, cum omnibus copiis *transmarinas repetunt regiones*, ait Regino. Post hanc cladem Faraberrus abbas, seu tædio malorum præsentium, seu vitæ pacatioris desiderio, magistratu sponte se abdicavit cum Arnulfi regis permissu. Electus in ejus locum Regino, vir doctus, & ecclesiasticis rebus maxime eruditus, ut ejus libri duo de disciplinis ecclesiasticis probant, quos jussu Rathbodi Treverensis antistitis ex conciliis ac decretis summorum pontificum jam abbas composuit. In historicis etiam rebus versatus fuit, de quibus totidem libros edidit, Adalberoni iisdem Treverensi archiepiscopo, Ratbodi successori, inscriptos. Vir fuit tum excelso ad res arduas ac difficiles, quales tunc erant, animo, tum insigni, quæ in ejus scriptis elucet, prudentiæ ac moderationis laude præstans. Forte quosdam æmulos habuit electioni suæ repugnantes: quibus agentibus non diu hac dignitate potitus est, Richardo fratre Gevehardi & Matfridi comitum in ipsius locum inducto, quem invidiosum sui negotii, ut ipse loquitur, successorem sustinuit. Reginone abbate Carolus, Lotharii regis filius, quem jussu Caroli Crassi imperatoris ob defectionem luminibus orbatum, & ad sancti Galli cœnobium relegatum fuisse diximus, novissime Zuenteboldi regis tempore Prumiam adductus, ipsius Reginonis [a] manu tonsus est: ubi non post multos annos moritur, ac sepelitur.

Carolus princeps ibidem tonsus.

[a] *Chron. lib. 2. ad an. 885.*

Megingaudus Rotilæ cæsus.

Idem auctor tradit, hoc eodem anno Megingaudum comitem, nepotem Odonis regis, mense Septembri ab Alberico & sociis ejus dolo interfectum fuisse in monasterio sancti Sixti, quod Rotila vocatur, ejusque corpus Treverim deportatum, in cœnobio sancti Maximini sepultum. Rotila seu Rutila locus est ad Mosellæ ripam, prope Sircium opidum; ubi Caroli Magni soror monasterium instituti [b] nostri condidisse perhibetur, quod sæculo quinto-decimo procedente Cartusianis cessit.

[b] *Brower. annal. Trevir. to. 1. p. 393. & 437.*

ANN. CHR. 892. LXXIV. Arnulfi dona S. Emmerammo.

Maravensem Arnulfi expeditionem hoc anno referunt annales Fuldenses, in qua rex sanctum Emmerammum in acie sibi propitium sensisse traditur ab Arnolfo ex-comite monacho, ob idque *per cuncta Norica monasteria gratifica* [a] *munera* misisse. Præ ceteris sancti Emmerammi monasterio munificum se præbuit, cui *pro gratiarum actione contulit totum palatii ornatum, in quo erat ciborium quadratum, cujus auro tectum tabulatum, fastigium serto gemmarum redimitum*, quod *aureis octo columellis* sustentatum erat. *Erant etiam in eo evangeliorum libri plenarii, auro & gemmis tecti, scripti, picti, ac omnimodis ornati: e quibus unus est cubitalis, opere, pretio, pondere talis, ut ei non facile inveniri possit æqualis.* Superest apud sanctum Emmerammum hic [b] codex, aureis litteris exaratus, qualem nusquam me vidisse memini. Insuper quasi hæc tantæ principis in sanctum patronum devotioni non sufficerent, *argenteam etiam craticulam*, prædicto ciborio *supponendum*, dono dedit. Adjecit *& pallia*, colore tum similia, tum varia, inter quæ unum, quod unius texturæ erat, *longitudinem triginta cubitorum* habebat. Hæc fusius apud Arnolfum, sancti Emmerammi uno post sæculo monachum, qui sane sancti Dionysii Parisiorum episcopi corpus omissurus hoc loco non fuisset, si rex Arnulfus illud, uti Emmerammenses nostri contendunt, eidem monasterio contulisset. Hunc porro librum cum rex Conradus auferre voluisset, inflicto repente dysenteriæ morbo restituere coactus est. Arnulfi principatu Ratisponensi ecclesiæ præerat Tuto ex-monacho sancti Emmerammi, qui aureum altare ibidem fabricari jussit, quod mille gemmis ornavit. Is sub finem vitæ oculis orbatus, futura nihilo minus prævidisse memoratur.

a Canis. to. 2. p. 47. & seq.

b V. supra n. 19.

Tutonis item episcopi.

ANN. CHR. 893. LXXV. Remensis synodi acta.

INeunte postero anno habita est Remis synodus episcoporum, in qua, agente in primis Fulcone archiepiscopo, Carolus Balbi filius, cognomento Simplex, Odone rejecto, Francorum rex a Fulcone ungitur. Synodo aderant Dido Laudunensis, Hetilo Noviomensis, Riculfus Suessionensis, & Herilandus Morinensis antistites. Scriptæ sunt etiam comminatoriæ litteræ ad Balduinum comitem Flandrensem, qui res ecclesiasticas invaserat. Primum illud factum Fulco [c] purgavit apud Arnulfum regem, qui se inconsulto id actum querebatur. In epistola hac de re ab ipso scripta, inter alia dicit, se ob impuberem Caroli ætatem coactum fuisse Odonis dominatum suscipere, *qui a stirpe regia exsistens alienus, regali tyrannice abusus fuerat potestate, cujus & invitus hactenus dominium sustinuerat.* Se quidem ab ipso Arnulfo consilium
» quæsisse, sed incassum; adeoque elegisse eum habere regem, *quem solum post ipsum de*
» *regia ipsius habebant progenie.* Idem Fulco nomine synodi scripsit [d] etiam ad Balduinum comitem, eum arguens, *quod ecclesiastica simul & legalia jura contemneret, locum sacri monastici ordinis pervadens, & abbatis sibi nomen usurpans. Unde communi decreto episcoporum judicatum fuerat, eum auctoritatis canonicæ anathemate feriendum. sed quoniam ecclesiæ & publicis utilitatibus regni videbatur accommodus*, quippe qui Carolo regi, propinquo suo, favebat; *censura suspenditur, & emendandi spatium reservatur.* Id intelligendum de Sithiensi abbatia, quam Balduinus, mortuo Rodulfo abbate, occupare moliebatur. Hic est Balduinus Flandriæ comes, filius Balduini cognomento Ferrei ex Judith Caroli Calvi filia, Calvus & ipse cognominatus, ita enim ipse voluit: non quod Calvus re vera fuerit, sed ut cum avi cognomine suam ipsius præferret originem. Habuit & fratrem, nomine Rodulfum, qui fuit comes Cameracensis, quem Heribertus Viromandorum comes interfecit. Hæc occasione synodi Remensis, quam *anno octingentesimo nonagesimo-secundo* habitam dicit Frodoardus secundum veterem calculum, propterea quod mense Januario habita est. si quidem Carolus v. kalendas Februarii, ut sincera ejus diplomata probant, in ipsa synodo in regnum evectus est. Synodi monitis ad tempus cedere visus est Balduinus, permissa Fulconi archiepiscopo Sithiensi abbatia, qui eam ante pontificatum habuerat.

c Frod. lib. 4. c. 5.

d ibid.

Sithiensis abbatia a Balduino comite occupata.

LXXVI. S. Vedasti Atrebatas relatio per Dodilonem episcopum.

Post annos fere tredecim, quam corpus sancti Vedasti apud Bellovacos ob metum Nortmannorum remanserat; Nobiliacensi (sic enim vocabatur) ejus monasterio, jam muris circumsæpto, turribus ac vallorum ambitu munito, monachis etiam ex diversis partibus, in quibus dissipati erant, ad propria reversis, actum est de reportando sanctissimi patroni corpore, quo diu orbari non sustinebant Atrebatenses: quoniam eo absente omnia in deteriora labebantur, nec spes ulla melioris sortis

ANN. CHR. 893.

exspectanda erat. Regebat eo tempore Atrebatensem & Cameracensem ecclesiam jam ab annis quinque Dodilo episcopus, non minus bonus quam doctus, qui olim ejusdem cœnobii monachus ac præpositus fuerat. Hunc pro antiqua necessitudine adierunt Vedastini cœnobitæ, rogantes, ut revehendis sancti patroni sui reliquiis socium se & adjutorem exhibere ne gravaretur. Ultro assensit episcopus, moxque certatim Bellovacum itum est. Omnes honorifice excepit Honoratus ejus civitatis episcopus, qui sacrum depositum, cum nec retinere, nec negare posset, invitus reddere non distulit. Sacram pompam longe extra urbem prosecutus est cum populo idem antistes: quo cum multa salute ac reverentia dimisso, Dodilo cum suo comitatu cœptam persecutus viam, tandem in propriam civitatem quarto die, ex quo Bellovacis discesserant, pervenit dominica die, quæ in idus mensis Julii hoc anno incidebat. quam diem sollemni ritu in posterum celebrari episcopus edixit. Vedastinam tunc abbatiam occupabat mox dictus Balduinus comes, quam postea rex Carolus ob infidelitatem ab eo abstulit cum Atrebatensi castro, ac Fulconi archiepiscopo donavit.

LXXVII. S. Medardi abbatia Fulconi data pro Vedastina.

Suessionensem sancti Medardi abbatiam tunc temporis obtinebat Altmarus comes: quam Fulconi cum ipso commutare [a] opportunum visum est: tum quia Remis vicinior esset sancti Medardi abbatia: tum quia comes Altmarus Vedastinam contra Balduinum facilius vindicare valebat. quæ tamen res Fulconi exitii ac necis causa fuit. Accepit itaque Fulco ab Altmaro abbatiam sancti Medardi, deditque illi sancti Vedasti abbatiam cum Atrebatensi castro, quod Altmarus a Balduino vi obsidionis extorsit. Ob id tanto dolore succensus est Balduinus, ut Fulconi ejus rei auctori necem machinatus sit. Idem Fulco etiam Turonensem sancti Martini abbatiam a Carolo rege obtinuit, ut patet ex ejus litteris [b] ad Widonem imperatorem, propinquum suum, quem rogat, ut res sancti Martini, quæ in regno ejus, id est Italiæ, erant, in suam tutelam reciperet. Hanc tamen abbatiam retinuit Rotbertus frater Odonis regis, qui viribus superior Carolo erat.

[a] *Frod. lib. 4. c. 10.*

[b] *ibid. c. 5.*

LXXVIII. Fulconis querelæ de Dodilone episcopo.

Abfuit a synodo Remensi, ad quam vocatus a Fulcone fuerat, Dodilo Atrebatensis episcopus, causatus metum Nortmannorum, quorum gladius suum iter impediebat. Sed alia forte causa latens erat, nempe quod Balduino comiti faveret, nec synodo, in qua ille damnandus videbatur, interesse vellet. Ejus nihilo minus causam scripta ad patres epistola egit, eos rogans, ut ejus excommunicationem tantisper suspenderent, si quo modo hortamentis & admonitionibus flecti posset. Roganti id concessum, mandatumque a Fulcone, ut ejus [c] admonendi & corrigendi curam susciperet. Fulconis dein offensam Dodilo incurrit, sive quod mandatum ipsius segniter exsecutus esset, seu quod corpus sancti Callisti martyris, Remensi ecclesiæ a Rodulfo abbate Cisoniensi cum ipsa abbatia concessum, ut ab eo petierat, ad opidum sancti Quintini comitari noluisset. Hinc Fulco Heriloni Noviomensi scribens, conqueritur de his, quæ a Dodilone patiebatur, quem *paterno simplicique benignitatis affectu ad potiora*, id est ad episcopatum, provexerat. Eumdem etiam Dodilonem admonuit, qualis ipse erga eum quondam exstiterit: quo pacto sine rege, sine ullo cujusquam suffragio modis omnibus institerit, ut ad hunc episcopalem perveniret honorem, cum adhuc perfecte notus non esset. Id factum [d] anno DCCC LXXXVII. quo anno Dodilo post Rotradum Atrebatensis episcopus ordinatus est sexto-decimo kalendas Aprilis.

[c] *ibid. c. 6.*

[d] *Balderic. lib. 1. c. 60.*

LXXIX. Privilegium de Avennaco.

Eodem tempore idem Fulco ad Formosum papam variis de rebus scripsit: de quibus pontifex ipsi gratificatus est. In his eidem misit privilegium [e] pro monasterio Avennaco, itemque pro Cisoniensi, quod Rodulfus abbas Remensi ecclesiæ subjecerat: quo privilegio tam ipsa cœnobia, quam cunctas eorum possessiones, Remensi ecclesiæ subdidit. Avennacensis erat Bertha illa abbatissa, quæ Romam eodem tempore profecta est: per quam Formosus papa Fulconi [f] *verba sancta consolationis* significavit. De Cisoniensi abbatia, quæ paullo post medium sæculum nonum in Tornacensi parochia in honorem sancti Callisti condita est ab Evrardo Forojuliensi comite & Gisla ejus uxore, Ludovici Pii imperatoris filia, plura dicere supersedemos, quippe quæ ab exordio clericorum fuit, nunc canonicorum regularium sancti Augustini, quibus sæculo duodecimo concessa est. Horum omnium acta leguntur in Spicilegii Acheriani tomo duodecimo: ex quibus Evrardi testamentum datum est anno Ludovici secundi imperatoris XXIV. qua de re superius [g] actum est.

[e] *Frod. lib 4. c. 2.*

[f] *ibid. c. 1.*

[g] *lib. 37. n. 72.*

ANN. CHR. 893.

LXXX. Waltero archiepiscopo Fulco scribit. [a] Frod. lib. 4. c. 6.

Non prætermittenda hoc loco ipsius Fulconis epistola ad Walterum ex nostris Senonensem archiepiscopum *pro causa* [a] *Hildegardis abbatissæ* ejus diœcesanæ, de qua placita quædam simul constituerant, quæ idem Walterus partim ob infirmitem, partim ob occupationes exsequi non potuerat. Hæc vero quantocius executioni demandari idem Fulco præcipit, Walterum insuper rogans, ut ad condictum placitum veniat, eidemque prædictam abbatissam curet se sistere: sin minus ipse pro sua auctoritate, quod hactenus ob suam in eumdem Walterum caritatem facere distulerat, id perfecturus sit. Forte quædam commiserat, aut certe commisisse dicebatur hæc abbatissa incerti loci, de quibus in illo placito inquirendum erat. Idem Walterus paullu post propria sede [b] pulsus est, & carceri mancipatus; Teutboldo vero Lingonensi episcopo oculi eruti a Richardo, Manasse, & Rampone sacrorum violatoribus, quos Formosus papa perpetuo anathemate damnavit.

[b] ibid. c. 3.

LXXXI. Remis studia instaurata. [c] ibid. c. 9.

Per hæc funestissima tempora litterarum studia passim languere cœpta, quæ Fulco Remis instaurare fategit. Hic quippe [c] *sollicitus circa Dei cultum & ordinem ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ fervens, duas scholas Remis, canonicorum scilicet loci, atque ruralium clericorum, pæne dilapsas restituit; & evocato Remigio Autisiodorensi magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit. Sed & Hucboldum sancti Amandi monachum, virum quoque disciplinis sophicis nobiliter eruditum, accersivit, & ecclesiam Remensem præclaris illustravit doctrinis.*

Hucboldi doctrina & scripta.

Hucboldus eo invitatus est post mortem Rodulfi Sithiensis abbatis, qui eum ex sancti Amandi monasterio ad Sithiense ad se erudiendum evocaverat. Nivernis etiam litteras docuisse traditur, ubi libellum de vita sanctæ Ciliniæ, matris beati Remigii, reperit, eamque carmine celebravit. Dum Remis moraretur, a fratribus proximi sancti Theoderici monasterii, quod tunc a clericis occupatum erat, rogatus est, ut ecclesiasticum de eodem sancto officium componeret. Id vero exsecutus est scripta ad eos epistola, quæ sic habet. *Dilectis in Christo patribus ac fratribus congregationis almi confessoris Christi Theoderici, Hucboldus, humilis, licet indignus, officio sacerdos, habitu monachus, omnem felicis vitæ jocunditatem. Pia vestra religio, atque ardentissima in Deum & sanctum ejus Theodericum devotio, studiique simul boni intentio nostram adiit mediocritatem, expostulans, ut ad nostrorum imitationem majorum, qui in laudem Dei & sanctorum ejus, mente promptissima, singulis apta temporibus canora composuere modulamina, nos quoque vobis nocturnalia de memorabilibus præfati cultoris Dei & specialis patroni vestri domni Theoderici gestis cantilenæ melodiis dulcorata cum antiphonis coaptaremus responsoria, in ejus sacra festivitate canenda. quod exsequendum tanta noster aggressus est animus alacritate, quanta vestra id fieri poscebat devotio. Et ecce, divina favente gratia, quod vestra suggessit caritas, nostræ parvitatis obedienter explevit humilitas. Sed quia, attestante voce evangelica, dignus est operarius mercede sua: me humiliter expetente, & vestra bonitate favorabiliter annuente, in ejus parvissimi recompensatione servitioli spopondistis mihi cum vestræ promissione fidei, acturos vos in sacris orationibus vestris memoriam mei singulis annis, expleto hoc ipso officio nocturnali: nec tantum dum in hoc cursu instantis ævi videor frui sole volubili: sed multo magis, cum, Deo disponente, contigerit præsenti me vita defungi. Et addidistis hujus in me benevolentiam exempli, vos per successiones temporum, veluti pro bonæ consuetudinis lege, relicturos posterorum dilectioni.* Integram hanc epistolam in appendice referemus cum epitaphio ipsius Hucboldi, qui an & quam diu Fulconi supervixerit, incertum. Nec certior nobis cognitio est de tempore, quo vivere desiit Remigius Autisiodorensis, de quo plura, uti & de Hucboldo, superius diximus.

LXXXII. S. Gibriani translatio ad S. Remigium. [d] Frod. lib. 4. c. 9. * Cosle.

Per id tempus sancti Gibriani confessoris reliquiæ ex pago Catalaunensi ad Remensem sancti Remigii basilicam translatæ sunt a Fulcone archiepiscopo. Erat Gibrianus [d] sacerdos genere Scottus, qui ex Hibernia una cum sex fratribus & tribus sororibus suis in Galliam cum accessisset, omnes in pago Catalaunensi ad Matronam consedere. Gibrianus vicum, nomine Coslam *, ad habitandum elegit: ubi ad mortem usque piissimam vitam transegit. Post mortem ipsius corpus juxta aggerem publicum sepultum, & super ejus tumulum ædicula constructa. qua tempore Normannorum sub Odone rege combusta, Hadericus religiosus comes a Rodoaldo Catalaunensi antistite obtinuit, ut ex eo loco, ubi sub divo jacebat, ad vicum

vicum Balbiacum transferretur. Post triennium ad ecclesiam beati Remigii honorifice delatum est, & juxta sepulcrum hujus sanctissimi patris collocatum: ubi altare argento decoratum erigi curavit prædictus comes, qui cum uxore sua Heresinde locum sepulturæ ad dexteram ejusdem ecclesiæ partem, juxta ostium cryptæ, a Fulcone præsule impetravit. Hic est Haëdricus & hac Heresindis, qui ad fabricandum ex auro antipendium majoris altaris sancti Remigii suppetias contulere, quorum imagines prostratorum more, & nomina ibidem cernuntur, aliorumque, qui symbolam itidem suam ad hoc obtulere. Hi sunt Karolus, scilicet Simplex, Judith Calvi filia, Ansgardis Ludovici Balbi conjux, qui una cum Haëdrico in primo ordine exhibentur, & cum eis Wandelmodis: tum Fulco archiepiscopus & Heriveus ejus successor: in altero ordine Sigebertus, Heresindis, alterque Sigebertus & Lansindis. Huc spectat quod in necrologio Remigiano notatur VIII. kal. Augusti *anniversarium Herivei archiepiscopi, qui fecit deaurari altare majus, & qui fecit calicem majorem cum patena.* Ceterum non diu post hoc tempus supervixit Rodoaldus episcopus Catalaunensis, qui Rodowardus in veterrimo illius sedis episcoporum indice appellatur. ANN. CHR. 893.

Magna post ejus obitum contentio exorta est de successore deligendo. Fulconi archiepiscopo hac de re scripsit[a] Formosus papa, eumque arguit quod Berharium presbyterum, quem clerus & plebs ejusdem ecclesiæ cum Odonis regis consensu canonice elegerant, consecrare noluisset; sed post decessum defuncti episcopi ipsam ecclesiam Herilando Teruannensi episcopo beneficiali more contulisset; tandemque Mancionem quemdam, criminibus irretitum, ibidem episcopum ordinavisset, Berthario comprehenso, ne Romam adiret, causam suam acturus. Hanc ordinationem etiam improbavit Honoratus Belvacorum antistes, eique interesse noluit, qua de re scriptis ad eum litteris[b] Fulco expostulavit. Mancio tamen ordinatus studii ac zeli sui pro ecclesiastica disciplina quoddam argumentum dedit, cum presbyteri cujusdam, Angelrici nomine, qui quamdam feminam, consentientibus propinquis ejus, in villa *Wasnau* publice desponsaverat, insolitum factum ad Fulconem metropolitam retulit, ut quid de eo statuendum esset, ab illo disceret. Epistolæ inscriptio[c] sic habet. *Domino patri Folconi venerabili archiepiscopo, & omnibus episcopis ejus suffraganeis, & cuncto clero eorum, presbyteris, diaconibus, & cunctis ordinibus, tam canonicis, quam & monachis, Mancio humilis Catalaunicus episcopus, fidele obsequium & devotas orationes.* Quid de eo statuerit Fulco, nobis incompertum. Illud in hac epistola notandum, quod nequissimo facto boni & pii fidelesque homines, utpote hactenus insolito, restiterint. Mancioni episcopo quindecim annos tribuit index mox laudatus.

LXXXIII. « Mancionis epistola de « presbytero « conjugato. « a Frod. lib. 4. c. 3. «

b ibid. c. 6.

c. Analect. to. 3. p. 438.

Quo tempore Fulco abbatiam sancti Medardi pro Vedastina ab Altmaro comite acceperat, rex Odo Compendii residens, exemplo Caroli Calvi imperatoris, universas ejusdem cœnobii Medardensis possessiones[d] confirmavit, quæ ex donationibus superiorum regum, aliorumque fidelium eidem loco datæ fuerant. In his » villas Pivonem & Bumeïum ad thesaurum & utilitatem basilicæ sanctorum Medardi » & Sebastiani atque Gregorii papæ assignat, ad restaurandam scilicet fabricam: necnon » ministeria aurea vel argentea, & ad luminaria concinnanda, sustentationemque » pauperum atque hospitum receptionem; denique ad integrandam domum Dei, quæ » nuper a Marcomannis combusta fuerat. Ad hęc præsidium muro cinctum in circuitu » ipsius monasterii fieri jubet *propter insurgentium Danorum insolentiam, & infidelium* » *inimicorum Christi insidias*, ut servi Dei ibidem quieti ac securi consistere valeant. » Insuper munitionem Vici-super-Axonam* ob eamdem causam reparari curavit, quam » Carolus imperator jam dudum fecerat ad petitionem venerabilis Bertæ & HLu- « dovici imperatoris in memoriam beatæ memoriæ Gregorii summi pontificis. *Ac-* » *tum Compendio palatio, anno incarnationis dominica* DCCC XCIII. *regni vero ejusdem gloriosissimi regis Odonis quinto, indictione* XI. In prædicto Vico-super-Axonam nuper effossus est lapis, quem milliarem vocant, cum hac inscriptione.

LXXXIV. Odonis diploma pro S. Medardo

d Diplom. p. 557.

* Vy-sur-Aisne.

IMP. CAES
M. AURELIO. AN
TONINO. PIO. AUG
BRITANNICO. MAX

TRIB. POT. XIIII. IMP
II. COSS. IIII. P. P. PRO
COS. AB. AUG. SUES
LEUG. VII.

ANN. CHR. 893. ubi leugæ VII. pro milliaribus usurpantur. Nam ab eo loco ad Augustam-Suessionum tres tantum leugæ cum dimidia numerantur.

LXXXV. Æduensi episcopo interdicta subjectio abbatiæ Flaviniacensis. Extat in Æduensi parochia Flaviniacense monasterium, quod Widradus vir illustris, ejus auctor, sub obtestatione Dei tremendi judicii regiæ tutelæ commiserat, & ab omni episcopali potestate immune ac liberum esse voluerat. Nihilo minus Adalgarius Æduensis antistes, exposita ecclesiæ suæ angustia & bonorum distractione, a Carolo-Calvo imperatore [a] petierat, obtinueratque, ut Flaviniacen- » sis abbatia cum cella Corbiniaco in perpetuum Æduensi ecclesiæ concedere- » tur; sicque numerus canonicorum in ecclesia sancti Nazarii augeretur, & cano- » nici in communi refectorio reficerentur, & in dormitorio canonice dormirent. *Data VII. kalendas Martii, indictione X. anno XXXVII. regni domni Karoli imperatoris in Francia, & imperii ejus anno secundo. Actum Compendio regio palatio.* quo anno Carolus eo loci pascha celebravit ex annalibus Bertinianis. Postea hanc concessionem idem Adalgarius a Carolo Simplice confirmari curavit anno regni ejus primo, dum scilicet idem rex ob Odonis metum in Burgundiam se recepit. Querelis hac de re ad pontificem delatis, Romam evocatus est episcopus. verum in ipso itinere, dum Trenorchii, cujus abbas fuerat, moraretur, morbo correptus interiit eodem anno, scilicet DCCCXCIII. Suffectus in ejus locum Walo pro invasione abbatiæ Flaviniacensis excommunicatus est. Sic Æduenses episcopi per multum tempus hanc abbatiam nihilo secius occupaverunt, instituto ibidem vicario præposito, qui sub ipsis locum regeret. Propinati Adalgario veneni insimulatus Girfredus Flaviniaci monachus, impositum crimen anno insequenti in synodo sumta eucharistia purgavit.

[a] Tournus p. 224.

LXXXVI. Cormarico facta donatio. Interim rex Odo in Burgundiam contendit, haud dubie Carolum persecuturus. Certe hoc anno sub finem Maii Cabilone versabatur, ubi rogatu illustris comitis & marchionis Rotberti fratris sui, Ivoni Cormaricensi abbati quasdam res suæ proprietatis largitur in stipendia monachorum, Deo in eodem cœnobio militantium, sitas in comitatu Pictavensi, villas scilicet Molium & Fagium cum suis appendicibus. *Data V. kalendas Junii, indictione* XI. (sic legendum, non V.) *anno VI. regnante domino nostro Odone. Actum Cabilone civitate.* In quibusdam tamen exemplis hoc diploma datum dicitur *indictione XV. anno X. regnante Odone rege.* Post Ivonem obscura est Cormaricensium abbatum memoria usque ad Widonem seu Guidonem, fratrem Gaufredi Grisagonellæ Andium comitis, qui Wido deinde Podiensis episcopus factus est.

LXXXVII. S. Theuderii monasterium reformatur per Dervenses. Jacebat per id tempus, rebus cum temporalibus, tum etiam spiritualibus pæne omnino destitutum sancti Theuderii monasterium: cujus infelicem statum miseratus Barnoinus seu Bernoinus Vieonensis antistes, hunc locum in melius reformare constituit. Principio census, quos ex omnibus ecclesiis eidem cœnobio subjectis episcopus & archidiaconus usu antiquo percipere consueverant, eidem loco attribuit cum aliis rebus, quæ ab eo abstractæ fuerant. Præcipuus ejus facti auctor fuit Hugo quidam, quem Barnoinus filium suum dicit, qui in illo monasterio & temporalibus, & spiritualibus rebus alitus fuerat. Ad hæc archiepiscopus monachos ex Dervensi Campaniæ monasterio istuc accersivit *ad Deo serviendum, & sub sancti Benedicti patris regula norma militandum, atque ad eumdem locum reædificandum & restaurandum*: quem eis, eorumque abbati Adalrico sub apostolica auctoritate, testamentoque episcopali concessit. Barnoini hac de re litteris [b] subscribit idem, qui supra, *Hugo ministrorum Dei minister, qui hoc fieri a patre zelo divino tactus petiit.* quæ verba innuunt, eum Barnoini filium re vera fuisse, quem ex conjugio ante episcopatum procreaverit. Ex his intelligitur, Dervense monasterium ad id tempus religione floruisse. at non multo post in tantam devenit dissolutionem & lasciviam, ut ejus loci monachi publice [c] uxores ducerent, ac generis socerisque suis prædia & ornamenta sacri illius loci distribuerent. Favebant his flagitiis abbates, quorum nomina merito delevit oblivio, excepto eorum pænultimo Alardo, & successore ejus Benzone, cujus perversitas in tantum cumulum devenit, ut cum dedecore inde exturbatus sit, coactus se recipere in Cellam-Bobini Germanicæ insulæ in suburbio Tricassino, cujus abbas itidem erat, privilegiis atque ornamentis invisæ sibi ecclesiæ secum asportatis.

[b] Spicil. to. 12. p. 139.

[c] Sæc. 2. p. 847.

Sic periere illorum temporum, si qua fuere, instrumenta, excepta quadam char-

ANN. CHR. 893.

ta commutationis de quibusdam rebus ad thesaurum ecclesiæ pertinentibus in pago Blesensi, quas Walbertus præpositus & Aaron custos ecclesiæ cum quodam Archamfredo commutaverunt. Hanc *Rotlandus, omnium monachorum ultimus, imperante Walberto præposito, scripsit ac subscripsit*, absque chronicis notis. Tandem in Benzonis expulsi locum suffectus est Albricus, e Tullensi sancti Apri monasterio accersitus cum aliquot monachis, qui ejus loci probra & maculas vitæ suæ integritate absterserunt.

LXXXVIII. Arnulfi pietas, & munificentia in Cremifanum.

Arnulfus rex ante quadragesimam hujus anni per totam occidentalium Francorum regionem monasteria & episcopatus causa orationis obivisse traditur ab annalista Fuldensi. Engilscalcus comes, qui ejus ex concubina filiam rapuerat, necnon Willelmus filius ejus patruelis, frater quoque ejusdem, capite damnati, quod Maravanis se adjunxissent. Bona eorum fisco addicta. Ex his Arnulfus quidquid *Willelmus & Engilscalcus germani fratres in Bajoaria possederant, admonitu Snelperonis* abbatis contulit *ad monasterium sancti Salvatoris, quod Chremisa nuncupatur*, ubi Agapytus martyr corporaliter requiescit. *Data* [a] XI. *Kalendas Novembris, anno dominicæ incarnationis* DCCCXCIII. *indictione* XI. *anno vero* VII. *domni Arnulfi serenissimi regis. Actum ad Ratensdorf* in Bajoaria. Per idem tempus apud curtem Otingam natus est ei ex Uta conjuge filius, quem Hatto Moguntiacensis archiepiscopus & Adalbero Augustæ-Vindelicorum * antistes sacro fonte lustraverunt, ac nomine avi sui HLudowicum appellaverunt.

a *Annal Chremif. p.* 43.

* *Ausbourg.*

LXXXIX. Adalberonis dictum de religione S. Galli monachorum.

Eodem fere tempore Adalbero seu Adelbero, mox dictus Augustensis episcopus, auditis sancti Galli signis & virtutibus, ac religione ejus cœnobii monachorum, locum ipse exploraturus adivit. Omnibus attente circumspectis, majorem fama rem ipsam esse pronuntiavit. Reversus ad suos, & quid de loco sentiret interrogatus: Quid alii, inquit, sentiant nescio: ego vero, ut sincere expromam quod in « animo est, unum illic sanctum, & hunc defunctum quærebam: at vivos plurimos « sanctissimos ibidem fratres inveni. Porro doctrina & disciplina non impar in eorum « actibus ubique elucet. Unum opto, ut quandoque frater eorum conscriptus, quan- « do monachum jam esse non licet, quantocius fieri merear. quod brevi post executus est. Hæc ex Ekkehardo [b] juniori, qui Adalberonis exemplo subjicit alterum de Petro Veronensi ejus temporis episcopo, cujus in sanctum Gallum munificentiam prædicat. At nullus eo nomine per id tempus inter Veronenses episcopos. Similis difficultas in libello de fratribus conscriptis sancti Galli, quos inter censetur [c] *Ratholt, nobilissimus Alamannorum, Veronensis ecclesiæ pontifex*, qui ad monasterium sancti Galli anno DCCCLXXXV. indictione III. venisse dicitur, & in numerum fratrum conscriptorum a Bernhardo abbate relatus fuisse. quo tempore nullus apud Ughellum [d] Ratholdus episcopus in syllabo episcoporum Veronensium invenitur, forte locandus inter Adelardum & Adalbertum. nisi si Ratholdus Adelardi chorepiscopus fuit.

b *Ekkeh. c.* 1.

c *Gold. tom.* 1. *p.* 181.

e *Ital. Sac. to.* 5. *c.* 630.

XC. S. Salvatoris de Valle-Dei monasterium.

In Hispania monasterium sancti Salvatoris de Valle-Dei prope Ovetum, quod ab annis quadringentis Cisterciensium est, hoc tempore stetisse probat inscriptio ab Yepesio relata hoc anno, in qua ejus loci templum ab episcopis septem consecratum fuisse dicitur. Istic Ordonius Ovetensis decanus anno millesimo-sexagesimo monasticam vestem induit.

ANN. CHR. 894.

XCI. Arnulfi expeditio in Italiam.

POstero anno Arnulfus rex, a Berengario exsule in Italiam adversus Widonem invitatus, cum valido exercitu Langobardorum regnum ingressus, circa purificationem sanctæ Mariæ Bergamum obsedit, eoque capto Ambrosium ejus opidi comitem ante portam urbis suspendio strangulari jussit. quo terrore adacti Mediolanenses, Papienses & Placentini ei se se ultro dediderunt. Placentiam usque progressus, haud ultra sibi tendendum existimans, per alpes Penninas in Galliam exercitum reduxit contra Rodulfum Burgundiæ regem, qui ad montana se recipiens, ejus impetum elusit. Audito Arnulfi discessu, Wido imperator ex fuga pedem retulit, & collecto animo, eum insequi cœpit. Verum ad Jarum agri Placentini amnem cum pervenisset, repentino sanguinis vomitu oppressus interiit. Lambertus ejus filius minorennis post patrem regnavit. Interim Arnulfus iter prosecutus, Wormatiam venit, ibique in generali placito Zuenteboldum seu Zuendibolchum filium

ANN. CHR. 894.

suum Lotharii regno præficere voluit : sed optimates minime tunc assensi sunt, ut ex Reginone discimus, quod anno insequenti probaverunt.

XCII. Diploma ejus pro Tullo-Leucorum.

In ipso reditu Arnulfus, cum in urbem Constantiam venisset, ab Arnaldo seu Arnoldo Tullensis ecclesiæ episcopo interpellatus est, ut Tullenses tutaretur adversus comitem Stephanum & Gerardum fratrem ejus atque Matfridum, qui to-
» tam terram illam rapinis & incendiis ad extrema deduxerant; monasterium sancti
» Mauricii & sancti Apri, sub nomine advocatiæ hereditario jure sibi asserebant ; &
» munitiones castelli intra quatuor ab urbe leucas, contra statutum Dagoberti regis,
» ædificaverant, per quas ex toto perierat libertas civitatis, quam cum banno regali
» ex integro omnes Tullenses episcopi jure perpetuo hactenus a regno possederant.
» His commotus rex, prædictos invasores ad sui præsentiam venire jussit. Imperio
» illi parent, & prope Wormatiam ad regem supplices accedunt, & veniam postu-
» lantes, ad pedes Arnaldi episcopi, qui præsens aderat, procumbunt, eidemque
» septingentas libras argenti *pro capitalibus ablatis* restituunt, atque civitati liberta-
» tem. Ad hæc Arnulfus interventu Zuenteboldi filii sui & Vilcovindi ducis, ac præ-
» dicti episcopi antiquam urbis libertatem, a glorioso rege Dagoberto concessam,
» novo præcepto sancivit, *scilicet ut infra quatuor leucas ab urbe Tullensi nulla munitio castellaris ædificata maneat, excepta immunitate * Liberduni, quod proprium tutamen civitatis est, & locus pacis, in quo sanctus Eucharius martyr veneratur, & obsessus a Wandalis remansit indestructus*. Hoc diploma, quod integrum in appendice referemus, Fredericus secundus imperator absque chronicis notis inseruit imperiali præcepto, quo eamdem libertatem confirmavit *anno* MCC XXV. *mense Junio, indictione* XIII. *anno imperii* V. *r gni Siciliæ* XXVII.

* Liverdun.

XCIII. Laureshami Adalberonem abbatem instituit.

Post Wormatiense placitum Arnulfus ad Lauresbamense monasterium se contulit, ibique Ludovico filio Bosonis, matre Hirmingarde postulante, quasdam civitates Burgundiæ Jurensis cum suis pagis, quas Rodulfus rex tenebat, dedit : at Ludovicus eas de manu Rodolfi eripere non valuit. Vacabat tunc Laureshami abbatialis dignitas post mortem Gerhardi abbatis; ac penes monachos, regio concessu, libera eligendi successoris facultas erat. Verum, cum illi *de quibusdam insolentiis* apud Arnulfum accusati fuissent, ob idque suspensum electionis jus; Adalbero Augnstensis episcopus, quem Elewangensem monachum fuisse tradunt, vir magnæ gravitatis & reverentiæ, *dispensatorie* [a] a rege ibidem abbas instituitur. qui post annos quinque, disciplina istic in virentem statum reformata, abbatiale munus, postposito, quod ex eo consequi poterat, omni sæculari commodo & honore, ultro resignavit, fratribusque eligendi abbatis libertatem, accedente regia auctoritate, redintegravit. Electus itaque Liutherus abbas, de quo in consequentibus agendum.

[a] Chesn. to. 3. p. 501.

XCIV. Hildegardis Chemissem relegata.

Per id tempus Hildegardis filia Ludovici, fratris Carolomanni & Caroli Crassi, violatæ forsan fidei a quibusdam coram Aroulfo rege insimulata, regiis possessionibus privatur, & in puellare monasterium diœcesis Saltzburgensis, *Chemissem* dictum, quod a Tassilone conditum tradunt, relegatur : sed non multo post in gratiam rediit, & sua majori ex parte recepit. Hæc Regino & annalista Mettensis.

XCV. Tuto episcopus Ratisponensis.

Non ante hunc annum Tuto, sancti Emmerammi piissimus monachus, de quo jam non semel obiter egimus, Ratisponensem episcopatum adeptus est, si genuinæ, ut quidem existimo, ac sinceræ sunt chronicæ notæ instrumenti, quod post annos octo referemus, in quo annus ejus pontificatus octavus cum anno Christi DCCCC II. componitur. Ejus tempore monachi sancti Emmerammi immunitatem monasterii sui ab Arnulfo imperatore obtinuisse dicuntur; ejusdemque confirmationem per Ottonem Magnum, qui in suo diplomate id factum ait *propter improbitatem episcoporum ejusdem civitatis* quorumdam, qui sanctum hunc locum temere vexaverant. Tutonis pontificatu Arnulfus monasterium muris inclusit.

S. Emmerammi exemtio.

XCVI. Medianum-monasterium canonicis datum.

Richerius monachus in chronico Seooniensi auctor est, Zuenteboldum, Arnulfi regis filium, qui jam regia potestate in regno Lotharii abutebatur, pessimo depravatum consilio, Medianum-monasterium cum suis appendicibus cuidam comiti, Hasumæ nomine, in beneficium tradidisse : comitem vero, iniquo ut operi cumulum adderet, Pippinum abbatem inde cum monachis exturbasse, ibique sæculares instituisse canonicos, quibus monachorum possessiones tradidit. Hinc secundo post anno tanta annonæ penuria, ut homines ipsi humanis carnibus vescerentur. Inse-

quenti Hunni totam Alamanniam depopulantur, Basileam civitatem solo æquant, & Vosagensem regionem vastant, adeoque Deodatense, Stivagiense, & Medianum-monasterium, fugatis inde clericis, qui post annos duos in Medianum-monasterium reversi sunt. Jacuit in illo miserabili statu hic locus per annos fere quinquaginta: dum tandem per Fridericum, ut tradunt, ducem monasticus ordo ibidem restitutus, hactenusque in florenti statu perseverat. In necrologio Senoniensi laudatur v. idus Novembris *Pippinus abbas*, haud dubie Senoniensis. ANN. CHR. 894.

Odo rex ad hunc saltem annum retinuisse videtur sancti Dionysii monasterium, in quo mensis Maii præsentis initio morabatur. Tunc ad eum accessit Herimannus ejus loci archiclavus seu thesaurarius ecclesiæ, eum rogans, ut ex fisco regio [a] Cersilla mansum unum cum suis mancipiis, & uno molendino, atque ductu aquæ supra & subter fluvium Rodonum ad luminaria ejusdem ecclesiæ conferre dignaretur. Id vero libenter præstitit eo pacto, *ut ad oblationem, unde eucharistia dominici corporis super ara altaris conficitur quotidie, usu quotidiano permaneat.* Ad hæc eidem donat aliud molendinum juxta monasterium super fluvium Chrodoldi * ad pontem Tricinæ, necnon areas duas intra Parisios juxta portam civitatis. *Data sub die VI. nonas Maias, indictione XII. anno VII. regnante Odone gloriosissimo rege. Actum monasterio sancti Dionysii.* Hoc præceptum Herveus notarius ad vicem Gualteri recognovit. Alius fuisse videtur hic Herveus ab Heriveo Caroli Simplicis notario, qui post Fulconem Remorum archiepiscopatum adeptus est. XCVII. Odonis regis donatio S. Dionysio. [a] Doublet p. 810. * In Cron.

Sub idem tempus conditum est Auriliaci apud Arvernos monasterium a Geraldo comite, cujus prosapiam ex alto regum sanguine per Cæsarium Arelatensem episcopum, & Aredium abbatem deducit sanctus Odo Cluniacensis abbas, qui res ab eo gestas quatuor libris retulit. Alii Geraldi genus derivare malunt a Mathilde, Pippini Aquitaniæ regis filia, quam ejus aviam fuisse dicunt. Ut ut est, patre Geraldo Auriliaci comite (sic comites quandoque vocabant toparchas illustres) matre Adaltrude, clarissimis ditissimisque parentibus, natus est sub annum Christi DCCC LV. Propagata est cum sanguine paterna in filium pietas, cujus caritas in pauperes ac modestia in veste maxime commendantur. Nec minor in eo castitatis amor, cujus studio Willelmi Aquitaniæ ducis sororem, sibi ad conjugium oblatam, recusavit, effatus, utilius esse sine filiis mori, quam relinquere malos heredes. Sic divino cultui totus mancipatus, de condendo Auriliaci monasterio serio cogitavit, futurus & ipse monachus, si adolescens facile probos invenisset monachos. Hoc concepto consilio, Romam profectus, Aureliacum seu Auriliacum, insigne prædium, beato Petro apostolorum principi, facto sollemniter testamento, legavit ad dotandum monasterium, ex quo annuum censum duodecim solidorum *ad urnam beati Petri* persolvi præcepit. Auriliacum castrum seu opidum est, olim parochiæ Arvernensis, nunc sancti Flori. Monasterii constructionem Carolus Simplex post annos quinque confirmavit regio diplomate, cujus summam inferius referemus. Exstructo monasterio maxima Geraldo cura fuit reperiundi monachos bene moratos, qui locum regulari disciplina instruerent. Sed, cum rari admodum eo tempore, qui tales essent, invenirentur; tum vero *nobiles quosdam pueros ad Vabrense cænobium*, quod non ita pridem Raimundus Tolosæ comes apud Ruthenos exstruxerat, direxit, ut ibidem regulari disciplina imbuerentur. Verum illi, ut reversi sunt, cum ducem ac magistrum idoneum non haberent, juvenili, ut fit, mollitie resoluti, rigorem disciplinæ brevi neglexerunt; itaque piissimi institutoris consilium successu optato caruit. Unum tamen eorum, necessitate compulsus, ceteris præfecit: sed, cum ille non recte viveret, vir Dei magno dolore afficiebatur, quod nec illum corrigere valeret, nec alium haberet aptiorem, quem loco ejus subrogare posset. Id videtur intelligendum de Adalgario seu Adalgiro abbate, qui primus hujus loci abbas in chronico Auriliacensi ponitur, legatusque a Geraldo ad Carolum regem, privilegium pro novo monasterio impetrasse dicitur. XCVIII. Auriliacensis cœnobii origo.

Habita est kalendis Maii hujus anni Cabilone synodus in suburbana basilica sancti Johannis Baptistæ, in causa Gerfredi levitæ & monachi Flaviniacensis, qui Adalgarium Æduorum episcopum anno superiore veneno necasse dicebatur. Si tam horrendi criminis fama totius Galliæ aures pulsavit, non minus prædictus levita, qui *officio prælationis*, id est præpositi, functus erat, super objectione tanti XCIX. Gerfredi monachi purgatio.

ANN. CHR. 894.

criminis exhorruit. Et primo quidem apud Walonem Adalgarii successorem se purgavit : at Walo tantum facinus solus discutere veritus, rem ad comprovincialium episcoporum judicium referre constituit. Convenêre itaque Cabilone ejus invitatu *Aurelianus primas totius Galliæ*, Gualo seu Walo Æduensis, Ardradus Cabilonensis, & Geraldus Matisconensis, episcopi suffraganei, & cum eis legati Teutbaldi seu Teutboldi Lingonensis. Sistitur in eorum præsentia Gerfredus : sed, cum nullus accusator, proclamatorve comparuisset, statutum est, ut in proxima synodo, quam Walo antistes celebraturus erat, idem Gerfredus *corporis Christi & sanguinis examine* a crimine sibi imposito se purgaret. Flaviniaci *in primore ecclesiæ sancti Petri* coacta synodus est, ubi missarum sollemniis celebratis, Gerfredus, *Deum sibi, & ipsum, quod percepturus erat, redemtionis pretium in testimonium & judicium* cum invocasset, corpus Christi coram omnibus sumsit. quo facto, cum nihil mali aut incommodi passus esset, dato scripto absolvitur, quod Walo Æduensis & Ardradus Cabilonensis episcopi subscripserunt. Exstant hujus concilii acta, ex quibus ea quæ sequuntur decerpere juvat ad hunc locum illustrandum. *Anno* DCCC XCIV. *indictione* XII. *invidiæ instinctu, malorum hortatu, oborta est infamis fama Flaviniaco monasterio & castro publico, in quemdam loci illius levitam & monachum Gerfredum, officio prælationis functum, quod piissimum patrem & reverendum præsulem domnum Adalgarium Æduorum episcopum letali exstinxerat veneficio. Hujus criminis iniquissimum objectum, Deo simul & hominibus horrendum, non modo ipsius ecclesiæ, verum etiam totius Galliæ aures pulsavit, & infami satis elogio notavit. Præfatus vero levita & monachus super illatione tanti facinoris nimium exhorruit : utpote qui tanta, tamque prævalida ab ipso dulcissimo patre perceperat beneficia, uti omnibus satis abunde claret. Super quo primitus concilium gloriosi præsulis domni Gualonis ipsius successoris expetiit, seque a tam nefandissimo scelere non minus cogitatu quam facto, præsentia illius, Deo teste & judice omnium ac inspectore cordium, immunem firmavit. Quocirca prænominatus præsul tantum & tam inauditum facinus proprio cunctatus deliberare judicio, ad sanctam & comprovincialem synodum Aureliani nominandi archiepiscopi & ceterorum coëpiscoporum præsentia discutiendum & diffiniendum censuit. . . . Proinde Deo propitio, præfixo kalendarum Maiarum die convenere sacri pontifices, Aurelianus primas totius Galliæ, cum illustrissimis Gualone Æduensi, Ardrado Cabilonensi, Geraldo Matisconensi coepiscopis, simul & legatis memorandi Teutboldi Lingonensis episcopi, apud Cabilonensem urbem in ecclesia beati præcursoris Christi Johannis, quæ est in prospectu ejusdem urbis . . . . quo isdem monachus omnium judicio more ecclesiastico & humani juris experimento instructus, nec hujus infamiæ evidentem accusatorem, nec alicujus certitudinis proclamatorem reperiri potuit.* Unde prædicti episcopi *sanciverunt communi consilio, ut quia nec convictum, nec etiam confessum experiebantur; tamen quia ventilatum & ubique locorum erat divulgatum, ut ab omni suspicione liberrimus redderetur, in viciniori synodo, quam omni reverentia dignus Gualo antistes erga filios ecclesiæ celebraret, corporis Christi & sanguinis illo examine, quod solum verius probatur & terribilius, immo salubrius creditur, a flagitio divulgato publice expiaretur,* &c.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER QUADRAGESIMUS.

Ab anno Christi 895. ad annum 900.

AGEBATUR annus Christi octingentesimus nonagesimus-quintus, cum in Germania mense Maio, præsente Arnulfo rege, synodus habita est Triburi ad emendandam ecclesiasticam disciplinam. Tribur *, villa olim regia nobilis & inclyta, inter Rhenum & Moganum seu Mœnum sita, inquit [a] Trithemius, non procul a Moguntia in descensu fluminis ab Oppenheimio ad manum dextram, nunc nihil retinet veteris dignitatis præter muros castelli, quod vocant Burgum-Boëmorum. Illic habita synodus, cui interfuere viginti-sex episcopi cum abbatibus monasteriorum, præsidente Hattone Moguntino antistite, in cujus parochia synodus habebatur. In hac Wigbertus Hildensheimensis episcopus strenue laborasse dicitur in chronico Saxonico; & Bremensis ecclesia, agente Hermanno archiepiscopo, Cnloniensis metropolis suffraganea dicta est, testante Adamo, contra privilegia Romanorum pontificum, qui illam in archiepiscopatum erexerant. In præfatinne concilii Arnulfo regi proponuntur institutiones Martini Dumiensis episcopi ad Mironem regem. Sequuntur canones quinquaginta-octn, in quorum vicesimo-sexto statutum est, ut, si quis monachus *pro lucro animæ vel animarum* a suo monasterio in aliud migrare voluerit, id ipsi liceat, cum consensu tamen episcopi, abbatis, & fratrum suorum. si vero *fuga regularis disciplinæ* propositum suum calcaverit, ab omnibus abhorreatur, ut saltem pudore ad officium redeat. quod si ad monasterium ultro redire noluerit, invitus revocetur, & retrusus in ergastulum pænitentiam agat. Præclara sunt quæ canone tricesimo sanciuntur de reverentia in sanctam Romanam & apostolicam sedem, & quæ ultimis canonibus de pænitentia homicidarum. In editis subscripti reperiuntur tantum viginti-duo episcopi, nulli abbates. Ex episcopis occurrunt e nostris Hatto Moguntinus, Ratbodus Trevirensis, Tuto Ratisponensis, Adalbero Augustensis, Sigismundus Halberstadensis ex-monacho Hirsaugiensi, & Adalgarius Bremensis, qui *in cauda concilii* positus dicitur apud Adamum canonicum Bremensem, tametsi non ultimus in editis ponitur. Invitus quippe synodo subscripsit, in qua tanta ecclesiæ suæ injuria facta est, ut ex archiepiscopali facta sit Coloniensis ecclesiæ suffraganea. Ast

ANN. CHR. 895.

I.
Triburiense concilium.

* *Tauer.*

a *Trithem. hist. Hirsaug.*

ANN. CHR. 895.

Arnulfo regi jubenti ac Formoso papæ suffraganti ad tempus parendum fuit, & dissimulanda injuria, quam Sergius papa non multo post reparavit. Trithemius ait se legisse abbatum quorumdam nomina, qui huic synodo interfuere, scilicet Hugonis seu Huoggi Fuldensis, quem Herigerum etiam dictum ait; Harderadi Hirsaugiensis, Harderadi quoque Hersfeldensis, Murhardi Selingestatensis, Adelberti Corbeiensis, Wilhardi sancti Albani Moguntinensis, Bertoldi sancti Ferrucii Bledenstatensis, Reginonis Prumiensis, & Hiltwini Laubiensis, qui & ipse Leodicensis episcopus erat. Verum, ut alia dissimulem, in Fuldensi & Corbeiensi abbatibus falsus est Trithemius. Tunc enim Helmfridus Fuldense monasterium regebat, nec Adelbertus Corbeiæ præerat, sive id de vetere, sive de nova Corbeia intelligatur. nam veteri tunc præsidebat Franco; novæ Gothescalcus, cui post annos quinque Bovo junior successit.

II. S. Bertæ reliquiæ Eresteim exceptæ. a lib. 34. n. 33.

Eidem synodo cum aliis regni principibus interfuit Rotrudis abbatissa Eresteimensis parthenonis, de cujus primordiis superius ᵃ actum est. Tunc temporis contigit, sanctimoniales Blangiacensis apud Morinos parthenonis, Hersende abbatissa duce, metu Nortmannorum profugas, cum corpore sanctæ Bertæ, duarumque ejus filiarum Gertrudis & Deotilæ, e Gallia Moguntiam venisse. Hujus rei nuntio accepto, Rotrudis tres ex suis principes viros eo direxit, ut sanctimoniales illas ad suum cœnobium invitarent. Tam benignæ invitationi facile assensit Hersendis cum suis sanctimonialibus, quibus Rotrudis in proximo loco Alsiaco cœnobium ædificari curavit. Istic miracula facta leguntur; in his quidam, ferro ad pænitentiam ligatus, vinculis absolutus fuisse dicitur. Eo in genere aliud factum insigne refertur in libro de miraculis ejusdem sanctæ Bertæ, in Gallia patratum. Temporibus Caroli-Calvi accidit, ut quidam nobilis Gallus, ex villa Dusgemella, fratrem suum, qui cum de hereditate sua rixabatur, gladio interficeret. Tanti facinoris pænitens accessit ad episcopum loci, nomine Bonifacium, a quo in facti piaculum eodem ferro brachia, ventremque suum, qui mos tunc usitatissimus erat, constringi postulavit. Ita ligatus multa sanctorum loca de more visitavit, & novem vicibus limina sancti Petri adiisse dicitur. Demum cum ad Blangiacense profectus esset monasterium, vincula ejus soluta ad tumulum sanctæ Bertæ, dum Lantogisus episcopus ibidem missam dominica die celebraret. Rebus tandem compositis, corpus sanctæ Bertæ & filiarum ejus Blangiacum revectum est.

Pænitentia ob homicidium.

III. Zuenteboldi diplomata pro S. Michaële ad Mosam & pro Epternaco.

Post Triburiensem conventum Arnulfus Wormatiæ generale placitum habuit, in quo Zuenteboldum filium, omnibus demum assentientibus, regno Lotharii præfecit. Eodem accessit cum magnis muneribus Odo rex Franciæ, ab eoque postulata obtinuit. In reditu Fulconem Remorum antistitem, & Adalongum comitem, qui cum muneribus itidem a Carolo missis ad Arnulfum veniebant, obviam factos adortus, Fulcone fuga elapso, Adalongum letali vulnere sanciavit, atque utriusque sarcinas diripuit. Sic omnes Arnulfum suis partibus faventem ac propitium habere certatim contendebant. Ubi vero Zuenteboldus regnum adiit, mox juvenili ardore, prolatandi regni avidus, Laudunum obsedit. Ast Odo ex Aquitania opportune reversus, eum cœpta deserere, & ad sua se recipere coegit.

* Trosley.

In illa impressione Zuenteboldus Noviomum usque processit, certe usque ad villam regiam Trosleium * Noviomo proximam, ubi diploma pro sancto Michaële ad Mosam, rogatu Ratpoti Trevirensis archiepiscopi ac summi cancellarii, indulsit. Hoc diplomate quasdam possessiones, quæ ex portione abbatis erant, monachis concessit, *cum abbatis eorum Stephani consensu*, ad augendam ipsorum præbendam seu annonam, quippe qui magnam *penuriam ex oppressione gentilium* patiebantur. *Data* XIX. *kalendas Septembris anno Domini* DCCC XCV. *indictione* XIII. *regnante domno rege Zuentibolcho anno primo. Actum in vico Drostei juxta Noviomam civitatem.* Ita in authentico, quod post annos tredecim rex Ludovicus, Zuenteboldi filius, subscripsit, appositis his chronicis notis. *Data* XVI. *kal. Septembris anno incarnationis Domini* DCCCC VIII. *indictione* XI. *anno autem regni domni HLudowici* VIIII. *Actum Franconofurt.* In hoc porro authentico qui initio *Zuentiboldus* scribitur, idem in subscriptione & chronicis notis *Zuentibolchus*, ut alibi passim, vocatur, quod observare juvat contra imperitos quosdam censores, qui litteras falsi postulant ob variam scribendi, in eodem etiam instrumento, ejusdem nominis rationem: cujus rei infinita exempla exstant. Paullo post idem Zuenteboldus ad preces itidem

Ratpoti

ANN. CHR. 895.

Ratpoti seu Ratbodi archiepiscopi Trevirensis suique archicancellarii, regio præcepto [a] confirmavit portionem fratrum ex monasterio sancti Willibrordi, quod *Esternaca* dicitur. *Data* v. *kalendas Novembris, anno* DCCCXCV. *indictione* XIV. *regnante Zuenteboldo rege anno primo. Actum in urbe Treviri.* ubi indictio XIV. a Septembri mense inchoatur.

[a] *Miræi notit. p. 79.*

IV. Ludelmus episcopus Tullensis.

In eodem regno Lotharii vacabat sub finem anni superioris Tullensis sedes post mortem Arnaldi episcopi, qui post annos pontificatus tres ac viginti, nonis Decembris anno superiori decesserat, sepultus in basilica sancti Apri prope Arnulfum avunculum ac decessorem suum. Electus est in ejus locum Ludelmus seu Lugdelmus ex monacho sancti Maximini Trevirensis, qui hoc anno a Ratbodo metropolitano, ejusque suffraganeis episcopus consecratus dicitur in chronico Reginonis. In actis episcoporum Tullensium *magnæ sagacitatis vir* fuisse perhibetur, multumque laborasse in templi atque urbis restauratione, quæ sub finem vitæ ejus decessoris tota incendio conflagraverat. Ad hæc multum contulisse ad decus & honestatem clericorum, nobiliumque laicorum, & ad ecclesiæ patrimonium augendum. In his acquisivisse abbatiolam sancti Pientii, quam Prætoria, Dei fidelissima famula, olim dederat; & villam [b] Videliacum, quam mensæ canonicorum attribuit, ea conditione, ut quotidie missa omnium fidelium defunctorum *ad ejus memoriam* celebraretur. Idem ab Arnulfo rege ecclesiam Gundulfi-villæ * obtinuit cum viginti mansis in pago Liwensi; & a rege Zuenteboldo silvam ecclesiæ sancti Stephani, in eadem villa sitam; denique a Ludovico rege filio ejusdem Arnulfi *monetam civitatis & teloneum cum immunitate comitatus*; & ab Everelmo regali medico mansos quatuor in Isciaco. Hæc & alia refert auctor anonymus de Ludelmo, *cujus sanctitatem*, inquit, *& opera felicia si per omnia scriberemus, magnum libri textum efficeremus.* Ita ille in libro de gestis episcoporum. Non ea omnino fuit sententia alterius cujusdam anonymi de Ludelmo, quem, licet *sæculari nobilitate præclarum*, & in temporalibus utilem fuisse dicat; at *minus spiritalibus devote intentum* exstitisse asserit; congregationibus monachorum ac canonicorum, non ut patronum, sed ut rigidum rectorem præfuisse, & pro libitu eorum bona usurpasse, & dispertiisse, ob idque anno undecimo sui regiminis gravi brachii dolore percussum fuisse, ex quo brevi postea confectus sit. De hoc dolore agit etiam anonymus alter, sed causam illam non prætexit. Neuter eum monachum fuisse dicit, quem titulum ei tribuit Browerus in annalibus Trevirensibus, & post eum Galliæ-christianæ auctores.

[b] *V. Append.*

* *Gondreville.*

V. Mospurgensis abbatia.

Exstat in Bajoaria, diœcesi Frisingensi, Mospurgensis ecclesia, nunc clericorum collegium, quod olim monasterium monachorum fuisse nonnulli existimant. Istud vero monasterium, quod in honore sanctæ Mariæ virginis sub veneratione beati Castuli martyris constructum est, Arnulfus rex [c] hoc ipso anno subjecit Frisingensi ecclesiæ post obitum *matris suæ Ludswividæ*, eo pacto, ut supra dicto monasterio propriis *privilegiis liceat uti clericis, ibidem ad sanctum altare servientibus. Data* XIII. *kalendas Augusti, anno incarnationis Domini* DCCCXCV. *indictione* XIII. *anno octavo regni domni Arnolfi piissimi regis.* Hæc prima mentio est ejus monasterii, quod jam tunc clericorum erat. Idem Arnulfus jam imperator anno sequenti quædam eidem loco largitus est in septemtrionali ejus plaga, *ubi Ambora cadit in flumen, quod dicitur Isara.*

[c] *Metrop. Salisb. to. 2. p. 504.*

VI. Aureliani archiepiscopi obitus.

Aurelianus Lugdunensis antistes ultra hunc annum vitam non produxit, quo anno successor ipsius Alwalo in litteris Ludovici regis, Bosonis filii, apud Severtium notatur. Idem Ludovicus ante annos quatuor consilio genitricis suæ Hirmingardis, *pro sincerissimo Aureliani didascali obsequio*, Lugdunensi sancti Stephani ecclesiæ quasdam ecclesias, villasque in eodem pago sitas, concesserat, in his *abbatiam sancti Martini, quæ Athanacus vocatur.* Falluntur qui Aureliani supremum diem referunt ad sextum-decimum kalendas Julii, quo die in martyrologiis antiquis notatur *depositio beati Aureliani episcopi Arelatensis*, quæ verba sunt ipsa Usuardi. De die obitus Aureliani Lugdunensis variant obituum libri, quorum in altero notatur VIII. idus Februarii, in altero IV. nonas Julii.

VII. Formosi bulla pro Gigniaco.

Romam hoc anno profectus est Berno abbas Gigniacensis monasterii, & a Formoso papa privilegium obtinuit. In hoc diplomate ait pontifex, Bernonem venerabilem abbatem ad beatorum Apostolorum limina, & ad apostolicam suam præsentiam venisse, sibique retulisse, Gigniacum monasterium ab ipso Bernone, & a

AN. CHR. 895.

„ Laifino ejus consobrino ex propriis rebus in honorem beati Petri constructum fuisse:
„ quod ut inviolatum & intactum servaretur, illud beato Petro apostolo ejusque vicario
„ se offerre ac subjicere constituisse; itaque petere obnixe, ut locus apostolici privilegii
„ sanctione muniretur. Admissa petentis postulatione, pontifex prædictum cœnobium
„ cum cellis ac possessionibus suis, *necnon & cellulam quæ vocatur Balma*, hac præsenti ter-
„ tia-decima indictione confirmat, & in perpetuum sub beati Petri & apostolicæ sedis
„ jure, ditione, ac potestate stabilit, concessa libera eligendi abbatis facultate secundum
„ Deum & regulam beati Benedicti, necnon immunitate a decimis in propriis cœnobii
„ possessionibus. *Scriptum per manum Sergii scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense No-*
„ *vembrio, indictione supra scripta* XIII. *Datum per manum Stephani cancellarii sanctæ sedis*
„ *apostolicæ, imperante domno piissimo augusto Arnulfo a Deo coronato.* Difficultas est in his ultimis verbis, quibus Arnulfus augustus a Deo coronatus dicitur, quæ coronatio nonnisi anno insequenti ante pascha facta est a Formoso papa, qui paullo post decessit, nec ad Novembrem insequentem pervenit.

Widonis diploma pro Bobio
a *Ital. sac. to.* 4. *c.* 1340.

Consimilis fere difficultas est in diplomate, quod Wido [a] imperator hoc anno concessisse dicitur *abbati Agilulfo Ebobiensis monasterii* ad preces Ageltrudis conjugis suæ, quo diplomate confirmantur omnes ejus loci possessiones, & partitio bonorum monachis facta interim, dum cœnobii disciplina ad pristinum revertatur statum. *Data idibus Aprilis, anno ab incarnatione Domini* DCCC XCV. *indictione* XIII. *anno vero regni ejus* V. *Actum Papiæ.* quæ notæ, alias optime concordantes, utique probarent, Widonem medio Aprili hujus anni adhuc superstitem fuisse, quem anno superiori decessisse plerique tradunt. Lambertus, Widonis filius, anno sequenti paternum diploma ratum habuit, rogatu Anscharii comitis, de quo Liutprandus [b] Ticinensis diaconus mentionem facit.

b *Liutpr. lib.* 1. *c.* 9.

VIII.
S. Wandregisili & S. Ansberti corpora Carnutas illata.

Eodem tempore corpora sanctorum Wandregisili & Ansberti confessorum ex loco prope Quentovicum in Morinis, ubi ob infestationem Normannorum servata fuerant, ad urbem Carnotenam ob eamdem causam deportata, a venerabili Haimone ejus urbis episcopo honorifice excepta sunt XII. kalendas Decembris, & a domno Haimerico abbate suburbani monasterii sancti Carauni martyris: in cujus ecclesia collocata fuere ad tres fere menses, quo tempore non exigua monachis sancti Wandregisili humanitas exhibita est. Dein metu eorumdem paganorum in urbem illata, atque deposita in capella, quam olim *venerandus præsul Gislebertus infra* seu intra *domum suam construxerat*: ubi quædam eorumdem sanctorum meritis miracula patrata referuntur. Post aliquantum temporis eædem sacræ reliquiæ ad maritimam Morinorum urbem, scilicet Bononiam, relata sunt. Illic ad eorum busta sanata est quædam paralytica mulier, ex transmarinis partibus eo profecta: quæ eisdem sanctis in perpetuum se devovit. Cum vero aliquando ad ignem sibi interdictum accessisset, *ut oblatas, quas oblatura Domino in crastinum erat, formaret, ferro, quo imprimendæ ac decoquendæ erant oblatæ arrepto*, mox nervi manus ejus dextræ contracti sunt, *ac oblatorium, quod sponte susceperat, invita retinuit*, sed postea, precibus in ecclesia factis, pristinum dextræ usum recuperavit. Eadem sacra corpora sæculo insequenti ex urbe Bononia in Gandavense sancti Petri monasterium translata fuere.

S. Chaletrici episc. tumulus.

Quod attinet ad capellam illam, quam Gislebertus Carnutum episcopus *infra domum suam* episcopalem exstruxerat; non dubito quin illa ipsa sit sanctorum Sergii & Bacchi capella domestica, in qua, cum nuper subrueretur, reperti sunt nonnulli tumuli, in his sub altari tumulus sancti Chaletrici, qui medio sæculo septimo floruit, sed vacuus, cujus lapidi, in modum arcæ concavo, insculpta est uncialibus litteris Romanis hæc inscriptio:

†HIC REQUISCIT CHALETRICUS EPS CUJUS DULCIS MEMORIA PRIDIE NONAS SEPTEMBRIS VITAM TRANSPORTAVIT IN CAELIS.

Ex hac inscriptione discimus, sanctum Chaletricum obiisse *pridie nonas Septembris*, quem diem eraserunt posteri, substituto altero, scilicet *nonas Octobris*, id est *nonis*, qui dies ejus translationis notatur in pervetusto martyrologio Usuardino, quod olim ad usum illius ecclesiæ erat. Sic tamen erasum est *pridie*, ut vestigia ejus appareant, uti & duorum sequentium vocabulorum, quibus superscripta sunt duo alia,

ANN. CHR. 895.

nempe *nonas Octobris*. Non ergo primus illius capellæ conditor Gislebertus episcopus, sed tantum instaurator, quippe cum in ea sepultus sit Chaletricus, duobus sæculis ætate superior. Nisi malueris dicere, ejus arcam lapideam, extractis sæculo nono ex ea reliquiis, in novam Gisleberti capellam aliunde translatam fuisse. Hæc digressiuncula lectori fortasse non ingrata erit. Reliqua sæculi noni eventa persequor.

IX. Plegmundi Cantuariensis acta.

In Cantuariensi ecclesia hoc tempore florebat Plegmundus archiepiscopus, qui ex mandato Formosi papæ in septem viduis ecclesiis totidem episcopos instituisse, unaque die consecrasse dicitur. Falluntur Willelmus Malmesburiensis & Gervasius Dorobernensis, aliique post eos, qui id factum tradunt assensu Edwardi regis, quem triennio post mortuum Formosum regnare cœpisse constat, scilicet post patrem Ælfredum, qui in litteris Formosi papæ, si quidem genuinæ credantur, loco Edwardi restituendus est. Hic est Albradus rex transmarinus, quem Fulco Remorum præsul [a] laudat, quod *tam bonum virum & devotum, ecclesiasticisque regulis congruentem destinavisset episcopum in civitate Cantaburg*, id est Plegmundum nostrum, quem idem Fulco Pleonicum vocat in aliis [b] litteris, *Pleonico archiepiscopo transmarino* inscriptis: cujus bonis studiis congratulatur *pro abscindendis & exstirpandis incestuosis luxuriæ fomentis*, qua de re *Albrado regi transmarino*, id est Ælfredo, jam se scripsisse dicit.

a Frod. lib. 4. c. 5.
b ibid. c. 6.

X. Johannes Æthelingiæ abbas necatus.

Sub idem tempus necatus est Johannes venerabilis abbas Æthelingiensis, quem idem rex ad restituenda litterarum studia in Angliam accersiverat. Ut erat ille severioris disciplinæ servantissimus, duos ex suis, unum sacerdotem, alterum diaconum, quos Gallicos genere fuisse tradit Asserus, in se concitavit. Hi odio concepto, necem optimi magistri meditati, ad eum cædendum conducunt latrunculos duos, qui in ecclesia noctu absconditi, dum ille de more orandi causa furtim intrasset, ad altare procumbentem feriunt, indeque semianimem ad ostium impudicæ mulieris exportant. Convaluit tamen ex hoc vulnere piissimus abbas: qui dum solito more in ecclesiam de nocte ante alios ingressus esset, a duobus perditissimis sicariis denuo impetitus, postquam vir, alias *bellicosæ artis non expers*, horum satellitum impetum eludere nisus fuisset, nihilo minus ferro percussus, paullo post interiit. Cædis auctores condignis suppliciis tantum facinus eluerunt. Hunc Johannem abbatem & monachum e veteri Saxonia ortum, superius [c] demonstravimus alium esse a Johanne Scotto, quem neque monachum, certe nec abbatem exstitisse constat. An vero idem sit cum Johanne illo sophista seu sapiente, quem veluti martyrem, quippe qui *puerorum graphiis* perfossus fuisset, sæculo duodecimo colebant Malmesburienses, non ita liquet. Si tamen Johannes abbas sepultus est, utquidem videtur, Æthelingiæ, alius censendus est a Johanne illo sophista, cujus tumulus cum epitaphio apud Malmesburienses sæculo duodecimo, teste Willelmo ejus loci monacho, visebatur. Certe Johannes sophista non Æthelingiæ, sed Malmesburiæ necatus est, & quidem in ecclesia sancti Laurentii, ex qua in majorem ecclesiam, ob lucem super ejus tumulo noctu emicantem, translatus est, ut scribit Simeon monachus Dunelmensis, & ad sinistram altaris collocatus.

c lib. 38. n. 72.

ANN. CHR. 896.

XI. Arnulfus imperator. Formosi papæ mors & successores.

POstero anno rex Arnulfus, secundo Italiam ingressus, Romam venit, urbemque cepit *cum consensu summi pontificis*, ait Regino, scilicet Formosi, qui eum imperatorem coronavit, ipse vero pontifex *die sancto pascha* defunctus est. Intrusus in ejus locum Bonifacius, vix quindecim dies superstes, locum fecit Stephano sexto, aliis septimo, qui scelere inaudito Formosum e sepulcro extractum, pontificalibus vestibus exui, ac laïcalibus indui jussit, atque damnatum projici in Tiberim, exauctoratis iis, qui ordinati ab eo fuerant. Dum Romæ esset Lambertus, Amiatini [d] monasterii possessiones rogatu Petri abbatis confirmavit hoc anno, IV. kal. Martii. Mortuo non multo post Lamberto imperatore Widonis filio, Ludovicus rex Provinciæ ad capessendum imperium a Langobardis invitatur, absente Arnulfo, qui mense Maïo in Bajoariam redierat, multis malis & facinoribus in Italia patratis, quæ accelerandæ mortis causa fuisse dicitur a Liutprando [e] diacono Ticinensi.

d Ital. sac. to. 3 p. 706.
e Liutp. lib. 1. c. 9.

XII. Zuenteboldi litteræ pro Gregorianis, & Dionysianis.

Ineunte hoc anno Zuenteboldum Argentinæ commorantem adiit Engilfridus abbas Gregoriani in Alsatia monasterii, petiitque ab eo, ut præcedentium regum

ANN. CHR. 896.

privilegia, adeoque monasterii possessiones novo diplomate confirmaret. Accessit postulatio Salomonis Constantiensis episcopi idipsum flagitantis. Supplicantibus rex annuit, data insuper monachis facultate eligendi ex seipsis ministros, qui causas eorum procurarent, videlicet abbatem, præpositum, cæterosque, ut regula præcipit. *Data pridie nonas Januarii, anno incarnationis Domini* DCCC XCVI. *indictione* XIIII. *anno vero domni Zwentebulchi piissimi regis* I. *Actum in Argentaria civitate.* Authenticum diploma Walger notarius ad vicem Ratboti archiepiscopi, summique cancellarii recognovit. Idem recognovit ejusdem regis præceptum, quo Salonam [a], Saliensis pagi abbatiolam, sancti Dionysii monachis restituit, datum XI. kalendas Februarii, iisdem anno & indictione. Ludovici Orbi præceptum de sancti Theuderii monasterio, Adalrico abbati & Dervensibus monachis commisso hoc anno, alias [b] retulimus.

a *Doublet* p. 808.

b *lib.* 38. *n.* 13.

ANN. CHR. 897.

XIII. Ejusdem quædam facta, conjugium & diploma.

Anno circumacto idem princeps quosdam comites, læsæ majestatis reos, honoribus ac dignitatibus privavit, eorumque terras inter suos divisit, *monasterium ad Horrea*, inquit Regino, *& monasterium S. Petri, quod Mettis situm est, sibi reservans.* quod argumento est, hæc duo virginum monasteria, quorum alterum in suburbio Trevirensi, alterum in Mettensi tunc positum erat, ab illis comitibus occupata fuisse. Paullo post idem Zuenteboldus, consulto Arnulfo patre, Odam filiam Odonis Francorum regis, Odone ipso ægre assentiente, uxorem duxit, nuptiis post pascha celebratis. Non multo post idem princeps versabatur in Nivialensi Bracbanti monasterio, ubi dilectissimæ neptis suæ Gislæ interventu [c] res quasdam, in usus fratrum ac sororum inibi commorantium assignatas, confirmavit. *Data* VII. *kalendas Augusti, anno* DCCC XCVII. *indictione* XV. *anno vero tertio Zuentheboldi regis. Actum in ipso Nivialensi monasterio.*

c *Miræi notit.* p. 80.

XIV. Capellæ dedicatio apud Lemovices.

Lemovicensem ecclesiam regebat hoc tempore Anselmus episcopus, quem adiit » Garulfus Bellilocensis abbas [d] primus cum monachis suis, petiitque ab eo, ut capel» lam a se recens ædificatam consecrare ne gravaretur, sitam in villa Favara, in » fisco Cameyraco, quem Rodulfus Bituricensium olim archiepiscopus a Carolo glorio» sissimo Francorum rege, scilicet Calvo, impetraverat, & prædicto Bellilocensi mona» sterio contulerat. Et in ipso quidem loco tres quondam ecclesiæ fuerant, sed ve» tustate collapsæ; decimæ vero ad illas pertinentes a vicinis occupatæ ecclesiis. » Consecrata itaque capella, jussit episcopus tantum ex illis decimis restitui novæ ca» pellæ, quantum ad ejus dotem sufficeret. Instrumento hac de re confecto subscribunt post Anselmum episcopum archidiaconi duo, archipresbyteri ac presbyteri complures cum aliquot laïcis. *Actum hoc Lemovica civitate in synodo plena, pridie nonas Decembris, anno incarnationis Dominicæ* DCCC XCVII. *indictione* I. *regnante Odone rege anno* X. *ordinationis quoque domni Anselmi pontificis anno* XXVIII. Ex quo ejus pontificatus initium facile intelligitur.

d *V. lib.* 39. *n.* 63.

XV. Portuensis synodus.

Habita est hoc anno synodus in loco pagi Nemausensis, Portu cognominato, præsidente Arnusto Narbonensi pontifice: qua in synodo quæstio ventilata est de ecclesia villæ Coconis, sitæ haud procul Montepessulano, quam Adalfredus presbyter adversus Abbonem Magdalonensem episcopum repetebat. Causa cecidit Abbo, qui cum aliis septem episcopis eidem synodo interfuit. Ibidem præsentes fuere duo abbates, scilicet Froja *ex monasterio sancti Laurentii Vernupradensis*, & Withardus *ex cœnobio sancti Juliani*, quibus adjunctus *Albarus legatus abbatis Durandi ex monasterio sanctæ Mariæ*, nempe Urbionensi, quod de Crassa vocant. Actum est superius de monasterio sancti Laurentii & sancti Aniani ad Vernodubrum amnem, quod hactenus exsistit sub congregatione sancti Mauri. Frojæ abbatis successor fuit post biennium Berarius, cujus interventu Carolus rex, cognomento Simplex, monasterii immunitatem atque tuitionem novo diplomate [e] confirmavit, necnon possessiones, in quibus memorat *duos molendinos*, qui sunt in rivulo *Vernodupri. Data* VIII. *id. Junii, indictione* II. *anno* VII. *rege Karolo serenissimo, & in successione Odonis* II. *pleniter regnante. Actum apud Turnum-villam* [f]. Supra dictæ synodi acta Georgius sacerdos & monachus scripsit. Turnus videtur esse villa pagi Remensis prope Axonam, ut alias [g] ostendi.

e *Spicil. to.* 13. p. 265.

f *V. Marca Hisp. col.* 375.

g *Diplom. Supplem.* p. 49.

S. Martini ad Montem Aureolum monasterium.

Ex his emendanda est chronologia archiepiscoporum Narbonensium apud Catellum, qui Arnusti pontificatum serius differt, censetque Aribertum ejus decessorem anno insequenti jam Narbonensi ecclesiæ præfuisse. Arnustum præcessit Theo-

ANN. CHR. 897.

dardus sanctus antistes, sepultus in monasterio sancti Martini, quod ab ejus parentibus conditum traduot, ipsius nomine sancti Theodardi, vulgo Audardi, postea cognominatum. *Est autem jam dictum monasterium*, ut habet ejus vitæ scriptor, *in Caturce si territorio, in monte, qui Auriolus * nuncupatur, ad cujus radicem fluvius decurrit, quem indigena regionis ipsius Tesconem vocant. Hic suo decursu confinia Tolosani, Caturcensisque ruris liquido dirimit patente influxu: qui a prædicto monte recedens, post modicum terra spatium Tarno immergitur flumini.* Tandem hoc cœnobium a Johanne XXII. in cathedralem erectum est, cujus sedes instituta apud Montem-albanum.

** Montauriol.*

S. Martini de Monte-rotundo.

Huic monasterio ob nominis & temporis affinitatem subjungendum est cœnobium sancti Martini de Monte-rotundo, in Septimania situm: cujus primam notitiam accepimus ex Odonis regis diplomate, in quo legitur, Tenericum venerabilem abbatem ex monasterio sancti Martini de Monte-rotundo, consentientibus suis monachis, regem adiisse, eique significasse, quod propter suam ipsorum extremam inopiam, & oppressionem malorum hominum inibi consistere non possent, nisi regia munificentia ipsis succurreretur. Quapropter rex Odo in eleemosynam domni & seninris sui Caroli & propria salute, ad eorum necessitates supplendas, cellam sancti Clementis in pago Gerundensi, & in pago Radensi fiscum Juoquerias, aliaque elargitur. Nulla est chronologica nota in regio præcepto, quod in Appendice referemus.

XVI. Rotberti comitis charta pro S. Martino.

Ad hunc annum octingentesimum nonagesimum-septimum revocanda videtur charta Rotberti comitis & abbatis sancti Martini Turonensis, qui Dociacum villam pagi Pictavensis, a Carolo-Calvo donatam canonicis sancti Martini, sed eis abstractam, restitui curavit. Hujus vero penes Deum meriti participem vult esse dominum & seniorem ac germanum suum Odnnem regem, necnon dominum & genitorem suum *Rotbertum, gloriosum, dum vixit in terris, comitem & ejusdem loci abbatem.* Post quæ verba nonnulli recentiores, qui Rotberti cognomento Fortis, patrem Rotbertum Madriacensem comitem esse volunt, hæc addunt: *Adelaidem quoque genitricem & Robertum comitem avum nostrum.* quæ verba in pancharta nigra Martiniana desunt. Similem interpolatinnem initio libri primi Aimoini de miraculis sancti Benedicti observavimus. Hæc charta data est VI. *kalendas Aprilis in die sanctissimo pascha Turonis coram corpore beati Martini, anno* VIII. *regnante domino Odone rege.* quæ notæ chronicæ non bene simul conveniunt. nam pascha in sextum kalendas Aprilis incidebat hoc anno, qui Odnnis regis decimus erat, non octavus.

ANN. CHR. 898.

XVII. Odone rege mortuo solus Carolus regnat.

POst hæc non integrum annum supervixit rex Odo, qui postero anno ineunte letali morbo pulsatus, in villa Fara super Isaram III. nonas Januarii diem clausit extremum, & apud sanctum Dionysium regio more sepulturæ mandatur. Mox regni principes in unum congregati, unanimi consilio & voluntate Carolum regem agnoscunt, quem pauci antea pro rege habebant. Id factum in urbe Remorum, ubi Carolus a Fulcone archiepiscopo denuo coronatus est. Abfuit ab ea celebritate Balduinus Flandriæ comes, ejus cognatus germanus, propter Heribertum Viromandorum comitem, qui Rodulfum ipsius fratrem occiderat: missos tamen istuc misit ad præstandam fidem. Adfuit Rotbertus, Odonis regis frater, quem rex honorifice accepit. Hinc nova ejusdem regis epocha ob redintegratum regnum, quæ in ejus litteris deinceps observabitur. Exemplo erit primum ejus diploma pro sancto Dionysio, cujus castellum, *a novo * constructum*, auctoritatis suæ præcepto confirmat, ac regia immunitate donat, cum fidelium suorum consensu, *venerabilium videlicet episcoporum Honorati & Rodulfi, necnon dilectissimæ genitricis* suæ *Adelais*, nempe a porta ipsius castelli, quæ respicit capellam sancti Remigii, usque ad portam, quæ ab antiquo ante hospitale pauperum statuta fuit; & ex alia parte ultra * Crodoldum, qui amnis sancti Dionysii monasterium atque oppidum permeat, a cella hospitum, quæ ex antiquo habita fuit, usque ad sutorum officinam. Insuper, quoniam in eodem castello magna lignorum penuria erat, quæ olim ex saltu Brigensi navigio deferri consueverant; silvam, quæ Cavia nuncupatur, Dionysianis concedit. *Data VI. idus Februarii, indictione I. anno V. regnante gloriosissimo rege Karolo, redintegrante I. Actum monasterio sancti Dionysii.* In hoc diplomate nulla

Diploma ejus pro S. Dionysio, a Doublet p. 815.

** le Crou.*

ANN. CHR. 898.

mentio abbatis pro Dionysianis supplicantis, sed tantum Honorati & Rodulfi episcoporum, quorum alter Bellovacensis, alter Laudunensis episcopus erat, quos Stephanus papa [a] ad synodum Ravennæ celebrandam a Fulcone Remensi mitti petierat. Ex quo intelligitur, Odonem regem ad obitum usque retinuisse abbatiam sancti Dionysii, quæ paullo post Rotberto comiti ejus fratri a Carolo concessa fuit.

[a] Frod. lib. 4. c. 6.

XVIII. *Carolus pacem init cum Zuenteboldo.* Vix Odoni suffectus erat Carolus, cum Reginarius dux, a Zuenteboldo privatus honoribus, ad Carolum venit, eumque ad invadendum Lotharii regnum adduxit. Ille vero Aquas, inde Neumagum cum exercitu progressus, cum Zuenteboldum appropinquantem sensisset, Neumago reversus, Prumiam venit, atque inde adversus Zuenteboldum copias transfert. Verum, legatis hinc inde auditis, pax sacramento firmatur; tum Carolus, trajecta Mosa, in regnum suum regreditur. *Diplomata pro S. Apro & pro S. Michaële.* Hæc Reginarii defectio nondum facta erat, cum ad ejus preces Zuenteboldus, qui tum forte in monasterio sancti Apri versabatur, eidem loco munificum se præbuit, conferendo facultatem piscandi in foreste sua super fluvium Mosellæ *in unaquaque hebdomada dies duos, Mercoris & Veneris.* Hujusce donationis intervehtores fuere *HLudelmus Leuchorum sedis venerabilis episcopus, & Reginharius dilectus comes. Data* v. *kalendas Januaris, anno incarnationis* DCCC XCVIII. *indictione* XV. *anno vero domni Zuentebolchi* III. *Actum Tullensi civitate ad sanctum Aprum.* Ita in authentico: ubi novus annus inchoatur a natali Domini, quo tempore indictio XV. ad kalendas Januarii adhuc obtinebat. Dum vero Carolus cum Zuenteboldo de regno Lotharii disceptaret, rogatu Adelheidis genitricis suæ res quasdam ad stipendia fratrum sancti Michaëlis ad Mosam assignavit, hoc est villam Busserias cum Tronione, aliaque, quæ Zuenteboldus ante triennium eisdem concesserat. *Datum idus Februarii, indictione* I. *anno* VI. *regnante, & redintegrante* I. *Karolo gloriosissimo rege. Actum Compendio palatio.* Heriveus notarius ad vicem Folconis archiepiscopi & protocancellarii hoc præceptum recognovit.

XIX. *Permutatio cum monasterio Gregoriano.* Martio insequente Herimvodus quidam permutationem fecit cum monasterio sancti Gregorii, *quod est constructum in pago Helisacensi, & in parte ipsius pagi, quæ vocatur Sundgewi; ubi illustris comes Eberhardus, necnon abbas Engilfridus præesse videtur.* Dedit quippe prædictus Herimvodus Gregoriano monasterio partem proprietatis suæ in villa *Egisheim*, & in marca *Duringheim*: contra vero ex eodem monasterio *cum consensu præfati comitis, necnon etiam dicti abbatis ac fratrum, per manum advocati eorum Menginfridi, res quasdam in villa, quæ votatur Altdorf*, eo pacto, ut is & conjux ac duo filii sui annis singulis ex ambabus rebus quinque solidos in censum ad festivitatem sancti Martini persolverent. *Actum publice in civitate Strasburg, præsente illustrissimo comite Eberhardo.* Data *pridie idus Martias, anno* IIII. *regnante Zentiboldo rege, indictione* I.

XX. *S. Marculfi translatio Corbiniacum.* Sub hoc tempus corpus sancti Marculfi abbatis ex Nantensi Neustriæ monasterio in villam regiam pagi Laudunensis Corbiniacum, quam alii Corbanacum seu Corbenacum vocant, ob infestationem Nortmannorum translatum est, ac repositum in basilica sancti Petri. Illic post septem annos condi cœptum monasterium a Carolo rege, ut postea videbimus, ibidemque sacræ istæ reliquiæ ad id usque tempus asservatæ sunt, quidquid contra sentiant Meduntenses *, quos in consequentibus refellemus.

* *de Mante.*

S. Honorinæ Confluentium. Eodem tempore, ob eamdem etiam causam, sanctæ Honorinæ virginis ac martyris reliquiæ a quadam Neustriæ villa, cui Girardo-villa * nomen est, ad castrum Pisciacensis pagi Confluentium *, ubi Isara in Sequanam influit, delatum est, locatumque in beatæ Dei genitricis Mariæ ecclesia, quæ processu temporis Beccensibus monachis commissa fuit.

* *Graville.*
* *Conflans.*

S. Leutfredi Parisios. Tunc etiam corpus sancti Leutfredi abbatis cum reliquiis sancti Thuriavi Dolensis antistitis, & sancti Agofredi confessoris, e Madriacensi sanctæ Crucis monasterio Parisios delatum est, repositumque in basilica sancti Vincentii seu sancti Germani a Pratis, cui tum sancti Leutfredi monasterium, a Nortmannis direptum & eversum, a Carolo rege unitum fuit.

XXI. *Floriaco facta donatio.* Hoc ipso anno Wineterius seu Guiniterius, Eccardi Augustodunensis quondam comitis nepos [b] & eleemosynarius, res quasdam proprietatis [c] suæ, sitas in pagis Augustodunensi & Matisconensi, donavit *monasterio sanctæ Mariæ & sancti Petri*

[b] Perard p. 25. & 28.
[c] id. p. 36.

seu sancti Benedicti abbatis, ubi *corpus ejusdem Patris reverenter requiescit*; & quidem cum consensu filiorum suorum Wioeterii & Theoderici, quibus easdem res ad usum-fructum sub aoouo censu reservat. *Actum Augustoauno civitate* VIII. *kalendas Junias, indictione septima*, lege *prima, obeunte Odone quondam rege, redintegrante sedem regni Karoli regis.* ANN CHR. 898.

XXII. S. Petri de Montibus instauratum monasterium.

In Hispania florebar hoc tempore Gennadius, tum abbas, dein Asturicensis in Gallicia episcopus: qui *sub paere apostolico & abbate Arandiselo in Ageo monasterio* cum institutus fuisset; dein *eremitarum vita delectatus, cum duodenis fraeribus ad sanctum Petrum, ad sanctam eremum se recepse.* Hæc sancta eremus, seu abbatia sancti Petri de Mootibus, in Vergidensi pago sita, diœcesi Asturicensi, sex a Compluto passuum millibus distans, primum quidem a saocto Fructuoso monasticis exculta regulis, deio a Valerio ejus discipulo meliorem in formam restituta fuerat, Temporum vero injuria locus vastatus immanem evaserat in silvam, quæ a Gennadio ejusque sociis excisa, regularibusque denuo instructa ædificiis, vineis, pomariis, aliisque ad usum vitæ necessariis consita est. His absolutis, Ranulfus Astoriceosis antistes Gennadium abbatem ibidem ordinavir, eique dedit *regulam observationis sanctæ*, id est sancti Benedicti, *cunctaque monastica instrumenta.* Id factum jussu Ordooii regis, sub Alfonso patre Galliciam administrantis, qui una cum Geloyra regina eidem loco, ad honorem nominis Christi, sanctorum apostolorum " Petri & Pauli & sanctæ Crucis, contulit hereditatem suam propriam, hoc est val- " lem, quæ dicitur Oza. Ad hæc obtulit vasa altaris, calicem argenreum cum pa- " rena, capsam argenteam deauratam, gemmisque ornatam; coronam unam argen- " team, *vestimenta altaris ad plenum, sive fronealia, sive principalia*; sigoum fusile " æreum bonæ modulationis; insuper libros ecclesiasticos, scilicet psalterium, co- " mitem, antiphonarium, manuale orationum, passionum, sermonum, ordinum, " precum & horarum. Denique, *data jam regula sancta observantia monachorum*, " firmavit *omnem doctrinam deificam, constitutam in regula beati Benedicti*, quam ei " observandam rradidit, & cunctis ei subjectis monachis retineodam injunxit, con- " cesso regiæ tuitionis privilegio, quod a quoquam infringi aut violari vetat. *Facta* " *eartula testamenti* V. *kalendas Maii, sub era* DCCCC XXVI. quæ huic anno respondet. Subscribit cum rege ac regina, mulrisque proceribus & episcopis, Ranulfus Astoricensis, cui non multo post Gennadius in illa sede successir: sed hanc dignitatem viræ privatæ studio postmodum abdicavir.

Gennadius abbas.

XXIII. Palatiolum monasterium duplex.

In Italia Palatioli nomine olim condita sunr nostri ordinis monasteria duo: unum in Erruria a Walafrido [a] abbate, qui post medium octavum sæculum floruit: alterum in agro Ravennare, in insula, quæ Palatiolum vocatur, decem circiter passuum millibus ab ea urbe distans: quod Johannes archiepiscopus Ravennas, ejus nomiois nonus, hoc fere anno exstruxit, ac doravit. Ejus rei exstar [b] primarium instrumentum, io quo Johannes insignem in beatissimam virginem Mariam, cui istius loci basilica sacra erar, pietarem demonstrar. sic vero eam in illo instrumento alloquitur, dignum esse, ur tam sublimi Virgini sacræ in templo, in " quo *sacratissima* ejus *patrocinia recondita* sunt, optimis modulorum vocibus laudes " canantur. ideoque, quod pridem institutum illic non erar, monachorum regularem " congregarionem ab se cooititutam suisse, ur ibidem diebus ac noctibus Domino " Deo laudes offerant. quamobrem se ad stipendia ejusmodi *regularium monachorum*, " qui in illo sacratissimo templo deserviruri sunt, iosulam, quæ vocarur Palatiolum, " in qua idem monasterium consistit, conferre cum suis appendicibus, exceptis iis, " quæ vicino monasterio sancti Georgii martyris assignat. Denique statuir, ut post " mortem abbatis alter eligatur ex ipsa congregatione, qui semper *regulam monachorum* exercear, & a pontifice Ravennaris ecclesiæ ordinetur. In fine postulat, ut " ipsa congregario post marutinum officium & post rertiam pro ipso recitet psalmum " quinquagesimum, & triginta *Kyrie eleison* cum oratione pro peccatis: in die vero " depositioois suæ quolibet anno unusquisque presbyter tres missas pro ipso persolvat, " & singula psalteria: ceteri vero, qui psalterium sapuerinr, singula item psalteria. " Huic instrumento, quod in editis carer chronicis notis, subscribunt cum Johanne octo alii episcopi, qui forte ad Raveonensem synodum tuoc convenerant. Excisum est modo hoc Palatioli monasterium, uti & aliud Etruriæ, sed tamen retinet nomen sanctæ Mariæ * de Palariolo; nunc unitum Ravennati sancti Vitalis monaste-

[a] *V. lib.* 22. *n.* 29. *&c.*

[b] *Bullar Casin. to* 2. *p.* 37.

* *S. M. de Palazzuolo.*

rio, quod ab eodem Johanne archiepiscopo instauratum creditur, vigetque hactenus sub-congregatione Casinensi.

ANN. CHR. 899.
XXIV.
Caroli diplomata pro Elnone, Auriliaco, & Crassa.

INsequente anno Carolus Remis versabatur sub finem mensis Martii: quo forsan tempore Carolus (sic enim tradit Folquinus) coronatus a Fulcone est. Illic dum moraretur, ad petitionem ipsius Fulconis archiepiscopi omnes Elnonensis monasterii possessiones & immunitatem confirmavit; idque impetratum *mediante domno Hucbaldo monacho*, quem ad restituenda studia litterarum Fulco istuc accersiverat. *Data* XVI. *kalendas Aprilis, indictione* II. *anno* VII. *regnante Karolo serenissimo rege. Actum Remis civitate.* Heriveus notarius ad vicem Fulconis archiepiscopi & cancellarii recognovit. In hoc diplomate nondum usus est voce *redintegrante*, neque in subsequenti, nisi forte ab exscriptoribus omissa est. Alterum hoc præceptum » est regiæ defensionis pro monasterio Auriliacensi: quo in diplomate inluster vir ac » dilectus comes Geraldus suos legatos ac monachos ad regem direxisse dicitur, humillimis precibus postulans, *ut suum monasterium, quod est in pago Arvernico situm, cognomine Aureliacus, in honore apostolorum principis Petri, & beati Clementis fundatum, ubi præest abbas Adalgarius, una cum norma monachorum ibidem Deo famu-* » *lantium*, & res ejusdem monasterii sub immunitatis suæ tuitione suscipere dignare- » tur. cui petitioni rex assensit. *Data* IV. *nonas Junii* *, *indictione* II. *anno* VII. *regnante Karolo serenissimo rege. Datum apud Liturnum.* Heriveus notarius ad vicem Folconis archiepiscopi recognovit hoc præceptum, quod *Willelmus comes ambasciavit.* Ab eo tempore cœperunt archiepiscopi Remenses subinde cancellarii officio fungi. Hoc præceptum integrum edidit Dominicus a Jesu Carmelita in vita sancti Geraldi. Alterum consimile diploma regiæ tuitionis Durandus venerabilis abbas sanctæ Mariæ Urbionensis pro suo monasterio obtinuit. *Datum* itidem IIII. *nonas Junii, indictione* II. *anno* VII. *regnante Karolo serenissimo rege, & in successione Odonis* II. *Actum apud Liturnum.* Idem privilegium Witiza abbas ab eodem rege post novem annos renovari curavit.

* al. *Julii.*

XXV.
Sigefridus abbas Saviniaci.
a *V. lib.* 27. *n.* 90.

Saviniacensi agri Lugdunensis monasterio tunc præerat Sigefridus [a] abbas, qui *domno fratri Iterio* præstariam hoc anno fecit sub annuo censu de quibusdam rebus, quas Iterius ipse, forte Sigefridi germanus frater, eidem monasterio donaverat, hoc est de rebus, quæ in villa Vallis, in pago Lugdunensi, & *in agro Tarnatensi* sitæ erant; item in villa Tolon, & in alio loco, qui dicitur Villa. Subscribunt Segefridus humilis abbas, David & Leodegarius monachi. Egil monachus rogatus scripsit. *Data in die Jovis in mense Martio, anno* XII. *post obitum Caroli imperatoris.* Idem Sigefridus abbas anno DCCCC VII. subscripsit litteris Alwalæ archiepiscopi Lugdunensis de Mornanco, cujus ecclesiam Autcario presbytero atque canonico, qui ei *attitulatus ad presbyteratus officium erat*, cum suis appendicibus vindicavit. His litteris subscribunt post Alwalam episcopi quinque, Walo Æduensis, Adradus Cavillonensis, Geraldus Matisconensis, Argrimus Lingonensis, & Franco Genevensis; dein Segefridus abbas cum aliis sacerdotibus & diaconis. *Data per manum Audacii diaconi* VIII. *idus Aprilis, anno* VI. *Ludovici imperatoris*, id est *anno dominicæ incarnationis* DCCCC VII. ut in contextu legitur. Sigefridus annis viginti-quinque Saviniacum rexisse dicitur, & obiisse V. kalendas Aprilis.

XXVI.
Radbodus episcopus Trajecti.
b *li.* 37. *n.* 76.
c *V. lib.* 39. *n.* 83.

Regino auctor est, hoc anno, id est undenongentesimo, Odilbaldum, virum sanctum, Trajecti ad Rhenum episcopum, a rebus humanis ad cæleste munus transivisse: in cujus loco subrogatus sit Radbodus venerabilis antistes. Hic in palatinis scholis Caroli Calvi, dein Ludovici ejus filii sub Mannone [b] magistro institutus est, *non quod palatinos ambiret honores, sed quod intra regis palatium liberalium disciplinarum studia præclare colerentur.* Ejus condiscipuli fuere Stephanus & Mancio: quorum alter Tungrensem episcopatum, alter Catalaunensem [c] adeptus est. Dein Hugoni summæ dignitatis abbati, haud dubie Conradi comitis filio, adhæsisse dicitur. Mortuo Odilbaldo Trajecti inferioris episcopo, quem alii Egilboldum seu Egilbertum vocant, actum est de substituendo idoneo pastore; miraque cleri & populi consensione Radbodus omnium dignissimus censetur. Idem Arnulfi regis ac principum de eo judicium. Electioni suæ Radbodus demum obtemperans, *mutat habitum, angustam amplectitur viam, perfecteque regularis fit monachus.* Trajectinis quippe episcopis, saltem iis, qui religiosiores erant, nefas videbatur absque

monastica

ANN. CHR. 899.

monastica veste & professione præsidere illi ecclesiæ, in qua monachi ab initio exstiterant. Neque vero pius antistes *a carnium dumtaxat esu, sed ab omni ciborum voluptate abstinebat*, & biduanis triduanisque jejuniis animum pascens, corporis imbecillitatem naturæ necessariis, iisque vilissimis sustentabat alimentis. Mira ejus caritas erat in egenos, alienus a rerum cupiditate animus. Sic, contemto sæculo, cælestium solo amore fervebat. Is sermonem & carmen de sancto Suidberto episcopo & Frisiorum apostolo composuit.

XXVII. Regino Prumiensem abbatiam cedit Richario.

Hoc etiam anno Regino Prumiensis abbas, æque pius ac doctus, præfectura se abdicare coactus est, ut Richario, fratri Gerardi & Matfridi comitum, quorum magna tum erat apud Arnulfum regem auctoritas, eam cederet. Haud scio an Richarius Prumiensis monachus erat, quem ut ad altiora proveherent duo illi fratres, Reginonem, forte ob severiorem disciplinam quibusdam e suis invisum, his conspirantibus loco dejicere, & Richarium fratrem in ejus locum substituere statuerunt. Convenctus ab eis Arnulfus rex facile passus est se vinci, abbatiamque Reginoni ademit, ut Gerardo & Matfrido gratificaretur, quorum ope & auxilio in illa regni perturbatione indigebat. Rem ab origine in chronico se repetere ait Regino ipse, qui Richarium *invidiosum* sui *negotii successorem* vocat: sed postea modestiæ causa mutasse videtur sententiam, *ne forte injuriis provocatus*, ait ille ad hunc annum, *ultra quam christiana patientia permittit, persecutionis suæ causas exaggerasse videretur.* quod christianæ ejus patientiæ insigne argumentum est. Browerus [a] ait, Ratbodum Trevirensem archiepiscopum, instauranda æde sancti Martini, usum fuisse opera Reginonis abbatis, quem ipse monasterio, ob spectatam vitæ probitatem, primum illic rectorem dederit. Quamquam non in sancti Martini monasterio sepultus est, sed in sancti Maximini, ubi forsan supremos vitæ dies exegit.

a Annal. Trevir. to. 1. pag. 440.

XXVIII. Hatto abbas Laureshamensis.

Eodem tempore Adalbero Augustensis episcopus Laureshamensi abbatia sponte cessit, fratribusque eligendi abbatis pristinam facultatem ab Arnulfo imperatore restitui curavit. Attamen Hatto Moguntinus antistes *ordine dispensatorio* [b] per annos tredecim eamdem abbatiam tenuit, donec ipsis fratribus sub Conrado rege plenaria electionis libertas restituta est, electo Liuthero abbate, de quo inferius agemus. Neque modo abbatiam cessit Adalbero, sed etiam quoddam prædium, quod in pago Rhenensi ab Arnulfo acceperat, atque vicissim a fratribus precario recepit; parvam ecclesiam in ipso monasterio sitam, in qua reliquiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctæ Afræ martyris, & sancti Magni confessoris reconditæ erant, sibi reservans, cum mansiunculis hortisque adjunctis, *cumque duabus servilibus prebendis, & una monachica sibimet ipsi prebenda*, aliisque villis. Hattonis tempore matrona quædam illustris, Cuniguodis nomine, quasdam res proprietatis suæ sancto Nazario tradidit, easdemque a prædicto archiepiscopo & abbate cum aliis rebus sancti Nazarii, *de monasterio sanctimonialium, cognomento Rotaha, in precariam accepit.*

b Chron. to. 3. p. 502.

XXIX. Fabaria Salomoni episcopo tradita.

Paullo ante obitum Arnulfus imperator Fabariensem abbatiam, contra suorum antecessorum privilegia, Salomoni Constantiensi episcopo & abbati sancti Galli tradidit, eamque Salomon sancti Galli monasterio subjecit, ac per decanos deinceps administrari curavit. Horum primus Hesso res monasterii annis duodecim gessit, cui postea Enzelinus subrogatus. Sub eo Fabarienses, orta inter Cralonem abbatem & Sancti-Gallenses discordia, jus pristinum redintegrarunt, propriumque abbatem sibi elegerunt, ut suo loco dicturi sumus.

XXX. Leopardus Nonantulæ abbas.

In Italia Nonantulæ in agro Mutinensi ordinatus est hoc anno Leopardus [c] abbas post Landefredum, qui kalendis Aprilis obiisse perhibetur. Nonantulæ annos tredecim, menses tres, dies undecim Leopardus præfuisse dicitur, cujus tempore Hungarorum clades contigit, & incendium monasterii, quod ipse instauravit. Virum in litteris optime affectum fuisse probant aliquot veteres codices, quos monasterio suo comparavit. Vidimus Romæ in bibliotheca monasterii sanctæ Crucis in Jerusalem pervetustum codicem, excerpta ex Hieronymi commentario in psalmos continentem, qui fuit olim monasterii Nonantulensis *de acquisito domni Leopardi abbatis.* Obiit xii. kalendas Julii. Petrus ejus successor post annos tres & aliquot dies decessit kalendis Octobris. De eo, & de Gregorio ejus successore inferius.

c Ital. sac. to. 5. c. 478.

XXXI. Arnulfus imp. obit.

Sub finem hujus anni, id est iii. kalendas Decembris, Arnulfus imperator pedicolari morbo confectus interiit, sepultusque est in villa Odingis, teste Reginone,

ubi pater ejus Carlomannus humatus erat. Et tamen Arnolfus ex-comite monachus, Hermannus, & annalista Fuldensis, eum Ratisponæ ad sanctum Emmerammum sepultum fuisse tradunt. Veri simile est, quod Otto episcopus suspicatur, eum primo apud Odingas humatum, postea ad sanctum Emmerammum, quem in primis venerabatur, translatum fuisse.

ANN. CHR. 900.

XXXII. *Ludovicus filius ejus succedit.*

POstero anno nongentesimo ineunte Germaniæ proceres & optimates Ludovicum ejus filium septennem pro rege agnoscunt, & coronatum, regiisque indutum insignibus regali solio imponunt. Eumdem ad capessendum regnum Lotharii primores quique, Zuenteboldi vexationes perosi, certatim sollicitant, & in Theodonis-villa, manibus datis, ejus dominationi se subjiciunt. Erectus in æmulum Zuenteboldus, conserto prœlio, interficitur idibus Augusti. Exstat in archivo sancti Apri authenticum Ludovici regis diploma, quo ad preces HLudehelmi seu Ludelmi Tullensis episcopi, cum consilio Athonis seu Attonis Moguntini archiepiscopi & Conradi comitis, præcepta superiorum regum, præcipue Arnolfi genitoris sui, auctoritate regia confirmat, de abbatiis scilicet Christi confessorum Apri & Germani, quas Tullensi ecclesiæ denuo subjicit. *Data pridie kalendas Novembris, anno incarnationis dominicæ* DCCCC. *indictione* IIII. *anno vero domni HLudowici gloriosi regis* I. *Actum Strazsburg civitate.* ubi indictio quarta a Septembri iniri debet. Albricus notarius ad vicem Rathpoti archiepiscopi, summique cancellarii hoc præceptum recognovit. *(Ejus diploma de S. Apro.)*

Ludovicus Orbus imperator. Interim Ludovicus alter, Bosonis filius, cognomento Orbus, in Italiam a Berengarii æmulis invitatur, & Papiæ rex Langobardorum coronatur, anno insequenti a pontifice corona imperiali donatus.

XXXIII. *Romani pontifices.* Ad hunc etiam annum vulgo refertur mors Stephani papæ VI. qui in carcerem conjectus, ibique laqueo injecto strangulatus interiit kalendis Aprilis. In ejus locum sublectus Romanus ad paucos dies; eique suffectus Theodorus ad quatuor menses *haud plenos*, uti habet Frodoardus in carmine de Romanis pontificibus, a Formoso tamen ordinatos in gradum restituit. Hunc Johannes nonus eodem anno excepit, qui Stephani acta in Formosum abrogavit. Romani pontificatum hoc anno designunt duo [a] ejus diplomata mense Octobri data, unum Riculfo Helenensi, alterum Servo-Dei Gerundensi episcopis.

[a] *Marca Hisp. c. 833. & seq.*

XXXIV. *Ælfredo regi succedit Edwardus.* Tot hujus anni mortes Ælfredi occidentalium Saxonum regis obitus cumulavit, strenuissimi sane, religiosissimi, ac sapientissimi principis, qui decessit VII. kalendas Novembris, Wintoniæ in monasterio Novo sepultus, hoc est in ecclesia sancti Petri: ubi mausoleum ex porphyretico lapide ipsi erectum est. Librum de ejus vita scripsit Asserus Schireburnensis episcopus, ejus æqualis ac familiaris, cui centum marcas, pauperibus pro se & pro patre suo distribuendas, testamento legavit. Plegmundo archiepiscopo, atque Esno episcopo totidem relictæ. Summa quotidianæ [b] ejus vitæ hæc erat, ut, diviso in tres partes die, octo horas in scribendo, legendo & orando; octo in cura corporis, totidemque in explicandis regni negotiis transigeret. Ejus regnum obtinuit post eum Edwardus senior ipsius filius, tenuitque vigintitribus annis, litterarum scientia multo inferior patre, sed regni potestate gloriosior, quod longius prolatavit. Edwardo soror erat Ethelfleda, nupta Ethelredo duci Merciorum: quæ conjuge orbata, secundas nuptias respuit, se seque totam juvando consiliis fratri impendit. Hæc Glocestrense sancti Petri monasterium, quod olim virginum fuerat, de novo exstruxit cum viro suo Ethelredo, eoque ossa beati Oswaldi regis transferenda curavit: ubi & ipsa sepulta est. Verum idem monasterium, a Danis postea destructum, Aldredus archiepiscopus Eboracensis instauravir. *(Glocestriæ monasterium.)*

[b] *Vuillelm. Malmesb. lib. 2. de regib. Ang. c. 4.*

XXXV. *Fulconi archiepiscopo succedit Herivеus.* Invisus erat Balduino Calvo Flandrensi comiti F:lco Remorum antistes, tum quia ipsum de vexationibus ecclesiæ illatis corripuerat, tum quia sancti Vedasti abbatiam cum castro Atrebatensi, Carolo rege concedente, ei abstulerat, & Altmaro comiti pro abbatia sancti Medardi donaverat. Hæc alta mente reposita coquens Balduinus, sui ulciscendi locum & occasionem captabat. Hinc Winemarum, unum e satellitibus suis, ad Fulconem misit, ut eum de restituendis ablatis sollicitaret. Hic Fulconem in regia villa Compendio e comitatu redeuntem aggressus, ubi eum ad voluntatem flecti non posse animadvertit, gladio confossum impie trucidavit. quod decima-septima die Junii accidisse docet ejus epitaphium. Johannes Iperius addit

ANN. CHR. 900.

feria tertia, hora sexta. Corpus ejus Remos delatum, teste Frodoardo, atque in ecclesia beati Remigii sepultum est, ut tradit Iperius; non apud sanctum Audomarum, ut Molanus opinatur. Heriveus, qui Caroli regis notarius sub ipso Fulcone cancellario fuerat, in ejus sedem promotus est, futurus etiam post Anskericum Parisiensem episcopum cancellarius.

XXXVI. Balduino data S. Bertini abbatia. S. Bertini, S. Medardi, & S. Vedasti abbates.

Winemaro cum suis ob hanc necem diris addicto, Balduinus nihilo minus à Carolo, cujus consanguineus erat, abbatiam sancti Bertini extorsit, quam Fulco secunda vice ad mortem usque retinuerat. Hinc destructa loci res familiaris, collapsa regularis disciplina, quam Arnulfus Balduini filius, comes itidem & Sithiensis abbas, per sanctum Gerardum restituendam curavit. Abbatiam sancti Medardi post Fulconem obtinuit Heribertus primus Viromandorum comes, & post eum Heribertus secundus ejus filius: quo expulso, Rodulfus rex eam invasit, eoque mortuo, Heribertus denuo recepit, & post eum Heribertus tertius ad annum circiter ejus sæculi nonagesimum, quo Odolenus abbas regularis institutus est. Sub his invasoribus locum interim regebant decani. Apud sanctum Vedastum eadem fortuna. Post Althmarum siquidem, cui Fulco hanc abbatiam cessit, eam hereditario quasi jure obtinuit Adalelmus comes ejus filius, tum Arnulfus Flandrensis comes, aliique ejus generis usque ad beatum Richardum, qui huic loco pristinum splendorem restituit.

XXXVII. S. Winnoci translatio Bergas.

Idem Balduinus, firmato apud Bergas præsidio, corpus sancti Winnoci abbatis, quod ex Woromholtensi monasterio Audomaropolim ob grassantes Nortmannos delatum fuerat, ad ecclesiam sanctorum Martini & Winnoci, ab ipso Bergis ædificatam, transtulit: quo ex loco Woromholtum, quod non longe aberat, sollemni pompa quotannis deferri postea consuevit. Processu temporis, id est ante medium undecimum sæculum, conditum est Bergis haud ignobile sancti Winnoci monasterium, quod hactenus sub ordine Benedictino viget.

XXXVIII. Caroli literæ pro S. Andochio & S. Ebrulfo.

Augustoduni sub finem mensis Martii residebat Carolus rex: ubi, *dum* [a] *ex consuetudine loca sanctorum quadragesimali tempore causa orationis circumiret*, ventum est ad monasterium sanctæ Mariæ semper virginis & sancti Andochii, in ipsa urbe constructum: cujus loci sanctimoniales cum proprio suo episcopo Adalgario eum rogaverunt, ut superiorum regum de hoc parthenone præcepta renovaret, omnesque ejus loci possessiones confirmaret. quod exsecutus est princeps *pridie kalendas Aprilis, indictione* III. *anno octavo regnante Karolo gloriosissimo rege.*

[a] *Labbe recueil p.* 373.

Idem rex in Floriacensi sancti Benedicti monasterio versabatur pridie kalendas Novembris, cum ipsum adierunt genitrix ejus Adelais & dilectus comes Hugo consanguineus, necnon & illustris comes Ecfridus, ut sacris canonicis ex monasterio sancti Petri, in quo sanctus Ebrulfus corpore quiescit, sito apud Uticum in comitatu Oximensi, præceptum concedere dignaretur, quo villæ & possessiones a fidelibus eidem monasterio collatæ confirmarentur. quod princeps ratum esse jussit. *Datum pridie kalendas Novembris, indictione* III. *anno octavo regnante domno Karolo gloriosissimo rege, redintegrante tertio. Actum monasterio sancti Benedicti.* Herluinus notarius ad vicem Anskerici hoc diploma recognovit. Erant ergo tunc canonici in Uticensi sancti Ebrulfi monasterio: ubi postea monachi restituti sunt. Hoc diploma cum Rodbertus Uticensis abbas Aurelianis invenisset, illud per Goscelinum monachum, scriptorem egregium, celeriter transscribi curavit, & ad notitiam posterorum Uticensibus monachis misit tempore Philippi regis, eo nomine primi.

XXXIX. Betto S. Columbæ monasterium munit ornatque.

Apud Senonas *hoc anno*, ut verbis antiqui chronographi utar, VIII. *kalendas Junii, feria sexta, jacta sunt fundamenta muri circa monasterium domnæ Columbæ a Bettone ejusdem loci præposito.* Ita in veterrimo codice, olim bibliothecæ Christinæ reginæ Sueciæ, nunc Ottobonianæ. Quamquam hoc anno octavus dies ante kalendas Julii in Dominicam incidebat. Idem fere habet, at sine chronicis notis, Clarius monachus, qui Betbonem præpositum & monachum vocat. Rectius Betto nuncupatur in actis episcoporum Autisiodorensium, ubi multa de eo referuntur præclare gesta, cum in præposituræ officio, tum in episcopatu Autisiodorensi, quem post Gerannum perquam laudabiliter rexit. Erat is Senonicæ urbis indigena, patre Alberico, eoque Burgundione, matre Angela Francigena procreatus, qui a puero sanctæ Columbæ monachus, monasticis institutis & liberalibus artibus apprime imbutus, tempore Evrardi præpositi ejusdem monasterii,

ANN. CHR. 900.

dein archiepiscopi Senonensis, cujus consanguineus erat, abbas cœnobii sancti Heraclii Autisiodorensis cooptatur. qui locus est modo canonicorum regularium sancti Augustini sub titulo sancti Johannis Evangelistæ. Inde ad propria revocatus, monasterii sanctæ Columbæ fratrum suffragiis *prælatus*, id est præpositus, *efficitur*. quo munere cum diu fungeretur, hoc illi in primis studium fuit, ut *operosis cœnobium illud excoleret ædificiis, ecclesiæque fabricam auri argentique decoraret ornamentis*. Turrim siquidem in medio templi præeminentem, quæ tegumento carebat, nec satis excelsa videbatur, altius extulit, testudine texit, & firmitatis gratia arcubus prioribus alios supposuit, marmoreis columnis subnixos. Ad hæc exedras beati Lupi confessoris, & sanctæ Columbæ virginis & martyris bracteis aureis & argenteis affabre sculptis adornavit: nonnulla quoque vestimentorum peregrina ornamenta, quæ monachi in diebus sollemnibus induerent, fieri curavit. Denique, ut locum adversus paganorum assultus tutum & inviolabilem præstaret, accepta Richardi magni principis & ejusdem loci abbatis facultate, in gyro monasterii mœnia cum turribus & propugnaculis fundare aggressus est. quod opus indefesso studio absolvisset, nisi ad Autisiodorensem episcopatum electus imperfectum relinquere coactus fuisset.

XL. Rodulfus abbas Bellilocі. a V. lib. 35. n. 56.

Sub hunc annum Garulfo seu Gairulfo Bellilocensi apud Lemovices abbati primo [a] successit Rodulfus, cujus prima occurrit mentio in charta cujusdam matronæ, cui nomen Alpaïs, quæ una cum filiis suis quosdam mansos in villa pagi Torinensis Viæmo donat Bellilocensi monasterio, cui tum venerabilis Rodulfus præerat, pro anima *senioris*, id est conjugis, quondam sui Agelberti, filiorumque suorum. Actum in mense Martio, *anno nono quo Carolus rex cœpit regnare*. Rodulfi præfectura pervenit usque ad annum primum Rodulfi regis.

XLI. Novientenses & Mauri-monasterii abbates. b V. lib. 38. n. 38.

In Alsatia Novientense seu Ebersheimense monasterium post Hartmannum [b] abbatem administravit Eggchardus abbas, regnante Ludovico Arnulfi imperatoris filio. quo tempore Altmannus quidam cum uxore sua Winechilda, ex nobili Germanorum stirpe progenita, prædium quoddam in villa pagi Alsatiensis, vocabulo *Widenesheim*, sita inter Illam fluvium & Rhenum, sancto Mauricio monasterii patrono ad sustentationem fratrum largitus est, cum ecclesia ejusdem loci ac decimis. quam donationem Ludovicus rex suo diplomate confirmavit. In proximo Mauri-monasterio electus dicitur hoc anno post Andream Wendelinus abbas, cui annos regiminis tantum quinque tribuunt domestici abbatum indices.

XLII. Corbeiæ novæ abbates. c lib. 39. n. 53. d Annal. Paderbon. p. 136.

Exauctoratus est hoc item anno Godescalcus Corbeiæ-novæ abbas post annos decem præfecturæ, ob solutiorem, ut superius [c] vidimus, regularis vitæ disciplinam. Is in chronico ejus loci pridie idus Januarii obiisse dicitur. Subrogatus in ejus dignitatem Bovo junior, annos sexdecim eam tenuit. quibus exactis, mortuus est kalendis Julii. Hoc ipso anno Bovo junior privilegia [d] monasterii sui a Ludovico rege, filio Arnulfi, renovari & confirmari curavit, dato diplomate apud Triburias IV. iduum Octobrium, regni ejus anno primo.

XLIII. Ambrosianæ basilicæ abbates.

Mediolani in basilica Ambrosiana regimen tenuit ad hunc annum Petrus abbas, mortuus pridie idus Octobris post annos præfecturæ unum & quadraginta. Qualis, quantusve fuerit, docet sequens ejus epitaphium, in quo *alter Benedictus* vocatur.

Hic sibi constructa tumulatur Petrus in urna,
Quem monachis patrem munus herile dedit.
Fratribus hic requies, cibus & solamen egenis:
Alter hic, ut patuit, nam Benedictus erat.
Templa, domos, vites, oleas, pomeria struxit:
Auxit thesauros, conduplicavit agros.
Quem merita fratres sortiri præmia vitæ
Implorent precibus. annuat Trina salus.

Obiit vero anno incarnationis Domini nongentesimo, pridie idus Octubris, indictione tertia. In regimine autem præfuit annos quadraginta & unum, mensem unum, dies quindecim.

Successor ejus Aripaldus, & post eum Regimbertus anno nongentesimo decimo: quem anno insequenti Sigefredus excepit, & post quatuor annos Wido, omnes

nulla re gesta memorabiles. Neque insignior Landulfi & Lamberti abbatum memoria: quos Altulfus subsecutus est. Lamberti antecessorem Puricellus Aupaldum vocat, quem ab Aripaldo alium non esse haud dubito.

XLIV. Grimlaici regula solitariorum.

Florebat hoc tempore Grimlaïcus sacerdos, de quo ad episcopatum promovendo scripsit ad Fulconem[a] archiepiscopum Formosus papa, qui eum dilectum filium suum vocat. Haud scio an is fuerit Grimlaïcus ille presbyter, qui regulam Solitariorum composuit, an Grimlaïcus venerabilis ille sacerdos, cui hæc regula nuncupata est. Regulæ scriptor monachum se non semel indicat, ut in capite XXIII. ubi solitariorum professionem *nostram* vocat: alter vero vitæ monasticæ erat expers, sed tamen ejus studiosus, quippe qui auctorem illum ad scribendam regulam solitariorum impulit. *Non enim*, ait ille in prologo, *tam sollicite mihi hanc regulam scribere injungeretis, nisi eam diligeretis, & nisi ad propositum vitæ solitariæ quandoque venire voluissetis.* Vivebat auctor ille post synodum Aquisgranensem anno DCCCXVI. habitam, in qua scripta est regula canonicorum, quam ipse laudat in capite XLI. Porro hanc regulam contexuit maxima ex parte ex regula sancti Benedicti, cujus ipse verba passim affert; nomen[b] sæpe, non tamen semper, in contextu laudat. Solitariorum nomine reclusos intelligit, qui olim non rari in monasteriis nostris erant, immo & reclusæ. Ejusmodi solitariorum institutum in illa regula sic fere præscribitur. In eorum numerum passim admittebantur tantum ii, qui in vita cœnobitica exercitati erant, omnino ad mentem sancti Benedicti in regulæ suæ capite I. Hæc reclusio[c] non fiebat *sine licentia episcopi, aut abbatis proprii, atque omnium fratrum ejusdem monasterii, in quo idem frater recludendus educatus* fuerat; nec nisi in ipsis *cænobiorum congregationibus*, non autem in villis, aut in aliis campestribus locis, nisi forte quis more antiquorum patrum ad eremum secedere voluisset. Accepta episcopi vel abbatis facultate, recludendus unum annum, si jam monachus esset; aut duos[d] annos, si nondum monachus, habitabat inter fratres, ut extra claustra numquam exiret, sed tantum in ecclesiam. Post annuam probationem coram episcopo & toto clero in oratorio de stabilitate sua & morum conversione promissionem faciebat. Post ejus ingressum in cellulam reclusionis, episcopus ostium cellulæ sigillo suo consignabat. Hæc cellula[e] exigua erat, & firmissimis undique munitionibus circumsæpta, nec cuiquam in eam aditus patebat. Si reclusus sacerdos esset, habebat intus oratorium ab episcopo consecratum, & quidem domui ecclesiæ contiguum, ut idem solitarius per fenestram ejusdem oratorii, ad quam appensa erant vela, posset ad missas per manus sacerdotum oblationes offerre, atque cantantes & legentes fratres audire. Eidem cellulæ adhærebat hortulus, in quo olera plantare & colligere, & aëris usu frui posset. Non minus quam duo vel tres reclusi in monasterio esse debebant, singuli tamen in singulis cellulis, quæ sie contiguæ erant, ut alter alterum per fenestram alloqui posset. Ad mensam pauperes & peregrinos, atque eorum defectu quosdam e fratribus admittere eis licebat. Ad refectionem[f] quotidianam libra una propensa; pulmenta duo cocta ipsis, ut ceteris fratribus, concessa: quibus addi poterat & tertium, si poma vel nascentia leguminum tunc fuissent. Cibaria eorum erant olera & legumina, aliquando caseus & ova; interdum pisciculi, qui pro summis deliciis habebantur. Quod attinet ad potum, *eamdem*[g] *mensuram potus, quam sanctus Benedictus constituit monachis*, Grimlaïcus solitariis indulsit. Infirmi carnibus vesci poterant. Eorum cellulæ[h] infirmitatis tempore sub sigillo minime clausæ erant, ut a fratribus visitari possent. Vestes[i] omnibus ad præscriptum regulæ sancti Benedicti concessæ, siquidem proposito monastico addicti essent; si nondum professi, cucullas non induebant, sed cappas. Ad hæc pelliceam unam vestem & duas stamineas habebant, & duo femoralia, quorum usus eis permissus, maxime his, qui ministerio altaris applicati erant. Comam & barbam[k] eis nutrire illicitum: sed tamen rarius quam monachi, id est quadragesimo quoque die, barbam radere, & capillos tondere poterant, præcipue illi, qui sacra mysteria contrectabant. Unicuique unum, aut duos, vel, ut plurimum tres discipulos habere licebat. Cetera prætereo.

XLV. Jejunia triduana olim indicta.

Non raro per hoc sæculum indicta sunt tum ab episcopis[l], tum a regibus ipsis triduana jejunia: sed quo ritu hæc jejunia peragerentur, nusquam accuratius legi, quam in una epistola cujusdam episcopi, quæ inter Formulas Alsaticas editionis regiæ octava-decima est. In hac epistola notum facit episcopus a dominis suis

[a] Frod. lib. 4. c. 2.
[b] Grimlaïc. cap. 42. 45. 53. 55.
[c] ibid. c. 15.
[d] ibid. c. 15.
[e] ibid. c. 16. & 17.
[f] ibid. c. 43.
[g] ibid. c. 45.
[h] cap. 48.
[i] cap. 49.
[k] cap. 51.
[l] V. lib. 39. n. 32.

AN. CHR. 900.

» regibus triduanum indictum esse jejunium, quod hoc modo fieri debeat; XIV. &
» XIII. Kal. Junii, necnon XII. Kal. ejusdem mensis. In primis pura confessione &
» pace præmissa, jejunent omnes usque ad nonam, exceptis iis qui præ infirmitate
» vel ætate non possunt. Tum unanimes, contrito corde accedant ad ecclesiam,
» & sequantur crucem cum litania, cinere adspersi, & ciliciis aut saltem laneis
» vestibus induti ad corpus. Pauperibus ipsa sua peouria pro afflictatione sufficiat.
» Excalceati omnes missam in commune auscultent cum metu & reverentia. Pres-
» byteri singulis illis diebus missam cantent. ceteri clerici & laïci quinquaginta
» psalmos recitent. Ad hæc pane sicco alantur omnes, & crudis oleribus cum sale
» atque pomis, & uno vasculo seu poculo de cervisia refocillentur. Cunctis omni-
» no a carnibus & pinguedine, & omni quod ex lacte conficitur, abstinendum.
» Pisces & ova præter infirmitatem nemo præsumat, aut vinum, aut quidquid mel-
» le conditum est. Denique, quod unusquisque sibi subtrahit, egenis tribuat. Eadem fere præscribit Lullus Moguntinus in Bonifaciana epistola LXII. Hoc specimen triduani illius jejunii longe dissimile est a nostris moribus, quibus si quid a Deo postulandum est, si flectenda Dei misericordia, una nobis præscribitur supplicatio ad sanctissimum Sacramentum; &, si quid jejunii superadditur, ad dies quadragesimales vel ad præcepta aliunde jejunia (ea est nostra mollities) id amandare coguntur ecclesiæ pastores.

In rebus lætis & prosperis preces & eleemosynas absque jejunio indici mos erat. Sic rex Pippinus, cum Deus magnam terræ fructuum abundantiam tribulationi succedere fecisset, Lullo episcopo [a] mox laudato scribit, ut in gratiarum actionem unusquisque episcoporum, absque jejunio indicto, in sua parochia litanias faciat; & omnes eleemosynas faciant, & pauperes pascant: ita ut quilibet homo suam decimam donet.

[a] Bonif. ep. 96.

XLVI. Buchaugiensis parthenonis initia.

Sub finem hujus sæculi noni conditum est in Alamanniæ pago *Erichgewe* Buchaugiense virginum cœnobium ab Adellinda comitissa, uxore Atonis comitis, in honorem sanctorum martyrum Cornelii & Cypriani; eique præfecta prima abbatissa ejusdem Adellindæ filia æquivoca. Erichgewe seu Erigove* nunc decanatus caput est in diœcesi Constantiensi: sed nullum in eo hujus parthenonis vestigium invenio, cujus notitiam ab Hermanno accepimus, qui de eo ex occasione a-
» gens anno sequenti, ait Beringerum, Reginolfum, & Gerhardum, nobiles ger-
» manos fratres, filios Atonis comitis & Adellindæ, *non longe a Buchaugiensi* * *cœ-*
» *nobio virginum*, in pago Alamanniæ Erichgewe, *a matre per ipsum tempus studio-*
» *se in honorem sancti Cornelii & sancti Cypriani martyrum constructo*, cum sororem vir-
» ginem nuptum tradere molientes, clam inde abducerent, ab inimicis circumven-
» tos & occisos fuisse, & a matre sua apud ipsum cœnobium sepultos, ubi etiam ip-
» sa, postquam Jerosolymam, aliaque loca sancta causa orationis adiit, & rediit, di-
» vinis intenta servitiis, & animarum inhians lucris, transacta feliciter vita, condi-
» ta est, *ipsa filia æquivoca sua abbatissa inibi constituta*. ut legitur in codice Villingensi, in quo cœnobium istud *Buchaugiense* dicitur, non *Duchaugiense*, ut in editis Canisianis. Non dubito quin ipsum sit *Buchowa* cœnobium puellare, in quo sanctus Udalricus Augustæ-Vindelicorum antistes sororem suam collocaverat: ubi, post lapsum ab ipso severius punita, demum *sanctorum exemplorum femina* sanctimonialis visa est, testante [b] Ekkehardo.

* Elgovv.

* al. Duchaugiensi.

[b] Gold. tt. I. p. 67.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

SÆCULUM CHRISTI X. ORDINIS V.

LIBER QUADRAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 901. ad annum 915.

ANN. CHR. 901.

I. Sæculi X. status.

INGREDIMUR ferreum illud & infaustum sæculum, æræ Christianæ decimum, Ordinis nostri quintum, quo certe nullum fœdius ac luctuosius in toto ecclesiasticæ historiæ decursu occurrit. Tunc invasere in ecclesiam insolita antehac flagitia & crimina, luxuria, ambitio, cædes, tyrannis, & quidvis audendi & agendi licentia; atque inde consecuta ignorantia, ut errorum, sic criminum parens. Laboravit hoc morbo in primis Romana ecclesia, quæ, cum præclaros antea pontifices, plerosque bonos habuisset; tunc ab indignis successoribus conspurcata fuit. nam præter Stephanum VIII. Leonem VII. & Agapitum II. paucosque alios istius sæculi haud malos pontifices, ceteri omnes tam sancta sede omnino indigni, quædam potius monstra & belluæ, quam episcopi exstitere. Id potissimum accidit ex distractione occidentalis imperii, quod ubi varii tyranni potius quam imperatores occupare moliuntur, faventes suis quisque partibus pontifices per cædes & flagitia in summam imperii arcem intruserunt. Hoc imperatorum, hoc Tusciæ maxime comitum, qui summam potestatem affectabant, scelus fuit. Non tamen ita generalis fuit hæc labes, quin multi in aliis ecclesiis effulserint præsules, qui nutantem ecclesiæ statum vitæ sanctitate atque eruditione fulcirent; plerique ex nostro (absit verbo jactantia) Ordine: quales haud pauci in Gallia, in Germania, in Anglia; nonnulli etiam in Italia & in Hispania in decursu horum annalium nobis occurrent, qui sæculo malo, boni esse ausi sunt.

Ordinis quoque monastici.

Neque vero ab hac communi labe penitus immunis fuit monastica religio. quod maxime accidit tum ex superiorum temporum funestis bellis ac procellis, tum ex abbatum sæcularium ac laïcorum culpa, qui, bonis monasteriorum in suos usus conversis, nihil pæne reliqui, quo monachi miserabilem vitam traherent, dimittebant. Verum brevi adfuit Dei miserantis providentia, quæ congregationem Cluniacensem ineunte hoc sæculo excitavit, ex qua monasticæ disciplinæ, ne dicam etiam ecclesiasticæ, splendor in plerisque locis sensim restitutus est. Ad id vero plurimum contulere Trosleiani concilii patres anno ejus sæculi nono habiti, qui florentem hanc ecclesiæ portionem jacere gravate ferentes,

ANN. CHR. 901.

multa præclare ad eam instaurandam constituerunt. Ingemiscunt illi dolentque, quod *in monasteriis Deo dicatis monachorum, canonicorum & sanctimonialium, abbates laici cum suis uxoribus, filiis & filiabus, cum militibus & canibus morarentur.* Et quis inter hæc religioni locus? Inter alia vero quæ medendo huic malo remedia suggerunt patres, primum & fere unicum est restitutio abbatum regularium. nam *quo modo aurum sine aurifice in pristinum & optimum non potest reformari colorem: sic & monastica vita sine regularis abbatis providentia ad pristinum atque optimum vivendi nequit reformari ordinem.* Verum hæc in præfatione sæculi quinti Actorum nostrorum abunde tractata, hic repetere omnia non juvat, quippe quæ deinceps suo quæque tempore in his annalibus commemorabimus, brevius certe ac parcius quam in superioribus, utpote veteribus rerum scriptoribus pæne destituti.

II. Hungarorũ primæ clades.

Nondum omnino deferbuerat Normannicus furor, cum nova gens, non minus sæva quam barbara, in Europam debacchari cœpit. Hi fuere Hungari, qui ex Scythia, Carolo Crasso imperante, profecti, Pannoniam victis pulsisque Hunnis occupaverant, cui provinciæ nomen Hungariæ ab eis postmodum accessit. Agrestibus illi moribus ac ferinis prædit, ad solam belli diritatem formati videbantur. Matres infantium suorum, ubi primum nati erant, faciem cædere solitæ, ut eos ad dolorum patientiam a puero assuefacerent. Carnibus crudis vescebantur, sanguinem ipsum potabant. Ceterum ingenia crudelia, tumida, seditiosa; nihil in eis veri, nihil sinceri; fraus & perfidia omnia. In feminis eadem ferocitas atque in viris. In bello sagittis potius, quam gladio utebantur, quas tanta dexteritate jaculabantur, ut earum ictus nulla industria vitari possent, fugiendo quam resistendo magis terribiles. Primus hanc barbaram gentem Arnulfus biennio ante obitum ad debellandos Marahenses seu Moravos accersiverat: quæ rapinis ac spoliis inde relatis inescata, dein cum Ludovico rege Arnulfi filio ad Augustam-Vindelicorum congressa, ejus exercitum penitus prostravit, ac Bajoariorum inde, Suevorum, Francorum orientalium, ac Saxonum fines rapinis atque incendiis pervastavit. His rebus elati, consilia de invadenda Italia barbari agitant; ejusque amœnitate & fertilitate ex suorum relatu accepta, totam hiemem in apparatu armorum & exercitatione militum transigunt. Demum hoc anno Langobardorum fines ingressi, cædibus, incendiis, ac rapinis cuncta devastant, nec ipsis episcopis parcunt: quos inter Liudwardus episcopus Vercellensis, Caroli Crassi quondam familiarissimus, assumtis, quibus plurimum abundabat, opibus ac thesauris fugiens in eos incidit, rebusque omnibus spoliatus crudelissime interficitur.

III. Lucedium Vercellensi ecclesiæ unitum.

a *Ital. sac. to. 3. c. 1060.*

Sebastianus, ejus in sede Vercellensi successor, abbatiam sancti Michaëlis de Lucedio a Berengario rege obtinuisse dicitur [a] ad augendam ditandamque sibi creditam ecclesiam. quæ res ipsum inter atque Garibaldum Novariensem episcopum seges magnarum litium fuit: sed tandem Sebastianus causa superior evicit, Berengarii ostenso diplomate, dato Papiæ anno DCCCCI. & quidem octavo idus Julii, indictione IV. anno ejusdem regis XIII. Exstat hæc abbatia, olim celebris, in diœcesi Vercellensi, inter Padum & Duriam posita, primum quidem sancto Michaëli sacra, dein sancto Januario martyri, cujus corpus istuc allatum traditur. De ejus origine non satis explorata notitia. Augustinus ab Ecclesia [b] ejus primordia refert ad initia sæculi octavi, eaque Flavio Ariperto Langobardorum regi tribuit. Fallitur Sigonius, qui ea differt ad initia sæculi undecimi. Hæc abbatia, olim nigrorum monachorum, postea Cisterciensium, nunc ad paucos sæculares clericos redacta est.

b *Chronol. Pedem. p. 287.*

IV. Nonantulæ incendium.

c *Ital. sac. to. 2. c. 254. & Sæc. 5. p. 234.*

Sævit hæc procella Hungarorum usque ad agrum Mutinensem, ubi Nonantulanum [c] monasterium incendio consumtum, plerique monachi cæsi, codices flammis combusti, cetera denique ornamenta ab eis direpta. Evasit ex illa clade immunis Leopardus abbas cum aliquot monachis, qui e latebris suis recollecti, monasterium instaurarunt, & ecclesiam, ad cujus consecrationem Sergius papa tres pro libitu episcopos Leopardo abbati designavit. Si non fallunt notæ chronicæ apud Ughellum, ista Hungarorum incursatio contigit sub finem Septembris anni undenongentesimi: at potior videtur fides Reginonis ejus temporis æqualis, qui eam differt ad hunc annum. Eadem tempestate correptum est monasterium sanctæ Crucis

ANN CHR. 901.

cis & sanctæ Fuscæ, prope Tarvisium situm, eidemque Nonantulæ subjectum, cujus abbas Petrus post annos decem illud monasterium restruxit. In syllabo Nonantulæ abbatum aliud incendium accidisse dicitur Berengarii augusti anno tertio, indictione VII. die septima intrante mense Martio, quo tempore ex incuria totum Nonantulæ monasterium combustum est; Parma quoque civitas igne cremara. Sigonius laudat diploma Ludovici imperatoris, Nonantulæ concessum, quo rata esse omnia jubet, quæ eidem monasterio a superioribus regibus donata fuerant. quod rescriptum datum est Papiæ kalendis Juliis hoc anno, regni ejus in Italia primo. Post Nonantulæ instaurationem Leopardus abbas etiam animum adjecit reparandæ bibliothecæ, cujus codices in prædicto incendio flammis absumti fuerant.

V. Coronatæ abbatia Comensi unita ecclesiæ.

In diœcesi Mediolanensi posita erat olim abbatia sancti Georgii, alias Coronatæ dicta, quæ hoc anno Comensi ecclesiæ unita est, agente Liutwardo episcopo, qui præceptum [a] hac de re ab Ludovico tertio imperatore obtinuit, interventu " Garibaldi Novariensis præsulis & Sigefridi marchionis, precatus, ut abbatiam " quæ Coronatæ nominatur, in honorem sancti Georgii constructam, & prope flu- " vium Abduam * sitam, Comensi ecclesiæ, in honorem sancti Abundii episcopi & " confessoris sacratæ, largiretur. Id factum Papiæ VII. idus Decembris, hoc anno, " Ludovici imperatoris primo, indictione quarta. Arnulfus cancellarius hoc diploma recognovit ad vicem Liutwardi episcopi & archicancellarii. Is ipse est Liutwardus episcopus Comensis, quem alii mendose Liuardum seu Lutardum vocant, de quo hoc lego in libello de fratribus conscriptis sancti Galli: VIII. *kal. Julii obitus Liuthwardi Cumani episcopi, cui domnus Salomon episcopus & cuncta congregatio sancti Galli orationes concesserunt, quales pro semetipsis agere consueverunt.* Ex præmisso diplomate intelligimus, cathedralem ecclesiam Comensem olim titulo sancti Abundii insignitam fuisse, quæ sita erat extra muros urbis, erecta in abbatiam nostri ordinis sub initium undecimi sæculi ab Alberico episcopo; dein tradita Cisterciensibus, qui inde ejecti fuere sub finem sæculi quinti-decimi, abbatia in commendam, ut vocant, data.

S. Abundii abbatia.

VI. S. Remigii in suam basilicam relatio.

In Belgica secunda Heriveus Remorum antistes, sumta de Fulconis antecessoris sui parricidis ultione, corpus sancti Remigii e cathedrali ecclesia, ubi Fulco illud Orbaco relatum ad tempus reposuerat, ad propriam sanctissimi pontificis basilicam revehere constituit. Hiems erat, & ad celebrandum Christi natalem rex Carolus, Richardus Burgundiæ dux, aliique proceres Remos convenerant. Indicta die post festum Innocentium, viis ex recenti glacie opportune congelatis, sicco vestigio processum est. In ipso itinere claudus quidam, Abraham nomine, qui scamellulis innitens humi repebat, ad sacri loculi accessum, compagum duritie divinitus resoluta, cœpit incolumis ac erectus incedere. Eo in loco tunc temporis crux lapidea erecta, quæ hactenus in vico, quem sancti Dionysii vocant, perstat in tanti beneficii monumentum: cujus suppedaneo hæc inscriptio, auctore Sigloardo monacho, insculpta legitur. *Nongenteno primo anno incarnati Domini, sub quarto kalendas Januarii, secundaque sabbati, glorioso ab hac urbe delato corpore domini nostri ac patroni beati Remigii, cum honore dignitatu utriusque ordinis concurrebat plebs devote Heriveo præsuli, Carolo rege subsequente cum Richardo principe, Christo laudes una mente jubilando consone. Cum fuisset huc perlatum pignus sanctissimum, cælitus virtute lapsa ilico prosiliit, mirum dictu! quidam claudus directis poplitibus, novo gressu abhinc suum prosequens Remedium, cujus ope adjuvemur hic & in perpetuum.*

Sancte, tui Sigloardi miserere monachi,
Qui ductus amore istius patrati miraculi,
Ob istius monimentum hunc erexit titulum.

Alius videtur fuisse Sigloardus [b] archipresbyter, & scholæ Remensis præfectus sub Hincmaro, ejusdemque vicarius, laudatus non semel in ejus epistolis [c] apud Frodoardum, ubi inter alia Hincmarus ei scribit de quodam presbytero ecclesiæ sancti Juliani, qui lampadem sancti Remigii furatus erat. Quod attinet ad annum, quo hæc relatio facta est; Sigloardus novum annum, ut tum fiebat non raro, inchoat ab octavo kalendas Januarii, id est a natali Domini. adeoque secundum nostrum

a Ital. sac. to. 5. col. 256.
* Adde.
b V. lib. 38. n. 51.
c Frod. lib. 3. c. 28.

calculum hæc relatio contigit sub finem anni nongentesimi, quo feria secunda in quartum kalendas Januarii coincidebat. Non ergo semper Galli tunc temporis novi anni initium a paschate desumebant.

Id luculenter probat charta oblationis cujusdam pueri, hoc anno factæ in monasterio Remigiano, id est *anno incarnationis dominicæ* DCCCC I. *nonis Aprilis, feria* I. *die palmarum*. quæ notæ pro nostro calculo ante pascha optime huic anno respondent. Warnerio nomen puero erat, quem Teutboldus pater sollemni more, altaris palla manu sua involuta, Deo ad nomen sancti Remigii obtulit. Chartæ oblationis subscribunt post Teutboldum Warnerius ipse, Jutlia mater ejus, & Teutboldus frater cum aliis. Eodem anno XV. *kalend. Novembris, feria* I. *indictione* IIII. Grimoldus quidam filium suum ibidem obtulit. Chartæ oblationis apponitur *signum Engela ejus matris, signum Ainardi*, haud scio an pueri, cujus nomen in contextu chartæ abscissum est. Anno insequente Gerbertus quidam itidem in eodem loco filium suum, Othertum nomine, obtulit, consentiente ac subscribente Gundrada ejus uxore, *anno incarnationis Domini* DCCCC II. *pridie kalendas Novembris, feria* I. *indictione* V.

VII. S. Benigno factæ donationes.

Post Walonem [a] abbatem Divionensis sancti Benigni monasterii locum rexit » Lanterius, cujus tempore Ademarus vir nobilis, & uxor ipsius Lampagia, capel» lam [b] suam mobilem & specialem cum reliquiis sanctorum, crucibusque, tam au» reis, quam argenteis, & capsis, variisque ornamentis, necnon mansum unum in » villa Ruffiaco, & ecclesiam sancti Gregorii in villa Escoriaco sitam, contulere *sacro-sancto monasterio ecclesiæ sancti Benigni, quod est constructum in pago Divionensi, juxta ipsos muros Divionis castri, ubi ipse venerabilis martyr in corpore requiescit, & ubi Lanterius abba una cum congregatione monachorum Deo servire, & ipsum pretiosum corpus, aliaque corpora sanctorum venerari & custodire videntur. Actum Divione castello publice, die veneris in mense Madio, indictione* IV. *anno* IV. *regnante Karolo rege*, scilicet post obitum Odonis. Subscribunt litteris Ademari & uxoris ejus Lampagiæ Eltrannus nepos Ademari, & Rotbertus frater ejus; Gislebertus vicecomes, & alii. Aliam Lampagiæ donationem inferius referemus.

a V. lib. 37. n. 90.

b Perard. p. 160.

Converforum donationes.

Eodem Lanterio abbate venit [c] ad conversionem quidam honorabilis vir, nomine Berengerius, resque suas eidem monasterio donavit. Idem fecere Hildemodus canonicus & Arico presbyter, venientes ad monasticam conversationem; item Adalreus quidam, qui simili devotione hunc locum adiit. Insuper Gotzelinus *canonicus & abbas sanctæ Lingonensis ecclesiæ* dedit in eadem civitate mansum unum juxta ecclesiam sancti Desiderii. Tempore Lanterii *abbatis, qui multum laboravit in vinea Domini*, ut legitur in actis sancti Urbani episcopi Lingonensis, ejusdem antistitis reliquiæ a monachis Benignianis Surdiliacum & Lariacum delatæ sunt contra pervasores monasterii vinearum. Cessere ad sacri loculi præsentiam invasores: at cum absque debita reverentia sacræ reliquiæ tractarentur, ac sæpe sub divo noctu & interdiu jacerent; cælitus admonitus abbas, quantocius beato pontifici autumnale oratorium construendum curavit, dum ad sancti Johannis ecclesiam, ubi quiescere solitus erat, referretur. Inter ejusmodi pervasores memorantur Richardus Vesolensis, & Wilencus Saliciensis, qui in vicinia Divionensis pagi manebant, vineis monachorum, quæ Marcenniaci & Cannabis sitæ erant, infesti.

c Spicil. to. I. p. 423.

VIII. S. Medardi translatio Divionem, an vera.

Ad hunc annum revocant Divionenses translationem, quam factam credunt, corporis sancti Medardi episcopi ex urbe Suessionica Divionem, ubi in ecclesia sancti Stephani primo repositum aïunt, dum propria eidem sancto ecclesia in eadem urbe condita est. Id contigisse tradit sancti Stephani necrologium, a V. C. Fyoto [d] relatum in historia ejus ecclesiæ *anno dominicæ incarnationis nongentesimo-primo, indictione quarta, in mense Maio, sub Benedicto divina providentia papa quarto, regnante vero in Galliis Karolo, cognomento Simplice*. Rem sic commemorant. Marcomannis late Galliam fere totam incendio, rapina ac cæde vastantibus, Suessionenses monachi, barbaricam persecutionem fugientes, huc illucque, prout necessitas cogebat, palabundi cum corpore sanctissimi patroni sui Medardi Noviomensis episcopi discurrebant. Forte contigit, Aymarum seu Ismarum comitem Divionensem (is est Ademarus, de quo mox locuti sumus) dum cum uxore sua Lampadia seu Lampagia Suessionas iter faceret ad res suas procurandas, quas inibi copiosas possidebat, obvios habere monachos Medardenses sacrum loculum circumferentes: qui

d Fyot prob. p. 50.

ANN. CHR. 901.

strepitu equorum & armorum sese collidentium, quibus comitis satellites induti erant, tremefacti, jamque se a barbaris interceptos credentes, sacro loculo humeros exonerant, ut expeditius fugiant, & ad terram abjiciunt. Illis fugientibus, unus tardior a comite deprehensus, ei omnia ex ordine refert, & quo in loco sacrum pignus depositum esset, ostendit. quod acceptum comes secum reverenter afferens Divionem, sancti Stephani ecclesiæ consignavit, Garnerio tunc ejus præposito, & Argrimo Lingonensi ecclesiæ præsidente. Demum ob miracula, quæ ad sacras reliquias fiebant, cum sancti Stephani ecclesia jam sancti Medardi nomine frequentaretur, condita est alia in proximo loco ecclesia in honorem sancti Medardi, ubi ejus reliquiæ variis signis illustratæ sunt. Processu temporis *revelatum* [a] *est gloriosissimum corpus sancti* Medardi, & honorifice conditum in ecclesia sancti Stephani a venerabili patre Jacobo cardinali, tunc legato in Francia, scilicet anno M CC XXXVIII. postridie nativitatis beatæ Mariæ. Hæc Divionenses. Contra Medardenses nostri sacras beatissimi patroni sui reliquias semper penes se remansisse contendunt; &, si quando barbarorum metu efferri contigisset, in pristinum locum revectas fuisse. Certe fabulam redolet præmissa narratio, nec Benedicti pontificatus convenit cum anno præsenti, quo Johannes nonus, hoc ipso anno electus, ad quinquennium superstes fuit. Equidem, ut cum antiquo scriptore loquar, plura transscribo, quam credo. nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito; nec subducere, quæ accepi. Non me fugit hanc translationem a Besuensi chronographo, qui medio sæculo duodecimo vivebat, creditam fuisse; nempe ex vulgari fama, quæ tum in illis partibus obtinebat.

a ibid. p. 51.

IX. In urbe Miliduno * ad Sequanam antiqua exstat beatæ Mariæ ecclesia, quam *abbatiolam* vocat rex Carolus in diplomate, cujus authenticum, sed fere detritum, in eadem ecclesia hactenus asservatur. In illo diplomate regiæ serenitatis præsentiam adiisse dicuntur ipsius Caroli genitrix Adeleydis & Erchengerus comes, atque humiliter petiisse, ut cuidam fideli suo, Tedrico nomine, quamdam abbatiolam, fundatam in honorem sanctæ Mariæ, sitam infra castrum Miliduni, in comitatu Milidunensi, super fluvium Sequanam, diebus vitæ suæ & uxoris, & uni ex filiis suis, ad possidendum concederet. quod petentibus rex se annuisse testatur. *Datum* XII. *kalend. Septembris, indictione* IIII. *anno* VIIII. *regnante domno Karolo gloriosissimo rege, redintegrante* IIII. *Actum villa Carmentuadis*, forte Carmentradis * quæ villa est pagi Meldensis ad Matronam. In historia Milidunensi editum est hoc diploma, sed cum aliquot mendis; ideoque illud in Appendice hujus voluminis ex authentico referre visum est. In illa ecclesia sanctimoniales aliquando exstitisse tradit Galterius monachus in libro de miraculis sancti Leonii confessoris, ut inferius [b] videbimus: idemque auctor innuit, non multo ante, quam hæc scriberet, (scribebat autem medio sæculo duodecimo) canonicos sanctimonialibus substitutos fuisse. Ceterum illam ecclesiam *abbatiolam* vocat Carolus, non quod abbatem aut abbatissam umquam habuerit; sed quod eo nomine olim insignirentur ecclesiæ, in quibus unus aut alter clericus erat.

Miliduni beatæ Mariæ ecclesia.

* *Melun.*

* *Charmentray.*

b *lib.* 50. *n.* 58.

X. Post mortem Franconis Tungrensis episcopi & abbatis Laubiensis, electus est ad utramque dignitatem Stephanus, vir litteratus, &, ut canonicum decebat, religiosus. Sigebertus, & post eum Miræus in annalibus Belgicis, aliique nonnulli, Franconis obitum, & Stephani electionem ad biennium differunt. Verum hæc electio facta videtur ante mortem Fulconis Remorum archiepiscopi, si is est *Stephanus* [c] *ille nobilissimus abbas*, qui ad episcopatum electus, tunc autem forte rejectus ac reprobatus fuerat, cui Fulco ipse consolatorias hac de re litteras scribit. Certe in brevibus annalibus Leodiensibus [d] Franconis episcopi obitum hoc anno nongentesimo primo contigisse invenio. Hic Franco, testante Ægidio, rogatu venerabilis abbatissæ bonæ memoriæ Eikensis corpora sanctarum virginum Reinulæ & Harlindis, de quibus alias [e] egimus, loculo auro & argento decenter ornato inclusit. Hic passionem beati Lamberti episcopi expolivit, & cantum ad ejus officium composuit, simulque de sancta Trinitate, & de inventione sancti Stephani protomartyris. Edidit etiam libellum de singulis anni festivitatibus, in cujus præfatione, se Fulcuino Laubiensi chronographo, se *Mediomatrica, quæ nunc Mettis dicitur*, a puero educatum fuisse tradit; ob idque Roberto ejusdem sedis episcopo eumdem libellum legendum misit, ab eo approbandum. Destructa veteri Laubiensis mona-

Stephanus Laubiensis abbas.

c *Frod. lib.* 4. *c.* 7.

d *Labb. tom.* 1. *p.* 336.

e *Annal. to.* 2. *p.* 102. *&c.*

ANN. CHR. 901.

sterii ecclesia, cum nova elegantior, quæ loci nobilitati magis conveniret, condita esset, ab eodem Stephano dedicatur, adjuncto sibi Dodilone Cameracensi episcopo: cujus rei memoria in basibus columnarum tempore Fulcuini inscripta legebatur. Idem Stephanus abbas erat sancti Michaëlis ad Mosam in diœcesi Virdunensi.

Hersfeldenses abbates.

Harderadus abbas Hersfeldensis seu Herveldensis post annos novem regiminis hoc anno decessit: cujus successor Dietbartus seu Thiotardus alterum cognominem post annos viginti-sex sibi substitui consensit.

XI. Placitum pro Coxanensi monasterio. a *Marca Hisp. col.* 377.

Hoc anno ad sextum nonas Junii, in placito Mironis comitis, Laurentius[a] quidam, Wismodæ filius, publice confessus est, quod Gontefredus abbas Coxanensis asserebat, se cum matre sua Wismoda vendidisse Protasio abbati, Gontefredi decessori, quasdam terras in villa Lare, cujus venditionis instrumenta, perierant in alluvione fluminis Tetis, qua Exalatense monasterium eversum est anno, ut vidimus, DCCC LXXVIII.

Fortunius ex rege monachus.

Sub idem tempus Fortunius, secundus ejus nominis rex Aragonum, sponte dimisso principatu, in Legerense sancti Salvatoris monasterium secessit, ubi reliquum vitæ transegit, nulla re deinceps, nisi divino cultu ac religione sacrorum occupatus. Hinc secundi interregni originem, cujus tempore Aragonum comites rerum summa potiti sint, Hieronymus Blanca, aliique perperam deducunt: cum, Fortunio[b] vivente, Saneius Garseanes ejus frater in regnum evectus sit.

b *Marca Bear. lib.* 1. *col.* 11. *n.* 3.

ANN. CHR. 902. XII. Caroli diploma pro Corbeia. c *Spicil. to.* 6. *p.* 411.

CUm Nortmanni suo more in Belgica secunda grassari perseverarent, Franconi Corbeiæ abbati visum est, ut muris ac propugnaculis adversus eorum insultus monasterium suum muniret. quod a Carolo rege approbari curavit, a quo insuper præceptum[c] regiæ defensionis & immunitatis, & confirmationem omnium privilegiorum, bonorum & chartarum, partim ob infestationem paganorum perditarum aut combustarum, obtinuit, supplicante fratre suo Hermenfrido Ambianorum comite, suggerentibus quoque una cum genitrice regis Adeleida regni primoribus, tam episcopis, quam comitibus, ceterisque fidelibus. *Data* V. *idus Novembris, indictione* V. *anno* IX. *regnante domno Karolo gloriosissimo rege, redintegrante* IV. *Actum villa Frasnidum.* quæ chronicæ notæ anno nongentesimo-secundo conveniunt. Ernustus * notarius ad vicem Askerici episcopi Parisiensis & archicancellarii recognovit. Annos redintegrati a Carolo regni tantum computabant Burgundiones, uti & Aquitani. Id colligitur ex donatione Atilæ comitissæ, quæ pro requie[d] animæ viri sui Milonis comitis dedit sancto Benigno in Dumiso-villa mansum indominicatum cum suis appendicibus. Actum hoc anno DCCCC. II. Carolo regis quarto. Hujus donationis laudatores fuerant Girbardus comes, & Reintrudis uxor ejus, filia ipsius Atilæ. Superstes fuit ad novem annos Franco abbas: sed nulla ejus alia facta deinceps legimus, nisi quod a Christophoro papa omnium privilegiorum suorum confirmationem impetravit.

* *al.* Erluinus. d *Spicil. to.* 1. *p.* 413.

XIII. Ambertæ abbatia. * *Ambierle.* e *De la Mure, p.* 294. * *de Roanne.*

Ad hunc annum revocandum est diploma Ludovici tertii imperatoris de abbatia * Ambertæ, quam fidelibus suis[e] Bernardo ac Theutberto, rogatu Willelmi inclyti ducis & marchionis, concessit. Sita erat hæc abbatia in pago Rodanensi * ad Ligerim, sancto Martino dicata, pertinebatque ad archiepiscopum Lugdunensem. Hanc vero prædictis fidelibus suis in beneficium dedit Ludovicus cum omni-
» bus ad eam pertinentibus, id est mansis triginta, una cum familiis utriusque sexus.
» Actum Viennæ tertio idus Novembris, indictione secunda, *lege* quinta, anno se-
» cundo, imperante domno Ludovico imperatore. Nunc Amberta est ordinis Cluniacensis, primum sancto Odoni concessa anno nongentesimo tricesimo-octavo, ac demum a sancto Hugone in cellam redacta. Non multo post Ludovicus imperator Veronæ a Berengario, custodibus urbis corruptis, noctu comprehensus, oculis orbatus est, unde Orbi cognomen accepit. Ejus soror Ingelberga Willelmo Pio Arvernorum comiti nupserat.

XIV. S. Mariæ de Crassa facta donatio.

Non videtur omittenda hoc loco donatio villæ Campi-longi, facta Urbionensi sanctæ Mariæ monasterio a Trasoario quodam & Sisenanda ejus sorore, ex eleemosyna fratris sui Wadaldi, tempore Witizæ seu Witizanæ abbatis. Hæc villa sita dicitur in comitatu Narbonensi ad radicem montis Anausæ, cujus villæ usum-fructum Sisenanda & filius ipsius Miro retinent pro vitæ suæ tempore. *Facta charta*

donationis idibus Maii, anno v. regnante Karulo rege post ovitum Odonis regis, ut in authentico legitur. Carolus siquidem noonisi post obitum Odonis regnavit in Aquitania & in Septimania. unde primi ejus regni nulla fit mentio in chartis illarum regionum. Witizæ abbati successit Suniarius, de quo infra.

ANN. CHR. 902.

XV. S. Crucis monasterium Burdegalæ instauratum.

Burdegala urbe sub medium sæculum nooum a Nortmannis semel & iterum vastata, suburbaoum sanctæ Crucis monasterium, cui sanctum Mummolenum abbatem sæculo septimo præfuisse diximus, omnino etiam eversum est, uti & cetera circa urbem cœnobia. Urbe refecta, non tulit Guillelmus comes, cui cognomen Bono tribuunt, monasticum ordinem illic desiderari. Primoribus itaque in cœtum vocatis ait gravate se ferre, quod, cum ubique monasteria passim construerentur ad cultum Dei celebrandum, monasticus ordo penitus Burdegala exsularet. sibi proinde io animo esse, ut locus condendo monasterio commodus & opportunus assignaretur. Ad hæc nobilis qnidam juvenis infit, se a majoribus accepisse, in suburbano, ubi sanctæ Crucis oratorium perstet, olim exstitisse habitaculum monachorum, sed a paganis omoino destructum; locum vero ex parentum hereditate ad se jam pertinere. ceterum se perlibenter illum instituendo divino servitio cessurum. Placuit Guillelmo liberalis respoosio, statimque monasterium illic ædificari curavit: ubi, perfectis ædificiis, tredecim monachi cum abbate, cui nomen Elis, constituti: quibus terras & prædia cum ecclesia sancti Hilarii de Hortellano & villa Solaco comes assignavit, matre sua Entregode & Aremburga uxore assentientibus. Sic fere factum narrant veteres loci tabulæ, quibus Aldebertus archiepiscopus cum aliis subscripsit, sed chronicis notis destitutæ: at illustrissimus [a] Petrus de Marca, qui eas retulit, ad hoc tempus revocandas esse censuit: cui Hieronymus Lopes adstipulatur, refellitque Beslii opinationem, qui eas suspectas habet. Sane Gregorius septimus io epistola [b] ad Bertrandum abbatem sanctæ Crucis confirmat id, *quod Willelmus Bonus, quondam Burdegalensis comes, fundator ejusdem monasterii, rationabiliter eidem monasterio concessit.* Nullus tamen abbas ejus loci occurrit ab Eli abbate post restitutionem primo, usque ad Gumbaldum, qui ante medium sæculum undecimum eidem loco præfuit.

a Bearn. lib. 3. c. 4.

b Greg. lib. 6. ep. 24.

XVI. S. Trudperti monasterium conditur.

In Alamaoniæ pago Brisgoia, diœcesi Constantiensi, restitutum legitur hoc tempore monasterium, olim Numaga dictum ab amne præterlabente, postea sancti Trudperti seu Trutperti ab eodem sancto eremita, genere Scotto-Hiberno, qui ibidem a nefariis hominibus cæsus est medio fere sæculo septimo, sepultus in oratorio sancti Petri, ab se ibidem inchoato, cooperante Othperto, qui ipsum hospitio liberaliter exceperat. Othperto mortuo, Rampertus, ejus post longam nepotum seriem heres, oeglecti oratorii loco insignem exstruxit basilicam in beatorum apostolorum Petri & Pauli memoriam: atque in ea corpus sancti Trudperti e tumulo elatum, reponi curavit anno incarnationis octingentesimo tertio-decimo, sexto kalendas Maii. Ineunte sæculo decimo Liutfridus comes monasterium istic *renovasse* dicitur, sub titulo apostolorum Petri & Pauli, & beati Trutperti: *ubi sub beati ac venerabilis Benedicti regula militantes, tota die ac nocte laudes Domini non tacerent*, ex sancti Trudperti vita in Aprili [c] Bollandiano. Hujus instaurationis dotationisque tabulas refert [d] Bucelinus, anno DCCCC II. signatas: in quibus singula prædia cum suis termiois describuotur. In his litteris Liutfridus comes *de Abenspurg* ait, « se decrevisse quoddam monasterium, in honore Dei constructum, & sanctorum « apostolorum Petri & Pauli, & sancti Trudperti, *quod a præterfluente fluviolo Numaga, nunc monasterium sancti Trudperti vocatur*, quod a fratre suo Hugone in par- « tem hereditatis acceperit, *restaurare & augmentare* cum ædificiis & ornameotis ad « divinum cultum pertinentibus; adeoque se conferre huic loco, qnidquid per char- « tam donationis a progenitoribus suis, Otperto scilicet, qni sancti martyris *inductor* « & hospes fuit, & Ramperto, aliisque fidelibus donatum fuisset. quæ dotatio a Liut- « frido facta est, consentientibus filiis snis Hundfrido, Liutfrido & Hugone. Hæc « acta sunt io ipso monasterio, *anno tertio regnante Ludovico filio Arnolfi*, IX. *kalendas* « *Martii*; scriptaque a Willigero ex ipso monasterio *vice cancellarii*. Waldericus « abbas primus eidem loco præfectus memoratur. Guillimannus, aliiqoe ejusdem sententiæ auctores existimant, has voces, *comes de Avenspurg*, quibus Bucelinus, ceterique domus Austriacæ præcones ejus antiquitatem probare nituntur, additameota esse neotericorum. quod alii viderint. Post aliquot annos mooasterium istud

c April. to. 3. p. 414.

d Bucelin. to. 1. Germ part. 3. p. 29.

ANN. CHR. 902. incendio consumtum instauravit Erchanbaldus abbas, idemque sancti Trudperti vitam in litteras retulit.

XVII. Ratperti monachi S. Galli obitus. Radpertum sancti Galli monachum doctum, cujus non semel jam meminimus, ad hunc annum pervenisse colligit Goldastus ex charta XX. traditionum ejus monasterii, quam scripsit Ratpertus monachus anno Dominicæ incarnationis DCCCCII. regis HLudovici tertiu; additque idem auctor, eum non multo post senectute confectum obiisse. Erat is ex illustri stirpe natus in pago Tigurino seu Turegiensi; præceptoribus usus Marcello & Isone, scholarum in monasterio magistris, Notkeri, Tutilonis, & Hartmanni consodalis. Scripsit librum de casibus sancti Galli, & epigrammata quædam, a Canisio partim edita. Cum jam præ senio languesceret, non tamen alios docere desinebat. Quadraginta discipulis quondam suis canonicis, tunc vero presbyteris, ad sanctum Gallum ob festum quoddam profectis, animam singulis commisit, quorum quisque ei triginta missas obituro promiserant. Mortuum in primis luxerunt, precibusque Deo commendarunt Notkerus & Tutilo, studiorum socii.

Lis Tutonis episcopi cum Richario abbate. Dum annum in sede Ratisponensi octavum ageret Tuto episcopus, Metamense monasterium Richarius abbas regebat, uti discimus ex [a] Hundio, referente litem ejusdem Tutonis cum Richario abbate super quadam parochia, de qua ambo disceptabant. Actum in Straubinga curte regia, anno Domini DCCCCII. regni vero pueri Luduvici secundo, Tutonis episcopi octavo. quo ex loco ejus pontificatus initium superius assignatum illustratur; adeoque præfectura Richarii abbatis, in editis Rucheri, cujus obitus male anno undenongentesimo ponitur apud eumdem Hundium, ubi syllabum ejus loci abbatum retulit.

a Metrop. Salisb. to. 1. pag. 191.

ANN. CHR. 903. XVIII. S. Germani Pratéses abbates & decani. POst Hucboldum abbatem Pratensis apud Parisios monasterii abbatiam obtinuit Rotbertus marchio & Parisiorum comes, Odonis regis frater, homo uxoratus, qui Beatricem filiam Heriberti Viromandorum comitis uxorem duxerat, Hugonis Magni parens, Capeti avus. Antea quidem nonnulli ejus loci abbates sæculares jam exstiterant, in quibus agmen duxit Hilduinus secundus ex ordine canonicorum sæcularium: sed omnes aut clerici, aut minimum cælibes fuerant ad Rotbertum usque, quem alii ejusmodi subsecuti sunt abbates, si tamen hoc titulo donandi sunt. Sub talibus rectoribus monachorum regimen administrabat decanus, dum illi res dumtaxat temporales curarent, & ad suos passim usus converterent. Qui in eis religiosiores erant, sane pauci, monasteriorum tantum se tutores ac defensores ferebant. qualem erga Fossatense monasterium fuisse Burchardum comitem Henricus primus in quodam diplomate testatur. Sub Rotberto unus decani officium gessit Gozmarus, ut ex brevibus ad paschales cyclos annalibus discimus, ex quibus aliorum etiam, tum abbatum, tum decanorum, seriem desumemus. Non tamen penitus otiosa fuit Rotberti administratio. nam a Carolo rege præceptum obtinuit, quo superiorum regum & imperatorum privilegia rata habentur, id est avi ejus Caroli, abavi Ludovici, & Caroli avi sui ex fratre nepotis, id est Crassi, *qui Parisius, rabie paganorum sæviente, devenit*; insuper confirmatur portio bonorum fratribus assignata cum molendinis super fluvium Sequanam a Carolo-Calvo concessis, *& piscatoria super eumdem fluvium sita, cum omni continentia utriusque ripæ, quæ a rege olim Childeberto iis contradita* fuerat. *Data* VII. *kalendas Maias, indictione* VI. *anno* XI. *regnantis gloriosissimi regis Caroli, redintegrationis ejus* VI. *Actum Compendio palatio.* Idem Rotbertus decennio post ab eodem rege obtinuit, ut abbatia Crucis sancti Audoëni Pratensi monasterio uniretur. Præter abbatiam sancti Germani Rotbertus etiam abbatias sancti Martini Turonensis & sancti Dionysii tenebat. Atque ut se Dionysianis fratribus etiam favorabilem testaretur, abbatiam [b] Lebrahæ, in Vosago seu in Alsatia consistentem, quam prædicti fratres in usus proprios ad id tempus tenuerant, *contra venturos abbates* regali præcepto eis confirmari curavit. Actum Metlagio villa, nonis Junii, sub iisdem Christi & Caroli annis & indictione. Utrumque præceptum Ernustus ad vicem Asxerici episcopi recognovit.

Caroli præceptum pro eodem & pro S. Dionysio.

b Doublet p. 812.

XIX. Doverensis monasterium Virzionem translatum. Cum Doverense apud Bituriges monasterium, quod a Rodulfo archiepiscopo conditum diximus, iniquorum hominum, forte Nortmannorum, infestatione ad nihilum pæne redactum esset; animo insedit Girberti ecclesiæ sancti Stephani decani, Gaufredi præcentoris & Johannis præpositi, qui hanc desolationem gravate

ferebant, ut in tutiorem locum monachorum cœtus cum abbate ſuo Raimundo transferretur. Erat in proximo loco cella in caſtello * Virzione, ad confluentes Avarici amnis in Carum, huic pio conſilio opportuna. quod antequam exſequerentur, Theobaldum comitem, cognomento Tricatorem, ad quem hic locus pertinebat, Carnutas adeundum cenſuere, ut ejus aſſenſum obtinerent. Probato a comite conſilio, cœptum ſtrenue perſequuntur, & ex rebus ſancti Stephani ſuppetias ad perficiendum dotandumque novum monaſterium contulerunt. Theobaldus chartam hac de re fieri juſſit. Actum hoc anno *menſe Novembris, die Jovis, in feſtivitate ſancti Clementis, quarto anno Rodulfi regis, aſſiſtente & adjuvante domno Gerontio Biturigenſium archiepiſcopo.* Et tamen hoc anno feſtum ſancti Clementis in diem Mercurii incidebat, non in diem Jovis, ſed anno ſequenti. Conſentit nihilo minus ſuperiori calculo chronicon [a] Virzionenſe in hæc verba: *Anno* DCCCC III. *eadem abbatia Doverenſis tranſlata eſt Virzionem cum abbate Raimundo.* Doverenſe monaſterium jam dudum redactum eſt in cellam, Virzionenſi monaſterio ſubjectam.

ANN. CHR. 903.

* Virzum.

a Labb. to. 2. biblioth.

XX. Grimbaldi abbatis obitus.

Mortalis hic annus fuit Grimbaldi, ex-monacho Sithienſi abbatis Wintonienſis. Ingraveſcente ætate, magis ac magis in dies animum a negotiis & curis omnibus avocabat, de quibus neque loqui, neque audire ſuſtinebat, totum ſe in orationes & jejunia interim effundens; raro prodiens in publicum, niſi pietas & caritas in proximum id exigeret. Fertur a Deo poſtulaſſe, ut igne doloris & languoris ante obitum purgaretur. Gravi & letali morbo accedente, adeo nihil de pietatis officiis remiſit, ut animum ad cæleſtia vehementius defigeret. Viaticum percepturus, cum ſe movere non poſſet, forti tamen niſu ſe erexit, & in terram venerabundus proſtravit. Chronologia Saxonica poſt Bedam annum & diem ejus obitus ſignat his verbis: *Anno* DCCCC III. *obiit Grimbaldus presbyter octavo idus Julii*, niſi quod dies per parentheſim expreſſus eſt. *Humatus magna gloria*, inquit Willelmus, nempe in novo monaſterio Wintonienſi, *ſanctus prædicatur & creditur.* Sanctitatem ejus probat benedictinnale Roberti, ex-monacho Gemeticenſi archiepiſcopi Cantuarienſis ſub annum M L. quo in libro triplex benedictio epiſcopalis de more *in natali ſancti Grimbaldi confeſſoris* habetur. Corpus ejus magna in veneratione erat in ſuburbano monaſterio Hidenſi, in quod tranſlatum eſt monaſterium novum cum monachis, quod hi canonicis veteris monaſterii viciniores ſe ſe invicem interturbarent. Triennio citius Grimbaldi obitum locat Rogerius Hovedenus, quo anno Virgilius venerabilis abbas Scottus obiiſſe dicitur.

XXI. S. Johannis cella apud Helvetos.

* Jonſchwil.

b Gold. to. 2. p. 10. & 76.

Apud Helvetos in Turgovia ſuperiori, cujus incolæ Abbatis-cellani nominantur, ſita eſt cella apud Johannes-villare *, a qua incolæ nomen acceperunt, ſancti Galli abbatiæ hodie quoque ſubjecta. Illic monaſterium cum abbate quondam exſtitiſſe colligit Goldaſtus [b] ex quadam præſtaria, quam Otherus quidam de nonnullis rebus, quas ipſe donaverat, fecit ea lege, ut eaſdem res ad vitæ ſuæ tempus poſſidens, inde ſingulis fratribus congregationis ſancti Galli, convenientibus "ad eccleſiam ſancti Martini in Johannes-villare, ſtatuto tempore autumni, id eſt "menſe Octobri, tribus diebus victum de pane & de cerviſa, aliaque neceſſaria "ad uſum eorum pertinentia impendat. Id factum *die Martis* IIII. *nonas Octo-* "*bris ſub poteſtativa manu HLudowici regis & pueri, & ſub Adalberto comite.* Præſtariæ ſubſcribunt Emezo abbas, ſeptem monaſterii officiales, ſcilicet decanus, cuſtos, portarius, camerarius, cellerarius, ſacratarius, hoſpitarius, & poſt laïcos Abo preſbyter & monachus, qui chartam ſcripſit. De hac cella intelligendus videtur Hepidannus ad annum ſequentem, ubi ait, Salomonem epiſcopum cellam ſuam in Turgovia incoluiſſe. Eodem fere tempore quidam Alamannus *cum manu advocati* tradidit monaſterio ſancti Galli, cui Salomon epiſcopus & abbas præerat, *quidquid hereditatis in Arguna poſſidebat*, id eſt *in auſtrali parte aquilonis Arguna*, eaſque in præſtariam recepit, eo pacto, ut ipſe duos inde denarios quotannis monaſterio perſolveret, & filius ſuus, ejuſque procreati, intra ſex annos poſt obitum ſuum decem libris in argento & auro puro a monaſterio redimerent. Actum VII. kal. Octobris, feria IV. coram ſeniore comite, ſcilicet Adalberto mox laudato, anno VII. Ludovici regis. quod Salomon epiſcopus & abbas confirmat. Duæ hac de re chartæ exſtant initio formularum antiquarum Alſaticarum, quæ nuper typis regiis editæ ſunt.

ANN. CHR. 903.

XXII. *Ludovici donatio facta S. Emmerammo.*

Prædicto anno Ludovicus rex, sub quo ista præstaria facta est, interventu [a] genitricis suæ Outæ, res quasdam contulit *cellæ* seu ecclesiæ *sancti Emmerammi*, cui Tuto venerabilis episcopus præerat. *Data pridie idus Augusti, anno incarnationis Domini nostri Jesu-Christi* DCCCC III. *anno Ludewici piissimi regis* IV. *indictione* VI. *Actum Ottinga.* Ex quo intelligitur, monasterio sancti Emmerammi Tutonem episcopum abbatis vice etiam tunc præfuisse, ac cellæ vocabulum nonnumquam præcipuis monasteriis impositum esse.

[a] *Metrop. Salisb.* to. 1. p. 250.

XXIII. *S. Sabini monasterium Placentiæ.*

In Italia prope Placentiam vetus erat quondam sancti Sabini martyris ecclesia, in honorem apostolorum primitus dedicata, quæ Hungarica illa clade conflagraverat. Hanc ad muros urbis instauravit [b] Everardus ejus urbis antistes, inque illam corpora sanctorum Victoris, Domnini, & aliorum honorifice transtulit, adjuncto ibidem pro nostris nobili monasterio, quod impense ad perennitatem dotavit, instituto ibidem Grimalco (si Ughellus bene legit) abbate; qui locum secundum beati Benedicti regulam salutarem ordinaret. quod præsenti anno factum esse Ruffinus monachus ex vetustis ejus loci tabulis tradit; additque ecclesiam sancti Benedicti, procul a civitate Placentina sitam, eidem loco ab Evrardo attributam fuisse. De hoc monasterio haud scio an intelligendum Ottonis Magni imperatoris diploma, datum in Plista anno DCCCC LXIX. quo recipit Odonem abbatem sub sui tuitione mundiburdi, *cum abbatia sancti Sabini in loco, qui dicitur Tuscana.* quod diploma in archivo Cluniacensi legimus. Prædicto sancti Sabini Placentino monasterio amplissimum privilegium concessit Alexander [c] tertius, quo universas ejus possessiones confirmavit. Nunc monasterium istud unitum est Romano collegio Anglorum, cum prioratu sanctæ Victoriæ. Evrardi in sede Placentina successor Wido *ex ordine sancti Benedicti* apud Ughellum fuisse dicitur; unusque fuit e tribus designatis episcopis, ex quibus unum Sergius pontifex ad consecrandam novam Nonantulani monasterii ecclesiam assumi voluit.

[b] *Ital. sac.* to. 2. c. 252. & c.

[c] *ibid.* c. 272.

XXIV. *Bobio privilegia duo data.*

Nondum summa rerum in tota Italia erat penes Berengarium imperatorem, qui tamen hoc anno privilegia duo indulsit Bobiensi monasterio, cui tum Theodolasius abbas præerat. Primum datum est rogatu Bertilæ imperatricis Berengarii conjugis, quo privilegio præcedentium regum privilegia & donationes confirmantur.
» Actum tertio idus Septembris, anno dominicæ incarnationis DCCCC III. Beren-
» garii XVI. indictione VII. a Septembri inchoata. Alterum, cujus authenticum in
» archivo Bobiensi vidimus, obtinuit abbas ipse; eoque spectat, ut, ubicumque
» nata fuerit de monasterii rebus controversia, ibidem per idoneos judices finiatur.
» Actum in palatio Ticinensi XIV. kalendas Novembris, iisdem annis & indictione.
quæ duo privilegia ordine præpostero ab Ughello [d] relata sunt. Theodolasio abbati successit Silveradus, dein Gerlannus, ab Ughello prætermissi, de quibus inferius.

[d] *Ital. sac.* to. 4. p. 1345. & *seqq.*

ANN. CHR. 904.

XXV. *Casinas monasterium instauratum.*

POstero anno Leo abbas monasterium Casinas, quod ante annos circiter viginti-duos, anno scilicet DCCC LXXXIV. a Sarracenis combustum diximus, instaurare cœpit ordinationis suæ anno quinto, nec tamen Teano recessit. Annos viginti-septem inter illud incendium & instaurationem numerat Leo [e] Marsicanus, aut certe ejus chronici exscriptor. quod recte emendat post Peregrinium Angelus a Nuce ex calculo temporis, quo abbates Casinenses Teani post illud incendium substiterunt, nempe Angelarius sex annos, Ragemprandus decem: quibus si addas annum Leonis quintum, quo hæc instauratio cœpta est, vix annos viginti-duos habebis. Chartarum incensarum renovationem Leo abbas ab Atenulfo Capuano & Beneventano principe obtinuit, necnon montem sancti Eleutherii & fluvium Ete pro monasterio sanctæ Mariæ de Cingla. Ad hæc idem abbas libellum de ecclesia sancti Benedicti in Urbe, quæ ab antiquo ad Casinenses pertinebat, cuidam Adelario civi Romano fecit, ea conditione, ut quoties abbas vel monachi Romam pergerent, in eadem ecclesia honorifice exciperentur. Hæc ecclesia non alia videtur, quam sancti Benedicti in Piscinula, quæ hactenus exsistit.

[e] *Chron. Casin.* lib. 1. c. 51.

XXVI. *Soricinii instauratio, & Veteris-monasterii S. Michaëlis.*

Destructum a Sarracenis seu Nortmannis per id tempus jacebat Soricinium diœcesis modo Vaurensis monasterium, nec monachis facultas instaurandi loci suppetebat. Quare necessitate compulsus Walafridus abbas, cellam Medulfi apud Blizentiam, villam pagi Auscienis, quam Astarici comes principatu Ludovici Pii Soricinio contulerat,

contulerat, Garsiæ comiti & marchioni cessit sub pretio mille solidorum, ea conditione, ut post obitum ejus, ad jus monasterii revertantur. quod factum dicitur *mense Octobris, anno incarnationis* DCCCC IIII. Corruptæ sunt aliæ chronicæ notæ ab exscriptore, ubi additur, *anno* V. *regni Karoli, filii præfati Ludovici imperatoris*, cujus is diploma de eadem cella paullo ante retulerat. forte legendum *anno* VII. *Karoli regis*, scilicet Simplicis, a morte Odonis. Cur vero hanc cellam Sorinienses potius cesserint, quam aliam terram, id in causa fuit, quod *mali christiani*, ut in iisdem litteris legitur, dictam terram occuparent, & monachos, qui ad procurandum locum eo mittebantur, vi expellerent, immo quandoque gladiis perimerent. unde accidit, ut locus iste in vastam solitudinem redigeretur. cui incommodo reparando hanc cessionem Garsiæ comiti fecerunt Sorinienses. Postea vero cum ejus successores comites Astaracenses prædictæ abbatiæ hanc cellam restituere nollent, ad hanc demum restitutionem Sancius comes adductus est a Raymundo abbate, qui denuo eamdem cellam, pacis causa, eidem comiti concessit. sed tandem cella hæc Auxitano archiepiscopo cessit, & in abbatiam ab ipso erecta est. ANN. CHR. 904.

Eodem etiam tempore instauratum est Vetus-monasterium seu cella sancti Michaëlis in pago Virdunensi ad amnem Marsupiam ab Umcrimmo monacho, qui hanc cellam, *olim succensam & penitus desertam*, restituit: ad quod opus Ludovicus rex Franciæ orientalis villam Fraxinum ex rebus sancti Michaëlis assignavit, uti rogavit *venerabilis Tungrensium præsul Stephanus*, qui tunc sancti Michaëlis monasterio abbas præerat. *Data* VI. *kalendas Decembris, anno incarnationis* DCCCC IIII. *regni domni Ludovici V. Actum* apud *Triburias*. Verum id commodius infra, & uberius explicandum.

Cum Rodulfus rex Burgundiam Transjuranam moderaretur, accessit ad eum Berno Gigniaci abbas, rogaturus, ut Gigniaci rem familiarem, tunc exiguam, munificentia sua augeret. Ejus precibus rex faciles aures accommodans, quamdam cellam, Balmam nomine, ad fontem Salliæ in comitatu Scutindis sitam, quam Gigniacenses monachi a fundamentis restruxerant, cum cellula sancti Lauteni & villis Cavanaco & Clamenciaco, Gigniacensibus liberaliter contulit. *Data* IV. *idus Decembris, anno ab incarnatione Domini* DCCCC IV. *indictione* VI. lege VII. *regnante domno Rodulfo rege anno* XVI. *Actum Nova-villa.* Ex his intelligitur, Bernonem, non ex Æduensi sancti Martini cœnobio Balmam missum fuisse ad locum in melius reformandum, sed, Gigniaci cum esset, Balmæ monasterium instaurasse, quod primitus *a sancto, ut fama est, Columbano fundatum* fuisse Petrus Venerabilis tradit. Istic a Bernone abbate susceptus est Odo cum socio Adhegrino, ut postea videbimus. Balmæ in Burgundia complures distinguendæ: una virorum, puellarum duplex. Puellare primum Balmæ monasterium conditum est a sancto Romano in Jurensibus locis, non procul a sancti Augendi monasterio. Alterum ad Dubim * fluvium situm est, Vesontionem inter & Montem-Belicardum *, ubi sancta Othilia virgo instituta fuisse dicitur. Tertium Balmense virorum monasterium, de quo hic agimus, itidem apud Sequanos exstat, *ubi fluvius Sallia surgit*, ut prædictæ Rodulfi litteræ habent, haud longe a Ledone * opido Sequanorum, modo quoque abbatia nostri ordinis, ad quam pertinet cella Paterniaci diœcesis Lausannensis, cui alius prioratus de Balmis subjectus est. Hæc Rodulfi regis concessio, non donatio primaria, sed confirmatio censenda est, quam Formosi papæ confirmatio jam præcesserat.

XXVII. Balma Gigniaco data.

Balmæ complures.

* le Doux.

* Mont-Beliard.

* Lyon-le-Saunier.

IN chronico Reginonis legitur, anno insequenti nongentesimo-quinto, Baltrannum Strazburgensis, & Liudelmum ᵃ seu Ludelmum Tullensis ecclesiæ præsules a sæculo migrasse, eisque successisse Otbertum in Strazburgensi civitate, & Drogonem in Tullensi. sicque desinit chronicon Reginonis, quod tamen Sigebertus in libro de scriptoribus ait Reginonem produxisse ad annum nongentesimum-octavum, immo ad decimum in chronico. Plura hac de re inferius. De Ludelmo in actis episcoporum Tullensium nondum editis legitur, ipsum undecimo anno pontificatus gravi brachii dolore percussum fuisse, eoque ingravescente vitam præsentem alia commutavisse; seque in suæ sedis ecclesia sepeliri mandavisse, non in suburbano sancti Apri monasterio, ubi omnes ejus antecessores humati fuerant. In iisdem actis ejus transitus tertio idus Septembris contigisse dicitur, & in cathedrali

ANN. CHR. 905.

XXVIII. Ludelmus Tulli episcopus obit.

ᵃ V. lib. 40. n. 4.

ANN. CHR. 905.

ecclesia ante altare sancti Martini sepultus fuisse. In membraneo codice monasterii sancti Petri Catalaunensis legimus, hunc brachii dolorem Ludelmo accidisse, propterea quod sancti Apri bona abstulisset; idque revelatum fuisse Girveo venerabili sacerdoti ecclesiæ beati Maximini in suburbio positæ, quæ parochialis ecclesia est, sancti Apri monasterio adhærens; ac Bernefrido primicerio, a quo de restitutione rerum ablatarum admonitus, se quidem id facturum pollicitus sit; at ægritudinis molestiæ intentum, atque alia curantem, promissione haud expleta, e vivis excessisse. Drogo episcopus ejus successor a Carolo rege Bodonis-monasterii abbatiam ecclesiæ suæ recuperavit, & ex præcepto Ludovici regis abbatiam Panliniacensem obtinuit. In libro de miraculis sancti Apri Drogo *nobilissimis ortus parentibus*, invitis regni primatibus, tum vi, tum ingenio, tum civium consensu, hanc sedem occupavisse dicitur; sed postea communi omnium voto nobiliter rexisse. Is corpus sancti Apri, quod propter impressionem Hungarorum in basilicam sancti Johannis-Baptistæ intramuranam illatum fuerat, ecclesiæ suæ vindicare tentavit: ast ejus consilium præverterunt duo sancti Apri cœnobitæ *æstimationis bonæ*, Geraldus & Guinerannus, qui furtim sacrum loculum cum adjutorio duorum clericorum, Allonis scilicet ac Bernefridi tunc primicerii, per posticum subductum, in præparatum specum, ceteris nescientibus, intulere: ubi per sexaginta ferme annos latuit, dum a sancto Gerardo episcopo detectus est.

XXIX. Patriacus S. Dionysio restitutus.

Exstat in pago Limosino fiscus quidam, vocabulo Patriacus, olim sancto Dionysio concessus, quem ab ejusdem sancti Dionysii potestate quidam invasores abstulerant. Id ægre ferentes Dionysiani, Willelmi comitis & Rotberti æque comitis & marchisi preces apud regem Carolum interposuere, ut prædictus fiscus ipsis restitueretur ad eorum victum & vestimenta, ut, *quæ eis pro paganica rabie deerant*, his de rebus supplerentur. Id facile a rege obtentum, editumque hac de re [a] diploma, *datum* V. *idus Februarii*, *indictione* VIII. *anno* XIII. *regnante gloriosissimo rege Karolo, redintegrante* VIII. *Actum Compendio publico palatio.* Limosinus pagus sic dictus est a Limoso * castro agri Redensis * in Septimania, sito ad fluvium Atacem in solo limoso ac lutoso, ex quo nomen accepit. Interventores diplomatis fuere, ut diximus, Willelmus comes, cognomento Pius, & Rotbertus comes & marchio, idemque abbas Dionysianus.

a Doublet p. 813.
* Limoux.
* le Razez.

XXX. Bar fiscus Rotberto Elnonensi abbati concessus.

Eodem tempore Elnonensi sancti Amandi monasterio præerat, idem an alter, Rotbertus abbas, cujus litteras legimus in chartario Elnonensi ad fratres sancti Amandi, quos rogat, ut sibi cellam Barisiaci ad tempus concedant, eo pacto, ut villam Diptiacum a rege ipsis in supplementum dari obtineret. *Actum Elnone monasterio sancti Amandi, anno* XIV. *regnante domno nostro Karolo glorioso rege, sub die* VIII. *kalendas Octobris.* His litteris cum Rotberto abbate subscribunt Raubertus episcopus, aliique, easque *Hucbaldus notarius relegit & subscripsit.* Subsequitur in eodem chartario fratrum responsio, facta *domno venerabili in Christo Rotberto abbati*, cui cellam Barisiaci, ut petierat, concedunt eodem die & anno. Subscribunt Ricfridus præpositus, Teutbertus sacerdos & alii monachi. Idem Hucbaldus notarius relegit & subscripsit, haud scio an Hucbaldus ille Elnonensis monachus, qui per id tempus Remis sub Fulcone archiepiscopo litteras docuerat. Hac cella obtenta, Rotbertus abbas, uti condictum erat, a Carolo rege impetravit, ut, præter portionem bonorum Elnonensibus ante hac assignatam, villa Diptiacus eis insuper tribueretur. *Data* VII. *idus Septembris, indictione* IX. *anno* XIV. *regnante Karolo gloriosissimo rege, redintegrante* IX. *Actum Laudnni castro.* quæ indictio, si non fallit, a Septembri inchoanda est. In veteri syllabo abbatum Elnonensium Rotbertus iste abbas regis ministerialis fuisse dicitur.

XXXI. Corbiniaci monasterium.

Actum est superius [b] de translatione corporis sancti Marculfi abbatis in villam regiam pagi Laudunensis Corbiniacum: ubi hoc anno monasterium condere statuit rex Carolus, qui mense Februario istic residebat. Habetur in archivo Remigiano authenticum ejusdem regis diploma, in quo legitur, quo pacto is *ob nimiam atque diutinam paganorum infestationem, quæ peccatis exigentibus, per universam debacchando grassabatur ecclesiam, sanctissimum, vereque beatissimum Marculfum, proprio loco eadem peste cum clericis profugis pulsum, pro Dei amore susceperit, atque in fisco suo Corbiniaco, prout tempus dictavit, reposuerit. Et quoniam*, inquit, *incertum manebat, utrum divina dispositio tantum pignus nobiscum manere, an iterum vellet ad*

b lib. 40. n. 20.

ANN. CHR. 905.

proprium deportari monasterium ; a nostris, tam episcopis, quam & laïcis fidelibus, responsa accepimus, ne sine proprii licentia episcopi pretiosum corpus detineretur. Salubri itaque usus consilio, & licentiam ab episcopo Erleboldo retinendi nobiscum, eo quod maneret regressus difficilis, impetravimus, & epistolam ab eodem præsule, & ab archiepiscopo Guidone ac reliquis subscriptam coëpiscopis, de eadem re suscepimus. Nihil hoc loco luculentius ad asserendam corporis sancti Marculfi possessionem penes nostros Corbiniacenses contra Meduntenses opidanos, qui ejusdem sancti confessoris reliquias ad suam urbem ea tempestate translatas gloriantur. Erleboldus episcopus erat Constantiensis, sub cujus ditione situm erat Nantense monasterium, ubi sancti Marculfi corpus sepultum fuerat, indeque Corbiniacum advectum ob infestationem Nortmannorum. Guido seu Wito Rotomagensi metropoli præsidebat. Utriusque facultas ad retinendum sancti Marculfi corpus a rege obtenta. Pergit Carolus in hunc modum. *Hac igitur de re divino inspirati amore, nostrorumque prædecessorum, non solum in humanis, sed etiam in divinis imitatores esse cupientes, ob animæ nostræ remedium in jam dicto fisco Corbiniaco, in honore beati Petri apostolorum principis, eo quod in basilica, quæ est ipsius nomine dedicata, jam dictum corpus pretiosum foret locatum, monasterium disposuimus facere, & de rebus propriis ditare, clericosque seu ministros ad laudes omnipotenti Deo persolvendas, quique pro statu ecclesiæ, nostraque incolumitate, totiusque regni stabilitate incessanter exorent, instituere curavimus. Datum* VIII. *kalendas Martii, indictione* VIII. *anno* XIV. *regnante domno Karolo gloriosissimo rege, redintegrante* IX. *Actum Corbiniaco palatio.* Hoc diploma Ernustus notarius ad vicem Askerici episcopi recognovit, illudque Marlotus [a] integrum retulit, quo diplomate, ut jam dixi, nihil luculentius ad probandam sancti Marculfi translationem e Nantensi monasterio in villam Corbiniacum. In consequentibus alia monumenta proferentur, quibus non minus diserte perpetua sacri ejusdem corporis in eodem loco possessio demonstrabitur : in quibus primum erit diploma Frederunæ reginæ, quæ hunc locum Remigianis monachis donavit.

[a] Marlot. to. 1. Metrop. p. 531. & s.

XXXII. Altahæ facta donatio.

In Bajoaria Jopertus quidam cum uxore sua Vastrada seu Fastrada res quasdam sancto Mauricio, id est Altahæ-inferioris monasterio, tradidit, & locum Ætilingam ab eodem monasterio in precariam accepit cum consensu Tutonis Ratisponæ episcopi & facultate Ludovici regis, cujus hac de re præceptum Hundius [b] retulit, datum *Regina civitate*, tertio kalendas Maii, hoc anno, qui Ludovici regis septimus erat. Eo tempore in hoc cœnobio monasticus ordo defecisse [c] dicitur, factique ex monachis canonici ad annos fere centum. quod qua ratione factum sit, culpa monachorum, an vi externa sæcularium, nobis haud exploratum. Apud Treviros sancti Maximini & sanctæ Mariæ ad Horreum abbatias tenebant Conradus comes senior & Gebehardus ejus frater : sed eas Gerardus & Matfridus comites ac fratres invadunt. Missus ad repetendos patris ac patrui honores Conradus junior, adversarios ad deditionem & pacem coëgit. Sic abbatiæ in prædam laicis cedebant.

[b] Metrop. Salisb. to. 2. p. 20. & s.
[c] ibid. p. 5.

Trevirensia monasteria.

ANN. CHR. 906.

XXXIII. Romani pontifices.

HOc tempore, si umquam alias, probatum est, quam fluxæ & caducæ sint summæ dignitates, cum unus annus plures numeraverit pontifices. nam Johanni nono, haud improbo pontifici, post annos tres regiminis, suffectus Benedictus quintus ad paucos menses, ob inopum curam a Frodoardo in carmine laudatus, tum Leo quintus, qui, testante eodem auctore,

Emigrat ante suum quam luna bis impleat orbem ;

mox Christophorus, qui paullo amplius *dimidio anno* hanc sedem adeptus, a nequissimo homine Sergio tertio, qui non semel a pontificatu repulsus fuerat, deturbatus est, ac monachus factus locum fecit infami monstro, ipsi nimirum Sergio, cui vulgati indices annos tantum tres, Frodoardus ejus temporis scriptor annos amplius septem tribuit. Hunc vero ante kalendas Augusti anni nongentesimi sexti cathedræ Romanæ incubasse probat inscriptio a Grutero [d] prolata, in qua sancti Primi martyris corpus Eremberto illustri comiti a Sergio papa juniore concessum, & Legiuni apud Insubres hoc anno, indictione nona, ab Angilberto archiepiscopo kalendis Augusti repositum dicitur.

[d] Grut. pag. 1162. n. 2.

XXXIV. S. Augendi monachorum controversia.

Habitus hoc anno episcoporum conventus in ecclesia sancti Augendi seu Eu-

ANN. CHR. 906.

gendi ſupra fluvium Borboniam in parochia Matiſconenſi : ubi cum Auſterius Lugdunenſis, & Gerardus Matiſconenſis antiſtites conveniſſent, orta eſt canonicorum ſancti Vincentii Matiſconenſis proclamatio adverſus monachos ſancti Eugendi *monaſterii Jurenſis*, qui capellam quamdam ſancti Vincentii in villa Gerii, a Lamberto epiſcopo ſibi datam contendebant ; quam contra canonici a Berterico in ſtipendia canonicorum conceſſam aſſerebant. Chartam donationis proferre juſſi monachi, eam exhibere non potuerunt, ſi qua fides ſchedulæ, quam Severtius vulgavit, & ex eo Labbeus in tomo nono conciliorum.

XXXV. Martinianus monachus, ejuſque ſcripta.

Haud ſcio an florebat hoc tempore Martinianus monachus, cujus ſcripta quædam, hactenus, ut puto, incognita, invenimus in codice Reſbacenſi, in quo quatuor ejus *exercitationum* libri, nempe duo ad monachos ſui temporis, unus ad clericos, unus item ad laicos, habentur. Hic diſciplinæ regularis cauſa miſſus ad quoddam monaſterium, inde juſſus eſt *ab abbate & prioribus ſuis, ut ad aliud monaſterium tranſmigraret, quod fertur ab anterioribus viris floruiſſe antiquitus opulentiſſime, opibus ſcilicet & terra, auroque & argento, ſeu omnibus ornamentis innumeris. Degebat autem illud monaſterium ſub regulari abbate, cui obediebant inibi fratres* CC LX. *Ibi enim cum aliis fratribus*, inquit ille, *mihi ſubtilioribus & nobilioribus, ad reſtaurandum* (ſic vocem banc fere detritam lego) *miſſus adveniſſem, multa adverſa ab invidis & falſis fratribus pertuli.* Quam ob rem is loco cedere compulſus, in ſolitudinem ſeceſſit, ibique duos monaſticarum *exercitationum* ſeu exhortationum compoſuit libros, quos *reverentiſſimo patri domino* J. nuncupavit, cujus in monaſterio aliquamdiu ſubſtiterat, forte abbati Reſbacenſis monaſterii, in quo hic codex, quem unicum eſſe opinor, a nobis repertus eſt. In primo libro invehitur in monachos, qui pretioſiora veſtimenta amant, contra quam ſanctus Benedictus præcipit ; veſtem ſanctam & humilem, quam ſancti patres ad inſinuandam humilitatem inſtituerunt, *tincturis & forcipibus* dehoneſtantes. Deinde hos arguit, quod apud eos omnino negligatur oratio, & quod ſpecie doctrinæ exeant e clauſtro, ambientes eſſe magiſtri, antequam ſint perfecti diſcipuli. Ad hæc, quod ambiant honores & dignitates. In ſecundo libro vitam cœnobiticam eremiticæ præferendam docet, tum cœnobitis varia dat monita. Poſtea inducit fratres quoſdam ita de ſe conquerentes. *Quare cogitur nobis hic obſervatio regulæ, pluſquam in aliis locis. nam in alio monaſterio, & in illo ſic vivitur, & ſic vivitur ; & ſunt ſine murmuratione & diſſenſione, ſicut præcipit ſanctus Benedictus. Hæc enim ſuperſtitioſa ſunt, quæ iſte impoſtor cogit nobis facere.* Ad quos ille reſpondet, ſe nihil amplius exigere, quam quod in evangelio, in apoſtolis & in regula legitur. Ad hæc ſilentium in eccleſia, dormitorio, refectorio & in coquina ſervandum docet. *Propterea ſi quis ex nobis*, inquit, *loca ſancta, ſilentio perpetualiter dedicata, fabulis polluerit, vel in quocumque loco contra præcepta regulæ quippiam egerit, non poteſt expiari, niſi per veniam & ſatisfactionem.* Ob hanc cauſam inter monaſterii officinas *fabulatorium* inſtitutum ait, ubi neceſſaria dici poſſint.

Liber tertius *exercitationum contra transgreſſionem clericorum editus* a Martiniano, inſcriptus eſt in hunc modum : *Nobiliſſimis ac præclariſſimis dominis meis, ſcilicet ſancti Martini alumnis, frater Martinianus omnium monachorum extremus, in Redemtore pio de occultis hoſtibus nobilem triumphum.* In primis arguit clericos, quod non clericalem habitum, ſed arma geſtarent ; quod cum feminis cohabitarent, ad venationes pergerent, eſſentque negotiatores. Dein eos ad officium mortis conſideratione revocat. Denique tria in eis præcipua vitia notat, ſuperbiam, avaritiam, & luxuriam. quæ ipſamet vitia ſunt, quæ in ſæculi ſui hominibus Abbo monachus Pratenſis, ut ſuperius vidimus, reprehendit. Quartus Martiniani libellus ad laïcos eo ſpectat, ut eos a delectamentis carnalibus, ab amore principatus, & a vana ſpe deterreat. Hujus porro auctoris ætas colligitur, tum ex ſcriptura Reſbacenſis codicis ſcripti ante annos ſeptingentos, tum ex raritate monaſteriorum, in quibus tunc diſciplina monaſtica viguiſſe dicitur ; tum ex more geſtandi arma, quem in clericis arguit, ad finem ſæculi noni conſueto ; tum denique ex eo, quod Martiniani alumni, id eſt ſancti Martini apud Turonos canonici, quibus librum ſecundum de clericis nuncupat, jam cucullum abjecerant. Unde veri ſimillimum eſt, Martinianum ſub initia ſæculi decimi ſcripſiſſe, & quidem ante natam congregationem Cluniacenſem, per quam regularis diſciplina in multis monaſteriis eo ſæ-

culo refloruit. Forte monasterium illud, ad quod restaurandum missus est, erat Majus-monasterium olim percelebre, quod sæculo decimo fere in solitudinem, & ad paucos clericos redactum erat.

ANN. CHR. 906.

XXXVI. Auxilius an monachus.

Ipso tempore florebat Auxilius, vir pro temporum captu eruditus, qui pro Formosiana causa libros duos composuit, præmissa libro secundo epistola ad Leonem Nolanum præsulem, quam nullo addito titulo *Auxilius* scripsit. Hunc Francum fuisse suspicatus est Morinus, qui duos hosce libros, partim a Baronio editos, in lucem protulit, eumdemque sacerdotio a Formoso initiatum fuisse colligit, maxime ex capite ultimo libri primi, obi auctor ait, se aliosque, qui a Formoso ordinati erant, *in sacro ordine, quo consecrati erant, permanentes, præstolari universalis concilii æquissimum examen.* quod Johannes nonus pro Formoso tulit. Verum hæc verba Auxilium quidem a Formoso *sacro ordine* initiatum fuisse probant; at de sacerdotio aperte non loquuntur. In necrologio Casinensi ad octavum kalendas Februarii memoratur *Auxilius diaconus & monachus.* & in alio codice Auxilii presbyteri quæstiones in Genesim habentur sub hoc titulo & initio, INCIPIT PROLOGUS AUXILII PRESBYTERI. *Omnis divina scriptura bipertita est &c.* Constat liber hic capitulis CXXXVII. an vero sit ejusdem Auxilii, qui pro Formoso scripsit, mihi non liquet. at certum est ipsiusmet esse aliud pro Formoso opusculum, quod alterius veluti compendium est, editum in tomo quarto Analectorum nostrorum, in cujus initio ait, se, ut vilem & stupidam ovem, silentium tenere debere; suum esse orare, non docere. quæ verba monacho non male conveniunt. Ceterum qualis fuerit auctor ille, ignoravit Sigebertus, qui eum simpliciter Auxilium vocat.

XXXVII. Adelfonsi regis epistola ad canonicos S. Martini.

Redeo ad canonicos sancti Martini Turonensis, ad quos Adelfonsus seu Adefonsus rex Hispaniæ epistolam hoc anno scripsit, quæ etsi rebus nostris non omnino conveniat, tamen haud prætermittenda hoc loco visa est. In hac epistola ait se legisse litteras, quas illi *ad egregium pontificem apostolicæ Jacobi sedis archiepiscopum Sisinandum* per Mancionem & Dactum deferri procuraverant; iisque lectis, se quidem gavisum fuisse de eorum sospitate: at magnopere doluisse *de Normannorum audacia, qui domum sancti Martini incenderant, suffoderant, & ejus pascua depasti erant.* se tamen Deo gratias agere de mirabilibus, quæ in eorum ecclesia per sanctum Martinum patrari significant; ac valde lætari, quod de domo Dei quantocius instauranda solliciti sint. Ceterum quod Sisinando scribunt, penes se haberi *coronam imperialem, ex auro & gemmis comptam*, quæ regiæ majestati conveniat; eam deferri curent ad Amalwinum ducem Burdellensem, ad quem hoc anno, *qui est incarnationis Domini* DCCCC VI. *indictione nona*, nuntios & naves missurus sit ad Maium mensem, ut is de pretio coronæ pacisci possit. Tum addit rex se optare, ut quidquid illi habent de virtutibus a sancto Martino post obitum factis, ad se dirigere ne graventur, quippe qui tantum ea penes se habeat, quæ in vita ipsius usque ad obitum peracta sint; se vero vicissim ad eos missurum multorum virorum illustrium vitam & virtutes, scilicet *Emeritensium sapienter conscriptas*, quæ in eorum archivis non haberi opinatur. His postremis verbis hand dubie indicatur liber, quem Paulus diaconus de sanctis Emeritensibus scripsit. Hoc Martinianæ basilicæ per Normannos incendium anno Christi nongentesimo-quarto accidisse legitur in chronico Turonensi, quod fidem præmissæ conciliat epistolæ, a Chesnio editæ in notis ad bibliothecam Cluniacensem, cujus authenticum in archivo Martiniano vidimus, & cum editis contulimus.

XXXVIII. Monasteria circum S. Jacobi apud Hispanos ecclesiam.

In ejus fine Adefonsus quædam addit de sancto Jacobo apostolo, ejusque reliquiis in Hispania honoratis, deque situ ecclesiæ ipsius tumulo illustratæ, quam a mari Vivo usque ad duos fluvios, quos antiqua vetustas Voliam & Sarem nominavit, id est ad locum, qui dicitur Bisria, ubi est sedes Iriensis ecclesiæ sanctæ Eolaliæ, ait distare millibus decem; & ex eo loco ad gloriosum sancti Jacobi sepulcrum millia duodecim computari. In hac porro ecclesia monachos instituti nostri principio divina celebrasse officia intelligitur ex scriptura quadam Didaci episcopi secundi ab Antonio Yepesio [a] relaia, cujns hæc fere summa est, si bene barbari instrumenti sensum assecutus sum. Cum sancti Jacobi apostoli corpus tempore Adefonsi Casti & Caroli Magni revelatum fuisset; communi consillo visum fuit, ut episcopalis sedes Iriensis ad hunc apostolicum transferretur locum, ubi post Theodomirum episcopum, sub quo hæc revelatio facta est, Ataulfi duo antistites

[a] Yepes to. 4. scrip. 11.

AN. CHR. 906.

» hunc locum rexerunt. His quarto loco successit Sisnandus seu Sisinandus episcopus, cujus in superiori epistola mentio facta est : qui basilicam sancti Jacobi a fundamento ædificavit, aut potius ampliorem fecit, opitulante in primis Adefonso rege cum Scemena regina, & filius suis Garsia, Ordonio, Froila, & Ranimiro ac Gundisalvo diacono, eamque cum plurimis totius Hispaniæ episcopis secundo consecravit. Atque ut divina illic officia ea, qua par erat, dignitate celebrarentur, clericos & monachos in varias *familias & decanias* seu turmas, ut Romæ in Vaticana & Lateranensi basilicis, & alibi olim factum est, distribuit, quarum unaquæque suo tempore & ordine ibidem sacra persolveret. Quapropter quatuor in circuitu basilicæ exstruxit monasteria diversi gradus, ad quæ clerici, ubi otium sanctum experiri cuperent, recipere se se possent. Primum erat monasterium sancti Petri, *Ante-altare* dictum, sub abbate Ataulfo, quod majoribus clericis designatum erat. Secundis *arcisterium* de Pinario, sanctæ Mariæ, sanctisque Stephano ac Columbæ sacrum, sub abbate Guto. Minoribus Jovium : minimis denique Turris. quæ omnia congruis ædificiis ac reditibus instruxit. Processu temporis aucto monachorum numero, cum grave esset monachis e suis locis ad sanctum Jacobum, indeque *ad proprium titulum*, scilicet sanctæ Mariæ de Cortecella, quotidie accedere; Petro episcopo & *dominis sancti Jacobi* placuit intra Pinarii claustrum aliud servorum Dei parvulum habitaculum fabricari in honorem sancti Martini, quod a tempore Veremundi principis & Velasquiræ reginæ stetit usque ad imperium Adefonsi totius Hispaniæ principis & imperatoris, & præsulatum Didaci episcopi eo nomine primi. quo tempore Adulfus abbas, vir sanctus, monachorum cœtum in dies augeri videns, nec illis capiendis istud habitaculum idoneum esse ; illud subruit, aliudque magis amplum exstruere cœpit. sed cum hoc morte præventus absolvere non potuisset, id perfecit Leovegildus abbas, ejus consobrinus ac successor, vir prudentia, probitate ac sanctitate insignis : quod Didacus episcopus, ejus nominis secundus, consecravit, ac *soli Deo & regulæ sancti Benedicti abbatis*, uti prius, *& beato Martino*, aliisque sanctis, *quorum reliquiæ in ipso monasterio Pinario* erant, subjectum esse voluit. Plura de hoc monasterio inferius ; & de aliis a Sisinando episcopo exstructis. Perstabat ad finem usque sæculi undecimi sedes Iriensis, inde Compostellam translata ab Urbano II. ut legitur in historia Compostellana, Didaci secundi jussu scripta, in qua etiam de prædictis monasteriis agitur.

XXXIX. S. Vincentii de Pino monasterium. In eadem Galliciæ regione exstabat eodem tempore monasterium sancti Vincentii de Pino, in terra Lemabusensi *, ubi castrum Luctonium situm erat : quod modo Montis-fortis opidum dicitur, in Gallicia haud ignobile. Hujus monasterii Spassandus abbas interfuit Ovetensi concilio, quod Alfonsus Magnus paullo post conditum Ovetum * convocari curavit. In eo concilio patres Spassando abbati, ejusque ecclesiæ concessere *licentiam ligandi atque solvendi in tota terra de Lemabus, ac seminandi semen vitæ æternæ*, uti vetus instrumentum apud Yepesium a docet. De tempore hujus concilii ac Spassandi abbatis gravis disceptatio est inter Hispanos, aliis id ad principatum Alfonsi Casti, aliis ad Magni referentibus. Verum potior est secunda opinio, probaturque ex quadam charta Compostellanæ ecclesiæ, facta *Sissenando episcopo & congregationi sancti Jacobi* æra nongentesima tricesima-secunda, cui instrumento Spassandus abbas cum aliis subscripsit. Ex quo intelligitur, hoc sancti Vincentii monasterium ante illam æram jam exstitisse. In veteri codice sancti Galli hos versus legimus post librum prognostici Juliani Toletani :

* de Lemos.

* Oviedo.

a Yepes script. 12.

Vivere feliciter, Spassande papa,
Jugiter per sæcula longa.

quod an de Spassando nostro, qui factus sit episcopus, interpretandum sit, incertum. Superest etiam nunc hoc monasterium in diœcesi Legionensi, in qua spiritualem hactenus jurisdictionem exercet ex præscripto jam dicti concilii Ovetensis, ut olim Insulæ-barbaræ abbas in Lugdunensi. Sunt qui hujus monasterii antiquitatem ad longa retro tempora revocant, ac Spassandum ejus loci decimum abbatem esse volunt. Verum in illis Hispanicæ historiæ tenebris pedem figere difficile est.

ANN. CHR. 906.

X L. Novaliciense monasterium devastatum a Sarracenis.

Ab Hispania ad Pedemontanam regionem veniendum, ubi Novaliciense inclytum olim monasterium, hoc anno direptum a Sarracenis, ac pervastatum legitur. Nempe hoc tempore pars [a] horum barbarorum, qui Burgundiam, Italiam, adjacentesque regiones vastarunt, in Provincia Galliæ apud Fraxinetum oram maris prope Arelate consistebant. Cum vero inde prædabundi huc illucque discurrerent, Domnivertus Novaliciensis abbas, imminentis periculi pavore perculsus, Augustam-Taurinorum cum suis se recepit, relictis tantum duobus ad custodiam loci monachis; & in suburbana ad portam Segusinam ecclesia sui juris, sanctis Andreæ & Clementi sacra, quæ postea sancti Benedicti dicta est, consedit. Post ejus discessum Sarraceni, in illas effusi partes, cœnobium invasere; direptisque omnibus, quæ asportari poterant, ecclesias & ædificia omnia cremavere, interfectis duobus illis monachis, qui ad custodiam loci relicti fuerant. Inter ea Domnivertus abbas Taurini monasterium ædificare cœpit, totamque supellectilem cum libris ecclesiasticis interim commendavit Riculfo Taurinensis ecclesiæ præposito, a quo annonam sub hoc pignore mutuo accepit. Riculfo mortuo, tota fere illa supellex cum libris amissa est, nec recuperari potuit. Aliter hanc jacturam narrat chronographus [b] apud Ughellum. Ardoinus quidam, Dodi filius, aliquot Sarracenos bello captos dum in civitate retineret, hi intempesta nocte monasterium sancti Andreæ combusserunt, quo incendio bibliotheca conflagravit præter quingentos libros, quos Riculfus præpositus penes se habebat. Id contigit sub Willelmo episcopo, qui sancti Secundi martyris Thebeanæ legionis reliquias in templum sancti Johannis Baptistæ transtulit, & passionem sancti Solutoris composuit. Ceterum Domniverto abbati anni quadraginta duo regiminis tribuuntur.

a Chesn. to. 3. p. 631.

b Ital. Sac. to. 4. c. 1434.

X L I. Montis-olivi monasterio legata ecclesia.

Ad hunc annum revocandæ sunt litteræ Adalindæ comitissæ pro exsecutione testamenti Acfredi comitis, a quo eleemosynarii seu exsecutores testamenti designati cum Adalinda ejus uxore Aldebrandus abbas, Unestus & Chevellinus presbyteri, atque Rodolites, qui monasterio sancti Johannis-Baptistæ, siti in territorio Carcassensi ad fluvium Duranum in Castro-Malasti, cui tunc Renulfus seu Ranulfus abbas præerat, quoddam alodium in comitatu Redensi, juxta montem Basseræ, in loco dicto sancti Martini, cum ejus loci ecclesia ex mandato Acfredi comitis contulerunt. *Facta hæc scriptura donationis* XI. *kalendas Martii, anno [nono] regnante Karolo rege, sub æra nongentesima quadragesima-quarta, indictione nona*, cui subscribunt Acfredus, filius ipsius Acfredi, Hildebrandus abbas, & alii, ut in Appendice.

X L I I. S. Johannis abbatia S. Benigni monachis data.

Ante hoc triennium Argrimus Lingonum præsul, litem de decimis abbatiolæ sancti Johannis, quam Fulbertus abbas tenebat, & ecclesiæ sancti Stephani Divionensis in synodo composuit, scriptis [c] hac de re litteris, quibus Warinus & Gualcaudus abbates inter alios subscripserunt. In necrologio Benigniano laudatur pridie idus Junii Warinus abbas, sed cujus loci, non exprimitur. Certe sancti Benigni monasterio tunc præsidebat Lanterius abbas, sub quo idem Argrimus episcopus *abbatiam* [d] *sancti Johannis, quam quidam Fulbertus monachus beneficiario jure tenebat*, ad communem utilitatem fratrum, & quosdam alios reditus, *supplicante Lanterio abbate concessit*. quod Carolus rex, petente [e] Richardo duce & Manasse comite, regali præcepto confirmavit. Idem Argrimus capellam, in Prumido sitam, deputavit ad usus infirmorum, & supradictam sancti Johannis ecclesiam *ad servitium hospitum*. ubi claustralia officia vides, superiori sæculo jam usitata. Hæc sancti Johannis abbatia, sancti Benigni proxima basilicæ, nunc parœcialis ecclesia est. Denique idem Argrimus [f] in synodo diœcesana, hoc anno mense Septembri habita, inter cetera egit de instauranda ecclesia sancti Vincentii, quæ in castro Divione sita dicitur. quod opus Rarberius archidiaconus una cum nepote suo Adefrodo in se recepit; ipse vero Argrimus mansum unum in villa, *Fontanus* dicta, quæ milliario uno prope Divionem posita est, eidem ecclesiæ impertiit. Litteris hac de re confectis, subscribunt quatuor archidiaconi, *Allevertus abbas exiguus*, aliique canonici & clerici, & post eos quatuor antistites, quibus Argrimus hoc instrumentum extra synodum postea subscribendum exhibuit, nempe Ansterius archiepiscopus Lugdunensis, Walo Æduensis, Ardraditius Cabilonensis, & Geraldus Matisconensis episcopi. Hæc episcoporum subscriptio facta est *die quarta feria, mense Julio, anno decimo-tertio regnante domno Karolo Francorum rege*. Prædicta villa Fontanæ postmodum ortu sancti Bernardi abbatis illustrata fuit. De eadem villa

c Perard. p. 54.

d Spicil. to. 1. p. 422.

e ibid. p. 421.

f Perard p. 55.

rursus agitur in alio instrumento [a] relato apud Perardum.

ANN. CHR. 906. a *ibid. p. 62.* XLIII. S. Apri confirmatæ possessiones.

Dum Ludovicus rex Mettis hoc anno versaretur, *ab insignibus archiepiscopis* Athone seu Hattone & Rathpodo, Moguntino ac Trevirensi, interpellatus est, » *ut monachis ex cœnobio sancti Apri Tullensis ecclesiæ* villas & possessiones, in diversis » locis conjacentes, præceptis superiorum regum, præcipue piissimi regis & genito- » ris sui Arnulfi, confirmatas, novo diplomate roboraret. quod indulsit rex perli- » benter. *Data anno incarnationis dominicæ* DCCCC VI. *anno vero domni HLudovici regis* VII. *indictione* IX. *die vero* XIIII. *kalendas Septembris. Actum Mettis civitate.* Theodulfus notarius ad vicem Ratpodi archiepiscopi, summique cancellarii recognovit.

ANN. CHR. 907. XLIV. Frederunæ reginæ dos. b *Diplom. p. 558. & seqq.*

POstero anno Christi nongentesimo-septimo, Carolus rex Frederunam, Bovonis postea Catalaunensis episcopi sororem, matrimonio sibi copulavit, eique duos fiscos in dotem concessit, Corbiniacum scilicet in comitatu Laudunensi, cum cella beati Petri, ubi sancti Marculfi corpus repositum fuisse diximus, cum ecclesia item in proxima villa Craona; & Pontigonem in pago Pertensi super fluvios Saltum & Bruscionem. Ejus rei diploma [b] *datum* est XIII. *kalendas Maias, indictione* X. *anno* XV. *regnante domno Carolo gloriosissimo rege, redintegrante* X. *Actum Atiniaco palatio.* ubi nuptiæ celebratæ videntur.

XLV. Resbacensis abbatia Parisiacæ ecclesiæ data.

Non multo post, ipsius Frederunæ in primis favore, Anschericus Parisiensis præsul Resbacensem sancti Petri abbatiam, Jerusalem cognominatam, quam ipse jam in beneficium habebat, ecclesiæ suæ obtinuit *in supplementum desolatæ ecclesiæ, quæ Normannica penitus infestatione destructa, & prope ad nihilum redacta erat.* Id concessum interventu quorumdam principum regi assistentium, Frederunæ videlicet conjugis carissimæ, necnon & dilectæ Gislæ abbatissæ, forte Calensis, atque venerandi comitis Rotberti & Adelæ comitissæ, Altmari item & Erchengarii comitum. *Datum* XI. *kalendas Junii, indictione* X. *anno* XV. *regnante domno Carolo glorioso rege, redintegrante* X. *Actum in villa Disiaco.* Hoc diploma refertur a Philippo Labbeo, Gerardo a Bosco, & in Gallia-christiana. Processu temporis hæc abbatia in pristinum statum redintegrata est, & quidem ante finem decimi sæculi, quo tempore Ragenardus abbas eidem monasterio præerat.

XLVI. Judicium pro Romanensi monasterio. c *Capitul. to. 2. c. 1527.*

Habita est hoc anno synodus apud Viennam [c] metropolim, jubente ac præsidente Alexandro ejusdem ecclesiæ archipræsule, in qua ventilata est altercatio *inter Aribertum abbatem Romanensis monasterii, & Barnardum venerabilem monachum, sanctique Mauricii abbatem*, de decimis territorii Tausiacensis, quas ille ad parochiam suam sancti Primi villæ Tausiaci, hic ad capellam sancti Severi, quæ sui juris erat, pertinere contendebat. Auditis demum utrimque rationibus ac testibus, lis Ariberto Romanensi abbati adjudicata est. Huic judicio interfuere præter alios Waldo & Leudo abbates. Si monasterium illud sancti Mauricii erat Agaunense, mirum sit ei præfuisse Barnardum monachum, quippe quod paullo ante sæcularium canonicorum erat; an monachis tum restitutum, nobis latet.

Synodus apud S. Tiberium. d *Marca Hisp. col. 377. & seqq.*

Apud Cesarionem seu Cesseronem ad Araurem fluvium in diœcesi Agathensi, id est in monasterio sancti Tiberii, coactus est cœtus episcoporum pro causa ecclesiæ Ausonensis, de qua jam actum fuerat anno superiore in synodo Barcinonensi. Quæstio erat de annua [d] pensione libræ argenti, quam Narbonensis archiepiscopus ab Ausonensi ecclesia in signum subjectionis exigebat. quod tributum ulterius pendi non debere patres pronuntiarunt.

XLVII. Mauri-monasterii abbates. e *V. lib 30. n. 23.*

Mauri-monasterii in Alsatia regimen hoc anno Conradus abbas [e] morte resignavit Landelorso Coloniensi, qui magistratum per annos viginti-tres gessisse dicitur. Huic suffectus Oswaldus ad annos triginta, quem Franciscus Parisinus excepit, post annos præfecturæ unum & viginti successorem sortitus Landelorsum ejus nominis secundum; hic anno millesimo Adelonem, qui annos triginta-tres eidem loco præfuit. De eorum gestis nihil observatu dignum nobis occurrit.

ANN. CHR. 908. XLVIII. Regino chronicon absolvit.

INsequente anno nongentesimo-octavo Regino, olim Prumiensis abbas, chronicon suum duobus libris absolvit, illudque nuncupavit Adalberoni Metensi episcopo, qui Trevirensis in editis perperam dicitur. In titulo operis Regino se tantum *omnium christicolarum extremum* vocat. Exordium sumit ab incarnatione Domini

ANN. CHR. 908.

mini, cœptumque opus perducit usque *in præsentem*, inquit, *annum*, *qui computatur a præfata incarnatione Domini nongentesimus-octavus*. Et tamen in editis ejus chronicon desinit in anno nongentesimo-quinto, atque etiam eodem modo desinebat in optimæ notæ exemplari Gemblacensi, quod aliquando nobis visum nuper cum tota ejus loci bibliotheca incendio periit. In fine auctor lectorem rogat, ut, si ille hoc chronicon describi voluerit, hanc præfatiunculam nequaquam omittat. Cujus loci episcopus fuerit Adalbero ille, cui Regino chronicon suum inscripsit, non docent veteres libri. Trevirensi archiepiscopo id perperam tribuit Pistorius, Metensi quoque Sigebertus. Consulenda hac de re hujusce tomi Præfatio. Quam diu post absolutum chronicon vixerit auctor, incertum. Sepultus est in basilica sancti Maximini, ubi forsan extremos vitæ dies absolvit. Ejus rei testes cum epitaphio cineres, ait[a] Browerus, hac nostra ibi ætate in sepulcro lapideo, cum duabus diffracti litui partibus, eruti. quod epitaphium a Browero prolatum optaremus. Atque hanc ille tristioris vitæ sortem, addit Browerus, christianæ modestiæ causa scriptis prodere noluit, quamvis facturum se in chronico recepisset.

S. Maximini inventio.

Ejus tempore corpus sancti[b] Maximini, quod Nortmannici belli metu defossum, pæne in oblivione erat, dum sarciendis ecclesiæ ruinis operam darent artifices, casu repertum est. quod Ratbodus pontifex, triduano præmisso jejunio, e conditorio cypressino sublatum, non modo illibatum, ac tabis omnino expers, sed amictu pontificali indutum reperit, tam integro, ut eo ipso die conditum diceres. Hæc fusius Sigehardus, qui se a Wenidone teste oculato id accepisse memorat. Ejus porro inventionis fama circumquaque emanavit usque ad sancti Galli monasterium, ubi Notkerus Balbulus eam tunc in suum martyrologium ad sextum kalendas Junii retulit, agens de sancto Maximino, *cujus indumenta sacerdotalia in urna area, adusque nostra*, inquit, *immo Nortmannorum tempora, in testimonium sanctitatis ejus visebantur incorrupta*. Florebat eo tempore in suburbano sancti Mathiæ monasterio, Eberhardus[c] monachus & scholis præfectus, qui complura ad historiam Trevirorum addidisse, vitam quoque sanctorum Eucharii, Valerii, & Materni primorum Trevirensium pontificum, tam metro, quam prosa conscripsisse dicitur, & sequenti anno obiisse.

XLIX. Adalbero Augustensis invisit S Gallum.

Hoc ipso anno[d] Adalbero, Augustæ-Vindelicæ pontifex, una cum Meginberto Sebonensi antistite, venit ad sanctum Gallum die sabbati, idibus Octobris in pervigilio sancti Galli, festum ejus ibidem, ut olim pollicitus erat, celebraturus. Is post nocturnas vigilias, mane ad sancti Galli tumulum accessit, ejusque altari crucem auream gemmis ornatam, & calicem onychinum auro & gemmis eleganter instructum, cum patena aurea itidem gemmis ditata, imposuit, cum palliolo quoque, & casula, aliisque sacerdotalibus indumentis. Ad hæc campanam insignem eidem loco dedit. Inde ad sancti Othmari loculum accedens, pretiosum ad ejus aram palliolum obtulit, ac simile sancti Petri oratorio concessit. Postero die, quo basilicæ dedicatio recolebatur, plerosque monachorum munusculis honoravit, quibusdam *purpuras tyriacas*, *aliis palliola viridia* cum albis seu linteis pretiosis largitus. Tertia die singulis fratrum *pellicium cum pelle curamisia* dari præcepit. Quarta, singulis item aut *sagum laneum album*, *aut camisile subtile ac grande*, aut *lenam opere plumario contextam*. Ipso die, refectorio circumquaque tapetibus instructo, convivium fratribus exhibuit, quibus calices argenteos prægrandes concessit. Quin etiam in pyrali (minutiora persequor) pectines eburneos appendi jussit. Tantæ munificentiæ ut gratos se præberent Sancti-Gallenses, sancivere, ut tam ipsi Adalberoni, quam ejus successoribus, eadem precum suffragia, ac proprio abbati, exhiberent. Meginberto etiam episcopo suffragiorum communio indulta.

L. Cremisanium vastatum.

Eodem anno Turingia & Saxonia ab Hungaris vastatæ. Cremisanensi monasterio tum vastitas illata, quæ centum minimum annos duravit. Homines illic quinquaginta interfectos fuisse loci traditio est. Non licuit tam cito monasterium a ruina vindicare, Hungaris Boicas provincias infestare perseverantibus, dum tandem ab Ottone Magno penitus domiti sunt. Patavienses interim pontifices, ut ecclesiæ suæ vastitatem solarentur, Cremisanense, aliaque cœnobia in beneficium acceperunt, dum prædones, quidquid ex eo corradere valebant, in suos convertebant usus. Cœnobium tandem post varios casus a sancto Heinrico imperatore instauratum.

a Browerr. annal. Trevir. to. 1. p. 441.
b ibid. p. 440
c Trithem. Chron. Hirsau.
d Gold. tom. 2. p. 181.

ANN. CHR. 908
L I.
Laubiæ & Fossæ Leodicensi ecclesiæ confirmatæ.

Per idem tempus Herimannus[a] Agrippinensis ecclesiæ præsul, simulque Gebehardus & Reginarius comites, vice Stephani Leodicensis episcopi, a Ludovico rege obtinuerunt, ut Laubacensis abbatiæ donatio[b] ab Arnulfo rege facta, eidem Leodicensi ecclesiæ confirmaretur; eique concederetur abbatia, quam *Fossas* vocant, a Gisla abbatissa, ipsius Ludovici consanguinea, ejus consensu acquisita. Actum Aquisgrani palatio, v. kalendas Februarii, hoc anno, regis Ludovici octavo, indictione undecima.

a *Miræus notit.* p. 82.
b *V. lib.* 39. n. 44.

ANN. CHR. 909
L I I
Trosleianum concilium.
* *Trosly.*

CElebre in primis fuit anni insequentis nongentesimi-noni concilium, quod *in pago Suessionico, in loco Trosleio*, sexto kalendas Julii celebratum est, præsidente Heriveo metropolis Remorum archiepiscopo, cui coëpiscopi Remensis diœceseos interfuere. Trosleïum * in pago Suessionico duplex, unum ad Axonam, Suessionas inter & Compendium, sed Compendio vicinius: alterum haud procul a Noviomo civitate, superius memoratum in diplomate Zuenteboldi regis, in Trosleïum superius & inferius divisum pro more villarum regiarum: quo in loco hoc concilium, & alia quædam habita sunt. In præfatione hujus synodi patres de regni cladibus, depopulatione urbium, ruina & incendio ecclesiarum ac monasteriorum, de vastitate agrorum & terræ sterilitate ingemiscunt: quæ ob peccata hominum, stupra, sacrilegia & homicidia justo Dei judicio accidisse confitentur. Dein, postquam de honore & cultu ecclesiarum Dei, ac de statu regni, & fide regi debita duobus primis capitulis statuerunt, tertium instituunt *de regulari statu jam pene collapso*, do» lentes maxime, quod monasteria partim a paganis incensa vel destructa, partim » rebus spoliata, & ad nihilum prope redacta sint, ita ut in eis nulla regularis nor» mæ instituta serventur. Hujus vero mali causam præcipuam hanc esse dicunt, quod » propriis & competentibus careant rectoribus; &, dum contra omnem ecclesiæ » auctoritatem prælatis utuntur extraneis; in eis degentes, partim indigentia, par» tim malevolentia, maxime vero inhabilium præpositorum inconvenientia, moribus » vivunt incompositis; & qui sanctitati, religionique cælesti intenti esse debuerant, » sui velut propositi immemores, alii terrenis negotiis vacant; alii necessitate co» gente, monasteriorum septa deserunt, & volentes nolentesque, sæcularibus juncti » sæcularia exercent. Hinc in monasteriis Deo dicatis monachorum, canonicorum, » immo & sanctimonalium, abbates laïci cum suis uxoribus, filiis & filiabus, cum » militibus & canibus morantur; atque adeo in monasteriis regularibus laïci in me» dio sacerdotum & ceterorum religiosorum, ut domini ac magistri, residentes, velut » abbates de illorum vitâ & conversatione ac regula, sibi penitus ignota, perverso » ordine dijudicant. quæ pro certo abominatio illa est, de qua Christus in evangelio » loquitur. His præmissis, censent patres, ut status monasteriorum inviolatus, juxta » antiquam regulæ traditionem & canonum constituta, servetur, *& ut abbates sint* » *religiosæ personæ, & quæ regularem noverint disciplinam.* nam quemadmodum au» rum sine aurifice in pristinum non potest reformari colorem: sic monastica vita sine » regularis abbatis providentia, in pristinum ordinem nequit reformari. Monachi » vero & sanctimoniales secundum suam professionem sobrie, pie, ac simpliciter vi» vant, ac pro regum salute, ac regni pace, & ecclesiæ tranquillitate Deum pre» centur; non sæcularibus curis vel negotiis occupentur, nec pompas sæculares quæ» rant, neu ecclesiastica jura interturbent; sed, juxta proprietatem sui nominis, » quiete otium amplectantur. Denique aiunt patres, dum privilegia status ecclesia» stici servata sunt, statum regni non modo conservatum fuisse, sed in melius pro» fecisse: at, postquam hæc parvi pendi cœperunt, labefactatum in dies, & jam » pæne ad nihilum redactum esse, qui olim florentissimus exstiterat. Tantam abbatum laïcorum aut sæcularium tabem nulla fere non sensere monasteria, maxime antiquiora & insigniora, præter Corbeiense, quod ejus corruptelæ prorsus tum expers fuit, magno Dei præpotentis beneficio, qui locum religione ac doctrina inclytum per illas tempestates fere intactum & intaminatum servavit. Eadem fere abbatum fortuna fuit in Floriacensi monasterio, atque in Corbeiensi.

L I I I.
Odonis & Adhegrini secessus Balmam.

Insignis est in primis hic annus secessu Odonis nobilis Franci, qui monastici ordinis columen, ornamentum, & reparatæ monasticæ legis velut alter Esdras exstitit. Pater ejus Abbo ex militari Francorum prosapia, in laïcali proposito religiosus, Willelmo Aquitaniæ duci, qui Cluniaci auctor fuit, maxime familiaris,

conjugem æque piam (nomen reticent veteres) at sterilem sortitus est. Hic desperata posteritate, cum ad partum beatissimæ Virginis de more excubias celebraret, Odonem a Deo precibus obtinuit. Albo nobis notandus lapillo est annus octingentesimus septuagesimus-nonus, qui ei vitæ principium dedit. Alitus est puer partim in domo Fulconis-Boni Andegavensis comitis cum Fulcone ejus filio, quem in quadam epistola *collactaneum suum* vocat; partim in domo Willelmi Aquitaniæ ducis, cognomento Pii, qui eo tempore Aquitaniam & Gotbiam regebat, auctor cœnobii Cluniacensis, cui alumnum nesciens, immo rectorem informabat. Hic Odonem ablactatum cuidam presbytero suo, in remotiori loco manenti, educandum & litterarum studiis imbuendum tradidit. Post hæc in Willelmi aula militaribus exercitiis applicatus, ad sanctiorem militiam a Christo Domino vocatus est anno ætatis suæ sexto-decimo, cum per biennium in paternis ædibus gravi dolore capitis afflictatus fuisset. Dein sancto Martino ex voto parentum se addixit fere vicennis, atque in Turonensi ejus basilica canonicus factus, cellam & annonam ex munificentia Fulconis alumni sui adeptus est. Etsi vero tum vitam pie instituerat, legendo tamen Virgilio nimisquam intentus, viso ab hac lectione revocatur. Non tamen scientiæ studium in ejus animo restinctum. quin immo amore discendi Parisiorum urbem adiit, Remigium Autisiodorensem monachum, qui litterarum studia istic moderabatur, auditurus. Huic adhærens Odo, liberales artes ac dialecticam ab eo didicit. Regressus a studiis totum se ad pias exercitationes convertit. Hinc Gregorianos moralium libros lectitare solitus, ut eos in compendium redigeret, a sodalibus suis adductus est. Vigebat hoc sacro in loco etiam tum, post monastici instituti abdicationem, quædam forma vitæ regularis. Trecentorum monachorum numerus ad centum-quinquaginta canonicos redactus erat, ac jugis psalmodia in discretas horas. Servata nihilo minus regularibus claustris sua reverentia; in summa pleraque ibidem ad clericalis honestatis formam composita. At post alterum ejus basilicæ incendium res in pejus abiere; permissus feminis in claustra aditus. qua de re Odo ipse in sermone, quem de isto incendio edidit jam monachus rogatu canonicorum, conquestus est, & post eum Leo papa septimus in epistola [a] ad Hugonem principem & abbatem, ubi laïcales & nimium *pompo∫as* canonicorum vestes etiam reprehendit. In illa Martiniana schola tantum profecit Odo noster, ut jam sanctus ab omnibus haberetur. Ejus sanctitatis ac precum virtutem probavit Fulco-Bonus mox laudatus, qui ob subtracta sancto Martino duo vascula aurea gravi morbo percussus, sanitatem ejus orationibus recuperavit. Hujus rei fama celebratus Odo, secessum meditatur. Id animo agitanti occurrit sancti Benedicti regula, ex cujus præscripto per trienniam decubuit vestitus, & necdum monachus monachorum jugo assuescere cœpit. Fulconem comitem ad suas partes forte inviraverat: cum ille necdum tempus opportunum esse prætexens, Adhegrinum quemdam militem, armis strenuum, Odoni designavit, conciliavitque. Ambo itaque angusto conclusi tugurriolo, ad monastica vota in dies anhelabant. At nullus eis occurrebat locus, in quo vigeret disciplina regularis. Missus Romam Adhegrinus, ut religiosas illic domos lustraret, in itinere Balmam divertit, ibique a Bernone abbate perhumaniter exceptus est. Arrisit ipsi abbatis humanitas, ac monachorum religio. Mox Turonos reversus, istuc Odonem secum adduxit, qui, *sumtis secum voluminibus librorum*, Balmam se recepit jam *ætate tricenarius*. Quidam pseudo-monachi hos candidatos, objecta rectoris ac loci immanitate, a proposito deterrere conati sunt: quippe qui post verba correptionum verbera adhibeat, sicque castigatos compedibus liget, carceri mancipet, atteratque jejuniis. At eorum venenata colloquia rejecit Adhegrinus, ratus, domum disciplinæ & ordinis diu stare non posse, nisi præpositorum censura fulciatur. Admissi in sacrum cœtum pii pugiles, regularis stadii agonem strenue ingrediuntur. Illic Berno cum suis imitabatur instituta & ritus *cujusdam patris Eutitii*, id est Benedicti abbatis Anianensis, ut suo loco [b] probavimus. Ex his ritibus Johannes monachus minutiora quædam in hunc modum commemorat. Ea erat in pueros, qui istic informabantur, disciplina, ut *magister scholæ* (sic eorum rector vocatus) solus cum solo puero nec quoquam iret, nec colloqueretur. Noctu extra dormitorium, etiam ad necessaria, absque socio & lumine, cuiquam eorum progredi nefas. Refectionis tempore utrisque mensis lectio numquam deerat. Sub finem refectionis micas ex mensis quivis colligebat, quas comedere ante finitam lectio-

ANN. CHR. 909.

[a] Spicil. tom. 2. p. 571.

[b] Annal. to. 2. p. 462. & seq.

ANN. CHR. 929.

nem debebat. Tanta vero erat silentii religio, ut vice linguæ signis uterentur. At longe potiores erant alii ritus, quos Udalricus commemorat, ii maxime, quos in conficiendo pane eucharistico Cluniacenses observabant, ut inferius exponemus. Post annuam probationem Odo puerorum seu novitiorum curam sibi impositam suscepit, quos *schola* nomine Johannes, alique veteres nostri designant.

LIV. *Adhegrinus & Drogo eremitæ.*

Adhegrinus vero in unam cellulam se reclusit cum abbatis permissu, & in ea per triennium inclusus mansit. Postmodum eremum petiit, ibique parva reclusus spelunca, eas initio passus est tentationes, ut jam pæne ad desperationem induceretur, incertus, an Deo accepta essent ejus obsequia: sed tandem divina consolatione recreatus, ibidem usque ad finem vitæ perseveravit, ut postea videbimus. Locus ejus secessus duobus admodum passuum millibus Cluniaco aberat. Istuc eum primitus secessisse colligere licet ex verbis Johannis monachi in libro primo de vita sancti Odonis, ubi ait, eo tempore, quo hæc scriberet, annos amplius triginta jam elapsos esse, *ex quo intra ipsam eremum deguit*, eam scilicet, quæ Cluniaco *duobus fere millibus prope* est. Non itaque ejus socius fuit in illo secessu Drogo Floriacensis monachus piissimus, qui, post cœnobiticæ palæstræ probationem, eremiticæ vitæ singularem pugnam ingressus est eo in loco, *qui Balma dicitur*, teste [a] Aimoino. at serius id contigit, ut inferius videbimus.

[a] *Aimoin lib. 2. de mirac. S. Bened. c. 4.*

LV. *Geraldi comitis obitus.*

Incidit in hunc annum obitus sancti Geraldi comitis, qui Auriliacense monasterium exstruxit ac dotavit. Is, cum finem vitæ suæ instare cognosceret, Amblardum Arvernensem episcopum, ut morientem sacramentis ac precibus muniret, ad se invisendum evocavit. Toto morbi sui tempore sacris officiis interfuit, quæ nonnisi in ecclesia celebrari passus est: ubi missam unam diei convenientem, alteram pro defunctis coram positus audiebat. Diluculo feriæ sextæ morbum ingravescentem sentiens, nocturnale officium coram se a capellanis suis recitari jussit, dum episcopus illud in ecclesia celebraret. Cum psallentibus ipse psallens, ubi completorium absolvisset, signo crucis se armavit; tum subjunxit familiarissimam sibi pro morientibus precationem, *Subvenite sancti Dei*; hisque dictis, clausis oculis obmutuit. Mox vocatus episcopus: moribundi corpus cilicio impositum; ceterisque pro exitu precantibus, unus e sacerdotibus sacra concitus facit. tum *sacrosanctum mysterium* affert. Mox ille oculos aperit, qui mortuus jam credebatur; atque *dominicum corpus, quod exspectabat, sua sponte suscepit; & ita felix illa anima ad cælos migravit*, & quidem tertio idus Octobris, qui hoc anno in feriam sextam incidebat. Corpus ejus Auriliaci humatum juxta aram sancti Petri. Testamentum duplex condidit, primum aliquanto tempore ante mortem, quo annuum censum Romæ *ad urnam sancti Petri* legavit: alterum [b] mense Septembri obitum præcedente, anno septimo-decimo, quam *Carolus rex sumsit imperium*. quo posteriori testamento res suas Auriliacensibus monachis & Rainaldo, ex Avigerna sorore nepoti, divisit. Brevi Geraldi sanctitas miraculis declarata: de cujus actis sanctus Odo abbas quatuor libros scripsit, flagitantibus Turpione Lemovicensi episcopo, & Aymone sancti Martialis abbate, cui hos libros nuncupavit.

[b] *Chesn. in not. ad bibl. Clun. c. 34.*

Auriliacenses abbates.

Paullo ante eum decesserat Adalgarius Auriliaci primus abbas: cui subrogatus Johannes, qui ex præclara [c] ejusdem Geraldi stirpe originem duxit. Is cum ob generis nobilitatem, tum ob præclaras dotes Romano pontifici carus & acceptus, ab eodem privilegii Auriliacensis confirmationem obtinuit, quo cœnobium ab omni dominatione absolutum declaratur, solique Romanæ sedi subjectum sub annuo censu duodecim solidorum. Johannes decimus erat, cujus etiam auctoritate roborata est ipsius Johannis abbatis donatio, qui *centum mansos conventui* dedisse memoratur, forte ex bonis monasterii, quos pro fratrum portione assignavit. Idem Tutelensem abbatiam tenuisse dicitur, de qua inferius agendum. Ejus successor sanctus Odo, de quo mox egimus. Ex hoc monasterio prodiit Gerbertus, suo loco celebrandus. Vigebat adhuc eo in loco regularis disciplina tempore concilii Lemovicensis, anno millesimo tricesimo-primo habiti, in quo Jordanus Lemovicum antistes laudat Auriliacensem abbatem, *quod regulariter agens, lucrandis animabus potius invigilaret, quam de caducis & transitoriis rebus curam ageret*. Quin etiam Johannes Saresberiensis [d] Auriliacenses monachos laudat, quod *multarum rerum usum & peritiam haberent*. Ad ordinem revertor.

[c] *Analect. to. 2. p. 238.*

[d] *Johan. Saresb. ep. 60.*

ANN. CHR. 909.

LVI. Lambertus Floriaci abbas.

Tunc temporis Floriacense sancti Benedicti monasterium administrabat Lantbertus seu Lambertus abbas, Milonis, ut vulgati indices ferunt, successor, qui ante biennium res [a] quasdam cum Adalgualo quodam viro illustri & cum Leutsinde ejus uxore commutavit, ea lege, ut illi easdem res usu-fructuario ad vitam retinerent sub annuo censu duorum solidorum, qui annis singulis in *missa sancti Benedicti, mense Decembrio* persolveretur. Hujusce commutationis charta data est *mense Novembrio, anno decimo-quinto regis Karoli*. Huic chartæ subscribit Lambertus abbas cum quinque monachis suis. Hoc vero anno ex ejus parte [b] ad sancti Martini Æduense monasterium, cui tum Aymo abbas præsidebat, accessit Hernardus religiosus monachus, præpositus cellæ sancti Benedicti Patriciacensis, postulans, ut quamdam capellam sancti Quintini, sitam in pago Matisconensi, cellæ Entiacensi, ac proinde S. Martini abbatiæ subjectam, quæ in medio Patriciacensium possessionum sita erat, ipsi cederet pro alia capella sancti Desiderii, sita in villa Balgiaco super fluvium Ligeris. Prædictæ cellæ Entiacensi seu Enziacensi tunc præpositus erat venerabilis Hugo, cujus superius [c] facta mentio est, uti & cellæ Enziacensis. Data est hæc charta *in mense Martio, anno decimo-sexto regni Karoli serenissimi principis*, eamque scripsit *Bernardus exiguus monachorum sacerdotumque*.

a Perard. p. 43. & seq.

Aymo abbas Æduensis cum eo res permutat.

b id. p. 37. & seq.

c lib. 38. n. 32.

LVII. Nortmanni a S. Benedicto fugati.

Lamberti abbatis Floriacensis tempore accidit id, quod Aimoinus ejus loci monachus [d] commemorat. Rainaldus, Nortmannicæ classis præfectus, longis navibus cum suis ad superiora Ligeris progressus, universa quaquaversum devastabat. Is Floriacum usque pertingens, vacuum habitatoribus, cunctisque rebus necessariis locum invenit, monachis ad tutiora loca cum sancti Benedicti corpore profectis. Illic nihilo minus cum in dormitorio fratrum subsisteret, sacrumque locum flagitiis contaminaret; dormienti conspicuus visus est sanctus Benedictus, duobus comitatus junioribus monachis, atque increpitum, quod se suosque propriis exturbaret sedibus, incurvo, quem gestabat, baculo percussit, eique proximæ vitæ terminum prænuntiavit. Expergefactus ac turbatus viso Rainaldus, satellites suos vociferando advocat, visoque narrato, confestim locum deserere, & patrium solum repetere jubet. Verum ille ubi patriam, id est Rotomagum, attigit, crebris cruciatibus exanimatus animam exhalavit. Corpus sub pyramide humatum terra e sinu suo rejecisse dicitur, ipsa pyramide terræ motu succussa & subversa; ac denique cadaver ipsum, culeo insutum in Sequanam demersum est. Tam insignis rei monumentum Floriaci exstabat Aimoini tempore marmorea Rainaldi capitis effigies, septemtrionali ecclesiæ inserta parieti, ubi hactenus ad deridiculum ex lapide refecta cernitur. Addit Aimoïnus, hanc de Rainaldo ac Nortmannis cælestem ultionem eorum adeo repressisse temeritatem, ut sanctum Benedictum deinceps præ ceteris Galliæ sanctis reveriti sint. Hinc Rollo dux Nortmannorum, in Burgundiam postea prædabundus excurrens, monasterium sancti Benedicti non modo contaminare noluit, sed ne quidem totam illam regionem prædari propter sanctum Benedictum permisit, ut præter Willelmum Gemeticensem Dudo [e] decanus sancti Quintini testatur. Lambertus abbas Floriacum rexit usque ad principatum Rodulfi regis, quo regnante Guarulfus [f] quidam, *famulorum Christi* (ut se ipse dicit) *minimus*, Floriacum venit ad præsentiam domni Lamberti abbatis, exposcens ejus loci monachos, ut ipsum suis orationibus sociare dignarentur; ob idque prædia quædam eis contulit. *Actum Floriaco, tempore reverendi Lamberti abbatis, regnante Rodulfo rege.*

d Aimoin. lib. 2. de mirac. S. Bened. c. 2.

e Dudo lib. 2.

f Perard. p. 30.

LVIII. Juncellense monasterium Psalmodiensi unitum.

Hoc anno Juncellense * monasterium pagi Biterrensis auctoritate regia unitum est Psalmodiensi agri Nemausensis abbatiæ, cui tunc vir venerabilis Ragembaldus præsidebat. Hujus unionis causa seu occasio hæc fuit, quod Juncellense monasterium *per oppressionem paganorum* seu *Sarracenorum* nuper devastatum erat. Inde translatum monasterium in locum, *qui dicitur Corneliacensis*, ubi ecclesiæ sub titulis sanctæ Mariæ & sancti Petri necnon sancti Juliani constructæ erant, cum cellulis sancti Clementis, sancti Vincentii, & sanctæ Agathæ virginis, quæ nuper itidem a Sarracenis destructæ erant. Hæc omnia regali præcepto probavit rex Carolus, & universas utriusque loci possessiones confirmavit, & regia tuitione dignatus est *per deprecationem illustris comitis, ac dilecti fidelis sui Raymundi*, cujus interventu Ragembaldus abbas hoc præceptum obtinuit. *Datum nonas Junii, indictione* XII. *anno* XVIII. *regnante Karolo rege gloriosissimo, redintegrante vero* XII. *Actum Compen-*

* Juncels.

ANN. CHR. 909.

dio palatio. sic emendandæ videntur chronicæ notæ, quæ in antigrapho mendosæ sunt, ut in appendice videre licet. Ad eumdem modum corrigendæ sunt notæ alterius diplomatis, quo idem rex Urbionensis monasterii possessiones rogatu Witizæ abbatis ratas habet *tertio nonas Novembris, indictione* XII. *Actum Lauduno castro.* nisi id referas ad annum præcedentem, inchoando indictionem duodecimam a mense Septembri. Stephanus papa, ut mihi videtur, septimus, privilegium pontificiæ tutelæ indulsit *Witardo religioso presbytero & abbati cœnobii Psalmodiensis & Juncellensis monasterii:* cujus rei diploma in tabulario Psalmodiensi chronicis notis destitutum est.

LIX. S. Stephani de Silis origo.

In Gallicia Ordonius princeps, Alfonsi Magni filius, monasterium sancti Stephani ad ripam Silis fluvii in Auriensi diœcesi exstruxit, atque Franquilæ abbati commisit. Ex ejus litteris ab Yepesio relatis, quæ septimo anno regni ejus, ex quo scilicet vivente patre Galliciæ præfectus fuerat, datæ sunt, intelligitur, jam eo in loco basilicam, forte etiam monasterium, antea exstitisse: quem locum *jacentem in ruina* Franquila abbas ad basilicam vel monasterium ædificandum ab Ordonio accepit. Regiæ hac de re litteræ datæ sunt æra nongentesima quadragesima-septima, id est anno Christi nongentesimo-nono. Adjuncta erant huic solitario loco multa eremitoria, in quibus monachi, in cœnobitica vita exercitati, procul ab aliorum consortio degebant, divinæ contemplationi vacaturi. In horum uno, quod sancti Johannis dicitur, modo parœcialis ecclesia, hæc inscriptio legitur de Franquila abbate mox laudato: *Cum Dei adminiclo Frankila abba condidit opus era* DCCCC LVI. In hujus abbatis gloriam cedit, quod sanctus Rudesindus episcopus, de quo plura inferius dicenda erunt, eo præceptore monasticis disciplinis informatus sit. Ad hæc complures alii episcopi ex eodem asceterio assumti, Isaurus & Vimarasus ad sedem Auriensem; Gonsalvus, Olorius & Froalengus ad Conimbricensem; Servandus, Bliulfus & Pelagius ad Iriensem. Hactenus persistit hæc abbatia sub Benedictina congregatione Vallisoletana. Yepesius ad hunc annum refert constructionem duorum aliorum monasteriorum, nempe sancti Salvatoris de Cinis, abbatiæ sancti Martini apud Compostellam subjectum; & beatæ Mariæ de Ferrariis, sub ditione abbatiæ sancti Juliani Samonensis, utrumque in Gallicia situm.

ANN. CHR. 910.

LX. Cluniacensis monasterii primordia.

SPectabilis toti Benedictino ordini in primis esse debet annus insequens nongentesimus-decimus, quo celeberrimi Cluniacensis monasterii fundamenta jacta sunt. Ante conditum illic cœnobium ecclesia ibidem erat, immo duplex, beatissimæ virgini Mariæ, & sancto Petro sacra: ubi quoddam sacerdotum collegium rem divinam celebrabat. Id patet ex variis instrumentis tabularii ejus loci, quorum unum, Odonis regis anno quarto datum, *cessum unum* in villa Nardis tradit *sacerdotibus servientibus in ecclesia sancti Petri.* In alio Girberga quædam *ad casam sancti Petri, ad luminaria accendenda, & ad suos rectores,* confert mansum unum in villa pagi Matisconensis Noviliaco, anno sexto Odonis regis. Ecclesia sancti Petri hactenus integra perstat, principi basilicæ adjuncta; at sola restat absida ecclesiæ beatæ Mariæ. Hic locus, id est Cluniacus, cum suis ecclesiis & appendicibus obtigerat Avæ sorori Willelmi Aquitaniæ & Gothiæ seu Septimaniæ comitis sive ducis, qui eum a sorore [a] sua, facta permutatione, obtinuit, ibidem monasterium conditurus. Editum est [b] de hac constitutione testamentum, ut tum vocabant, sive instru-
» mentum, in quo Willelmus comes, propriæ saluti consulens, amicos sibi pauperes in
» cælo facere decernit; utque hujusmodi actio non temporaria sed perpetua sit, mo-
» nasticæ professionis viros congregare, ac suis sumtibus sustentare statuit: ut, si ipse
» cuncta contemnere ac relinquere nequeat, saltem mundi contemtores, quos justos cre-
» dit, suscipiens, justorum præmium ac mercedem accipiat. Quapropter notum facit,
» quod ob amorem Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi res sui juris sanctis apostolis
» Petro & Paulo tradit ipse cum uxore sua Ingelberga, Cluniacum scilicet villam, quæ
» sita est in pago Matisconensi super fluvium [*] Graunam, cum capella sanctæ Mariæ &
» sancti Petri & suis appendicibus, & quidem pro anima senioris sui Odonis regis, pro
» animabus etiam genitoris ac genitricis suæ, fratrum & propinquorum, pro se denique
» & uxore, & pro Ava sorore sua, eo videlicet pacto, ut illic in honorem sanctorum apo-
» stolorum Petri & Pauli *monasterium regulare* construatur, ibique monachi juxta re-
» gulam beati Benedicti congregentur, & venerabile orationis domicilium votis ac
» supplicationibus frequentetur. Dein præcipit, ut illis maxime hæc prosit donatio

[a] V. lib. 39. n. 70.
[b] Sæc. 5. p. 78.
[*] la Grône.

AN. CHR. 910.

ad refugium eorum, qui pauperes de sæculo egressi, nihil præter bonam voluntatem attulerint; sintque ipsi monachi cum omnibus prædictis rebus sub potestate Bernonis abbatis: post cujus decessum monachi facultatem habeant alterius abbatis eligendi *quemcumque sui ordinis* voluerint, secundum placitum Dei & regulam sancti Benedicti, ita ut nullius potestatis contradictione hæc electio impediatur; sitque hic locus subjectus soli Romanæ ecclesiæ, cui per singula quinquennia decem solidi ad luminaria apostolorum persolvantur. *Actum Biturica civitate*, quæ ad Willelmi ducatum pertinebat, datumque *tertio idus Septembris*, *anno undecimo regnante Karolo rege, indictione* XIII. Subscribunt post Willelmum & Ingelbergam ejus uxorem Madalbertus Bituricensis archiepiscopus, Adalardus Lemovicensis & Atto episcopi, ac Willelmus, ejusdem Willelmi nepos, aliique. Hoc vero testamentum *Oddo levita ad vicem cancellarii* scripsit, idem sine dubio, qui post Bernonem Cluniacensis abbas fuit, necdum sacerdotio initiatus. Indictio tertia-decima convenit huic anno nongentesimo-decimo, qui undecimus tantum Caroli regis notatur, propterea quod is non statim a morte Odonis rex a Bituricensibus agnitus est, sed Rodulfus, ut in primariis litteris Virzionensis monasterii superius [a] vidimus, an rex Burgundiæ transjuranæ. Duodecim tantum monachos, exemplo sancti Benedicti, principio Cluniaci Berno abbas instituit, quos ex Balmensi ac Gigniacensi monasteriis secum adduxit. quod cœnobium, teste Rodulfo-Glabro [b], initio *non amplius, quam quindecim terra colonias* in dotem accepisse dicitur. Postea vero hæc congregatio sensim ita aucta est, ut propagines suas non modo in Europam, sed etiam in orientem protulerit. Nostram porro de Cluniacensis monasterii origine chronologiam firmant acta subsequentia, in his charta Bernonis jam abbatis *Cluniensis*, qua res sitas apud Galoniacum * villam pagi Matisconensis permutat anno XIII. Caroli regis. dein Willelmus *comes & dux*, Cluniaci conditur, villam Aïonam, ex Avæ abbatissæ concessione *ad Cluniacum dudum pertinentem*, de manu cujusdam Anscherici legibus recipit, restituitque Bernoni abbati & Cluniensibus monachis, subscribente Rotgario abbate, *anno* XVI. *regnante Karolo rege*, III. *kalendas Novembris*. Idem Willelmus auctor fuit Celsiniacensis monasterii, ut inferius videbimus ex ipsius litteris, in quibus Bernardum patrem, & Ermengardem matrem suam vocat.

a num. 19.

b Glab. lib 3. c. 5.

* Jalogny.

LXI. Blasillæ item parthenonis.

* Blesle.

Willelmi Pii mater Ermengardis pietate haud impar fuit, si quidem ipsa est Ermengardis comitissa, quæ Blasillæ * haud ignobile parthenium in suo fundo construxisse memoratur. Exstat hic locus apud Arvernos septem fere leucis a Brivate, totidemque a Mercorio, in diœcesi olim Arvernensi, nunc sancti Flori. Illic Ermengardis comitissa virginum Benedictinarum cœnobium erexit, illudque sedi apostolicæ sub annuo censu commendatum voluit Sergii papæ pontificatu, qui Emildam ibidem primam abbatissam instituisse dicitur. Hujus parthenonis originem commemorant ejusdem loci sanctimoniales in litteris ad Urbanum II. suo loco referendis, in quibus conqueruntur, quod Casæ-Dei monachi quamdam sancti Stephani & sancti Leonis ecclesiam ipsis subtrahere molirentur. sic vero de sui monasterii primordiis loquuntur. *Temporibus igitur priscis matrona quadam, nomine Ermengarda comitissa, uxor Bernardi comitis Pictavorum, pro salute sua utriusque sui, & pro animabus filiorum suorum defunctorum, Warini scilicet & Willelmi, monasterium Blasilia in prædiis suis constituit, atque circa adjacentibus campis & villis & ecclesiis, sanctimoniales Deo servientes ibi, unde viverent, hereditavit. Deinde diligenter Romam petivit, ipsumque cœnobium beato Petro apostolo, atque episcopo, qui tunc temporis apostolicæ sedi præsidebat, in proprio jure concessit. Ipse autem papa huic dono benigne faveas, quinque solidos monetæ Pictaviensis sancto Petro semel in anno [persolvi] decrevit. Insuper etiam apostolici privilegii auctoritate idem cœnobium abbatiam monacharum in perpetuum constituit: altare etiam, quod adhuc habemus, sua propria manu consecratam, per ipsam matronam nobis transmisit.* Hactenus verba epistolæ illarum sanctimonialium, qua nihil antiquius nobis occurrit ad illustrandam ejusdem monasterii originem. Si verum esset, ut in hac epistola legitur, ejus constructionem factam esse ab Ermengarde *post mortem filiorum suorum Warini & Willelmi*; consequens esset id factum post annum DCCCC XXVII. qui Willelmi Pii supremus fuit. at parum veri simile est, Ermengardem ejus matrem ad id tempus superstitem fuisse, & tam vegetæ ætatis, ut Romam proficisci potuerit. Adde, si cer-

ANN. CHR. 910.

tum sit, Sergium tunc Romanæ præfuisse ecclesiæ, id factum oportuit haud serius anno DCCCC X. quo Sergius III. decessit. Neque enim id referri potest sive ad Sergium II. qui Caroli Calvi principatu inchoato, sive ad Sergium IV. qui initio sæculi undecimi sedit.

LXII. Romarici monasterii translatio.

Cum Hungari, qui hoc anno in Bajoariæ & Franciæ confinibus Francos orientales fudere, Vosagi partibus imminerent, instantis mali formidine perculsæ Romarici-montis virgines, e sacro monte in subjectam planitiem monasterium transferendum curarunt, ubi, condito cum propugnaculis opido, securius possent consistere. Itaque ultra Mosellam cullocatum monasterium cum augusta basilica in honorem sancti Petri, sub cujus principe ara insignis crypta constructa cum tribus altaribus, quorum præcipuum, id est medium, sancto patri Benedicto sacrum, quod hactenus subsistit, perpetuum erit Benedictinæ ibidem institutæ regulæ monumentum, tametsi Romaricenses nostri temporis canonicæ, quas relictæ professionis suppudet, hanc cryptam obstruxerint ad abolendam rei memoriam, quæ æternum, illis quantumvis invitis, in ordinis nostri annalibus durabit. Translatæ sunt etiam in novum illud monasterium sanctorum Romarici, Amati & Adelphi reliquiæ a Drogone Tullensi episcopo, majori postea honore cumulatæ a Leone papa nono, qui per Udonem Tullensem primicerium Romariciani parthenonis res præclare constituit.

LXIII. S. Severini translatio Neapolim.

Lucullanum locus est prope Neapolim, ubi conditum diximus monasterium, in quo sancti Severini abbatis, Noricorum apostoli, reliquiæ repositæ sunt. Processu temporis, cum Sarraceni Campaniæ litora passim infestarent, veritus Johannes consul seu dux, ut sustinere eorum impetum Lucullanum opidum posset, illud cum monasterio subruendum, atque opidanos in urbem transferendos censuit. Id consilii animo cogitanti Johannes venerabilis abbas sancti Severini monasterii intramurani obnixe supplicavit, ut sancti patroni sui corpus non alibi, quam in suo monasterio collocaretur. Eædem preces Stephano episcopo factæ. Ad hæc præsul & dux responderunt, incertum esse, an sancto gratum esset efferri ex mausoleo, quod illius olim amore Barbaria illustris femina condiderat. Deum hac de re consulendum, &, siquidem ipsi placuisset, se nequaquam obstituros. Hoc responso animatus abbas, precibus cælum nocte dieque fatigat. Exoratus sanctus Severinus, cuidam presbytero favorem suum pollicetur in somnis. Cum dies *ruinosi decreti* advenisset, id est quartus ante idus Septembres, consule & populo ad destructionem opidi strenue laborantibus, præsul & clerus ad inveniendum sacrum corpus se convertunt. Effosso tumulo, qui sub altari mirabili opere fabricatus erat, vacuoque reperto, consternati operæ altius nihilo minus suffodiunt, tandemque optatum thesaurum in tumba reperiunt: qua reserata, universa membra suis compaginata articulis inventa sunt. Mox pontifex abbatem sacri thesauri ipsi concedendi nuntio recreat, ac postera die sollemnem translationi pompam indicit. Die itaque condicta pontifex cum clero, dux & optimates cum populo, frequentes obviam sacro corpori procedunt, quod, *alternantibus choris e Latinis & Græcis*, in ejusdem sancti confessoris monasterium sollemni ritu delatum est, & cum reliquiis Domini Præcursoris & sanctorum Gervasii & Protasii, altari reconditum. Libellum [a] de hac translatione, deque miraculis inde consecutis scripsit Johannes Neapolitanæ ecclesiæ diaconus rogatu Johannis abbatis, cui sancti Severini reliquiæ concessæ sunt. Idem librum de gestis archiepiscoporum Neapolitanorum composuit, eumque produxit usque ad pontificatum Athanasii junioris, ut olim legimus in veteri codice Vaticano, in quo post acta Athanasii senioris hæc leguntur: HUC USQUE JOHANNES DIACONUS; QUÆ SEQUUNTUR PETRUS EDIDIT NEAPOLITANÆ SEDIS SUBDIACONUS. Tempus factæ translationis consignat Johannes *anno vigesimo-quarto Leonis & Alexandri imperatorum.*

[a] *Bolland. to. 1. p. 1098. & seqq.*

ANN. CHR. 911.

LXIV. Carnutum obsidio per Normannos.

ANno insequente nongentesimo undecimo Rollo Normannorum dux, qui ante paucos annos in Galliam accesserat, capta urbe Rotomago, alisque Neustriæ opidis in potestatem redactis, cum Parisiorum civitatem semel & iterum, sed frustra, oppugnasset, Carnutas obsedit, non tam prædæ, ut ceteri olim Normannorum duces, quam imperii stabiliendi & prolatandi avidus. Waltelmus, ejus urbis religiosus episcopus, auxilia undequaque convocat. Adsunt Richardus Burgundionum dux atque Rotbertus Parisiorum, necnon Ebolus Pictavorum comites

comites, cum valida quisque manu. Conserto cum barbaris prœlio haud segniter utrimque pugnatum. Multo fuso sanguine, cum victoria nutaret, opidani e portis erumpunt duce Waltelmo episcopo, qui vexillum crucis, & *camisiam* seu tunicam beatæ Mariæ virginis, sacerdotali indutus habitu, sequente clero, præferebat. Rollo a fronte & a tergo strenue oppugnatus, suos ad montis jugum reduxit: sed undique cinctus, cum vi evadere non posset, dolo sibi tubicinum sonitu nocte intempesta viam fecit, & ad Auduram * fluvium signa defixit eo in loco, quem palus cingebat. Tum novum propugnaculi genus commentus, mactatis infinitis animalibus, quæ ex præda circumquaque collegerat, pellem detrahi jubet, dein nudam carnem, ossiumque congesto aggere, novi generis murum confici, ac coriis tegi. Franci novo territi propugnaculo, pedem referunt, & ad sua diversi se recipiunt. Sic Rollo, amotis qui sibi obsisterent, relicta urbis obsidione, bacchari per provincias, & perniciem omnibus inferre instituit. Incredibile dictu est, quanta mortalium cædes, quanta provinciarum vastitas fuerit. Homines more pecudum cæsi; opida, vici, monasteria, templa, nullo rerum sacrarum discrimine, igne passim consumta. Uni Floriacensi monasterio, ut Dudo & Willelmus Gemeticensis testantur, ob sanctum Benedictum Rollo parci jussit.

ANN. CHR. 912.

* l'Eure.

In his angustiis Franci regem adeunt, & vel de retundendo quantocius hoste, vel de fœdere cum Rollone ineundo sollicitant. Rex adhibito Francorum consilio, & Francone Rotomagensi præsule accito, concordiam agitat. Demum inter regem ac Rollonem conventum est, ut ea Neustriæ pars, quæ ab Epta Vilcassini pagi fluvio ad oceanum patet, Rolloni cederet, Gislamque filiam Caroli, ejecta Poppa Bajocassina, ex qua Guillelmum filium susceperat, uxorem duceret, Britannia minori Berengario & Alano ducibus concessa. His conditionibus jurata pax in vico sancti Clari, & sacramento regi facto, Rollo se sacra nostra suscepturum pollicitus est. Rollo anno sequenti a Francone Rotomagensi archiepiscopo lustralibus undis perfusus, Rotberti nomine donatus est a Rotberto Parisiorum comite, qui eum e sacro fonte suscepit, & Rotbertum appellavit. Ejus exemplo ceteri Nortmannorum christianam fidem amplexi sunt, & quæ locis sacris damna intulerant, processu temporis impense sarciverunt, erectis ecclesiis ac monasteriis, quorum alia ex cineribus excitarunt, alia nova cum multa munificentia condiderunt. Ab illis Lugdunensis secunda deinceps Nortmannia dicta. Non multo post sancti Audoëni episcopi reliquiæ in propriam ecclesiam revectæ sunt e Valle-monachorum, diœcesis Trevirensis, quo propter metum Nortmannorum delatæ fuerant, ut superius [a] diximus. Legimus in archivo sancti Mauricii Andecavensis authenticum quoddam, quo *Alanus, gratia Dei pius & pacificus rex Brittaniæ* confert ecclesiæ sancti Mauricii *abbadsam sancti Sergii*, ad muros Andecavorum sitam, uti dilectus & amicus ejus venerabilis Raino episcopus postulavit. *Data est* v. *kalendas Decembris Seiò castro.* Subscribunt post Alanum Orgom uxor ejus, Boilus & Fulchericus episcopi, Weret filius Alani, & Pascuiten frater ejus, atque Budic. Consimile exstat in archivo S. Juliani Turonensis authenticum ejusdem Alani, qui se regem dicit. Paullo ante decesserat Anschericus Parisiorum antistes, summusque cancellarius: cujus episcopalis sedes Theodulfo, cancellarii officium Heriveo Remorum pontifici cessit.

Rollonis conversio.

a lib. 37. n. 37.

Hoc anno Franco, veteris Corbeiæ abbas, e vita migravit nono kalendas Martii, ut in antiquo abbatum indice legitur, in quo Herradus abbas, quem alii Evrardum vocant, ejus successor ponitur. Hic in chronico ejusdem monasterii optimam constitutionem de conficienda moneta Corbeiensi, cujus rei potestas penes abbatem erat, fecisse traditur. Cudendæ istic monetæ privilegium probant cunei veteres, ibidem hactenus asservati. Obiit Herradus post tres circiter annos præfecturæ, nono kalendas Martias, quo die cellerarius olim *pro Francone & Herrado abbatibus* pastum fratribus debebat. Bodo Herradi successor nulla re gesta illustris. Ejus tempore totum Corbeiense cum ipso opido territorium vastatum, dum Herbertus comes cum Rotberto ipsius sororio contra Carolum regem decertaret.

LXV. Corbeiæ-veteris abbates.

Per id tempus Theodericus, Hollandiæ comes, ejus nominis primus, cœnobium virginum Egmondæ condidit in loco, qui *Hallem* antiquitus dicebatur; exstruxitque ex ligno oratorium, in quo sancti Adalberti diaconi corpus, indicante Wilffita sanctimoniali tunc inventum, reposuit. De hoc monasterio ejusque origine ita scribit Johannes [b] Gerbrandus in chronico. *Cum autem præclarissimus Theodoricus comes*

LXVI. Egmondæ monasterium.

b Chron. Belg. lib. 6. c. 14.

ANN. CHR. 911.

Hollandia, jam provecta ætate, multis virtutibus fulgeret; ex magno devotionis affectu ligneum construxit in Egmunda monasterium, qui locus antiquitus dicebatur Hallem. in quo quidem monasterio idem comes sanctimoniales ordinis sancti Benedicti primitus instituit, quibus de suis facultatibus vitæ munera copiose tradidit. Post ejus obitum Theodericus secundus ejus filius ibidem monasterium novum cum ecclesia ex lapide ædificavit, &, remotis ob eminentes Frisonum incursiones sanctimonialibus, monachos ejusdem ordinis instituit, qui continue Deo devotum obsequium impenderent, &, cum opus esset, diris Frisonum insultibus resisterent, ut in magno chronico Belgico legitur. Idem Theodericus junior non modo hoc monasterium amplis possessionibus ditavit, sed etiam historiam tripertitam cum præclaro codice evangeliorum, auro gemmisque ornato, eidem obtulit. Ibidem juxta parentem sepultus est cum Hildegunda conjuge, in eumdem locum itidem munifica: ex qua tres liberos suscepit, Arnulfum scilicet comitem, Egbertum Trevirensem archiepiscopum, & Erlindam, quæ amissi alterius oculi lumen meritis sancti Adalberti recuperavit. Egberti archiepiscopi rogatu librum de gestis sancti Adalberti scripsere monachi Medelocenses.

LXVII. *Nonantulæ abbates.* In Italia excessit hoc anno e vivis Leopardus Nonantulanus abbas, cujus obitus duodecimo kalendas Julii apud Ughellum [a] notatur. Hunc excepit Petrus abbas, qui annos tantum tres, totidemque dies eidem loco præfuisse dicitur. Hic sanctæ Fuscæ monasterium, quod sui juris erat, ab Hunnis seu Hungaris eversum, & sanctorum martyrum [b] Theopompi & Synesii corpora ejus ruinis consepulta ingemiscens, Rodolfum præpositum cum tribus aliis monachis istuc direxit, ut ea Nonantulam deferrent. Cum eo advenissent, nec locum, in quo sanctorum martyrum jacerent ossa, compertum haberent; anxio hac de re in primis Rodulfo pia quædam mulier, Anserada nomine, locum indicavit. quæ res ipsi, ejusque sociis multum lætitiæ attulit. Præmisso itaque triduano jejunio, sacra corpora, congruis involuta ornamentis, inde efferunt usque ad fluvium Sylum, nesciente Anserada: quæ præcipiti cursu monachos assecuta, a sanctis martyribus se avelli non sustinuit, sed cum iisdem Nonantulam usque profecta est, ac demum apud Cozianum, tribus a Nonantula millibus, juxta ecclesiam sancti Martini vitæ supremos dies feliciter transegit. Reliquiæ sacræ a Petro abbate, ejusque monachis sollemni ritu exceptæ, in Nonantulana basilica honorifice reconditæ, multis subinde miraculis claruerunt. quo in genere, cum in Ticinenses pestis sævissima grassaretur, delatis in eam urbem sacris reliquiis continuo repressa est. Ob hoc beneficium Adelaida regina sanctos martyres donis honoravit, eisque duo pretiosissima pallia obtulit.

[a] *Ital. sac. to. 5. c. 478.*
[b] *ibid. c. 470. & seq.*

Amiatino monasterio decimæ datæ. Christianus [c] Clusinus episcopus cum suo clero tunc munificum se præstitit erga monasterium Salvatoris in Monte-Amiato, cui Petrus abbas tum præerat, ei concedendo potestatem *omnes decimationes* colligendi in villis & casis suo monasterio subjectis per totum Clusinum comitatum, juxta illius monasterii statuta. quæ res processu temporis litis seminarium fuit cum Arialdo episcopo, qui ecclesias illorum locorum consecrare nolebat, nisi decimæ illæ sibi persolverentur. Actum Colle-mala in comitatu Clusino, Berengarii regis anno XXIV. indictione XIV. Petro abbati successit Gilibertus abbas, cui Otto Magnus litteras [d] mundeburdi & immunitatis confirmavit anno imperii sui nono adversus Lutum episcopum, qui monasterio infestus erat.

[c] *Ital. sac. to. 3. c. 708.*
[d] *ibid. c. 709.*

ANN. CHR. 912.

LXVIII. *Ludovici Germaniæ regis successor Conradus.* Nondum annum ætatis vicesimum attigerat Ludovicus Germaniæ rex & Lothariensis regni, cum immatura morte exstinctus est. Obiit vero duodecimo kalendas Februarii, quod alii ad annum nongentesimum undecimum pro veteri calculo, alii nostro more in sequentem referunt. Hic ultimus erat Carolinæ in Germania stirpis, & prolis expers. Quare Germani proceres, regali stirpe deficiente, Conradum orientalis Franciæ ducem, filium Conradi ab Adalberto comite occisi, regem statuunt: *Carolus rex in Lotharii regno.* Carolus vero Franciæ rex Lotharii regnum, hereditario jure sibi debitum, acquirit. Hinc tertia regni ejus epocha a *largiori indepta hereditate*, quæ ejus diplomatis deinceps apposita est.

Conradus ad S. Gallum. Ipso anno Conradus rex ad sanctum Gallum in festivitate sancti Stephani venisse dicitur ab Hepidanno. Fusius id narrat Ekkehardus in hunc modum. Cum rex Constantiæ natale Domini ageret, forte Salomon episcopus vespertinas Gallen-

suum in illo triduo processiones ei laudavit. Rex istuc die sequenti mature proficiscendum dixit. Nec mora, postridie navibus cum Salomone conscensis, meridie appulit ad sanctum Gallum, ubi cum summo plausu exceptus, triduum istud jucundissime transegit. In processione fratrum modestiam probaturus, pomis in medium ecclesiæ pavimentum jactatis, cum nec unus e pueris ad insolitum spectaculum oculos movisset, miratus est loci disciplinam. In refectorio cum fratribus humanissime refecit, ac decanum sibi ad mensam assidere jussit. In summa, mira regis dignatio in omnes, nec alios cibos, quam qui fratribus parati erant, sibi apponi passus est. Pueris ex ordine lectitantibus singulos aureos dedit. Cum vero unus ex his aureum rejecisset, rex bonum quandoque monachum fore prædixit. Denique inter fratres conscriptos, uti petierat, admissus, immunitatem loci manu sua & sigillo regio, Salomone assentiente, roboravit. dein sancti Othmari oratorium, quem majores sui olim vexaverant, ingressus, donis ad ejus aram collatis placabilem sibi suisque reddere studuit. Non tamen sine disciplinæ dispendio transactum hoc triduum. Carnes tertia die omnibus appositæ, lectio ad mensam intermissa. Adeo principum consuetudo ac familiaritas, quantumvis in speciem honorifica, monachis periculosa & lubrica est. ANN. CHR. 912.

Paullo ante quam ad sanctum Gallum accederet Conradus, ad cælestem patriam Notkerus, cognomento Balbulus, ibidem migraverat. Eum præcesserant Ratpertus & Tutilo studiorum socii, ex quibus primus Ratpertus fato functus fuerat. Hunc subsecutus est Tutilo, peritissimus ut illa ætate cælator, cui sanctæ Mariæ imaginem apud Mettas cælanti beatissima virgo manum direxisse traditur. Id peregrino quodam indicante, cui nummos ille furtim eleemosynam petenti donaverat, cum opidanis innotuisset; ille gloriolam fugiens clam recessit. Cum autem in bractea ipsa aurea circuli planitiem vacuam reliquisset, in ea quidam hunc versiculum cælavit: LXIX. Notkeri Balbuli & Tutilonis obitus.

Hoc panthema pia cælaverat ipsa Maria.

Ekkehardi tempore ipsa imago sedens, quasi viva, cunctis inspectantibus veneranda Mettis visebatur. Tutilonis obitus contigit quinto kalendas Aprilis. Ita Notkerus, omnium postremus, *viduus & orbus* remansit. Dolorem auxit facinus nebulonis illius Sindolfi, quem tribus illis magistris infestum fuisse alias diximus. Epistolas canonicas græcas, a Liutwardo Vercellensi episcopo petitas, multo sudore exscripserat Notkerus. Codicem casu repertum furatus Sindolfus, singulos quaterniones cultro discerpsit, moxque complicatos in locum, ubi eos invenerat, reposuit. Tandem hoc anno *Notkerus magister obiit*, ut loquitur Hepidannus, nempe octavo idus Aprilis, quo die in Gallensi necrologio notatur ejus obitus & anniversarium, in quo vini *floupus minor* fratribus exhiberi debebat. Fallitur Wion, aliique post eum, qui ejus obitum sexto idus Aprilis collocant. Necrologio consentit Notkeri sequens epitaphium.

Ecce decus patriæ Notkerus, dogma sophiæ,
Ut mortalis homo, conditur hoc tumulo.
Idibus octonis hic carne solutus Aprilis,
Cælis invehitur, carmine suscipitur.

Inter macrobios recensetur ab his, qui eum a tempore Caroli Magni vixisse putant cum fabuloso Ekkehardo, qui ejus vitam scripsit; nec rectius sentiunt, qui cum eodem fabulatore cæcitatem Notkero Balbulo affingunt, Notkero medico verius tribuendam. Forsan Ekkehardo illi fucum fecit Ekkehardus junior dictus, a quo Notkerus Balbulus, mortuis duobus sodalibus suis Ratperto & Tutilone, *viduus & orbus* remansisse traditur. Ad scripta Notkeri quod attinet, martyrologium, sequentias, ut vocant, & librum hymnorum composuit, quem Liutwardo Vercellensi episcopo ac Bobiensi abbati nuncupavit, præmissa epistola, quam in ejus elogio retulimus, in qua se *cucullariorum sancti Galli novissimum* dicit. Eidem libros duos de rebus gestis Caroli Magni tribuit Goldastus, nulla alia, ut puto, ratione, nisi quod eo fere tempore a monacho sancti Galli scripti sunt. Huic sententiæ favent hæc verba, quæ leguntur in libri secundi capite vicesimo-sexto: *His*

ANN. CHR. 912

a V. lib. 38. n. 50.

igitur, quæ ego balbus & edentulus .. explicare tentavi, &c. sic enim se *balbum* dicit Notkerus ipse in hymno de sancto Stephano. Quamquam Notkeri genius magis severus ac gravis videtur. Ut ut sit, scribebat auctor ille [a] principatu Caroli Crassi, cujus jussu hos libros a se compositos non semel dicit. Innocentius papa tertius olim questus est ad Vodalricum abbatem sancti Galli, quod Notkerus, vir pius, nullo cultu in ecclesia honoraretur. Id tamen infectum restitit usque ad Julium secundum, qui inquisitionem hac de re Hugoni Constantiensi episcopo demandavit, sic tamen ut ejus canonizationem sibi reservaret. Demum ipse Hugo, absoluta inquisitione, sancti-Gallensibus, & ecclesiis eis subjectis, ecclesiasticum de Notkero officium ac missam celebrari permisit: at nondum huic decreto pontificia accessit auctoritas.

LXX. Sintrammus scriptor insignis.

b Ekkeh. p. 46.

Eodem tempore vivebat apud sanctum Gallum egregius scriptor, nomine Sintrammus, qui inter alia, Salomonis abbatis & episcopi jussu, evangelium uncialibus litteris ea elegantia scripsit, ut ejus scripturæ Ekkehardi tempore nulla alia comparabilis videretur. In hac enim Sintrammus se ipse superavit, &, licet ejus digitos totus orbis cisalpinus miretur, ait [b] Ekkehardus, in hoc uno triumphat. Ceterum mirari licet, hominem unum tanta scripsisse, cujus industriæ ac laboris obsides libri, ejus manu & characteribus scripti, in variis ejus regni partibus tunc habebantur. Illud vero evangelium, cujus modo meminimus, inclusit Salomon in unam e duabus illis tabulis eburneis, quas sancto Gallo donavit, e scriniis Hattonis archiepiscopi subtractas. Erant illæ tabulæ ceratæ ad scribendum, quæ quondam usui fuerant Carolo Magno, qui eas in lecto sub pulvinari, ut se noctu vigilans ad scribendum exercitaret, habere consueverat, teste Eginhardo. Harum una egregie sculpta erat, altera planitie politissima, quam Tutiloni monacho sculpendam tradidit Salomon, prædicto evangelio includendo, quod auro & gemmis Hattonis ornavit. In eo porro Sintrammus excellebat, quod, cum scriptura ejus delicata & perelegans esset atque ad miraculum directa, raræ in ea lituræ occurrebant, adeoque rara errata.

LXXI. Hattonis archiepiscopi versutia & mors.

Quod de Hattonis Moguntini archiepiscopi scriniis diximus, explicat Ekkehardus. Romam sub finem vitæ profecturus Hatto, Constantiam accessit, Salomonem episcopum, amicum quidem suum, invisurus, eique thesauros suos, Moguntinis minime fidens, dum rediret commissurus. His ea lex sodalitatis erat, ut, quia ambo versutissimi erant, alter alterum, ubi posset, qua verbis, qua rebus, falleret. Erant Salomoni duo vascula, unum æneum ad aquam, alterum aureum ad vinum bibendum. Hatto discessurus vas aquæ ab eo petiit, sed a pincerna vas aureum, quasi ex domini mandato, accepit. At Salomon, fraude intellecta, thesauros Hattonis, sibi ea lege consignatos, ut, si ille in Romano itinere obiret, eos pro arbitrio dispertiret; sparso de Hattonis obitu rumore, ornandis ecclesiis egenisque recreandis impendit. Denique reversum ex Italia his verbis lenivit, optime cum illo actum dicens. Eleemosynas quippe, quæ obitum præcedunt, Deo longe gratiores esse iis, quæ sequuntur, & acceptiores. Tandem Hatto Moguntiam redux, confectus *Italica febre* [c] diem obiit. quod hoc anno contigisse tradunt plerique veterum, exceptis Hepidanno & Hermanno, qui ejus obitum differunt in annum sequentem. Inter ejus fraudes hæc insignior memoratur, quod Adelbertum comitem, qui Ludovico regi tum ob cæsum Conradum ejus fratrem, tum ob alias causas invisus erat, dolo ad regem adduxit, pollicitus se eum salvum & incolumem domum reducturum. Dum ambo iter arripiunt, in Comitis palatium (*Babinberg* id erat) redeundum monet Hatto ad prandendum. Pransi demum iter ad regem instituunt, a quo Adelbertus capitis damnatur. Hic Hattonis fidem appellat. Verum ille se promisso absolutum intulit, quippe qui Adelbertum domo egressum, salvum & incolumem ad prandium eo reduxisset. Indigna sane christiano homine, nedum episcopo perfidia, quam Otto Frisingensis, bonique omnes merito exsecrantur. Aliam ejus fraudem, in Henricum Aucupem meditatam, narrat Witichindus: qua fraude ab Henrico detecta, ille tantum doloris & ægritudinis concepit, ut ex morbo contracto paullo post interierit.

c id. p. 47.

Herigerus abbas ejus successor.

Fuldenses abbates.

d Serar. p. 674.

e Brovver. p. 282.

Hattoni in sede Moguntina suffectus Herigerus, quem Fuldensem abbatem, virumque diuturna religionis exercitatione commendabilem fuisse probat Serarius [d] ex quodam Moguntino codice, quem minorem vocat. Si ita habet, non dubito quin is sit Huoggi seu Huoggerus Fuldensis abbas, quem Browerus [e] ad hunc

ANN. CHR. 912.

annum perveniſſe demonſtrat ex diplomate Conradi Regis, qui ei inſigne ſuper decimis, electione, & ceteris monaſterii exceptionibus privilegium conceſſit, datum VIII. idus Aprilis, anno incarnationis Domini DCCCC XII. indictione XV. Actum Fuldæ curte regia. Walfridus notarius ad vicem Pilgrini archicapellani recognovit. Huoggi ſucceſſor Helinfridus abbas ob morum integritatem, ſtructos in ambitu monaſterii firmiores muros, & ædem ſacram cruce aurea gemmis præfulgida ornatam, commendatur. Anno ejus regiminis tertio Hungari, vaſtata igni ferroque Suevorum regione, Fuldam uſque penetrarunt.

LXXII. Augienſes & Laureshamenſes.

Duas minimum abbatias Hatto, etſi non monachus, in epiſcopatu retinuit, Augienſem & Laureshamenſem, quibus Elewangenſem, ut alias omittam, addere licet. In Augienſi ſuffectus Hugo, abbas loci viceſimus-primus, qui uno tantum anno præfuit, ſucceſſorem ſortitus ad tres annos Thietingum: cui Heribrachtus ad annos decem ſucceſſit. Laureshamenſi monaſterio libera electione a Conrado redintegrata, electus eſt [a] Liutherus: cujus tempore Chunegunda, Conradi regis conjux, locum proprietatis ſuæ, cui Ginga vocabulum, ſancto Nazario contulit, & ſe in eccleſia Varia humari præcepit. Conradus ipſe itidem in eumdem ſanctum munificus exſtitit.

[a] Cheſn. to. 3. p. 503.

LXXIII. Argrimus ex epiſcopo monachus.

Apud Divionem Argrimus Lingonum antiſtes, multis in ſanctum Benignum beneficiis clarus, eidem ſe devovit, relicto [b] epiſcopatus honore, ibidem monachus factus: ubi poſt biennium defunctus, in eccleſia honorifice humatur. Obiit octavo kalendas Februarii, quo die *Argrimus* epiſcopus Lingonenſis in tabulis monaſterii memoratur. Nec ſerius ejus abdicatio differri poteſt. ſiquidem Garnerius [c] ſeu Warnerius ejus ſucceſſor hoc anno generalem menſe Octobri ſynodum Divione habuit in eccleſia ſancti Stephani coram abbatibus, archidiaconis, ſacerdotibus, aliiſque eccleſiaſticis miniſtris, præſente etiam Manaſſe comite: in qua Airardum presbyterum repreſſit, qui res vicinarum parochiarum occupaverat.

[b] Spicil. to. 2. p. 424.

[c] Perard. p. 59.

LXXIV. S. Benigni abbates.

Tunc ſancti Benigni monaſterio præerat Godradus abbas, Fulberti ſucceſſor. Fulbertum præceſſerat Lanterius abbas, cui poſt diuturnos [d] labores ad cæleſtem coronam tranſlato ſuffectus Fulbertus, & hic multorum annorum miles emeritus: qui poſt unum annum paſtorale onus in Godradi humeros hoc anno rejecit. Lanterii abbatis depoſitio in necrologio notatur VIII. kal. Novembris. Exſtat apud Perardum [e] permutatio mancipiorum, facta inter Godradum ſancti Benigni abbatem, & Ratherium ſancti Stephani præpoſitum, qui in ſequenti inſtrumento ejuſdem congregationis, nempe ſancti Stephani, *primicerius* appellatur. Idem erat archidiaconus & *abbas canonicus ſancti Mammetis*, id eſt cathedralis eccleſiæ Lingonenſis, ut diſcimus ex chronico [f] Benigniano: in quo Warnerius primo ſuæ ordinationis anno in ſynodo apud ſanctum Mammetem habita, interpellatus dicitur fuiſſe a Godrado abbate & monachis ſancti Benigni de eccleſia ſancti Vincentii, intra Divionis muros ſita, quam Geilo epiſcopus *ad locum refugii* prædictis monachis, extra muros tum poſitis, conceſſerat. Hanc cum invaſiſſet Ratherius, eam monachis reſtituere in illa ſynodo coactus eſt, idque Warnerius epiſcopali auctoritate confirmavit. Hoc ipſo anno, ut id obiter notem, Othbertus epiſcopus Trecenſis obiit kalendis Maii, & idibus Junii inſequentis Anſigiſus ordinatur, ut legimus in brevibus annalibus monaſterii ſanctæ Columbæ Senonenſis in codice Romano.

[d] Spicil. to. 2. p. 424.

[e] Perard p. 60.

[f] Spicil. to. 2. p. 424.

LXXV. Centula inſtaurata.

Rollone & Nortmannis pleriſque ad chriſtianam fidem converſis, monachi huc illucque diſſipati, ad proprias reverſi ſunt ſedes, & cœnobia tum vaſtata, tum conſumta incendio, inſtaurare cœperunt. In his Centulenſe monaſterium, ab iiſdem paganis, ut ſuo loco [g] diximus, crematum, fugati in diverſa monachi: qui, rebus compoſitis, ad propria reverſi, domum Dei poſtliminio redintegrare maturarunt. Pio eorum conſilio ſubſidia contulere Pontivenſes accolæ, qui celebris quondam loci dignitatem abolitam [h] dolentes, pro modulo & facultate dederunt operam, ut Chriſti laudes & ſanctorum memoria ibidem inſtauraretur. Id autem eo facilius viſum eſt, quod, etſi regulares officinæ, clauſtrum, & monachorum habitacula diruta eſſent, eccleſiæ tamen parietes cum altaribus inconvulſi perſiſtebant. Extemplo incumbunt operi artifices, cœpitque locus e ruinis emergere, & ad habitandum aptari. Tecta, non plumbo, ut prius, ſed ligneis tegulis obducta. Mox clericorum cœtus cum aliquot monachis, qui ex fuga ſe receperant, divina offi-

[g] lib. 38. n. 12.

[h] Spicil. to. 4. p. 520.

ANN. CHR. 912.

cia frequentare cœperunt. Utrisque Gerbertus seu Girbertus ex clericis abbas præsidebat, qui Christi patrimonium, multis villis ac prædiis seu venditis, seu donatis, vel occupari permissis, omnino prodegit. Prævaluit nihilo minus sensim monachorum numerus ac religio, ac demum obtinuit, ut eis disponendi & ordinandi loci facultas, reluctantibus licet clericis, tribueretur. Quin etiam Girbertum ad hoc compellere nisi sunt, ut, relicta sæculi vanitate, monasticum vivendi genus & habitum susciperet. Illi vero præfecturæ honorem potius relinquere, quam sæculi illecebras abdicare eligenti, monachi, multa erga eum usi indulgentia, Buxidem villam concesserunt, in qua privatam vitam deinceps exegit. Eliminati etiam e monasterio clerici monachis locum cesserunt, qui Gerberto mortuo Fulchericum monachum substituerunt.

LXXVI. *Belliloco facta donatio.* Perstitit per illas tempestates Bellilocense apud Lemovices monasterium sub Rodulfo abbate, cujus tempore Agannus quidam cum uxore sua Ramberga seu Rambergana quasdam res suæ proprietatis, sitas in villa pagi Lemovicini, vocabulo Calme, in vicaria Asnacensi, quarum aliquas a Bernardo *seniore* seu domino suo » acquisierat, Bellilocensibus tradit pro remedio animarum suarum, & pro anima » *senioris sui* Bernardi, excepto quodam campo, quem filiæ suæ Ragimberganæ concesserat. Actum mense Januario, anno xv. Caroli regis. Alia eidem loco donatio facta est in vicaria Vertedensi, mense Aprili subsequente. Præterea alias donationes sub eodem Rodulfo abbate factas usque ad annum primum Rodulfi regis. Johannes abbas Rodulfi successor anno quinto ejusdem regis nominatur.

LXXVII. *Magenciaci cella conditur apud Arvernos.* Non sic tranquilla fuit fortuna Corbionensium agri Carnutensis monachorum. Hi, everso a Normannis cœnobio suo e patrio solo, profugi & extorres, in diversa, prout sors ferebat, cum corpore sancti Launomari abbatis patroni sui discurrebant: dum Willelmus pius ille Arvernorum comes, a quo Cluniacense monasterium conditum jam diximus, certam eisdem sedem apud Arvernos assignavit, constructo Magenciaci* monasterio in vicaria Doradensi, quod Gauberti abbatis regimini subjecit. Exstant hac de re litteræ in chronico Magenciacensi, a nobis edito in tomo sexto actorum nostrorum, id est litteræ Willelmi comitis, qui hunc locum, a Volusiana nobili matrona ab se acquisitum, sancto Launomaro concessit & monachis ejus, *quos ante unum annum pro Dei amore susceperat.* Hanc autem donationem facit pro remedio animæ suæ, parentumque suorum, senioris quoque quondam sui Odonis, ac Ludovici imperatoris, cognomento Orbi, & sororis ejus dilectæ conjugis suæ Ingelbergæ, quæ adhuc superstes erat; hisque litteris subscripsit post Willelmum, simulque Hucbertus & Emeno vicecomites, aliique. *Actum anno incarnationis dominica* DCCCC XII. *mense Maio.* Accessit pontificium diploma Johannis decimi, ad quem Willelmus comes & Ingelberga legatos suos direxere, Adalelmum episcopum, Gasbertum & Celseum clarissimos viros, ut istud monasterium cum suis rebus sedi Romanæ sub annuo censu subjicerent, obtinerentque liberam facultatem eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. *Romani Pontifices.* quod pontifex ratum esse jussit. Id intelligendum de Johanne decimo Landonis successore, quem Anastasius tertius, Sergii infamis [a] pontificis successor, præcesserat, cujus tempus pontificatus non exprimit Frodoardus, qui de Landone ita scribit.

* *Mainsac.*

[a] *supra num.* 33.

Lando dein summam Petri subit ordine sedem.
Mensibus hanc coluit sex, ut denisque diebus.

Johanni vero decimo ejus successori *bisseptem paullo amplius annos* tribuit.

LXXVIII. *S. Martino de Pinario facta donatio.* Apud Hispanos in Gallicia per id tempus regnabat Ordonius secundus, Alfonsi Magni filius. Is cum uxore sua Gelvira amplissimam hoc anno donationem fecit monasterio sancti Martini de Pinario, superius [b] laudato, cui tunc Gutto abbas præerat. Dedit quippe ad stipendium fratrum ipsum locum Pinarium, eisque confirmavit ecclesiam sanctæ Mariæ de Corticella, ubi prius eorum monasterium fuerat, cum suis altaribus, ædificiis ac bonis, & sepulturam in circuitu ejusdem ecclesiæ cum sua familia, sicut eam Ranualdus abbas olim tenuerat. Hæc vero aliaque donat, cum consilio & consensu domni Sisnandi episcopi, *ad Dei servitium faciendum, & regulam beati Benedicti conservandam*, eo pacto, ut omnes monachi concurrant ad eorum disciplinam, & nulli alii serviant, *nisi soli Deo & regula beati*

[b] *num.* 38.

ANN. CHR. 912.

Benedicti, ut jam in concilio Ovetensi statutum fuerat. In fine diras iis imprecatur, qui regulam sancti Benedicti inde auferre præsumserint. Actum quinto kalendas Julii, currente æra DCCCC L. Huic diplomati subscribunt cum rege ac regina multi episcopi, abbates & optimates; ex abbatibus Gundisalvus, Mundious, Segeredus, & Gradila, suppressis nominibus monasteriorum, quibus præerant. Æra sequeoti Sisenandus episcopus, qui regiis litteris subscripserat, hanc donationem peculiari instrumento coofirmavit. Utrumque Yepesius in fine tomi quarti [a] retulit.

[a] *Yep. script.* 9. & 10.

LXXIX. S. Petri de Elisontia & S. Isidori origo.

Eadem æra nongentesima quinquagesima, quæ huic aono respondet, Garcias rex, Ordonii frater, regio sumtu mooasterium sancti Petri in valle Elisootia exstruxisse dicitur, ibidemque iostituisse collegium *fratrum vitam sanctam degentium*, ut Garcias ipse loquitur; id est *monachorum*, *sub regula sancti patru Benedicti Deo militantium*, & qnidem *sum benedictione abbatis Adjurandi*, quemadmodum in litteris [b] Urracæ infantis, Ferdinandi regis & Sanciæ reginæ filiæ, legitur. Attamen longe ante hoc tempus exstitisse dicitur boc monasterium, cujus instaurator & amplificator, non primus auctor, Garcias fuerit. In eumdem locum etiam se munificum præbuit Ordonius secundus, Garciæ frater ac successor, qui in construendis Legionensi ecclesia cathedrali, atque regio palatio, Arnulfo abbate sancti Petri Elisootiensis, Adjuvandi successore, usus fuisse dicitur. Hoc monasterium a Sarracenis eversum procedente sæculo undecimo sub Ordonio abbate, & ad clericos sæculares devolutum, postea instauravit Urraca infans mox laudata, ac monachis restituit, ut suo loco videbimus.

[b] *ibid. script.* 35.

Idem Garcias rex auctor est monasterii sancti Isidori Legionensis: cujus rei testes sunt regiæ [c] litteræ, inscriptæ *Glorioso & post Deum nobis fortissimo patrono sancto Isidoro, cujus basilisa fundata est in suburbio Legionensi.* His litteris Garcias cum conjuge sua Miona offert altari sancti Juliani pro sustentatione fratrum Deo ibidem militantium sub abbate Obeccooe, & pro susceptione hospitum & peregrinorum, ipsam ecclesiam cum suis ædificiis ac prædiis, ea conditione, ut Obecco abbas, ejusque successores, *qui vitam sanctam secundum regulam beati Benedicti ibidem duxerint*, ea omnia possideaot, & pro regis, regnique incolumitate Deum exorent, & oblationem Christo Jesu offerant. Actum XV. kalendas Martii, æra nongentesima quadragesima-nooa, quæ superiori anno respondet, Garciæ regis anno primo. Idem confirmavit [d] triennio post Ordooius rex, Garciæ frater, cum Eboria regioa, quibusdam rebus de suo adjectis, quas Petro abbati, Obeccoois successori, ejusque fratribus largitus est. His litteris post regem & reginam subscribunt Gennadius & Fortunius episcopi; Recensuindus, Servandus, & Arnulfus abbates; Alexander confessor, id est monachus, & alii.

[c] *ibid. script.* 22.

[d] *ibid. script.* 23.

ANN. CHR. 913.

LXXX. Bodonis-monasterium Tullensi ecclesiæ restitutum.

SUb initia insequentis anni Drogo, Tulli-Leucorum præsul, Bodonis-monasterium, ecclesiæ suæ nuper abstractum, a Carolo rege, cogoomento Simplice, recuperavit, atque ex præcepto Ludovici regis *abbatiam Paulinsacensem* obtinuit, ut in actis episcoporum Tullensium legitur. De hac Bodonis-monasterii restitotiooe exstat in archivo Tullensi præceptum Caroli regis, in quo venerabilis Leuchorum urbis pater & pootifex Drogo Carolo regi detulisse dicitur non pauca chartarum monumenta, in quibus continebatur, Bodonem ejusdem sedis episcopum condidisse prædictum virginum monasterium, illndque Tullensi ecclesiæ subjecisse; postea vero temporibus Lotbarii regis, Lotharii imperatoris filii, Arnulfum episcopum, *propter insuperabilem rectitudinis normam, quam tenuit erga præfatum regem*, contra Waldradæ scilicet adnlterinam copulam, hoc monasterio, aliisqoe rebus ab ipso rege spoliatum fuisse, nec illud recuperare potuisse, sed neque Arnaldum & Ludelmum ejus successores, qui hac de re sæpe reclamaverant. Unde Carolus jostam Drogonis postulationem esse videns, tum pro ejus erga regem fidelitate, tum pro *consanguinitate ipsius*, prædictum monasterium Tullensi ecclesiæ restituit, eo pacto, ut dies, quo ipse regni adeptus est solium, in refectione fratrum *canonicorum, pariterque monachorum, scilicet* V. *kal. Februarii honorifice celebretur*; qui dies post suum ex hac vita discessum in anniversarium commutaretur. *Datum* XIII. *kal. Februarii, indictione* I. * *anno* XVI. *regnante rege Carolo, redintegrante* XIV. *largiore vero hereditate indepta* I. *Actum Leuchorum civitate*, quod diploma *Hugo regia dignitatis humilis notarius ad vicem Herivei archiepiscopi recognovit.*

* *male* XII.

ANN. CHR. 913.

In hoc præcepto notanda sunt verba, quibus rex Carolus Drogonem episcopum *consanguinitate* sibi conjunctum agnoscit. In actis episcoporum Tullensium Drogo *nobilissimis ortus natalibus* dicitur: at quos parentes habuerit, non dicitur.

Alterum hoc in præcepto notandum est, quod præcipit rex, ut dies evectionis suæ in regium solium in refectione *canonicorum, pariterque monachorum* celebretur. quo ex loco videtur colligendum, monachos in Tullensi ecclesia cum canonicis permistos fuisse. qua de re agendum in tomo IV. ubi de Brunone Tullensi episcopo, seu Leone IX.

Vetus-monasterium S. Michaelis restructum.

Monasterium sancti Michaëlis in agro Virdunensi, quod primum ad Marsupiam amnem conditum fuerat, processu temporis ad Mosam fluvium translatum fuerat, ea lege, ut in priori loco monasterium cellæ instar subsisteret, ibidemque monachi deinceps sepelirentur. Cum vero hoc monasterium, quod Vetus dictum est, incendio consumtum, & ad solitudinem redactum esset; Umcrimmus monachus, quem alii [a] Uncrinum vocant, cui forte hæc cella commissa erat, hanc cellam *facultatis suæ laboratione & manuum operatione restauravit.* Hujus rei gratia Ludovicus rex Franciæ orientalis, ut superius [b] diximus, ad restaurationem prædictæ cellæ, rogatu Stephani Tungrensium præsulis & sancti Michaëlis abbatis, contulit ex rebus sancti Michaëlis quamdam villam, vocabulo Fraxinum, in qua mansi viginti-quatuor erant: ut *geminatum die noctuque* ibidem celebraretur *officium, canonici scilicet ordinis, & monastici.* Sic utrumque persolvebant [c] Anianenses in diurnis horis. Post mortem Ludovici regis, Carolus Lotharii regnum adeptus, eamdem villam iisdem conditionibus Umcrimmo hoc anno confirmavit, deprecante Richuino venerabili comite. *Datum* III. *idus Junii, indictione* I. *anno* XXI. *regnante Karolo rege gloriosissimo, redintegrante quidem* XVI. *largiore vero hereditate indepta* II. *Actum monasterio sancti Arnulfi*, scilicet Mettensi, quod adhuc canonicis parebat.

a Balux. miscell. tom. 4. p. 425.
b num. 26.
c S. Benedict. Anian. vita. n. 12. & 57.

LXXXI. Reginerus S. Mathiæ Trevirensi munificus.

Eodem anno Reginerus dux appellatus, cum prædia ecclesiastica deprædatus esset, facti pænitens, in piaculum Trevirensi sancti Mathiæ, olim sancti Eucharii, monasterio amplissima latifundia contulisse fertur. Verum ejus rei diploma a Baronio, aliisque relatum, prodiit ex officina famosi illius impostoris, qui stemmata Lotharingiæ commentus est. Raginerus, post tres annos mortuus, Gisilbertum filium reliquit, qui primus Lotharingiæ ducis titulum hereditarium habuit.

LXXXII. Corbeiæ-novæ & Meschedensis parthenonis jura firmata.

Corbeiæ-novæ monasterium jam ab annis decem [d] regebat Bovo junior, cum illius loci privilegia renovari [e] curavit a Conrado rege, qui tum in ipso monasterio Corbeiæ versabatur, id est III. nonas Februarii, anno regni sui secundo. Mense insequente idem rex eamdem gratiam, rogatu Hermanni comitis, præstitit Meschedensi sanctimonialium monasterio, quod in oppido ducatus Westphaliæ Rinhildis, Franciæ, scilicet orientalis, regina, condidisse fertur. Schatenus Conradi hac de re præceptum refert, datum apud Cassellam VII. idus Martias, indictione prima. Bovoni juniori tribuitur a nonnullis liber [f] de rebus gestis sui temporis, qui potius Bovoni seniori tribuendus videtur. Bovo junior, post annos tres mortuus kalendis Julii, successorem sortitus est Folcmarum, de quo in consequentibus agemus. Sub Bovone prædicto vixit Corbeïæ Bruno episcopus Werdensis.

d sup. lib. 40. n. 43.
e Annal. Paderborn. p. 245.
f ibid. p. 244. V. lib. 37. n. 80.

ANN. CHR. 914.

LXXXIII. Turpio Lemovicensis episcopus.

POstero anno Turpio ex clarissimo genere, post mortem Anselmi episcopi, ad sedem Lemovicensem promovetur. Is est Turpio episcopus, qui Lemovicis sancti Augustini monasterium, de quo in primo horum annalium tomo actum est, instauravit, ibique monachos canonicorum loco restituit, voti memor, quod Ticini ediderat, cum sancti Augustini mandibulam ab ejus ecclesiæ cœnobitis obtinuit, quam postea in Lemovicensi ejusdem sancti Doctoris ecclesia reposuit. Plura hac de re inferius [g].

g lib. 43. n. 57.

Odonē sacerdotem ordinat.

Sub id tempus Berno abbas Odonem monachum, quem rei publicæ monasticæ utilissimum prævidebat, sacerdotio initiari invitum curavit, accersito Cluniacum episcopo, quem Johannes vitæ scriptor haud nominat. Bisuntinensem archiepiscopum suggerit Nalgodus: at Turpionem Lemovicensem episcopum ejus ordinatorem fuisse constat ex Johanne, testante ipsum esse, cujus instinctu Odo tres collationum libros composuit. Ex eodem Johanne intelligitur, moris tum fuisse, saltem apud monachos, ut recens consecratus presbyter sacerdotalem stolam extra sacra retineret. Narrat quippe iste auctor, Odonem ea nocte, quæ suæ ordinationis diem subsequebatur

fubfequebatur, cum e fomno excitatus confecrationis fuæ haud meminiffet, *invenifletque circa collum suum, ficuti mos est, ftolam ab epifcopo fibi collatam*; mox in lacrymas erupiffe, tamquam aliquid infaufti fibi accidiffet; ob idque permultum poftea tempus præ nimio pudore vix pedem e monafterio movere aufum fuiffe. ubi fuccurrit memoria ftolæ leviticæ, quam toto primo fuæ ordinationis anno beatus Maurus pro more geftare folebat: cujus haud dubie exemplo Cluniacenfes, veterum rituum ftudiofi, novis levitis & presbyteris, ad inculcandam fui ordinis reverentiam, id præfcripferint. ANN. CHR. 914.

Non multo poft fuam ordinationem miffus Odo ad Turpionem mox dictum epifcopum, cum forte de ftatu ecclefiæ fermo inter eos factus effet, & facerdotibus fui temporis ex Jeremiæ vaticinio multa Odo aptaffet; ab epifcopo interpellatus eft, dicta ut in fcripta referret, & ex iis librum componeret, fibi fuifque aliquando profuturum. Negante illo id citra abbatis imperium ex regula fibi licere, acceffit ad monafterium epifcopus, & a Bernone abbate, fibi amico & familiari, id quod petebat, facile impetravit. Abbatis imperio illé obfequens, tres Collationum libros compofuit pro triplici argumento, nempe ut divinorum judiciorum metu ac tremore homines, maxime facerdotes, a peccatis revocaret; ut eofdem animaret ad toleranda quæque adverfa; denique ut a murmuratione illos compefceret. Hos autem libros *Domino & patri Turpioni pontifici fuus ille monachus infimus in Domino* infcripfit, in quibus maxime contra monachos proprietarios, carnium comedones, & apoftatas invehitur: quo nomine cenfet regularis habitus atque regulæ prævaricatores. In primis invehitur in eos, qui fcurrilia libentius, quam facra verba aufcultant. *Tale autem eft*, inquit, *facram negligere lectionem, quale effet fi quis in tenebris lumen, in æftu folis umbram, vel in ægritudine medicinam refpueret.* In libro fecundo, laudato Pafchafii libro, agit maxime contra eos, qui facra indigne tractant & fumunt; & fpeciatim in eos, qui *pro fceleratis ob gratiam eorum fe oraturos pollicentur.* qualis fuit ille presbyter, qui facra fecit pro quodam latrone, cæfo prope ecclefiam fancti Petri, *quæ dicitur ad Salas*, fita in ea via, *quæ ducit ad forum.* In eodem libro ex Bernonis relatu narrat, reliquiis fanctæ Gualburgis feu Walburgis virginis fuper altare pofitis miracula ceffaffe, ob id fcilicet, quod reliquiæ effent *fuper altare, ubi majeftas divini myfterii debet folummodo celebrari.* Ad hæc proprietarios exagitat, talefque cenfet eos, qui *de propriis cifellis fumtuofum ad myfteria peragenda producant apparatum, quem contra confuetudinem de iniquo mammona acquiruat, &*, QUASI AD ORNATUM ECCLESIÆ RELICTURI, *fecuri poffident.* Tum proprietariorium objectis refpondens: *Si ob negligentiam*, inquit, *prælatorum, & non magis ob cupiditatem fua propria haberent; non alios cibos, non alias veftes, quam regulariter conftitutas haberent.* In tertio libro quafdam pœnas & mortes memorat cælitus inflictas nonnullis monachis, qui carnes contra regulæ præfcriptum ederant. quod & abbati Jammoni, & præpofito Æduenfis cœnobii, duobufque monachis e Durenfi ac Cormariceno monafteriis accidiffe teftatur, quos repentina morte correptos fuiffe afferit. Simile quid contigit duabus fanctimonialibus ex monafterio puellarum, quod juxta Balmam virorum fitum eft. Illæ inde egredi permiffæ, *ut de rebus parentum, qui forte auper obierant, aliquid monafterio reportarent*; hac occafione cum fæculum perguftaffent, Dei fuique propofiti oblitæ, licet antea recte in monafterio fe geffiffent, ad fæcularem vitam regreffæ funt, & turpiffimo fe commercio addixerunt. Ex his junior intumefcente brachio vitam brevi amifit: altera primo partum edidit ita monftrofum, ut collum ulna longius haberet: dein cum in crimine perfeveraret, in partu difrupto ventre interiit. Videant illæ, quæ tam facile ob leves caufas e monafteriis egrediuntur, quanta illas maneat tentationis ac ruinæ occafio. Id vero ante triennium accidiffe Odo ipfe teftatur. Ad hæc invehitur in monachos, qui veftes monafticas majoris pretii, vel alterius formæ, quam regula præcipit, geftabant; idque conftare ait, quod *ob id exterius mutantur indumenta, quia interius mutata funt corda.* Ejufmodi monachos apoftatas cenfet, & quotquot a regulæ obfervatione defcifcunt, etiamfi religiofum qualemcumque habitum retinere videantur. *An non eft apoftata*, inquit, *de habitu vel victu traditiones patrum contemnere, cum Deus terminos patrum transgredi interdixerit; defpectaque victus qualitate vel quantitate, per beatum Benedictum præfixa, fanguineas dapes cum filiis Ifraël defiderare? An non eft apoftafia humilem veftitum fpernere,*

LXXXIV. Odo Collationes juffu ejus fcribit.

ANN. CHR. 924.

& decorem vestimenti quærere? & an ventrem colere non est apostasia, cum flens Paulus protestetur, quod ligurgitones inimici sanctæ crucis sunt, & ventrem pro deo habent? Nobis, inquam, hæc apostasiæ verba conveniunt: quandoquidem religionis habitum, per tot retro annorum curricula retentum, lascivientes quique inter nos & petulantes in hac nostra ætate mutare ausi sunt. Attendant illi, quos hæc tangunt. Sed de his Collationum libris satis.

LXXXV. S. Martialis abbates.

Turpionis frater erat Aimo abbas sancti Martialis apud Lemovicas octavus. Primus quippe a restitutione monachorum Dodo successores habuit Abbonem in annos undecim, cujus anno quinto Carolus-Calvus apud Lemovicas rex coronatus est; Benedictum in quindecim annos; Gunsindum in octodecim, cujus anno secundo idem Carolus imperator obiit; Fulbertum ejus nominis primum in sex annos, cujus anno quinto rex Odo decessisse traditur; tum alterum Fulbertum in annos viginti; dein Stephanum in septemdecim, ac demum Aimonem mox laudatum, de quo ac de duobus proximis decessoribus in consequentibus agendum ex libello de abbatibus sancti Martialis: in quo Abbonis obitus notatur XIV. kalendas Julii, Benedicti IV. idus Julii, Gunsindi VII. kalendas Novembris, quem auctor ait se ægre illum in catalogo abbatum posuisse, quod sub habitu monastico cor sæculare gesserit, quippe qui multas ecclesias & terras sæcularibus potestatibus perperam concessit. Fulbertus primus obiit IX. kalend. Februarii; secundus III. idus Octobris, ut suo loco iterum dicturi sumus. Hæc abbatum chronologia non omnino accurata est.

LXXXVI. Tutelensis monasterii origo, instauratio & abbates.

Aimo Abbas mox laudatus, is esse videtur quo hortatore libros de vita sancti Geraldi Auriliacensis sanctus Odo composuit, haud scio an idem abbas Tutelensis monasterii, de cujus origine in præsens agendum. Ejus historiam patriæ caritate ductus eleganter & accurate scripsit Stephanus Baluzius, Tutelensis urbis insigne ornamentum, eamque a fabulis, quibus nuperus auctor eam obscuraverat, vindicavit. Hanc historiam, necdum editam, vir clarissimus, mihi pro sua in nos benevolentia communicavit, eaque deinceps utar, ubi de Tutelensi monasterio agendi recurret occasio.

* *Tulle.* * *la Correze.* * *la Solane.*

Tutela *, inferiorum Lemovicum caput, ad confluentes Curretiæ * & Solanæ *, æquali fere intervallo a Briva & Userca, sita partim in planitie satis amœna, partim in collibus & saxis asperrimis, originem habuisse videtur a monasterio, de cujus primordiis duæ sunt valde discrepantes sententiæ. Alii quippe ea referunt ad tempora sancti Martini Turonum episcopi, Tutelensis patroni: alii ad Caroli, Martelli an Magni, principatum: cujus sententiæ auctor est Odolricus abbas sancti Martialis, ut legitur in actis concilii Lemovicensis, habiti anno M XXXI. Mediam viam tenet Baluzius, & Tutelense monasterium sæculo septimo conditum existimat. Præcipuum ejus argumentum petitur a testamento Ademari Scalarum vicecomitis, ejusdemque monasterii instauratoris, testantis se reddere *sancto Martino & monachis in antedicto monasterio sibi servientibus abbatiam veterem, qua a proavo patris* sui ipsi *successerat*. At enim si bene tempora numerentur, ætas abavi Ademari, quem Ademarum sæculo nono exeunte potestatem in hoc loco habuisse constat, ad eam tempestatem referenda videtur, qua ejusmodi beneficia magnatibus a Carolo Martello tributa sunt ad sumtus belli faciendos. adeoque Tutelensis abbatia, quæ tunc Ademari abavo concessa fuerit, sæculo saltem superiori condita censenda est. Illic nihilo minus perstitisse videntur monachi usque ad infaustissima tempora Normannorum, a quibus Tutelense monasterium omnino in solitudinem redactum fuit usque ad exitum sæculi noni, quo tempore Ademarus vicecomes, qui abbatiam ex avita hereditate retinebat, monasterium instauravit, ibidemque monachos restituit. Erat is vicecomes Scalarum, qui locus est Tutelæ proximus, perperam quæsitus apud Anglos ab auctore neoterico; cum constet, non Anglum origine, sed Lemovicensem fuisse Ademarum, & quidem ex genere vicecomitum Torinnensium. Dictus est porro vicecomes Scalarum, non quod locus iste vicecomitatus titulo præditus esset, (neque enim tunc temporis vicecomitis dignitas loco affixa erat, sed personæ tributa) sed quod illustriores toparchas tunc dici mos esset vicecomites eorum locorum, quorum domini erant. Atqui Ademarus Lemovicum inferiorum vicecomes erat primum sub Odone rege, qui in Aquitania rex apud Lemovicas ordinatus, *Lemovicinum*, inquit Ademarus Cabanensis, *per vicecomites ordinavit*; dein sub Ebalo comite Pictavensi, quem Ademarus vicecomes in testamento *seniorem* suum vocat.

Primus ab instaurato Tutelensi monasterio abbas invenitur Odolricus, laudatus in catalogo Tutelensium abbatum, quem exhibet codex bibliothecæ Colbertinæ, & in tabulis cujusdam Gauzberti & uxoris ejus Emenæ, datis *in mense Januario, anno* VII. *regnante Odone rege.* Post Odolricum vetus ille catalogus, nullo intermedio, notat Aimonem superius laudatum, e Pictavensi sancti Savini monasterio, ut puto, accitum, quem *religiosissimum abbatem* vocat Rodulfus rex in litteris, quibus ei Tutelense monasterium commendavit *ad restaurandum regulare propositum.* Idem, ut puto, abbas erat sancti Martialis Lemovicensis: sed cum utrique loco regendo forte non sufficeret, Tutelensem præfecturam committi curavit sancto Odoni, qui eam obtinebat anno DCCCCXXV. ut constat ex litteris donationis a quodam Geraldo factæ *sacrosanctæ basilicæ sancti Martini Tutelensis cœnobii, ubi almifici confessores Christi, Clarus atque Laudus, humati quiescunt,* nuper ex Britannia istuc ob Nortmannos translati; & *ubi præsenti tempore domnus Oddo abbas præesse videtur,* &c. *Factum est hoc in mense Madio, anno* III. *regnante Rodulfo* * *rege,* id est anno DCCCCXXV. ex quo Franci, Carolo Simplice in carcerem retruso, Rodulfum regem agnoverant. Paullo post Odo factus Cluniacensis abbas, Tutelensis abbatiæ regimen commisit Adacio, cui abbatum indices substituunt Bernardum, qui Tutelense monasterium rexit usque ad annum DCCCCLXIX. successorem sortitus Geraldum ad annos minimum decem. In his nullus locus invenitur pro Johanne abbate Auriliacensi, sancti Geraldi propinquo; quem tamen Auriliacense chronicon abbatem quoque Tutelensem fuisse notat. Certe hic Johannes ecclesiæ Tutelensi quædam contulisse dicitur, in his freda regalia, quæ habebat annuatim de manu regis Francorum in Tutelensi castro: sed, si ejus loci abbas fuerit, ejus præfecturæ tempus difficile est assignare.

ANN. CHR. 914.

* al. mendose *Karolo.*

LXXXVII. Salomon episcopus captus.

Villa est sancti Galli in Alamannia prope lacum Acronianum, quem Constantiensem vocant, Stainhemium dicta, quæ, ut olim sancto Othmaro abbati, sic etiam Salomoni episcopo pariter & abbati fere exitium attulit. Hanc Conradus rex ante biennium sancto Gallo, cui ejus majores illam quondam auferre tentaverant, præcepto suo asseruerat. Id vero gravate admodum tulere Pertoltus & Erchengerus fratres, fisci regii in Suevia procuratores. quippe nondum Suevia in ducatum redacta erat, sed fisco regio speciatim addicta, quam *cameræ,* ut tum vocabant, *nuntii* [a] procurabant. Illi potestate sua abusi, in illa villa castellum exstruxerant, ibique jus tyrannicum sibi vindicabant. Restitit ex officio suo Salomon sancti Galli rector, quem illi comprehendere conati sunt. at Salomon eorum astus elusit. Vocati nihilo minus illi ad regis judicium, & majestatis rei pronuntiati, ad preces Salomonis absolvuntur. At nihilo cautiores facti, episcopum tandem intercipiunt, & in carcerem hoc anno [b] trudunt. Verum is a Sifrido patruele in libertatem brevi asssertus est, reique capitis damnati, reclamante quamtumvis Salomone, qui christiano vere animo adversariorum suorum mortem deprecabatur. Bonis reorum in fiscum redactis, Suevia primum in ducatum erigitur. Sueviæ principum assensu electus est dux primus Burchardus gentis illius nobilissimus, cui & prædia damnatorum confiscata cessere, exceptis iis, quæ ad Berthæ Erchengeri uxoris dotem pertinebant. Salomon indulgentia, quoad in se erat, vivis data, mortuis sepulturam in ecclesia concessit. Rex vero odiosum illud castellum subrui jussit, & annuum censum, dum vixit, in eera ad sancti Othmari sepulcrum, ut carnificum ejus nepos, pependit.

[a] *Ekkeh. p.* 40.

[b] *Hepidan.*

Augiæ abbates.

Hoc ipso anno Augiæ post Hugonem Thietingus abbas electus, post triennium locum fecit Heribrachto seu Heriberto, qui annos decem Augiæ præfuit.

LXXXVIII. S. Vincentii ad Vulturnum, Casæ-aureæ, & Nonantulæ abbates.

In Italia post Maionem abbatem sancti Vincentii ad Vulturnum, qui hoc sæculo ineunte decessisse traditur, locum rexit ad annos octodecim Godelperus, cujus tempore monasterium, a Sarracenis funditus eversum & combustum, post trigintatres solitudinis annos instaurari cœpit, quod Raimbaldus absolvit, ejus ab anno nongentesimo vicesimo successor ad annos sex & viginti. Idem ante portam monasterii oratorium in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ exstruxit, perfectisque ædificiis, dissipatos fratres in unum reduxit, ibique priscam religionem reflorere curavit. Quin etiam circumpositam regionem, quæ pæne tota incolis deserta, atque adeo inculta erat, accitis e Valvensi comitatu hominibus, incoli & excoli fecit.

ANN. CHR. 914.

a Spicil. to. 5. p. 378.

Consimilem a Sarracenis cladem eodem tempore pertulit Casæ-aureæ monasterium sub Ittone [a] ejus loci abbate quinto, qui Lupo abbati, post quatuor annos regiminis mortuo, hoc anno successit. Tanta vero ejus monasterii depopulatio facta dicitur, ut nihil funditus in eo remanserit, & tota congregatio præda hostium facta sit. Tandem vero Sarraceni a finitimis christianis victi, ac finibus illis pulsi. Post quorum discessum, Itto abbas ad suum monasterium rediit: sed antequam perdita recuperare, & ædificia destructa instaurare potuisset, exstinctus est, annis quinque in magistratu exactis. Eo mortuo, Casaurienses hac, illacque dispersi, aliquamdiu sine pastore, privilegium a Berengario ad asserendam eligendi abbatis libertatem, & recuperandas possessiones impetrarunt. Electus subinde Alparius abbas locum utcumque resarcire tentavit. Hunc post annos regiminis viginti-quinque excepit Hildericus abbas, cujus tempore Johannes Pinnensis episcopus litem de monasterii subjectione intentavit.

b Ital. sac. to. 5. c. 478.

Hoc item anno Nonantulæ Petro abbati [b] successit Gregorius, qui post annos quindecim in Solariæ solitudinem secedens, locum fecit Ingelberto abbati: cujus tempore post annos tres ac dimidium reversus in monasterium, anno DCCCC XXXII. piissime decessit tertio nonas Augusti. Ingelbertus locum administravit per annos duodecim, obiitque duodecimo kalendas Martii. Gorlo ejus successor anno DCCCC XLI. ordinatus fuisse dicitur, multisque ærumnis & injuriis abbatiam liberasse.

LXXXIX.

S. Sebastiani in Monte-sacro initia.

In Gallicia Sisinandus seu Sisnandus Iriensis antistes, jam laudatus, monasterium in honorem sancti Sebastiani martyris condidit in Monte-sacro seu Illicimo, illudque abbatiæ sancti Martini Compostellanæ subjecit, & abbati ejus Gutoni fratribusque ejusdem loci, qui vitam secundum regulam districtissimam sancti Benedicti vivebant: ut in illo sancti Sebastiani monasterio presbyteros instituerent.

c Yep. tom. 4. script. 12. & 13.

Binas ejus rei litteras edidit [c] Yepesius, datas æra DCCCC LII. quæ huic anno respondet: unas kalendis Februarii; alteras, quas prioribus illis potiores puto, kalendis Septembris: quibus litteris novo monasterio dotem assignat, simulque *ministeria ecclesiæ*, id est calicem argenteum *cum sua paropside*, crucem & capsam argenteas, variaque ornamenta, ac libros, unum ordinum sacerdotalium, alterum hieronticum, id est liturgicum seu missalem, ut vocamus; tertium continentem officium, passionem & missam sancti Sebastiani. His litteris cum Sigismundo, aliisque Gundesindus & Emerote abbates subscribunt.

S. Pauli item Barcinonensis.

Ad hunc eumdem annum Yepesius agit de monasterio sancti Pauli Barcinonensi, occasione epitaphii Wifredi comitis, Wifredi comitis filii, ibidem sepulti, qui VI. *kalendas Maii, sub æra* CM LII. *anno Domini* CM XIV. *anno* XIV. *regnante Karolo post Odonem* obiisse dicitur. Ex quo intelligitur, hoc monasterium, quod sancti Pauli a Campo cognominatur, ante hunc annum, sed incerto tempore, conditum fuisse. Hanc inscriptionem, non Wifredo Piloso, neque ejus filio cognomini, sed alteri Wifredo, si tamen genuina est, tribuendam esse constat. nam Wifredus Pilosus Barcinonensis primus comes obiit anno DCCCC XII. aut insequenti, sepultusque est in monasterio Rivipullensi, ut Baluzius [d] ex veteri codice Coxanensi contra Suritam probat: & Wifredus comes ejus filius, ibidem humatus, decessit kalendis Decembris, *anno decimo-quarto regnante Carulo rege, filio Ludovici*, non VI. kalendas Maii, ut sancti Pauli præfert inscriptio, quæ sane mendosa est, nec ullius fere momenti, quippe quæ annum Caroli regis XIV. a morte Odonis comparat cum anno Christi DCCCC XIV. quæ anno DCCCC XI. illiganda est. Sane optaremus aliunde probare originem monasterii sancti Pauli Barcinonensis, quod diu Monti-Serratensi abbatiæ subjectum fuit, sed postea cum ecclesia sancti Benedicti Bargensi, Manresæ vicina, permutatum est. Aliud monasterium prope Barcinonem olim condiderat Johannes abbas, Biclarense dictum, de cujus situ & statu in primo tomo [e] actum est. Decessit sine liberis Wifredus junior: at pater ejus reliquit filios quatuor, Radulfum scilicet Rivipullensem monachum, Wifredum seu Guifredum mox laudatum, quem veneno sublatum tradunt; Mironem comitem Barcinonensem, & Suniarium comitem Urgellensem, præter Borrellum, quem Suniarius in quibusdam litteris suis commemorat. Guidbertus-Gitardus & uxor ejus Rotlendis monasterium sancti Pauli anno M C XVII. instaurasse perhibentur, & Romanæ ecclesiæ obtulisse.

d V. Marca Hisp. col. 382.

Wifredi comitis liberi.

e lib. 3. n. 35.

In Anglia Plegmundus Cantuariæ antistes e vita migravit, cum annos triginta-quatuor illi ecclesiæ præfuisset, sepultus in cathedrali Salvatoris ecclesia. Ejus successor Athelmus Wellensis episcopus regem unxit coronavitque Athelstanum, qui totius Angliæ principatum obtinuit. Athelmo post annos decem suffectus Wlfhelmus & ipse Wellensis episcopus, qui sacravit sanctum Odonem Schireburnensem, ipsius aliquando futurum successorem. ANN. CHR. 914. X C. Cantuariæ præsules.

ANno insequente nongentesimo quinto-decimo Balduinus, cognomento Ferreus, Flandriæ comes, qui Sithiensem sancti Bertini abbatiam tenebat, ex letali morbo interiit, eum Flandriam rexisset annos triginta-novem; abbatiam vero annos septemdecim occupasset. Corpus ejus, quod ille in Sithiensi monasterio juxta patrem humari jusserat, post biennium jam in cineres redactum, uxor ejus Elstrudis ad Blandiniense sancti Petri monasterium transferendum curavit, ubi & ipsa sepeliri volebat, quod necdum tunc mulieribus in Sithiense monasterium aditus permissus esset. Reliquit duos filios Balduinus, Arnulfum scilicet natu-majorem, cui Flandriæ comitatus obtigit: & Adalolfum, qui Boloniensem & Teruannensem comitatum, necnon sancti Bertini abbatiam obtinuit. Ubi hereditarias comitatuum dignitates in usu jam fuisse vides. Adalolfi tempore Sifridus Danus, favente Arnulfo comite, Ghisnas villam, quæ Sithiensium erat, occupavit. ANN. CHR. 915. X C I. Sithiensis abbas Adalolfus comes.

Tunc etiam Betto seu Berto ex monacho & præposito sanctæ Columbæ Senonensis abbas sancti Heraclii, modo sancti Johannis-Evangelistæ, apud Autisiodorum, ut superius ᵃ vidimus, post Gerannum episcopum hujus urbis sedem adeptus est. In veterrimo brevi chronico sanctæ Columbæ ad hunc annum Berto quarto idus Martii ordinatus episcopus dicitur. Ea in dignitate sanctimoniæ candore, prudentia, gravitate, frugalitate, simul & liberalitate excelluit. Huic moris erat refectionis tempore lectionem sacram adhibere, ac mensæ suæ fercula duodecim egenis coram se positis, aliisque extraneis partiri. Nihil indecorum aut scurrilitati proximum coram eo proferri licebat. Unum ipsi defuit, nempe longior pontificatus, quem ad tres annos haud integros tennit. X C I I. Betto fit episcopus Autisiodorensis. a lib. 40 n. 36.

Dum rex Carolus in Gundulfi-villa * Tullensis agri moraretur, rogante Wicheramno ᵇ venerabili abbate, ad preces Richardi comitis & fidelis sui Rotberti, Trenorchiensis monasterii privilegia, a superioribus concessa regibus, necnon omnes ejus loci possessiones confirmavit, concessitque *ut trapezetas* seu monetarios *locus prædictus haberet*, qui regii nominis sigillum nummis imprimerent. Adjecit etiam monachis facultatem eligendi ex se abbatis secundum regulam sancti Benedicti, sicut tempore avi patrisque sui habuerant, cum annali mercato per dies quatuor *in missa* seu festo sancti Filiberti *de transitu*, qui depositionis ejus dies est; necnon immunitatem sexcentorum solidorum, quam Karolus avus ipsius & Ludovicus genitor, fratresque sui eis concesserant. *Datum* VI. *idus Octobris*, *indictione* IIII. *anno* XXIII. *regnante Karolo rege gloriosissimo*, *red ntegrante* XVIII. *largiore vero hereditate indepta* IIII. *Actum Gundulfi-villa*. Si mendum non est in editis, indictio quarta inchoatur a kalendis Septembris hujus anni, quo annus regni Caroli vicesimus-quartus incidebat. Consimile privilegium a Rodulfo rege obtinuit Heriveus secundus, Trenorchii abbas post Wicheramnum. X C I I I. Trenorchii privilegia confirmata. * *Gondreville.* b *Tournus pag.* 272.

Hoc anno e vivis excessit Hogerus Hammaburgensis præsul XIII. kal. Januarii, de quo Adamus ait nihil se comperisse præter sanctitatem, cui veterum traditio suffragabatur hoc versu: X C I V. Hogerus præsul Hammaburgensis obit.

Sanctus & electus fuit Hoger septimus heros.

Addit eum severissimum ecclesiasticæ disciplinæ exactorem fuisse, & monasteria ecclesiasque suæ diœcesis crebro visitasse. Hunc porro ex Corbeïæ-novæ monasterio, quod ignoravit Adamus, assumtum fuisse, eique ex eodem loco Wimonem successisse tradunt annales Corbeienses ad hunc annum, his verbis: *Obiit Hogerus Bremensis: succedit Wimo, uterque noster.* Sepultus est ad antecessorem suum Adalgarium in basilica sancti Michaëlis Hogerus: cujus corpus cum post annos centum & decem, diruta præ senio capellula, quæreretur, præter cruces pallii & cervical episcopi nihil repertum est. In iisdem annalibus Wimo anno DCCCC XXXVI. in Suecia obiisse dicitur.

ANN. CHR. 915.
Corbeiæ-novæ abbates & viri illustres.

Hogerum brevi subsecutus est Bovo Corbeiæ-novæ abbas eo nomine secundus, anno sequenti ex phtisi mortuus, cum annos sexdecim monasterium rexisset. Ejus tempore floruere Corbeiæ Addasto doctus monachus, qui commentarium in Danielem anno DCCCC I. scripsisse traditur in annalibus Corbeiensibus, eumque episcopo Hildensheimensi, scilicet Wigberto, qui ejusdem loci monachus fuerat, obtulisse. Anno insequente DCCCC II. Audalius monachus Casinum migravit permissu Bovonis abbatis; haud scio an idem cum Adelgero, qui anno DCCCC X. ex monte-Casino rediisse dicitur, & insignem portiunculam de sancto patre nostro Benedicto attulisse. Nec omittendus Chrysostomus monachus, qui anno M VI. perrexit *ad Corbeiam-auream* in Francia (sic passim veterem Corbeiam vocat annalista); ubi perhumaniter exceptus, altero anno ibidem obiit. Bovone item abbate Helmdagus, olim lector, abbas in peregrino monasterio factus est. In Bovonis locum suffectus Folcmarus seu Volkmarus, bonus paterfamilias, & religiosus abbas, cujus anno primo, id est anno DCCCC XVII. Hunni omnia circumquaque loca, ipsumque monasterium vastarunt, quod ille pro temporum miseria instauravit. Ejus anno primo Albertus de Amlunxia, vir pius & doctus, *ex Corbeia-aurea* & monte-Casino reversus, multa pretiosa retulit, receptus utrobique in fraternitatem; tandemque senex & cælebs in Corbeia-nova monasticen professus est, dictus deinceps frater Nithardus.

XCV.
Mathildis reginæ ortus & conjugium.

Tunc temporis proximum Corbeiæ-novæ parthenona Herivordensem regebat Mathildis abbatissa, olim conjugata in sæculo, ex qua Theodericus Saxoniæ comes procreatus est, Mathildis reginæ pater. Hanc abbatissa Mathildis ejus avia in suo parthenone nutriendam susceperat, ut illic *sacras lectiones & manuum operationes* disceret. Ea erat forma virginis, ut Otto Saxoniæ dux, qui illam Heinrico filio suo desponsare cupiebat, Thietmarum comitem ad rem explorandam eo direxerit. Hic adminiculo matronarum, quæ puellæ assidebant, in ejus cubiculum admissus, formam virginis famæ haud imparem esse cognovit. Mox Heinricus istuc advolat, ingressusque quasi causa precandi ecclesiam, virginem illic sedentem cum psalterio in manu, religiose compositam invenit. Ejus amore captus juvenis princeps, hanc in conjugium a Mathilde abbatissa flagitavit. Hæc diu responsum suspendit; sed instante juvene, congruum esse ait, ut integra fide his, qui eam sibi commendaverant, restitueretur, quid facto opus esset deliberaturis. ceterum se nihil moræ huc allaturam pro excellentia generis ejus, qui eam expetebat. Hoc responso factus ille ardentior, tandem puellam ab avia obtinet, ac postridie eductam paullo post, consentiente Ottone, conjugio sibi copulavit. Illa vero non modo Heinrico viro, sed etiam socero ita grata & accepta fuit, ut eam Otto totis tribus, quibus supervixit, annis loco filiæ habuerit. Hæc facta videntur ante mortem Odæ Ottonis ipsius matris, quæ anno nongentesimo-duodecimo, vitæ suæ centesimo-septimo, decessisse traditur; Otto vero ejus filius biennio post, id est anno ejus sæculi decimo-quarto. Eo mortuo, Conradus rex, cui Heinrici filii potentia suspecta erat, vi eum opprimere, sed incassum, non semel tentavit. Hic est Heinricus, cognomento Auceps, Ottonis Magni pater, de quo sæpius mentio recurret. Ceterum Mathildis ejus uxor ita in conjugio se gessit, ut pietas ejus formam æquaret. Hæc in publico quidem gemmis & serico ornata procedebat: ast interius longe nobilius gestabat ornamentum, cor scilicet maternum in subditos, humilitatem & modestiam in omnes: quibus amori erat simul & honori. Noctis tempore clam e lecto se subtrahebat ad Deum precandum, conjuge dissimulante. Is Ottonem & Heinricum, qui postea Bajoariæ dux fuit, ex ea suscepit. Heinricus præ Ottone primogenito matri carus erat. quod ingentium discidiorum seminarium fuit. Hæc præmittere visum est de Mathilde, quæ non modo inter Benedictinas virgines educata fuit, sed etiam multa beneficia toti Ordini nostro contulit, duo monasteria exstruxit, & post mariti obitum religiosissime vixit. Ad res Italicas venio.

XCVI.
Leoni abbati Casinati succedit Johannes.

Necdum in Casinense monasterium, ab se instaurari cœptum, remigraverat Leo abbas, cum Teani morbo oppressus sexto-decimo kalendas Septembris, post regiminis annos quindecim cum dimidio; ibidemque sepultus est. Nullus tunc inter tot Casinates seu Teanenses, quod mirere, idoneus repertus, qui mortui locum suppleret. Erat tunc in Capuana ecclesia vir quidam, genere ac pietate illustris, Johannes nomine, qui archidiaconi officio fungebatur. Huuc Landulfus & Ate-

ANN. CHR. 915.

nulfus Capuani principes adeunt, rogantque, immo flagitant, orbatæ ut familiæ regimen in se susciperet. Urgentibus annuit tandem Johannes, tumque monachus factus, nec multo post a fratribus communi consensu electus, atque a Johanne decimo, pessimo licet pontifice, consecratus est. Mox ille fratres monere & hortari cœpit, ut, relicto Teano Capuam se conferrent, quæ civitas, cum provinciæ primaria erat, tum habitatione principum tutior. Illis vero patris monitis obsecundantibus, cum nullum esset in ea urbe monasterium, Johannes abbas a Godelperto abbate sancti Vincentii Vulturnensis exiguam ecclesiam ad portam sancti Angeli comparavit, ubi tres vetuli monachi habitabant in domuncula lignea, quam Maïo abbas cum ecclesia olim exstruxerat. Ejus vice Godelpertus abbas locum juxta civitatem a Casinatibus accepit, & monasterium sancti Vincentii ad Vulturnum instaurare aggressus est, recollectis in pristinum locum monachis, qui post cladem Sarracenorum huc illucque dissipati erant, fusis scilicet ad Garilianum Sarracenis, & ex illis partibus hoc anno prorsus eliminatis. Interim Johannes, tam propinquorum, quam amicorum fultus subsidiis, in prædicto loco monasterium in honorem beati patris Benedicti ædificare cœpit, id est insignem ecclesiam, & regulares ædes variis monasterii officiis congruentes; ibique monachos amplius quinquaginta congregavit. Hoc monasterium post varios casus, quos in consequentibus referemus, tandem patribus societatis Jesu cessit, concessa [a] a Clemente octavo abbatia cardinali Bellarmino, qui canonicos, loco monachorum istuc inductos, alio transtulit, annuente Paulo quinto, ac suæ societatis patres istuc introduxit. Occasione illius transmigrationis, cujus Johannem abbatem auctorem fuisse diximus, Camillus Peregrinius, & ex eo Angelus de Nuce Agapiti papæ diploma proferunt, in quo Capuani principes, ambitionis & avaritiæ studio ducti, hanc promovisse notantur, *non ob Dei reverentiam*, inquit pontifex, sed ob temporalis gloriæ cupiditatem; *& ut ipse princeps*, Landulfus scilicet eo nomine primus, *totius possessionem jam dicti monasterii suis, quasi hereditario jure, relinqueret*. Huc sine dubio spectabant illi principes, cum Johannis Capuani electionem tantopere flagitabant. Non tamen Casini curam abjecit Johannes, immo post ejus renovationem, varia ipsi ornamenta contulit, totiusque abbatiæ præceptorum confirmationem a principibus Capuanis obtinuit.

Capuæ monasterium exstruit.

[a] Sanct. Capuan. p. 165. & seq.

XCVII. Gennadii episcopi testamentum.

Apud Astures Gennadius episcopus hoc anno testamentum condidit, in quo varias monasteriis ab se exstructis donationes facit. In primis Ageo sancti Petri monasterio, quod olim sanctus Fructuosus instituerat, ipse vero restituerat, multa prædia, necnon ecclesias tribuit, quæ ita propria ejus loci esse jubet, ut alia monasteria *nihil communionis* ibidem habeant, nisi forte unanimitatis gratia aliquid pro misericordia concessum fuerit. Ad hæc calicem cum patena, aliaque vasa & ornamenta ecclesiastica cum libris itidem ecclesiasticis eidem largitur. Erant & alia tria in eadem solitudine monasteria, ab eodem condita episcopo, nempe sancti Andreæ; sancti Jacobi, dictum Pennalba; tertium inter utrumque, nuncupatum ad-Silentium, quibus omnibus consimilia legat, multosque libros, in his *bibliothecam totam*, id est codicem bibliorum, *librum Comitis, & librum regularum virorum illustrium*, forte codicem regularum, quas Benedictus Anianæ abbas in unum collegerat. Hos vero libros ab omnibus illis monasteriis *in commune* possideri præcipit, ita ut per illa monasteria dispertiti, mutuo, prout opportunum fuerit, alii aliis commodentur, sed ea lege, ut nulli, ne quidem abbati, liceat eos in alia loca transferre. Quanta autem eo tempore esset librorum penuria, argumento est parva illa librorum supellex, quæ vix sexdecim numerum excedit. *Factum & confirmatum testamentum era* DCCCC LIII. cui subscribunt Ordonius rex, Geloira regina cum Ermigio & Didaco episcopis, præter alios. His monasteriis adjuncta erant eremitoria, quo monachi in vita cœnobitica exercitati secedebant, ut in regula nostra permittitur. Exemplo aliis præluxit Gennadius ipse, qui, dimisso episcopatu, *in secretum montem Silentii* se subduxit.

Monasteria ab eo exstructa.

Idem Gennadius monasterium sanctæ Leocadiæ [b] de Cabreria, quod olim piissimi abbates Valentinus & Moyses incoluerant, ab Asturicensibus episcopis fere direptum restituisse, ibidemque, abdicato episcopatu, vixisse traditur. In hujus rei fidem profertur ipsius Gennadii instrumentum, cui subscripserint episcopi duo, Frunimius Legionensis, & Attilanus Zamorensis, successor Sicilii episcopi, qui

[b] Tep. hoc anno.

dignitati nuntium remisisse, & in Legionense sanctorum Cosmæ & Damiani monasterium secessisse memoratur.

XCVIII. *Garciæ & Ordonii regũ donatio facta S. Isidoro.*

Pæne omiseram diploma [a] Ordonii regis, eo nomine secundi, & conjugis ejus Elviræ, indultum monasterio sancti Isidori, quod posteri Dominarum appellarunt, sito in suburbio Legionensi, apud castellum Castrium, alio nomine *Donans* dictum, inter duo flumina, scilicet Pisoricæ & Carrionis. Ante annos abhinc quatuor Garcias [b] Castellæ rex, Ordonii prædicti frater, cum uxore sua Miona regina, eidem monasterio, cui tum abbas Obecco præerat, jam ipsius loci ecclesiam cum suis pertinentiis obtulerat, id est confirmaverat, æra DCCCC XLIX. anno regni sui primo. quod post annos quatuor iterum ratum habuit Ordonius secundus, quasi novam donationem faceret. Ejus diploma inscriptum est, *Domino Deo & sancto Isidoro, in cujus honore fundatum est monasterium, in loco, qui vocatur Castrium, quod dicitur* Donans, *juxta flumen Pisorie; sive & cultoribus ecclesie nostræ, Petro abbati cum omni collegio fratrum in loco sancto vestro degentium, vel cunctorum ibidem advenientium; nos famuli vestri Ordonius Dei gratia rex, & Elbira regina, oramus, ut hanc nostram dignemini suscipere oblationem. Devote offerimus parva atque exigua munuscula sanctis altaribus vestris, ad reparationem ecclesiæ vestræ pro luminaribus jugiter accendendis, pro adolendis odoribus sacris, & sacrificiis Deo placabilibus immolandis, pro vita vel vestitu monachorum, qui sub aula nostra morabuntur, pro susceptione peregrinorum & sustentationibus pauperum. In primis concedimus ipsum locum, in quo basilica vestra sita est, cum omnibus adjacentiis,* &c. *Facta scriptura testamenti* XI. *kalendas Martii, æra* DCCCC LIII. Subscribunt post regem ac reginam episcopi duo e nostris, Gennadius & Fortunius; dein Recensuindus, Servandus, & Arnulfus abbates, Alexander *confessor*, id est monachus, ex eorum numero, quos tunc conversos Franci appellabant; postremus omnium Petrus abbas, scilicet sancti Isidori, qui Obecconi successerat. In utroque diplomate monachi secundum regulam beati Benedicti conversari dicuntur.

a *Tep. tom.* 4. *script.* 23.
b *ibid. script.* 22.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUADRAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi 916. ad annum 927.

ANN. CHR. 916.

I. Novi in Gallia motus.

CUM tranquilla omnia in regno Caroli & pacata viderentur, novi motus interius exorti publicam concordiam perturbarunt. His occasionem dedit in primis nimius Haganonis apud regem favor, qui principum & magnatum invidiam accendit. tum Gisilberti Lothariensis comitis superba potentia, qui mortuo Raginero patre, primus contra Carolum rebellavit. denique Rotberti ducis, Odonis quondam regis fratris, nimia audacia, qui non multo post Heriberti Veromandorum comitis societate fretus, regem se contra Carolum extulit. Erat Hagano medii generis, quem rex adeo dilexit, ut eum ceteris præferret, & fere unum pro consiliario haberet. adeo ut ille, magnatibus procul positis, regio lateri solus hæreret, multaque regia fere potestate ageret. Et hinc invidiæ fomes. Ad hæc post mortem Ragineri Lothariensis, qui partium Caroli fidissimus tutor fuisse, atque hoc anno decessisse in chronico Saxonico dicitur, Gisilbertus ejus filius a Carolo paternum honorem accepit: sed ille, beneficii immemor, pro abjectione Caroli multa primus molitur. Verum spe sua dejectus, & ad Heinricum Saxoniæ ducem fugere coactus, cum eum contra Carolum, sed frustra, proritare tentasset, per ipsum Carolo demum reconciliatus, pristinos honores recepit.

II. Celsinianensis monasterii initia.

Hoc tempore Celsinianense * apud Arvernos monasterium conditum est a Willelmo principe & marchione, ut se ipse vocat in litteris, quæ de illius monasterii primordiis hoc anno confectæ sunt. In his litteris ᵃ Willelmus, cognomento Pius, idemque auctor monasterii Cluniacensis, pro remedio animæ suæ, & animarum patris sui Bernardi, matrisque Ermengardis, necnon Odonis senioris sui, ac fratrum suorum, sororisque suæ Adalendis & filiorum ejus, Deo res suas offert, ceditque in jus ecclesiæ, quam suis sumtibus in proprio fundo apud Celsinanias ædificare cœperat in honorem sanctæ Trinitatis, & castissimæ Mariæ virginis, dilectique discipuli Christi Johannis: quæ res sitæ sunt apud Arvernos in villa comitatus Brivatensis Carisiaco, vicariæ Ucionensis, cum ecclesia sancti Juliani apud Gigniacum * in comitatu Talamitensi *. *Data in mense Novembrio, in die Mercoris, anno* XVIIII. *domino Karolo rege Francorum sive Aquitaniorum.* His litteris sub-

* *Sauxillanges.*

a *Diplom. p. 119.*

* *Gignac.*

* *Talandesi*

ANN. CHR. 916.

ſcribunt Willelmus gratia Dei comes, Ingelberga ejus conjux, Acfredus, & Boſo; tum Ermoldus epiſcopus Arvernenſis, & Hildebertus itidem epiſcopus, dein Atto, Sigaudus, & Abbo abbates, Elizeus monachus, & alii cum Rogerio comite. Hoc monaſterium, quod alii Celſinias & Celſinanicas vocant, principio ſubjectum fuit, uti hodie quoque, principi abbatiæ Cluniacenſi.

III. Balneolenſis monaſterii privilegia renovata.

a Capitul. to. 2. c. 1528. & ſeq.

Sub initium hujus anni rex Carolus in palatio [a] Heriſtalio verſabatur, cum privilegia monaſterii ſancti Stephani Balneolenſis, in diœceſi Gerundenſi, cujus loci abbas tum erat Halfredus, a deceſſoribus regibus Ludovico atavo, Carolo avo, & Ludovico genitore ſuo conceſſa, renovavit. *Datum v. idus Aprilis, indictione* IIII. *regnante Karolo rege glorioſiſſimo, redintegrante* XVIIII. *largiore vero hereditate indepta* v. *Actum Heriſtallo palatio.* quod præceptum Gozlinus regiæ dignitatis notarius ad vicem Herivei archiepiſcopi, ſummique cancellarii recognovit.

IV. S. Walburgis cella.

b Diplom. p. 560.

c ibid. p 249.

Ad hunc etiam annum revocanda eſt origo eccleſiæ ſanctæ Walburgis virginis, quæ a Carolo rege, acceptis ejus ex Germania reliquiis, in villa Attiniacenſis palatii Dionna exſtructa eſt, non a Carolo Magno, ut Miræus, Marlotus, aliique nonnulli falſo opinati ſunt. Id patet ex diplomate authentico ipſius, quod ex archivo Compendienſi [b] eruimus, in quo rex ait, ſe divino ſuccenſum amore, » ſtatuiſſe ædificare eccleſiam Attiniaco in palatio, in honorem ſanctæ Walburgis » Chriſti virginis, cujus reliquias pro tutamento totius regni *ex partibus orientalium*, » id eſt ex pago Germaniæ Eiſtatenſi, afferri curaverat. Ad hujus vero eccleſiæ dotem prædia & ſervos confert variis in locis, maxime in villa Dionna, quæ poſtmodum a ſancta Walburge nomen ſortita eſt. *Datum* VII. *idus Junii*, ſub iiſdem chronicis, ut ſupra, notis, ejuſdemque notarii recognitione. *Actum Attiniaco palatio.* Poſt biennium [c] idem rex novo præcepto decernit, *ut eadem capella, in qua quatuordecim ordinis monaſtici viros ſtatuit, ſit ſubjecta Compendienſi cœnobio, ea ratione, ut præpoſitus & decanus Compendii in præfatæ capellæ loco conſtituant præpoſitum & theſaurarium ex ſuis*, id eſt ex canonicis, qui tunc Compendienſem baſilicam tenebant. Poſtmodum, cum Attiniacenſe palatium a ſuo ſplendore excidiſſet, hæc ſanctæ Walburgis eccleſia cum ſuis appendicibus ceſſit in dotem Conſtantiæ Philippi primi filiæ, uxori Hugonis Campaniæ comitis, qui hanc cellam Moliſmenſi cœnobio, a quo pendet etiam nunc, ſubjecit.

V. Diploma pro S. Michaële ad Moſam.

Idem Carolus ſub finem hujus anni portionem bonorum, quam Lotharius imperator monachis ſancti Michaëlis in pago Virdunenſi aſſignaverat, ad eorum preces regiis litteris denuo confirmavit, juſſitque, ut nullus abbas, nullave poteſtas quid» quam ex illis rebus minuat vel mutet, vel ex eis præbendas det; ſed earum diſpo» ſitio penes præpoſitum ejus loci cum conſenſu fratrum remaneat. Ad hæc quædam » prædia eiſdem confert. quæ omnia facit, ut monachi pro remedio animæ ſuæ & » conjugis Frideranæ & prolis, & pro totius regni ſtatu Dominum aſſidue exorare » ſtudeant, & abbatem ſuum, ſicut decet, honorificent. Id autem factum eſt *deprecante venerando comite Richuino, atque Erleboldo, necnon & abbate ipſius loci, ſcilicet Rodulfo*, qui ſine dubio ſæcularis erat, cujus loco præpoſitus monachis præerat. *Datum* v. *kalendas Decembris, indictione* IIII. *anno* XXIII. (lege XXIIII.) *regnante Karolo rege glorioſiſſimo, redintegrante* XVIII. (lege XVIIII.) *largiore vero hereditate indepta* v. *Actum Theodonis-villa.* Idem notarius, qui ſupra, hoc præceptum recognovit.

S. Apro facta reſtitutio.

Eodem anno Drogo Tulli-Leucorum epiſcopus in plena ſynodo decimam eccleſiæ ſancti Martini in Mannonicurte monaſterio ſancti Apri, inſtante Segedeo abbate, reſtitui juſſit. *Data ſub die nonarum Novembrium, anno* IIII. *regnante Karolo rege in Francia*, id eſt in Lotharii regno, *anno vero dominicæ incarnationis* DCCCCXVI. *indictione* IIII. Subſcribunt poſt Drogonem epiſcopum Rotlandus primicerius, tres archidiaconi, aliique canonici.

VI. Wiborada recluſa.

d Nilus lib. 2. ep. 96.

e Greg. Tur. lib. 6. c. 6.

f lib. 40. n. 44.

Celebre quondam fuit apud veteres monachos, atque adeo apud noſtros, recluſorum utriuſque ſexus inſtitutum. Inter antiquiores cenſendi ſunt Philumenus, cui Nilus [d] ſenior epiſtolam ſcripſit; & Hoſpitius Nicienſis a Gregorio [e] Turonenſi epiſcopo laudatus. Primus regulam ejuſmodi recluſis præſcripſit Grimlaïcus preſbyter, qui recluſionis modum & formam, qualis ſine dubio ante ipſum uſitata erat, fuſe deſcribit, ut ſuperius [f] vidimus. In monaſteriis virorum non modo recluſi erant, ſed etiam recluſæ in cellis a monaſterio ſeparatis admittebantur. Una ex

antiquioribus occurrit sancta Wiberat seu Wiborada, quæ hoc anno prope monasterium sancti Galli reclusa fuit. Hæc ex nobili Suevorum orta genere, ab ineunte ætate pietatem mirifice coluit. Nudipes ad ecclesiam a domo longe remotam progredi solita, mundo muliebri rejecto, labori & silentio vacabat. In victu parsimonia & severitas haud impar. Tempora somni artiora: fessis membris humus cilicio strata cubile fuit, saxum pro cervicali. Huic frater erat, Hitto nomine, apud sanctum Gallum in scholis exterioribus institutus. Utrique pia cupido incessit Romanæ urbis voti causa adeundæ. In reditu soror Hittoni auctor fuit, ut sæculo nuntium remitteret, & apud sanctum Gallum monasticen profiteretur. Nec diu post ipsa fratrem secuta est. Forte fama ejus sanctitatis pervenit ad aures Salomonis Constantiensis episcopi & sancti Galli abbatis, qui ad suum monasterium profecturus, eam ad illud iter invitavit. Illuc profecta, tanta loci veneratione capta est, ut se ibidem recludi postulaverit. Erat in vicino monte sancti Georgii oratorium, quod huic reclusioni aptissimum visum est. Sed ne hoc institutum temere arripuisse videretur, quatuor annis se ipsam probavit in cella quadam oratorio adjuncta, ubi abstinentiæ & inediæ, vigiliis & precibus supra fidem se se addixit. Probationis quadriennio exacto, sollemni ritu ab eodem episcopo recluditur, sera cellulæ obsignata. Illic ad præscriptum sancti Benedicti regulæ, quam sæpe lectitabat, & ad nutum præpositi sancti Galli vitam deinceps instituit. Ejus exemplo aliæ etiam puellæ idem propositum ibidem secutæ sunt, qualis fuere Rachildis, Kerbildis, aliæque, de quibus in consequentibus acturi sumus.

ANN. CHR. 916.

Eodem tempore nobilissimus adolescens, Udalricus nomine, causa doctrinæ ad sancti Galli monasterium accessit. Erat is ex clarissima & præcelsa Alamannorum prosapia. Pater ejus Hucpaldus, mater Thetpirga vocabatur. Præceptor ejus apud sanctum Gallum in grammatica Waningus ipsum ad capessendum monasticæ vitæ institutum identidem hortabatur. Idipsum suggerebant alii etiam cœnobitæ, qui nobilissimum juvenem monachum, & post Salomonis decessum regularem abbatem habere cupiebant. Tentatus frequentibus adhortationibus adolescentis animus, inducias ad Deum hac de re consulendum petiit. Wiboradam, quæ tum prophetiæ dono excellere ferebatur, e propinquo consulendam statuit. Post triduanas preces illa respondit: Non ulterius, inquit, fili, animus tibi hac de re fluctuet. Non hic, sed in orientali parte, ubi quidam fluvius duas dirimit provincias, pater spiritualis futurus es, atque episcopali honore donandus; sed multis pressuris & angustiis a paganis & falsis christianis exercitandus, quales nullus decessorum tuorum umquam passus sit, quibus demum optata succedet serenitas. Id oraculi spectabat ad fluvium Lycum, qui Sueviam a Bajoaria discriminat, & præterfluit Augustam-Vindelicorum, ubi Udalricus post octo annos episcopus factus est. Ekkehardus Udalrici apud sanctum Gallum præceptorem vocat Hartmannum, Waningum vitæ sancti Udalrici scriptor. Sed utrumque habere potuit, Waningum scilicet in grammatica, ut hic auctor scribit, Hartmannum in aliis disciplinis.

VII. Udalrici studia apud S. Gallum.

Necdum annus effluxerat a coronatione Berengarii imperatoris, cum Berta ejus filia, parthenonis sanctæ Juliæ Brixiensis abbatissa, ab eo facultatem obtinuit ædificandi [a] castelli in quodam prædio monasterii sui, scilicet super ripam Ticini, juxta portum, qui dicitur Sclavaria. *Data* VIII. *kalendas junii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC XVI. *domini vero Berengarii serenissimi regis* XXIX. *imperii autem sui primo, indictione* IV. *Actum Curtesina.* Eædem sunt chronicæ notæ diplomatis ejusdem imperatoris pro ecclesia Cremonensi, a Sigonio ad hunc annum relati. Paullo diversæ sunt in ejusdem imperatoris diplomate pro Casæ-aureæ monasterii libertate, dato anno sequenti, Berengarii regis anno XXVIII. imperii secundo, indictione quinta.

VIII. Berengarii diploma pro S. Julia Brixiensi.

a Bullar. Casin. to. 2. p. 40.

Postero anno, qui est nongentesimus decimus-septimus, Friderunam reginam, Caroli regis conjugem, & quidem quarto idus Februarii e vita migrasse intelligimus ex regio præcepto [b] ejusdem Caroli pro ecclesia Compendiensi, quo Pontigonis villæ regiæ donationem, eidem ecclesiæ a Frideruna regina factam, confirmat, prout ipsa *immmente die sua mortis* flagitaverat, ita ut *frater ejus Bovo Catalaunensis antistes ecclesiæ* jure beneficiario, dum viveret, retineret *ad exsolvendum unoquoque anno argenti libram unam in die anniversarii* ejusdem Friderunæ, *quæ est quarto idus Februarii: ut anniversarius ejus celebretur* a prædictæ ecclesiæ fratribus

ANN. CHR. 917.

IX. Friderunæ reginæ obitus & donationes.

b Diplom. p. 562.

ANN. CHR. 917. *cum hymnis ac psalmis*, & congrua eis refectio ipso die præparetur. *Datum* VII. *kalendas Augusti, indictione* V. *anno* XXV. *regnante Karolo rege gloriosissimo, redintegrante* XX. *largiori vero hereditate indepta* VI. *Actum Aquisgrani palatio.* quæ indictio huic anno convenit, non sequenti, quo Labbeus Friderunæ obitum reponit. In fine diplomatis rex eamdem legem seu multam contra donationis hujus violatores renovat, quam Pippinus rex atavus suus *in monasterio Promia, seu Lauduni in puellarum loco*, id est in parthenone sancti Johannis-Baptistæ; atque abavus suus Carolus in Aquisgrani palatio; necnon Carolus ejus avus in Compendiensi cœnobio statuerant; atque insuper diras iis imprecatur; itidemque in alio præcepto [a] pro instauratione abbatiæ Compendiensis, quod *deprecante fideli* suo *Haganone* eodem die & anno eidem Compendiensi ecclesiæ concessit in ipso Aquisgrani palatio: ubi etiam præcepta combusta & donationes eidem ecclesiæ factas renovavit: quibus in litteris canonici ejus loci *cœnobitæ* Compendienses appellantur.

a ibid. p. 560. & seqq.

X. Corbiniacum Remigianis datur.

Quod modo dicebamus de tempore Friderunæ reginæ obitus, confirmatur ex » litteris [b] ejusdem Caroli, quibus significat, quod Frederunna *quondam regina*, « conjunx sua carissima, pro omnipotentis Dei amore, sanctique Remigii Franco- » rum apostoli veneratione, *ante cujus sacratissimum pignus benedictione olei & consecratione in reginam fuit delibuta*, dederit monachis eo loci Deo strenue militanti- » bus, ex dote regalis sui connubii, Corbiniacum in pago Laudunensi, excepta cel- » lula sancti Petri, ubi corpus confessoris Christi Marculfi quiescit, quam cellulam » rex ipse sub annuo censu decem solidorum pro vitæ suæ tempore sibi retinuit; insu- » per contulerit ecclesiam in Craonna, quam Ernusto ejusdem reginæ nepoti in vita » sua reliquit, ea lege, ut singulis annis annua illius depositionis die solvat ad men- » sam fratrum libram unam argenti. Actum VI. kalendas Martii *in monasterio sancti Remigii*, ubi Friderunna regina sepulta est, & quidem subtus majus candelabrum, ut domesticæ memoriæ docent. Ibidem rex versabatur [c] quinto-decimo kalendas Martias, cum res quasdam, consistentes in comitatu Porcensi, quæ sancto Remigio injuste ablatæ fuerant, eidem restitui jussit, ea conditione, ut singulis annis, „ anniversaria inunctionis suæ die, quæ est V. kalendas Februarii, plenaria refectio „ pro rei memoria fratribus tribuatur: qui pro conjuge sua carissima *piæ recordationis* Frederunna, necnon infantibus suis, regia prole, Dei clementiam assidue exorent. Id factum est, ut jam dixi, in monasterio sancti Remigii XV. kalendas Martii, sub iisdem, ut supra, indictione & anno. Ex hoc loco rex Aquisgranum adiit, si verum est id, quod ad hunc annum legimus in chronico Saxonico, scilicet Carolum, imminente paschali sollemnitate in Aquisgrani palatium se recepisse, eoque ex tota Gallia confluxisse principes & magnates, in his Ruotpertum seu Rotbertum ducem; immo etiam Heinricum ex Saxonia: qui omnes per quatuor dies ante fores regii cubiculi, ubi rex cum solo Haganone residebat, egressum regis præstolantes, nullum ab eo responsum habere potuerint. Quare Heinricum indignabundum, inconsulto rege, discessisse; sed ab eo revocatum per Heriveum metropolitanum Remensem cum multo demum honore admissum fuisse in regis gratiam & familiaritatem.

b Marlot p. 534.

c ibid. p. 535.

XI. Latiniacum S. Dionysio.

Observatu dignum est aliud ejusdem regis præceptum, quo villam Latiniacum, » sitam in comitatu Meldensi super fluvium Maternam, cognomine Siccum, ad discri- „ men alterius Latiniaci pagi Parisiensis, quam villam olim Dagobertus sancto Dio- » nysio donaverat, eidem [d] restituit, uti postulaverat Rotbertus comes ejus loci abbas, » una cum prioribus ac senioribus loci monachis: ea ratione, ut *in die nativitatis* » *suæ, quæ est missa* seu festo *sancti Lamberti*, (nempe quinto-decimo kalendas Octo- » bris;) & in die unctionis suæ, quæ est octavis sanctæ Agnetis virginis, memoria » ipsius in monachorum refectione fiat; & memoria obitus uxoris suæ Frederanæ » per annos singulos fiat. Ad hæc ut, quamdiu vixerit, septem psalmos decantent » pro salute sua, atque Rotberti abbatis, quem non semel *consanguineum* suum vo- » cat. *Datum* V. *kalendas Junii, indictione* V. *anno* XXV. *regnante Karolo rege gloriosissimo, redintegrante* XX. *largiore vero hereditate indepta* VI. *Actum Attiniaco palatio.* Gauzlinus notarius ad vicem Herivei archiepiscopi, summique cancellarii recognovit hoc præceptum, cujus authenticum in archivo Dionysiano asservatur. Hinc conciliatur auctoritas donationi prædicti Latiniaci, S. Dionysio a Dagoberto factæ, quam nonnulli temere nuper impugnare ausi sunt, qua de re in Supplemento [e] librorum de re diplomatica actum est.

d Doublet p. 814.

e Supplem. cap. 5. n. 3.

ANN. CHR. 917.

XII. Dolensis monasterii initia.

Non ultra hunc annum differri potest origo Dolensis *apud Bituriges monasterii, quod Ebbo comes una cum uxore sua Hildegarde construxit. In primariis ejus cœnobii litteris, quas Beslius & Labbeus [a] retulerunt, Ebbo Dolensis castri dominus res juris sui tradit beatissimæ Dei genitrici Mariæ, & sanctis apostolis Petro & Paulo, hoc est in villa territorii Bituricensis, Dolis nomine, in vicaria Brivensi, unam capellam in honore sancti Germani, & alteram sanctæ Mariæ super Andram * seu Angerem fluvium, aliaque permulta. quæ omnia donat pro anima *senioris* sui Willelmi principis, cognomento Pii, qui adhuc vivebat, hisque litteris subcripsit, ea conditione, ut in Dolis *monasterium regulare* construatur in honorem beatæ Mariæ semper virginis, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli; ibique monachi *juxta regulam sancti Benedicti* viventes congregentur; sintque ipsi monachi cum omnibus rebus prædictis *sub potestate & dominatione Bernonis abbatis*; post cujus decessum iidem munachi habeant potestatem eligendi ex regula abbatis *quemcumque sui ordinis* eligere voluerint; per singula vero quinquennia Romanæ ecclesiæ quinque solidos persolvant ad demerendam Romani pontificis defensionem. His litteris subscribunt post conditores Willelmus comes, Gerontius sanctæ Biturigensis ecclesiæ archiepiscopus, Turpius Lemovicensis, & Arnuldus Arvernensis episcopi, item Hildebertus episcopus, & alii. *Data per manus Gerlanni diaconi ad vicem cancellarii, jussu Willelmi principis*, IV. *nonas Septembris, anno* XX. *regnante Karolo rege*. Ex his intelligitur, Dolense monasterium, quod Burgidulense * posteri appellarunt, non abbatiæ Cluniacensi subjectum, unitumve fuisse, sed commissum Bernoni abbati: quo mortuo, libera fuit eligendi pro libito abbatis facultas, quemcumque sui ordinis Dolenses voluissent.

* *Deols.*

a *Miscell. p.* 505.

* *l'Indre.*

* *Bourg-Dieu.*

XIII. S. Gildasii cœnobium conditur.

Idem Ebbo auctor fuit vicini sancti Gildasii monasterii, quod hac occasione conditum [b] tradunt. Fervente, aut potius furente Normannica rabie, Daocius, Reuvisii seu Ruyensis in Armorica monasterii abbas, cum suis monachis fugiens, beatissimi Gildasii primi abbatis ac patroni sui, aliorumque sanctorum reliquias in Bituricensem pagum secum asportavit. Tunc in Dolensi castro degebat nobilissimus princeps Ebbo, cui Daocius abbas calamitatis suæ angustias exposuit. Ille vero abbatis oratione permotus, locum ei pro tempore habitandum concessit in quodam nemusculo, quod e regione castri Dolensis versus occidentalem plagam situm erat, eo scilicet in loco, ubi antiquitus ecclesia in honorem beatæ Mariæ condita fuerat; & juxta eam duo eremitoria, quæ tunc habitatoribus destituta erant. Verum in insula, quæ dictæ ecclesiæ a septemtrionali parte adhærebat, aliud monasterium in honorem sancti Salvatoris ædificare cœpit, quod moriens Radulfo filio suo, Gerontio archiepiscopo, & Launo tum archidiacono, postea Gerontii successori, perficiendum curavit, in quo sancti Gildasii, aliorumque sanctorum reliquias reposuit, sibique castrum, quod Radulfi ab auctore dictum est, ædificavit. Dolense Romano pontifici, sancti Salvatoris monasterium Bituricensi ecclesiæ subjectum fuit. In libello de vita sancti Gildasii Dajocus abbas, is qui Daocius aliis appellatur, sub altare Ruyensis ecclesiæ octo ex majoribus sancti Gildasii ossibus recondidisse traditur, quæ tempore suo reperta fuisse auctor ille tradit: cetera vero cum reliquiis sancti Paterni Venetensis & aliorum sanctorum, cum libris & ornamentis secum transtulisse, nimirum in pagum Bituricensem, ubi cum suis in sancti Salvatoris monasterio consedit. Dolensibus Willelmus comes cum uxore sua Ingelberga res suas in villa Masnilio [c] donavit.

b *Patriarch. Bitur. c.* 52.

c *Labbe Miscell. p.* 511.

XIV. * Vestis blavinea in monacho culpata.

Inter monachos, qui primi Dolense monasterium incoluere, unus fuit Gauzlinus nomine, de quo visum quoddam retulit sanctus [d] Odo, quod post ipsum referre non pigebit. Hic mortuus in feretro cum *blavinea cuculla* compositus fuisse dicitur. Enim vero Guido Sollemniacensis monachus conspicere sibi visus est ante quemdam abbatem (sanctus Benedictus is erat) veneranda canicie prostratum, sed ab eo rejectum *propter blavineam cucullam*, qua indutus erat, nec eum agnoscere volentem, quousque regularem vestem acciperet. quare ille pudefactus & tremens ad Guidonem cucurrit, ut aliam sibi daret. Quo ex loco id saltem colligimus, ejusmodi blavineas cucullas a quibusdam tunc solutioribus monachis gestatas fuisse, sed a religiosioribus, ut par erat, improbatas. Hoc ipsum exemplum fusius retulit Johannes initio libri tertii de vita sancti Odonis. Floruit sub finem sæculi undecimi in Dolensi monasterio Herveus monachus, in litteris sacris maxime eru-

d *Odo collat. lib.* 3. *c.* 22.

ANN. CHR. 917.

ditus, ut ejus in Paulum, aliosque libros commentarii probant. Verum, ut se habent rerum humanarum vices, utrumque monasterium, Dolense scilicet ac sancti Salvatoris, anno M DC XXIII. destructum est, petente serenissimo principe Condæo Henrico Borbonio, qui eorum loco duo canonicorum collegia instituit, unum intra palatium Castri-Radulfi, alterum Dolis. Exstat apud Labbeum [a] index abbatum & toparcharum Dolensium & Castri-Radulfi.

Navenses abbates.

Ad hunc annum, Caroli vicesimum, pervenit Macbertus Navensis ad sanctum Sulpicium abbas, cujus tempore Gaufridus Bituricensis vicecomes Navensi monasterio quædam largitus est in villa pagi Bituricensis Colongiaco, *anno* XX. *regnante Karolo rege, mense Februario.* Macberti successores fuere Humbertus sub Rodulfo rege, Regimundus anno septimo Ludovici Transmarini, Ebrardus tempore Lotharii regis, sub quo Herbertus abbas eidem loco præesse cœpit.

XV. Figiacenses & Conchenses abbates.

Ad hoc fere tempus superstes fuit Geraldus Fiacensis seu Figiacensis abbas, qui *Caroli stulti regis temporibus* in construendis ædificiis & in amplificando loci honore ac censu strenuissimus fuisse, & Conchensem abbatiam [b] simul tenuisse dicitur. Ejus tempore floruit Figiaci Hugo [c] monachus & hortulanus, gravi abstinentia & labore corpus suum domare solitus. Hunc Geraldus Conchas, qui locus situ asperrimus & artissimus erat, direxit, ibique priorem esse jussit. Forte Geraldus ipse hujus loci monachos invisit, contigitque famulos ejus a domesticis ministris Conchensium post mutuas rixas vapulasse. quæ res sic abbatis animum offendit, ut affirmaret, se numquam amplius eum locum visurum. Frustra iram ejus mitigare tentavit prior, pœnam de reis ejus voluntati & arbitrio committens. Unum ille ad hæc reddidit, stultum esse, qui Fiacum habens, locum utique amœnissimum, Concharum valles ingratas & inhospita tecta requireret. Hac usi occasione Conchenses, Figiacensium jugum excutere statuunt, & Hugonem priorem loco abbatis deinceps habere cœperunt. Geraldo mortuo & Figiaci sepulto, Figiacenses domnum Calstonem, monachum probissimum, elegere, qui a Benedicto papa Romæ benedictus dicitur. At parum veri simile est, Geraldum, qui a tempore Caroli Calvi Adalardo successisse fertur, pervenisse ad pontificatum Benedicti quinti, qui anno DCCCC LXIV. electus est. nam quo minus id de Benedicto quarto intelligamus, vetat Raimundi Auriliacensis abbatis præfectura, cujus Calsto Figiacensis æqualis fuit.

XVI. Crassæ facta donatio.

Paullo ante hoc tempus Witizæ [d] Crassæ abbati successerat Suniarius abbas, quo præsidente Aldena quædam nobilis femina quemdam alodem in villa comitatus Carcassensis Bulmado ad vitam filio suo Amelio tradit, eo pacto, ut *per unumquemque annum siccinas donare* faciat ad domum sanctæ Mariæ monasterii Urbionensis, quod vocatur Crassa, & ad Suniarium abbatem & ad monachos, qui ibidem Deo deserviunt, *inter panem & vinum modium unum. Facta carta donationis ista* IIII. *kalendas Julii, anno* XX. *regnante Karolo rege post obitum Odonis regis.* Eodem Suniario abbate superstite, Geronimus quidam eidem loco dat alodem suum apud Pradellas in valle Equitania ejusdem comitatus, ad luminaria ecclesiæ, pro anima cum sua, tum fratris sui Livolani presbyteri, reservato sibi usu-fructu, ea lege, ut singulis annis persolvat ad domum sanctæ Mariæ *inter avena* * *& vinum sextarios* XII. Facta donatio VIII. *idus Julii, anno* XV. *regnante Ludovico rege.* Idem abbas Suniarius pervenit saltem ad annum secundum Lotharii regis.

XVII. Fuldenses abbates.

In Fuldensi monasterio Helmfrido abbati jam successerat Haicho, testante Johannis decimi diplomate, quo eidem Haichoni eximiam immunitatem [e] de vetito feminarum in monasterium, adeoque in ecclesiam ingressu, de summa sacrati soli libertate, de verbi divini semente, uti poposcerat, indulget in hæc verba: *Tibique, fili dilecte Haicho, quia te bene eruditum & eloquentem virum esse novimus, verbum Dei prædicare auctoritate sancti Petri. & concedimus, & præcipimus* &c. *Datum* XIIII. *kalendas Junii, per manum Stephani secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis decimi papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli quarto, imperante domino piissimo augusto Berengario, a Deo coronato magno imperatore anno secundo, & patriciatus* (lege *consulatus*) *anno secundo, indictione* V. Ex quo intelligitur, Johannem decimum anno ejus sæculi quarto-decimo ineunte sedere cœpisse, non duodecimo, ut Baronio visum est. Plura inferius de Haichone, qui ad annos circiter octo præfecturam retinuit.

a *Bibl. to.* 2. *p.* 740. *& seq.*

b *lib.* 35. *n.* 27.

c *Baluz. Miscell. to* 2. *p.* 199.

d *lib.* 41. *n.* 24.

* *sic.*

e *Brower. p.* 283.

ANN. CHR. 918.

XVIII. Gerardi Broniensis monastica professio.

ANno insequenti, qui nongentesimus octavus-decimus erat, Gerardus Broniensis monachum induit in cœnobio Dionysiano apud Parisios, cujus abbatiam Rotbertus comes, uti & Germanensem obtinebat. Gerardus nobili genere, patre Stantio seu Stantione, qui ex prosapia Haganonis Austrasiorum ducis fuisse dicitur; matre Plectrude, Stephani Tungrensis episcopi sorore, sub finem sæculi noni in lucem editus est in loco, quem Stablecellas * vocant, sito inter Mosam & Sabim *, haud procul a Bronio, in pago Lomacensi * seu Lomensi, qui Fossas, Gemblacum, Bronium, Calvimontem, Cuvinium, haud modicam recentioris comitatus Namucensis partem, complectebatur. Hunc pagum tum regebat Berengarius comes, sub quo Gerardus militasse traditur. Hic cum pietate ac religione præcelleret, cælitus admonitus est, ut ex oratorio, quod Pippinus princeps, Heristallensis dictus, Bronii exstruxerat, & a sancto Landeberto episcopo consecrari curaverat, basilicam conderet, eamque in honorem sancti Eugenii martyris dedicaret. Absoluta fabrica, cum anceps animi esset, quo pacto sancti Eugenii reliquias ad ejus dedicationem posset comparare; opportuna ejus rei se se obtulit occasio. Erant Berengario Lomacensi comiti negotia tractanda cum Rotberto, præpotente Parisiorum comite, qui abbatiam sancti Dionysii, ut mox diximus, occupabat. Missus ad id negotii tractandum Gerardus, cum ad Dionysianum opidum jam inclinante die divertisset, ipse, qua erat pietate, ad basilicam sancti Dionysii martyris precandi causa accedit. Tunc agebantur vespertinæ preces, in quibus sancti Eugenii de more commemoratio facta est, cujus corpus illic haberi ignorabat. Post vespertinum officium, quis sit ille sanctus Eugenius, percontanti responderunt monachi, Toletanum episcopum esse, & sancti Dionysii socium & collegam, qui in Gallias reversus, apud Diogilum * proximum vicum glorioso certamine pro Christo mortem oppetierit. Tum vero ille hujus sancti martyris reliquias petit. At monachi rem difficilem esse causantur. quippe sanctum in dies coruscare miraculis, & pro patrono ac defensore ab incolis haberi. Si tamen in sua ipsorum basilica monachorum cœtui nomen dare voluerit, facilius ejus desiderium posse perfici. His ille mature expensis, consulto prius Stephano Tungrensi episcopo, sæculum deserere statuit, expletaque legatione, ad Dionysianos reversus, eorum numero adscriptus est, collatis monasterio prædiis, quæ in Lothariensi regione possidebat. Mox ille, inertiam perosus, piis se operibus exercere, litteras, quas ignorabat, addiscere, sacris lectionibus, labori & precibus se totum dare, adeo ut seniores non modo pietate, sed etiam doctrina assequeretur. Hinc a loci præposito seu decano compulsus est anno a conversione secundo, ut in acolythorum numerum allegeretur a Theodulfo Parisiorum episcopo, qui eum anno subsequenti subdiaconum ordinavit. Anno quarto a Fulrado Theodulfi successore promotus ad diaconatum; anno tandem nono ab Adelhelmo, qui Fulradum proxime subsecutus est, sacerdotio initiatur. In illa apud sanctum Dionysium decenni commoratione Gerardus conceptum de condendo Bronii monasterio nequaquam abjecit. Principio, consentiente patre suo Stantione cum Widone fratre, quasdam res, quas apud Romerias possidebat, confert ad ec- «
clesiam Bronii super fluviolum *Bornom* siti, ubi monasterium exstruere, ac Deo mi- «
litare constituerat. Actum in ipsa villa Bronio, anno Domini DCCCC XVIII. Ca- «
roli excellentissimi regis octavo. Id factum videtur paullo ante, quam ad sancti Dionysii monasterium futurus monachus reverteretur. Non tamen id consilii exsecutus est ante decennium, quo tempore mansit apud Dionysianos.

* Staves.
* la Sambre.
* de Lomage.
* Denil.

XIX. Caroli duo diplomata pro S. Germano.

Cum in Neustria grassarentur Normanni, monachi Crucis sancti Audoëni, corpus sancti Leutfredi abbatis & patroni sui cum reliquiis sancti Audoëni episcopi, & beati Agofredi monachi Parisios attulere, & in Pratensi sancti Germani basilica reposuere, ubi illi etiam in Pratensium societatem & consortium admissi sunt. Hujus rei causa Rotbertus marchio seu comes Parisiorum & abbas sancti Germani, una cum comite Hariberto, & Abbone episcopo Suessionensi, Carolum regem interpellavit, *ut pro veneratione sanctorum cinerum, Audoëni scilicet archiepiscopi, necnon beatorum confessorum Leutfredi, fratrisque ejus Agofredi, concederet abbatiam, quæ nuncupatur Crux-sancti-Audoëni, monachis prælibati confessoris Germani: quatenus abhinc & deinceps prædictorum membra sanctorum, diu officio divino carentium, ab iisdem cænobitis reverenter susciperentur, cultuque divino secus beatos artus Germani collocata honorarentur.* quorum petitionibus rex annuens, donat, subjicitque *illam*

ANN. CHR. 918. *abbatiam, cujus caput est* in *Madriacensi pago super flumen Auturæ, sancto Germano, ejusque monachis ad eorum jugiter mensam, præter partem ipsius abbatiæ, quam annuimus*, ait, *Nortmannis Sequanensibus, videlicet Rolloni, suisque comitibus pro tutela* » *regni.* quæ omnia rex facit ea lege, ut singulis annis IIII. idus Februarii anniver- » sarium dilectæ suæ conjugis Friderunæ, cum vigiliis, missarumque oblationibus fre- » quenrent, & diem suæ unctionis V. kalendas Februarii in sollemnitate sanctæ Agne- » tis *cum summa refectione* celebrent. quæ dies post ipsius obitum in diem suæ mortis » convertatur. *Datam* II. *idus Maii, indictione* VI. *anno* XXVI. *regnante Karolo gloriosissimo rege, redintegrante* XXI. *largiore vero hereditate indepta* VI. *Actum Compendio palatio.* Eodem Rotberto interpellante, idem princeps sub iisdem chronicis no- » tis, monachis sancti Germani villam in pago Parisiensi, Surisnas * nuncupatam, in » Pinciacensi Boalsam, in Mellenio mansos quinque, apud Crisparias mansos duos, » & in pago Vilcassino villam, quæ vocatur Siria-fontana, cum capella de Longuessio- » villa; eisdem insuper confirmans villam Tiverniacum in pago Belvacensi, eo pacto, » ut jam dictum Friderunæ reginæ anniversarium IV. idus Februarii, & sollemnitatem » sanctæ Agnetis rite celebrarent. Non multo post Crucis-sancti-Audoëni monachi, pace cum Nortmannis composita, amore patriæ ducti, ad proprias sedes remigrarunt, accepto altero brachio sancti Leutfredi, cujus reliquum corpus Germanenses retinuerunt.

*Surinus.

XX. Betto episcopus Autisiodorensis obit.

Necdum tres annos in Autisiodorensi episcopatu Betto seu Berto episcopus expleverat, necdum ædes episcopales perfecerat incendio consumtas, cum lateris dolore correptus, in catholicæ fidei confessione spiritum Deo reddidit sexto kalendas Martii, sepultusque est in crypta basilicæ sancti Germani cum plerisque sanctis antecessoribus suis. Tempus ejus obitus diserte exprimunt breves annales sanctæ Columbæ, ubi olim monachus & præpositus fuerat. *Anno* DCCCC XVIII. *vj. kalendas Martii, obiit Berto monachus & episcopus.* In necrologio Autisiodorensi ad prædictum » diem laudatur domnus Betto episcopus, qui *fratribus*, id est canonicis, Vendosam » ecclesiam, & Rontonnacum villam, & in Carboiaco mansum unum, ad exhiben- » dam refectionem & commune obsequium dedisse perhibetur. In detectione ejus corporis, quæ anno M DC XXXVI. ab illustrissimo Dominico Seguerio facta est, Bettonis corpus prope sancti Abbonis episcopi tumulum inventum fuit, consimili obvolutum cuculla, qua sancti Abbonis corpus, cilicio aspero subtus indutum, cum hac inscriptione: *Hic requiescit sanctæ recordationis episcopus Betho.* qui tamen nullo publico cultu honoratur.

XXI. Gualdricus succedit.

Huic suffectus est in episcopatu non imparis sanctimoniæ Gualdricus seu Waldricus, abbas suburbani cœnobii sancti Germani, quo in loco parentes ejus, Gualdricus & Hemmena, Autisiodorensis pagi indigenæ prosapia inclyti, eum a puero monachum consecraverant. Illic litterarum scientia eruditus, ita sensim in virtutibus profecit, ut archimandrita ejus loci fieri meruerit. quo in munere mediam tenuit viam, ut nec nimium facilem, nec nimium difficilem & austerum se præberet. Inerat ei prudentia in rebus agendis, sagacitas & eloquentia haud vulgaris. Quapropter post obitum Bettonis ab universo clero & populo dignus est judicatus, qui in ejus locum substitueretur, & quidem cum Richardi principis assensu. Præclara sunt quæ ad domus Dei decorem vel fecit, vel perfecit, quæ omnia singillatim liber [a] de gestis episcoporum commememorat. Romam profectus, reliquias sancti Laurentii martyris ac sanctæ Eugeniæ a Johanne papa impetravit, quas partim in cathedrali sancti Stephani ecclesia, partim in basilica sancti Germani reposuit; quasdam etiam Varciaci in basilica sanctæ Dei-genitricis, quæ frequenti fidelium concursu illic honorabatur. Ad hæc in cœnobio-Saxiacensi *aulam* seu ecclesiam sancti Baudelii, a Nortmannis combustam, & postea lapsam, restituit, ac muneribus exornavit, atque ejus loci monachis penuria laborantibus congrua subsidia contulit. Insuper instituit, ut omnes sui episcopatus diœcesani sacerdotes cum suis parochianis per dies festivos pentecostes ad principem sancti Stephani ecclesiam sollemni ritu procederent, lustratisque in gyro cunctis abbatiis, verbi divini pabulo ab archidiacono refecti, & episcopali benedictione muniti, ad propria reverterentur. Denique quotidie post missas multis collectis pauperibus cum psalmorum modulatione panem & vinum ipse distribuebat, hancque annonam in quadragesima augebat, vestes cum lautiori convivio in cœna Domini exhibere solitus.

[a] *Labb. to.* 1. *p.* 443.

In

In Divionensi sancti Benigni cœnobio Godradus abbas, annis septem in pastorali regimine feliciter expletis, ad Christum migravit. Hunc excepit Gozuinus: cui post biennium defuncto successit Panto ad quatuor annos, mortuus pridie kalendas Octobris, successorem sortitus Suavum abbatem: cujus tempore Warnerius Lingonum antistes in basilica sancti Benigni, uti vivens postulaverat, sepultus est ante altare sancti Benigni: cui pratum quoddam in villa Aziriaco ad anniversarium suum celebrandum legavit, eo pacto, ut fratribus ea die refectio congrua exhiberetur ab abbate, vel ab eo, cui ejus loci *obedientia* seu cura commissa erat. Ceterum in Warnerii episcopi locum subrogatus est Gotzelinus, anno Christi nongentesimo vicesimo-secundo, ut Vignerius censet. In vulgato chronico sancti Benigni id contigisse dicitur *anno decimo regni Rotberti*, sed manifesto errore, etiam ex mente ipsius chronographi, qui Rotbertum in campis Suessionicis ait obiisse, *postquam uno regnavit anno*. Verum cum Vigneriano calculo vix potest conciliari chronographus, ubi ait, Warnerium apud sanctum Benignum se humari petiisse, *vocato Suavo abbate*, qui proinde jam abbas tum fuisset prædicto anno nongentesimo vicesimo-secundo, quo Vignerius Warnerii obitum collocat, nec sane absque legitimo fundamento, etiam ex mente chronographi, qui Gotzelini electionem ponit superstite Rotberto, qui prædicto anno cæsus est. Sed relinquamus has tricas. ANN. CHR. 918. XXII. S. Benigni abbates.

Willelmum Arvernorum comitem, cognomento Pium, hoc anno, id est nongentesimo decimo-octavo, aut insequenti decessisse colligitur ex variis & indubitatis illius ævi monumentis. In vivis adhuc superer at anno post obitum Odonis vicesimo, mense Januario, quo subscripsit litteris Ingelbergæ conjugis suæ, Cluniacensi monasterio ac Bernoni abbati conferentis in pago Lugdunensi villam & fiscum, cui *Romanis* vocabulum est, cum ecclesia sancti Martini, *pro anima* Willelmi comitis mariti sui & Ludovici fratris sui, cognomento Orbi. quo anno & mense hanc donationem ratam habent eleemosynarii, ceu actores testamenti ipsius Ingelbergæ, *Willelmus videlicet comes vir ejus, & Rotgerius comes*, aliique. Immo Willelmus adhuc in vivis erat quarto nonas Septembris ipsius anni Caroli vicesimi, quando Ebbonis & Hildegardis litteris pro constructione Dolensis monasterii subscripsit. Atqui Willelmi obitus contigit *pridie nonas Julii*, ut ex variis necrologiis constat, atque adeo nondum obierat toto anno vicesimo Caroli regis, siquidem mense Septembri ejus anni adhuc superstes erat. Corrigendus itaque videtur annus in charta Brivatensi apud Labbeum [a], in qua Willelmus comes, *successor Willelmi majoris*, rector ejus loci esse dicitur *anno xx. regnante Karolo rege Francorum & Aquitanorum*. ubi forte annus XXI. legendus est. Attamen in optimæ notæ chronico Masciacensi [b] apud eumdem Labbeum *Guillelmus famosus dux Aquitanorum, & conjux ejus Ingelberga finem vivendi* fecisse dicuntur anno insequenti nongentesimo decimo-nono, quo anno urbs Biturix a Guillelmo ejus nepote ac successore intercepta legitur. Ex quibus patet falli eos, qui Willelmi Pii obitum differunt in annum ejus sæculi vicesimum-septimum, ad quem nequidem Willelmus ejus nepos ac successor pervenit, mortuus anno præcedente, ex eodem chronico Masciacensi. Hæc digressio debebatur viro illustri, de ordine sancti Benedicti optime merito, quippe qui tria ejus instituti monasteria condidit, Cluniacense, Celsinianense, & Magenciacense. XXIII. Willelmi Pii obitus.

a *Miscell.* p. 525.
b *Bibl. to.* 2. p. 733.

Monasterio sancti Johannis de castro Malasti, seu Montis-olivi in pago Carcassonensi, Adarifonsus seu Arifonsus Erifonsusve abbas præerat ab anno Caroli regis decimo-septimo, quo Benedictus quidam alodem villæ Albæ eidem monasterio cessit. Hoc vero anno, Caroli regis vicesimo-primo villam, Fedosi adversus Bernardum vicarium cœnobio suo vindicavit in placito Arsonensi, cui judices Romani, Gotthi, & Salici intererant, præsidente Aridemando seu Armando episcopo Tolosano, cum viro venerabili Bernardo, misso advocato Raimundi comitis Tolosæ civitatis & marchionis, ex consensu Odonis genitoris sui. In hoc placito ex parte Romanorum, id est Gallorum, qui jure Romano utebantur, assessores erant Donadeus, Bellus, & Amelius monachi cum aliis; Eudegarius, aliique ex parte Gotthorum; Oliba vero, ejusque socii ex parte Salicorum. In horum omnium præsentia Arifonsus abbas contra Adalbertum *mandatarium* seu actorem Bernardi vicarii protulit pro suo jure decretum Olibani comitis & Fredarii vicecomitis, & præceptum regiæ auctoritatis, quod Ugbertus abbas ab Odone rege obtinuerat; XXIV. Placitum pro cœnobio Montis-olivi.

ANN. CHR. 918.

item aliud Rainulfo abbati a Carolo rege concessum; necnon litteras Johannis papæ, ex quibus constabat, hanc villam nihil obsequii, aut servitii quidquam debere. quibus auditis, sententia secundum Erifonsum abbatem dicta est. Actum in castro Ausona XVI. kalendas Julii, anno XXI. regni Caroli regis. Idem abbas anno XXV. ejusdem regis quamdam commutationem fecit cum prædicto Armando episcopo Tolosano. Plura de eo inferius.

XXV. Ratbodi Trajectensis episcopi mors.

Hoc circiter anno Radbodus, Trajecti ad Rhenum antistes, fato functos est tertio kalendas Decembris. Triennio ante obitum, dum missam celebraret, Baldricum egregium juvenem, filium Rixfridi comitis, successorem præsignavit duobus presbyteris cœnobii Embricensis, Eliolfo & Rotguito. Ad mortem a beatissima virgine Maria, quæ se ei cum beatis Thecla & Agnete conspicuam dedit, animatus in vico Trenta, qui Groningam inter & Coëvardam medius est, febre correptus, apud Otmarsum haud longe a Benthemio ad cælestem vitam migravit, gaudenti similis, idemtidem repetens quamdam antiphonam ex illo officio, quod in honorem sancti Martini composuerat. Corpus ejus Daventriam delatum, ibidem honorifice humatum est, ubi paullo ante, excisa urbe Trajecto, sedem episcopalem instituerat. Virum *veraciter sanctum* Joannes Beka, aliique appellant. Is, præter hymnos & officium de sancto Martino, libellum scripsit de vita & meritis beatæ Amalbergæ virginis, cum aliquot poëmatiis & brevi chronico, in quo Folconis Remorum pontificis & Zuenteboldi regis necem anno nongentesimo consignat: ac non multis ante diebus se *inter famulos Trajectensis ecclesiæ*, id est episcopos, adscriptum fuisse dicit. Ejus in arte poëtica peritiam ostendit *epitaphium* seu epigramma, quod *de viatico Christi*, forte in extremo morbo, composuit in hunc modum.

Esuriet te, Christe Deus, sitit atque videndi
*Jam modo carnales me vetat esse * dapes.*
Da mihi te vesci, te potum haurire salutis:
Unicus ignotæ tu cibus esto viæ.
Et quem longa fames errantem ambesit in orbe,
Hunc satia vultu, Patris imago, tuo.

* id est edere.

XXVI. Monasterium ad Danubium. * Munsch-munster.

Sub id temporis direptum ac vastatum traditur vetus illud cœnobium, quod in diœcesi Ratisponensi ad Danubinm a Tassilone conditum fertur, Monasterium * vulgo appellatum. Hujus vastationis auctorem aiunt Arnolfum Bajoariorum ducem, quem ob destructionem multorum monasteriorum; quæ in beneficia laïcis dedit, cælitus punitum fuisse tradit vitæ sancti Udalrici scriptor. Hinc *Malus* a posteris » appellatus. Exstitit in prædicto monasterio, inquit Hundius b, liber antiquissimus, » in membranis compactus, in quo descriptæ sunt vitæ Sanctorum, a Paschasio e græ- » ca lingua in Romanam translatæ; item Hilarion divi Hieronymi adeo antiquis lit- » teris, ut lectori repuerascendum (sic boni illi viri in ejusmodi scripturis periti erant) » & ad prima elementa redeundum sit. In fine hæc verba leguntur: *Hic liber fuit inchoatus in Hunia, in exercitu, anno Domini* DCCCC XVIII. *iiij. nonas Junii, & perfinitus apud sanctum Florianum pridie idus Septembris, in hebdomada quinta-decima.* Vastatum, quocumque id contigerit modo, monasterium, ad pauculos dein clericos devolutum est: donec a sancto Ottone Bambergensi episcopo instauratum fuit, anno scilicet supra millesimum centesimo tricesimo-primo.

b *Metrop. Salisb. to. 2. p. 517.*

Hirsaugiæ abbates.

Trithemius hoc anno reponit obitum Harderadi Hirsaugiæ abbatis, qui senio confectus, beato fine vitam consummasse dicitur mense Augusto, die festo sancti Laurentii, anno regiminis sui vicesimo-octavo. Sub eo floruit Adalbero monachus, Luthelmi discipulus, vir multæ eruditionis, qui Moguntiæ in monasterio sancti Albani litteras docuit, ac demum Herigeri archiepiscopi jussione abbas sancti Ferrutii factus est. Harderado abbati subrogatur a Trithemio Rudolfus, ejus loci abbas quintus, patria Suevus, vir nobilissimus, sed otio deditus & umbræ: sub quo fervor sanctæ religionis multum tepescere cœpit: qui fervorem sanctæ conversationis nec in se conservare studuit, nec in aliis errata emendare curavit. Eo abbate, post Luthelmum Herbordus scholastici officio functus est.

ANN. CHR. 919.

XXVII. *Conradi regis obitus.*

INsequens annus nongentesimus undevicesimus Conradi regis, cognomento Salici, supremus fuit, paullo post quam Arnolfum Bajoariorum ducem ad officium redegisset. Ejus mortis occasionem hanc tradit Arnolfus [a] ex-comite monachus Ratisponensis. Cum rex, patrata victoria, Reginam seu Ratisponam venisset, ex antiqua regum consuetudine ad sancti Emmerammi ecclesiam accessit, quasi reditum in Franciam suum ei commendaturus. Istic principum sepulcra visitanti, Arnolfi scilicet imperatoris, necnon Ludovici, qui puer immatura morte e medio excessit, a capellanis suis male suggestum est, ut præclarum illum codicem evangeliorum, quem sancto Emmerammo ab Arnolfo rege donatum diximus, regio jure sibi vindicaret. Hunc proferre jussus Tuto episcopus, sed non ausus, minis tandem ad id adductus est, ut eumdem librum invitus super altare exponeret, imprecatus sancti Emmerammi in die judicii vindictam in eum, qui codicem abstulisset. Nihilo territus Conradus, eum temere tolli, & efferri jubet, tum abitum parat. Vix equum conscenderat, cum dysenteriæ morbum incurrit. Mox facinoris pœnam sentiens, eodem momento librum restituit. Nec sic tamen sedatus est morbus, ex quo in Francia orientali interiit. Hunc in civitate sua Wilnaburgo sepultum fuisse cum lacrymis ac mærore omnium Francorum testatur Witichindus, & plerique alii Germanicarum rerum scriptores, quibus potior fides quam Browero, qui eum Fuldæ [b] honorifica sepultura, quam vivus ipse sibi decreverat, tumulatum dicit. nisi forte istuc postea translatus est. Ejus regnum cum regiis ornamentis Heinrico Saxoniæ duci delatum ab Everardo, fratre Conradi regis ejus rei auctoris, qui nullum imperio digniorem reputaverat. Heinricus vero, qui & ipse Conrado post Ludovici mortem jam cesserat, non tamen eo adduci potuit, ut regia unctione ac diademate insigniretur, regis nomine satis superque contentus. Hic est Heinricus, cognomento Auceps, Ottonis ducis filius, Ottonis Magni parens, conjux Mathildæ superius laudatæ, de quo inferius plura dicenda occurrent.

[a] *Canisii to. 2. p. 48.*

[b] *Antiq. Fuld. p. 283.*

Heinricus successor.

XXVIII. *Faucensi monasterio quædam donantur.*

Hoc loco referre lubet, quod in itinere nostro Germanico jam observatum, nempe instrumentum in Faucensi ad Lycum monasterio repertum, quo nobilis quædam matrona, nomine Azila de *Musteren*, pro remedio animæ suæ & conjugis sui Otilonis dat ecclesiam de *Roderateshoven anno incarnationis Domini* DCCCC XVIIII. *sub papa Marino, sub rege Heinrico, qui tertius post Ludewicum fuit, sub duce Alamannorum Burchardo, sub antistite Augustense Hiltino, sub abbate Giselone*: cui instrumento subscribit inter alios *Diepoldus provinciæ comes*. Et tamen tunc Romanam sedem occupabat Johannes decimus, non Marinus. Similis difficultas occurrit in actis sancti Udalrici episcopi Augustensis, qui nondum episcopus Romam adiisse dicitur anno nongentesimo-nono, Marino pontifice. An Marinus quidam per illa tempora, quibus indigni plerique pontifices sanctam illam sedem occupabant, pro pontifice a quibusdam habebatur? fateor me hærere.

XXIX. *Uncrimnus monachus S. Michaëlis ad Mosam.*

Qui jam superius laudatus est Uncrimmus seu Uncrimnus monachus sancti Michaëlis ad Mosam in agro Virdunensi, iterum hoc anno laudatur in litteris Dadonis episcopi Virdunensis, quibus confirmat *concambium* seu permutationem quamdam ab se & ab Uncrimno factam, de duobus pratis in Rofredi-curte sitis: quibus in litteris Uncrimnus monachus, *vir in omnibus monasterii curis ac studiis deditus* prædicatur. *Actum ad Castellum sub die* VIII. *kalendas Decembris, anno* VIII. *regnante Karolo rege in regno Lotharii.* quod Lotharii regnum non multo post Giselbertus, Ragineri comitis filius, in ducatus titulum hereditario jure accepit ab Heinrico rege mox laudato, qui ei Gerbergam filiam suam conjugio copulavit.

XXX. *Dervenses ob Hungaros fugitivi.*

Hoc ipso anno, testante Frodoardi chronico, quod hoc anno incipit, Hungari Italiam, partemque Franciæ, regnum scilicet Lotharii, deprædantur. Tunc id evenisse reor, quod legitur in libro de miraculis sancti Bercharii Dervensis abbatis. nempe Hunnis seu Hungaris Galliam vastantibus, Dervenses instantis periculi metu perculsos fuga sibi consuluisse, sumtisque secum sancti Bercharii reliquiis divertisse ad ripas Araris, quæ regio tunc omnis inquietudinis expers erat sub Rodulfo, nobilissimi Richardi ducis filio strenuissimo, qui Dervenses benigne excepit, seque suamque fortunam; regni Francorum brevi suscepturus insignia, sancto Berchario commendavit.

ANN. CHR. 919.

XXXI. Non prætermittendum hoc loco est Caroli regis [a] præceptum pro Compendiensi sancti Clementis capella, quam Frideruna ædificare cœperat, ac moriens imperfectam reliquerat, petieratque a Carolo absolvi ac dotari, concedendo uno manso in villa Venitta, quem in dotem olim acceperat: ita ut eumdem mansum toto vitæ suæ tempore obtineret Madelgerus ejusdem reginæ capellanus, cui *animi sui conscientiam* olim confessa fuerat. Id vero annuit Carolus, deprecante fideli suo comite Aganone seu Haganone, multaque alia eidem capellæ tradit ad stipendium canonicorum, quos in ea instituere volebat; in his jus *cauda*, quam ex episcopatu Suessionensi & de cœnobio sancti Medardi accipiebat. Hanc vero capellam vult subjectam esse monasterio sanctæ Mariæ, atque sanctorum martyrum Cornelii & Cypriani, eo pacto, ut præpositus & decanus cum aliorum fratrum consilio in illa capella *seniorem custodem instituant*. Cetera prætereo, ex regiis litteris repetenda. *Actum Lauduni castro indictione* VII. cum qua aliæ chronicæ notæ conciliandæ. Non multo post Carolus alteram uxorem duxit, Eadgivam scilicet seu Edgivam, Edwardi senioris Anglorum regis filiam, ex qua filium suscepit, nomine Ludovicum, cui nomen Transmarino accessit ob eam rationem, quam sciunt omnes, nosque infra data occasione dicturi sumus.

Caroli præceptum pro ecclesia S. Clementis Compendiensi.

a Diplom. p. 163.

XXXII. Non ante hunc annum aut finem præcedentis excessit e vivis Walo episcopus Æduensis, simulque Flaviniacensis abbas, ut ejus testamentum probat, conditum anno superiori, pridie kalendas Julii. Hinc corrigendum chronicon Flaviniacense, qui ejus obitum sex annis antevertit. Sub Walone abbate Otbertus præpositus monasterii curam gessit, & post ipsum Girfredus, veneni Adalgario episcopo propinati falso insimulatus. Waloni Remigius monachus epistolam scripsit de altercatione Michaëlis cum diabolo super Mosis corpore, & de Behemoth. Huic in sede Æduensi suffectus est Herveus, ejus ex fratre Manasse nepos, qui abbatiam itidem obtinuit, & sub se Gausatum abbatem instituit. Sic abbatiam illam tenuerunt subsequentes episcopi, Ansegisus, Rothmundus, Gerardus & Walterius, qui hanc demum abbatiam Odiloni Cluniacensi abbati commisit. Exstat in Spicilegio [b] Hervei episcopi testamentum, quo quædam legat cathedrali sancti Nazarii ecclesiæ cum consilio & asseosu Irmingardis comitissæ genitricis suæ, conditum IX. kalendas Maii, indictione septima, quæ huic anno respondet, at non convenit annus XXIV. Caroli regis post obitum Odonis, sed XXII. Huic testamento subscribunt post Herveum & Irmingardem ejus matrem quatuor episcopi, Remigius Lugdunensis, Ardradus Cavillonensis, Adalardus Aniciensis, & Gerardus incerti loci; & post eos Aimo abbas, Letricus monachus & abbas, Theodbodus humilis abbas. Qui sequuntur abbates tres post archidiaconos videntur esse canonici Æduenses, hoc titulo olim donati, ob abbatias eidem ecclesiæ tributas, quarum una est sancti Petri de Strata, altera sancti Stephani. Priores abbates sunt monasteriorum, sed incertorum, excepto Aimone, qui abbas erat sancti Martini Æduensis, aut certe Vizeliacensis. nam duo eodem tempore in his duobus locis abbates cognomines erant. at propior erat Martinianus, qui una cum Letrico monacho & abbate alteri ejusdem Hervei testameoto itidem subscripsit apud Chiffletium [c], tametsi ejus nomen apud Sirmundum desideratur.

Walo episcopus Æduensis obit.

b Spicil. to. 8. p. 151.

c Tournus p. 258.

XXXIII. In Farfensi apud Sabinos Italiæ populos monasterio vasta erat ab ineunte hoc sæculo solitudo; monachi profugi, qui sub Petro abbate, ut supra [d] diximus, in Matenano monte, ubi arcem quamdam ædificaverant, consistebant ad hunc annum, quo Petrus abbas illic decessit, sepultusque est. Huic suffectus Johannes eo nomine secundus, cujus præfectura brevissima nulla re insignis fuit. Haud scio an is sit Johannes, qui una cum Campone monacho Berengarium imperatorem anno insequenti adiit, ab eoque confirmationem [e] possessionum ac privilegiorum Farfensium interventu Ardingi episcopi & archicancellarii obtinuit. Actum in curte Olonna pridie kalendas Julii, anno DCCCCXX. regni Berengarii XXVIII. imperii quinto. Johannis abbatis successor Rimo annos fere decem in magistratu explevit, qui, licet canonici esset ordinis, non pauca tamen commoda Farfensibus procuravit. Pulsus nihilo minus ab Hugone rege, locum fecit Ratfredo abbati Hugonis nepoti, qui Farfense mooasterium instaurare aggressus est.

Farfenses abbates

d lib. 39 n. 35.

e Chesn. to. 3. p. 670.

XXXIV. In Hispania Fredenandus-Gundisalviz & uxor ejus Sancia, insignem hoc anno donationem [f] fecerunt monasterio sancti Sebastiani ac sanctorum Petri & Pauli,

S. Sebastiano de Silos facta donatio.

f Yepes to. 4. script. 37.

ANN. CHR. 919.

necnon sancti Emiliani presbyteri, quod apud Silos in suburbio Tablatiello ad fluvium Uram conditum legitur. Donant quippe ipsum locum, in quo monasterium situm est, cum appendicibus suis, illudque committunt Placentio abbati regendum *secundum quod docet sancti Benedicti regula*; vetantque votum suum a quoquam dissolvi. Actum æra DCCCC LVII. *regnante Domino nostro Jesu-Christo in cælis, & principe hujus terræ rege Ordonio, comite vero Gundisalvo in Castella.* Hi primi videntur esse conditores hujus monasterii, quippe qui fundum conferunt, abbatemque designant, tametsi Yepesius illud antiquius esse putat. Superest hoc monasterium in Burgensi diœcesi, nunc sancti Dominici de Silis nuncupatum ab illustri ejus loco Dominico abbate sanctissimo, qui sub finem sæculi undecimi locum illum rexit.

ANN. CHR. 920.

XXXV. Gennadius episcopatum abdicat.

INsequenti anno ejus sæculi vicesimo, Gennadius Asturicensis episcopus dignitate cessit, ut in Silentii (sic locus vocabatur) solitudinem se reciperet. Ejus in episcopatu successor, Fortis nomine, strenuissimus utique monachus, Silentianum in Aquiliano-monte cœnobium ex parte condidit, cui Salomon post eum episcopus, & ipse inter Gennadii quoque discipulos numerandus, supremam imposuit manum. Gennadius, abdicata dignitate, se in secretum Silentii montem abdidit cum anachoretis, qui montem illum insidebant, eisque vitæ subsidia contulit. Quinque in altissimis illis montium jugis cellulæ erant, naturæ solius opificio cava in rupe formatæ, etiam nunc superstites. Unicus ad eas obliquusque inter spineta semitæ trames, isque adeo angustus, ut vultum aut oculos exinde demittentem incaute, continuo mortis imago terrorque præoccupet. Earum aditus patet ad orientem, triumque ad summum pedum spatio porrectus, portæ simul ac fenestræ locum præbet. Sunt tamen illæ satis amplæ & commode elatæ, tametsi nullis seu fulcris, seu columnis sustentatæ, nullo etiam imposito, præter saxi naturam, ædificio tectove munitæ. Denique nihil in illis hominum elaboravit industria, sed ad solitariorum usum omnia ipsius naturæ beneficio composita sunt. Illuc statis per annum temporibus, nempe adventus & quadragesimæ, secedunt nostri, qui asperrimo victu, solisque herbis ac leguminibus utentes, continuas Deo preces offerunt, nec ante sacrum paschatis diem ad suos in monasterium revertuntur. Istic multæ sanctorum, qui cellas istas incoluere, monachorum sive anachoretarum reliquiæ, quas Prudentius Sandovallius, a quo hæc accepimus, præsens veneratus est. Eos inter Vincentius, sancti Gennadii discipulus, ac primus in sancti Petri regimine successor, præcipuus est; item Alfonsus-Petri, qui per totos quadraginta annos eremiticam illic vitam duxisse perhibetur. Hæc sacri illius montis ornamenta, cui vel antiquitas futuri provida, vel posterior usus Silentii nomen imposuit. Præter has cellas, etiam alias in Aquiliano monte & circumpositis locis Gennadius, ejusque socii casas monasticas condiderunt. In his Gennadius ipse in suo testamento post sancti Petri princeps monasterium recenset *aulam* seu ecclesiam sancti Andreæ ab se constructam; tum *aliud monasterium ad ordinem monasticum intervallum distendens*; tertium in memoriam sancti Jacobi, quod vocatur Pennalba; inter utrumque vero oratorium, quod dicitur ad-Silentium; quartum denique oratorium in honorem sancti Thomæ. Sed in primis exstruendo sancti Jacobi monasterio, quod Pennalbæ dicitur, peculiarem curam adbibuit, in eoque sancti Jacobi reliquias, ab Aldefonso Magno acceptas, deposuit. Hunc tamen locum Fortis, post ipsum Asturicensis episcopus, aliquot inde stadiis submovit commodiorem in locum, ibique sacrum beati Gennadii corpus recondidit. Floruit ibidem multos per annos Benedictinum institutum: verum ingruentibus bellis desertus locus ecclesiæ Asturicensi tributus est, & canonicorum tuendæ dignitati destinatus. Præter memorata cœnobia, quæ Gennadium auctorem habent, alia quoque circiter quadraginta-sex in Asturicensi episcopatu enumerat Yepesius, qui contendit monachos Gennadii, ejusque discipulorum ævo episcopalem Asturicensem tenuisse ecclesiam, quibus demum canonici successerint. Ceterum quamdiu post hunc annum supervixerit Gennadius, incertum. Ejus memoria in Hispanicis & Benedictinis fastis colitur octavo kaleudas Aprilis, ipsoque die colitur in Asturicensi ecclesia.

XXXVI. S. Adriani & S. Nataliæ monasterium.

Ejusdem Gennadii instinctu conditum creditur in Legionensi episcopatu aliud monasterium sub patrocinio sanctorum martyrum Adriani & Nataliæ conjugum,

ANN. CHR. 920. ejusque basilicæ consecrationem hoc anno factam esse docet antiqua ejus temporis inscriptio, quæ sic habet:

Hæc Christi aula, sanctorum Adriani & Natalia nomine dicata,
Instruxit Dei Famulus Gisuado cum conjuge Leduvina,
Era discurrente novies centena octava & quinquagena.
Sit tibi, Domine, ratum famulorum purissimum votum,
Quod tibi alacri devotione in honore tuorum testium paraverunt.
Suscipiantur a te, pie Deus, orationes miserorum.
Quisquis hic tristis ingreditur reus, a prece lætior inde recedat.
Consecratumque templum ab episcopis Cixilla, nomine Frunimio, & Fortis,
Era DCCCC LVIII. IIII. *idus Octobris.*

Horum sanctorum reliquias illic repositas fuisse docet vetus Garciæ-Gutieri & Luvinæ instrumentum, quo locum quemdam, cui Robata nomen est, eidem monasterio „ conferunt ad sanctos & patronus dominos suos Adrianum, Nataliam, & socios eo„ rum, quorum reliquiæ cum aliis reconditæ sunt sub ara Dei, in monasterio, quod est „ constructum & ædificatum in Balneare, in alveo discurrente Porma. Conversâ est processu temporis hujus monasterii basilica in parochialem ejus loci ecclesiam, translatumque monasterium in proximam sancti Salvatoris & beatæ Mariæ ecclesiam, quæ condita fuit regnante Ramiro Galliciæ rege sub Ermenegildo abbate a Sisenando episcopo æra M XVIII. Nunc appendix est monasterii sancti Petri de Elizontia, ubi prædictæ reliquiæ modo asservantur.

XXXVII. Alveldensis cœnobii origo. Ad hunc annum Yepesius revocanda censet primordia insignis quondam ordinis nostri monasterii Alveldensis seu Albendensis, quod a Sancio Navarræ rege & Toba regina conditum tradunt in honorem sancti Martini Turonum episcopi, ob insignem victoriam de Mauris ab ipso rege reportatam. Alvelda parvum municipium est in regno Navarræ, in tractu Locroniensi, duabus ab urbe Locronio leucis Hispanicis distans. Prope Alveldam rupes abrupta & præceps visitur, in qua positæ erant monachorum cavernæ potius quam cellulæ: ubi tamen ducenti quondam monachi habitasse perhibentur. Monasterii primariæ tabulæ æram præferunt DCCCC LXII. at mendosam esse hanc lectionem volunt Garibaïus, Morales, & Yepesius, & quadriennio citius reponendam censent, ut cum Sancii regis anno vicesimo, qui in litteris pariter exprimitur, componi possit. Vixit in illo monasterio

Vigila ejus loci monachus doctus. sub finem hujus decimi sæculi Vigila monachus, qui singulari diligentia librum conciliorum exaravit æra M XIV. continentem concilia LXI. & centum cum una epistolas decretales a Damaso usque ad Gregorium primum, & alia opuscula, qui codex in primis usui fuit Garciæ-Loaisæ in condenda Hispanicorum conciliorum collectione, ut ipse in præfatione sua testatur. Hunc codicem itidem vidit Antonius Yepesius, aitque in eo depictas esse novem effigies in tribus unius folii columnis, scilicet Cindasuindi, Reccesuindi, & Egicæ regum in prima; in media Urraeæ reginæ, Sancii & Ramiri regum; in tertia vero trium monachorum, Sarracini, Vigilæ, & Garciæ discipuli, qui hunc codicem elaboraverunt, additis versibus acrostichis, quorum primæ litteræ hunc sensum efficiunt, *Vigila, Sarracinus, qui ediderunt*; posteriores seu finales, *qui est era millesima sive quarta-decima*, ubi a Deo & a sanctis subsidia postulant pro ducentis monachis, qui illic tum morabantur. Ex eodem loco Romam allatus est codex sacramentorum ad Alexandrum secundum una cum aliis libris Mozarabici ritus, ad eum ritum pontifici approbandum. Floruit etiam sub finem ipsiusmet sæculi decimi Sancius Alveldæ abbas, suo loco laudandus. Hoc monasterium primo a Garcia rege unitum fuit abbatiæ sanctæ Mariæ Nagerensis, dein redactum in parochialem ecclesiam, redituibus plerisque & libris translatis in collegiatam ecclesiam sanctæ Mariæ Rotundæ apud Locronium.

XXXVIII. Novi motus in Gallia. In Gallia hoc anno domestici motus exoriri cœpti, qui sensim in apertam seditionem, ac demum in ipsius Regis dejectionem eruperunt. Prima seditionis causa ex nimia Haganonis apud Regem potestate, quem rex ex mediocri genere ad summos honores extulerat, uno fere ejus uti solitus consilio, quod magnam ceterorum principum & optimatum invidiam conflavit. Horum motuum initia quædam ante quadriennium jam præcesserant, parumque abfuerat, quin Gislebertus Lo-

ANN CHR. 920

Turbæ in electione Tungrensis episcopi.

tharienſis comes ſeceſſionem a Carolo faceret. ſed ab Heinrico Saxoniæ duce, ad quem ſe receperat, Carolo reconciliatus, ad tempus quieverat, dum Lotharienſis ducatus potiundi ſeſe obtulit occaſio. Interim in Sueſſionenſi conventu omnes fere comites a rege hoc anno deficiunt. tum novæ exortæ rixæ poſt mortem Stephani Tungrenſis epiſcopi, quæ hoc item anno accidit. Eo mortuo, clerus in ſucceſſore deligendo ſeiſſus in duas partes: una Hilduinum clericum ejus eccleſiæ, altera Richarium Prumienſem abbatem præferebat. Richario favit Carolus præ Hilduino, cui primò epiſcopatum deſtinaverat, homini dubiæ in ſe fidei, immo qui jam ab ipſo [a] deſciverat. ſic cauſa inferior Hilduinus, ablatis Tungrenſis eccleſiæ theſauris, ad Heinricum, ex-duce Saxoniæ jam Germaniæ regem, confugit, & ab eo epiſcopatum, qui ejus juris non erat, facile obtinuit, *datis Heinrico ſuiſque proceribus compluribus auri argentique ponderibus*, uti Carolus [b] in epiſtola ad epiſcopos regni ſui conqueritur; atque ab eis vi quadam adductus eſt Herimannus Coloniæ-Agrippinæ antiſtes, ut Hilduinum epiſcopum conſecraret, agente in primis Giſleberto, quem Lotharienſes plerique, jam relicto Carolo, principem delegerant. Folcuinus Laubienſis chronographus [c] id factum ait *novo & inuſitato genere, abſque regis & procerum regni ſanctione*. Ad hæc Tungrenſes clerici, direptione theſauri eccleſiaſtici offenſi, querelas ad regem & ad Johannem Romanum pontificem deferunt, petuntque Richarium ſibi epiſcopum dari. Vocati Romam duo æmuli cum Herimanno Hilduini ordinatore. Herimannus & Richarius ſtatim paruere: at Hilduinus, cauſæ ſuæ diffiſus, audientiam ſubterfugit. Eo itaque rejecto, ab ipſo pontifice conſecratur Richarius, *donato ſibi*, ait Folcuinus, *omnium prædeceſſorum ſoli Archiepiſcopali pallio, & equo apoſtolico more ad procedendum ſtrato*. Tali ergo & tanta cum prærogativa in Gallias reverſus, contrariæ partis diſcidium diremit, atque ab omnibus demum Tungrenſis eccleſiæ epiſcopus habitus eſt. Frodoardus tamen aſſerit, Hilduinum Romæ comparuiſſe, ſed a Johanne excommunicatum receſſiſſe. Ille Tungrenſi epiſcopatu fruſtratus, paullo poſt ab Hugone Italiæ rege vocatus, ad eum acceſſit cum Ratherio Laubienſi monacho doctiſſimo, qui ejus partibus favebat, & poſt eum Veronenſis epiſcopus factus eſt. Hilduinum monachum fuiſſe Laubienſem, uti & Richarium, nonnulli opinantur, ducti forte Liutprandi teſtimonio, qui eum monachum vocat. at præferenda Folcuini domeſtici & æqualis auctoritas, qui eum Leodicenſis eccleſiæ clericum dicit.

a Frod. hoc anno.

b Conc. to. 9. c. 572.

c Spicil. to. 8. p. 362.

Richarius abbas prælatus.

XXXIX.

Laubienſes abbates & viri docti.

Præter Tungrenſem epiſcopatum Stephanus abbatiam ſancti Michaelis ad Moſam, atque etiam Laubienſem, quæ tum illi eccleſiæ unita erat, vivens poſſederat. Itaque poſt ejus obitum Laubienſis abbatia ceſſit Richario epiſcopo: qui, licet a puero monaſticis inſtitutis innutritus, non tamen Laubienſibus admodum favorabilem [d] ſe præbuit. nam cum apud eos annua eſſet obedientiarum, ut vocant, & miniſteriorum mutatio, ſub eo venalia erant omnia. Ille vero quidquid in monaſterio optimum erat, exhauſit: reliquum paraſitorum turba abligurivit. Hanc tamen infamiam cetera ejuſdem epiſcopi bene geſta, & animus civilis & honeſtus obvelaverant, eumque omnibus gratiſſimum effecerant. Ejus tempore Laubiis floruere ſtudia litterarum, ibique ceteris præcelluere Scaminus, Theoduinus & Ratherius omnium præſtantiſſimus, de quo poſtea erit dicendi locus.

d Folcuin. p. 563.

Abbates S. Michaelis ad Moſam.

Abbatiam ſancti Michaëlis ad Moſam ad obitum uſque non retinuit Stephanus, ſed eam jam ante quatuor annos Rodulfus obtinebat ex dictis, notatus in necrologio XI. kalendas Aprilis. Huic ſucceſſiſſe videtur Halevincus ſeu Halevinus abbas, cujus obitus VIII. kalendas Junii. De Sarowardo ejus ſucceſſore inferius.

XL.

Salomon epiſcopus & abbas S. Galli obit.

Obiit etiam hoc anno Salomon Conſtantienſis epiſcopus eo nomine tertius, & abbas ſancti-Gallenſis, & quidem in vigilia epiphaniæ. quod Hepidannus aliique pro veteri more ad annum præcedentem referunt. Ante ſupremum diem natale Domini apud ſanctum Gallum lætiſſime celebravit. Diſceſſurus ipſo Innocentum die Conſtantiam, ſalutatis fratribus, ſcholas quoque (nam & hic ſcholarium dies erat) intravit. Harum hæc lex tum erat, ut hoſpites ingreſſos caperent ſcholares, captoſque, dum ſe redimerent, tenerent. Enimvero ſi vixero, inquit, me redimam. Interim ſtatuit parvulis iſtis ſcholaribus & eorum poſteris quotannis triduo ab ea die carnibus veſci in ipſis ſcholis, ac tria ſingulis fercula apponi. Reverſus Conſtantiam, poſt quam in octava nativitatis Domini miſſarum ſollemnia ce-

ANN. CHR. 910.

lebrasset, gravi capitis dolore correptus, ipso epiphaniæ Domini pervigilio exspiravit. Eo abbate erant apud sanctum Gallum presbyteri XLII. diacoui XXIV. subdiaconi XV. pueri XX. sepultus est iu ecclesia sedis suæ ad parietem dexterum non sine suorum lacrymis. Abbatissa Turegiensis, quam in sæculo quondam adolescens cognoverat, multa [a] pro ejus animæ salute fecisse dicitur.

a *Ekkeh. in fine cap. 1.*

Hartmannus abbas.

Post Salomonis decessum sancti-Gallenses liberæ electionis privilegium, toties regiis diplomatis assertum, toties violatum, asserere demum pro virili sategerunt, ac demum communi consilio Hartmannum seniorem elegerunt. Verum is non ante annum insequentem confirmatus est, ob varia, ut veri simile est, impedimenta, quæ asserendæ libertati intercesserunt. Ubi primum ad clavum rei monasticæ manum admovit, vitæ religiosæ studiis ac disciplinæ monasticæ a patribus acceptæ totus addictus, cetera omnia nullius fere pensi habebat. adeo ut de illis, quæ extra claustrum agerentur, parum sollicitus, vix umquam pro monasterii negotiis, etiam necessariis, pedem foras efferret. unde factum est, ut rem familiarem moriens multum dilapsam reliquerit ac diminutam. Vir cetera magnus, sed una hac re minor, quæ non primas quidem in animo prælati tenere, sed tamen negligi haud debet. Plura de ejus gestis scribere supersedit Ekkehardus, quod ejus argumenti suo tempore haberetur libellus, qui periit.

Rachildis inclusa.

Hoc ipso anno Rachilt seu Rachildis *in nativo* seu nativitate sanctæ Mariæ inclusa dicitur ab Hepidanno, nempe ad oratorium sancti Magni prope Wiboradam, cujus adhortatione a Romana peregrinatione revocata est. Ejusdem contactu baculi ex morbo, quo tenebatur, convaluit.

XLI.

Remis duo monasteria S. Petri.

In urbe Remorum duo perstabant etiam tunc puellarum monasteria [b] sub titulo sancti Petri: unum Superius dictum, cujus auctor sanctus Baldericus presbyter cum sorore sua Bova; alterum Inferius haud procul ad portam collatiuam seu basilicarem, a Guntberto viro illustri ædificatum. In hoc posteriori duo accidisse hoc anno tradit Frodoardus in chronico, testis rerum oculatus, nempe cereum, quem illic cives quidam, Romam ad limina apostolorum profecturi, posuerant, ter igne cælesti accensum; & puellam quamdam ex pago Vonzinsi, Osannam nomine, ad idem monasterium profectam, quæ nec carnem, nec panem a duobus annis edere valebat, cui multa ostenta visa sint. Addit in historia [c] sua idem auctor, *Vidimus*, inquit, *in hoc quoque monasterio puellam quamdam sudasse sanguinem, quæ tunc hebdomada plena jacuit immota.* quod signantius declarat in chronico, eidemque Osannæ tribuit. Hoc monasterium vel [d] abbatiam Fulco archiepiscopus Remensi ecclesiæ ab Odone rege concedi, idque a Formoso papa confirmari curavit. Hoc monasterium modo excisum est, cujus loco sancti Patricii ædes, quæ collegii Remensis aula est, a posteris exstructa cernitur. Superius vero sancti Petri monasterium hactenus superest, unum e celebrioribus Ordinis nostri puellaribus monasteriis. Illic vivebat eodem Frodoardi tempore quædam sanctimonialis virgo, Ricuidis nomine, neptis Guntmari religiosi quondam presbyteri, cujus visionem & Romanum iter ex Frodoardo [e] alias retulimus.

b *V. to. 1. Annal p. 345. & seq. 468.*

c *Frod. lib. 4 c. 46.*

d *ibid. c. 47.*

e *ibid. c. 45.*

ANN. CHR. 911.

XLII.

Heinrici pax cum Carolo.

POstero anno, qui ejus sæculi vicesimus-primus erat, accensæ inter Francorum proceres in Carolum discordiæ etiam Heinricum Germaniæ regem afflaverunt, agente in primis Gisleberto seu Gisilberto comite, & pro abjectione Caroli multa moliente, quippe qui Lothariensis provinciæ principatum ambiebat. Nec sine colore erat Heinriti de regno Lotharii adversus Carolum contentio. Hoc enim Odo Caroli antecessor ab Arnulfo Germaniæ rege, & Carolus ipse a Conrado accepisse videbatur. Heinricus nihilo minus, ut erat moderati animi, pacto inito concordiam cum Carolo sarcivit, eo pacto, ut Otto Frisingensis, & quidam alii scribunt, ut Lotharii regnum Heinrico cederet. quod tamen in fide Caroli perstitisse videtur. Interea synodus apud Trosleium villam regiam pagi Noviomensis habita, cui præsedit Heriveus Remorum archiepiscopus, præsente Carolo rege, cujus hortatu Herlebaldus Castricensis comes, quem idem præsul ob direptas ecclesiæ Remensis possessiones, & constructum apud Macerias * præsidium, a communione removerat, absolutus est. Ad id tempus Heriveus Carolo semper fidissimus, adeoque acceptissimus fuerat: sed non multo post ab ejus clientela recessit. Hic est Heriveus, qui solus e Francis proceribus Carolo suppetias tulit adversus

* *Maizieres.*

Hungaros

ANN. CHR. 921.

Hungaros in regnum Lotharii effusos, collectis mille quingentis ecclesiæ suæ casatis, cum quibus regi in tanto discrimine occurrit. Idem ipse est, qui regem e manibus factiosorum in conventu Suessionensi eripuit, desertumque in villas suæ ecclesiæ, ac demum Remos traduxit.

XLIII. Caroli præcepta pro Fossaten. Elnone, &c.

Prima forte secessionis ejus occasio nata est ex prærepto ipsi Heriveo summi cancellarii officio, quod Carolus anno præcedente Rotgero Trevirensi archiepiscopo demandavit. Id probat ipsius Caroli præceptum pro Fossatensi monasterio. In eo Abbo reverendissimus[a] præsul Suessionensis, unaque Hagano venerabilis comes, atque reverendus abbas Rumaldus, ipsiusmet regis ex parte Adeleïdis genitricis ejus consanguineus, regi suggessisse dicuntur, quo pacto cœnobium Fossatense, cui prædictus Rumaldus præerat, superiori sæculo penitus destructum, ex integro denuo ædificaverant, & monasticum illic ordinem restituerant; ob idque petebant omnia superiorum regum præcepta, ejusque loci possessiunes regio diplomate confirmari, ac subjectionem monasterii sancti Mauri ad Ligerim siti, quod Fossatensi cœnobio a Carolomanno rege, ipsius Caroli fratre, subjectum fuerat; denique eligendi abbatis liberam facultatem. quæ omnia Carolus concedit, modo ut diem unctionis suæ *quinto [kalendas] Februaris* celebrent, & Friderunæ reginæ anniversarium IV. *idus Februarii. Datum* X. *kalendas Maii*, *indictione* VIII. *anno* XXIX. *Karolo rege gloriosissimo regnante, redintegrante* XXIII. *& largiore indepta hereditate* X. lege IX. *Actum Compendio regalis sedis palatio.* quæ chronicæ notæ anno superiori conveniunt. Gauzlinus Notarius istud præceptum recognovit *ad vicem Rogeri archiepiscopi*, scilicet Trevirensis. qui proinde eo anno jam summi cancellariatus dignitatem adeptus erat.

[a] Hist. Paris. to. 1. p. 136.

Idem probatur ex alio ejusdem Caroli diplomate, anno sequente dato pro cœnobio Elnonensi, quod tunc regebat Rotbertus abbas. Is a Carolo petiit, villam Scaldponis, sitam super fluvium *Scald*, deputari ad sublevandas necessitates Elnonensium fratrum; idque obtinuit. *Datum* III. *idus Junii*, *indictione* IX. *anno* XXX. *rege glorioso Karolo regnante*, *redintegrante* XXIV. *largiore vero hereditate indepta* X. quod Gauzlinus notarius itidem *ad vicem Rodgeri archiepiscopi* recognovit.

Non multo post Elnonensem abbatiam obtinuit Roigerus comes. unde conjecturæ locus est, Rotbertum ejus antecessorem non alium esse quam Rotbertum comitem Parisiorum, qui regis titulum anno sequenti usurpavit, quique abbatias sancti Dionysii & sancti Germani apud Parisios tenebat. Quamquam Roibertus ille Elnonensis nusquam comes dicitur in ejus loci monumentis, sed tantum *regis ministerialis* in veteri syllabo Elnonensium abbatum.

His duobus Carolinis præceptis tertium addendum est pro Maricolensi monasterio pagi Cameracensis, constructo in honorem sanctæ Mariæ & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, ubi beatus Humbertus confessor corpore quiescit. quo præcepto rex ad preces Ingelramni[a] comitis, attendens penuriam fratrum, qui illic officium explere non valebant, ad eorum usus deputat triginta mansos apud Macerias villam pagi Laudunensis, ubi sanctus Humbertus est ortus, aliosque in pago Hainao. Ejusdem argumenti est summa alterius[b] præcepti, quod rogatu Isaac & Haganonis comitum eisdem fratribus concessum dicitur eodem anno, scilicet nongentesimo vicesimo-primo. Isaac iste, uti & Hagano, unus est ex decem comitibus, qui pacto Bonnensi[c] post episcopos ex parte Caroli regis subscripsere: at inter episcopos occurrit Rodgerus archiepiscopus Trevirorum, non Heriveus Remensis. quod superiorem conjecturam nostram valide confirmat. His omnibus adde ejusdem Caroli authenticum, quo Hungeri comitis interventu confirmat precariam, quæ fideli suo Wlberto de quibusdam rebus sancti Walariei facta fuerat, *consentiente jam dicto comite Hungero & congregatione S. Walariei, qua sub manu ejus* erat: ita ut prædictus Wlbertus, & ejus uxor, unusque eorum filius vel heres, easdem res possideant sub annuo censu unius solidi, quem ad missam S. Walarici persolvant. *Datum nonis Decembris*, *indictione* IX. *anno* XXIX. *regnante Karolo rege glorioso*, *redintegrante* XXIV. *largiore vero hereditate indepta* X. *Actum castro Lauduno. Gauslinus notarius vice Rodgeri archiepiscopi recognovit.* Sed de his satis.

[a] Mirai not. eccl. p. 96.

[b] ibid. p. 97.

[c] ibid. p. 92. & Chesn. to. 2. p. 188.

XLIV. Silviniacensis cellæ initia.

Exstat in agro Burbonensi insignis cella seu prioratus ordinis Cluniacensis, Silviniacus* nomine, situs inter Molinos & Burbonem-Archembaldi: quem locum Ademarus seu Aymardus nobilis miles Cluniaco attribuit cum ecclesia sancti Petri,

* Souvigny.

ANN. CHR. 921.

ut illic cella monachorum institueretur sub regimine Bernonis abbatis Cluniacensis. Primariæ hac de re litteræ ipsius Aymardi, a nobis editæ in Bernonis elogio, nihil singulare continent, præter donationem villæ seu curtis Silviniaci, aliarumque rerum, quas Aymardus ad ejus cellæ dotationem contulit. Actum die lunæ in mense Martio, *anno* XXIV. *regnante Karlo rege.* Post mortem Aymardi Aimo ejus filius, dominus Burbonensis, Silviniacum hereditario jure sibi vindicare tentavit: sed postea facti pœnitens totum restituit, atque insuper allodium suum Longovernum *in emendationem* tradidit in manus Aymardi abbatis Cluniacensis pro animabus genitoris sui Aymardi & genitricis suæ Ermengardis, fratrumque suorum Dacberti & Archembaldi, necnon pro sospitate uxoris suæ Adalsendis, ac filiorum suorum Geraldi & Archembaldi. Superest etiam nunc nobilis iste prioratus conventualis, opido cognomine insignis, sed maxime reliquiis sanctorum Maioli & Odilonis Cluniacensium abbatum.

XLV. Corbeiæ-veteris abbates.

Extremus hic annus fuit Bodonis Corbeiæ-veteris abbatis, qui VI. kalendas Aprilis obiisse traditur. quo die cellerarius monasterii ejus anniversarium quotannis procurare debebat. Ad hæc *in transitu sanctæ* Mariæ fratres debebant habere pastum pro abbate Bodone ex molendino, quod ipse in villa, quæ dicitur Vallis, extruxerat. Bodoni suffectus Walbertus ad novem annos, nulla re commendatur. Ejus tempore magnopere afflictum est Corbeiæ monasterium, quæ secunda ejus destructio est, tum ob intestinam discordiam, quæ inter Carolum regem & Heribertum Viromandorum comitem exarsit: tum ob Nortmannorum in pagos Ambianensem & Atrebatensem incursationes, quæ subsequentibus annis factæ sunt, teste Frodoardo. Ejus obitus contigit VII. kalendas Januarii. Ei successit Walbertus abbas, dignus habitus, qui ad Noviomensem episcopatum assumeretur. Sub Berengario ejus successore corpus sancti Præcordii ex villa pagi Suessionensis Valliaco Corbeiam translatum est. De Walberto & Berengario plura inferius.

ANN. CHR. 922.

XLVI. Calæ abbatia Haganoni data, novæ seditionis causa.

PRoximo anno, ejus sæculi vicesimo-secundo, Carolus extremæ suorum defectioni plurimam occasionem dedit. nam regnum Lothariense, quod tutari ac fovere debuerat, rapinis, incendiis ac sacrilegiis, teste Frodoardo, infestum reddidit. Ad hæc Calæ abbatiam, quam Rothildis amita sua, socrus autem Hugonis, filii Rotberti Parisiorum comitis, ex ipsius dono habebat, Haganoni comiti tribuit. quæ res adeo Hugonem, ejusque propinquos & asseclas exasperavit, ut, adjunctis sibi Heriveo archiepiscopo, & quibusdam Franciæ comitibus, regem ipsum, Lauduni cum Heriberto comite & Haganone commorantem, aggredi constituerit. Carolus Landuni opido haud tutus, cum Heriberto & Haganone comitibus inde egressus, trans Mosam fugit. Hugo fugientem insequitur: sed, Gisleberto comite obviam facto, a Rotberto patre ad colloquium revocatur. Hunc reditum timiditati adscribens Carolus, Remensem agrum vastare, incendere villas & opida, provinciam denique totam hostiliter deprædari cœpit. Rodulfus inter ea, Richardi Burgundiæ ducis recens mortui filius, qui Rotberti filiam uxorem duxerat, cum auxiliaribus copiis ad Rotbertum venit. Carolus obviam profecturus, Matronam cum exercitu trajicit; tum Hagano Sparnacum opidum direptioni militum tradit. Rotbertus cum Rodulfo & Burgundionibus haud procul castra locat. Carolus post multas cursitationes & tumultuarias pugnas, inferiorem se viribus sentiens, trans Mosam fugit. Rotbertus fugato rege majora concipit consilia, Francisque demum persuadet, ut se regem agnoscant. Postridie, id est tertio kalendas Julii, Remis in basilica sancti Remigii ab Heriveo archiepiscopo sollemni ritu consecratur. Heriveus vero triduo post moritur, VI. nonas Julii: cui Seulfus archidiaconus successit, vir ecclesiasticis & sæcularibus disciplinis apprime instructus, qui Remigium [a] Autissiodorensem monachum in liberalibus studiis præceptorem habuerat. Clarius monachus Rotbertum a Walterio Senonensi archiepiscopo inunctum fuisse tradit, at præferenda Frodoardi, scriptoris æqualis & oculati, auctoritas. Quæ inde consecuta sunt, anno sequenti prosequemur.

[a] Frod. lib. 4. c. 18.

XLVII. Gerardus Broniensis fit diaconus.

Tunc annum quartum in Dionysiano monasterio agebat Gerardus Broniensis, cum ad diaconatum promotus est a Fulrado Parisiensi episcopo, qui paullo ante Theodulfo successerat; post annos quinque ordinatus sacerdos ab Adelelmo, Fulradi successore. Hic est Fulradus episcopus, cujus jussu, necnon Froterii Pictavorum

episcopi, Abbo Pratensis monachus, is qui carmen de obsidione Parisiaca composuit, sermones scripsit *ad utilitatem simplicium clericorum*. In prologo se miserabiliorem cunctis mortalibus dicit, lectoresque obtestatur, ut in suis sacris memores sint Abbonis, *vernaculi* beatissimi Germani, tutoris Parisii ab obsidione hostili. Hi sermones partim editi sunt in Spicilegii tomo nono, in quibus loquentes inducuntur episcopi, quorum in gratiam hi sermones conditi sunt. In sermone tertio legitur, nullum esse episcopum, *qui possit absolutionem dare, nisi post pœnitentiam factam & dignam satisfactionem*; & *qui infringit unum diem* in quadragesima, totam quadragesimam infringere. Abbones longe plures, quam in editis, sermones habentur in codice Pratensi. Ejus memoria consignatur his verbis in necrologio: *VII. idus Martii depositio Abbonis sacerdotis & monachi sancti Germani.* ANN. CHR. 911. Abbonis sermones.

Apud Bellovacos post mortem Erluini episcopi, quem Frodoardus anno superiori obiisse tradit, ad illam sedem promotus est hoc anno Bovo ex monacho sancti Luciani ejus urbis monasterii, qui nonnisi sex circiter mensibus illam ecclesiam administrasse dicitur, mortuus nono kalendas Junii, quo die notatur in necrologio sancti Luciani, cui ecclesiam sancti Justi & villam Fulgeotias contulisse dicitur. Ex mortali ejus die licet colligere, ipsum sub finem anni superioris electum fuisse episcopum. At, si sex tantum mensibus hac dignitate potitus est, mirari subit, cur Hildegarius, qui ejus successor in vulgatis indicibus censetur, non ante annum ejus sæculi tricesimum-tertium ordinatus sit, testante Frodoardo. XLVIII. Episcopi Bellovacenses & Tulleases.

Idem auctor habet, Drogonem Tulli-Leucorum episcopum hoc anno decessisse, suffectumque in ejus locum Gauslinum, qui *vir summe catholicus, atque monasticæ religionis cultor devotissimus* fuisse dicitur in actis episcoporum Tullensium. quod ex restituta apud sanctum Aprum regulari disciplina, & ex condito parthenone Buxeriensi inferius demonstrabimus. Ejus ordinatio XVI. kalendas Aprilis ponitur in prædictis actis, quæ in eo emendanda, quod septem tantum annos Drogoni ejus antecessori pro septemdecim tribuant.

In Augiensi prope Constantiam monasterio funesti motus hoc anno contigere. Huic loco jam ab annis sex præerat Heribertus abbas, cum Liuthardus eo intrusus est a Burchardo Alamanniæ duce, qui omnia susque deque in illis partibus evertebat. Restitere intruso fratres: at hi in exsilium missi, *oppresso Hildeberto* abbate, ut Hermannus testatur. qui & addit, sanguinem Domini in Augiam insulam a quadam matrona, scilicet Suanehilda, delatum fuisse, *sicuti litteris ibi historica relatione continetur*. Historiam hanc ex membraneo ejus loci codice accepimus, ex qua in præsens ea, quæ ad rem nostram pertinent, delibare sufficiat. In primis narrat auctor anonymus, qui libellum suum *Waldoni nonnoso*, id est seniori monacho, nuncupavit, Azan Jerosolymorum urbis præfectum, desiderio videndi Caroli Magni imperatoris Romam iter instituisse cum muneribus sacris; sed morbo impeditum in Corsica detentum: ad quem Carolus Waldonem abbatem, & Hunfridum totius Istriæ præfectum, transmiserit, qui destinata ipsi donaria Ravennam detulisse perhibentur. Hæc donaria erant, ampulla una ex lapide onychino, sanguine Christi Domini plena; item crucicula ex auro & gemmulis fabrefacta, cruorem itidem Christi continens in quatuor partibus inclusum, & in medio portiunculam ligni Domini; ad hæc spinea corona, qua Christi sacrosanctum caput redimitum fuit; denique unus e clavis, quibus in cruce confixus est; & de ejus sepulcro. Waldo abbas tum Augiensis erat, idemque paullo post Dionysiani apud Parisios monasterii, in quo magnopere laxata erat monastica disciplina. Is pro legationis munere unum a Carolo petiit, scilicet privilegium pro monasterio suo Augiensi. Hunfridus, Waldone audacior, prædictam cruciculam, sanguine Christi refertam, a Carolo petiit, & ægre obtinuit, eamque in parthenone, quem Schennis in Rætia Curiensi exstruxerat, deposuit. Hunfrido mortuo, Adalbertus ejus filius hereditario jure hanc cruciculam repoposcit. Hic pulsus e Rætiæ præfectura a Ruotperto Ludovici augusti vasallo, qui eam dolosa circumventione ab imperatore captaverat, ad fratrem suum Burchardum, qui tunc Istriæ præsidebat, confugit. Nec mora fratris auxiliaribus copiis fultus Adalbertus, Ruotpertum adoritur, eumque in fugam conjicit. Ille fugiens equo excussus interiit, ab ipso Adalberto sepultus *in quodam monasterio, quod Lindowa nominatur*. Post Adalberti obitum filius ejus Odalricus seu Udalricus prædictam cruciculam tenuit, quam moriens Emmæ XLIX. Augiæ turbæ & sanguis Christi.

ANN. CHR. 912. filiæ suæ testamento reliquit. Emmæ filius & heres, Udalricus ex avi nomine nuncupatus, sacrum thesaurum Waltario, cujus filiam uxorem duxerat, poscenti dedit. Waltarius tutiori in loco, id est in castelli sui capella, (Zurzacha nomen castello erat) diligenter asservari curavit. Forte Burchardus Alamannorum dux, cujus paullo ante meminimus, Waltario infensissimus, prædictum castellum oppugnare cœpit. Jam fere ad deditionem ventum erat, cum Suanahilda, Waltarii religiosissima conjux, cum sacra crucicula obviam processit, hostes obsecrans, ut a cœpto desisterent. Illis præfracte detrectantibus, unus ex eis lapide percussus, tantum ceteris terrorem injecit, ut omnes in fugam præcipites se dederint. Post paucos inde dies contigit, ut pia femina Augiense monasterium orationis causa visitaret, ejusque clericus, ipsa nesciente, hanc cruciculam eo afferret: quam postea, flagitantibus fratribus, ad eorum ecclesiam deferri permisit, ubi festivo ritu ab Augiensibus excepta est. Cum vero illi, quænam esset illa crucicula, curiose percontarentur; hæc rem ita secretam tenuit, *ut nec fratri suo, Udalrico nomine, tum ejusdem monasterii portario*, eam pandere voluerit: sed demum victa fratrum flagitatu, arcanum declaravit. De hac sanguinis Christi in Augiam insulam delatione intelligendus Hermannus, cujus verba mox attulimus. Relata in domum crucicula, Augienses ad piam illam matronam legatos, quorum unus Udalricus frater ejus erat, oratum mittunt, sibi ut istum thesaurum concederet, qui convenientius in sua ecclesia servaretur. Constanter abnegat illa, eumque in castellum suum reportat. Instant nihilo minus Augienses, quibus Tougolfus matronæ vasallus suffragabatur. Verum, cum illa in negando persisteret; morbo demum correpta, quem ob rejectas fratrum preces Tougolfus evenisse dixit, tandem optatum thesaurum Augiensibus donavit, quem illi sollemni ritu in suam ecclesiam deportant *anno incarnationis dominicæ* DCCCC XXV. VII. *idus Novembris*, a posteris religiose deinceps observato. Hactenus ex prædicto libello tunc temporis scripto, qui, licet quædam levioris momenti contineat, tamen visus est in appendice referendus ob multa historica facta aliunde ignota, quæ in eo memorantur. In anno, quo hæc crucicula primum in insulam delata est, variant Hermanni exemplaria, quorum alia, ut Canisianum, ad annum ejus sæculi vicesimum-secundum, cetera in sequentem rejiciunt. Præferenda videntur posteriora, quibus Reginonis appendix suffragatur, & Sigebertus, cujus conjectura est, hunc esse illum sanguinem, qui de imagine Beritensi fluxit. Ex hoc porro libello intelligitur, Lindaviense monasterium, quod *Lindowa* hic dicitur, jam stetisse Ludovici Pii principatu, quo tempore Adalbertus comes, filius Hunfridi Caroli M. æqualis, florebat; eumdemque Adalbertum esse illum ipsum, qui prædicti Lindaviensis monasterii auctor fuisse traditur, cum Ruotpertum in monasterio, *quod Lindowa nominatur*, quodam fundatoris jure sepeliri curaverit. Plura de illius monasterii origine diximus [a] in tomo secundo, ubi Adalbertus Hunrici filius dicendus est, ut in libello, non Adalberti, qui per errorem irrepsit.

a lib. 32. n. 8.

L. Caunenses abbates. In Occitania Caunense hoc tempore monasterium regebat Baldemarus abbas, Hilderici successor, ejus qui anno Caroli vicesimo superstes erat. Baldemarus campum quemdam in pago Filinensi *anno* XXV. *regnante Karulo, filio Ludovici, post obitum Odonis* comparavit; anno XXIX. ecclesiam sancti Genesii in villa Clevago. Dein Rotbertus quidam, Trudgardis filius, anno secundo post obitum Caroli nonnulla emit apud villam Larigardam; eademque Trudgardis alodem suum apud Scutellas Caunensibus dedit *anno* VIIII. *Ludovici, & anno* I. *quo obiit Radulfus rex*. quæ nota chronica observanda est, ut appareat, Ludovici Transmarini annos aliquando a morte Caroli patris fuisse numeratos, non a morte Rodulfi seu Radulfi regis. Eadem matrona quædam jugera tradidit ad censum apud Lavandarias, *Deo regnante & regem exspectante Gallia*, id est tempore Rodulfi regis, quem Occitani non agnoscebant. Acta hæc tempore Baldemari Caunensis abbatis, cujus successores Giscafredus anno XVIII. regnante Lothario; Aimiricus anno XXVI. ejusdem regis; Rodulfus anno Hugonis primo; anno ejus septimo Udalgarius memorantur, quo anno hic villam Aquæ-vivæ Rogerio comiti & Adelaidi ejus conjugi, aliis prædiis acceptis, concessit. Denique Eliane abbas occurrit anno XII. Hugonis regis. Ab eo tempore Caunensium abbatum catalogus vacuus est ad principatum Philippi regis.

ANN. CHR. 912.

LI. S. Laurentii abbatia Narbonensi ecclesiæ confirmata.

Ea erat apud Carolum regem auctoritas Unigonis seu Wigonis episcopi Gerundensis, ut Agius [a] Narbonensis antistes eum adhibuerit, quo suæ ecclesiæ abbatiam sancti Laurentii in agro Narbonensi, & abbatiam sancti Stephani apud Balniolas in comitatu Bisuldunensi, cum suis cellulis confirmaret. Petenti rex assensit. *Data* VII. *idus junii, indictione* X. *anno* XXX. *regnante domino Karolo, redintegrante* XXV. *largiore vero hereditate indepta* XI. *Actum in Setico contra Torn.* quod præceptum *Hagano notarius ad vicem Rogerii archiepiscopi, summique cancellarii recognovit.* ubi vides Haganonem apud regem id officii etiam obtinuisse, quod brevi amisit. Hoc in loco Catellus, qui prædictum diploma retulit, observat, se legisse in archivo Vabrensis monasterii, prædictum Agium ejus loci abbatem fuisse. Hic est Agius abbas, qui scripsit epistolam de origine Vabrensis monasterii, cujus epistolæ insigne fragmentum idem Catellus alibi [b] retulit, nosque superius eo usi sumus, cùm de istius monasterii primordiis ageremus. Ejusdem Agii electionem in archiepiscopum Narbonensem propugnavit Johannes decimus, scripta epistola ad episcopos primæ Narbonensis contra Geraldum ejusdem sedis invasorem.

a *Catel. Languedoc p.* 776.

Agius abbas Vabrensis.

b *Hist. des Comtes de Tolose p.* 70.

LII. Superadi monasterium instauratum.

In Gallicia monasterium Superadi, de cujus origine in superioribus [c] egimus, processu temporis ad eum statum redactum est, ut nulla ejus superesset memoria usque ad hunc annum, quo Hermenegildus & Paterna ejus conjux illud ab interitu vindicarunt, instaurato monasterio prope eum locum, in quo primitus positum fuerat, nempe in proxima ecclesia sancti Jacobi, quam pii illi conjuges, una cum filio suo Sisenando Iriensi episcopo, a quodam Ordonio compararunt. Hunc locum multis beneficiis locupletarunt Sisenandus ipse, ejusque propinqui & consanguinei. Sisenandi hac de re litteræ inscriptæ sunt sancto Salvatori, necnon sanctis Johanni-Baptistæ, Petro apostolo, Jacobo & Pelagio martyri sub Petro abbate. tametsi beatissimæ virgini Mariæ monasterium speciatim dicatum fuit ab instauratione. Ut initio, sic in hac instauratione duplex fuit pro utroque sexu monasterium, testante Ordonii tertii regio diplomate, quod abbati Petro & Geloyræ confessæ seu abbatissæ, *vel eorum congregationi fratrum, vel Deo devotarum utriusque sexus* inscriptum legitur æra millesima-sexta. Ab hoc monasterio multa alia pendebanr. Duodecim enumerat Yepesius, in his monasterium de Mozantia, cujus abbates fuere Reterigus, Fulcaredus, Wimarus & Gondesinus, qui illud Superadi abbatiæ subjecit, postmodum, nescio quo casu, abbatiæ sancti Petri Ante-altare Compostellanæ unitum. Tandem Superadi monasterium post varias reciprocantis fortunæ vices, post vexationes complures vicinorum principum, devolutum est ad patres Cistercienses paullo ante medium sæculum duodecimum: quo in loco sanctus Bernardus, quamvis absens, miraculum patrasse dicitur, a Gaufrido [d] ejus notario relatum, restituta subito ad preces viri sancti sanitate cuidam Alberto paralysi affecto.

c *lib.* 21. *num.* 33.

d *Vita S. Bern. lib.* 4. *c.* 6.

LIII. Samonense item monasterium.

Post mortem Ofilonis [e] abbatis Samonense monasterium diœcesis Lucensis penitus desertum & monachis destitutum jacebat, cum rex Ordonius secundus, optime in ordinem nostrum affectus, de eo instaurando serio cogitare cœpit. Instaurandis ædificiis & restituendæ disciplinæ monasticæ perquisiti sunt idonei homines vitæ sanctioris. Tunc religione florebat monasterium sancti Johannis de Rupe in finibus Aragoniæ & Navarræ sub Virili abbate, qui rogatu Ordonii Sinderigium cum aliquot monachis perficiendo tam pio negotio illuc destinavit. Tempus factæ novationis indicat diploma [f] ipsius Ordonii, datum æra DCCCC LX. quæ huic anno vicesimo-secundo respondet: quo in diplomate, præmissa primi ejus monasterii exordii narratione, legitur, quo pacto post obitum Ofili seu Ofilonis abbatis omnia ejus loci instrumenta perierint, partim casu, partim incuria monachorum, qui absque legis censura & Christi jugo esse volentes, vitam sanctam, Spiritui-sancto mentientes, abjecerant in animæ suæ perniciem & scandalum populorum. Ideoque rex ait, se sancti loci miserabili statu commotum, religionis splendorem istic restituisse, locumque ipsum ædificiis instructum tradidisse monachis, qui cœnobialem vitam agant: quibus ad ornatum ecclesiæ donat vestes sacras, variamque supellectilem, calices argenteos cum suis patenis, crucem & candelabrum similiter argentea, turibulum, lucernam, aquamanilia, ornamenta altaris, velum principale, *quod inter vestibulum & altare dependet*; albas, *casulas lineas & laneas*, signum seu campanam; ad hæc varios ecclesiasticos libros, in his homilia-

e *V. lib.* 35. *n.* 19.

f *Yepes to.* 4. *scrip.* 17.

AN. CHR. 922.

» rium, libros dialogorum, librum regularum, & alios, quæ omnia minutius persequor, ut videas, quanta fuerit illis temporibus & locis nostrorum modestia & » simplicitas. Præter ea villas eidem cœnobio confert pro sustentatione religiosorum » monachorum illic degentium, necnon pauperum & peregrinorum : eo pacto, ut » ordo monasticus ibidem perpetuo conservetur ; & quisquis sacerdos, vel religiosus » illic *per pactum & placitum regulæ* Deo servire voluerit, *sub manu abbatis vel se-* » *nioris* consistant, & sint illis hæc tria communia, nempe ecclesiæ, domus, & villæ : » adeo ut sanctam ecclesiam *bonis testimoniis* & exemplis ornent, & sibi locum pro- » videndo augmenteut. Hæc facta & scripta in concilio episcoporum & orthodoxo- » rum virorum, qui huic diplomati cum Ordonio rege subscripserunt.

ANN. CHR. 923.

LIV. Rotberto cæso, & Carolo capto, Rodulfus coronatur.

POstero anno, ejus sæculi vicesimo-tertio, Rotbertus in regnum elatus, cum Heinrico rege colloquium habet in pago Ribuariorum ad fluvium Ruram, ut ejus societate regium honorem, recens sibi delatum, tutaretur. Induciæ etiam Lotharienſibus, qui a Carolo stabant, concessæ ab ipso Rotberto, qui hac pactione fidens apud Suessionas consistebat. Carolus, nulla induciarum aut diei, quæ dominica erat, ratione habita, nec-opinantem adoritur. Tum Rotbertus, collecto tumultuatim milite, Carolinis intrepidus occurrit. Fit atrox pugna, & multa mortalium utrimque cædes ; quos inter Rotbertus ipse cecidit, Caroli ipsius manu, ut creditur, lancea perfossus. Victoria nihilo minus penes Rotbertinos stetit, agentibus Hugone Rotberti filio, & Heriberto Viromandorum comite, cujus soror Beatrix Rotberto nupserat. Hæc pugna facta est in planitie civitati Suessionum & castro sancti Medardi præjacente, ut Guido testatur apud Albericum, In chronico Saxonico necdum edito legitur, ex parte Rodberti XI. milia CCCC LVIIII. ex Caroli parte VII. milia CXVIII. cæsa fuisse. Victores ob mortem Rotberti non ausi insectari Carolum, qui Nortmannos auxilio advocat. Franci cum Burgundionibus medios se interponunt, & Nortmannis aditum ad Carolum intercludunt. Carolus itaque inferior viribus trans Mosam fugit. Sic, rege fugato victores Rodulfum Richardi Burgundiæ ducis filium, qui Rotberti filiam conjugem duxerat, eligunt, & in monasterio sancti Medardi regem constituunt. Dein Carolus, ab immissis Heriberti legatis sub sacramento adductus ad sancti Quintini opidum, ab ipso Heriberto capitur, captusque ad Castrum-Theodorici, quod ad Matronam situm est, recludendus perducitur ; postea Perronam, ubi post annos sex in custodia vitam finivit. Cur autem Rodulfo potius, quam Hugoni Rotberti filio, qui Magni cognomen postea meruit, aut Heriberto comiti, rebellium veluti antesignano, regia potestas delata sit, Aimoinus [a] hanc affert causam, quod Hugoni nondum adulta obsisteret ætas ; Heriberti odium cunctos haberet ob ejus inhumanitatem & perfidiam in proprium principem. Clarius monachus auctor est, Rodulfum Suessionis tertio idus Julii inunctum fuisse a Walterio Senonum archiepiscopo, qui ipso anno defunctus est XIII. kalendas Decembris, sepultusque in suburbana basilica sancti Petri. Huic tum præerat Samson venerabilis abbas, qui Aigloni ante biennium successerat quo tempore Richardus Burgundiæ dux, Rodulfi novi regis parens, Justitiarius dictus, sepultus est in monasterio sanctæ Columbæ kalendis Septembris, videlicet in oratorio sancti Symphoriani. Eodem tempore Emma Rodulfi uxor, Rotberti vero filia, Remis a Seulfo archiepiscopo coronata est. Carolo in has angustias redacto, Edgiva seu Odgiva, ejus secunda conjux, cum Ludovico filio vix quadrimo in majorem Britanniam se recepit ad fratrem Adelstanum ejus insulæ regem : dum ejus filius post mortem Rodulfi ad capessendum patrium regnum a proceribus revocatus est. Rotbertus rex sepultus est in basilica Dionysiana. Huic regi non sine fundamento Labbeus tribuit diploma a Dubleto [b] editum pro monasterio Dionysiano, in quo suæ exaltationis ad regnum, & filii sui Hugonis meminit, tametsi Rotberto Capetiadæ ejus pronepoti itidem cetera conveniunt, indictio, annus, & cancellarius, immo & filius cognominis, sed qui necdum, ut puto, natus erat Rotberti anno primo, quem annum hoc diploma exprimit, datum in monasterio sancti Dionysii, cujus loci fratribus Rotbertus supplementum portionis bonorum concedit.

[a] Aimoin. de mirac. S. Bened. lib. 2. c. 3.

S. Petri Vivi abbates.

[b] Dublet p. 810.

LV. S. Berchario Rodulfus se commendat.

Regni insignibus acceptis Rodulfus, locum ad Ararim, ubi sancti Bercharii abbatis corpus ad tempus asservabatur, adiisse dicitur, seque ac regni sui prosperos

successus ei commendasse, & Dervensibus ad relevandam eorum inopiam subsidia liberaliter contulisse, data spe promissimi eorum ad sua reditus, qui non multo post feliciter, Deo favente contigit, domitis scilicet ac fugatis Normannis, quos Rodulfus in assignatas sibi provincias compulit, ibique deinceps quietos degere coëgit. Regni itaque pace & tranquillitate restituta, Dervenses, qui ob metum barbarorum diversa exsilia passi erant, resumto spiritu ad sua redire constituunt; junctoque simul Fossatensium cœtu, qui a proprio itidem solo ob eamdem caussam extorres erant, pari consilio iter aggrediuntur, una procedentes, atque una divina celebrantes officia, donec ad fines Campaniæ devenissent. Itaque a se se invicem divisi; Dervenses postliminio ad suum regrediuntur monasterium, quod omnino incultum & vepribus circum altaria horridum inveniunt. Purgato, ut tempus ferebat, loco, sacra beati Bercharii ossa istic denuo recondita sunt XVII. kalendas Novembris, qui dies dedicatæ primitus ecclesiæ olim sollemnis erat, cujus adventus celebritas in diem natalem passionis beati Bercharii translata est. Eodem tempore ad suum monasterium Fossatenses cum sancti Mauri corpore reversi sunt ex monasterio Saxiacensi, ubi eos Aurelianus Lugdunensis antistes hospitio exceperat.

Dervenses ac Fossatenses ad sua redeunt.

LVI. *Diacus Floriacensibus assertus.*

Rodulfum laudat Aimoinus [a] non solum a bellicis factis, sed etiam a justitiæ studio, cujus hoc exemplum commemorat. Exstat in pago Tornodorensi prædium quoddam, vocabulo Diacus *, quod Floriacensibus tempore Dagoberti junioris ab Hugone viro illustri, Drogonis filio, donatum erat. Hoc quidam miles perversi animi invasit, nec reposcenti abbati, nedum fratribus, restituere voluit. Querimonia ad se delata, rex pervasorem, ut loco cederet, admonuit: at ille principis monita insuper habuit. Forte idem in proxima silva sibi suisque lautum convivium ex substantia monachorum paraverat. Id ubi rescivit princeps, silvam circumquaque a suis cingi jubet, mortem ei comminatus, qui pervasorem impune abire sivisset. Ipse cum lecta juvenum manu silvæ abdita perlustrans, hominem offendit, sumtis armis resistere volentem. quem rex lancea transfixum humi mortuum dejecit, ceteris, qui cum eo erant, fugatis. At qualis quantusve fuerit Rodulfus, quem ad principatum subeundum invitum accessisse tradunt, eum tamen pro rege non habuerunt Galli transligerani, qui deinceps publicorum instrumentorum chronicas notas ab anno, quo *infideles Franci regem suum Karolum dehonestaverant, & Rodulfum in principem elegerant*, numerare cœperunt.

[a] *Aimoin. lib. 1. de mirac.*
* *Dio.*

LVII. *Aliæ res civiles in Lotharii regno.*

Accepto Caroli regis infortunio, Heinricus transrhenensis, ejus casum condoluit; &, humanæ vicissitudinis communem fortunam miseratus, principio armis abstinere decrevit, & Lotharingos bellis assuetos, mobilesque ad rerum novitates arte superare. Ast audito Lotharienses Rodulfo novo regi se dedere; invitantibus se Gisleberto comite & Rotgerio Trevirorum præsule, qui necdum se Rodulfo subdiderant, Rheno transmisso Lotharii regnum deprædatur: sed, Rodulfo cum Francis & Burgundionibus eo accurrente, domum se recipit, datis induciis Lothariensibus usque ad kalendas Octobris anni insequentis. Interea Rodulfus alter, cisalpinæ Galliæ rex, quem Itali, abjecto Berengario imperatore, in regnum receperant, collatis cum ipso Berengario signis, eum devicit, quo in prœlio mille quingenti viri desiderati.

LVIII. *Guibertus Gemblaci cœnobium struit.*

Inter has bellorum procellas nihilo minus Gallia Belgica novum splendorem accepit per Guibertum seu Wibertum, virum natalibus & sanctitate insignem, qui hominibus illius temporis in exemplum datus est, Gemblacensis monasterii percelebris auctor. Is natus in pago Darnuensi, qui pagus minor est pagi Lomacensis, avos habuit Redingum seu Rodingum, & Gislam priscæ nobilitatis; parentes Lietoldum & Osburgam, quæ Guibertum & Remundam ejus sororem procreavit, præter alios liberos, quos ex tribus aliis maritis succedentibus genuit. Guibertus cælibatum conjugio præferens, ita se gessit in sæculo, ut, præter morem illius temporis nobilium hominum, adeo res alienas pauperum & ecclesiarum non rapuit, ut contra egenis & ecclesiis sua largiretur. Post varios sæcularis vitæ anfractus, de relinquendo tandem sæculo serio cogitat, & in fundo proprio monasterium exstruere statuit. Delectus ad id consilii locus Gemmelaus, quem alii Gemblacum * vocant. Valesius existimat hoc esse Geminiacum ab Æthico memoratum in itinere a Castello Coloniam. Ut ut sit, situs est Gemmelaus in Bracbanto, ad amnem vulgo

* *Gemblou al. Giblou.*

ANN. CHR. 923.

l'Ornoy nuncupatum, quem puto esse Darnuam, a quo Darnuensi pago inditum nomen. Situs est, inquam, Namucum inter & Lovanium, diœcesis olim Tungrensis, nunc Leodicensis: ubi forte Guiberti natalis sedes. Adjuvante avia sua Gisla matrona piissima, quæ nepotis sui generoso ac sancto consilio congaudebat, basilica ejus loci apostolorum principi Petro & sancto Exsuperio martyri nuncupata. Villa Gemmelaus in dotem a Guiberto assignata: cui Gisla res quoque suas, quas scilicet vel dotis nomine a Redingo marito suo acceperat, vel propria industria comparaverat, adjecit. Multum etiam ad id contulit vir quidam venerabilis, Erluinus nomine, qui a canonica vita ad monasticam conversus erat. Condito cœnobio, & monachis illic institutis, non tamen inter eos vivere decrevit Guibertus, ne ab eis, quorum gratia monasterium exstruxerat, nimium honoraretur. Tunc temporis Gorziense agri Mettensis cœnobium religione ac regulari disciplina reflorescere cœperat, & longe lateque famam suæ sanctitatis respergebat. Istuc secedere statuit Guibertus ubi sub disciplina venerabilis Agenoldi abbatis tantum profecit, ut aliorum omnit .n virtutes in se exprimeret. Erat in illo asceterio vir in multis insignis, Erluinus nomine, mox laudatus, in rebus cum monasticis, tum ecclesiasticis, maxime versatus, adeoque regendo novo monachorum cœtui perquam idoneus. Hunc induxit Guibertus, ut novi monasterii præfecturam subiret. quo illic instituto, ad Gorzienses reversus est, siquidem Sigeberto credimus, ibidemque usque ad finem perseveravit. At contrarium innuit Ottonis Magni diploma, in quo Wibertus, post ædificatam ecclesiam & officiuas claustri, Erluinum sibi abbatem elegisse dicitur, & se cum omnibus, quos accersierat, monacbis commisisse regendum, his sine dubio, quos e Gorzia cum Erluino acciverat. Ottonis diplomati consimilia habent chronographus Gemblacensis & Folcuinus Laubiensis.

Monasterii initia.

Gemblacensis cœnobii initia plerique anno ejus sæculi vicesimo-primo collocant: quibus favere videtur Sigebertus, cujus hæc verba ad illum annum: *Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ sanctus pater noster Guicbertus, qui nostrum, Gemmelacense scilicet, cænobium fundavit: qui divitiis, nobilitate, & potentia clarus, cingulum mundanæ militiæ deposuit, & cingulo sanctæ religionis in monachico habitu se accinxit.* Idem auctor librum de Guiberti vita scripsit: sed tempus conditi cœnobii diserte non exprimit. Anonymus auctor, qui de viri sancti elevatione scripsit, ejus mortem consignat anno DCCCC LXII. conversionis XL. Denique vulgatum a Miræo distichon Gemblacensis monasterii originem ad annum DCCCC II. refert. Verum si tota Guiberti vitæ series diligenter attendatur, paullo serius ejus monasterii conditio statuenda est. quippe ædificato monasterio, Guibertus ad Gorziense monasterium se contulit, jam tunc religione instaurata florentissimum. Atqui non ante annum DCCCC XXXIII. Gorziæ sancta illa innovatio facta est, ut postea videbimus. Itaque vix ante annum abhinc tertium restitutæ ibidem religionis fama pervenire potuit ad Guibertum, nec Guibertus ante id tempus istuc se recepisse dicendus est, ac sæcularem babitum monastico commutasse. Ceterum modus loquendi, quo usus est Sigebertus, non annum præcise, sed tempus vagum & incertum designat: nec certior anonymi calculus in anno Guiberti conversionis designando. Certe primum Ottonis Magni de Gemblacensi monasterio diploma datum est, teste Sigeberto, anno dominicæ incarnationis DCCCC XLVI. cum monasterium absolutum esset, vigeretque jam sub disciplina Erluini abbatis: ita ut in palatio nobilissimi viri Guiberti ad Deum conversio prædicaretur, ejusque exemplo multi nobiles sæculo nuntium remitterent.

LIX. Johannis abbatis Gorziensis vitæ primordia.

Admonet nos hic locus agere de primordiis vitæ sancti Johannis, Gorziensis abbatis a restitutione secundi, qui insigne fuit ordinis nostri sæculo decimo decus & ornamentum. Ortus est in confinio Mettensis & Tullensis territorii, in villa quondam regia, Vinderia * nomine, parentibus haud multum obscuris, at substantiæ locupletioris. Pater, jam ætate provectior, juniorem uxorem duxit liberioris generis, ex qua Johannem nostrum, duosque post ipsum filios suscepit. Vixit ad annos nonaginta, eleemosynis, hospitalitati, ornandis ecclesiis, ceterisque bonis operibus addictus. Johannes sub oculis optimi senis tenere ac christiane educatus, primum Mettis scholis traditur, inde in monasterio sancti Michaëlis ad Mosam, ubi tunc temporis Hildeboldus quidam, *ex discipulis domni Remigii doctissimi ea ætate magistri*, scholas habebat: ex cujus doctrina, incuria, an supercilio magistri, qui

* *Vendiere.*

Studia & amici.

a patre

ANN. CHR. 923.

a patre liberaliter munerabatur, macram satis frugem scientiæ se retulisse Johannes ipse fatebatur. Patre mortuo, cum mater adhuc junior ad secundas nuptias convolasset, Johannes fratrum natu-major, adolescentiam ingressus, domesticæ familiæ procurationem subire coactus est. quo in munere virilem ætatem exegit, diversorum, tam sæcularium, quam ecclesiasticorum, honestioris famæ virorum consuetudine interim uti solitus. Ex his unus fuit Richuinus comes, vir illo ævo prudentissimus & sagacissimus, cujus in domo per annos aliquot conversatus, magnum inde profectum in rebus gerendis cepit, a quo ecclesiam villæ, in qua natus est, obtinuit. Is est Richuinus seu Riquinus comes, quo rogante Carolus rex villam Fraxinum ad instaurandum Vetus-monasterium contulit Uncrimno monacho sancti Michaëlis ad Mosam, ut superius vidimus. Idem Johannes etiam familiaris fuit Dadoni, *summi ingenii & famosissimæ sanctitatis* Virdunensi episcopo, quem hoc anno decessisse Frodoardus testatur. Is est Dado episcopus, cui Bercharius presbyter brevem historiam [a] episcoporum Virdunensium nuncupavit. Deinde Johannes adhæsit cuidam nobili viro, Warnerio nomine, in villa Fontaneto confinii Tullensis, occasione ecclesiæ sancti Laurentii, eidem civitati adjacentis, quam studiose excoluit, & exornavit. Hinc frequens se se obtulit opportunitas adeundæ urbis, in qua Bernerus diaconus ipsius sanctæ sedis, vir sanctitatis opinione & litterarum scientia tunc celebris erat: quo præceptore intermissa dudum & sæcularium negotiorum mole pæne obtrita studia instauravit. Non modo in litteris, sed & in virtute multum profecit sub talis magistri disciplina, qui, si qua in discipulo reprehendenda vidisset, ne ad momentum quidem dissimulabat; &, si res ita exigeret, etiam publice arguebat. Manebat interea semper Johannes in suburbana sancti Laurentii ecclesia, in qua noctu, non tantum interdiu, prolixas Deo preces effundebat. Huic quoque ecclesiæ deputaverat piissimam feminam, una cum quodam presbytero ex Belsiæ * Franciæ regione, severo ipsius erratorum censore, qui a Nortmannis in puteum sæpius demersus, sed psalmorum virtute tot periculis exemtus, ad illam demum ecclesiam pervenerat incolumis.

a Spicil. to. 12. p. 251.

* la Beausse.

LX. S. Petri Metensis monacharum exemplo proficit.

Per id tempus Mettense sancti Petri puellare monasterium novam religionis formam, detersis veteris vitæ maculis, induerat, ibique sanctimoniales virginitatis flores præclaros edebant. In earum collegio erat quædam moribus & sanctimonia insignior, in tenera licet ætate, nomine Geisa, quam amita ejus, cui Friburgæ nomen, remotam a ceteris vitam ducere edocuerat. Istuc identidem ventitabat Johannes occasione sancti Laurentii ecclesiæ, quæ eidem monasterio subjacebat; ob idque statis hebdomadis illic altaris officium explebat. Harum itaque sanctimonialium, & præcipue Geisæ, quam cilicio assidue uti forte advertit, exemplo & colloquiis animatus, ad severiorem vitam anhelabat, puduitque virum a fragiliori sexu præiri ac superari. His igitur stimulis incitatus, de perfectioris vitæ institutione serio deliberat. Primo omnium studium divinæ lectionis cum eis arripit, totamque veteris ac novi testamenti historiam ex integro percurrit. Dein divinorum officiorum & sacramentorum libros sedulo pervestigat, nec calculum ecclesiasticum prætermittit, quem a Bernero diacono jam multa ex parte didicerat. Ad hæc canonicas institutiones, id est decreta conciliorum, judicia pænitentium, ordinem actionum ecclesiasticarum, insuper sæcularium legum edicta studiose meditatur. Denique homilias & sermones patrum, diversosque in epistolas & evangelia tractatus, sed & gesta sanctorum adeo accurate lectitat, ut quoties publice loquendi opportunitas adesset, facile ex tempore peroraret. His studiis ad sæculi contemtum sensim inducebatur: sed quo locorum se conferret, anceps animo erat. quippe adeo ex tota illa regione exsulabat religio, ut nec in cisalpinis, nec vix in transalpinis partibus ullum inveniretur monasterium, in quo regularis vitæ accurata disciplina servaretur. Quod igitur reliquum erat, piorum, si qui erant in sæculo, convictu & colloquiis pascebat animum. Hos inter Mettis eminebant duo celebres viri, Rotlandus scilicet, scholæ cantorum in domo sancti Stephani, id est ecclesia cathedrali, præfectus, qui remotiorem in superiori oratorio sancti Michaëlis vitam in precibus & studiis sacris agebat; & Warimbertus idem vitæ genus ducens, non longe a claustris clericorum in basilica sancti Salvatoris. Hos identidem invisebat Johannes: sed, audita fama Humberti, qui Virduni reclusus & scientia sacrarum litterarum, & piissimæ vitæ testimonio sanctus habebatur, statim ad eum se contulit, eique ante-

Plures alios consulit.

ANN. CHR. 923.

actæ vitæ erratorum *puram confessionem* fecit. Tum ab eodem formam vitæ pænitentis in posterum cepit, atque ab eo tempore carnibus semper abstinuisse creditur. Cum vero in Argonnæ saltu Lantbertum quemdam solitarium celebratum audisset, eum itidem convenit: sed hominis agresti stoliditate & ignorantia deterritus, cum aliquamdiu apud eum in privata cellula vixisset, inde recessit consilio Humberti mox laudati, & Andreæ cujusdam Brittonis pii & eruditi, qui e patria ob Nortmannorum infestationes pulsus, apud Montem-Falconis cum aliis Brittonibus degebat, Dadonis Virdunensis episcopi beneficio procuratus.

LXI. Italiam lustrat.

Horum itaque consilio, maxime Humberti suasu ab ejus stolidi eremitæ cohabitatione recedens, Romam ad limina apostolorum, quod iter ipse jam dudum exegerat, supplicatum pergit, ut vitæ perfectioris consilium Deo commendaret. Adjuncto itaque socio Bernacro quodam clerico, optimo antiquario, ac musicæ artisque calculatoriæ peritissimo, qui multo tempore Mettis cum Warimberto mox laudato in oratorio Salvatoris conversatus erat, iter accelerat; votisque expletis, Montem-Casinum congregatione monachorum insignem adit, ibique cum ipsis servis Dei aliquot dies demoratus, sancti propositi vestigia, quæ ibi nonnulla supererant, curiosius exploravit. tum Gargano monte lustrato, interiora marini sinus, quæ civitati Neapoli adjacent, id est servorum Dei habitacula in monasterio Salvatoris ad montem Bebium seu Vesuvium penetrat: quorum orationibus ubi se commendasset, & quædam ex his, quæ secum tulerat, largitus esset, domum reversus est. Mox convento Humberto, quia locus eorum desideriis aptus non occurrebat, domi subsistere, & vitam privatam, quo meliori modo potuit, instituere cœpit.

LXII. Einoldus Tulli floret.

Tunc temporis in urbe Tullo venerabilis Agenoldus seu Einoldus, ejusdem sedis primo quidem primiscrinius, postea primus archidiaconus, unicum in illis regionibus postmodum lumen monachorum, tum sanctitatis exemplo, tum scientia litterarum divinarum & humanarum ceteris prælucebat. Is, suis omnibus facultatibus in egenos effusis, simplici tantum veste retenta cum libris & ornatu sacerdotali, in cellulam claustro clericorum adhærentem se se recluserat: in qua jam fere triennium in summa & ardua rerum continentia degens, raro usquam, præterquam ad ecclesiam missas celebrandi causa, aut nocturnarum precum egrediebatur, servulo uno contentus, qui ad necessaria quæque forinsecus agenda mittebatur; ceterum quæ ad victum necessaria erant, a Gauzlino venerabili episcopo, ad pietatis officia omnino composito, aut ab aliis religiosis viris accipiebat. Hic, cum die quadam solus in cellula resideret, hanc vocem repente, a nescio quo editam, audivit: *Sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Jacob patris tui. os enim Domini locutum est hæc.* Paullulum ex hoc attonitus, & secum, ut fit, multa animo reputans, cum a nemine mortalium hanc vocem editam cognovisset, Dei oraculum sibi factum intellexit; eoque altius menti infixo, in spem erectus est divinorum beneficiorum, quam vanam non fuisse eventus comprobavit. Forte Humbertus e cellula, qua se jam dudum Virduni recluserat, ad eum accessit. Commotus ille insolito viri conspectu, hanc adventus sui causam esse accepit, ut simul in solitarium locum se reciperent, multo melius ac liberius, quam in urbium frequentia, Deo servituri. Mox, consilio probato, ambo, cunctis arbitris procul, Mosella fluvio transmisso, in specum quemdam vicini saltus se se abdunt. Verum religiosorum hominum, qui virum sanctum requirebant, ventitationibus interturbati, ad suam quisque cellulam remearunt.

Humbertus cum eo secedit.

LXIII. Consilium de secessu in Italiam impeditum.

Non multo post, suadente Humberto, accitus ab Einoldo Johannes, quem ejusdem propositi studiosum noverat, ambo de relinquendo penitus sæculo consilium agitant. Adhibitæ etiam a Johanne in consilium religiosæ illæ sancti Petri Mettensis sanctimoniales, Geisa ejusque amita, & aliæ nonnullæ: consulti quoque *Salecho clericus sancti Martini ultra fluvium Mosellam*; Randineus presbyter tituli sancti Symphoriani extra portam urbis meridianam; & Bernacer diaconus, ille Romani itineris comes. nam Rotlandus & Warimbertus jam vita excesserant. Omnibus in idem propositum consentientibus, cum nullus in Gallia locus opportunus occurreret, Johanni visum est Italiam adire, ubi loca quædam circa Beneventanas partes valde remota, rebusque omnibus ad vitam necessariis referta, se vidisse dixit, in quibus labore manuum suarum, exemplo antiquorum patrum, facili negotio vitam sustentare possent: ut in Monte-Casino, & in abdito illo maris sinu sancti Salvatoris cœnobio, quod

ANN. CHR. 923.

monti Bebio imminebat. Cum id consilii omnibus placuisset, profectionem quantocius illuc maturare constituunt. Hæc etsi secreto tractabantur, in notitiam tamen perlata sunt Adalberonis Mettensis tunc episcopi, indicio Bernacri diaconi, qui arcanum episcopo non aperire nefas duxit. His itaque ad se vocatis, Adalbero persuadet, ut a concepto secessu desistant, eisque Gorziam monasterium, non multum ab urbe, sed tamen a tumultu longe remotum, incolendum offert. quod illi tandem Italico secessui prætulerunt. Qui superius laudatur *Salecho clericus sancti Martini ultra fluvium Mosellæ*, haud scio an idem sit cum Salechone abbate, qui dedicationi ecclesiæ sancti Maximini Trevirensis post annos fere viginti interfuit, qui ex clerico factus sit abbas sancti Martini trans Mosellam, quod monasterium in suburbio Mettensi piissimus rex Sigibertus ædificaverat, forte tunc ad clericos redactum: uti & sancti Symphoriani cœnobium a Sigivaldo Mettensi episcopo conditum extra portam urbis meridianam, cujus Randincus prædictus presbyter titularis erat. Ad ordinem revertor.

LXIV. Sigismundus episcopus, & Haico abbas mortui.

In chronico Saxonico tres hoc anno illustrium virorum mortes memorantur, nempe Herimanni Coloniensis archiepiscopi sanctissimi, cui Wigfridus successerit; Sigismundi Halberstadensis episcopi sexti, & Haïconis abbatis Fuldensis, cui Hildebertus successit, brevi futurus Moguntinus antistes. De Sigismundo, qui ex Hirsaugiensi monacho episcopus creatus fuerat, id memoriæ proditum in illo chronico, ipsum XVIII. kalendas Februarii obiisse, positumque fuisse in dextra parte altaris sancti Stephani, non jacentem, sed super cathedram sedentem. qui adhuc ægrotans Bernardum capellanum suum sibi successurum prænoverat, virum utique nobilem & sanctum, ac regni principum primum. Hinc corrigendus Bruschius, qui triennio serius Sigismundi obitum differt. His addendus Adelhardus monachus Hirsaugiensis, vir sanctissimæ conversationis, qui oculis orbatus, magnum patientiæ specimen edidit, in oratione assiduus, ac monasterii sui vastitatem ante annos ferme octoginta prædixisse fertur. Moritur hoc anno, VII. kalendas Januarii, anno ætatis suæ septuagesimo-octavo, cæcitatis vicesimo-tertio, mortis suæ ante triennium præscius. Inter hæc Heinricus rex Germaniæ, rogatu Mathildis conjugis suæ, filiique sui æquivoci, necnon Adalwardi episcopi, qui missus fuerat a Folcmaro abbate, Corbeiæ-novæ privilegia [a] renovavit x. kalendas Martii, hoc ipso anno, sexto aut septimo Folcmari abbatis, qui Bovoni juniori successerat.

Adelhardus Hirsaugiensis obit.

Corbeiæ-novæ privilegia renovata.

d *Annal. Paderborn. p 258.*

LXV. S. Columbæ Nazaræ monasterium.

Ambrosius Morales, scriptor Hispanus haud ignobilis, conditum ait hoc anno prope Nazaram opidum monasterium sanctæ Columbæ virginis & martyris, ac Nazarensi abbatiæ sanctæ Mariæ subjectum ab Ordonio rege ejus monasterii conditore, qui illud Senoniano abbati, ejusque fratribus tradiderit. Huc diploma ipsius Ordonii secundi regis Legionensis, & ex eo Yepesius [b] profert, quo rex bunc locum omnino desertum ac relictum, paganis subactis ac fugatis, instaurasse fertur, situm in suburbio civitatis, *qua antiquitus vocata fuit Senonas*, postea Tricium, & tunc a rivo præterfluente Nazara. quod commentum est cujusdam impostoris, qui sanctam Columbam martyrem Senonensem in Gallia, urbemque ipsam Senonas ad Hispanos traduxit.

a *Yep. tom. 4. script. 19.*

ANN. CHR. 924.

LXVI. Rodulfi varia facta, & morbus apud S. Remigium.

RODULFO rege coronato, non statim pacata in regno omnia. nam Willelmus junior, Aquitaniæ princeps, nondum regem agnoverat: Gislebertus in Lotbarii regno novas turbas ciebat; denique necdum a Nortmannis quies erat. Principio itaque anni vicesimi-quarti Rodulfus in Aquitaniam pergit, ac Willelmum, Bituricensi pago ei restituto, sibi conciliat. Dein cum Nortmannis pax inita per Hugonem & Heribertum comites, ac Seulfum Remensem archiepiscopum, cum eo, ut Cenomanni & Bajocæ civitates eis traderentur. Rodulfus vero, placito apud Attiniacum habito, dum profectionem in regnum Lotharii parat, gravi morbo correptus, Remos ad sanctum Remigium se deferri fecit: ubi quatuor hebdomadas demoratus, obstinato morbo curando cælestem medicum propitium reddere conatur, donis sancto Remigio oblatis, & reliquis thesauris per monasteria Franciæ ac Burgundiæ distributis. Tandem redintegrata sanitate, per urbem Suessionas in Burgundiam regreditur, nam eo jam paullo ante profectus erat, & castellum Montis-sancti-Johannis a Ragenardo, qui illud retinebat, vi extorsit; hisque peractis, in Franciam reversus est. Interim synodus episcoporum Remensis provinciæ, Seulfo archiepiscopo præsidente, apud Trosleïum habita, in qua Isaac comes ecclesiæ Cameracensi pro damnis illatis fecit satis.

ANN CHR. 914

LXVII. Ejus præceptū pro S. Martino Æduensi, & Trenorchio.

Dum Rodulfus in Burgundia moraretur, ad eum accessit [a] Eimo seu Aimo abbas monasterii sancti Martini Æduensis, petiitque ab eo, ut præcepta superiorum regum, suique monasterii possessiones confirmaret. Eimonis precibus suas adjunxit Ymma seu Emma regina, cujus rogatu rex præceptum fieri curavit, quo sancti Martini possessiones omnes non modo confirmavit, sed etiam auxit, data altera ripa laci, qui est subtus villam Tilium, in prospectu Carbonaci super fluvium Aturavum, cujus una ripa jam sancti Martini erat; necnon capella sanctorum Geminorum, sita extra muros Æduenses, quam prædictus abbas a Berengario comite per commutationem acquisierat. *Datum* VIII. *idus Aprilis, indictione* XII. *anno primo regnante Rodulfo rege glorioso. Actum Cabillono civitate.* quod præceptum Ragenardus notarius recognovit ad vicem Abbonis episcopi, scilicet Suessionensis. Post triduum ibidem simile privilegium Trenorchiensi [b] abbatiæ concessit tempore Hervei abbatis, eo nomine secundi: qui ab Armanno, filio Armanni vicecomitis, magna in comitatu Vellaïco prædia comparavit, *cum ecclesia sancti Georgii in Vetula præastio*, id est suburbio, *civitatis*, ut loquitur Falco monachus in chronico Trenorchiano. quod de sancti Pauliani opido apud Vallavos, non de Anicio interpretandum esse alias [c] demonstravimus. Idem Rodulfus rex Dolensi apud Bituriges monasterio, rogatu Ebbonis conditoris, regiam tutelam indulsit, cujus rei præceptum habemus, sed sine chronicis notis. Abbo episcopus, qui Rodulfi cancellarius erat, tantum presbyter dicitur in quodam præcepto, quo Rodulfus rogatu Hermoldi præpositi villam Alciacum cœnobio sancti Symphoriani restitui jussit. Actum apud Augustodunensem civitatem kalendis Martii, indictione XII. anno primo regnante Rodulfo rege glorioso. quod præceptum *Raynardus notarius ad vicem Abbonis presbyteri dictavit.* Idem jam episcopus erat VIII. idus Aprilis insequentis, ut ex primo diplomate mox laudato liquet.

a Diplom. p. 564.

b Tournus p. 277.

c Sæc. 4. to. 2. p. 758.

LXVIII. Aliud pro S. Vincentio Laudunensi.

Eodem tempore Adalelmus Laudunensis episcopus, qui Rodulfo ante triennium successerat, eidem regi [d] exposuit, haberi quamdam in monte Lauduno ecclesiam in honorem sancti Vincentii martyris consecratam, adeo venerabilem, ut secunda sedes prædictæ Laudunensis ecclesiæ appellaretur, in eaque sepultura ab antiquo esset ejusdem loci episcoporum, & cœmeterium canonicorum; sed eo tunc redactam, ut, cum antea duodecim illic canonici exstiterint, loco scilicet priscorum monachorum, unicus tantum presbyter eidem ecclesiæ *attitulatus* superesset. proinde sibi in animo esse hanc instaurare ecclesiam, ibique restituere numerum duodecim canonicorum. quod ratum esse jubet princeps, vetans insuper, ne quisquam ex fidelibus suis quidquam exigat ex tribus ecclesiis, videlicet sancti Vincentii, sancti Genesii, atque sancti Hilarii, quæ in illa parte istius montis sitæ erant.

d ibid p. 565.

LXIX. S. Maxentii abbatis translatio.

Ex notitia quadam a Johanne Beslio [e] relata discimus, sancti Maxentii abbatis corpus e suo monasterio, apud Pictones sito, a Salomone Britanniæ duce delatum fuisse in quamdam cellam Rothonensis in eadem Britannia monasterii, quæ sancti Maxentii nomine insignita est. Cum vero inde ad pristinum locum reveheretur, audita Normannorum in illas partes incursatione, deportatum fuisse ad Candetensem ecclesiam pagi Arvernensis, sitam super fluvium Bebronum, quem modo Sivolim * vocant, sexaginta solidis comparatam cum suo territorio: ubi Rothonenses monachi cellæ sancti Maxentii commorati sint cum capsa eburnea, multis sanctorum referta reliquiis. Sub hæc, urgente rursus Normannorum infestatione, prædicti monachi sacrum beati Maxentii loculum, favente Richardo comite, deportasse dicuntur in pagum Autisiodorensem. Verum Maxentianis cœnobitis sacrum beati patroni sui corpus repetentibus, Rothonenses illud se restituturos, exceptis maxillis, polliciti sunt, vitamque illius & missale. Sed tandem convenit inter eos, ut Rothonenses essent ipsius corporis perpetui custodes cum auctoritate & securitate Ebuli comitis. Id factum hoc anno, & quidem *xij. kalendas Julii, feria prima*, seu dominica. Ab eo tempore magna pars reliquiarum sancti Maxentii asservatæ dicuntur in monasterio sancti Leodegarii de Ebrolio, diœcesis Claromontensis, præter quasdam particulas, quæ in Maxentiano apud Pictones monasterio habentur. Et tamen in chronico Malliacensi legitur anno M LIX. corpus beati Maxentii Adjutoris (id ei cognomen erat) in Maxentiana basilica ostensum fuisse, & conditum ei sepulcrum novum VI. nonas Octobris. Adeo difficile est, ejusmodi reliquiarias lites explicare, nedum componere. Prædictæ notitiæ subscribunt Ademarus abbas,

e Besly comit. Pict. p. 217 & seqq.

* la Sioule.

ANN. CHR. 914.

Haimericus comes, qui ejus frater in contextu dicitur, Joseph monachus, & Turgal monachus, qui auctor fuerat deportandi corporis in Britanniam.

LXX. Hildebertus fit præsul Moguntinus.

In chronico Saxonico atque etiam in Hildensheimensi Herigerus Moguntinus archiepiscopus hoc anno decessisse, & Hildibertus seu Hildebertus eidem successisse perhibetur. quod etiam Lambertus monachus in suo chronico testatur. Erat Hildibertus, teste Witichindo[a], Francus genere, professione monachus, nutritus & eruditus *in Wldo monasterio*, id est Fulda, & ad ejus loci præfecturam anno superiori provectus, ac demum hoc anno *ad summi pontificatus*, ut ille ait, sedis Moguntiacæ fastigiom. Hunc miræ sanctitatis virum dicit idem auctor, & ingenita non modo prudentia, sed etiam litterarum studiis clarum, qui inter cetera gratiarum dona spiritum prophetiæ accepisse prædicatur. Is est qui post annos duodecim Ottonem Magnum regiis insignibus ornavit. Hildiberto in Fuldæ regimine suffectus Hadamarus, vir illustris, expertæque virtutis & prudentiæ. Ejus tempore, id est post annos tres, Fuldensis basilica igne conflagravit, multis impensis, Hadamari abbatis studio, instaurata.

Hadamarus abbas Fuldensis.

LXXI. Udalricus præsul Augustensis.

Hoc ipso anno Udalricus, nobilis Alamannus seu Suevus, quem in sancti Galli scholis eruditum fuisse diximus, Augustæ-Vindelicorum episcopali cathedræ impositus est, probante Heinrico rege: cujus rei oraculum, dum Romæ versaretur, dicitur paullo ante accepisse *a venerando papa Marino*, qui forte Johannis decimi quasi quidam vicarius erat. Jam episcopus quotidianum cursum divini officii *cum matricelariis* clericis in choro, ubi occupationes sinebant, persolvere solitus, tres alios cursus, scilicet de sancta Maria, de sancta Cruce & de omnibus sanctis, qui mos multorum monasteriorum erat, cum toto psalterio, quod vix credas, plurimum adjiciebat; missas etiam tres vel duas quotidie celebrabat. Eidem jugis fere a carnibus abstinentia fuit, tametsi secum reficientibus carnes apponi curabat. Magna ei de pauperibus cura, quos quotidie pascebat. Huic ex sorore Liutgarda nepos erat, Adalbero nomine, *cuidam doctissimo magistro Benedicto monacho*, ut in grammatica, aliisque disciplinis erudiretur, commendatus, de quo plura inferius. Erant tunc in Augustensi diœcesi monasteria quinque, *Whitinwane*, *Staphense*, *Fauces*, *Wissinterga*, & *Hewibach*, quæ numquam in beneficium laïcorum, ut tunc improba consuetudo ferebat, concessit. Uttenburanum præterea in libertatem asseruit. Ex prædictis illis quinque monasteriis Faucense nobis notum; Wissinterga forte non aliud quam Wessenbrunense, cujus abbas beatus Thiento nobis inferius laudandus erit; *Hewibac* forte *Hasbach*[b] seu *Hegibach*, nunc collegium canonicorum ad radices alpium. Ceterum in Udalrici vita[c] id observandum videtur, quod is, consecratione cujusvis ecclesiæ facta, doteque contradita, comprobato « illic presbytero altaris procurationem; ecclesiæ vero advocationem legitimo con- « ditoris heredi *panno imposito* commendaret.

LXXII. Hartmanno abbati S. Galli succedit Engilbertus.

Vixdum tres annos in magistratu expleverat Hartmannus sancti Galli abbas, cum mortalem sarcinam deposuit, vir claustralis disciplinæ studiosissimus, sed rerum exteriorum negligentior. Suffectus in ejus locum Engilbertus, ejus nominis secundus, religione & prudentia & rerum agendarum peritissimus, cujus ab Heinrico rege probata electio est. Is qua pollebat industria neglectos ab Hartmanno census restituere sategit, sed colonos præfracte resistentes expertus est. Eorum contumaciæ suffragata est Burchardi Alamanniæ ducis rapacitas, qui alendo militi gravia sancti Galli colonis stipendia imponebat; data insuper militi prædandi licentia, qui sancti Galli prædia impune diripiebat. Burchardum hac de re Wiborada inclusa, a sancto Gallo admonita, corripuit, sed non correxit: dum tandem mors, anno proximo subsecuta, ejus rapinis finem imposuit. Accessit demum ad mali cumulum Hunnórum in sanctum Gallum irruptio, quæ ejus loci ruinæ fere supremam imposuit manum.

LXXIII. Hungari Italiam vastant.

Jam ante triennium Rodulfus, rex Galliæ cisalpinæ, Papiæ rex acclamatus fuerat contra Berengarium, qui Veronæ hoc anno a Flamberto, cujus filium ex sacro fonte susceperat, ex improviso trucidatus est. Eo mortuo, & Rodulfo absente, qui in Galliam remigraverat, Hungari eam occasionem haud temere dimittendam rati, hoc anno in Lombardiam ingressi, Mantuam, Brixiam & Bergomum impotenti depopulatione diripuerunt. Papiam inde progressi, urbem obsidione cinctam, ad extremum injecto igne deformarunt. Inter ceteros Johannes episcopus in-

a Witichind. lib. 2.

b Metrop. Salisb. to. 2. p. 385.

c cap. 7.

S. Sixti cœnobium combustum.

terfectus. Dein Placentiam progressi, suburbanum sancti Sixti monasterium, tum puellarum, igne subjecto combusserunt; ac præda onusti, tandem ex Italia excesserunt. Rodulfus, Berengarii morte & Hungarorum incursione accepta, in Italiam revertit, ac Veronam profectus, totum regnum sine contentione, sed ad breve tempus recepit.

ANN. CHR. 925.

LXXIV.

Nortmannorum nova facinora.

INsequens annus novis Nortmannorum in Burgundiam & in pagos Bellovacensem, Ambianensem, & Arrebatensem incursionibus funestus fuit, ipsis etiam Nortmannis exitiosus, quorum multi in diversis prœliis ceciderunt. E nostris etiam Ansegisus Trecassinæ urbis episcopus, & Warnerius comes inter alios desiderati. Denique Ambianorum & Atrebatum civitates fortuito incendio conflagrarunt.

Hugo quinquennis archiepiscopus designatus.

a Frod. lib. 4. c. 19.

b ibid. c. 18.

c ibid. c. 20.

Inter hæc Seulfus Remorum antistes, annis tribus in pontificatu exactis, fato functus est. Episcopatus Heriberto comiti commendatus in gratiam Hugonis filii, necdum quinquennis. Legati ejus nomine Romam missi Abbo Suessionensis episcopus aliique, qui rem novam & inauditam Romanis approbarent. Seulfum veneno necatum ferunt a domesticis [a] Heriberti comitis, cujus filii post se electionem pactus fuisse dicitur, ob expulsionem [b] Odonis fratris Herivei antecessoris sui & Herivei nepotis, quos infestos habebat. Episcopatus Remensis Abboni episcopo a Johanne papa commendatus ob immaturam Hugonis ætatem. Frodoardus, ut ipse [c] scribit, aliique Remenses clerici sacerdotiis suis privati, quod prædictæ electioni non favissent. Denique Heinrico Transrhenensi regi Lotharienses se committunt, qui jam Gisleberrum ducem admiserant. Heinricus ipse Bernuino, Dadonis episcopi nepoti, Virdunensem episcopatum concedit, pulso Hugone, cui Rodulfus illum dederat. Hæc misera rerum in Gallia facies. Nec melior in Italia, quæ fœdis de imperio discordiis agitata est, Ermengarde post mortem Adelberonis Eporediæ marchionis mariti sui de regno cum Rodulfo novo rege disceptante.

LXXV.

S. Galli monasterium ab Hunnis direptum.

d Ekkehard. c. 5.

Inter ea Hunni per Germaniam debacchantes, in sancti Galli monasterium invehuntur. Eorum adventus Wiboradæ reclusæ ante annum præcognitus fuerat, quæ proprii haud sollicita periculi, Engilbertum abbatem admonuit per Waldramnum monachum, ut sibi suisque fuga consuleret. Ille pretiosiora quæque in proximum castellum comportari jubet, præter libros, quos Augiam deferri curavit. Tum Hunni kalendis Maii vacuum monasterium ingressi, reliqua diripiunt, uno relicto Heribaldo monacho, qui gazophylacium barbaris, ea hominis fatuitas erat, facile ostendit. Vix ille eorum manus effugit, qui Wiboradam virginem, nullo infirmioris sexus, nedum sanctitatis respectu, crudeli barbarie peremerunt. Vix temperatum ab incendio monasterii, quod Engilbertus cum suis, post barbarorum discessum, integrum invenit. E castello reportata omnia, sed ex Augia libri non pauci desiderati, si qua fides Ekkehardo [d], qui eos non satis tuto Augiensibus commissos ait. Reversi monachi oratoria & officinas repurgant, accitusque ab eis Notingus Constantiæ episcopus aqua benedicta cuncta lustrat. In tantæ calamita-

Wiboradæ martyrium.

tis articulo constantiæ insigne specimen edidit sancta virgo Wiborada, quæ de aliorum salute sollicita, ut Hospitius ille quondam reclusus Niciensis, nullis admonitionibus, nullo barbarorum metu adduci potuit, ut a reclusionis proposito, vel tantillum discederet. Ejus cilicii asperitatem horrori esse ait Ekkehardus, cujus tempore Sancti-Gallenses illud conservabant. Idem auctor est, Hunnos, priusquam in sanctum Gallum furerent, Augustam-Vindelicorum obsidione cinxisse, sed urbem ab eorum invasione liberatam fuisse meritis sancti Udalrici episcopi, qui urbis infantulos universos, ab uberibus matrum raptos, circa se coram altaribus nuda terra jactari jusserat, vagitibusque illorum lacrymas cum ejulatibus miscens, infestissimos illos, velut alter Ezechias, hostes abegerit. Auctores, qui de sanctæ Wiboradæ gestis scripserunt, tres sunt præcipui, Ekkehardus, Hartmannus, & Hepidannus, omnes apud sanctum Gallum cœnobitæ. Ekkehardus ab Udalrico Augustano episcopo, Wiboradæ olim familiarissimo, ad scribendum impulsus, morte intercedente, opus haud absolvit. Is mihi videtur Ekkehardus, qui decani officio functus est sub Cralone abbate, idemque Rachildæ reclusæ consobrinus; alius ab Ekkehardo monacho, qui librum de casibus monasterii sancti Galli composuit, a quo ille *Eggehardus* appellatus. & *post-doctrinas*, id est post expletum docendi officium, decanus. Alter vitæ sanctæ Wiboradæ scriptor Hartmannus distinguendus est ab æquivoco illo abbate,

ANN. CHR. 935.

qoi uno ante Wiboradam anno decessit. Hepidannus denique, tertius scriptor, annalibus suis notus, Vodalrico abbati librum suum de sanctæ Wiboradæ actis nuncupavit. Engilbertus abbas anniversarium beatæ martyris diem, suadente in primis Hittone monacho ejus fratre, celebrari curavit, ob patratas ad ejus tumulum sanitates: in quibus Rachilda reclusa, præsente Notkero monacho & medico, cui Piperis-granum ob severitatem disciplinarum cognomen erat; & Udalricus scholaris monachus sanitatem recepisse memorantur.

LXXVI. S. Ghisleni corpus inventum.

Prope Montes opidum Hainoënsis pagi in vastam solitudinem redactum erat Cellense monasterium, sacrumque beati Ghisleni corpus neglectum loco ignoto in terra jacebat: cum Wincradus loci custos in somnis admonitus est, ut e loco designato abditos cineres erueret. Id factum kalendis Octobris. Corpus sindone munda in obserato loculo repertum, sed loco tunc haud motum ob synodales præceptiones, quæ id injussu episcopi fieri vetabant. Tunc Cameracensem ecclesiam regebat Stephanus episcopus, qui regis jussu in palatium evocatus, id negotii Oilbaldo archidiacono exsequendum committit. Hic, congregata cleri ac populi non modica turba, sacri corporis urnam effert e tumulo, & in basilica sanctorum apostolorum Petri & Pauli reponit. Non multo post, cum unus tantum sacerdos locum observaret, Melbodienses sanctimoniales cum Castrilocensibus seu Montensibus opidanis de suffurando sancti Ghisleni corpore consilium ineunt. Id factu haud difficile fuit. Furto sublatus loculus Melbodium affertur, & in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ honorifice reconditur. Furto comperto, sacerdos loci custos de recuperando corpore cogitat. Interpellatus hac de re Herbertus Viromandorum comes; tum Stephanus episcopus, qui Melbodiensi abbatissæ (hæc Theodrada erat) ceterisque sororibus præcipit, ut furtum restituant. Melbodienses, licet invitæ, paruerunt episcopo, qui sacro corpori in proprium locum restituto custodes adhibuit vicinos sacerdotes, qui sua singuli hebdomoda locum custodirent, donec cum Gisleberto duce Lothariensi alios custodes provideret. Hæc relatio idibus Decembris facta memoratur. Sub hæc positi eo in loco canonici ad sacri corporis custodiam: sed cum illi vitam abnormem ducerent, agente Gisleberto duce, monachi per sanctum Gerardum Broniensem abbatem ibidem postliminio restituti sunt.

LXXVII. Rotgerus comes abbas Elnonensis.

Mortuo Rotberto Elnonensi abbate, Rotgerus comes hanc abbatiam obtinuit. Hic videtur esse Rotgarius Laudunensis comes, aut potius ejus filius cognominis, cui post mortem patris, quæ post bienninm[a] accidit, Rodulfus rex comitatnm Laudunensem dare voluit, obsistente Heriberto comite, quem Odoni filio suo dari postulabat. *Rotgerns comes atque memorandus abbas Elnonis monasterii* a Rodulfo rege præceptum obtinuit, quo Vidinium villam comitatus Austrobatensis juxta Scaldim fluvium, & villam pagi Tornacensis Autuinium, *ad refocillandam fratrum indigentiam* deputari curavit. *Datum* VIII. *idus Aprilis indictione* XIII. *anno secundo regnante Rodulfo rege gloriosissimo. Actum Lauduno castro publico.* quod præceptum Ragenaldus notarius ad vicem Abbonis episcopi recognovit. Ejusdem Rotgeri abbatis tempore Lietardis matrona Deo sacrata, post decessum *senioris* sui « Odonis, quasdam res proprietatis suæ, per manus nobilis viri Odacri legibus ad- « vocati, donat monasterio Elnonensi, *ubi præsul Christi Amandus corpore requiescit.* « cujus loci rector præesse dignoscitur Rotgerus comes, *post ipsum quoque dilectus filius meus*, inquit, *Liedricus monachus, & ejusdem loci præpositus*: ad cujus pe- « titionem seu subjectionem ait se beato Amando ejusque monachis tradidisse in pa- « go Bracbantensi, in villa Anvinio dicta, ecclesiam unam, mansum dominicatum « & alia, quæ omnia per suæ chartæ testamentum sive *per festucam atque per andelangum* seu terræ cæspitem in jus beati Amandi, ejusque monachorum transfundit, « eo pacto, ut filius ipsius Liedricus prædictas res usu-fructuario teneat. quod argu- « mento est, proprietatis vitiom illis temporibus viguisse. Caret chronicis notis hoc instrumentum in chartario Elnonensi, ex quo hæc excerpsimus. Idem Rotgerus abbas erat ad annum secundum Ludovici Transmarini. Ex quo intelligimus eum esse Rotgarium filium Rotgarii comitis Laudunensis.

a *Frod. ad an.* 917.

LXXVIII. Rodulfi præceptum pro S. Benigno.

Tunc temporis Divionense sancti Benigni monasterium procurabat Suavus[b] abbas, sub cujus regimine Rodulfus rex rogatu Gotzelini Lingonum episcopi & Manassæ comitis, non modo antiqua ejus loci privilegia confirmat, sed etiam villam Saciacum, abbatiam sancti Johannis, mercatum quoque in burgo *die Saturni*, id

b *Spicil. to.* 1. *p.* 426. *& seq.*

ANN. CHR. 925.

est sabbato, aliaque monachis restituit. Insuper eis confirmat, favente [a] & deprecante eodem Manasse comite, mansos octo in villa Nermedis, in comitatu Alsensi, quos dudum ipsis dederat, & in Gibriaco villa comitatus Belnensis mansum unum, quem Jurannus cum Amadeo comite *de abbatia sancti Cosmeris*, quam in alodum tenebat, permittaverat, & sancto Benigno dederat. *Actum Artiaco villa supra fluvium Ararim*, III. *kalendas Junis*, *indictione* XIII. *anno* IV. *regnante domno Rodulfo rege gloriosissimo.* quod præceptum Rainardus, idem qui supra Ragenaldus, ad vicem Abbonis pontificis recognovit. Has litteras viderat Albericus, cujus ad hunc annum hæc verba sunt : *Annus iste fuit quartus in Francia regis Rodulfi, secundum chartam sancti Benigni Divionensis.*

a *Perard.* p. 162.

LXXIX. Chartæ pro Fossato, Nobiliaco & Monte-olivi.

A die tertio-decimo Julii hujus anni tertius Rodulfi regis incipiebat. unde ad hunc annum revocanda est charta [b] Teudonis Parisiorum comitis pro Fossatensi sancti Petri cœnobio, cui ille ad preces Adhelnei abbatis, cum consensu Hugonis præstantissimi marchionis seu comitis & Fulradi episcopi, aream quamdam in urbe Parisiaca, cum cellula sancti Petri funditus destructa, donat ad refugium monachorum, qui paullo ante ex Saxiacensi pagi Lugdunensis monasterio, ubi ob metum Nortmannorum aliquamdiu constiterant, ad propria reversi erant. *Actum Parisius sub die* X. *kalendas Septembris.* Subscribunt Hugo comes atque marchio seu abbas, Theubaldus vicecomes & alii. Alia charta [c] Richardi æditui senioris ecclesiæ sancti Petri Pictavensis de quadam ancilla, quam cum liberis suis monasterio Nobiliaco donat, data legitur mense Decembri *anno tertio Radulfi regis, quando Karolus in custodia tenebatur.* At in litteris [d] commutationis, quam Gimera Carcassonæ episcopus & Arifonsus abbas congregationis sancti Johannis monasterii castri Mallasti seu Montis-olivi inter se se fecerunt, hæc legitur chronica nota : *Facta carta procambiationis idibus Junis, anno* XXVIII. *regnante Karolo rege post obitum Odonis regis.* tametsi Carolus in custodia tenebatur, regnaretque tunc Rodulfus, quem plerique transligerani non agnoscebant. unde hæc chronologica nota in testamento [e] Acfredi Aquitaniæ ducis : *Datum istud fidei-commissum anno* V. *quod Franci deinhonestaverunt regem suum Carolum, & contra legem elegerunt Radulfum sibi in regem.*

b *Du Bois* to. 1. p. 535.

c *Capitul.* to. 2. c. 1532.

d *ibid.* c. 1534.

e *ibid.* c. 1534.

LXXX. S. Dictini monasterium.

Hoc item anno Fortis, ex monasterio sancti Petri de Montibus Asturicensis episcopus, suburbanum monasterium sancti Dictini, ejusdem sedis olim episcopi & confessoris, instauravit, & ex bonis propriis, quæ forte ex parentum hereditate sibi obvenerant, dotavit *pro stipendio virginum & continentium confessorum.* quæ verba probant, puellare istud monasterium, ut illis temporibus passim, fuisse duplex, nempe sanctimonialium, quibus adjunctus erat cœtus monachorum, qui confessores hoc loco, more apud Hispanos olim vulgato, appellantur. Idem colligitur ex quibusdam litteris permutationis Sampyrii episcopi, æra millesima septuagesima-septima datis, in quibus ita loquitur : *Ego Sampyrius cum collegio monachorum vel servorum Dei in sancta Maria, vobis domina Flamula, & collegio sororum & monachorum sancti Dictini episcopi.* quo ex loco infert Yepesius, monachos tum exstitisse in cathedrali sanctæ Mariæ ecclesia Asturicensi. Hoc vero sancti Dictini monasterium processu temporis devolutum est ad Dominicanos.

Isauri episcopi obitus.

Incidit etiam in hunc annum mors Isauri Auriensis episcopi ex monacho sancti Stephani Silensis, depositus *sub die* VII. *kalendas Februarii, æra nongentesima sexagesima-tertia*, ut legitur in ejus epitaphio apud Yepesium [f]. Hic unus est ex novem episcopis monachis, qui in prædicto sancti Stephani monasterio requiescunt, *pro quibus Deus infinita miracula facit*, testante diplomate Alfonsi regis Leonensis, dato æra supra millesimam ducentesima quinquagesima-octava.

f *Yepes an.* 909. c. 1.

ANN. CHR. 926. LXXXI. Nortmanni & Hungari novas strages edunt.

NOndum fide Christi feritas Nortmannorum plene subacta erat, ut probavit annus insequens, Christi nongentesimus vicesimus-sextus, quo Atrebatensem pagum infestare pergunt. Hos Rodulfus rex una cum Heriberto comite quodam saltu in illo pago coartatos obsidet, eosque, vulnere in pugna accepto, gravi cæde afficit. Illi nihilo minus in Porcensem pagum bacchantur : sed rex tandem eos numerata pecunia placat, & ipse Laudunum revertitur. Ex alia parte Hungari, transmisso Rheno, in pagum usque Vonzensem grassantur : quorum metu perculsi Remensis agri monachi, sancti Remigii, aliorumque sanctorum corpora e

suburbanis

ANN. CHR. 926.

suburbanis monasteriis in urbem inferunt. tametsi paullo ante Seulfus archiepiscopus monasterium [a] sancti Remigii cum adjacentibus ecclesiis vel domibus (burgum sancti Remigii vocant) muro cinxerat, & castellum ibidem instituerat.

LXXXII. Aimo abbas Æduensis Torcillianum emit.

Pervenit ad id tempus Aimo abbas sancti Martini Æduensis, qui hoc anno villam [b] Tortillianum ab ecclesia Viennensi dato pretio comparavit. Hujus rei causa ad istud monasterium, ex consensu & suasu *nobilis principis & marchionis Hugonis* accesserunt Viennensis ecclesiæ filii & legati Gausbertus *summa industria abbas*, & Lefredus, *admodum probus vir*, uti notarius eos de se loquentes inducit, " missi a domno Alexandro archiepiscopo & canonicis ejus, Aimoni abbati suadentes, ut villam Tortillianum, quæ longe ab ipsis aberat, & quæ in vicinia & prospectu ejus cœnobii erat, vel alià terra permutarent, vel dato pretio compararent. " Alterum Martinianis placuit, qui *centum librarum pondere* hanc villam a Viennensi ecclesia coëmerunt. *Actu anno* DCCCC XXVI. *ab incarnatione Domini, indictione* XIIII. *mense Martio*, VIII. *idus ejusdem mensis, feria* IIII. *anno* III. *regnante Rodulfo glorioso rege.* quod venditionis instrumentum Gerrerius humilis subdiaconus jussu Aimonis abbatis scripsit.

LXXXIII. Hugo Arelatensis comes fit rex Italiæ.

Hugo princeps & marchio, hic laudatus, comes erat Arelatensis, Lotharii comitis itidem Arelatensis filius, Lotharii regis nepos; Berta, quæ post mortem Lotharii comitis Adelberto Tusciæ marchioni collocata fuerat, progenitus. qui vivente Berengario occupandi Italiæ regni causa alpes transgressus, sed a Berengario repulsus, pedem retulerat: sed tandem, eo mortuo, a Lamberto Mediolanensi archiepiscopo ad capessendum regnum invitatus, denuo alpes trajecit. quod consilium Rodulfus ut averteret, Burchardum socerum suum ad arma secum sociandа excivit, eumque Mediolanum explorandæ urbis causa legatum ad Lambertum misit. Hunc Mediolano egressum, summo mane Eporædiam ad Rodulfum properantem Lamberti suasu infesti Italici invaserunt, atque in fossa Novariæ, in quam sub tumultum ab incitato metu equo abreptus fuerat, oppressum interemerunt, quam necem Wiborada virgo, ad sanctum Gallum reclusa, ei portenderat. Qua re cognita, Rodulfus nihil ultra sibi tentandum putavit: verum in pristinum transjuranæ Burgundiæ regnum se recepit. atque ita Hugo Italiæ regnum quiete adeptus est. Mox rerum administrationem aggressus, octavo idus Augusti Veronam prodiit, ubi cum moraretur, omnes sancti Zenonis [c] monasterii possessiones confirmavit, ac superiorum regum privilegia rata habuit, rogatu Adalberti & Notherii episcoporum. *Datum* VII. *idus Augusti, anno Dominicæ incarnationis* DCCCC XXVI. *domni vero Hugonis piissimi regis* I. *indictione* XIIII. *Actum Veronæ.* Tunc Adalbertus ejus loci abbas erat, si qua fides syllabo abbatum edito [d] apud Ughellum.

LXXXIV. Hirsaugiæ abbas Diethmarus.

In Spirensi diœcesi Rudolfus Hirsaugiensis abbas, annum agens regiminis octavum, diuturnæ infirmitati succubuit, mortuus undecimo kalendas Aprilis; vir quidem bonus ac mitis, sed ad regimen animarum minus idoneus, sub quo disciplina regularis non parum detrimenti passa est, præsertim circa silentium & obedientiam, quæ duo maximi momenti sunt, & præcipua vitæ monasticæ fundamenta. In deligendo successore divisa fuere partium studia. nam sanior pars, quibus cordi erat observatio disciplinæ regularis, talem habere pastorem optabat, qui pristinum illum fervorem, in quibusdam pæne emortuum, excitare verbo & exemplo & vellet, & posset, memores incommodorum, quæ ex nimia Rudolfi indulgentia irrepserant. at contra major pars juvenum, molli indulgentiæ assueti, suis abbatem moribus convenientem requirebant. Sed tandem intercessit Hildeberti Moguntini archiepiscopi auctoritas, effecitque, ut pars sanior prævaleret, eligeretque Diethardum, aliis Diethmarum, monachum sancti Galli, mediocri genere apud Suevos natum, qui piis eligentium votis omnino respondit; vir continentissimæ vitæ, prudentissimus ac vigilantissimus, qui regularis disciplinæ observationem, non mediocriter collapsam, strenue restituit.

ANN. CHR. 927.

LXXXV. Gandershemenses abbatissæ.

IN chronico Hildensheimensi [e] turris Gandersheimensis parthenonis anno nongentesimo vicesimo-septimo a Sehardo episcopo dedicata fuisse perhibetur, & Rothswita abbatissa obiisse: cui Wildigrat seu Wendelgarda successit. In chronico Saxonicó id anno superiori factum legitur. Wildigradæ successit Gerberga

[a] Frod. lib. 4. c. 19.
[b] Diplom. p. 566.
[c] Ughell. to. 5. c. 632.
[d] ibid c. 591.
[e] num. 25.

ANN. CHR. 927.

ejus nominis ſecunda ; cui Roſwita, ejus cœnobii ſanctimonialis & illuſtris poëiria, panegyricum Ottonum carmen nuncupavit.

Herſfeldenſes abbates. Ipſo anno viceſimo-ſeptimo Diothardus ſeu Thiothardns junior factus eſt Herveldiæ abbas cum ſenioris Diothardi conſenſu, qui præfecturam abdicavit anno regiminis viceſimo-ſeptimo, idemque poſt triennium deceſſit. Diotbardus vero junior proximo anno viceſimo-octavo Hildensheimenſis epiſcopus creatur poſt Sehardum, & Burchardus abbas in ejus locum electus eſt. Hic præfuit annis ferme quatuor, poſtea Wirziburgenſis in locum Diedonis electus epiſcopus : cui Megingozus abbas in Herveldiæ adminiſtratione ſucceſſit ad annos viginti-tres, ut ex Lamberto ejus loci monacho diſcimus. Ex quo redarguas Trithemium, qui Burchardo annos decem abbatialis regiminis tribuit. Idem Burcbardus epiſcopatum tenuit annis novem, menſibus tribus, diebus viginti-qoatuor, teſte Egilwardo monacho, & eathedralem eccleſiam inſtauravit.

LXXXVI. Benno fit epiſcopus Metenſis. Frodoardus auctor eſt, Widricum Mettenſem epiſcopum, quem alii Wigericum vocant, hoc anno defunctum fuiſſe : cujus epiſcopatum Heinricus rex, contemta electione Mettenſium, *cuidam, ut ferebatur, Dei ſervo dedit, cognomento Bennoni.* ubi Frodoardus de Bennonis religione ac pietate dnbitanter loqui videtur. Hic genere Suevus, *ex ordinariis Strazburgenſibus*, uti habet Reginonis continuator, id eſt ex canonicis, ad eremiticam vitam apud Tnregum vaſtam ſolitudinem ſe contulit, ibique diu ſolitariam vitam duxit eodem in loco, id eſt in monte Eccelio, quem antea ſanctus Meginradus Augienſis monachus ſeceſſn ſuo illuſtraverat. Hic, ſi Guillimanno credimus, montem vicinum, qui ab eo nomen retinuit *Bennaw*, ad paſcua, cæſis arboribus, redegit, locumque multo frequentiorem reddidit, & ad tolerandam vitam longe commodiorem. Dein ab antiſtita Sanctionenſi inſulam laci Tigurini, Eccelio monti objectam, & ad ſeceſſum peridoneam, *Aufnaw* vulgus appellat, beneficiaria conditione impetravit. Ad hæc Adalbero Baſileenſis epiſcopus, Bennonis propinquus, cum ad eum viſitandum veniſſet, vicum quemdam infra Baſileam in Sequanis, a majoribus ſuis acceptum, augendis & alendis ejus ſociis, eidem conceſſit. Sic ejus fama longe lateque diſperſa pervenit ad aures Heinrici regis, qui *zelo pio* eum Wigerico Mettenſi epiſcopo ſubſtituit, nulla ratione habita electionis Mettenſium, qui forte alium Heinrico ingratum ſublegerant. Bennoni cognomen erat Benedictus, quod haud ſcio an in ſua conſecratione epiſcopali acceperit. Eo nomine Meuriſſius quoddam ejus inſtrumentum refert, in quo *Benedictus ſanctæ Mettenſis eccleſiæ præſul humilis*, teſtamentum
» facit, quo illuſtris femina, Rothildis nomine, res quaſdam proprietatis ſuæ apud
» Racberingas, in pago Salnenſi, eccleſiæ ſancti Arnulfi ſeu ſancti Stephani tradiderit. Non diu epiſcopatu potitus eſt Benno. ſiquidem anno inſequenti a Mettenſibus excæcatus, dignitate ceſſit.

LXXXVII. Gallicæ turbæ. Interim in Gallia novæ ſimultates oriuntur inter Rodulfum regem, & Heribertum comitem. Earum occaſio ex Laudunenſi comitatu, quem Heribertus Odoni filio ſuo dari flagitabat, cum contra rex illum Roigario, Rotgarii noviſſimi ejus urbis comitis filio, contuliſſet. Eo res devenit, ut Heribertus, quaſi regia utens poteſtate, ſynodum ſex epiſcoporum apud Troſleïum cogi juſſerit, reclamante rege, qui eam differri jnſſerat, & Heribertum ſibi obviam ad villam regiam Compendium venire juſſerat. qno ſpreto mandato, ille ſynodo ab ſe per miſſos indictæ interfuit. Forte epiſcopos ad ſuas partes traducere moliebatur in illa ſynodo:qua finita, Laudunum contendit, ubi Rodulfus rex præſidium impoſuerat, Rotgarii filiis cum uxore ſua ad urbis cuſtodiam relictis, dum in Burgundiam proficiſceretur. Tum

a *Coucy.* vero præſidiarii illi milites loca devaſtant proxima Codiciaco [a] epiſcopii Remenſis caſtro, ob invidiam ſcilicet Heriberti, qui filium ſuum Hugonem, vix quinquennem, in Remenſem eccleſiam intruſerat. Huic intruſioni faverat Johannes papa : at Caroli Magni ejuſque poſterorum Galliæ regum in Romanam eccleſiam beneficiorum memor, Heriberti ſævitiam in Carolum regem, quem in carcere detinebat, nequaquam probavit pontifex ; immo ſcriptis ad eum litteris præcepit, ut contiriuo Carolum in libertatem aſſereret, ſuiſque reſtitueret honoribus. alias, ſacrorum privaiionem ei comminatur. Paruit mandato pontificis Heribertus, & Carolum e cuſtodia eductum ad opidum ſancti Quintini, dein per varia loca, at ſub militari cuſtodia, deducit : ſed tandem eum denuo in Perronenſe caſtrum retruſit.

ANN. CHR. 927. LXXXVIII.

Bernonis abbatis testamentum & obitus.

Bernonem abbatem principio hujus anni decessisse recte habet chronicon Dolense [a] apud Labbeum. Neque dissentit chronographus Masciacensis [b], qui pro veteri calculo annum superiorem assignat. Mortuus vero est idibus Januarii, sepultusque Cluniaci in veteri sancti Petri ecclesia pone altare sancti Benedicti. Sub finem anni superioris, cum morti se proximum intelligeret, testamentum condidit, quo successores suos in monasteriis sibi subjectis abbates designavit, Widonem scilicet consanguineum suum, atque Odonem discipulum, de quo superius jam non semel egimus. In hujus facti excusationem adducit exemplum sancti Benedicti, aliosque complures ordinis nostri institutores, quos idem fecisse asserit. Praecesserat ab ipso vitae monasticae principio sancti Pachomii exemplum, qui, instante morte, Petronium successorem designaverat : Petronius in simili articulo vices suas Orsiesio demandavit. Sic sanctus Lupicinus abbas Condatiscensi ac Lauconnensi monasteriis, appetente senecta, rectores providit. sic Benedictus-Biscopus Girwensi ac Wiremuthensi vivens substituit Ceolfridum abbatem, quem prius sibi coadjutorem adsciverat. quod factum adstruit venerabilis Beda exemplo beati Petri apostoli, quem *sub se duos per ordinem ad regendam ecclesiam constituisse tradunt historiae*. Quod attinet ad coadjutorem, longe ante Biscopum Orsiesius, mox laudatus, Theodorum sibi vicarium sociaverat. Utrumque usu-venit in primis Cluniaci abbatibus, qui sibi tum coadjutores, tum successores instituerunt, eosque, dum viverent, abbates ordinari fecerunt. tametsi id canonum disciplinae contrarium videbatur, qui duos eodem in loco abbates fieri vetant. Verum haec necessaria cautela visa est ad arcendos saeculares abbates, quorum usus, ne dicam abusus, fere ubique tum obtinebat. Illud Bernonis factum comprobat, quod prius *vicinos episcopos*, teste Johanne monacho in vita sancti Odonis, *accersivit*, *& ab omni ordine* se deposuit, se reum indignumque tali ministerio ingemiscendo confessus. Hinc ipse rogare fratres, ut sibi, quem vellent, patrem eligerent. Unanimi fratrum consensu coram adductus Odo, cum honorem constanter refugeret, episcoporum tandem jussioni cessit, statimque ordinatus est paullo ante obitum Bernonis. Haec Johannes.

[a] *Labbe to. 1. p. 315.*

[b] *Id. to 2. p. 732.*

Odo & Wido loco ejus abbates.

Plura discimus ex ipsius Bernonis testamento, cujus haec fere summa est. In primis ait, se supremum vitae diem praesentiscentem, exemplo sancti Benedicti, aliorumque ejus ordinis institutorum, duos ex suis fratribus una cum consensu eorum delegisse sibi ipsi successores, Widonem scilicet consanguineum suum, & Oddonem aeque dilectum : ita ut Wido coenobiis Gigniacensi, Balmensi atque Æthicensi, necnon cellae sancti Lauteni praesit : Oddo vero Cluniacum, Masciacum ac Dolense monasterium regat. Tum omnes principes & *seniores* seu magnates obtestatur, ut ipsi tam praelatos praedictos, quam monachos & loca eorum cum rebus ad ea pertinentibus in eo statu conservent, quo per regalia praecepta instituta sunt ; &, si quid in eis controversiarum ortum fuerit, secundum justitiae scita eas dirimant & componant. Ad haec villam Alafractam, & quartam partem de caldariis Leodonis * Cluniaco sub annuo censu Gigniacensibus persolvendo assignat, propterea quod illic locum sepulturae suae delegerat, & coenobium ipsum morte Guillelmi ducis imperfectum remanserat, nec censu ac fratrum numero admodum locuples. De cetero tam omnes eorum locorum praelatos, quam universos fratres, tam praesentes quam futuros obtestatur, ut unanimitatem inter se se studiose conservent, & modum conversationis, hactenus institutum ac retentum, *tam in psalmodia, quam in observatione silentii, sed & in qualitate victus & vestimentu, & insuper in contemtu rerum propriarum*, si non melius, saltem sicut huc usque fecerant. Si quid vero erratum fuerit, ex sanctae regulae auctoritate praecipit, ut eorum locorum praefecti ad corrigendum erratum sibi mutuò suffragentur. Huic testamento, quod datum est *anno quarto regnante Radulfo rege*, subscribunt post Bernonem Wido *modernus* abbas, & Oddo abbas. quod argumento est, eos jam tum abbates ordinatos fuisse. Ex hoc porro testamento intelligimus, Bernonem de cogendis in unum ordinis corpus monasteriis nequaquam cogitasse. alias ea, quae jam sub suo regimine habuerat, non duorum, sed unius abbatis procurationi commissurus fuisset. Ex quatuor monasteriis Widoni abbati commissis unum nobis ignotum est Æthicense. Cetera nobis nota, Gigniacense, Balmense, & cella sancti Lauteni, quae cella sita est in pago Æduensi, uti alias vidimus. Nec minus nota tria illa Odoni delegata coenobia, Cluniacense, Masciacense & Dolense, de qui-

* *Lyon-le-Saunier.*

ANN. CHR. 917.

bus omnibus jam in superioribus egimus. Alia longe plura processu temporis obtinuit Odo, in quibus proabbates sub se constituit, cum unus omnibus sufficere non valeret.

LXXXIX. Gerbaldi donatio Cluniaco facta.

Adversus prædictum calculum de morte Bernonis abbatis opponi potest cujusdam Gerbaldi nobilis viri donatio, Cluniacensi monasterio facta mense Maïo, anno quarto Rodulfi regis, dum adhuc Cluniacense monasterium *sub providentia Bernonis abbatis* construeretur. Atqui Rodulfi annus quartus ante idus Julias anno Christi nongentesimo vicesimo-septimo respondet. Adeoque Berno mense Januario præcedente nondum obierat. Instrumenti hujusce donationis hæc summa est.
» Gerbaldus considerans casum fragilitatis humanæ, & mercedem bonis operibus
» repromissam, donat res suas beatis apostolis Petro & Paulo, *in Cluniensi monasterio*
» perpetuo permansuras. quod quidem monasterium *jussu ac supplemento piissimi bonæ memoriæ Willelmi senioris comitis decenter in honore ipsorum apostolorum, sub providentia Bernonis venerabilis abbatis construitur.* Res vero quæ donantur a Gerbaldo
» sitæ sunt in villis pagi Cavillonensis Brilango, Mauliaco, Maalmonte, Culecis &
» Curcellis. quas res Gerbaldus donat, primo quidem pro amore Dei ac sancto-
» rum ejus, ad hæc pro remedio animæ senioris sui Willelmi defuncti, ac pro sa-
» lute nepotis ejus adhuc viventis Willelmi senioris sui; necnon pro remedio ani-
» mæ patris & matris suæ Pharonis atque Rutrudis, omniumque propinquorum &
» affinium suorum, & in eleemosynam omnium fidelium catholicorum, tam vivorum,
» quam mortuorum. Huic instrumento subscribunt post Gerbaldum donatorem *Anschericus humilis archipræsul*, scilicet Lugdunensis, *Geroldus peccator & humilis sanctæ Matisconensis ecclesiæ episcopus*, Guillelmus comes & Marchio, aliique laïci. Notarii subscriptio & chronici characteres sic habent: *Ego Abbo rogatus datavi mense Maï, die sabbati, anno IIII. regnante Radulfo rege.* Et ita quidem in ipso authentico aut quasi authentico legitur. Hunc nodum solvere difficile est, nisi dicamus, hunc notarium Rodulfo regi tribuisse totum annum ejus sæculi vicesimum-tertium, tametsi idibus tantum mensis Julii rex inauguratus est.

XC. Bernonis sanctitas & merita.

In veteri necrologio Silviniacensi memoratur idibus Januarii *depositio domni Bernonis abbatis.* quo die plenum de eo fiebat officium, & duodecim pauperes reficiebantur. In libro de vita sancti Maïoli, auctore sancto Odilone, *beatæ memoriæ abbas* dicitur, & in actis sancti Hugonis abbatis, *vigoris tenore acerrimus, ac sanctitate decoratus* vocatur. Hinc *beatum* dicunt fasti Belgici, *sanctum* Petrus Equilinus, aliique recentiores e nostris. *Beatum* cum Bollando appellare satius. Cluniacense monasterium, ritusque Cluniacenses, tantopere laudatos, a Bernone habuisse initium superius ex Johanne monacho observavimus. Unde mirari subit, cur Cluniacenses nostri tam parum illi hactenus tribuerint, nec eum inter suæ congregationis primarios institutores numeraverint, cum sanctis Odone, Maïolo, Odilone, & Hugone, *quos se sui utique ordinis principes & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri censuerunt*, ut sanctus Bernardus in apologia loquitur. Certe apud Petrum Venerabilem [a] sanctus Odo *primus Cluniacensis ordinis pater* laudatur. nec immerito certe, si ordinis progressum & incrementa spectes. Si vero initia & disciplinæ institutionem; Bernoni primas tribuere decet. Ceterum Cluniacum ipsum perfecit quidem auxitque Odo: Berno autem feliciter inchoavit, eique per annos multos præfuit. quo magis mirandum est, cum inter Cluniaci abbates a nonnullis omitti, nec vitam ejus a quoquam scriptam fuisse. Sed nimirum id contigit Bernoni adversus Odonem, quod sancto Bernardo erga Robertum, Albericum, & Stephanum primos Cistercienses abbates, quorum Bernardus gloriam & merita suo splendore obscuravit.

[a] *Petr. Ven. lib. 6. ep. 15.*

XCI. Odonis abbatis recte facta.

Magna sane & eximia fuere Odonis non modo in Cluniacenses, sed in universum etiam Benedictinum ordinem, immo & in ipsam ecclesiam merita; qualia sunt Cluniacensis monasterii perfectio, quod Berno imperfectum reliquerat; ejus basilicæ dedicatio, privilegia, ritus, & exacta disciplina, ad cujus normam erecta, aut adjuncta alia monasteria, ex quibus congregationis Cluniacensis corpus conflatum est; Romana itinera pro bono ecclesiæ suscepta, reconciliatio principum, caritas in pauperes, aliaque id genus præclara facinora, quæ Odonis famam ubique celebrem reddiderunt. Ubi primum is manum ad regimen admovere cœpit, mox contra eum veterani persecutores insurgunt, nimirum Balmæ, ubi conversionis suæ

principio oblocutores expertus fuerat, qui eum a proposito revocare tentaverant. Ille autem malens loco cedere, quam contentiose vivere; hoc monasterio cum his, quæ a Bernone ipsi tradita fuerant, relicto, Cluniacum secessit, & cœptum pridem monasterium perfecit. qua in re sancti Martini opem ac familiare subsidium expertus est, tribus millibus solidorum ex Gotthia sive Septimania per ejus invocationem acceptis. Absoluta monasterii basilica, invitati ad ejus dedicationem episcopi cum ingenti satellitum ac ministrorum comitatu Cluniacum accesserunt. Tanto satellitio turbati fratres, quibus sufficiens eis excipiendis copia deerat, aptum ex improviso ad portam monasterii inveniunt, quo hæc turba reficeretur. Perfectis itaque omnibus, mox Odo ad instituendam vitæ monasticæ disciplinam se totum convertit, eamque late in varia Galliæ monasteria, cum nova, tum antiqua, propagavit. In antiquis ita labefactata erat religio, ut sancti Benedicti regulæ non modo observatio, sed ipsum etiam nomen in plerisque ignoraretur. Ita in Gallia, ita in Anglia & in Hispania, adeo ut Odo primus ejus regulæ propagator a nonnullis ejus temporis scriptoribus creditus sit. Hos inter monachus Dervensis anonymus, qui librum de miraculis sancti Bercharii abbatis scripsit, regulam sancti Benedicti ad id tempus *hominibus Francorum imperii inauditam* fuisse dicit, unumque Luxoviensis monasterii institutum apud eos obtinuisse. Ignorabant siquidem boni illi homines veterum conciliorum, capitulariorum, ac diplomatum sanctiones, in quibus una sancti Benedicti regula a septimo saltem sæculo monachis servanda proponebatur, inculcabaturque; idque solum quod præ oculis habebant, eodem semper tenore fluxisse autumabant; ignorantes scilicet Benedicti Anianensis abbatis labores pro regula nostra, cujus observationem, jam tum collapsam, in toto Francorum imperio in integrum restituerat. adeoque hic censendus instituti Benedicti primus reformator, ac fere generalis monasteriorum præfectus, ex quibus quoddam congregationis monasticæ corpus formaverat. Eo mortuo, cum nullus tantæ moli sustinendæ idoneus repertus esset, ad pristinum chaos revoluta est Benedictina religio, tum ob intestina filiorum Ludovici Pii inter se se discidia & bella; tum ob Nortmannorum funestas clades, quæ universo regno, adeoque ecclesiis ac monasteriis summam vastitatem intulerunt, rerumque fere omnium atque regulæ sancti Benedicti neglectum & ignorationem in monasteria induxerunt. Huic malo jam remedium afferre tentaverant Trosleiensis concilii patres, quod Berno & Odo, eorumque successores feliciter executi sunt. ANN. CHR. 927.

Quænam fuerit sub illis Cluniacensis disciplina, quive ritus, ex Johanne monacho superius [a] præstrinximus: at longe plura discimus ex Udalrico, qui post Bernardum monachum hos ritus tribus libris complexus est, quorum alii ad divinum officium, alii ad regularem disciplinam & monasticas virtutes, alii ad varios monasterii officiales pertinent. Quod spectat officium divinum, duas missas sollemnes quotidie celebrari mos erat: privatis sacris, nisi extra divini officii horas & majorem missam, operari haud licebat. Singulis diebus suas singuli hostias alterni chori offerebant: tametsi quinque tantum diebus dominicis, tres feriatis communicare solerent: ceteri hostias benedictas in modum eulogiarum ante communes cibos sumebant. In missis defunctorum sollemnibus, atque in triduo rogationum uterque chorus oblationem faciebat. In majoribus sacris diaconus ex hostia sacerdotis celebrantis communicabat, subdiaconus ex aliis hostiis. Omnibus communio præbebatur in triduo ante pascha. Si quis sabbato-sancto ante sollemnem missam privatim sacrum facere vellet, non utebatur candela, quia novus ignis nondum erat consecratus. Sed observatu digna est in primis Cluniacensium religio in conficiendo pane sacro, qui ad sacrificium usui esse debebat. Primo frumentum granatim seligebatur, & studiose a fratribus lavabatur. tum sacculo ad hoc speciatim destinato receptum, ad moletrinam portabatur a famulo probo, qui utramque molam prius lavabat, operiebatque sursum ac deorsum cortinis; albaque indutus, faciem præter oculos amictu velabat. Eodem ritu cribrata farina, cribro prius diligenter abluto. Demum major ecclesiæ custos, si sacerdos aut diaconus erat, reliqua perficiebat, duobus aliis ejusdem ordinis cum uno fratre converso adhibitis. Hi quatuor, finitis matutinis officiis, faciem manusque abluebant: tum tres ex his priores, albis amicti, unus quidem farinam aqua nitidissima conspergebat; alii duo hostias *in ferramento cha-*

XCII. Cluniacensium ritus & disciplina.

a *lib.* 41. *n.* 13.

ANN. CHR. 927.

racterato coquebant. Tanta erat Cluniacensium in divinam eucharistiam pietas & religio! Prolixum ac tædiosum esset dicere, quot & quanta divinis officiis præter regulæ præscriptum adjicerent.

Jam vero in regularibus exercitiis disciplina apud eos non minor. Silentium juge interdiu, noctu adeo sacrum, ut illud ante primæ horæ officium violari ducerent nefas, mortemque ipsam potius appeterent, quasi sanctus Benedictus istud vitæ periculo sanxisset. quod in duobus illis paruit monachis, qui, referente Johanne, a Nortmannis comprehensi, ne vitæ quidem periculo ante præscriptum tempus ad loquendum adduci potuerunt. Hinc signorum usus apud eos verborum vice. quod tamen non omnino probavit Guigo Cartusiæ majoris præpositus quintus, quantumvis & ipse addictus silentio, *sufficere* [a] putans *linguam solam*, *non etiam ceteros artus reatibus implicare loquendi.* Ab idibus Novembris seniores meditationi post nocturnas vigilias in ecclesia vacabant, dum juniores cantui operam in capitulo navarent. Opus manuum psalmis recitandis fiebat: proclamatio culparum apud eos usu recepta. Post completorium hospites non admittebantur; nec fratribus, qui a communi mensa abfuissent, post id tempus reficiendi facultas concedebatur. Ejus rei exemplum Udalricus de quodam cellerario refert, cui, cum tota die recipiendo vino fuisset occupatus, edendi post completorium licentiam abbas præfracte denegavit. Eadem in officiis divinis severitas. Iturus foras, & equum mox conscensurus, si officii divini signum pulsatum fuisset, dilato itinere ad ecclesiam properare debebat. De jejuniis id fere servabatur, quod præcipit sanctus Benedictus. Ab idibus Septembris unica tantum comestio: in festis tamen duodecim lectionum, & in octavis natalis Domini & epiphaniæ duplex. In illis festis post prandium & lectionem in claustro, dicta nona, omnes ibant ad refectorium ad bibendum: in diebus vero privatis id fiebat tantum post vesperas & lectionem: quo facto, iterum lectio, dehinc collatio spiritualis ante completorium. Reliquiæ panis & vini ab eleemosynario in peregrinos pedites erogabantur. Insuper octodecim pauperes quotidie aliti. at in quadragesima ea in omnes caritas erat, ut *septem millia pauperum in capite quadragesimæ uno anno apud Cluniacum*, teste Udalrico, [b] *eleemosynam, & ducentas quinquaginta pernas acceperint.*

Quin etiam Romano pontifici subsidium hæc domus præbuit non semel, haud secus atque commune quoddam ecclesiæ ærarium, ut Petrus Venerabilis auctor est. Juniorum denique institutio tanta diligentia fiebat, ut vix ullus regis filius majore diligentia in palatio [c] nutriretur. Hæc porro tam accurata disciplina procurabatur sub abbatis imperio per priorem-majorem, decanos, priorem-claustralem, circatores, puerorum magistros, præcentorem, & armarium, qui libros, maxime ecclesiæ destinatos, in armario claustri servabat; per camerarium, cui vestium cura; apocrisarium, cui ecclesiæ thesaurus commissus erat; cellerarium, stabularium, eleemosynarium, & infirmarium: quorum omnium munia Udalricus describit. Hinc Cluniacense monasterium religione, disciplina, severitate, fratrum numeroso cœtu, toto pæne orbe celeberrimum evasit. Illic omnium professionum, dignitatum, & ordinum personæ fastum, luxumque sæcularem abjecerunt præ humili & tenui monachorum vita. Illic ipsarum ecclesiarum venerabiles patres, ecclesiasticorum honorum rejecto onere, subesse quam præesse maluerunt. Id Gallia, Germania, & transmarina quoque Britannia testatur, necnon Hispania & Italia, totaque demum Europa, plena monasteriis Cluniacensium aut recens conditis, aut restitutis. Immo ab extrema hac occidentis plaga usque ad ipsum orientem eorum fama pervenit; nec ferme ullum christiani orbis angulum latuit: ne quis in orbe locus esset, qui tales viros ignoraret. Ita fere Petrus [d] Venerabilis, quæ verissima esse nemo rerum antiquarum sciens non fatebitur.

XCIII. Celsinianensis monasterii dotatio.

Verum ut res hujus anni prosequar, Celsinianensis apud Arvernos monasterii conditionem ac dotationem, a Willelmo Aquitanorum duce, cognomento Pio, factam, superius [e] retulimus. Hanc vero dotem confirmat, augetque dux Acfredus, conferens eidem loco particulam rerum suarum, quas Deus ipsi liberalissime dederat, scilicet ad fovendos illic duodecim monachos pro numero duodecim » apostolorum, qui diebus ac noctibus creatori omnium Domino indefessas laudes » persolvant, & pro statu ecclesiæ humiliter ac devote preces fundant. In primis » donat curtem suam indominicatam, vocabulo Celsinanias, sitam in comitatu Bri-

a Guigo Stat. c. 31.

b Udalric. lib. 3. c. 11.

c id. lib. 3. c. 8.

d Petr. lib. 1. de mirac. c. 9.

e lib. 42. n. 2.

ANN CHR. 927.

vatensi, in villa Carisiaco, cum ecclesiis duabus, quarum una sancto Petro, altera sancto Johanni Evangelistæ sacrata erat; insuper casam suam indominicatam, aliaque plura, quæ in illis litteris enumerantur, quæ omnia offert Deo, tam pro seipso, quam pro parentibus suis, Acfredo & Adalinde, ac pro avunculis suis Guillermo & Guarino, fatribusque suis Bernardo & Guillermo, & pro cunctis propinquis, fidelibus, & amicis suis. *Actum v. idus Octobris apud Celsinanias, anno v. quod infideles Franci regem suum Karolum inhonestaverunt, & Rodulfum in principem elegerunt.* Hoc instrumentum a Labbeo editum est integrum, sed non sine mendis. Celsinianense monasterium Cluniacensi abbatiæ deinceps subjectum fuit.

XCIV. Johannes Belli-loci abbas, & successores.

Rodulfum regem a quibusdam transligeranis agnitum fuisse probat charta cujusdam Immonis & uxoris ejus Liburgis pro monasterio Bellilocensi apud Lemovices, ubi vir venerabilis Johannes abbas post Rodulfum præerat: cui monasterio duo illi conjuges mansos quosdam, sitos in loco pagi Torinnensis, Bona-villa dicto, in vicaria Asnacensi, conferunt ad usus monachorum, reservato ad vitam usu-fructuario sub annuo censu unius vini modii, quotannis tempore vindemiæ persolvendo. Actum mense Septembri, *anno quinto regnante Rodulfo rege Francorum*. Idem Johannes laudatur in aliis chartis donationum annis octavo & decimo ejusdem Rodulfi regis. Johanni Boso abbas jam suffectus erat anno tertio Ludovici Transmarini, Bosoni Bernardus anno ejusdem duodecimo.

XCV. Ethelstani donatio ecclesiæ Cantuariensi.

a Script. x. c. 1120.

b ibid. c. 1124.

Jam inde a biennio post Edwardum patrem regnabat Ethelstanus in majori Britannia, germanus Edgivæ seu Odgivæ Francorum reginæ, quæ cum impuberi filio Ludovico ad fratrem eo tempore se receperat. Exstat [a] ejusdem Ethelstani diploma pro ecclesia Cantuariensi, cui terram juris sui, in Cantia sitam supra mare, nomine *Folcastan*, ubi quondam fuerat monasterium & abbatia sanctarum virginum, & sancta Eanswitha sepulta fuerat, largitur pro salute tum sua, tum patris sui Eadwardi, proquereverentia & honore archisacerdotis Wlfelmi, sed eo pacto, ut divinum servitium, quod, antequam monasterium a paganis destrueretur, illic fiebat, ibidem ex integro restituatur. His litteris præter regem & archiepiscopum subscribunt Teodredus Londoniensis, Elsegus Wintoniensis, & Odo Schirburniensis episcopi & Cenewaldus episcopus, scilicet Wicciorum seu Wigorniensis. Eamdem [b] villam Stigando archiepiscopo *& monachis ecclesiæ Christi* restituit Cnutus rex, eo pacto, ut nullus archiepiscoporum eam nec alienare, nec vendere posset, sine licentia regis, & monachorum consensu. Verum superius Ethelstani diploma post annos minimum octo rejiciendum est, siquidem hoc anno vicesimo-septimo nec Elsegus Wintoniensem, nec Odo Schireburnensem episcopatum inierant. Odo quippe anno regis Ethelstani seu Adelstani quinto factus est Wiltoniensis seu Schireburnensis episcopus, testante Johanne Bromtone, id est anno ejus sæculi tricesimo, aut insequente; Elsegus vero non ante annum tricesimum-quintum Wintoniensis, ut suo loco videbimus. Denique ex Simeone Dunelmensi discimus, Kinewoldum seu Cenewaldum anno primum vicesimo-nono Wicciorum præsulem creatum fuisse.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER QUADRAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 928. ad annum 938.

ANN. CHR. 918. I. Franciæ turbæ.

FRODOARDUS more suo annum insequentem nongentesimum vicesimum-octavum orditur *a sollemnis ortus Christi*, quo tempore Rodulfus rex, audita restitutione Caroli, quæ Johannis papæ hortatu ab Heriberto facta erat, forte ut sub imaginario rege ipse regnaret; cum hostili Burgundionum manu in Franciam prædando, & loca quædam, quasi alieni regni, obvia incendendo, accessit, nempe ut Heribertum comitem vi armorum ad officium redigeret. At regi Hugo, filius Rotberti, obviam occurrit ad Isaram, ubi, Rodulfum inter & Heribertum sequester & medius, rem in condictum intra quadragesimam placitum differendam persuadet. Hujus placiti hic finis fuit, ut Laudunum opidum Heriberto cederet. Hoc pacto, Heribertus Rodulfo se committit. Rodulfus vero Remos veniens, facili negotio pacem fecit cum Carolo, quem villa regia Attiniaco & qualibuscumque munusculis contentum esse jussit, sed in potestate reliquit Heriberti comitis, qui illum sub custodia iterum reclusit. Forte accidit, ut Odalricus Aquensis episcopus, qui, testante Alberico a Sarracenis expulsus fuerat, Remos se reciperet. quem Heribertus vicarium filii sui Hugonis adhibuit ad procurandum episcopatum, abbatia sancti Timothei cum præbenda canonica ei concessa, ut tradit Frodoardus.

Odalricus Remensem episcopatum regit.

II. Johannis papæ successores.

Interim nuntius Roma perlatus est ad Heribertum, Johannem papam a Widone Hugonis regis fratre conjectum fuisse in carcerem, instigante Marocia ejus conjuge, quæ marito suo principatum urbis hoc modo cedendum fore persuasit. Neque hoc contenta sceleratissima femina, custodiæ traditum pontificem, faucibus cervicali occlusis, septimo idus Aprilis interemit. Johanni Leo sextus, Romanus civis, suffectus, decimo kalendas Novembris morte sua pontificatum cessit Stephano septimo, aliis octavo: cujus in locum post biennium Johannes undecimus intrusus est. Non diu principatum tenuit Wido, quo mortuo, Lambertus ejus frater Tusciæ ditionem excepit. Marocia vero, ne quid de pristina sua potentia in urbe amitteret, Hugonem regem ad contrahendas secum nuptias, & ad capessendum urbis imperium adduxit. Verum eo brevi deturbatur ab ipsius Marociæ privigno Alberico,

quem

quem ob leviorem causam in faciem ceciderat, ad suos se recepit. Hinc Albericus consulari potestate civitatem administravit, & pontificatum pro arbitrio modo huic, modo illi tradendum, an prodendum curavit. ANN. CHR. 928.

III. Ejus litteræ pro Odone abbate Cluniacensi.

Panllo ante suam dejectionem Johannes papa litteras ad Rodulfum regem Francorum, & ad quosdam episcopos atque optimates scripsit in gratiam Odonis Cluniacensis abbatis, qui apud eum de Widone abbate Gigniacensi questus fuerat. Querelarum hæc erat eausa. Berno abbas, morti proximus, Gigniaco Widonem consobrinum suum suffecerat, ea lege, ut villa Alafracta, & aliæ quædam res Gigniacensis monasterii, Cluniaco sub annuo censu cederent. Mortuo Bernone, Wido seu Guido abbas hane donationem, quasi modo haud legitimo facta esset, refutare tentavit, *pro eo quod terminum temporis ac personarum in illo suo testamento non posuisset.* nam quia ecclesiasticis legibus cautum erat, ne cujusvis ecclesiæ aut monasterii possessiones in perpetuum, sed ad tempus alienarentur; (hoc qnippe Symmachus papa in responsis ad Cæsarium Arelatensem episcopum; hoc concilii primi Aurelianensis patres vetuerant) ideo Wido contendebat, prædictas Gigniaci possessiones tantum ad unam aut duas, tresve plurimum vitas Cluniaco attribui licuisse. Sic in sua possessione interturbatus Odo, causam suam Johanni papæ decimo exposuit, qui hac de re litteras ad Rodulfum regem, ad episcopos, aliosque proceres direxit in hæc verba.

Johannes episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Rodulfo glorioso regi Francorum, necnon reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Widoni sanctæ Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopo, atque reverendissimis episcopis Stateo & Bernoni; comitibus Hugoni & Gisleberto. Auditum nostris apostolicis auribus, quod Guido abbas per violentiam abstulit a Cluniaco hoc, quod Berno abbas de potestate Ginneacensis monasterii sub censu tenendum legaverat. Quapropter monemus dilectionem vestram, quatenus res omnes illas Cluniensibus restituatis. Quia vero prædictus Wido conqueritur, quod Berno abbas hoc legaliter non fecit, pro eo quod terminum temporis ac personarum in illo suo testamento non posuit; nos, ad quorum dispositionem utraque loca pertinent, jubemus & constituimus, ut, quamdiu ex illis monachis, qui in Ginniaco professionem fecerunt, aut oblati sunt apud Cluniacum, aliquis vixerit; res ipsas monachi Clunienses teneant sub nostra ditione, nisi forte ipsi monachi sua sponte res ipsas dimiserint. Ceterum vobis, o fili Rodulfe, & fidelibus tuis, qui monasterio Cluniensi prodesse valeant, attentius & abbatem, & congregationem vestra dilectioni commendamus: utque locus ille sanctæ nostræ sedi commissus est, se se pro amore apostolorum, mundi videlicet judicum, atque paterna dilectione bene gaudeat elegisse.

Huic temperamento Wido acquievit edito instrumento, in elogio Bernonis a nobis relato, ex quo hæc tantum huc verba transscribimus. *Ego igitur Guido, prædicti cœnobii Gigniacensis abba, libenter condominis fratribus idipsum consentiens*, nempe quod Berno abbas Cluniaco legaverat, *hanc auctoritatem de ipsis rebus facio, considerans videlicet, quod ipse noster specialis pater utraque monasteria uni domino, id est beato Petro, dedicavit atque construxit; & tam ipsos fratres, qui eidem beato Petro apud Cluniacum, quam istos, qui Gigniaco deserviunt, in una fraternitate ac germana caritate dimisit, & insuper inibi sepulturam sibi locavit. Hoc igitur ego attendens, secundum auctoritatem, quam prælibatus pater jam fecerat, prædictas res, id est villam, quæ dicitur Alafracta, cum omnibus ad eam pertinentibus, & cum omni alodo, quem Samson Gigniaco dedit, & cum dimidio prato, quod nonnus Saimo similiter dedit, ad Cluniacum ea ratione ex fratrum consensu trado, ut per singulos annos cera, duodecim denariorum pretium valens, missa sancti Petri pro vestitura Gigniaco reddatur: fratres vero res easdem sine ulla contradictione possideant, ita tamen, ut eas in aliena potestate non obligent, sed ipsi perpetualiter in usu eas habeant, nisi forte, quod absit, locus ipse vel habitatores ad canonicam vel sæcularem conversationem redierint.* & post subscriptiones Widonis & quorumdam monachorum: *Ego Rotgarius sacerdos rogatus scripsi & subscripsi, atque datavi* XII. *kalendas Februarii, anno* VI. *regnante Rodulfo rege.* Hinc intelligitur, Johannis papæ litteras, quæ notis chronicis destitutæ sunt, paullo ante scriptas fuisse. Gregorii septimi pontificatu, cum Gigniacensis abbatiæ disciplina regularis & facultates in pejus ruerent, Hugoni abbati Cluniacensi emendanda, & in melius restituenda commissa fuit, & Cluniaco subjecta, ea conditione, ut nullus ibidem abbas eligatur & ordinetur, nisi vel ipse Cluniacensis abbas

ANN. CHR. 928.

electioni interfuerit, electumque approbaverit, vel ipsi electioni per suum legatum præbuerit assensum. Demum abbatia hæc in cellam seu prioratum conventualem redacta est.

IV. S. Benigni abbates & status.

Divionensi sancti Benigni monasterio liberam facultatem eligendi abbatis hoc anno a Lingonensi episcopo restitutam fuisse docet vetus ejus temporis membrana, quæ annum DCCCC XXVIII. cum indictione prima præfert, sed absque nominibus tum episcopi, tum abbatis electi, qui vulgari nota *ill.* tantum designantur. Id factum indubie a Gotzelino episcopo, optime erga sanctum Benignum affecto, qui loco Suavi abbatis Albericum ordinavit, ut in chronico [a] domestico legitur. » Hic vero abbas ejusdem monasterii filius exstitisse dicitur, ab ipsis infantiæ cunabulis inibi educatus, negotiis ecclesiasticis haud mediocriter instructus, vita & moribus modestus, religione præcipuus, qui vix ad subeundum præfecturæ unus adduci potuerit. In ejus ordinatione episcopus *codicem sanctissimi juris*, id est sancti Benedicti regulæ, quæ paullo ante laudata fuerat, *pedumque regiminis* eidem tradidisse dicitur, & sub gravi interminatione cavisse, ne quis hoc opus præsentis institutionis infringeret. quod ipse propria manu firmavit, & fidelibus suis, utriusque ordinis viris, corroborandum dedit. Non diu tamen viguit hæc institutio, nam sub quatuor subsequentibus episcopis, per annos amplius quadraginta, *semper in deterius processit hujus loci status, episcopis & abbatibus alia magis quam id curantibus*. Albericum abbatem excepit anno Ludovici Transmarini secundo Fulcherius, idemque Flaviniacensis abbas, qui toto tempore præfecturæ suæ nihil boni gessit. Huic successit Aridius a chronographo prætermissus, cujus tempore clerici erant apud sanctum Benignum.

a Spicil. to. 2. p. 487.

V. Bosonis charta pro Dervo.

Erant Rodulfo Francorum regi duo fratres, Hugo, cognomento Niger, ad discrimen Hugonis Rotberti regis filii, qui Albus, uti & Magnus dicebatur; & Boso comes, cui in Campania multa potestas erat, & frequens simultas cum Heinrico transrhenensi rege, & cum Heriberto comite, qui Victoriacum *, Bosonis in pago Pertensi castellum, cepit anno sequenti. Hoc vero anno Heinricus Germanicus princeps, uti eum Frodoardus vocat, quoddam castrum ejusdem Bosonis, supra Mosam situm, nomine Durofostum, obsedit, propterea quod Boso quasdam abbatias regni Lothariensis, & terram quamdam episcopatus, Tullensis an Virdunensis, pertinaciter retinebat. at demum pacem inter se se inierunt, pacatusque est Boso cum Gisleberto, cui Lothariensis ditio ab Heinrico data fuerat, simul cum Gerberga filia in uxorem. De hoc Bosone comite interpretanda mihi videtur charta » quædam Dervensis monasterii, in qua dicitur Rotfredus quidam venisse ad inclytum Bosonem comitem, & Albericum abbatem Dervensis monasterii sancti Petri & sancti Bercharii, & ab eo petiisse ecclesiam sancti Amandi in villa Piscioni. quod etiam Boso comes pro eo requirebat. Acquiescens vero abbas inclyto Bosoni comiti, dedit memorato Rotfredo illam ecclesiam ad vitam suam, pariterque Rotgerio ejus fratri, ea conditione, ut quotannis *missa sancti Johannis-Baptistæ* solvat in censum solidum unum ad altare sancti Petri & sancti Bercharii. Huic chartæ subscribunt Boso inclytus comes, Albericus abbas, Barnefridus præpositus, Adso monachus, & alii. qui Adso is ipse videtur esse, qui Alberico in regimine Dervensis monasterii successit. Hæc porro charta, quæ nullam temporis notam in Dervensi tabulario habet, paullo serius data est, sed anticipato huc relata ob Bosonem comitem, cujus mentio hoc anno a Frodoardo facta est.

* Vitry.

VI. Flaviniaci status.

Per id tempus Flaviniacense monasterium erat sub potestate episcoporum Æduensium, qui, usurpato abbatis nomine, curam monasterii præposito committebant, aut sub se proabbates instituebant. Ita sub Walone episcopo, ut vidimus, Otbertus præpositi officio functus est, & post eum Girfredus. Herveus dein, Walonis successor, & ex fratre nepos, Gausaum sub se abbatem constituit. Hervei obitus in editis notatur anno ejus sæculi vicesimo-quarto, eique substituitur Ansegisus episcopus, laudatus in diplomate quodam Rodulfi regis, ecclesiæ sancti Symphoriani concesso anno regni ejus primo. Contra Hugo Flaviniacensis abbas [b] in chronico nullam Ansegisi mentionem facit, sed decedenti Herveo episcopo Rotmundum sub Rodulfo rege substitutum dicit. Recentiorum pro Ansegiso episcopo sententia innititur unico diplomati Rodulfi regis, qui Hermoldi præpositi rogatu basilicæ sancti Symphoriani ecclesiam villæ Alsiaci, sitam in comitatu Belnensi, restituit *ad de-*

Æduensium episcoporum catalogus emendatur.

b Labbe bibl. to. 1. p. 127.

ANN. CHR. 928.

precationem Ansegisi venerabilis episcopi & Adsonis fidelis sui. Actum apud Augustodunensem civitatem kalendis Martii, indictione XII. anno primo regnante Rodulfo rege glorioso. Verum in illo diplomate Ansegisi sedes haud exprimitur, constatque Herveum Æduensem episcopum, qui testamentum suum condidit anno XXII. regnantis Caroli Simplicis post obitum Odonis, adeoque ante concessam Rodulfo regiam dignitatem, adhuc superstitem fuisse anno septimo Rodulfi regis. quo anno Rodulfus rex, ad deprecationem Erivei Æduensis episcopi, præcepta superiorum regnm, parthenoni sancti Andochii concessa, renovavit. Editum est a Labbeo [a] diploma istud, in quo Rodulfus ait, *dum ex consuetudine loca Sanctorum quadragesimali tempore*, causa orationis, *Augustoduno* residens circumiret, ventum esse ad cœnobium sanctæ Mariæ semper virginis, sanctique Andochii intra muros prædictæ civitatis constructum, in quo *grex sanctimonialium* Domino famulari cernitur: quæ *cum proprio episcopo, cognomento Eriveo* *, accedentes ad se precatæ sunt, ut decreta & præcepta, quæ ab antecessoribus Francorum regibus de rebus suis consecutæ fuerant, renovaret. quod ipse præstitit ad exhortationem sive deprecationem jam *dicti Erivei præsulis, sub cujus regimine præfixum degebat cœnobium.* Actum apud urbem Hæduam *decimo kalendas Aprilis, indictione prima, anno septimo regnante Rodulfo gloriosissimo rege.* Heribertus regius cancellarius ad vicem Abbonis episcopi hoc præceptum recognovit. Qui hic laudatur Ansegisus episcopus haud dubie Trecensis erat, in Frodoardi chrunico memoratus ad annum ejus sæculi vicesimumquintum, quo vulneratus est in quodam conflictu contra Nortmannos. Expungendus itaque ex Æduensium episcoporum syllabo Ansegisus episcopus; & Herveo proxime substituendus Romundus seu Rotmundus, ut ex Hugonis chronico discimus, & quidem Rodulfo regnante, adeoque non multo post hunc annum: qui Rotmundus Colticensem * abbatiam destruxisse, ejusque loco castrum ædificasse dicitur in eodem chronico, & filiis ac filiabus suis bona ecclesiarum & castra ab se exstructa dedisse. Idem Flaviniacensem abbatiam retinuit, ejusque procurationem commisit Rainoni abbati Megabrensis * apud eos monasterii, Odiloni Cluniacensi abbati a Walterio episcopo postea subjecti.

Rodulfi diploma pro S. Andochio.

a Labbe Recueil histor. p. 576.

** in ed. mendose Ertuco.*

** Conches.*

** Mévre.*

Eodem anno Hugo Provinciæ rex litteris [b] suis confirmavit possessiones ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Teuderii, quæ tunc Viennensi ecclesiæ subjecta erat, tam collatas, quam conferendas: ita ut abbas, qui pro tempore eidem ecclesiæ præfuerit, & monachi ibidem Deo servientes, tam firmiter eas possideant, tamquam legales de eis habeant confirmationes. Data pridie idus Novembris hoc anno, regni domni Hugonis piissimi regis tertio. Actum Vienna civitate. Petrus notarius ad vicem Gerlanni abbatis & archicancellarii recognovit. Gerlannus iste abbas fuit Bobiensis, ut inferius [c] videbimus.

Hugonis regis pro S. Teuderio.

b Spicil. to. 12 p. 147.

c infra n. 13.

VII.

Folcuini episcopi elevatio.

Jacuerat ad id tempus in tumulo beatus Folchuinus Morinorum antistes in Sithiensi sancti Bertini basilica, dum viri duo spectabiles, longius inde remoti, viso admoniti Sithiu se conferunt hoc anno, ut Sithienses ad reserandum tumulum excitarent. Hoc consilio cum Adalolfo comite & abbate communicato, consultus est hac de re Stephanus episcopus, qui corpus sacrum sollemni, ritu e sepulcro extulit idibus Novembris, & loco tumuli altare construxit. Qui hæc scripsit Folcuinus Laubiensis abbas, testis est, ex stola sancti Folcuini, quæ tunc restabat, opem mulieribus difficultate partus laborantibus sæpe provenisse. De hac translatione alter Folcuinus levita agens, duos illos viros nominat, remque totam dilucide explicat in Sithiensi chartario his verbis. *Anno post hac* DCCCC XXVIII. *felicissimæ incarnationis Jesu-Christi Domini nostri, tempore Karoli reclausi, indictione prima, meus qui hoc ipsum scribo pater, Folcwinus nomine, cum fratre suo, apparatu quo poterant, de regno HLotharii huc adveniunt, sancti Folcwini corpus, quod eo usque tempore terra tegebatur, levare cupientes. Erant enim utrique ejusdem beati viri carnali consanguinitaee proximi. Postulata etiam a prædicto comite & abbate Adaloffo licentia, ventum est ad sancti viri tumbam cum cereis & thymiamateriis & choro psallentium: elevaveruntque corpus idibus Novembris, feria quinta, die inlucescente: præparaveruntque supradicti refectionem fratribus, prout poterant. Vinum namque & omnia necessaria venientes secum detulerant. quibus peractis, gaudentes ad propria sunt reversi. Erant autem, iidem videlicet Folcwinus, & Regenwala frater suus, filii Odwini filii alterius Odwini, qui erat frater beati præsulis Folcwini. Pater autem ejusdem sancti episcopi dictus est*

ANN. CHR. 928. *Hieronymus: genetrix vero Ermentrudis est vocata.* Hæc Folcuinus levita, de quo inferius agendum.

VIII. Bronium monachi a Gerardo inducti. Broniense in Lomacensi pago monasterium exstruxerat, ibique clericos interim collocaverat Gerardus, dum is in sancti Dionysii monasterio monasticam professionem firmasset. Annis decem cum peculiari virtutum studio & ardore istic exactis, animo insedit Bronium repetere, ibique monachos clericorum loco instituere. Conciliata igitur sibi Dionysianorum gratia, reliquias sancti Eugenii episcopi & martyris ab eis flagitavit, ut tanto pignore novum monasterium decoraret. Petiti quoque ab eo monachi duodecim, qui loco illi religionem implantarent. Utrumque a Dionysianis obtinuit, id est reliquias sancti Eugenii martyris, cum duodecim monachis, quos amor disciplinæ monasticæ magis commendabat. Addita & alia donaria, in his *itinerarium altare*, quo sanctus Dionysius, dum viveret, usus fuisse traditur. In his duodecim monachis unus erat, Lietaldus nomine, postea viri Dei in Mosomensi cœnobio successor, qui Gerardum in obtinendis exportandisque reliquiis mirifice adjuvit. Alter dicebatur Werimbertus, qui ob nimiam in custodiendis sacris reliquiis oscitantiam & somnolentiam, dum Cuvinii ad tempus remanerent, a sancto Venantio abbate in somnis increpitus fertur. De Anselmo, qui etiam ex his erat, mentio

Cuvinii cella. infra occurret. His ditati pignoribus, Bronium iter instituunt, alacres & prospere

* Couvin. perveniunt ad municipium quoddam Lomacensis pagi, quod Cuvinium * appellatur: ubi tunc duo degebant monachi ex Parisiensi monasterio sancti Germani, ad quod tunc illius municipii fundus pertinebat, reliquiarum sancti Venantii abbatis custodes & excubitores. Horum fidei Gerardus sacra donaria commisit, dum ipse Tungrensem episcopum, in cujus ditione Bronium tunc situm erat, adiret, ejusque assensum ad excipiendas reliquias impetraret, regionis ornamento & emolumento profuturas. Richarius is erat, non Stephanus, qui ante septem annos decesserat. Consensu præsulis elicito, Gerardus Cuvinium citato gressu repedat, atque inde sacras reliquias Bronium festive deportat, occurrente e Fossensi cœnobio sancti Foillani archidiacono ejus tractus, Adhelelmo nomine, qui ter humi ad sacri loculi accessum venerabundus procubuit. Tandem ventum est ad Broniense monasterium octavo-decimo die mensis Augusti, qui dies posteris celeberrimus evasit, approbante episcopo, qui in conventu synodali, agente Anselmo monacho, Broniensis æditio ecclesiæ, qui martyris passionem jussu episcopi eo attulerat, decretum edidit, ut per totam illam decaniam prædicta sollemnitas, uti dominica dies, deinceps observaretur, & ecclesia Broniensis *ab omni obsonio*, episcopis Leodicensibus debito, immunis haberetur. His eum ad modum peractis, Gerardus loco clericorum inducit monachos: quibus cum aliquamdiu præfuisset, in privatam cellulam ecclesiæ adhærentem se reclusit, donec ad reformanda circumquaque monasteria in publicum prodire coactus est. Tanta viri sancti pietas probat, quanta fuerit apud Dionysianos nostros tunc temporis religio. Ceterum partem tantum reliquiarum sancti Eugenii Gerardo concessam fuisse id argumento est, quod ejus brachium Alfonso Castellæ regi, interventu Ludovici septimi Francorum regis, donatum est; & alia pars non modica Philippo secundo, qui eam Toleti summa cum veneratione reposuit. Ad hæc Dionysiani nostri sancti martyris brachium alterum, & forte quasdam insuper particulas conservant. Quod attinet ad Cuvinium villam quondam monasterii Pratensis, hanc Carolus Calvus monachorum usibus deputat in præcepto regio, quo partitionem monachorum confirmat, eamque memorat eodem tempore scriptor translationis sancti Germani. Verum Rotbertus rex hanc villam cum aliis in dotem concessit sorori suæ Hadwigæ, cum eam Raginario Montensi comiti desponsavit: & in compensationem Pratensibus villam Cumbas, quæ olim eidem monasterio subtracta fuerat, restituit.

IX. Benno episcopus excæcatus. Needum annum secundum in Mettensi episcopatu exegerat Benno, cognomento Benedictus, cum a Mettensibus opidanis oculis ac virilibus orbatus est. Causam tam atrocis facinoris incertam faciunt variæ auctorum veterum sententiæ. Alii id ejus zelo, alii simulatæ sanctitati tribuunt. Veri simile est hominem Mettensibus ingratum, quippe qui invitis contra eorum electionem ab Heinrico rege impositus fuerat, facile in eorum offensam ob zelum incurrisse, ob idque tam male exceptum fuisse. Hujus immanis sacrilegii causa Duisburgi synodus convocata, in qua communione privati sunt tanti criminis auctores. In Bennonis locum suffectus Adalbe-

ANN. CHR. 928.

ro, cui æternum obstrictus erit Benedictinus ordo ob immortalia ejus beneficia, quæ postea commemnrabimus. Bennoni quædam abbaria in vitæ subsidium data: sed quænam sit hæc abbaria, non dicit Frodoardus, ex qun discimus, Bennnnem hæc nmnia patienter tolerasse, & nb relictum magnæ patientiæ exemplum cognominatum fuisse Benedictum. qund tamen cognomen jam episcopus sibi ipse tribuerat, ut superius vidimus.

X. Frodoardus Rotgero archiepiscopo libros carminũ dicat.

In chronico Saxonico & in appendice Reginonis, Rotgerus seu Ruotgerus Trevirensis archiepiscopus hoc anno obiisse dicitur, eique Rntbertus successisse. Rotgeri obitum ad biennium Browerus differt ex mera conjectura, eumque sepultum fuisse ait in basilica Pauliniana. Ejus obitus in fastis VI. kalendas Februarii notatur, ad duos proinde annos pro veteri aut nnvn calculo referendus. Frodoardum Remensem presbyterum magna Rotgero amicitiæ gratia studioque junctum fuisse probant libri novemdecim carminum de triumphis Christi & Sanctorum, quns, instiganie Rotgero, composuit, eidemque nuncupavit. quæ poëmata hodie quoque asservantur, teste Browero, in metropolitana biblintheca Trevirensi. Ex illis undeviginti libris tres de triumphis Christi, Sanctnrumque Palæstinæ; sexdecim alii de triumphis Sanctnrum Italiæ tractant. Magna pars eorum, resectis scilicet tribus fere prioribus libris, habetur in veteri codice bibliothecæ Carmelitarum excalceatorum Parisiensium, qui codex olim fuit monasterii sancti Juliani Turonensis: ex qun ea carmina, quæ ad sanctos Benedictum & Columbanum, & ad pontifices Rnmanos spectant, in lucem emisimus. In fine carminum de pontificibus Romanis, quos ad Leonem septimum perducit, ait se ejus pontificatu Romam profectum, benignissime ab eo exceptum, ac muneribus donatum fuisse. Dubium hoc loco mnvet Browerus, an Frodoardus Remensis historiæ scriptor idem sit cum chronographo, cujus chronicon jam sæpe laudavimus. Verum unum & eumdem esse constat ex ejus itinere ad limina sancti Martini, qund in ehronico ait se suscepisse anno DCCCC XL. idemque in historiæ suæ libro quarto, capite XXVIII. tradit. An vero mnnachus fuerit, major est difficultas. attamen eum & monachum, & abbatem fuisse argumenia evincunt, quæ in ejus elogio protulimus, inferius suis locis denuo retexenda. Certe *Flawaldus Remensis, qui gesta pontificum Remensium scripsit, monachus* a Sigeberto [a] appellatur. Idem diserte adstruit Adelagi Bremensis præsulis epistola ad eumdem Frodoardum, itidemqne ejus epitaphium gallicis rythmis antiquitus scriptum, in quo *castus clericus, bonus monachus, melior abbas* fuisse dicitur, atque ex npido Sparnaco ad Matronam oriundus. Natus est anno DCCC XCIV. siquidem anno DCCCC LXIII. jam sepiuagenarius erat, ex chronico. Archivum ecclesiæ Remensis cum crypta seu sancti Petri nratorio ipsius curæ commissum fuisse in historia [b] sua asserit. Ibidem Gundacrum, canonicum, ut putn, Remensem, nutritorem suum vncat. Matris ejus avunculus [c] erat Flawardus nomine, qui duos filins in sancti Basoli monasterin habuir: quorum unum Tetbertum, caritate supra vires exuberantem viderat, *qui presbyter dudum*, inquit, apud nos nbiit. Nepotem habebat cognominem, cui Odalricus archiepiscopus prælaturam, quam Frodoardus ipse [d] ob grave senium abdicaverat, imposuit *per electionem fratrum* snnrum. quod sine dubin intelligendum de abbatiali dignitate, quam sive in sancti Theoderiei, sive in sancti Basoli monasterio, certe in Remensi pago, Frodoardus habuerat post curam ecclesiæ Culmisciacensis, quam antea rexerat. Nnn mirum si hæc iam studiose disquirimus de tali ac tanto viro, quo nullns ejus tempore aut doctior, aut accuratior.

Ejus natales, opera, & monachatus.

a Sigebert. de script. c. 131.

b Frod. lib. 4. c. 19.

c ibid. c. 3.

d id. in chron. ann. 963.

XI. Hersfeldenses abbates episcopi.

Lambertus mnnachus, & chronographus Hildensheimensis tradunt, Diothardum seu Thiothardum, Herfeldensem abbatem juninrem, nrdinatum fuisse episcopum Hildensheimensem post Sehardum, qui hoc anno decesserat, & Burchardum abbatem electnm fuisse. Diethardus ruinosum templum Gandersheimensis cœnobii maximis sumtibus ab imis fundamentis instaurasse traditur, & anno pontificatus sui undecimo consecrasse. Burchardus abbas post tres ferme præfecturæ annos creatus episcopus Wirziburgensis, cathedralem ecclesiam restituit. Huic in abbatiæ regimine Megingozus successit.

XII. Novalicienses abbates.

Actum est superius [e] de Domniverto Novaliciensi abbate, quem ad annum tertium Hugonis Italiæ regis pervenisse docent litteræ [f] Adalberti marchionis, qui ejus rogatu ipso anno huic monasterio castrum & villam Guinzenarum, & cortem sancti Dalmatii prnpe Sangonum donavit. Domniverto post annos regiminis qua-

e lib. 41. n. 40.

f Chron. Pedem. p. 101.

ANN. CHR. 928.

draginta-duos suffectus Pellegrinus, litteris apprime eruditus, qui cum Amalrico Taurinensi episcopo quædam permutavit. Hunc excepit Gezo post medium hoc sæculum; Gezonem Gottofredus, qui etiam Bremetensis abbas fuit, ut suo loco videbimus.

XIII. Bobiensibus restitutæ possessiones.

Cum primum Hugo Arelatensis comes regnum Italiæ adiit, Silveradus abbas administrabat Bobiense monasterium, quod veteres non raro Ebobiense vocant. Tunc valde imminutæ erant ejus loci possessiones, a viris potentibus per illas caliginosas tempestates occupatæ, quos inter Guido seu Wido Placentinæ urbis antistes, & Rainorius ejus frater res non paucas subtraxerant. Interim Silveradum abbatem mori contigit, cum Hugo Papiam victor ingressus est. Erat in ejus comitatu Alda, ex Ostrofrancorum stirpe regina nobilissima, quæ Gerlannum, virum eximia prudentia, vitæ integritate & nobilitate præditum, ex Provincia secum adduxerat, eo animo, ut eum ad episcopale fastigium promovendum curaret. Nec minus placebat Gerlannus Hugoni, qui, dato ei regio sigillo, cancellarium suum esse jussit, eique insuper Bobiensem abbatiam concessit. Hac opportunitate usi Bobienses, novum abbatem perpulere, ut regem de recuperandis possessionibus sibi ablatis, pro sua apud eum gratia & auctoritate, sollicitaret. Neque vero eorum preces rejecit princeps, sed e re sua non esse existimavit, ut præpotentes viros, qui res illas invaserant, ad nova jam satis faciles, nondum pacato regno, exacerbaret. Id ei consultius visum, ut corpus beati Columbani Papiam afferretur, cum ipse colloquium cum suis principibus haberet: ut sacri loculi præsentia commoti invasores, ad restituenda ablata sponte adducerentur. Probato consilio, Gerlannus abbas uni ex magistris monasterii, Christiano nomine, præcepit, ut ex lignis abiegnis arcam fabricari curaret, portando sacro corpori idoneam. Sublato itaque corpore, quod sub mensa altaris reconditum erat, & in parata arca composito, Papiam versus iter sollemni pompa institutum est, prælatis ante feretrum cereis & turibulis, necnon cappa sancti Columbani, & pera, in qua sanctum evangelium, dum viveret, portare solebat. Præcedebant insuper duo cum tintinnabulis presbyteri monachi, quorum unus erat Rainerius, qui postea custos speluncæ sancti viri factus est. Subsequebantur ceteri monachi cum sacro loculo, quem abbas humeris cum tribus senioribus excepit. Ubi Papiam accesserunt, jussu regis sacratissimum corpus in ecclesia sancti Michaëlis depositum est. Huc adductus Lotharius regius puer, Hugonis ex Alda filius, qui gravissima febri laborabat, sub arca sacra collocatus, ad preces fratrum convaluit. cui beneficio ut se gratos præberent rex & regina, supplices ad sacrum loculum accesserunt. Post hæc abbas Lambertum Mediolanensem archiepiscopum eo invitavit, ut sibi in vindicandis sancti Columbani rebus adjutor adesset. Tandem regni principibus & optimatibus in regiam congregatis, rex privilegia sanctæ sedis apostolicæ, scilicet Honorii, Theodori, Martini, Sergii, Gregorii, Zachariæ, & ceterorum episcoporum, necnon præcepta regum Bobiensi monasterio concessa, coram se exhiberi ac recitari præcepit. quibus auditis, nonnulli ex his qui aderant, visis insuper sancti Columbani miraculis, *singulos fustes* in ejus peram miserunt, ut ea tessera restitutionem rerum ablatarum contestarentur. Hoc loco auctor anonymus, qui hæc scripsit, rei gestæ testis oculatus, invehitur maxime in Placentinum episcopum, qui contra hæc privilegia jus episcopale in Bobienses exercere sæpius tentaverat. Alleganti vero episcopo, jam pæne destructum esse monasterium: *Verum dicis*, ait, *sed per te ad pristinum redeat statum, ut abbatem secundum regulam habeat, qui adimpleat hoc, quod tu asseris te velle adimplere; & tunc apparebit, quod zelo Dei utaris.* rum subdit: *Non vales tuum episcopatum regere, & monachos secundum regulam sancti Benedicti gubernare.* quo ex loco refellitur Ughelli opinatio, qui ante Lucii secundi tempora receptam apud Bobienses negat sancti Benedicti regulam, quam non solum anonymus ille Bobiensis laudat, sed etiam Gerbertus [a], ejus loci paullo post abbas, Bobiensibus inculcat. Postremo rex Hugo præcepta superiorum regum novo diplomate roboravit. quo accepto, Bobienses ad sua læti recesserunt. Ceterum Gerlannus abbas cancellarii nomine ad vicem Beati episcopi & archicancellarii recognovit regias litteras, quas Hugo Parmensi [b] ecclesiæ concessit. Et tamen jam abbas & archicancellarius dictus est in litteris, quas Hugo rex monasterio sancti Teuderii paullo ante [c] impertiit.

a Gerbert. ep. 18.
b Ughell. to. 2. c. 196. & seqq.
c sup. num. 6.

ANN. CHR. 929.

XIV. Mors Johannis papæ & Caroli regis.

INsequens annus e carcere & e vivis exemit Johannem papam, ejus nominis decimum, qui superiori anno in vincula conjectus fuerat; & Carolum regem Francorum, quem Heribertus comes ab annis sex in custodia detinebat. Utrique hanc infelicitatem ad æternam salutem profuisse veri simile est. Certe Frodoardus id de Johanne, cui bis septem pontificatus annos tribuit, sed forte poëtico more affirmat his versibus:

Pace uitet, dum patricia deceptus iniqua,
Carcere conjicitur, claustrisque artatur opacis.
Spiritus at sævis retineri non valet antris:
Emicat immo æthrâ, decreta sedilia scandens.

Intrusus in ejus locum Leo sextus, post septem menses, quinosque dies, ut tradit idem auctor, locum fecit ad duos tantum annos cum sesqui mense Stephano sexto, aliis septimo, qui hoc anno pontificatum tenebat. Carolum regem ut martyrem & sanctum habitum fuisse testis est Hugo abbas Flaviniacensis, pro more scilicet illorum temporum, quibus qui innocenter cædebantur, martyres & sancti vulgo audiebant. Mortuus est Carolus Peronæ nonis Octobris, ibidem sepultus in basilica Furseana, relicto filio impubere Ludovico ex Etgiva secunda uxore, quæ ad fratrem suum Ethelstanum, Anglorum regem, cum filio suo confugerat. Post Caroli mortem Rodulfus regnum ad octo annos, id est ad obitum usque, retinuit. tametsi transligerani quidam Galli annos Ludovici a morte patris numerare cœperunt, ut superius [a] vidimus. [a] lib. 42. n. 49.

XV. Ethelstani regis pietas.

Hoc ipso anno Ethelstanus seu Adelstanus egregium pietatis specimen dedit, submittendis per Keonwaldum Wigorniensem episcopum pecuniariis eleemosynis ad omnia Germaniæ monasteria, ut frater eorum conscriptus, id est particeps omnium eorum suffragiorum, haberetur. Ejus rei monumentum ex sancto Gallo totidem verbis referre juvat. *Anno ab incarnatione Domini* DCCCC XXVIIII. *indictione secunda, Keonwald venerabilis episcopus, profectus ab Anglis, omnibus monasteriis per totam Germaniam cum oblatione de argento non modica, & in idipsum a rege Anglorum sibi tradita, visitatis, in idibus Octobris venit ad monasterium sancti Galli. quique a fratribus gratissime susceptus, & ejusdem patroni nostri festivitatem cum illis celebrando, quatuor ibidem dies demoratus est. Secundo autem postquam monasterium ingressus est, hoc est in ipso depositionis sancti Galli die, basilicam intravit, & pecuniam secum copiosam attulit, de qua partem altario imposuit, partem etiam utilitati fratrum donavit. Post hæc, eo in conventum nostrum inducto, omnis congregatio concessit ei annonam unius fratris, & eamdem orationem, quam pro quolibet de nostris, sive vivente, sive vita decedente, facere solemus, pro illo facturam perpetualiter promisit. Hæc sunt autem nomina, quæ conscribi jussit vel rogavit: Rex Anglorum Adalstean, Kenowald episcopus, Wigharth*, & alii quinque: quorum barbara nomina legesis apud Goldastum [b]. Hic primus annus est initi a Kenowaldo seu Kenewaldo episcopatus, quem monastica professione præditum fuisse Simeon Dunelmensis & Rogerius Hovedenus tradunt. [b] Gold. tom. 2. p. 182.

XVI. Nonantulæ abbates.

In regimine Nonantulani monasterii Gregorius abbas piissimus annum agebat decimum-septimum, cum desiderio vitæ purioris & pacatioris præfecturam abdicavit, secessitque ad locum Solariæ dictum, ubi tres annos cum dimidio exegit. Inde reversus ad cœnobium, tertio nonas Augusti feliciter decessit sub Ingelberto venerabili abbate & levita, qui post ejus abdicationem hoc anno electus est, a domno Petro Ravennate archiepiscopo sacratus quinto kalendas Aprilis. Gregorius post obitum miraculis inclaruisse dicitur apud Ferrarium. Abbatiam rexit Ingelbertus annos duodecim, cujus obitus notatur duodecimo kalendas Maii. Gerlo ejus successor, abbas prudentissimus, ordinatus anno DCCCC XLI. monasterium a multis ærumnis & injuriis liberavit. Obiit post sex annos octavo kalendas Septembris. De Gotefredo ejus successore infra.

ANN. CHR. 930.

XVII. Floriacensis monasterii reformatio per S. Odonem.

INeunte anno ejus sæculi tricesimo Rodulfus rex in Aquitaniam profectus est, invitatus, ut veri est simile, ab ipsis Aquitanis, ut Nortmannos Ligeritanos, qui provincias illas deprædationibus infestare pergebant, reprimeret. Ivit, & barbaros

ANN. CHR. 930.

illos uno prœlio fudit, ac pæne delevit. Tunc temporis Floriacense monasterium cum pluribus aliis eo in statu erat, ut nulla fere disciplinæ regularis, immo nec religionis vestigia in eo superessent. Jam quidem dissipati ob metum Nortmannorum hac illac monachi ad sua se receperant: sed *unita corpora*, inquit Johannes monachus, *scissis mentibus* sanctissimum illum locum occupabant. Nihil illis commune præter vitia: sua singulis propria erant. Nulla abstinentia a carnibus, nulla obedientia, nulla denique Benedictinæ religionis cura. Forte in prædicta expeditione Rodulfus obvium habuit Elisiardum illustrem comitem, qui Floriacensis monasterii miserabilem statum gravate ferens, ejus loci abbatiam a Rodulfo rege obtinuit, eo consilio, ut pristinam vitæ monasticæ disciplinam inibi restitueret: nequaquam passus, monachos *umbraticum* gestantes *habitum*, absque ulla ulterius vivere disciplina. Cum vero id per se ipse emendare non posset, hanc curam Odoni abbati, cujus religionem ac pietatem noverat, demandare constituit. Hugonem Francorum ducem huic pio consilio collaborasse Leo papa VII. testatur in privilegio, quod in consequentibus referemus. Tunc temporis Odo versabatur in Auriliacensi apud Arvernos monasterio, quod beatus Geraldus paullo ante condiderat. Hoc monasterium ex primis esse videtur, quod Odo regendum suscepit, post mortem scilicet Johannis, secundi ejusdem loci abbatis, & beati Geraldi propinqui, qui Auriliaci obiit, ibidemque sepultus est. Cum vero multis simul monasteriis Odo par esse non posset, Auriliaci coabbatem habuit Arnulfum tempore Leonis papæ sexti & Rodulfi regis, qui libertatem [a] loci confirmasse dicuntur. Illic, ut jam dixi, versabatur Odo, cum Elisiardus comes Floriacensem abbatiam ei reformandam commisit, seque illi adjutorem præbuit. Duobus quippe comitibus, totidemque episcopis secum assumtis, simul cum Odone ejus rei causa profectus est. Eorum adventu & consilio cognito Floriacenses, quasi cum barbaris ac paganis res esset, locum armis defendere constituunt. Mox præcincti gladiis omnes, alii tectis conscensis lapides & missilia, tamquam in hostes, jaculari; alii muniti clypeis cum ensibus, monasterii aditum prohibere, prius se perituros professi, quam eos introire finerent, *aut abbatem alterius ordinis*, id est monasterii, admitterent; alii sanioris mentis dicere: Hunc esse Odonem Aquitanum, de quo sibi paullo ante sanctus Benedictus per quemdam fratrem significaverat, adducturum se istuc ex Aquitania quemdam virum, qui sit secundum cor suum. cur eum non ipsi sponte sua invitaverant? At pars major Odoni ejusque sociis propellendis instabat. Missus ex eis junior monachus bonæ indolis, Wlfaldus nomine, qui præcepta regalia Odoni exhiberet, quibus cavebatur, ne cuiquam *ex alia congregatione* magistratum ejus loci adire liceret. Odo ad hæc non se ut quemquam læderet venisse aiebat, sed ut disciplinæ impatientes ad officium reduceret. Denique cum triduum in ejusmodi contentionibus consumtum esset, Odo asello insidens monasterium subire aggreditur, episcopis & comitibus contra vociferantibus, quo iret? monachos ad quidvis audendum projectos; actum de sua salute, de sua vita, si se illis permitteret. Ivit tamen Odo intrepidus: &, quod mirere, omnes illi rebelles mox abjectis armis obviam accedunt, eoque viso mansuefacti, ad ejus vestigia supplices procumbunt.

[a] Analect. to. 2. p. 239.

Verum cum de usu carnium & rerum proprietate abjiciendis agi cœpit, tum vero novæ ambages, novæ altercationes. Sed tandem monachorum contumaciam fregit patris constantia, eorumque inopiam ac defectum piscium divina providentia supplevit, suppeditandis piscibus in festivitate sancti Benedicti ex vicina palude, quæ antea ranas tantum ebullire solebat. Hoc miraculum *ipse pater* Odo, teste Johanne, retulit in eo libro, quem *de adventu corporis sancti Benedicti in Aurelianensi* composuit, quem librum excidisse valde nobis dolendum est. In hac porro sollemnitate tot infirmi sanitatem meritis sancti Benedicti recuperasse dicuntur, ut nulli dubium esset, sanctissimum patrem ei adfuisse. Ex eo tempore cœpere quam plurimi diversorum ordinum & locorum istuc confluere, ut sancti Odonis magisterio se subjicerent: quos inter non modo laïci aut canonici eo concurrebant, verum etiam episcopi non pauci, suas relinquentes ecclesias & dignitates, ejus se congregationi sociabant. Hinc videres locum illum, ante incultum & obsitum dumis, quasi excultam terram & repurgatam, novas fruges, novas soboles proferre, & crebris verborum & adhortationum ictibus sequestratum a vitiorum paleis frumentum

AN. CHR. 930.

mentum ad dominicum horreum conferri. Quin etiam ex illo seminario multæ soboles eductæ sunt ad instaurandam aliis in locis ac provinciis religionem : e quorum numero fuit Arigaudus, quem Odo Senonensi sancti Petri monasterio, cum consensu Willelmi archiepiscopi, suffecit in locum Samsonis abbatis. Inde etiam Tullense sancti Apri, Carnutense sancti Petri, &, ut paucis multa complectar, pleraque Angliæ monasteria regularis vitæ accuratam normam acceperunt. Tanti beneficii post Deum primus auctor exstitit Elisiardus illustris comes, qui & ipse sancti Odonis magisterio se subdidit, factus monachus in Floriacensi monasterio, ut ex Aimoino discimus. Hæc porro mutatio contigit post decessum Lamberti Floriacensis abbatis, superius [a] a nobis memorati, cujus nulla nobis notitia superest post annum Rodulfi regis secundum, quo anno permutatio [b] quorumdam prædiorum inter ipsum & Rothardum nobilem virum facta est.

a *lib.* 41. *n.* 57.
b *Perard p.* 44.

XVIII. Regulæ propagatio denuo asserta.

Hoc etiam beneficium Rodulfo regi acceptum refert anonymus libri de miraculis sancti Bercharii abbatis scriptor, qui in eo fallsus est, quod sanctum Odonem eidem loco *libellum regulæ* sancti Benedicti primum intulisse existimavit. Erroris causam alias jam reteximus, nempe quod ita neglecta esset tunc non modo in Floriacensi, sed etiam in aliis Galliæ monasteriis, & obscurata regulæ observatio, ut fere incognita in illis esset, ut olim in Dionysiano monasterio ante reformationem, Ludovici augusti curis factam ; ejusque observationis instauratores pro primariis auctoribus haberentur. Ad illum errorem corrigendum vetera monumenta huc accersere non est necesse : quando ipse sanctus Odo in sermone de translatione sancti Benedicti eum emendavit. In illo quippe sermone ait tantam beatissimo patri prærogativam fuisse concessam, ut etiam *remotissimos christianitatis sinus* radiis suæ beatitudinis illustret. *Nec monachorum*, inquit, *cohortes, ubicumque terrarum diffusa, tantam ejus altitudinem ignorant, qui sanctam ipsius institutionem præ ceteris sectantur : ita ut etiam in ipsorum patrum cœnobiis, qui normam sancti propositi fideliter ac religiose promulgarunt, hanc propriis clientes eorum malint profiteri ; non immerito arbitrantes, quod hunc specialiter, tamquam alterum Moysen, Deus mundo prædestinavit, ut, sicut ille Judæis, ita iste tam Judæis quam gentibus monastica legis decreta sanciret.* & infra : *Sic ergo & huic beatissimo legislatori non præjudicant alii patres, qui sancta regula munia descripserunt, sed magis ut assertores ejus sancita confirmant.* Hæc dicebat Odo in ipso nascentis congregationis Cluniacensis exordio, agnoscens regulam jam circumquaque per exteras diffusam regiones. Hæc, inquam, loquebatur eo tempore, quo, dum *omnes tam ex canonicali, quam etiam permaxime ex laicali ordine* sanctum Benedictum *ut dominum* venerabantur & colebant : *soli monachi* illum oderant, insequebantur, & *velut inimicum malis* fugiebant. Videar forte nimius ad refellendum crassum & supinum errorem : sed qui tamen multis aliis auctoribus, tam medii ævi, quam recentioris, fucum fecit. adeo ut auctor nescio quis, qui de origine singulorum ordinum scripsit, ordinem sancti Benedicti hoc tempore incœpisse dicat, eum scilicet confundens cum congregatione Cluniacensi. In idem erratum impegit Guido apud Albericum, qui ait, usque ad hæc tempora regulam beati Columbani, tam in Francia, quam in Burgundia, observaram fuisse „ a nigris monachis : sed sanctum Odonem abbatem Cluniacensem regulam sancti „ Benedicti primo in Cluniaco, & in sancto Benedicto super Ligerim fecisse observari, „ & exinde procedenre tempore cœpisse ubique recipi. quod quidem de regula „ sancti Benedicti ad ritos Cluniacenses conformata dici potest ; de regula ipsa absolute falsissimum est : uti demonstrant ea, quæ tum ex conciliis, tum ex diplomatibus, aliisque monumentis septimi, octavi ac noni sæculi superius retulimus ad probandam regulæ nostræ generalem approbationem, quæ speciatim in diplomatibus Floriacensis monasterii, & apud Adrevaldum longe ante sanctum Odonem expressa reperitur. Nec mirum est, quod illi mediæ ætatis anctores, qui in rebus supra suam ætatem gestis omnino cæcutiebant, adeo turpiter allucinati sint : at mirum videri possit, quibusdam viris doctis nostri temporis idem de Anglia & Hispania visum fuisse, quasi hoc primum sæculo, Christi decimo, sancti Benedicti regula in illis partibus recepta fuerit. quo nihil magis a vero alienum est, ut suis locis ostendimus. Verum hanc digressionem claudat sancti Odonis sententia ex prædicto sermone de translatione sancti Benedicti, cujus regulam per totam universalem ecclesiam suo tempore fuisse receptam denuo asserit his verbis, quæ licet jam alias a nobis relata, hic

ANN. CHR. 930.

tamen, ut in loco, repetere juvat. *Quapropter*, inquit, *easdem illius* sancti Benedicti *laudes, non una vox, non una congregatio, neque una urbs vel provincia proclamat: sed ubicumque sancta ecclesia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas, laus Benedicti frequentatur. Si enim in multitudine populi dignitas regis est, ut ait Salomon: quantam putamus esse dignitatem istius regis, quem tam numerosus prosequitur exercitus monachorum? Quis umquam rex aut imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diversis nationibus tantas sibi legiones conduxit, quantas videlicet cujuslibet sexus & atatis in Christi militia voluntarie juratas disponit?* quo nihil luculentius ad adstruendam ipsius Odonis testimonio propagationem regulæ nostræ per totam, qua longissime patet, sanctam ecclesiam ante propagationem congregationis Cluniacensis. quod jam de suo tempore, id est de octavo sæculo, Paulus Warnefridi aperte declaraverat in sermone de sancto Benedicto.

XIX. Romanense monasterium Odoni commissum.

Unum e primis monasteriis, quæ Odoni regenda commissa sunt, fuit Romanense, situm in Waldensi comitatu, pago Lausannensi, illud ipsum, quod Rodulfus primus, Jurensis Burgundiæ rex, Adeleydi sorori suæ ante annos triginta-duos concesserat. Hæc Richardo Burgundiæ duce vidua, postmodum abbatissa incerti loci, monasterium illud, quod dudum sanctus Romanus Condatescensis abbas exstruxerat, Odoni abbati ejusque successoribus subjectum esse voluit. Adeleydis hac de re litteræ a nobis in ipsius elogio editæ sunt, quarum summam huc referre juvat.
» In his itaque litteris ait Adeleydis comitissa, monasterium, *quod Romanis vocatur*,
» situm in pago Waldensi, olim in honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli
» sub monastico constructum ordine, sed tunc monachis penitus destitutum, quod
» ipsi per præceptum Rodulfi regis germani sui obvenerat, se ex suo jure in domi-
» nium & providentiam Odonis venerabilis ac reverentissimi abbatis, omniumque
» fratrum Cluniacensis monasterii, cum abbatia transfundere, ea conditione, ut illud
» in priorem studeant reformare statum; atque ita possideant, ut unam congrega-
» tionem cum Cluniaco efficiat, & utrumque ab uno regatur abbate. quo mortuo,
» neutri loco liceat sine communi consensu abbatem sibi præficere; & in ordinando
» abbate constitutio sancti Benedicti semper observetur. Fratres vero ex uno in alte-
» rum locum transferendi, sive etiam subsidia, quæ forte uni loco plusquam alteri
» abundaverint, mutuo communicandi in potestate sit abbatis. Atque ut germanior
» sit inter utrumque locum societas, suffragiorum & eleemosynarum mutua commu-
» nio inibi habeatur. Hanc vero donationem facit Adeleydis pro anima fratris sui
» Rodulfi regis, a quo hoc monasterium habuerat, tum pro requie piæ memoriæ
» principis Richardi conjugis olim sui, ac pro Willa regina, prædicti Rodulfi re-
» gis uxore; ad hæc pro se ipsa, & pro Rodulfo rege Francorum filio suo, item pro
» Rodulfo rege Burgundiæ Jurensis nepote suo, & pro filiis suis Hugone & Bosone,
» & pro Ludovico nepote; sed & pro parentibus & consanguineis suis, & domno
» Hugone insigni abbate, ceterisque utriusque sexus propinquis; postremo pro illis,
» qui adjutorium vel defensionem monachis ibi consistentibus præstiterint. His litteris apponitur *signum Adeleydis comitissa, regia matris & abbatissa; Juditta filia Rodulfi regis, Ugonis inclyti comitis atque fratris augusti Rodulfi regis, Rodulfi filii Ludovici imperatoris*, & aliorum. *Data* XVIII. *kalendas Julii, anno quinto regnante Rodulfo gloriosissimo rege, indictione* II. *Actum publice in villa Boiaco.* Id intelligendum videtur de Rodulfo Francorum rege, cujus tamen non annus quintus, sed septimus convenit indictioni secundæ, quæ anno ejus sæculi unde-tricesimo illigatur. In monasterio seu cella Romanensi post id tempus viginti-duo monachi cum priore esse debebant, antiquitus vero plures.

XX. Hugo Enziaci præpositus obit.

Sub id temporis venerabilis Hugo, præpositus cellæ Enziacensis, quæ cella Æduensi sancti Martini abbatiæ subjecta est, ad cælestem patriam migravit. Is senio confectus, extremum illum diem avide præstolabatur, de jejuniorum tenore interim nihil remittens; suos adhortari solitus, ut regulam sancti Benedicti accurate observarent exemplo obedientissimi ejus discipuli beati Mauri, cujus vitam eis sæpe in exemplum proferebat. Hinc quippe monasteriorum pendere fortunam: in quibus florente pietate ac zelo disciplinæ regularis florent omnia; frigescente vero in pejus ruunt etiam temporalia bona, quibus egestas, rerumque omnium penuria succedere solet. Triennio ante obitum vir sanctus in privatam cellam se reclusit. Tandem, quadragesimæ tempore exacto, felix illa anima evolavit ad Chri-

ANN. CHR. 930.

stum duodecimo kalendas Maii, postquam resurrectionis dominicæ sollemnitatem celebrasset, quæ hoc anno in quartum-decimum kalendas ejusdem mensis incidebat. Corpus ejus humatum est in ipsa cellula, quam ipse Deo consecrari curaverat. Dein ob frequentia miracula sub ejus sæculi finem e tumulo levatur a Walterio Æduensi episcopo, ut suo loco videbimus.

Gerardus item episcopus Matisconensis.

Hugoni adjungendus Gerardus Matisconensis post Guntardum episcopus, qui, deposito episcopali onere, cellam Broviensem * prope Forum-Sebusianorum * ædificasse, ibique reliquum vitæ suæ tempus in divinarum rerum contemplatione traduxisse dicitur. Eum in sedem Matisconensem Guntardo successisse constat ex quadam ejus charta Cluniacensi, qua Geroldus sive Geraldus Matisconensis antistes Ingelario Cari-loci abbati quamdam capellam sancti Martini cum cœmeterio, monasterio ejus proximam, quam Lambertus episcopus ipsius decessor verbo dumtaxat concesserat, scripto confirmavit anno incarnationis DCCC LXXXVII. ordinationis suæ secundo. Variis interfuit conciliis, ad extremum Carilocensi anno DCCCC XXVI. Eodem anno subscripsit litteris Gerbaldi viri nobilis, de quibus superius [a] egimus. Ex quibus redarguas eos, qui ejus obitum anno DCCCC XII. collocant. Hunc tandem ex episcopo monachum factum asserit breviarium Matisconense, cui fasti Benedictini ad quartum kalendas Junii subscribunt. Suspicatus sum aliquando, Gerardum episcopum forte confundi cum Gerardo Broniensi abbate, & Broviensem cellam, cujus auctor Gerardus episcopus dicitur, cum abbatia Broniensi prope Namucum. Verum danda est fides Matisconensis ecclesiæ traditioni, quæ Gerardum suum ex episcopo factum monachum dicit, eumque Broviensis cellæ conditorem agnoscit. Hæc cella fuit Ambroniacensis monasterii, nunc conventus Augustinianorum eremitarum, cujus in ecclesia, sane elegantissima, Sabaudiæ ducum conditorium est.

* *Brou.* * *Bourg-en-Bresse.*

a *lib.* 42. *num.* 89.

Fulco comes abbas S. Albini.

Tunc temporis Andecavensem sancti Albini abbatiam tenebat Fulco Andecavorum comes, qui cum uxore sua Roscilla, filiisque suis Widone & Fulcone, curtem suam [b] Chiriacum, super alveum Ligeris sitam, tradit prædicto monasterio, in quo tum clerici adhuc degebant. *Actum Andecavis civitate, regnante Rodulfo rege anno septimo.* qui annus cum hoc anno coincidit, si hoc instrumentum ante idus Julias datum est. Hinc ad annum insequentem referendum Rodulfi regis præceptum pro abbatia sancti Martini, quo immunitatem castri-novi recens ædificati cum moneta ejusdem castri confirmat, ac fratribus seu canonicis sancti Martini inter alia restituit tres abbatiolas, Martinianæ basilicæ proximas, unam videlicet sancti Petri ad cœmeterium, vulgo de Cardineto; alteram sancti Venantii ante portam castelli; *tertiam* vero *sancti Benedicti* intra castrum, sicut a pristinis temporibus eas tenuerant. Actum Turonis in ipso sancti Martini castro, nono kalendas Aprilis, anno domni Rodulfi regis octavo, qui ab idibus mensis Julii præcedentis inchoatus erat. Certe Frodoardus auctor est, Rodulfum eo anno ex urbe Vienna Turonos ad sanctum Martinum orationis gratia profectum esse. Duæ illæ priores abbatiolæ seu ecclesiæ hactenus supersunt, quarum prima sancti Venantii collegiata est: tertia sancti Benedicti modo ignota. XXI.

b *Labbe miscell. p.* 224.

Farfensis abbas Ratfredus.

In Farfensi monasterio Rimo abbas expulsus est ab Hugone rege, qui ejus loco Ratfredum nepotem suum subrogari jussit. Romam recessit Rimo, ubi, cum vena ipsi ad minuendum sanguinem secta esset, obducta veneno cicatrice interiit. Multa in monasterii utilitatem fecit novus abbas, tum prædiis ex censibus augendis, tum instaurandis ædificiis: in quibus *caput monasterii*, quod per annos quadraginta-octo incolis destitutum fuerat, denuo ædificasse dicitur. Idem corpus sanctæ Victoriæ e Sabinensi territorio in locum, ubi nunc colitur, transtulit, multis beneficiis ejus ecclesiæ collatis. Anno ejus regiminis quinto, Helperimus & Drogo filii Hattonis, ex natione Francorum, res suas, in monte Aureo, in pago Amiterno sitas, Ratfredo abbati vendiderunt, traditione facta *per festucam & andelaginem, per guasonem & andilagon, per terram & culcellum & ramos arborum, & per ostium domorum.* Eo tempore Theobaldus Sabinensem ducatum tenebat. XXII.

ANN. CHR. 931.

Attaldus fit archiepiscopus Remensis.

Anno ejus sæculi tricesimo-primo altercationes in Gallia inter Rodulfum regem & Heribertum Viromandorum comitem eorumque asseclas recrudescunt. Hinc Rodulfus litteras mittit ad clerum & populum Remensem, ut, rejecto XXIII.

ANN. CHR. 931. Hugone Heriberti filio minorenni, præsulem idoneum sibi eligerent. Ad quæ illi respondent, facta jam electione, aliam sibi non licere. Hoc responso commotus rex, urbem cum Hugone & Bosone fratre suo, ceterisque asseclis obsidet, ac tertia tandem hebdomada ad deditionem compellit. Ita urbe potitus, præsulem ordinari facit Artaldum sancti Remigii monachum, qui hoc ipso anno ab Heriberto ad Hugonis partes transierat. Bovonem vero Catalaunensem episcopum, qui a se desciverat, comprehensum Hugoni custodiendum tradidit, ejusque episcopatum Miloni clerico dedit, sed paullo post Bovoni restituit. Quantæ turbæ ex hac Artaldi ordinatione excitatæ sint, in consequentibus videbimus. Non multo post Artaldus pallium a Johanne papa undecimo accepit, qui hoc anno in locum Stephani, agente infami Marocia ipsius matre, intrusus est.

XXIV. Cluniaco data facultas alienos recipiendi monachos. Exstant in bullario Cluniacensi duo hujus pseudopontificis diplomata, quorum primum, Odoni abbati hoc anno datum, Cluniaco jus confirmat monetæ, a Rodulfo rege concessum, & aliorum cœnobiorum monachos admitti permittit in hæc verba. *Et quia, sicut nimis compertum est, jam pene cuncta monasteria a suo proposito prævaricantur; concedimus, ut, si quis monachus ex quolibet monasterio ad vestram conversationem, solo dumtaxat meliorandæ vitæ studio, transmigrare voluerit, cui videlicet suus abbas regularem sumtum ad depellendam proprietatem habendi ministrare neglexerit; suscipere vobis liceat, quousque monasterii sui conversatio emendetur. Scriptum in mense Martio, indictione quarta.* ubi observanda est duplex conditio ad recipiendum alienum monachum: una, monasterii, a quo is discedit, relaxatio, maxime circa votum paupertatis: altera, ut ad certum tempus retineatur, donec scilicet proprii ejus monasterii disciplina emendata fuerit. Quæ si observarentur, non excitarentur tot dissidiola & altercationes, quæ ex ejusmodi translationibus sæpius oriri solent. Certe sanctus Benedictus alienum monachum tanto tempore permittit retineri, quoad ipse cupierit: nisi postea stabilitatem suam ille firmare voluerit.

Rodulfi donatio. Eodem anno Rodulfus rex ad preces Immæ seu Emmæ conjugis suæ atque Hugonis fratris sui Cluniaco donat *mansos vestitos* in pago Matisconsi, tres scilicet in Salustriaco, aliosque alibi. Actum Bojaco villa kalendis Juliis, anno regni ejus nono. Anno sequenti Berno Matisconensis episcopus consecravit capellam, quam in villa Salustriaco *Cluniacensis parvula societas, cui Odo mitis pater & abbas patrocinabatur, construxerat.*

XXV. Tutelensis monasterii instauratio. Actum est superius * de origine & instauratione Tutelensis monasterii, cui urbs adjuncta famam & forte originem suam acceptam referre debet, nunc episcopalis sedes. Etsi tempus conditi monasterii præcise definiri non potest, ex dictis tamen constat, illud stetisse longe ante Normannorum procellas, ab eisque, ut plurima alia, eversum fuisse, relicta tamen abbatiæ veteris qualicumque dignitate, sed nullis relictis monachis, qui antiquam sedem ac possessionem retinerent. Tota denique abbatia devenerat in sæculares & laicas manus, eamque sub sæculi decimi initium Ademarus, Scalarum in Lemovicibus vicecomes, hereditario jure obtinebat. Is, cum nova in Galliis monachorum piissimorum cœnobia surgere, & vetera in pristinum statum reparari animadverteret; qua erat ipse pietate, Tutelense monasterium instaurare animo constituit. Accepto Ademari consilio, Rodulfus, cui ardor haud impar ac studium erat, hanc curam in se recepit, ac Tutelensem abbatiam commendavit Aimoni abbati, quem e Pictavensi sancti Savini monasterio, ubi regularis disciplina perseveraverat, suggerente Ebalo comite, accersivit, & post eum Odoni abbati Cluniacensi, permissa in posterum monachis eligendi abbatis facultate. Rem totam melius exprimit ipsius Rodulfi diploma, quod hic integrum describere non gravabor.

* lib. 41. n. 86.

Rodulfi hac de re diploma.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Rodulfus gratia Dei Francorum & Aquitanorum atque Burgundionum rex, pius, invictus, ac semper augustus. Sicut non est potestas nisi a Deo, qui collocat, ut scriptum est, reges in solio: sic utique consequens est, ut hi, qui in sublimitate sunt, sub potenti manu ejus se humilient, & ut regni ejus ministri, juxta ipsius voluntatem suas actiones administrent. Quapropter notum sit omnibus, tam præsenti, quam futuro tempore regni munia disponentibus, quod ego de statu religionis redintegrando sollicitus, Tutelense cœnobium in regulari proposito, ut olim fuerat, reparare decrevi. Est autem in Lemovicensi pago super fluvio Correzia situm, in honore videlicet beatissimi domni Martini constructum, quo loco prisca reve-

ANN. CHR. 931.

rentia novellis adhuc miraculis, Domino largiente, servatur. Precibus autem [illustris] viri Ademari, qui locum ipsum eatenus tenuerat, suggerente etiam Ebalo comite, cuidam religiosissimo abbati, nomine Asmoni, locum eumdem ad restaurandum regulare propositum commendaveram, adque cœnobio sancti Savini subjectum feceram. Sed quoniam experimento probatum est, quod eadem subjectio religioni obstaret; eidem religioni penitus consulere volentes, saniore consilio decernimus, ut antiquo more, solius regis tuitione, non autem dominatione, teneatur. Hoc autem contra jus regni fieri nemo censeat. quandoquidem excellentissimi imperatores decreta sua, quotiens causa exegerit, leguntur immutasse, &, Apostolo perhibente, necessaria legis translatio fuit. Hoc ergo cœnobium cum omnibus, quæ nunc ad cum pertinent, vel quæ deinceps ibidem obvenerint, ita pro auctoritate istius nostri præcepti manere constituimus, ut nullius dominationi, nisi tantum sanctæ regulæ, subjaceant. Post discessum vero fidelissimi & amantissimi nostri domni Odonis, qui prædicto Asmoni venerabili successit, & post Adacium, quem isdem venerabilis Odo sibi ad vicem suam supplendam ordinari petiit, licentiam habeant secundum regulam sancti Benedicti, quemcumque saniori consilio maluerint, ex se ipsis eligendi. Et neque rex, nec comes, aut episcopus, aut qualibet alia persona, res eorum inquietare, aut alicui dare præsumat; sed nec opido quidem dominari audeant. Partem vero abbatiæ, quam prædictus Ademarus, abbate ipso consentiente, retinuit, totam post ipsius discessum recipiant. quo decedente, qualiter communiter voluerint, munburdum & causadicum habeant. Jus quoque immunitatis ac reverentiam, quæ sancto illo loco & nunc divinitus observatur, ita concedimus, ut nemo, vel ipsi, vel rebus ad eum pertinentibus, ullam violentiam inferre moliatur. Ceterum tam abbas, quam monachi communiter, sicut ante Dei oculos, regulare propositum servent. Ut autem hæc nostra præceptio indelebilis perseveret, hanc in superni nomine Auctoris anulo nostro signavimus. Signum Rodulfi gloriosissimi regis. Gotefredus sacerdos ad vicem Ansigisi episcopi recognovit, & subscripsit. Actum Anatiaco idibus Decembris, indictione III. *anno* XI. *regnante Rodulfo gloriosissimo rege.*

Hactenus Rodulfi regis præceptum, quale primus edidit Stephanus Baluzius de patria sua, uti & de re publica litteraria optime meritus. Non bene conveniunt hæ chronicæ notæ. siquidem indictio tertia coincidit cum anno Rodulfi octavo ab idibus Julii anni nongentesimi tricesimi; annus vero ejusdem regis undecimus cum indictione quinta, quæ anno ejus sæculi tricesimo-secundo respondet. In hoc diplomate id observandum quod ait Rodulfus, experimento comprobatum esse, quod *subjectio* monasterii *religioni obstaret*. Non ergo Tutelense monasterium, quod sancti Savini abbatiæ ditioni ob hanc causam exemit, Cluniaco subjectum esse voluit, sed tantum Odoni abbati commendatum, qui Adacium, ad vicem suam supplendam, abbatem Tutelæ sive proabbatem ordinari curavit. Adacii ipsius rogatu rex Ludovicus præceptum regiæ defensionis & liberæ electionis indulsit, dato diplomate in villa Burione IV. nonas Martii, anno regni octavo. Adacio videtur successisse Bernardus abbas, de quo inferius. Mirum vero est, Adacium ipsum pluribus monasteriis ab Odone ipso præpositum fuisse, ut de Sarlatensi postea videbimus. Idem Odo vitam beati Geraldi Auriliacensis scripsit, rogatus a Turpione Lemovicensi episcopo, & ab Aimone Tutelensi abbate, qui nescio an obierat, cum Rodulfus Tutelense monasterium Odoni commisit.

XXVI. Ademari testamentum & sepultura.

Exstat in appendice ad Reginonem testamentum domni Ademari vicecomitis Scalarum & abbatis Tutelensis, qui finem vitæ suæ imminere sentiens, cum legitimos non haberet liberos, quibus amplas suas possessiones relinqueret, ecclesiam, maxime Tutelensem, constituit heredem. In primis sancto Martino Tutelensis ecclesiæ patrono, & monachis ipsi in ea servientibus reddit abbatiam veterem, quæ „ a proavo patris sui sibi obvenerat, ecclesiam scilicet sancti Juliani juxta idem mo- „ nasterium constructam, ecclesiam sancti Petri de castro ipsius villæ, & plures alias. „ Ut vero a Deo veniam peccatorum tam pro se, quam pro suis propinquis obtinere „ valeret, & ut prædictus sacer locus in pristinum statum restitui possit, de proprio „ jure optima quæque atque cariora eidem loco legare constituit: in primis Scalas „ castrum suum cum omni castania, & cum universis fevalibus & ecclesiis, multis- „ que aliis rebus, quæ in ipsius testamento recensentur; in comitatu vero Caturcensi „ castrum suum Foliosum iisdem monachis legat post mortem suam & Gauzberti fra- „ tris sui, & Gauzlæ uxoris suæ. quæ omnia donat sancto Martino & servientibus „

ANN. CHR. 931.

„ ei monachis pro ſalute animæ ſuæ, uxoriſque ſuæ Gauzlæ, ac parentum, omnium-„ que propinquorum ſuorum; *præterea pro rege noſtro*; inquit, *Rodulfo, atque ſeniore noſtro Ebalo comite, quibus concedentibus hæc omnia perfecimus; poſtremo ſpecialiter pro illis, qui prædicti loci atque habitatorum ipſius tutores & defenſores fuerint.* Sub finem addit, Tutelenſes monachos eſſe *in munburdo regis ad locum ſalvum faciendum*, „ *non ad aliquid perſolvendum, niſi ſolas orationes.* Denique univerſos, tam præſen-„ tes, quam futuros, obteſtatur per tremendum ſanctæ Trinitatis nomen & meri-„ tum beati Martini, *& ſancti Laudi, qui ibi deportatus eſt*, ut nullus, vel mona-„ chos, vel res eorum perturbare, aut ſub poteſtate ſæculari ullo modo redigere præ-„ ſumat. Huic teſtamento ſubſcribunt Ebalus comes & Willelmus filius ejus, Ademarus ipſe, Odolricus vicecomes de ſancto Cyrico, Gauzbertus vicecomes, & Rotbertus, ſed ſine chronicis notis. at conditum fuit teſtamentum ſuperſtite Rodulfo rege, ut ex ſuperioribus intelligitur. Sepultus eſt Tutelæ Ademarus vicecomes: cujus ſepulcrum etiam nunc in ejus loci eccleſia majori viſitur cum hac inſcriptione, † XPE SERVA TUUM PER SECLA ADEMARUM AMEN. De ſancto Laudo, aliiſque ſanctis Tutelenſis eccleſiæ, ubi miracula fieri Rodulfus rex teſtatur, mentionem facit Gaufridus [a] Voſienſis in hæc verba: *Tutelam Wlfardus & Laudus tuentur cum Claro, per quem ſerena tempora; & Baumardo, per quem imbribus plena Dominus ſæpe contulit orbi.*

[a] Gauf. chron. c. 15.

XXVII. Ratherius epiſcopus Veronenſis.

Non ante hunc annum Ratherius ad Veronenſem epiſcopatum provectus eſt, quod ante triennium Sigebertus, & poſt eum Baronius accidiſſe perperam ſcribunt. Id patet ex ejuſdem Ratherii epiſtola ad Johannem papam XII. in qua ſuæ promotionis & caſuum ſuorum hiſtoriam contexit. Res hoc fere modo ſe habuit. Deturbatus e Tungrenſi epiſcopatu Hilduinus, cum Ratherio Laubienſi monacho, qui ejus partibus favebat, in Italiam ad Hugonem regem, affinitate ſibi conjunctum, ſe recepit. Forte per id tempus vacabat poſt mortem Notgeri epiſcopi Veronenſis eccleſia, quam Hugo Hilduino ſtatim regendam *jure ſtipendiario* commiſit, data Ratherio fide, ſe, ubi provehendi altius Hilduini occaſio ſe offerret, Veronenſem epiſcopatum ipſi Ratherio daturum. Non multo poſt moritur Lambertus Mediolanenſis antiſtes, ejuſque in locum Hilduinus ſubrogatur, invito quodam modo Hugone rege, qui, ut ſunt mobilia hominum ingenia, Aquitanum neſcio quem, aut quemdam Garafridum, aut certe Manaſſem Arelatenſem archiepiſcopum libenter prætuliſſet. Miſſus Romam ab Hilduino Ratherius ad poſtulandum novo archiepiſcopo pallium a Johanne papa XI. qui hoc anno primum ſedere cœpit. Sibi ipſe non defuit in hac legatione Ratherius. nam cum pallio litteras retulit, a pontifice & clero Romano ad Hugonem regem ſcriptas, *quibus*, ut ait Ratherius ipſe, *continebantur preces ejuſdem, totiuſque Romanæ eccleſiæ, uti Veronenſibus daretur epiſcopus.* Id regi non parum diſplicuit contraria molienti: ſed apoſtolicæ obtinuere preces, quibus Hilduini ac primorum ſupplicationes acceſſere, regi ſuggerentium, Ratherium non diu (nam tum infirmus pæne ſemivivus jacebat) ea dignitate fruiturum. Conſenſit tandem ille hac ſpe pellectus, gratificari alias cupiens tam ſummo pontifici, quam ceteris regni primoribus, quos offendere verebatur. Evaſit tamen e morbo Ratherius, moxque ordinatur epiſcopus, frendente rege, & ſancte affirmante, (nec fidem fefellit) Ratherium totis diebus vitæ ſuæ de ſua ordinatione non gaviſurum. Ita fere Ratherius ipſe in epiſtola ad Johannem XII. ex quo refellitur Folcuinus, aliique poſt eum, qui Ratherium, Hugone rege agente, creatum epiſcopum tradunt. Præterea Sigeberti ejuſque ſequacium opinatio refutatur, qui Ratherii ordinationem triennio antevertunt. ſiquidem Johannes XI. ejus ordinationis præcipuus auctor, non ante hunc annum nongenteſimum triceſimum-primum, Romanæ ſedi impoſitus eſt. Vix ſedem Veronenſem inierat Ratherius, cum Hugo rixas in eum excitare cœpit, miſſo ad eum indiculo, quo certa ei ſtipendia ex rebus eccleſiæ aſſignabat; & ſacramentum ab eo exigens, quod ſuis Lothariique filii ſui diebus ille nihil amplius de ceteris requireret. quod cum uti abſurdum rejeciſſet Ratherius, rex undique perſecutores & adverſarios in eum concitavit, qui aut illum terrendo fugarent, aut ad regis proritarent offenſam, ut ejus expellendi occaſionem rex haberet. Nec diu occaſio defuit, ut poſtea videbimus.

S. Michaëlis monaſterium, aliaque Caietæ.

Caietæ, quæ urbs nobilis eſt ad oram maris in Latio, inſigne exſtat ſancti Michaëlis monaſterium, cujus primordia ad hunc annum referuntur. Ejus auctor

ANN. CHR. 931.

fuit Leo *praefecturius*, filius quondam bonæ memoriæ Docibilis, ejusdem urbis civis. Id factum cum consensu Johannis imperialis patricii, & Docibilis gloriosi ducis. Ad monasterii constructionem Leo *Basilio venerabili abbati* donavit ecclesiam sancti Michaëlis archangeli, sitam in monte intra ipsam civitatem, in loco dicto Planciano, cum suis adjunctis, ut ibidem monasterium construeretur, & libera esset penes monachos abbatis electio. Hujus rei primaria charta data est anno ab incarnatione nongentesimo tricesimo-primo, imperante piissimo principe augusto Constantino Porphyrogenito anno vicesimo-tertio, temporibus domini Johannis imperialis patricii, & domini Docibilis gloriosi ducis, mense Novembris, indictione IV. ut in primario instrumento legitur, quod domnus Erasmus-Gattola a Caïeta Casinas cum multis aliis nobis communicavit.

Incertum est cujus monasterii abbas fuerit Basilius ille, cui hoc sancti Michaëlis monasterium commissum est. Aliud exstabat, saltem sæculo undecimo, sancti Theodori monasterium, cui procedente illo sæculo præfuit Stephanus abbas, postmodum episcopus Caïetanus, ut suo loco videbimus: sed an conditum sit ante sancti Michaëlis asceterium, nobis incompertum. Denique aliud erat sancti Michaëlis monasterium in monte Altino prope Caietam, ubi per ea tempora Petrus presbyter monachus & eremita erat: cui Marinus, ejusque filius Johannes, consules ac duces ejusdem civitatis, pro animæ suæ salute & Mariæ olim ducissæ, quæ Marini conjux, & Johannis mater erat, contulerunt ecclesiam sancti Johannis-Baptistæ, ad pedem ipsius montis positam: at quo in loco situm fuerit, modo ignoratur. Hactenus persistit primum illud sancti Michaëlis monasterium, ab Eugenio IV. congregationi Casinensi subjectum. Primis illis temporibus ei præfuit Petrus presbyter & abbas, cui Gregorius consul & dux unum modium terræ concessit, pro eo quod ab eodem Petro acceperat librum Comitis, aliosque codices, & unum *rotilum* seu rotulum ad benedicendum cereum & fontes, cum variis ornamentis: qualem rotulum cum variis figuris, quæ totum benedicendi cerei & fontis, adeoque baptismi conferendi ritum eleganter exprimunt, bonæ memoriæ eminentissimus cardinalis Casanata, nobis dum Romæ essemus, describendum ac depingendum concessit.

Ad hæc idem Erasmus nobis aliud instrumentum suppeditavit de monasterio sancti Erasmi prope Formias urbem, olim episcopalem, sæculo nono a Sarracenis destructam: cui monasterio, ejusque abbati Marino, Gregorius quidam donat ecclesiam sancti Petri de Palazzo, quæ sancti Petri de Virga dicebatur. Actum Caïetæ mense Novembri, indictione quinta. Joffridus-Ridellus Normandus & dux Gaëtanus Casinensibus concessit anno M LXXV. hoc monasterium, *situm in pertinentia civitatis Gaëtæ, in loco, qui dicitur ad-Molas*, ut ipse in charta sua loquitur; necnon aliud sancti Petri de Foresta, olim Græcorum, cujus abbas exstitit sanctus Clinus e Græcis, uti discimus ex multis actis archivi Casinensis. unum est ipsius Clini Latinum, datum anno XXXI. principatus domni Paldulfi, & quarto Landolfi ejus filii, quo instrumento Clinus, *Dei gratia*, ut ipse dicit, *abbas de monasterio sancti Petri infra finibus civitatis de Ponte-curbo, in loco ad ipsam Forestam*, enumerat monasterii sui possessiones: cui instrumento litteris græcis subscribunt ipse Clinus hegumenus, Hilarion œconomus, & Lucas monachus. Corpus prædicti sancti Clini asservatur in capella sub ejus titulo, in ecclesia matrice & collegiata sanctæ Mariæ & sancti Philippi Nerei Roccæ-Gulielmi, diœcesis Aquinatis. Quod attinet ad monasterium sancti Erasmi, nunc possidetur a patribus Olivetanis, estque parœcialis ecclesia, dicta sancti Erasmi de Castallone, diœcesis Caietanæ. Hæc me monuit amicus noster domnus Erasmus-Gattola Casinas, cujus propinquus fuit Johannes-Gattula, sancti Erasmi abbas commendatarius anno M CCCC LXV. ac demum episcopus Venafranus.

XXVIII. Alfonsus rex monachus.

In Hispania rex Alfonsus, eo nomine quartus, cognomento Monachus, qui regnum a Froïla injuria interceptum post ejus obitum ante annos fere septem receperat, popularium odio & rerum agendarum mole, cui par non erat, oppressus, fratri Ramiro regnum hoc anno tradidit, vitam principis monastica commutaturus. Ejus rei causa in sancti Facundi Saguntense monasterium, quod ad Ceæ fluminis ripam cernitur, monachi cucullam induit, otii cupidior, quam pietatis, uti eventus declaravit. Ramirus, regni cura suscepta, fratris ignaviam a se depellere cupiens, Mauris continuo bellum intulit. Verum in ipso armorum apparatu præclaros co-

ANN. CHR. 931.

natus repressit Alfonsi levitas, qui temere susceptum vitæ genus pari inconstantia repudians, regni habenas resumere tentavit. Mox Ramirus Legionem, ubi ille se receperat, arma convertit. Alfonsus, diu intra illam urbem obsessus, fame & rerum omnium victus inopia, necessario deditionem fecit. Capto vincula injecta, & custodiæ intra eamdem urbem locus assignatus.

XXIX. Tuto Ratisponæ episcopus obit. a *Arnolf. li. 1. de mirac. S. Emm. c. 6.*

Pervenit ad hunc annum Tuto Ratisponensis episcopus, qui *a septimo anno imperii* Conradi regis *usque ad duodecimum regni Heinrici Saxonis in hac vita permansit*, ut scribit Arnolfus [a] monachus sancti Emmerammi. Hinc corrigendus Hundius, qui Tutonis vitæ quinque annos detrahit. Sanctum faciunt Menardus & Bucelinus pridie idus Maii post Hundium, qui certum ejus mortis diem non assignat. Nullum de eo fit officium in ecclesia Ratisponensi. Ejus sanctimoniam satis adstruit Arnolfus gravis auctor: at beatum dicere satis fuerit. In eadem sede successit post Isengrinum Guntharius ex monacho, ut ipse Tuto, sancti Emmerammi.

Werthinense privilegium. b *Annal. Paderborn. p. 265.*

Heinricus Germaniæ rex apud Werlaham seu Werlam, Westfaliæ nobilem urbem, hoc anno morabatur, cum Witgerus abbas Werthinensis monasterii privilegia novo diplomate [b] roborari curavit, quo inter alia sancitum, ut, si quando episcopus illuc pergat, de suo procuretur: si quid vero abbas ei præbuerit, id episcopus, *non pro debito servitio, sed pro amore suscipiat.* Eadem privilegia post annos quinque denuo renovavit Otto Magnus ad preces ejusdem Witgeri abbatis, qui ad hanc præfecturam ex Corbeiæ-novæ monasterio postulatus fuerat. Indicem celebris illius loci abbatum exhibet Bucelinus in Germaniæ sacræ tomo primo.

ANN. CHR. 932.

XXX. Walbertus Corbeiæ abbas fit episcopus Noviomensis.

POstero anno tricesimo-secundo duo instituti nostri prælati ad episcopalem dignitatem provecti sunt, nempe Walbertus Corbeiæ-veteris abbas ad Noviomensem, Ingrannus sancti Medardi apud Suessionas decanus ad Laudunensem. Post mortem Airardi Noviomensis episcopi, quam hoc anno accidisse Frodoardus auctor est; quidam ejus urbis clericus, qui episcopatum ambiebat, noctu Adelelmum comitem clam in urbem per murum introduxit. Adelelmus, ejectis ex urbe militibus, clericum illum in illam sedem vi intrudere molitur. at exusta urbis porta regressi in urbem milites, cum opidanis & suburbanis comitem insequuntur, fugientemque in ecclesia ad altare obtruncant. Tum facta electio novi episcopi, omniumque consensu Walbertus Corbeiensis abbas electus, ordinatusque Noviomensium antistes. Is biennio post litteris suis confirmavit donationem [c] cujusdam prædii in villa Seuviliaco, quam Oduiz nobilis matrona, uxor Adelgaudi, una cum filio suo Gerrico fecerat *canonicis degentibus in monasterio sancti Eligii confessoris Christi extra muros Noviomum.* qui canonici monachis tum eo in loco successerant. In his litteris, quarum authenticum exemplar vidimus, Waldbertus seu Waldebertus *sanctæ Noviomensis, Vermandensis, atque Tornacensis ecclesiæ episcopus* dicitur. *Actum Noviomo civitate sub die idus Aprilis, anno* XI. *regnante Rodulfo rege.* qui undecimus annus ab idibus Julii anni sequentis inchoatus erat, proinde necdum finitus idibus Aprilis anni nongentesimi tricesimi-quarti, quo hoc instrumentum confectum est. Appensum est sigillum Waldberti episcopi ex cera alba, cum ejus effigie & hac inscriptione: SIGIL. WALBTI NOVIOM. ET TORNACENSIS EPI.

c *Diplom. p. 567.*

Berengarius abbas S. Præcordii corpus obtinet. * *Vesly.* d *V. Bolland. 1. Febr.*

Walberto successit in abbatiali Corbeiæ regimine Berengarius, cujus tempore corpus sancti Præcordii confessoris, natione Scotti, ex opidulo pagi Suessionensis Vasliaco * ad Axonam, ubi mortuus sepultusque fuerat, in Corbeiense monasterium illatum est, quod Scottus [d] quidam, ejus loci capellanus, furto sublatum in patriam reportare volebat; sed furto deprehenso, dum Thiardus loci presbyter sacrum loculum per Corbeiæ suburbium Folliacum referret, Corbeienses hac de re admoniti eum retinuerunt. In martyrologio Nevelonis Corbeiæ monachi consignatur nonis Junii *exceptio corporis sancti Præcordii confessoris.* quo die humus, longa ariditate siccata, multo imbre compluta est. Natalis ejusdem sancti dies ibidem notatur kalendis Februarii. Hic unus est e sanctis ejus loci patronis tutelaribus, maxime ad pluviam vel serenitatem obtinendam invocari solitus. Vasliaci parochialis ecclesia ejus quoque patrocinio gaudet cum adjuncto prioratu, qui a monasterio majori sancti Crispini pendet. Ibidem antiquitus pinguis præpositura erat abbatiæ Corbeiensis cum utraque jurisdictione, Philippo quarto Francorum regi concessa ad communiam, ut vocabant, Corbeiæ redimendam.

Hoc

ANN. CHR. 931.

XXXI. Ingrannus fit episcopus Laudunensis.

Hoc ipso anno, ut jam dixi, Ingrannus decanus monasterii sancti Medardi Suessionensis Lauduni episcopus ordinatur, teste Frodoardo, in locum scilicet Gozberti præsulis, ipso anno defuncti. quo tempore abbatia ejus loci, quam tenebat Heribertus Viromandensis comes, Rodulfo regi cessit. Hic videtur esse Ingrannus, ad quem Odilo sancti Medardi cœnobita scripsit libellum de adventu & susceptione plurimorum sanctorum martyrum, Tiburtii scilicet & aliorum, quos Hilduinus abbas in illud monasterium transferri curaverat. Ingranno in decani munere videtur successisse Gerardus, *venerabilis pater cænobitarum* dictus in epistola, qua Gerardus ipse vitam sancti Romani Rotomagensis antistitis dirigit Hugoni ejusdem urbis archiepiscopo, a quodam Suessionensi clerico in castro Braina repertam, datamque nepti ipsius Gerardi, quæ in monasterio sanctæ Dei-genitricis Mariæ apud Suessionas Deo sacrata erat. Exstat hæc epistola in tomo primo nostrorum Analectorum, scripta eo tempore, quo Braina erat in potestate ecclesiæ Rotomagensis, eidem ab Heriberto comite hoc anno vi subtracta, uti Frodoardus tradit. Ingrannus quatuor dumtaxat annis episcopatum tenuit.

XXXII. Hucbaldus monachus Elnonensis obit.

Johannes Iperius hoc anno collocat Hucbaldi monachi Elnonensis obitum, quem Sigebertus anno præcedente, forte pro veteri calculo, reponit. Vir fuit pru tempore litteris instructus, quas in Sithiensi monasterio & in ecclesia Remensi docuit. Dum Remis versaretur, interpellatus est a clericis, qui tunc sancti Theoderici monasterium occupabant, ut hymnos de sancto Theoderico abbate, & cantum in ejus officio (nam & musicus, & poëta erat) componeret. quod ille exsecutus est, eo pacto, ut illi memoriam ipsius, cum viventis, tum defuncti, in divinis officiis agerent, ut legimus in epistola, prædicto sancti Theoderici officio præfixa cum hac inscriptione: *Dilectis in Christo patribus ac fratribus congregationis almi confessoris Christi Theoderici, Hucboldus humilis, licet indignus, officio sacerdos, habitu monachus, omnem felicis vitæ jocunditatem.* Hanc epistolam in appendice integram leges. Idem auctor multas aliorum sanctorum vitas scripsit, eorumque cantus *dulci & regulari melodia composuit*, ut Sigebertus [a] loquitur. Notum est ejus carmen trecentorum versuum ad Carolum-Calvum de laude calvorum, cujus omnia & singula verba a littera C incipiebant. Ingratus & inutilis labor in re tam ludicra. Utilior fuisse videtur alius ejus liber de arte musica, sic contemperans chordas monochordi litteris alphabeti, ut quivis per eas absque alterius magisterio cantum sibi ignotum discere potuisset. Pleraque ejus opera Miræus recenset in notis ad Sigebertum, omissa tamen vita sanctorum Cyrici & Julittæ, laudata in ejus epitaphio, quod legi in codice Lyrensi, sed luce haud dignum.

[a] Sigebert. de script. c. 107.

XXXIII. Broniense monasterium privilegio donatur.

Jam tum celebrari cœperat Broniense monasterium sub Gerardo primo ejus auctore & abbate piissimo, cujus rogatu Heinricus rex, Auceps cognominatus, ejus loci possessiones hoc anno confirmavit. Ejus rei gratia Gerardus regem adiit Aquisgrani tum degentem, postulaturus, ut cœnobium, quod ipse ex hereditate propria in loco pagi Lomacensis, Bronio dicto, *conversus nuper construxerat* in honore sancti Petri apostolorum principis, & sancti Eugenii Toletani archiepiscopi & martyris, potestate regia tuendum susciperet, allodiumque & prædia, quæ jam dictus abbas nobilissimus eidem loco ad subsidia monachorum ibidem Deo servientium contulerat, immunitate regia dignaretur. quod rex benigne annuit, rogatque insuper comitem Namucensem, in cujus ditione Bronium consistit, ut auxilium & opem suam eidem monasterio impendat, quo particeps secum exsistat ipsius ecclesiæ orationum. Cetera, quæ in hoc diplomate habentur apud Miræum [b], ex aliis litteris adjecta videntur. *Data nonis Aprilis anno dominicæ incarnationis* DCCCC XXXII. *indictione quinta, regnante Heinrico rege glorioso anno* XIII. *Actum Aquisgrani palatio.*

[b] Mir. cod. donat. p. 115.

XXXIV. Majori-monasterio præceptum immunitatis confirmatum.

Majoris-monasterii abbatiam, uti & sancti Martini, tunc tenebat Hugo dux Francorum, Rotberti regis filius, Albus cognominatus, qui Rodulfo regi contra Heribertum comitem fidelis adhærebat. Is pro suo in Majus-monasterium studio immunitatem ei, quam superiores Francorum reges tribuerant, hoc anno renovari petiit. Ejus rei notitiam nobis præbet Rodulfi regis præceptum, quo prædictum cœnobium regiæ defensionis & immunitatis præsidio munit, ut, sicut temporibus Magni Caroli, atque filii ejus Ludovici quondam augusti, seu etiam alterius Caroli regis serenissimi, necnon domni Odonis æque gloriosissimi regis, tam ipsum monasterium, quam omnes ejus possessiones, quæ ad peculiaria stipendia & necessa-

AN. CHR. 932.

» rios usus monachorum collatæ fuerant, sine quavis diminutione eisdem serventur, » ab omni subjectione & exactione immunes, eo pacto, ut monachos ejus loci, tam » pro domno Odone gloriosissimo rege, quam pro domno Rotberto serenissimo rege, » Deum exorare delectet. *Data nonis Octobris, anno domni Rodulfi serenissimi regis* x. *Actum Compendio palatio in ipsa sancti Cornelii basilica.* Heribertus notarius ad vicem Abbonis præsulis necnon archicancellarii recognovit. Vereor ne canonicorum loco hic positum sit nomen monachorum; aut forte utrosque simul fuisse permistos dicendum est. nam per id tempus canonicos sæculares Majori-monasterio incubasse varia ejus archivi instrumenta probant ab anno saltem undecimo Rodulfi regis ad annum xxvi. Lotharii, quo tempore sub Hugone duce & abbate præcipui officiales ejus loci erant decanus, archiclavis & præpositus.

XXXV. Rodulfi præceptum pro monasterio Montis-olivi.

a *Capitul. to. 2. col. 1536. & seqq.*

Nihil potestatis Rodulfus rex in Septimania habuerat ante hunc annum, quo Ragemundus & Ermingaudus principes Gothiæ, referente Frodoardo, ei se committunt; Lupus quoque Acinarius Vasco, qui equum centum amplius annorum, adhuc tamen validissimum, habuisse fertur. Hujus Septimaniæ subjectionis Rodulfo regi factæ argumentum nobis suppeditat ejusdem regis a præceptum, quo ratam habet donationem quorumdam prædiorum in pago Carcassensi, a quodam Dalmatio milite factam abbatiæ sancti Johannis-Baptistæ in castro Malasti, vulgo » Montis-olivi, ut sancti monachi, ibidem Domino servientes, ea sine ulla contra» dictione possideant, per jussionem domni Arifonsi abbatis ejusdem loci. *Data* III. *kalendas junias, anno nono regnante Radulfo rege. Actum Ansa * villa*, qui locus est ad Ararim quatuor leucis supra Lugdunum. Ansigisus episcopus, Trecensis scilicet, recognovit. Idem Arifonsus abbas, cujus antea jam mentio facta est, anno præcedente permutationem quarumdam rerum fecit cum Gimera Carcassensi episcopo, cujus hæc verba sunt. *Omnium sæculorum cognoscat posteritas, quia ego Gimera, qui divina dispositione sancti Nazarii Carcassensis titulo fungor, per consultum & per consilium cathedralium clericorum meorum, propter utilitatem & adjacentiam ecclesiæ nostræ, commutationis obtentu, non alienationis districtu, (quia qui utiliter commutat, nullatenus alienat) commutamus ad cænobium almi Johannis-Baptistæ, quod vulgariter dicitur Castrum-Malasti, & ad archimandritam*, id est abbatem. *ejusdem loci, cognomine Arifonsum, sanctamque caterυum inibi Deo famulantium, de rebus possessionis sedis nostræ, videlicet sancti Nazarii martyris, in regno Septimania, in comitatu Karkassense, villam, nomine Crissagum, cum ecclesia sanctæ Columbæ, &c.* Contra vero Arifonsus abbas & monachi dant villam Albam cum ecclesia sancti Petri, &c. *Ut ergo auctoritas ista firmiori valeat omni tempore subsistere vigore, eam manu propria, manibusque canonicorum nostrorum roboratam, in sancto episcoporum concilio eorum manibus roborandam obtulimus.* Nullæ tamen subscriptiones habentur in veterrimo exemplari, ex quo hæc desumta sunt; nec locus concilii indicatur. *Acta commutationis hujus series anno incarnationis dominicæ* DCCCC XXXI. *sub æra* DCCCC LXIX. *indictione* IV. Anno insequente, id est eo ipso, quem præ manibus habemus, Umbertus quidam nonnulla prædia apud Montem-Calvi in episcopatu Diensi confert » ecclesiæ sanctæ Mariæ, in episcopatu Uzetico sitæ, quæ vocatur Casa-nova, seu » Gordaniæ, ejusque loci monasterio, multam imponens hujusce donationis viola» tori *centum solidos ansoliatos*, super altare sanctæ Mariæ ponendos. Facta charta » donationis feria tertia x. kalendas Augusti, regnante Rodulfo rege. Hæc cella est monasterii Anianensis.

* *Ansa.*

ANN. CHR. 933.

XXXVI. Johanis papæ privilegium pro Vizeliaco, ejusque incarceratio.

b *Spicil. to. 3. p. 463.*

Appetente anno ejus sæculi tricesimo-tertio Johannes papa XI. Vizeliacense privilegium confirmavit novo diplomate, quod Aymoni b venerabili abbati, » ejusque congregationi inscriptum est per manum Andreæ scriniarii, datum vero » VI. idus Januarii, indictione sexta, anno pontificatus Johannis tertio, per manum » Gregorii sacellarii sanctæ Romanæ ecclesiæ. Aymoni abbati suffectus Guido, qui novum itidem privilegium a Marino papa obtinuit. Ex notis chronicis superioris privilegii intelligimus, Johannem papam VI. idus Januarii nondum in vincula conjectum fuisse a fratre suo Alberico, qui, ut Romæ solus dominaretur, matrem quoque suam Marociam recluserat. quod factum hoc anno missi Remensis ecclesiæ, qui Artaldo archiepiscopo pallium detulêre, Roma reversi nuntiarunt, teste Frodoardo. Invisa erat hæc Alberici potentia in primis Hugoni regi, qui Urbem tum

vi, tum arte sibi subjugare, & Albericum ipsum Aldæ filiæ suæ conjugio sibi devincire frustra tentavit. Ubi id non successit, opidis Romanæ ditioni subjectis arma intulit, ac, bello in sequentes annos continuato, tandem omnia in potestatem redegit. Atque ut regnum sibi magis confirmaret, Lotharium filium, ex Alda uxore susceptum, regni socium sibi adjunxit, & Adeleïdem, Rodulfi Burgundiæ regis filiam, mox illi in matrimonium collocavit.

ANN. CHR. 933.

XXXVII. Ratherius exsul librum scribit.

Non solus Albericus Hugoni adversabatur, sed etiam Italici, qui tædio regni ejus affecti, maxime quod Lamberto Tusciæ marchioni, vitrico suo sibi suspecto, oculos erui jussisset, Rodulfum Burgundiæ regem per nuntios in Italiam, ad resumendum imperium, revocant. Ea re animadversa, Hugo partem Provinciæ Rodulfo tradidit, & sacramento, se posthac ab Italia temperaturum, eum obstrinxit. Italici nihilo secius in proposito persistentes, Arnoldum Bajoariorium ducem in Italiam advocant. Ille ocius conducto exercitu advolat, & Tridentinam marchiam prætergressus, Veronam accedit, ibiqué a Milone comite & a Ratherio episcopo, qui in primis ipsum acciverant, est acceptus. quod ubi Hugo rescivit, raptim valida militum manu contracta, istuc accessit; tum prœlio commisso, adversarium funditus profligavit, & Arnoldo ipso cum Milone in Bajoariam pulso, Veronam urbem & Ratherium episcopum in potestatem redegit. Ratherius Papiam relegatus, librum de exsilio suo, ut illis temporibus elegantem, scripsit. Hunc librum variis nominibus ab ipso auctore, *Agonisticon*, *Meditationes cordis*, *Volumen præloquiorum* inscriptum fuisse testatur Folcuinus Laubiensis abbas ejus æqualis: quem librum ad relegendum, sive ad eum approbandum eruditissimis, quos noverat, viris misisse traditur, Sobboni videlicet & Widoni archiepiscopis, Godescalco & Aurelio præsulibus; necnon & Brunoni & Rotberto Galliarum archiepiscopis nobilissimis & doctissimis; postremo Frodoardo Remensi presbytero, missis unicuique eorum epistolis, quæ in Laubiensis ecclesiæ scriniis tempore Folcuini servabantur, nunc vero cum ipso libro desiderantur. In hoc libro nonnulla, quæ legentibus non minus placere quam prodesse possent, inveniri auctor est Liutprandus [a] diaconus Ticinensis. De hoc exsilio suo ita scribit Ratherius ipse in epistola ad Johannem XII. ubi, postquam Hugonis infensum in se animum dixit ob adeptum Veronæ episcopatum, hæc subdit. *Adhibuit undique persecutores & adversarios, qui aut deterrerent me, ut effugerem; aut irritarent, ut in illum excederem, & ut expellendi me inveniret occasionem. Nactus est: cepit me, retrusit in custodiam in quadam Papiæ turricula, non dico sine mei culpa; sed citra legem ita hæc egit, & sine audientia. Dicat hic quisque quod volet. Temerariis enim judiciis; juxta Augustinum, plena sunt omnia. Confiteor vero, ex quo eum primitus vidi, usque dum hominem exuit, semper me Theodosii felicitatem imperatoris illi optasse, & adhuc ejus recordatione me graviter affici dolore.* Tum addit, se duobus annis & dimidio priorem hanc pertulisse persecutionem, & totidem annis carcerale supplicium, nempe in illa turri Papiensi; indeque emissum subiisse totidem annis aliud exsilium.

[a] Liutpr. li. 3. c. 4.

XXXVIII. Clerici ipsi infesti.

Ex illis persecutoribus, quos Hugo primum in Ratherium concitavit, præcipui fuere clerici, quos admonendo sui officii, infestos sibi reddidit, stimulante Hugone. Plurimi eorum nec ipsum symbolum, qui apostolorum creditur, noverant. quare paterne eis præcipit, ut triplex symbolum condiscerent, id est Apostolicum, *sicut in psalteriis correctis invenitur*; Constantinopolitanum, quod in missa canitur; & Athanasianum. Illi vero hæc addiscere præfracte recusarunt. Alia etiam ab eis exigit, quæ in synodica ejus epistola commemorantur. Dum vero canonice contra ipsos agi metuerent nonnulli, assensere tandem *titularii & plebani*; contra vero *cardinales*, qui scilicet cathedrali ecclesiæ incardinati erant, ut Ratherius ipse fusius in Itinerario suo exponit. Hinc plerique in episcopum insurgunt, alentes, nihil episcopo reliqui esse debere [b] præter chrismatis confectionem & chrismandi potestatem: de cetero nihil ad eum pertinere, de quibus clerici vivere deberent. nimirum ut hoc pacto ipsos privandi beneficiis suis potestatem ei adimerent. Dein mores illius carpere, doctrinam suspectam reddere, conviciis lacerare. quæ ille in libello, qui *Qualitatis* [c] *conjectura* inscriptus est, multis prosequitur: ex quibus hæc commemorare juvat. nempe dictitabant, quia erat pauperrimus, eum nolle ministrum vel capellanum habere: mores, lectionem, & cantum carpere clericorum; inlegale conjugium vocare adulterium; legem tenendam contra consuetudinem; opus ser-

[b] Spicil. to. 2. p. 162.

[c] ibid. p. 200. & seqq.

AN. CHR. 933.

» vile interdicere dominica die; vestibus & calceamentis incomtis uti, non quibusvis » pretiosis; filium esse carpentarii, ideoque tam propensum esse ad basilicas condendas vel restruendas; servilibus occupari ministeriis; frequentius humi vel super » scamnum decumbere; quoslibet ad mensam adhibere; regem aut magnates non » adire, nihil ab eis petere; munera etiam respuere; nolle ut pedem ipsius quisquam » osculetur, in libris legendis totum esse; frequentiam hominum odisse; solitudinem » amare, ludos aversari: non curare, si quis de ipso obloquatur, ita ut duodecim » nummos cuidam conviciatori suo dederit: jejunare usque ad nonam, ut pœnitentiam pro aliis agat: in summa, volenti ejus mores perspectos habere, præsto esse » librum ejus confessionis, qui omnes ejus actus explicet. Hæc fere clericorum illorum in Ratherium accusationum capita. Tot convicia, tot Ratherii elogia.

XXXIX. Culpatus quod in quadam abbatia clericos monachis substituisset.

Tolerabilius videbatur aliud accusationis caput, quod ex quadam suæ diœcesis abbatiola, quæ [a] Magonziacus vocabatur, monachis amandatis clericos substituisset. Hæc Veronensi ecclesiæ subjecta erat ea lege, ut, vel mortuo abbate, vel prave agente, alter ab episcopo ex eadem diœcesi sufficeretur, qui monachos ad scita regularis disciplinæ vivere compelleret. Incenso ab Hungaris cœnobiolo, cum eo res ejus loci devenisset, ut ipse, qui abbatis titulo falso gloriabatur, ab infami carnis flagitio revocari non posset, nedum propriis voluntatibus ac desideriis, ut regula monachorum præcipit, nuntium remittere; nec facile occurreret, qui ejus vices recte suppleret; constituit Ratherius, ut illic tres interim presbyteri cum uno diacono, subdiacono, & aliquot clericulis, officia divina explerent, ut inibi nullo die missa deesset, sed ea conditione, *ut cocullum nemo illorum portaret*; & in præclaris festivitatibus, quibus in mensa communi simul corpus reficerent, lectionem ad mensam haberent, & post cibum eadem, quæ monachi, cantarent. Nec plura de hac controversia in Ratherii libello, qui mutilus est in exemplari, ex quo Acherii nostri editio comparata est. Maguzanum monasterium vocant, Vemagazanum Eugenius tertius in litteris [b] ad Theobaldum episcopum Veronensem.

a ibid. c. 236.

b Ughel to. 5. p. 733.

XL. Ratherii quædam scripta in exilio.

Dum Cumis exsularet Ratherius, libellum vitæ sancti Ursmari Laubiensis abbatis primi ibi reperit, sed stilo adeo barbaro & mendoso scriptum ab Ansone abbate, ut eum expoliendum, & expolitum suis Laubiensibus pro antiqua necessitudine inscribendum ac mittendum censuerit. Ratherii hæc inscriptio est: *Dominis reverendissimis, patribus dilectissimis, & doctoribus eruditissimis, cuncto etiam Christicolarum gregi in Laubiensi cœnobio degenti, Ratherius ejusdem quondam monachus, modo vero Veronensium episcopus, utroque hoc, licet divinitatis dono, penitus indignus.* In subjecta epistola ait, se istum libellum, rebus quidem contentis instar auri obrizi pretiosum, » at solœcismis scatentem cum præfatione cujusdam Ansonis viri sancti reperisse, cum » apud venerabilem nuper Cumanæ ecclesiæ episcopum exsul ageret: sibi visum esse » quoddam operæ pretium, ut, servata rerum veritate, libellum politiori stilo exornaret, suisque Laubiensibus dirigeret. Acciperent itaque in testimonium pristinæ suæ » in ipsos caritatis hunc libellum ita expolitum a suo, si non tunc filio, at servulo, &, » quod dolendum, fugitivo & exsule, eumque cum suis exemplaribus conferrent. Cumanus seu Comensis ille episcopus, apud quem tunc Ratherius exsul detinebatur, Azzo [c] erat, domo Gallus, qui Hugonis regis favore illam sedem obtinuerat. Ex illa urbe Ratherius translatus est in Provinciam Galliæ, ubi filium cujusdam viri ditissimi, nomine Rostagnum, forte qui postmodum Arelatensis episcopus fuit, litteris imbuendum rogatus accepit. quo in munere condidit librum de arte grammatica, quem ludicro nomine *Spera-dorsum* inscripsit. Hujus eruditionis causa episcopatus illi in ista provincia concessus est: sed ipse non multo post, relicto episcopatu, Laubias reversus est.

c ibid. c. 260. & seqq.

XLI. Berta Suessionensis abbatissa.

Inter ea Rodulfus rex Francorum sensim regnum suum prolatabat, recepta superiori anno tota Septimania, atque hoc anno Vienna civitate ab his, qui eam tunc tenebant. Tunc etiam Willelmus Nortmannorum dux, Rollonis filius ac successor, ei sese commisit. Ad hæc Castrum-Theoderici ad Matronam, quæ Heriberti comitis arx erat, post sex hebdomadarum obsidionem expugnat. Illic cum versaretur, ad eum accessit Berta [d] beatæ Mariæ Suessionensis venerabilis abbatissa, rogatura, ut » clericis sancti Petri, ejus parthenonis ministris, quorum claustrum & cetera habi» tacula tunc incendio concremata fuerant, tredecim areas ad ea instauranda con-

d Diplom. p. 566.

ANN. CHR. 935.

cedere dignaretur. Rex annuit roganti, dato præcepto Castello Theoderici III. nonas Martii, regnante Rodulfo rege gloriosissimo anno XI. Ansusus episcopus recognovit. is est Ansegisus Trecensis episcopus, qui archicancellarii officio tunc non raro fungebatur. Hugo cancellarius ad vicem Ansusi episcopi aliud præceptum recognovit, quo Rodulfus rex, ad preces[a] ipsius Ansuti episcopi & Gausfredi comitis, *caput abbatiolæ sancti Pauli, Senonicæ civitati contigua*, confirmat Adelardo fideli suo & uxori ejus Plectrudi, & nepoti Geiloni. Actum Autisiodoro V. kalendas Januarii, indictione VI. anno XI. regnante Rodulfo rege. ubi apud Perardum mendose legitur *anno* VIII. & *Ansuli episcopi* loco Ansusi. Sic tum abbatiæ laicis hominibus in beneficium pessimo exemplo concedebantur. cujus rei plura occurrunt exempla, quam religio postularet.

[a] Perard. p. 163.

XLII. Gualdricus Autisiodori episcopus obit.

Ad hunc annum Frodoardus revocat obitum Waldrici seu Gualdrici Autisiodorensis episcopi, qui post annos quindecim episcopatus XI. kalendas Maii fato functus est, atque honorifice sepultus in basilica sancti Germani, ubi a teneris monachus, dein archimandrita fuerat. Hic *amator clericorum* exstitisse prædicatur, sed *in primis monachorum, quorum studiis & conversatione a primordio fuerat institutus.* Post mortem Gnidonis ejus successoris, qui annis viginti-novem eam ecclesiam rexit, episcopus creatus est Richardus, beati Germani a pueritia itidem monachus. Hoc vero monasterium interim administrabant præpositi sub sæcularibus abbatibus, Hugone Magno & aliis usque ad sanctum Maïolum, cujus opera ibidem prisca vitæ regularis forma & electio abbatum restituta est.

XLIII. Gorziensis monasterii reformatio & viri illustres.

Insignis est hic annus secessu venerabilis Agenoldi seu Einoldi, Johannis & sociorum, quorum superius[b] mentio facta est, in Gorziense agri Mettensis cœnobium, quod Adalbero Mettensis episcopus ipsis incolendum & in melius reformandum concessit. Hic locus, antea religione florentissimus, jam longo situ pæne in solitudinem redactus erat, & præter paucos sola veste monachos, qui illic religi degebant, quibus diurnæ stipis modica portio inferebatur, cetera, ornatu omni submoto, fœda locum facies infuscabat. Possessiunum, quidquid exterius fuerat, Adelbertus comes, vir genere quidem clarus, at ingenio ferox & violentus, tenebat ex beneficio episcopi, cui militabat. Is conjugem habebat sororem illustris cujusdam viri Lantberii, qui-cum discidia quædam habebat. Hic est Lantbertus, qui episcopi animum inclinavit ad retinendos Gorziæ viros illos sanctos, qui in Italiæ solitudines secedere constituerant. Ergo Lantbertus, pertentato episcopi animo, Bernacrum diaconum, qui eorum propositi conscius erat, compellit, ut piissimi illi viri Gorziensem sulitudinem Italicæ præferant. Itaque idem monasterium ingressi sunt hoc anno, obtinente regnum Lotharii Heinrico Germanorum rege, Einoldus atqne Johannes, Salecho ex clericis sancti Martini Mettensis citra Mosellam, Randincus presbyter tituli sancti Symphoriani ejusdem urbis, Bernacer diaconus mox laudatus; cumque his adolescentuli duo, Teuthingus minister domni Einoldi, & Teutherus Randinci nepos. Hi omnes Gorziam introgressi, in veste clericali aliquamdiu illic manserunt, donec scilicet eo veniret episcopus: a quo eligendi more monastico abbatis facultate petita & accepta, cum institutione vitæ regularis habitum quoque commutarunt. Electus unanimi consensu Einoldus, *ipse primus omnium episcopo regularem conversationem ex instituto beati Benedicti professus, & cruci dominicæ dedicandus, cucullo induitur*: ceteri vero abbati ex ordine profitentes, *in militia cælestis & obedientiæ sacramenta sub ipso omnes similiter pari modo conjurant.* Pauci, qui ex vetusta conversatione illic supererant monachi, exemplo novorum *in communionem vitæ & ipsi assensi sunt.* His peractis, Johanni rerum exteriorum, in quibus exercitatus erat, & cellarii cura imponitur: Bernacer vestiarium sive cameram fratrum procurabat. Census eis & annona principio admodum tenuis: sed eam *interioris animi thesaurus facile tolerabilem faciebat, fidesque in Deum plena, quæ nescit defectum.* Movit religiosos quosque diversorum locorum viros nascentis gratiæ odor, ut novis alumnis certatim necessaria impenderent. Ipse Johannes, quidquid in sæculo facultatum habebat, monasterio contulit, ea conditione interposita, ut, dum is viveret, in usus monasterii impenderentur, ipso vero mortuo, non aliter ab heredibus, si qui forte proximiores tunc essent, repeti possent, nisi prius argenti libras triginta monasterio persolverent. Superstes ei erat mater secundo viro vidua, quæ cum aliquot ex sua familia Gorziam ad Johannem

[b] lib. 42. n. 59. & seqq.

ANN. CHR. 933.

filium recurrit, ibique ex ſtipe monaſterii extra ſæpta cum ſuis alita, veſtes monachorum reficiebat, ibique *in ipſo devotionis obſequio diem clauſit extremum.*

XLIV. Humbertus & Andreas illis ſe adjungunt.

Eiſdem etiam ſanctiſſimis viris adjuncti ſunt & alii, qui olim eis familiares fuerant, Andreas ſcilicet Britto, atque Humbertus, qui ambo Einoldo & Johanni non imparis ſanctitatis incitamenta, & quidam quaſi ſtimuli ad virtutes fuere. Hi, ut fama vulgante eos Gorziam ſe recepiſſe, & plurimos undique ad eos divinæ ſervitutis amore certatim confluere intellexerunt; ipſi quoque, nullo retardati obice, iſtuc animo atque intentione pari, ſaltem ſecundi convolarunt; & monaſticam inſtitutionem profeſſi, quibus olim prævii duces ac magiſtri fuerant, jam eorum ducatui & magiſterio ſubjici nec abnuerunt, nec erubuerunt. Et cum Andrea quidem germanus ipſius Maginfridus, poſtea alii quidam ejuſdem gentis, ſcilicet Britonicæ, ſunt ſubſecuti: cum Humberto vero bonæ indolis adoleſcens, Milo nomine, ejus miniſter, etiam ſuſceptus eſt, non minimo poſtmodum uſui futurus. Erat Humbertus jam multos annos recluſus Virduni, ut ſuperius diximus: cujus prima converſio hac occaſione accidiſſe traditur. Cum ruri in paterna domo (nam ruralibus parentibus natus erat) verſaretur, quidam ejus noti & affines eo diverterunt. Illi cubitum euntes, lanceolas, quas de more geſtabant, fœni acervo proximo, verſo ſurſum ferro, apponunt. Forte Humbertus adoleſcens, conſcenſo acervo, ibidem, rei neſcius, obdormierat ad multam noctem: cum ſomno excitus egredi volens, per acervum ſenſim ſe demittens, in erectos cuſpides incidit, ita ut interula veſte ferro terebrata, per haſtile uſque ad terram decurreret, ſed Deo ſervante ſalvus & incolumis. quo conſpecto periculo, præſentem circa ſe Dei cuſtodiam conſiderans, in reliquum vitæ ei tota virtute ſervire conſtituit. Nec multo poſt, licet patre plurimum reluctante, rebus cunctis poſthabitis, Romam proficiſcitur: indeque reverſus, cellulam recluſoriam Virduni ſibi componit: ubi diuturnæ abſtinentiæ, ceteriſque bonorum operum ſtudiis totus deditus, lectione quoque aſſidua brevi non modicum ſcientiæ theſaurum ſibi comparavit, adeo ut, Spiritu tantum magiſtro, cum rudis antea eſſet, ſapientibus repente non diſpar, certe ſuperior in multis exſtiterit. Hic duæ ejuſdem urbis religioſæ feminæ, cellula ſeorſim remotæ, ab eo inſtitutæ, ex feneſtra tantum cellulæ ſalutaria doctrinæ & inſtitutionis verba ab eo percipiebant. Aliæ item duæ, ejuſdem adhortationibus accenſæ ſunt, quarum altera poſtmodum mater plurimarum ancillarum Chriſti facta eſt in Buxerienſi Tullenſis pagi monaſterio, quod a bonæ memoriæ Gozlino epiſcopo conſtructum poſtea dicturi ſumus. In ea itaque recluſoria cellula Humbertus multos annos agens, cum Tullum-Leucorum, Einoldi viſendi gratia, veniſſet, eique Johannem notum feciſſet, inde propria repetiit; at ubi eorum receſſum Gorziam ex fama percepit, cum eis & ipſe ibidem habitaturus accurrit: qua in ſocietate piiſſime converſatus eſt, donec cauſa religionis exinde in Tullenſe ſancti Apri monaſterium tranſlatus eſt, ubi in cura dominici gregis beato fine quievit. Andreas vero poſtquam in eadem ſacra militia plurimam ætatem confeciſſet, jam ſenex & emeritus Romam, poſtulante Agapito papa, miſſus eſt, ut monaſticum ordinem in monaſterio ſancti Pauli reformaret.

XLV. Aliique plures.

Jam vero ſanctæ hujus ſocietatis fragrans odor circumquaque reſperſus, non ſolum eos, qui jam divino mancipati erant obſequio, iſtuc attraxit: verum alii quoque, qui eatenus quodam veterno frigidi torpuiſſe videbantur, horum exemplis concitati, ad eorum conſortium ardentiſſime feſtinabant. In his primas tenuit patruus jam dicti venerabilis antiſtitis Adalberonis, nomine Fridericus, qui in Andaginenſi ſancti Hucberti in Arduenna monaſterio, ubi regularis vitæ, ut alibi paſſim, ardor intepuerat, a puero educatus, atque adeo laxiorum monachorum exemplis conformatus, epiſcopo jam grandævus adhærebat, non inutilis aſſecla, utpote cujus monitis & conſiliis juveniles Adalberonis impetus & actus regebantur. Tandem vero hanc ſervorum Dei religionem ſecum retractans, poſthabitis vitæ commodioris illecebris, ocius eis acceſſit. Nec multo poſt ob præclaras animi dotes poſt abbatem præpoſitus inſtituitur, Johanne ipſi in coadjutorem adjuncto; ac demum Richarii Leodicenſis epiſcopi rogatu proprio ſancti Hucberti monaſterio præfectus abbas, priſtinum eidem loco religionis ſplendorem reſtituit. Per id tempus id accidit, quod in libro de miraculis ſancti Hucberti epiſcopi legitur de Erluino comite Gabelienſi, qui, ut erat multæ feritatis & rapacitatis, Andaginenſis

monasterii possessiones invasit, ausúsque est manum immittere in Mononem præpositum monasterii, qua de re divinitus punitus est. Hic est sine dubio Herluinus comes, qui in synodo Trosleiensi, ante annos sex habita, ad pænitentiam venit pro uxore, quam alia vivente superduxerat. ANN. CHR. 933.

Alter post Fridericum Gorziam accessit Odilo, vir natalibus clarus, Virdunensis ecclesiæ primus ab episcopo curam gerens: qui, cunctis illis mordacibus curis ac sæculi facultatibus rejectis, sanctæ paupertati cum illis Dei servis se totum devovit, eam terrenis opibus longe pretiosiorem ducens. Is vero, jam adulto monasticæ conversationis robore, a Stabulensibus exoptatus, ibidemque promotus abbas, quæ illic prava forte reperit, ad rectitudinis lineam correxit. Eodem abbate monasterii ædificia, quæ incendio conflagraverant, reparata fuisse videntur. Agitur de illo incendio in libro secundo de miraculis sancti Remacli, quod contigisse dicitur eo tempore, cum Stabulenses monachi e villa Boviniaco, ubi tempore Nortmannicæ persecutionis consederant, jam pace reddita, domum contenderent. Tunc ad eos perlatum est triste nuntium, totum monasterium voracibus flammis absumtum fuisse. Quam ob rem prædiolum Calcum, quod pæne solum in illa vastatione illis reliquum erat, adire visum est cum sancti Remacli corpore: ad cujus adventum pestilentissima lues, quæ mortales illic omnes devorabat, penitus restincta est. In eodem libro miraculorum, ubi de quodam monachorum insectatore in amentiam verso, & postea sanato, agitur, Odilo abbas laudatur, uti & in chronico Frodoardi, ubi synodo Virdunensi anno ejus sæculi quadragesimo-nono interfuisse dicitur. Idem Notcherum monachum, qui postea Leodicensis episcopus factus est, ex monasterio sancti Galli ad suos erudiendos evocasse fertur a Bartholomæo Fiseno, qui eum sanctum vocat, ejusque obitum refert ad annum ejus sæculi quinquagesimum-quartum. Ejus successor Werinfridus, vir religiosus & doctus, omnium artium præsul appellatur.

XLVI. Odilo abbas Stabulensis.

Eodem ferme tempore superioribus socium se adjunxit vir nobilitate & opibus præcellens Angilramnus, primo Tullensis, deinde sanctæ Mettensis ecclesiæ primicerius: qui Gorziam veniens, moles plurimi auri atque argenti, ceteræque supellectilis secum trahens, instar primitivæ illius apostolicæ turbæ, in usus pauperum Christi redigendas contulit cum multis prædiis, quæ monasterio testamento perpetuo donavit. Is cum tanto sumtu & apparatu admissus cum aliquot clientibus suis, ob reverentiam & liberalitatem personæ, mollius ceteris tractari cœpit, & amplius honorari. Hinc ille, ut qui necdum innatum magnatibus tumorem animo dispulerat, nequaquam, ut alii, dura pati, & pro his, quæ monasterio contulerat, paollo supra alios tumidius se efferre; adeoque increpationum haud patiens, monitis & adhortationibus non acquiescere; & quasi e superiori loco, ceteros inferiores reputans, in alios sententiam ferre; ac sibi pro morum similitudine adhærentes contra majorum scita tueri. Ad hæc pater Einoldus, ceterique in religione jam adulti, multa pro locis & temporibus suadere, reclamare, hortari, obsecrare, &, prout ætas pateretur, paullo severius obiurgare. Verum ille nonnumquam acerbiora in faciem regerens, vix contumeliis temperabat. Cum hæc longius procederent, & ingrata nimium tædia ceteris parerent; forte accidit, ut pro quadam insolita culpa acrius argueretur. Tunc ille animo majorem in modum concitato e conspectu abbatis & ceterorum, qui præsentes aderant, se se proripiens, claustrum egressus est, in sæculum reversurus. Mox insecuti fratres pavidi & tristes, eum in porticu exteriori subsistentem aggrediuntur; tum ejus genibus advoluti, nunc divini nominis obtestatione ne id faceret obsecrare, ne quod bene cœperat bonum male amitteret; nunc perpetuam, quæ se apud sæculum ex tali facto consequeretur, ignominiam objectare. Reminisceretur potius exacti ante laboris, quem tam turpiter in medio cursu desereret; reminisceretur denique extremi examinis, quod seni jam jamque immineret. Multis in hunc modum multo cum affectu expositis, cum ille adhuc inflexus, sua tantum sibi reddi responderet; se deinceps quid de se fieret satis curaturum: illi contra vehementius instare, & ex caritate, quæ modum nescit, animos viri in diversa versare; monita monitis, preces precibus instaurare. Tandem ille, divinæ miserationis respectu, in lacrymas resolutus, ilico rediit, & corpore nudato, fascibus virgarum manu prælatis, pœnam cum ejulatu exposcens, pedibus abbatis prosternitur, non modo lacrymis & gemitibus, verum

XLVII. Angilramnus ex primicerio monachus.

ANN. CHR. 933. totius gestu corporis, doloris magnitudinem protestatus; cæderet reum, cæderet rebellem, ne superbo & væcordi parceret, proclamans. Tandem pater pietatis plenus, aliique cum eo, manibus caritatis suppositis, prostratum solo erigunt, & cunctis, ut tanta dejectio merebatur, indultis, in numerum fratrum tota alacritate denuo recipiunt. Ab eo die tanta in ejus moribus conversio facta est, ut quisquis eum vidisset, alterum virum esse crederet. Hinc quippe abjectionem sui, & quæque extrema semper expetere, delicias & mollia respuere, difficilia & austeriora amplecti, in cibo & potu parciorem esse in dies, ac demum pulticulis farinæ contentum vivere. ad hæc viliora quæque, etsi jam ætate provectior, sedulus exsequi, coquinam, vestium & calceamentorum lotionem, communem in horto laborem, ceteraque vitæ regularis exercitia, quibus jam senex absolvi posse videbatur. Quanta vero precationum & orationum assiduitas esset, testabatur illud tugurium, quod ad tumulum domni Chrodegangi episcopi & loci fundatoris, tamquam cellam solitariam, sibi constituerat, in quam continuandæ orationis causa statim post fratrum synaxim noctu & interdiu se recipiebat. Denique juge ferme silentium ejus erat, in permissis colloquiis sermo rarus, vestium vilitas & horridus cultus, cilicium in usu, obsequia in fratres continua; in summa, ea humilitas, ut, honoris sibi delati impatiens, superiorem locum, tamquam infirmitate impediretur, non ferens, inferiori commutaverit. Tandem post tantam austeritatem viribus desatiscens, cum jam nec ad standum in choro, nec ad ceteros labores sufficeret, in tugurio illo perdiu & pernox remanebat ad Deum exorandum: ubi nocte quadam se quinto idus Septembris brevi moriturum intellexit. cui oraculo fides cito facta est. nam post paucos dies febre correptus, sola aqua per unum mensem usus, prædicto die ante mediam noctem decessit, scilicet postridie festi beati Gorgonii martyris ejus loci patroni, ad cujus festivitatem magna illuc ex diversis partibus religiosorum virorum turba confluxerat, quæ funus ejus honoravit. Ejus obitus ipsa, ut creditur, hora cuidam ipsius congregationis fratri, Adelgero nomine, tunc in Senoniensi Vosagi monasterio cum fratribus quiescenti, cælitus revelatus traditur.

XLVIII. Blidulfus & alii. Tot & tantis viris, qui principio reformatæ apud Gorzienses disciplinæ una floruerunt, quatuor alios annumerat Johannes abbas, scilicet Ansteum, qui postea apud sanctum Arnulfum abbas; Blidulfum & Isaacum monachos: quibus Wibertus Gemblacensis monasterii auctor, & Rambertus Senoniensis abbas accensendi sunt. De primo, tribusque postremis alias: hic de Blidulfo agendum. Blidulfus sanctæ Mettensis ecclesiæ archidiaconus, vir cum nobilitate generis, tum rerum copia quam maxime insignis, sed litterarum scientia ceteris præcellens, ex schola Remigii monachi ad id tempus superstes, ita rebus sæcularibus deditus erat, ut nulla in eo religionis vestigia cernerentur; adeoque pro miraculo habitum sit, quod de monastica vita vel cogitare potuerit. Verum is morbo repente correptus, venerabilem Einoldum ocius advocat, monachi habitum petit accipitque, statimque ad monasterium devehitur ægrotus. Post paucos inde dies corpore & animo convaluit, multis deinceps exemplo futurus, nulli in sancta conversatione inferior. Tum post aliquot annos majori calore virtutis accensus, in Vosagensem solitudinem divinæ contemplationis studio se recepit cum altero socio, Gundelacho nomine, qui ex Fuldensi monasterio primum Treviros ad sanctum Maximinum, dein Gorziam ad venerabilem Einoldum commigraverat; ibidemque perstiterat, donec ejusdem Einoldi jussu una cum prædicto Blidulfo ad restituendam in sancto Maximino regularem disciplinam Ogoni abbati socius datus est. Ogone mortuo, ambo Gorziam reversi, mox ad Vosagi remotiora loca simul secesserunt: ubi Blidulfo mortuo Gundelachus superstes, locellum ipsum usque ad finem vitæ incoluit, doctrinaque & vitæ puritate clarus, ibidem in Domino quievit.

a Chron. Senon. lib. 2. c. 9. Blidulfus iste non alius videtur ab eo, de quo agit chronographus [a] Senoniensis, tametsi quædam paullo diversa de eo refert hic auctor, qui in quibusdam circumstantiis facile ob temporum longinquitatem errare potuit. Hic itaque narrat, Blidulfum Mettensem primicerium, relictis omnibus quæ possidebat, in vallem Lebrath seu Lebrahæ, quæ in Alsatia sita est, se recepisse, ubi in clivo montis ad meridiem cellam erexerit, quam Bellum-montem appellavit, ibidemque ecclesiam exstruxerit cum novem altaribus, cancellis & cryptis, adjunctis circa illam claustro & officinis ad usum aliquot monachorum, quos illic adunavit. In his præ ceteris laudantur

ANN. CHR. 933.

dantur duo, genere & fide illustres, Willelmus & Achericus : ex quibus Willelmus tantæ sanctitatis exstitisse dicitur, ut in vita & post mortem miraculis claruerit, ejusque sacrum corpus e tumulo in scrinium transferri meruerit tempore cujusdam sacerdotis, nomine Hessonis : alter vero, scilicet Achericus, tantæ famæ fuisse, ut iste locus, dimisso Belli-montis nomine, Achericus appellarus sit, Mediano-monasterio postea subjectus. In hac duplici narratione hæc discrimina sunt, quod in priori Blidulfus Mettensis primicerius, in posteriori archidiaconus ; illic ex primicerio factus primum Gorziæ monachus, tum eremita cum Gundelacho ; hic ex archidiacono eremita cum Willelmo & Acberico. Sed hæc tanti non sunt, ut duos Blidulfos distinguere nos cogant. nam chronographus Senoniensis archidiaconum loco primicerii facile inducere potuit ; & forte Willelmus & Acbericus Blidulfo & Gundelacho successere. Restat bic paucis agendum de Isaaco Virdunensi canonico, qui in vita canonica pie conversatus, & jam canitie ipsa reverendus, biennio post Blidulfum Gorziæ admissus est : ubi cum mira simplicitate & innocentia sine querela aliquamdiu conversatus, beato fine quievit, audita cælitus voce, quæ ter Isaacum inclamabat, audiente domno Einoldo, qui proinde superstes erat. Cum itaque Isaacus Gorziam dicitur accessisse *ejusdem sancti collegii patre domno Odolberto*, hic patris nomine præpositus intelligendus est, non abbas, quod officium Odolbertus post Johannem Einoldi successorem, & Oilboldum adeptus est.

XLIX. Johannis virtutes.

Ex hoc diverticulo ad Johannem revertendum est, cujus vita quoddam quasi ceterorum speculum & communis virtutum schola fuit. Nullus eo humilior, nullus obedientior. In mutatione officiorum, ad infimum quam ad summum paratior, quidvis æquo animo accipiebat : longe dissimilis moribus plerorumque officialium, quibus cum exteriorum rerum procuratio commissa fuerit, mox quasi dominos in ea se gerunt, nec avelli ab ea se patiuntur. Aliis moribus Johannem assuefecerat Einoldus prudentissimus abbas, qui eum ex præposito decanum ; tum ex cellerario, vestium aut hospitum, infirmorumve curatorem subinde constituebat. Nullis injuriis aut contumeliis umquam ille adduci potuit, ut verbum ullum impatientiæ aut rancoris regereret. Hunc Fridericus præpositus, ut erat animo præfervido, persæpe gravibus verborum contumeliis, etiam publice & coram sæcularibus, lacessebat. Mox Jobannes ad terram se prosternens, perpetuum tenebat silentium, ex quo ille fiebat commotior. Postea Fridericus motu subsidente placidior, pedibus ipsius Johannis advolutus : Occidisti me, aïebat. Patientia, inquam, tua me occidit. cui Johannes : Immo vero animositas vestra vos occidit. Nec plura : lites ilico cessabant. Forte aliquando accidit, ut Jobannes cum Bernacro cellerario de re quadam familiari contenderet. His Einoldus abbas superveniens, altero discedente, Johannem ob contentionem increpuit. Illo protinus humi prostrato : Non, inquit, præter panem, aquam & salem quidquam percipias, dum licentiam dedero. Nullo verbo reddito humilis & mitissimus discipulus, triduo abstinuit, licet ferventissimi tunc essent calores, nec ob id soliti quidquam officii aut laboris prætermisit. Benignus in alios, sibi uni severus, nulli labori, nulli austeritati defuit. Cum quadragesimam pæne quotidianam ageret, abbatis jussu modum imponens, ad duas se quadragesimas restrinxit, quarum unam ab idibus Septembris ad natale Domini, alteram ab octavis epiphaniæ ad Pascha peragebat. In his dominica, tertia & quinta feria communem ceteris refectionem sumens, reliquos quatuor abstinebat dies, pane tantum & aqua contentus. In aliis rebus singularitatem omnino fugiebat, obviis quibusvis monasticis cibls de cetero uti solitus. De orationibus & vigiliis ejus mira prædicantur. Post nocturnas vigilias somnum nesciebat. In illo, quod vigilias inter & matutinas laudes intercedit, temporis spatio, nunc altaria circumire, nunc psalmos tacite recitare, nunc lucernis emungendis aut reficiendis dare operam ; quandoque scholas canentium fratrum adire, interdum retibus texendis operari ei mos erat. Et tamen tanta fuit illis initiis vigiliarum prolixitas, ut posteriorum imbecillitas in nonnullis coëgerit coartari. nam, signo ad vigilias dato, primo ternæ orationes fiebant (forte ad sanctam Trinitatem, ad Crucem, & ad beatam Mariam.) tum triginta psalmi a centesimo decimo-nono usque ad finem psalterii communiter recitabantur : quorum primi pro defunctis, medii pro familiaribus, extremi pro omnibus generatim erant. Brevioribus æstivis noctibus & festis diebus, quindecim tantum cantica graduum terna oratione distincta. Lectiones

ANN. CHR. 933.

hiemalibus vigiliis ita producebantur, nt prophetis, quorum lectio a kalendis Novembris incipit, duabus fere hebdomadibus totis expensis, aut denuo hi repeterentur, aut alia quædam adderentur. adeo nt, quod mirere, idem lector sub una lectione Danielem totum explevisse memoretur. Item post dies natalitios Apostolus totus, & a septuagesima hepeaticus usque ad dies passionis, & in ipsis Jeremias ex integro ad vigilias legebantur: quorum lectio postmodum, ubi totum haud lectum fuisset, ad mensam suppleri consuevit. Insuper post nocturnas vigilias usque ad crepusculum, quo matutinæ laudes canebantur, a pluribus plerumque psalterium singillatim ex integro dicebatur. In rerum exteriorum procuratione ita se gerebat Johannes, ut nihil de interiorum cura detraheret exteriorum vacatio, nec exteriorum procuratio quidquam interioribus officeret. Sedulus in lectione patrum, Augustinum tamen ceteris præferebat, & Gregorium, cujus moralia identidem lectitabat. Augustini tractatus in Johannem & psalmos & libros de Civitate Dei integros perlegit. at libros de Trinitate dum parat legere, cum ad eos capiendos Aristotelis isagogen necessariam esse intellexisset, hunc sibi laborem indixit. Verum Einoldus, tempora in his frustra eum expendere nolens, ab hoc studio eum avertit, jussitque, ut animum potius sacra lectione occuparet. quod ille incunctanter executus est. In his studiis nihil tamen de exteriorum cura sibi commissa remittebat. Eidem etiam quidquam abbatis injussu aggredi, aut prosequi religio erat.
» Cumque possessionum monasterii universa in eum cura recumberet, rarus tamen
» illi ad eas processus: potiusque ex ipso monasterio agenda disponebat quæ per
» fidos ad hoc ministros executioni demandari curabat. Si quando tamen necessitas
» eum egredi postulabat, expeditis negotiis quantocius, interdum impransus, mo-
» nasterium repetebat, sæcularium contubernium perosus, sic tamen ut nemo eorum
» vel leviter id persentiret. Mira ejus erat in excolendis agris industria & sedulitas.
In primis vero illud semper cavit, *ne sacculus monasterii qualibet umquam doli vel miserorum fraude, vel calamitate contaminaretur.*

L. S. Galli & Augiæ abbates.

Sancti Galli monasterium ab octo annis tunc regebat Engilbertus abbas, qui laboribus & valetudine attritus, ex communi patrum & regis assensu Thietoni hoc anno abbatiam resignavit. Ipse autem eum loca abbatibus, qui pastoralem curam abdicaverant, assignata aliquamdiu incoluisset, anno vix expleto decessit. Thieto itaque in ejus locum subrogatus, nempe quinto kalendas Novembris, feria secunda, faciles invenit ad regularem disciplinam fratrum animos, quippe qui ex præteritis casibus ad prospera & adversa æquanimiter ferenda jam obduruerant, & ab Engilberto ad spiritalia reformati erant. Itaque regiminis ejus initia læta & prospera fuere: at eam felicitatem corrupit horrendum incendium, quod post quatuor annos totum monasterium deformavit. Augiæ quoque post Lluthardum abbatem

Eberhardi secessus.

suffectus Alawicus ad annos viginti-tres, quo tempore Eberhardus præpositus Argentinensis, vir nobilis, ad Meginradi-cellam secessit, Bennonis etiam Argentinensis canonici, postea Mettensis episcopi, secessu illustratam. Hanc cellam amplificavit Eberhardus, & discipulorum aucto numero monasterium ibidem instituit, adjutante Hermanno duce, qui eam solitudinem a comitibus Rapersvillanis redemit. Tum vero Eberhardus novam ædem, eamque multo ampliorem & augustiorem in honorem Deiparæ-virginis, sanctique Manricii ac sociorum exstruere cœpit, & in ea sacellum, a Meginrado quondam ædificatum, inclusum, illudque integrum & intactum servavit.

LI. Arnulfus comes Sithiensis abbas.

Obiit hoc anno Adalolfus comes & Sithiensis abbas idibus Novembris, sepultusque est in basilica sancti Bertini in latere sinistro *capitanei*, ut vocant, altaris sancti Martini. Inter cetera ei loco dedit calicem aureum, quo ad potandum uti solebat, & baltheum ad calicem consecrando dominico sanguini faciendum. Ad hæc sancti Audomari basilicæ armillas suas reliquit ad patenam conficiendam. Eo sine liberis defuncto, Bononiensis & Teruannensis comitatus & Sithiensis abbatia ejus fratri Arnulfo Magno seu Vetulo, Flandriæ comiti, accesserunt. Arnulfus anno proximo conjugem duxit Adalam, Heriberti Viromandorum comitis filiam, cui aditus in sancti Bertini basilicam permissus est, quod nulli antea sequioris sexus, ne quidem reginæ, concessum fuerat. Multa nihilo minus debet Ordo noster Arnulfo comiti, qui non modo regularem abbatem Sithiensibus permisit, sed etiam monasticam disciplinam in plerisque suæ ditionis cœnobiis restituit.

Frodoardus auctor est, anno insequente tricesimo-quarto *religionem regulæ monachorum* in quibusdam monasteriis per regnum Lothariense reparatam fuisse. Id in primis constat tum de Gorziensi, ut vidimus, tum de sancti Maximini apud Treviros cœnobio, in quo Ogo ante præpositus, ejusdem loci abbas eligitur, & monachi irregulariter ibi viventes expelluntur, ut in appendice chronici Reginonis legitur: ubi ecclesia sancti Maximini turbine cecidisse, sed clementia & munificentia Heinrici regis reparata fuisse dicitur. Addit Browerus, ipsum animi magni & liberalis insuper eximium specimen dedisse, ecclesia Theodonis-villæ cum Mosellæ portorio, ceterisque vectigalibus ex regali fisco eidem monasterio concessis. Cumque non minor cura reparandi interioris animorum ædificii, quod ibi pæne conciderat, regem pium sollicitaret; operam ante omnia dedit, ut virum huic obeundo muneri præ ceteris idoneum sufficeret, Ogonem scilicet, ejusdem loci antea præpositum, quem alii Hugonem vocant. Quo in statu jaceret illic neglecta religio, ex uno colligere licet exemplo, quod Browerus ex Sigehardo ejus loci tum monacho refert. Illic acolythus quidam degebat, ut moribus lubricis pravisque, ita ore, lingua, manu, vita denique omni penitus inquinatus. Hic crapulæ atque abdomini deditus, cum polluto sceleribus animo sacratissimam nihilo minus eucharistiam sæpius perciperet, etiam pransus & bene saginato ventre divina ministeria cum aliis obire haud verebatur. Aderat dies, cum ad aram ministraturo thus erat adolendum. Jam, prunis de more in acerram conjectis, afflare cœperat; cum tenuissima scintilla in vestem forte lineam flatu delata, ita vestem totam corripuit, ut hominem undique cingentes flammæ, nulla arte compesci potuerint, donec in conspectu omnium vivus ipse exarsit, &, horrendum certe spectaculum! redactus in favillam est. Non parum contulit ad emendationem aliorum tam insolitum divinæ ultionis exemplum. Primus a communi labe expurgatum se præstitit Ogo tum præpositus, qui *ope ducis Gisleberti idem monasterium ad regularem conversationem reduxisse* dicitur in libro de vita Johannis abbatis Gorziensis. Infestus quam maxime huic loco antea fuerat idem Gislebertus Lothariensis dux: at per nocturnam quietem sancti Maximini viso deterritus, non solum quæ inique monasterio ademerat, restituit, verum etiam Heinrici regis benevolentiam & munificentiam ei conciliavit: qui quassatam, ut diximus, sacram ædem sancti Maximini interire non passus, sumtum in primis liberalem eidem instaurandæ erogavit. De Ogone abbate, postea Tungrensi episcopo, in fastis ejus loci legitur, ipsum hoc monasterium a fundamentis reparasse, & locum ipsum pæne pessumdatum renovasse, & numerum fratrum ad sexaginta auxisse.

ANN. CHR. 934.

LII. S. Maximini cœnobium reformatum.

Hoc tempore in monasterio sancti Mathiæ apud Treviros floruisse dicitur Diethelmus monachus & magister scholarum, cujus opera quædam recenset Trithemius in fusiori historia Hirsaugiensi, in his librum unum de studio & amore divinarum scripturarum ad Marquardum monachum Epternacensem; librum item unum in evangelium Matthæi ad eumdem. Marquardus vero idem scholastici officium gessisse fertur in ipso Epternacensi sancti Willibrordi cœnobio, quod sex fere millibus Treveris distat. Huic auctori varia tribuit opuscula idem Trithemius, ex quibus exstare ait in musicam Boëtii commentariorum insigne opus, quod Ludovico Gallorum regi inscripsit. Ad hæc de septem liberalibus artibus libros totidem composuisse dicitur, atque vitam sancti Willibrordi Trajectensis quondam episcopi gemino descripsisse eloquio. At vereor, ne res permisceat Trithemius, temporum indagator parum accuratus, nam canonici tum degebant in Epternacensi monasterio, sine lege, sine ulla ferme religionis forma. quod eos ejiciendi & monachos restituendi occasionem Ottoni Magno tribuit. Lapsus est idem Trithemius, cum Smaragdo sancti Maximini monacho tribuit librum, qui *Diadema monachorum* inscribitur: quem Smaragdo abbati sancti Michaëlis ad Mosam tribuendum esse suo loco diximus, uti & commentarium in regulam sancti Benedicti, quem idem Trithemius alteri Smaragdo falso adscribit.

LIII. Diethelmus & Marquardus monachi docti.

In Miciacensi prope Aurelianos monasterio post Fredricum, tyrannum [a] potius quam abbatem, lætior apparuit rerum facies sub Letaldo abbate piissimo: ast eo non multo post mortuo, abbatia devenit in potestatem Theoderici episcopi, qui Anselmo successerat. Hic in Miciacenses optime affectus, locum sine dubio in sta-

LIV. Miciacensis monasterii infelix status.

[a] lib. 38 n. 96.

ANN. CHR. 934.

tum pristinæ dignitatis revocavisset, nisi piis ejus studiis ac consiliis mors immatura obstitisset. Vix enim quatuor annis episcopatu potitus, sedem episcopalem reliquit Ermentheo, quem Fredrici 'abbatis fratrem exstitisse ex Letaldo monacho colligere licet. Tunc monasterii procurationem habebat quidam Rothardus, quem inter ac Benedictum Ermenthei episcopi præpositum de eodem loco grandis altercatio exorta est, Benedicto hanc procurationem invadere cupiente, altero resistente. quæ res extremam loco perniciem attulit. Cum enim sæculari more viverent Miciacenses, insimulandi materiam Benedicto dederunt. quod Ermentheus, haud immodicus sæculi fautor, libenter audiens, eorum contentiones dissimulavit certaminis avidus contemplator, sperans fore, ut ex illa controversia lucrum sibi concresceret. Unde factum est, ut Rothardus non sustinens Benedicti contumelias, loco cedere coactus sit, sed ad monasterii grave damnum. nam pretiosioribus quibusque rebus asportatis cum præceptis regum antiquorum, quæ insignia illic habebantur, ad abbatem quemdam pagi Bituricensis, nomine Raimundum, se contulit.

Navenses abbates.

Hic est indubie Regimundus abbas, qui Navense sancti Sulpicii monasterium tunc temporis administrabat post Humbertum Macberti successorem, ut probat quoddam ejus instrumentum, datum mense Januario, anno septimo Ludovici regis. Regimundo suffectus Ebrardus, eo nomine secundus, ab anno tertio Lotharii regis, successorem habuit Herbertum, de quo inferius. Benedictus itaque, fugato Rothardo, quasi in desolatum locum se se infudit, & suæ cupiditatis habenis longe lateque porrectis, cum omni familia eidem se loco ingerens, cum effreni licentia vivere occœpit. nam in domibus fratrum stabula equorum constituit. Hinc sedes accipitrum, illinc canum mansiones: hinc cum scuto & virga ludebant juvenes; illic arguto pectine personabant textrices: hinc conventus sæcularium; illinc domina stipata cuneis pedisequarum. Benedictus vero super Ligeriti * fluminis oram, ut nec ipsi reditus piscium fratribus redderentur, sibi domum constituit, quam Mirandem vocavit. Neque his contentus, dat avidissimo episcopo consilium, ut prædia monasterii militibus suis pro libito partiretur. quod episcopus exsecutus est, Litimiaco, quem rex Chlodoveus Maximino abbati dederat, sibi vindicato; ceteris rebus in satellites suos distributis, ut nihil reliqui esset monachis, quorum singulis per Benedicti ministrum panis exiguus & pugillus leguminis in dies, raro vinum præbebatur.

* le Loiret.

L V. Miciacenses quidam illustres.

In tanta rerum confusione illic nihilo minus florebat vir venerabilis, Gaudebertus nomine, sacerdotali ordine præditus, clarus genere, sed spiritualibus studiis clarior. Huic erat junior frater, nomine Bernerius, qui & ipse postmodum vir egregius evasit; tantæ caritatis, ut communi utilitati nihil duceret præponendum. Eo tempore quidam venerabilis episcopus, Benedictus nomine, *a Britannis adveniens*, locum hunc triginta denariorum libris ab episcopo emit. Ea erat istius sæculi licentia, ut etiam viris piis id licere crederetur. Certe hic episcopus a Letaldo monacho *sanctus* dicitur, *omni gratia adornatus*, spiritualibus bonis, maxime orationi plurimum intentus, insuper genere nobilissimus. Verum quasi villa quædam erat tunc Miciacense monasterium, quam licitari & vendere episcopus parum religiosus haud nefas duceret. Sic factus est abbas Benedictus. Hic avunculum habuit potentissimum Brittonum, Gradilonem nomine, qui, relictis sæculi pompis, ad monasterium, quod in insula Heri positum erat, gratia conversionis se recepit. Ex quo intelligitur, Herense monasterium tunc inhabitari denuo cœptum a monachis post pacem inter Nortmannos factam, qui Herenses olim monachos alio migrare coëgerant, quibus Trenorchiense monasterium demum concessum erat. Cum itaque Gradilo apud Herenses perhumaniter acceptus esset, ac devotissime ibidem conversaretur; dein ob corporis imbecillitatem seorsim habitare jussus est. Istuc amici, qui eum olim in sæculo dilexerant, multa ei munera mittebant, quæ ipse fratribus liberaliter dispensabat. Ideo hi sedulo ipsi obsequebantur, rati multas penes eum restare pecunias, quas sibi post ejus obitum cessuras sperabant. Verum, eo præter spem diutius vivente, & deficiente missitatione munerum & pecuniarum, simul etiam illa fratrum sedulitas deficere, & frigescere hæc avara caritas cœpit. quod ille ubi animadvertit, hujusmodi commento adversus illos usus est. Evocato sibi familiari fratre, duo scrinia, quæ lecto ipsius adhærebant, glareis & arena impleri jussit, &, quasi pretiosa cimelia, firmis seris diligenter munivit. Dein vocato

Gradilo monachus Herensis.

abbate, cur se tamdiu solitarium neglexisset, modeste perquirit. Aderant cum abbate fratres, qui eadem scrinia sedendo aptare volentes, vix tantillum ea movere valuerunt. Mox illi ad sua reversi, se ipsi culpare, quod tantum neglexissent virum, qui tot bona ipsis reservaret. Renovata itaque sollicitudine, omni eum studio & cura prosequi pergunt. Eo tandem mortuo, scriniis reseratis, reconditi thesauri reperiuntur, moles scilicet arenæ, congrua talium cupiditati merces & hereditas. Ad Benedictum quod attinet, pauco admodum tempore Miciaci conversatus, in patriam, id est in Britanniam, reversus est. Post paullo Jacob quidam transmarinus abbas, postquam in Biturico pago aliquamdiu resedisset, Miciaci fama permotus, eo accessit; & loci amœnitate captus, facta cum Ermentheo episcopo sexaginta librarum pactione, locum eumdem, vel potius parietes vacuos emit. Mortuo autem Conano sancti Pauli episcopo, Alanus comes sciens Jacob multas habere pecunias, eum in decedentis locum substituit. At ille, consecrationem adeptus, Miciaci nihilo minus usque ad finem vitæ permansit. Dum illic degeret, orta inter suos & veteres loci colonos controversia, Tartulfus ejus monachus verberibus affectus, & ipse quoque episcopus non modo lacessitus, sed etiam rebus suis spoliatus est. Commotus hac de re Ermentheus episcopus, Valinum decanum cum multis aliis nobilibus Miciacum misit, qui mali auctores puniret, & sua Jacob episcopo restitui curaret. Non multo post Jacob mortis suæ tempus imminere sentiens, thesauros suos partim asseclis suis divisit, cetera in Britanniam remisit, solo Isaac ex suis Miciaci remanente. Audito ejus obitu, Benedictus olim abbas, defuncti thesauris inhians, Miciacum accurrit; sed spe sua frustratus inde discessit. ANN. CHR. 934.

LVI. S. Cypriani monasterium reparatur.

In suburbio Pictavensi olim a Pippino Aquitaniæ rege conditum fuerat sancti Cypriani monasterium: quod paullo post a Normannis penitus eversum ad hoc tempus jacuerat. Illud ipsum instaurare aggressus est Frotherius seu Frotharius, Pictavorum antistes, eo nomine secundus, atque in honorem beatissimæ virginis Mariæ ac sancti Martini, sanctique Cypriani consecravit. Id factum videtur hoc circiter anno, consentiente Radulfo rege, necnon comite Willelmo, quem Caput-Stupæ cognominant; & ad monasterii dotem idem Frotherius confert ea, quæ sibi ex hereditate paterna & materna ibidem obvenerant. quæ omnia ex ipsius litteris constant a Beslio [a] relatis, absque chronicis notis, at cum Willelmus comes, cujus consensu id factum dicitur, non ante annum sequentem Ebolo patri successisse vulgo censeatur; vix ante hunc annum ejus monasterii renovatio collocari potest. Id ad annum tricesimum-sextum differtur in tomo secundo [b] bibliothecæ Labbeanæ. Præfectus monasterio Martinus abbas saltem anno Radulfi seu Rodulfi regis undecimo, quo Simon quidam cum uxore sua Plectrude concedit monachis sancti Cypriani in manu domni Martini abbatis alodium suum apud Pollicias villam pagi Pictavi in vicaria Brainsi. Brevi multum crevit hæc sancti Cypriani congregatio, siquidem post annos non amplius sex colonia duodecim monachorum ex eo loco Gemeticum deducta est a Martino abbate.

a *Besly episc. Pictav. p. 39.*

b *Labbe to. 2. p. 666.*

LVII. S. Augustini item monasterium Lemovicis.

Eadem fortuna fuit Lemovicensis sancti Augustini monasterii, quod a sancto Roricio episcopo conditum alias diximus. Hoc enim a Danis solo æquatum restituit Turpio [c] Lemovicum antistes piissimus, usus opera Martini abbatis mox laudati, qui monasticam istic disciplinam instauravit. Hic est Turpio sancti Odonis in primis amicus, quo flagitante collationum libros Odo [d] ipse composuit, ordinatus ab ipso sacerdos, Turpionis pietatem spirat instrumentum de instaurato monasterio ab eo conditum, ex quo in præsens pauca delibare satis fuerit. *Mundo jam senescente religio defectum incurrit, & ita irreligiositas seu injustitia abundavit, ut ipsi nos, qui præ ceteris Domino adhærere debueramus, in cujus sorte esse noscimur, simus aliis juxta prophetam laqueus ruinæ, & qui debueramus esse pastores, simus lupi vespertini. . . . Lumen vero cordis amisisse probatur, quisquis ille sit, qui audit, quod immutabilis Deus angelo peccanti, primoque homini, qui adhuc novellus & rudis erat, non pepercit, sibi credit parci, si in peccatis perseverare voluerit, & surgere per pœnitentiam noluerit. Quam ob rem ego Turpio, Lemovicum omnium episcoporum extimus, de sede, quam mihi Dominus regendam tuendamque immerito committere dignatus est, religionem auferri conspiciens, valde pertimui. In memet autem ipse reversus, diutinis precibus a Domino auxilium petens implorabam; ut, ipso juvante, sancta religio, quæ usque ad nos illibata pervenerat, nostris temporibus non deperiret, sed successoribus inviolata succederet.*

c *V. lib. 41. n. 84.*

d *ibid n 85.*

ANN. CHR. 934.

*Incidit deinde mihi, Deo opitulante, consilium bonum, ut credo & confiteor, quatinus claustrum construerem, & ibi fratres boni testimonii aggregarem, qui in commune sine aliqua proprietate degentes, absque ullo strepitu sæculari divinæ servituti incumberent. Hoc vero quod nos, utpote turbis sæcularibus admixti, explere nequimus, saltem hi, qui intra claustrum morarentur, strenue & absque impedimento carnali peragerent. Scriptum est enim: Si primitia sancta, & massa. quod & feci, consentientibus tam nostris consanguineis seu optimatibus in Lemovicensi pago degentibus, domno scilicet Aymerico abbate, Aymonio abbate, Petro præposito, Bosone archiclavo, Arnulfo archidiacono, Aymone portario; de laicis autem Hildegario vicecomite, Raynaldo vicecomite, Archembaldo, Ademaro. Volo autem, atque sub*s*anter sup*io*, ut absque inopia & sine aliqua perturbatione Deo servire studeant. quod ut decentius fieri possit, do illis villam, quæ vocatur Basalaria, quæ decem in se mansos continere probatur. ... Oratorium præter ea, in quo Deo militant, ipsis committo, ut ipsi prævideant, qualiter horæ operis Dei significentur, nemoque eos contristet in domo Dei. Ministerium etiam cantorum, necne lectorum, librorumve, sive omnium, quæ ad sacrum mysterium pertinent, vel ibidem Deo offeruntur, ipsis committimus. Claustrum & omnia interiora ipsi provideant & dominentur. In hoc autem quod ego illis do vel committo, sive etiam deinceps daturus vel commissurus sum, nullus habeat potestatem nec licentiam dominandi, nisi is, quem sibi propter Deum & secundum vitæ meritum pars melior præ*e*le poposcerit, post tamen proprium episcopum.* In fine successores suos obtestatur pissimus antistes, ut nullus eorum hoc testamentum violare ausit.

Aimo abbas S. Martialis.

Aymo seu Aymonius, hic laudatus, abbas erat sancti Martialis, Stephani abbatis successor, & Turpionis episcopi frater. De utroque Ademarus monachus, domo Cabanensis, eorum consanguineus, ita [a] scribit. *Octavus abbas Aimo præfuit annis sex. obiit nonis Maii. Hic amicitiam habuit cum sancto Odone Cluniacensi abbate, cui jussit edere vitam sancti Geraldi. Hic Turpionem episcopum Lemovicensem, fratrem suum, summo amore excoluit, & tertio post obitum ejus anno idem sanctus Turpio episcopus obiit* VIII. *kalendas Augusti; ex cujus nepte, Officia nomine, nati sunt Adalbertus decanus & Rotgerius, patre Fulcherio, in proprio jure hereditario, quod vocatur Campaunse, juxta castellum Potentiam. Tertius quoque Raimundus, junior natu, germanus exstitit amborum, cujus ego Ademarus filius fui, matre Hildegarde* sive Aldearde. Instaurati monasterii tempus, quod in præmisso testamento deest, idem Turpio exprimit in aliis litteris, quarum fragmentum Labbeus [b] refert. In his sanctus iste præsul ait, sibi in animo esse monasterium ad
» quamdam ecclesiam, beato Augustino dudum dicatam, construere, jubente Radulfo
» rege & domno Guillelmo comite, cum consensu consanguineorum suorum. Hanc
» autem ecclesiam sitam esse in prospectu Lemovicensis civitatis super Vigennam flu-
» vium; seque eam tradere in monachorum manibus Martino abbati ad construen-
» dum monasterium: ut illic sancta regula custodiatur. Actum mense Novembri, anno
» duodecimo regni Radulfi regis, id est hoc ipso anno nongentesimo tricesimo-quarto.

Martinus iste, ut jam diximus, abbas erat sancti Cypriani apud Pictavos, faterque Aimonis abbatis. Hic apud sanctum Augustinum proabbatem habuit Richardum, & post eum Adacium, qui & ipse abbas erat Tutelensis, cujus jam non semel meminimus. Post hos tres abbates recensentur Rotgerius abbas & episcopus, Ganzbertus item abbas & episcopus, tum Adalbaldus, abbas postea sancti Martialis, Carrofensis quoque & Sollemniacensis, de quo alias. Non ab re erit observare, in quodam codice sancti Martialis, scripto tempore Stephani abbatis, haberi *Laudes in pascha & pentecoste* faciendas, id est litanias, in quibus *ecclesiæ sanctæ Dei salus & defensio; Johanni summo pontifici & universali papæ vita; Rodulfo regi serenissimo a Deo coronato, magno & pacifico vita & victoria; Turpioni pontifici, & omni plebi sibi commissæ salus & vita; Stephano abbati, & omni gregi sibi commisso salus, pax, protectio & vita; omnibus judicibus, & cuncto populo catholico salus, vita & victoria* optantur, invocatis ad singulos quibusdam sanctis, ex quibus pro Stephano abbate Salvator mundi, sancti Martialis, Hilarius, & Benedictus monasterii patroni, ut illum adjuvent, invocantur.

LVIII. Cæsenas monasterium.

Si Ughello credimus, sanctus Maurus hoc anno ex monacho nostri ordinis episcopus Cæsenas adlectus fuit. Verum tam incertus est illius sancti Mauri monachatus, quam tempus, quo vixit. Baronius eum medio sæculo septimo vixisse putat, ipsumque esse Maurum episcopum, qui concilio Romano sub sancto Martino

[a] Labbe to. 2. bibl. p. 272.

[b] ibid. p. 278.

ANN. CHR. 934.

papa interfuit. Verum cum ipsius tempus ignoraverit Petrus Damiani, qui ejus gesta in litteras retulit, ejusque civitatis monumenta flammis jam tum combusta fuisse testetur; incassum de sancti episcopi ætate plura inquireremus. Nobis tamen ejus memoriam omnino prætermittere non licet, quod secessu suo ac sepultura illustraverit montem Cæsenæ proximum, in quo monasterium haud ignobile instituti nostri jam exstabat eo tempore, quo Petrus Damiani vitam ejus scribere aggressus est *juxta quorumdam monachorum non omnino contemptibilium narrationem.* Ex his laudatur *prædicti cœnobii monachus, Teuzo nomine, grandævus jam, & ipsa canitie venerandus*, cujus relatione quoddam sancti Mauri miraculum commemorat. Denique idem auctor ita de illo monasterio scribit. *Est autem nunc celebre monasterium in prædicto monte, in quo vir Dei orare consueverat, ad honorem beatæ Dei-genitricis & virginis constitutum, ubi Mons-Mauri ex antiqua populi consuetudine dicitur, quia locus ille non immerito sancti viri vocabulo decoratur.* Invisimus aliquando sacrum illum montem, vix quatuor stadiis ab urbe semotum, frequenti fidelium concursu maxime celebrem ob devotionem in beatissimam Virginem, quæ illic præcipuo cultu a Casinatibus nostris honoratur.

LIX. Adelpertus abbas Casinas. a Chron. Casin. li. 1. c. 54.

Johannes Casinensis abbas obiit [a] hoc anno pridie kalendas Aprilis, & in Capuano sancti Benedicti monasterio, quod ipse condiderat, honorifice humatus est. Post dies sex unanimi fratrum assensu electus in ejus locum Adelpertus, de quo nihil singulare memoriæ proditum legimus. Ejus tempore Johannes consul & dux Neapolitanus Casinatibus suo præcepto confirmavit, quæcumque in ipsius ditione jam possidebant, in his cellam sancti Severi in Surrento, & cellam casæ Gentianæ, quam dux Gisulfus olim eis donaverat. Johannes congregationi Casinensi præfuit annos novem; mansitque plurimum, uti & ejus decessor, in Capuano monasterio, ubi diem supremum absolvit.

ANN. CHR. 935.

LX. Boso sepultus apud S. Remigium.

INsequenti anno nongentesimo tricesimo-quinto multa congerit Frodoardus, quæ strictim hoc loco præmittenda videntur. In primis colloquium Rodulfi regis Franciæ cum Heinrico Germaniæ rege, cui colloqnio etiam Rodulfus rex Jurensis interfuit: in quo firmata pax inter reges, atque inter Heribertum Viromandorum comitem & Hugonem Album, qui quasdam Heriberto possessiones restituit. Sed qnia opidum sancti Quintini Hugo reddere noluit, rupta pace Heribertus illud obsedit, qua in obsidione Boso frater Rodnlfi regis interiit, delatusque Remos, in basilica sancti Remigii sepelitur. Artaldus ejus urbis archiepiscopus Wicfredum Sithiensem monachum Teruannensis ecclesiæ præsulem ordinat. Idem in Finibus* Remorum apud sanctam Macram celebrat synodum septem episcoporum, in qua prædones & invasores rerum ecclesiasticarum reprimuntur. Hungari per Burgundiam effusi, prædis, incendiis ac cædibus obvia quæque vastant: sed a Rodulfo rege brevi fugati, in Italiam migrant. Nortmanni itidem, qui Biturigensem pagum infestabant, a Biturigensibus & Turonibus cæsi. In hoc prœlio Ebbo princeps Dolensis vulnere accepto, Aurelianos deferri voluit, ubi mortuus est præsennibus Geroncio Bituricensi archiepiscopo & Launo archidiacono ipsius fratre, & Rodulfo filio suo, cui moriens præcepit, nt monachis Dolensem locum relinqueret. quod ille exsecutus est, exstructo ad alteram Angeris ripam castello, quod ab auctore Castrum-Rodulfi hactenus appellatur. Hoc eodem anno breve chronicon Masciacensis apud Biturigenses monasterii Odonem [b] abbatem ordinatum perhibet. Hunc autem Odonem alium esse ab Odone Cluniacensi abbate constat ex eodem chronico, in quo Odo abbas bonæ memoriæ anno DCCCC LXVII. & quidem octavo idus Junii obiisse traditur, & Ardnicus monachus nonis Septembris, cum Odo Cluniacensis abbas ante annos quindecim decessisset.

Wicfredus episcopus Teruannensis. * Fines.

Odo abbas Masciaci. b Labbe to. 2. bibl. p. 733.

LXI. Cella S. Ghisleni monachis restituta.

Cellam sancti Ghisleni prope Castrilocum seu Montes-Haïnoniæ tunc incolebant sæculares canonici, qui locum sanctum irreligiosa vita dehonestabant. Horum licentia movit Gislebertum Lotharienfem ducem, qui remedium huic malo allaturus, conventum optimatum ejus provinciæ Dionantum indixit. Adfuit inter alios Gerardus Bronii piissimus abbas, cui Gislebertus curam demandavit restituendæ ibidem monasticæ disciplinæ, ejiciendis clericis, qui eo in loco monachis successerant. Winchantius id factum putat anno DCCCC XXXI. at paullo serius id videtur accidisse, attamen ante annum ejus sæculi tricesimum-septimum, quo decessit Gisle-

bertus ejus renovationis auctor; at non ante annum tricesimum-tertium, quo Artaldus Remorum pontifex ordinavit Fulbertum Cameracensis ecclesiæ præsulem, cujus etiam auctoritate hæc mutatio facta est.

ANN. CHR. 935.

LXII. Elfegus episcopus Wintoniensis.

In Anglia Elfegus seu Alfeagus, cognomento Calvus, *religiosus monachus, beati Dunstani propinquus*, ait Simeon Dunelmensis, promotus est ad episcopatum Wintoniensem post Birnstanum, qui anno superiori decesserat. In annalibus Glastoniensibus apud Alfordum, Elfegus assumtus dicitur ex monasterio Glastoniensi. quod sane maxime probabile reddit Elfegus ipse, qui Dunstanum monachum eidem monasterio adscripsit. Idem ipsum sacerdotio initiavit. Quadragesimæ tempore subditis suis abstinentiam & continentiam in primis commendabat. quod dum quidam irrisisset, postridie in cubiculo exanimis repertus est.

LXIII. Dunstani primordia & monachatus.

Admoneor hoc loco agere de primordiis vitæ Dunstani, qui præcipuum fuit ordinis nostri isto sæculo decus & ornamentum. Hic apud occidentales Saxones prope Glastoniam natus est parentibus regiæ stirpis, Herstano & Kynedrida. Osbernus & chronologia Saxonica Bedæ subjuncta ejus nativitatem anno Ethelstani regis primo, id est nongentesimo vicesimo-quinto, consignant. Verum illud obstare videtur, quod monachus factus sit ante annum nongentesimum quadragesimum, cum jam de conjugio cogitaret. Clericali tonsura initiatus adolescens, Glastoniensi cœnobio litteris & virtutibus instituendus traditur. Dein profectus ad Athelmum Cantuariensem archiepiscopum, cujus ex fratre nepos erat, ab eodem Ethelstano regi commendatur. Id factum oportuit anno saltem nongentesimo vicesimo-quinto, quo Athelmus decessit. atque adeo longe ante hunc annum Dunstanus in lucem editus erat. Cum in aula militaret, contigit eum adire cognatum suum Elfegum Wintoniensem episcopum, qui eum ad monasticam professionem arripiendam hortatur. Hærentem ac dubium inter conjugium ac monasticæ vitæ propositum morbus letalis invasit, ex quo insperato revalescens, nuptiis nuntium remittit, ut se religiosæ militiæ adscribat. Lætus tali proposito Elfegus, eum in Glastoniensi percelebri beatæ Mariæ monasterio consecravit Deo, cui illum parentes olim devoverant. Tantus initio solitudinis ac silentii amor ferventissimi juvenis animum afflavit, ut in cellulam ecclesiæ adhærentem recludi voluerit. Hæc cella adeo angusta erat, teste Osberno, qui eam vidit, ut pedes non amplius quinque longitudinis haberet, latitudinis duos ac dimidium; altitudinis vero vix tantum, ut ad pectus hominis porrigeretur. Ejus exemplo mulier quædam, regali exorta progenie, Elgiva nomine, ibidem se reclusit: quæ ita se piis operibus & templi ministerio addixit, ut a beatissima virgine Deipara, cui addictissima erat, quidvis impetraret. Postquam vero audiendo Dei verbo, famelicis recreandis, algentibus induendis, & sacri ordinis ministris refovendis operam suam impendisset, morti proxima res suas Dunstano, uti salutis suæ post Deum auctori, commisit: tum Spiritus-sancti visitatione recreata, cum sacra unctione ac viatico munita fuisset, animam Christo reddidit, & honorifice in ecclesia beatæ Mariæ condita est. Dunstanus vero, cum de illius, tum de suo ipsius patrimonio sollicitus, quod mortuis jam parentibus amplissimum habebat, (nam tunc temporis hereditatem parentum adire licebat monachis) mobilibus Elgivæ rebus in egenos distributis, terras ac possessiones partim suo ipsius monasterio, partim aliis quinque fundandis impendit.

LXIV. Rudesindus episcopus Cellam-novam condit.

Hispanicis in monumentis prima hoc anno se offert mentio Rudesindi Dumiensis episcopi, quem inter præstantes Benedictinæ familiæ heroas, qui decimo Christi sæculo Hispanias illustrarunt, Henschenius merito recenset. Is regiæ stirpis parentem Guterium, avum Hermenegildum, Alfonsi Magni consanguineum; matrem Ilduaram, paris nobilitatis ac pietatis feminam, habuisse traditur. Si vitæ ejus scriptori, qui sæculo duodecimo vixit, fidem habemus; vix compleverat decimum-octavum ætatis annum, cum onus episcopale subire coactus est. In episcopatu monasteria exstruxit, ad quæ identidem se recipiebat, rebus spiritualibus vacaturus. Ex his præcipuum fuit Cella-nova, quod in opido Villeri prope Limiam, quæ majorum suorum hereditas erat, amœnissima in valle ædificavit. Prima ejus episcopatus notitia se offert in diplomate, quod pro conditione illius monasterii hoc anno confectum est, ab Yepesio relatum. In isto diplomate Rudesindus Dumiensis episcopus ait, se ad expianda peccata, quæ ab ineunte ætate commiserit, construxisse monasterium ad calcem montis Leporarii, in loco Villari dicto, cui nuper Cellæ-novæ

nomen

ANN. CHR. 935.

nomen inditum sit; eoque absoluto, se villas quasdam in ipsius litteris expressas, offerre Deo per manus famuli Dei Franquilani abbatis, quem patrem & rectorem istius domus elegit. quod se fecisse ait eo pacto, ut omni tempore fratres ejus loci memoriam habeant patris sui spiritalis Sabarici episcopi in festo sancti Romani monachi; sui vero geniioris Guterii in festo sancti Vincentii levitæ; necnon genitricis suæ Ilduaræ in natali sanctorum Adriani & Nataliæ; & sui ipsius Rudesindi in natali sanctorum Primitivi & Facundi. Construendo monasterio suppetias contulit piissima ejus genitrix Ilduara, quæ viro orbata, Deo se totam consecravit, ac sanctissime devixit tertio-decimo kalendas Januarii, æra DCCCC LXXX. *confessa* nomine donata in epitaphio, quod lapidi ejus sepulcrali impositum est. quo nomine sanctimonialis signatur, uti monachus ex adulio factus vocabulo *confessoris* apud Hispanos, qnalem Galli nostri *conversum* appellabant. Locum Cellæ-novæ construendæ Froyla Rudesindi germanus, ejusque uxor Sarracina itidem contulerunt in subsidium peregrinorum, pauperumque, qui sequaces sunt evangelii, pro remedio animarum genitorum suorum Gutiertis & Ilduaræ, hoc est prædictam villam, vocabulo Villare, quam ex successione parentum habuerat Froila ex concessione Sancii regis; ejusque germanæ Scemenæ: quæ donatio ea conditione a Froyla facta est, ut sub regimine ac tuitione patris ac domini sui Rudesindi episcopi constituatur ibi templum in nomine domini nostri Salvatoris; & monasterium, in quo congregetur fratrum congregatio sub regulari tramite Deo militantium. Exstat [a] insigne hujusce donationis instrumentum apud Yepesium, in versione Gallica omissum, cui post donatores subscribunt tres episcopi, tum *confessores* seu monachi, id est Franquila abbas, scilicet Cellæ-novæ, Ranecaldus & Busianus abbares, multique alii confessores ac presbyteri; tum Scemena, Ilduara, quæ filii sui donum confirmat, Ranimirus princeps, & Ordonius proles Aldesonsi regis. Facta scriptura pridie idus Septembris, æra DCCCC LXXIV.

[a] *Yepes Cent. 5. append. cript. 4.*

ANN. CHR. 936. LXV. Rodulfi regis mors & sepultura.

POstero anno tricesimo-sexto Frodoardus tres principum virorum mortes commemorat, scilicet Johannis papæ XI. Rodulfi Francorum regis, & Heinrici transrhenensis. Ex his primus interiit Rodulfus, qui ab anno superiori gravissimo morbo affectus erat. Sepultus est apud Senonas in sanctæ Columbæ basilica, quæ paullo ante *factione quorumdam incensa* fuerat, testante Frodoardo. De hoc incendio, deque obitu & sepultura Rodulfi regis hæc lego in brevibus ejus loci annalibus nondum editis ad annum DCCCC XXXV. pro veteri calculo, quod pro novo convenit anno præsenti. *Hoc anno prima noctis statione* (Clarius habet *primo gallorum cantu*) *castrum domnæ Columbæ cum ipso cœnobio, voraci est incendio ambustum* VI. *idus Januarii, paucisque intermeantibus diebus*, XVIIII. *kalendas Februarii, eodem scilicet mense, ante dictus rex Rodulfus, pace & armis sceptra Francorum spectabiliter disponens, hoc anno obiit, tumulatus in monasterio sanctæ Columbæ.*

Ludovici Transmarini coronatio.

Rodulfo mortuo, statim Hugo Magnus dux Francorum, Albus cognomento, legatos ad Ethelstanum Anglorum regem mittit ad revocandum Ludovicum, Caroli Simplicis filium, quem Eadgiva seu Otgiva ejus parens, Ethelstani regis soror, ad avunculum salutis causa post mortem patris detulerat. Redditus sub legatorum sacramento Ludovicus, quem ab illo secessu Transmarinum appellamus, in Galliam redit. Redeunti Hugo & alii Francorum proceres apud Bononiam obviam occurrunt, eumque Laudunum deducunt: ubi ab Artaldo Remorum archiepiscopo ungitur & coronatur XIII. kalendas Julii. Princeps hujus legationis fuit Willelmus Senonum antistes, *monachus* a Clario dictus, cujus ordinationis annus quartus tunc erat. Monachum sancti Petri fuisse tradunt, quo in loco Arigaudum abbatem monitu sancti Odonis Cluniacensis abbatis constituit post Samsonem abbatem, qui hoc tempore sancti Petri monasterio præerat. Unum e primis Ludovici regis diplomatibus fuit illud, quo, ad preces Hugonis ducis Francorum & Bernardi Belvacensium comitis, ratas habet chartas incensas & amissas ecclesiæ Æduensis; confirmatque inter alia Torterum, Suliacum, & Lusiacum, quam villam Syagrius episcopus eidem ecclesiæ contulerat, ut fusius habet ipsum authenticum instrumentum, quod in archivo ejus ecclesiæ olim inspeximus. *Datum Autisiodoro* V. *kal. Augusti, anno* DCCCC XXXVI. *indict.* VIIII. *anno* I. *regnante Ludovico gloriosissimo rege.* quod Odilo notarius ad vicem Anseisi episcopi summique cancellarii re-

Willelmus ex monacho Senonum antistes.

ANN. CHR. 936.

a Diplom. p. 568.

cognovit. Observatu dignum est etiam aliud ejusdem [a] regis diploma, hoc anno datum Compendiensi ecclesiæ, de variis rebus a Rothardo Meldensi episcopo occupatis, quas rex eidem ecclesiæ restitui præcipit rogatu Hugonis fidelissimi Francorum ducis, qui *in omnibus regnis* Ludovici *secundus dicitur*, Walberti fidelissimi pontificis, scilicet Noviomensis, & aliorum. *Actum Compendio regis palatio, die nativitatis Domini nostri Jesu-Christi, indictione* x. *anno* I. *regnante Ludovico rege gloriosissimo.* ubi indictio decima a Septembri, si non ab ipsa nativitate, inchoatur.

LXVI. Heinricus rex humatus Quindelinburgi.

Non diu Rodulfo regi supervixit Heinricus rex Germanorum, qui sexto nonas Julii sequentis decessit. Ejus corpus sepultum est in parthenone Quindelinburgensi, quem Mathildis regina ejus conjux paullo ante in diœcesi Halberstatensi condere occœperat. Perfectis ædificiis, istuc convocatæ sunt sanctimoniales, quæ Winethusi parum commode institutæ erant. Vocata Demoth abbatissa, cœtum virginum eo transferri primum renuit, sed postea jussu Ottonis, qui Heinrico patri successerat, tandem translationi consensit, quæ tricesima post Heinrici obitum die facta est. Illic Mathildis in sæculari habitu religiosam vitam duxit, orationi, vigiliis, ceterisque piis operibus addicta; tanti pudoris, ut virginem facile crederet, qui prolem ejus non vidisset. Moris ei erat, panem & vinum quotidie ad missam offerre. Eximia ejus in pauperes caritas adeo proprios filios in ipsam concitavit, ut postea loco cedere coacta sit. Otto rex hoc anno Aquisgrani ab Hildeberto Moguntino pontifice cum venia Willigisi coronatus, insequenti Quindelinburgensis monasterii constructionem litteris suis confirmavit, eique Winethusanum subjecit. Illius basilica sanctis Dionysio & Servatio sacra erat. Ibi non viles personæ, sed nobiles regulæ sancti Benedicti *canonica institutioni* mancipatæ erant.

LXVII. Johanni papæ Leo VII. succedit.

Qua die Johannes papa XI. exstinctus sit, veteres non produnt, indignus sane, cujus nomen fastis adscribatur. Frodoardus in carmine de Romanis pontificibus duos tantum pontificatus annos ei tribuit, nempe antequam in custodiam ab Alberico retruderetur. Eo mortuo, *Leo quidam Dei servus Romæ papa constituitur*, inquit idem auctor in chronico. quæ verba monachum designant. Ipse vero pontifex in litteris suis ad Gallicanos episcopos pro Floriacensi monasterio, inferius referendis, *egregium patrem domnum nostrum beatissimum Benedictum* vocat. Hunc electioni suæ multum repugnasse, nec nisi invitum acquievisse tradit idem Frodoardus in carmine mox laudato.

Septimus exsurgit Leo, nec tamen ista volutans,
Nec curans apices mundi, nec celsa requirens:
Sola Dei quæ sunt, alacri sub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata subire renutans.
Raptus at erigitur, dignusque ustore probatur
Regminis eximii, Petrique in sede locatur.

In hac summa dignitate Leo nihil de studio contemplationis & orationis remisisse dicitur. Ejusdem humanitas laudatur ab ipso Frodoardo, quem Romam profectum idem pontifex benigne excepit.

Ac geminans dono cumulatum muneris almi
Pergere lætantem amplexu dimisit honoro.
Quem Pater omnipotens alacrem cultuque venustum
Attollat, servetque diu.

quæ postrema verba ostendunt, vivente Leone conditum fuisse hoc carmen, quod in illo desinit.

LXVIII. Episcoporum mortes.

His mortuis addendi sunt episcopi duo: scilicet Unni Bremensis archiepiscopus, cujus successor Adalgisus seu Adalagus ex clero Hildensheimensi; & Ingrannus ex decano sancti Medardi Laudunensis episcopus, cujus obitum Frodoardus hoc anno commemorat. Hildebertum Moguntinum his adjungit continuator Reginonis, sed ejus obitum Lambertus ad biennium differt. Hildebertus cum Unni Hammaburgensi & Ruotberto Trevirensi subscripti inveniuntur in actis *concilii apud Altheim, præsente Chuonrado rege* habiti, cujus decreta duo eruimus ex char-

taceo codice monasterii Farfensis. Primum decretum permittit episcopis, presbyteris, ceterisque clericis, ut res suas, sive ex dono, sive ex hereditario jure acquisitas, conferre possiot, dum vivunt, quibus voluerint: si autem nulla facta donatione obierint, altari, cui serviunt, relicta ab eis bona cedant. Secundum decretum est de hereditate episcoporum, qui ex monachis facti sunt, de quibus ita statuitur. *Mouachus, quem canonica electio a jugo regula monastica professionis absolvie, & sacra ordinatio de monacho episcopum facit; velut legitimus heres, paternam sibi hereditatem postea jure vindicandi potestatem habeat: sed quicquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinqnat, & [arbitrio] abbatis sui, qui fuerat secundum regulam sancti Benedicti. Postquam enim episcopus ordinatur; ad altare, quo sanctificatur & titulatur, secundum sanctos canones, qua acquirere poterit restituat.* Post primum decretum subscripti occurrunt in veteri codice Hildepertus Moguntiensis archiepiseopus, Ruotbertus Trevirensis, Unoi Hammaburgensis, & Adalwaldus *archiepiscopus Sardiensis*; & post eos subscripsisse dicuntur episcopi septem, necnon abbates, & alii sacri ordiois viri. Apud Hermanoum Contractum ad annum DCCCCXVI. *apud Altheim coram misso apostolico synodus habita* dicitur. quo tempore Conradus Germaniæ rex adhuc vivebat. At nondum archiepiscopi erant Hildebertus, Ruotbertus, & Unni; oec *Altheim*, Rætiæ locus, ad Germaniæ, sed ad Burgundiæ regnum tunc pertinebat. Hildebertus ad sedem Moguntinam promorus est anno DCCCC XXVI. Ruotbertus seu Rudbertus biennio post ad Trevirensem; Unni anno DCCCC XVIII. ad Hammaburgensem; omnes post synodum Altheimensem ab Hermanno memoratam. Verum aliunde Conradus, Burgundiæ rex, non ante annum insequentem mortuo Rodulso patri *parvulus* successit, quo tempore Unni archiepiscopus jam decesserat, ut Reginonis cootinuator & alii testantur. Difficilis nodus, quem aliis solvendum relinquimus: nobis certa hæc duo decreta synodi Altheimensis, eujus primum tantum in decretalibus[a] refertur, prætermittere haud visum est, quæ integra in appeodice habes, prout in chartario Farfensi leguntur. Uoni Hammaburgensi successor Adalgisus apud Heslinge cœnobium puellarum exstruxit; & in Frisia congregationem saoctorum virorum instituit.

ANN. CHR. 936. Concilium apud Altheim.

[a] 1. de succ. ab intest. tit. 17. lib. 3.

LXIX. Gorziensium inopia relevata.

Jam tertius anous erat, ex quo Einoldus abbas cum Johanne & sociis Gorziense monasterium denuo erigere, & ad pristinam vitæ monasticæ normam revocare cœperat; jam ad renascentis disciplinæ famam undique concurrebant tot in dies novi candidati, ut iis alendis annona haud suppeteret: tum quia pleræque mooasterii possessiones, ante in beneficium datæ, necdum restitutæ erant: tum quia Adalbero Mettensis episcopus, qui renascenti familiæ subsidia principio contulerat, jam palatlnis distractus & occupatus negotiis, postea Gorziensium curam penitus abjecisse videbatur. His compertis, Ogo abbas, qui reficiendo sancti Maximini monasterio ac restituendæ ibidem disciplinæ sedulam navabat operam, connitente Gisleberto duce, Gorzienses ut ad se commigrent, beoigne invitat: inventuros novas ædes, cordatos fratres, annooam, omnia deniqne necessaria. Ad hæc fluctuantibus & jam inclinatis multorum animis occurrit Einoldus abbas, bene cœpta tam leviter deserere turpe esse objiciens. Excitandos ad pietatem auimos, exercendam accuratius disciplinam; flectendum precibus Deum, cui facile sit episcopi animum sibi denuo propitium reddere. His monitis excitati omnes, novos ad observantiam animos resumunt, & in oovam strictioris observantiæ æmulationem certatim conspirant, quasi tunc primum conversionis initia arripuissent. Interim res quædam accidit, quæ abalieoandi Adelberonis animi nova occasio esse poterat, sed contrarium omnino sortita eventum. Forte quidam ex homioibus, ut tum loquebantur, monasterii episcopo admodum utilis erat, & rebus ejus procurandis adhibitus. Vocatur ab episcopo in urbem Johannes, cui rerum exteriorum commissa erat; & blande ab eo petit episcopus, hunc hominem sibi relaxari. Ille Davidicam de ovicula pauperis fabulam ingerit petenti. Responso exacerbatur Adalbero: cujus e conspectu mox Johannes se proripit. Ingressus ad episcopum Fridericus ejus patruus, sancti Hucberti, ut diximus, monachus, ex vultu dejecto ejus animum & motum conjiciens, causam inquirit. Hie se ab insano illo Johanne spretum queritur. Ad hæc Fridericus: Brevi, inquit, duce & præposito carebis, nisi monasterii rebus provideris. nam rebus destituti necessariis, ad sanctum Maximioum invitantur. Mox revocato Johanne petit episcopus, sibi ut hominem illum saltem ad

ANN. CHR. 936.

quadraginta dies concedat. Etiam ad annum, si placet, inquit Johannes. Sic lenitus est episcopi animus: cui non multo post quiescenti cujusdam terribilis personæ species apparuit, minaci vultu increpantis, cur tam cito a bene cœptis defecisset. Expergefactus mox jubet accersiri Einoldum abbatem, qui tum forte Metis aderat. Advenienti ait episcopus, se postridie Gorziam profecturum. Crastina profectus, cum jam monasterio propinquare cœpisset, in loco, qui dicebatur ad Crucem, equo desiliens, excalceatus ad monasterium pedibus incedit. Exceptus, ut par erat, convocatis post orationem fratribus, ad eorum vestigia supplex prosternitur, neglectum deprecatur, spem de se meliorem in posterum haberi jubet. tum villam quamdam monasterii, Waringisi-villam * vocabulo, quam germanus ipsius Gozilinus in beneficium retinebat, restituit. Illic longe ante id tempus erecta fuerat cella insignis, ex qua pendet proxima villa Portus, solo flumine Morta intermedio, sancti Nicolai opido & cultu postmodum illustrata.

* Warangeville.

LXX. S. Apri reformatio.

Non minori in rem monasticam studio affectus fuit Gozlinus seu Gauzlinus Tulli-Leucorum antistes. Is suburbanum sancti Apri monasterium a pristino instituto defecisse dolens, fama excitus florentissimæ apud Floriacum monasticæ disciplinæ, eo se contulit; inspectaque propius loci religione, totius observantiæ ritum ac seriem inde retulit; ac viris religiosis undequaque collectis, in cœnobio sancti Apri regularem disciplinam restituendam coravit, præfecto ibidem Archembaldo seu Erchemboldo abbate. Primariæ ejus restitutionis litteræ habentur in appendice nostra, in quibus ait, se prædictam, ut vocat, cellulam ad normam recti » tramitis totis viribus studuisse revocare, præposito ei abbate Archimbaldo, boni » propositi efficacissimo viro, cui fratres, relicto omnimodis proprio arbitrio, secun» dum regulam sancti Benedicti in cunctis obedirent, & spiritalibus cum eo negotiis va» carent pro utilitate regni, totiusque ecclesiæ statu. Et ne eamdem regularem obser» vantiam ob inopiam terrenarum rerum posthac tepescere contingat, se eis confir» mare vicum sancti Apri cum omni sua integritate, aliaque permulta, quæ in eisdem » litteris enumerantur: cum eo, ut pro his fratres quotannis in festivitate sancti Ste» phani duodecim panes, *quos libras vocant*, cum totidem sextariis vini sibi persol» vant; & in missa purificationis sanctæ Mariæ duos cereos pondere librarum quin» que; necnon tempore militiæ regalis angariam convenientem. Ad hæc ut eidem » cœnobio præficiatur abbas cum suo consensu & electione monachorum. *Actum* v. *idus Octobris, anno episcopatus ejus* XIII. *indictione* VIIII. *anno ab incarnatione Domini* DCCCC XXXVI. *anno vero* XI. *Heinrici gloriosi regis.* Chartæ affixum est Gozlini episcopi sigillum. ubi mirum est, adhuc computari annos Heinrici regis, qui secunda die mensis Julii superioris decesserat.

Virdunenses canonici ibidem monachi facti.

Ante biennium accidit, referente Frodoardo, ut quidam diaconus Virdunensis, Adelmarus nomine, morbo oppressus, spiritum emisisse visus sit; sed, antequam feretro imponeretur, ad se reversus, ita validus surrexerit, quasi nihil morbi antea passus fuisset. Hic se diversa refrigerii & suppliciorum loca vidisse testatus est, seque ipsum loco pœnali deputatum, beatæ Dei genitricis Mariæ & sancti Martini interventu ad agendam pænitentiam vitæ restitutum: quam deinceps severissimam exegit. Ejus exemplo provocati quidam Virdunenses canonici, ut scribit Hugo Flaviniacensis abbas, sæculum deseruere; & quia in eadem civitate nulla monachorum congregatio erat, cum in ecclesia sancti Vitoni clerici tum degerent, Tullum petiere, & in prædicto monasterio sancti Apri clericalem habitu monastico commutavere.

LXXI. Senoniensis monasterii reformatio.

Per id tempus Senoniense monasterium in deploratissimo statu erat, ita ut nulla priscæ religionis forma superesset. Jam a multis retro annis invaluerat ea labes, primo quidem vitio Adelhardi ᵃ corruptissimi, tum sex aliorum succedentium abbatum, qui nec se ipsos, nec subditos emendare curarunt. Unus ex omnibus communis corruptelæ immunis servatus est jovenis quidam monachus, Rambertus nomine, quem Deus ad novæ gentis seminarium ex generali illa vitiorum illuvie incolumem eduxit. Cum enim inter perditissimos pietatem retineri non posse sentiret, sanctæ conversationis viros alio quæsivit. Mox illi occurrit Gorziense monasterium, in quo rediviva pietas late famam sui diffundere cœperat. Istuc incunctanter se recepit Rambertus, generale monasterii sui evasurus naufragium. qui ab Einoldo abbate & fratribus benigne acceptus, ita se gessit, ut omnibus carissimus haberetur.

ᵃ V. lib. 38. num. 56.

Cum aliquamdiu ibi constitisset, facto religionis ac pietatis suæ periculo, Senonienses suos revisere constituit, exploraturus, si quo modo eos ab erroribus revocare posset. Tunc loco præerat Rangerus abbas, vir prudens ac modestus, qui Rambertum non modo excepit humanissime, sed etiam præpositum instituit. Eo in munere ita se cunctis amabilem & gratum exhibuit, ut, mortuo Rangero abbate, communi omnium fratrum calculo successor electus sit. Verum ubi de conversione morum & vitæ genere ad normam Gorziensium componendo actum est, mox omnes excusare se se; orare ut ipsos more solito victitare fineret; certe aliter se non posse. Ubi adhortationes nihil proficere sensit novus abbas, episcopum Mettensem, a quo ejus monasterii temporalia pendebant, censuit consulendum, & ejus auctoritatem implorandam. Rambertum zelo Dei ductum videns episcopus, Adalbero is erat, Einoldum seu Agenoldum abbatem ei adjutorem dedit. Ambo itaque Senonias profecti, nunc blanditiis, nunc terroribus satis egerunt, ut soluti illi monachi ab hac laxiori vita desisterent, & se ipsi regulari disciplinæ submittere maturarent. Verum illi adeo resipiscere noluerunt, ut etiam ad convicia & contumelias proruperint. quod videntes prædicti abbates, unum e duobus ab eis exegerunt, ut aut sub disciplina regulari in monasterio viverent, aut certe loco cederent. quo audito, plerique, qui simpliciores erant, abbatis directioni se subdiderunt: quatuor vero, vel scientiæ suæ confisi, vel juvenili denique stoliditate tumentes, viam, quæ ducit ad mortem, id est sæculum, relicto claustro, ingressi sunt. Ordinatis denique rebus omnibus, Einoldus domum reversus est: Rambertus vero tanta cum prudentia Senonias administravit, ut ab universis coleretur & amaretur. In ejus loci necrologio laudatur v. *nonas Martii Rambertus abbas hujus loci*. Huic abbati successisse dicitur in chronico [a] Senoniensi vir venerandus Bercherus, qui *Dercker* in necrologio vocatur: qui eodem tempore decesserit, ac decessor Stephani Mettensis episcopi, scilicet Theotgerus. at cum Stephanus non ante sæculi duodecimi progressum electus sit, magnus hiatus necesse est intercedat Rambertum inter ac Dercherum, si quidem Dercherus Theotgeri æqualis fuit, uti & Pibonis Tullensis episcopi, quod chronographus [b] itidem asserit.

ANN. CHR. 936.

a Spicil. to 3. p. 311.

b ibid.

LXXII. Dervensis item abbatiæ.

Quo tempore in monasterio sancti Apri restituta est monastica disciplina, ejus quoque exemplo emendatum dicitur monasterium Dervense, ubi prolapsa etiam tum jacebat religio. Anonymus auctor, qui librum de miraculis sancti Bercharii abbatis scripsit, id factum ait *exardescentibus etiam tyrannicis principibus*, qui *inordinatos actus habitatorum* ejus loci non ferentes, *pari consensu* Benzonem abbatem nequissimum illinc deturbarunt. Hos principes non alios esse puto, quam Rodulfum regem, cui id laudis tribuit paullo ante idem auctor, & Bosonem comitem ejus fratrem, quorum alter hoc anno, alter anno superiori e vivis excessit; ac proinde hæc Dervensium emendatio paullo ante hunc annum accidisse dicenda foret. Quamquam Albericus, primus a restituta disciplina ejus loci abbas, assumtus est cum suis e monasterio sancti Apri, quod vix ante hunc annum a Gozlino episcopo monachis restitutum est. Benzo itaque Dervo cedere coactus, in Cellam-Bobini insulæ Germanicæ, in suburbio Trecorum-Augustæ positæ, cujus abbatiam itidem tenebat, se recepit, sed non sine maximo Dervensium damno. nam discessurus, pravorum clientium impulsu, cuncta diplomata & præcipua ornamenta ejus ecclesiæ secum abstulit: monachi vero metu invisæ sibi regulæ in diversa diffugere. quibus fratres, e sancti Apri monasterio adducti, successisse dicuntur, Alberico abbate eis præposito, qui *nobilissimis ornatus natalibus, indigena Remensis*, isidemque monachus sancti Apri fuisse perhibetur. Hic in adjutorem sibi adjunxit virum, ut illa ætate, litteris, uti & probitate, spectabilem, domnum Adsonem, qui ditissimis, nobilibusque parentibus Jurensi ex pago satus, Luxovii litterarum studiis ac virtute apprime imbutus, a pontifice cleroque Tullensi multis precibus inde postulatus *ad magisterium* sacri ordinis, id est clericorum, ibidem plurimos erudivit. quod etiam præstitit in Dervensi monasterio, ubi abbas post Albericum electus est. In chartario ejus loci quoddam instrumentum legimus, in quo Rotfredus quidam venisse dicitur ad inclytum Bosonem comitem, & abbatem Dervensis monasterii sancti Petri & sancti Bercharii, nomine Albricum, & ab eo petiisse « ecclesiam sancti Amandi confessoris in villa Piscioni: quam idem abbas rogatu Bosonis comitis eidem Rotfredo & Rotgerio ejus fratri ad vitam concessit, eo pacto, «

ANN.CHR. 936.

„ ut quolibet anno *missa sancti Johannis-Baptistæ*, solidum unum ad altare sancti Petri „ & sancti Bercharii persolveret. Huic instrumento, quod notis chronicis destitutum est, subscribunt Boso inclytus comes, qui hoc scriptum fieri jussit, Albricus abbas, Barncfredus præpositus, Adso monachus, & alii. Id actum fuisse oportet ante hunc annum, si Boso comes idem sit cum Bosone Rodulfi regis fratre, quem anno superiori exstinctum diximus. Verum duo videntur esse Bosones, Richardi Burgundiæ principis filii, ut videbimus initio libri sequentis.

LXXIII. Groningense & S. Stephani Augustense cœnobia condita.

Duo nova monasteria hoc anno condita in Germania nobis occurrunt, nempe Groningense virorum ad Bodam fluvium in diœcesi Halberstatensi, & sancti Stephani apud Augustam-Vindelicorum. Grouingensis * condendi hanc occasionem * perhibent. Sigifridus comes ex conjuge sua Jutta duos sustulerat liberos, filium scilicet ac filiam patri & matri cognomines. Filius, inter venandum equo lapsus, cervicem fregit: cujus rei nuntio turbata soror, cum præcipiti gradu e supremo tabulato in aream arcis properat, forficem, quem forte manu tenebat, pectori infixit, quo ex vulnere ipsa etiam occubuit. His tragicis liberorum casibus consternati parentes, cum nulla spes prolis superesset, bona sua Folcmaro novæ Corbeiæ abbati contradiderunt, ea conditione, ut cœnobium monachorum opportuno in loco suæ possessionis erigeret, bonisque sufficienter dotaret. quod abbas fideliter exsecutus est, condito cœnobio apud *Westergroningen*, quod Claustri-groningensis nomen a loco accepit. Primariæ ejus monasterii litteræ a Meibomio referuntur in chronico Corbeiensi, quas nomine suo Folckmarus novæ Corbeiæ abbas, ejusque congregatio omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis inscribit, eisque notum „ facit, quo pacto Sifridus comes ob spem retributionis æternæ Corbeiensi monas„ terio hereditatem suam contulerit in pago Hardga, in loco, cui vocabulum est „ *Westergroningen*, sito juxta fluvium Bodæ, hoc est ecclesiam ipsam cum suis clericis „ & metallis, & quidquid intra vel extra urbem possidebat; & quidem pro rege glo„ riosissimo Heinrico, regina Mathilde, & regia prole Oddone, Heinrico, Brun, „ Gerberg, Hatwin, necnon pro seipso & conjuge sua Guthie seu Jutta, ea condi„ tione, ut abbas & monachi Corbeienses ipsum ad construendum monasterium ad„ juvarent, & duobus ex eadem congregatione monachis eumdem locum perpetuo „ committerent. quod Folckmarus se exsecutum fuisse testatur, quatuor aliis clericis „ insuper adjunctis. Ex quo intelligitur, quod jam de veteri Corbeia, aliisque monasteriis notavimus, monachos principum saltem abbatiarum, clericorum ministerio illis temporibus usos fuisse. *Actum novæ Corbeiæ, anno incarnationis dominicæ* DCCCC XXXVI. *septimo kalendas Junii, id est postridie Urbani, indictione* IX. Superstes fuit ad annos minimum sex Folcmarus abbas, mortuus III. nonas Octobris. De Bovone tertio ejus successore infra.

* Closter-Groningen.

a Meibom. p. 135.

Alterum monasterium est sancti Stephani apud Augustam-Vindelicorum, quod sanctus Udalricus episcopus, *propter cujusdam sanctimonialis religionem*, quam Emozam, alii Hicilam seu Lucilam vocant, ad ecclesiam sancti Stephani protomartyris exstruxit, ibique sanctimonialium congregationem instituit, *regulæ sanctitatis subditas*, & *sancto velamine Christo desponsatas*. Istuc quædam mulier conjugata, marito assentiente, se receperat, litteris quidem non multum exculta, sed exterioribus aptissima officiis. Ideo aliis sanctimonialibus visum est, ut celleraria constitueretur. tum episcopo supplicatum, ut ei hoc munus imponeret. Jubet episcopus: at illa præfracte renuit. Verum hanc contumaciam non sera pænitentia subsecuta. nam membrorum officio cælitus nocte insequente ita privata est, ut ambulandi facultatem non haberet. Cum adventum episcopi opperiretur, eo in urbem ad synodalem conventum celebrandum reverso, hæc ad ecclesiam sanctæ Mariæ se portari rogavit, & ejus obtutibus præsentari. Cumque ad ejus præsentiam adducta fuisset, humillimis precibus enixe flagitabat, ut ex hac infirmitate relevaretur. Mox eam inobedientiæ arguit episcopus, & benedictionis ac indulgentiæ munere donavit; statimque ab ea recessit. Nec mora hæc integram sospitatem recepit, & ad episcopum reversa, pedibus ejus advolvitur, & de præterita inobedientia veniam petens, emendationem in futurum promittit.

LXXIV. Ratfredi Farfensis abbatis interitus.

Ratfredus Farfensis abbas, qui, ejecto Rimone abbate, ab Hugone rege in ejus locum intrusus fuerat, noxam male cœpti magistratus, in quo non male se gesserat, post sex demum annos nece sua eluit. Erant sub eo duo sceleratissimi pseudo-

monachi, quorum unus Campo, ejus ab infantia alumnus, & in arte medicinæ eruditus; alter Hildeprandus vocabatur, qui ex longinquo monasterio ab eo susceptus, & non secus ac filius ab eo habitus, quamdam cellam, quæ Romæ ex jure monasterii exstabat, haud dubie sanctæ Mariæ in Mica-aurea, ab ipso abbate obtinuerat. Illi tot beneficiis ingrati, de nece ejus consilia inire sustinuerunt, & qualem quisque ex illo monasterio partem sortiri posset, simul tractare. Itaque, etsi eum jam senio defectum cernerent, ut est impatiens ambitio, venenum ei mortiferum propinare non dubitarunt. Hausto letali poculo, cum ille in extremis ageret, duos illos parricidas ante se conspiciens, morti suæ inhiantes, collecto spiritu ex imo suspirans, ad Camponem dixisse fertur: ANN. CHR. 936.

Campiginans Campo, male quam me campigenasti.

quo dicto, statim exspiravit. Mox Papiam ad Hugonem regem properans Hildeprandus, magna pecuniæ summa Camponi abbatiam comparavit. Reverenti occurrit Campo, qui factæ pactionis memor, binas ei cellas in marchia illa dedit, nempe sanctæ Mariæ juxta flumen Clentis, & sanctæ Mariæ in Solestano secus civitatem Asculanam; totidemque in comitatu Reatino, scilicet sancti Angeli juxta ipsam civitatem, & sanctæ Mariæ in Lauriano. quo facto, ad monasterium ambo pacifice reversi sunt. Sed pax inter impios parum fida & haud diuturna. Vix uno anno simul convixerant, cum Hildeprandus, corruptis pecunia marchianis, totam monasterii possessionem invasit: at Campo majori pretio ab ipsismet mox redemit, quas scortis & natis magna ex parte prodegit flagitiosus tyrannus, in his *curtem sancti Benedicti in Silva-plana, ubi fuit antiquitus congregatio ancillarum Dei, quæ opere plumario ornamenta ecclesiæ laborabant.* Hac monasterii bonorum dissipatione comperta, Albericus Romanorum princeps, qui tametsi minime probus, monasteria ad regularem normam revocare satagebat, istuc *monachos regulares*, qui locum sanctum repurgarent, direxit. at Campo eos adeo recipere noluit, ut etiam noctu interficere molitus fit. Verum illi, nefario consilio intellecto, territi redierunt ad principem. qui Camponem e monasterio fugere compulit ad Reatinam civitatem, ubi propinquorum ope (nam genere nobilis erat) ad tempus habitavit, denuo Farfam postea reversus, ut inferius dicturi sumus. Is erat Farfensis monasterii per illa tempora infelix status, qui non felicior fuit sub Hildeprando pessimo illo monacho, qui Camponem excepit. Prima origo mali ex intrusione Ratfredi, tum Camponis per Hugonem regem: cujus etiam favore ac potentia fretus Manasses Arelatensis antistes, qui ejus affinis erat, deserta propria ecclesia, Italiam petiit, & Veronensem, ob Ratherii episcopi exsilium vacuam, Tridentinam, Mantuanam, immo etiam Mediolanensem occupare non erubuit. Campo necis auctor in ejus locum intrusus.

LXXV. Odo Cluniaci abbas Romam petit.

Tunc temporis contigit, ut Odo Cluniacensis abbas Romam a Leone papa, & universis cleri ordinibus arcessitus sit. cujus itineris duplex fuit causa: una, ut cum Alberico principe reconciliaret Hugonem regem: altera, ut monasterium sancti Pauli denuo instauraret. Hoc iter ingressurus, Adhegrinum, conversionis suæ olim socium, qui tunc solitariam vitam in eremo piissime agebat, revisere, eumque de rebus agendis consulere statuit. Inter familiaria colloquia eumdem rogare cœpit, ut, si quid ipsi per hos dies cælitus revelatum fuisset, amice secum communicaret. Ille, societatis antiquæ memor, Odoni confessus est, beatum Martinum sibi post divina officia conspicuum adfuisse, ac dixisse, ipsa die ordinationem fieri Ludovici regis, & se ejus unctioni velle interesse. Ea res necdum Odoni comperta erat, qui, die & hora notatis, verum fuisse oraculum postea intellexit. Non fuit Odonis in illo itinere inanis labor. nam rex Hugo, qui urbem Romam artissima obsidione vexabat, Alberico reconciliatus, Aldam filiam suam ei conjugem dedit; sicque, reformata pace Papiam regressus est. Quid hac in re vir sanctus præstiterit, Johannes monachus [a] prodit his verbis. *Tempore præterito, dum Romuleam urbem ob inimicitiam Alberici jam fati principis prædictus Hugo rex obsideret, cœpit ille intra, extraque discurrere, & pacis concordiæque monita inter utrosque disseminare: quatinus posset furorem prædicti regis sedare, & prædictam urbem tueri a tanta obsidione.* Sane Romam hoc anno ab Hugone obsessam fuisse, sed, pacta tandem pace cum Alberico, eique filia sua in conjugium data, eum ab obsidione destitisse Frodoardus [a] *Johan. lib.* 2. *c.* 9.

ANN. CHR. 936.

testatur. Tunc Odoni id accidit, quod Johannes de eo subdit. nimirum cum Odo juxta monasterium beati Andreæ, quod ad clivum Scauri positum est, solito suo more ex regulæ præscripto, prono capite, demississque in terram oculis incederet, Fossorius ob id per jocum a nonnullis dictus; factum est, ut rusticus quidam propter laguncuIam aquæ, in quam forte Odo offenderat, caput ejus graviter percuteret. Omnibus, qui aderant, in rusticum frementibus, Odo mutuatis denariis donatum dimisit. At postquam Albericus id rescivit, eidem rustico manus amputari fecisset, nisi Odo a principe eum relaxari multis precibus obtinuisset.

S. Pauli monasterium instaurat.

Altera ejus itineris causa ex Johanne hæc fuit, ut monasterium *intra ecclesiam beati Pauli apostoli, ut olim fuerat, readificaret.* Ex quo intelligitur, non modo monachorum cœtum in illa basilica defecisse, sed etiam religiosas ædes penitus fuisse destructas, aut certe magnopere labefactatas. Quid instaurando monasterio contulerit Odo, Johannes non exprimit: sed monachos illic ab Odone restitutos fuisse constat, quibus præfectus fuit Balduinus, & ipse Casinensis abbas, non semel a Johanne laudatus: cui erat germanus frater, Firmus nomine, & ipse monachus, a quo Johannes præmissum de rustico factum accepit. Et tamen Agapitus, qui post annos dumtaxat decem sedere cœpit, ab Einoldo Gorziensi abbate efflagitavit, religiosos sibi aliquot viros mitti, in monasterio beati Pauli collocandos, quod tunc ad monasticum ordinem transferre moliebatur, ut legitur in libro de vita Johannis abbatis Gorziensis. Qui fieri potuit, ut tam cito evanuerit illa Odonis instauratio? an forte Agapitus Gorzienses Cluniacensibus prætulit? aut jam emendatione indigebant monachi ab Odone illic instituti? certe jam admodum laxata erat istic disciplina Ottone secundo imperante, aut saltem eo prætextu usus est Otto, qui canonicos apud sanctum Paulum loco solutiorum monachorum collocare meditabatur, testante Glabro [a] Rodulfo. Ut ut sit, Romanum illud sancti Pauli monasterium, etsi forte Cluniaco non plene omnino subjectum, idemtidem tamen præfectos e Cluniacensibus accepit. Leo Marsicanus [b] falli mihi videtur, cum ait, abbatiam sancti Pauli Balduino abbati commissam fuisse a Marino papa. siquidem ille jam ejus loci abbas erat vivente sancto Odone, id est minimum quadriennio ante, quam Marinus ad pontificatum assumtus esset. In illo itinere, dum montem Cinisium ductu Marronum eques transiret, ex immani præcipitio, in quod lapsus erat, divinitus ereptus est.

b Glab. lib. 1. c. 4.

c Chron. Casin. lib. 1. c. 58.

LXXVI.

Latro ab Odone monachus factus.

Haud scio an in illo quoque itinere accidit, quod Johannes narrat de quodam insigni latrone, qui Odonis venerabili conspectu tactus & compunctus, abjectus ilico ad ejus pedes, monachum se fieri flagitavit. Sciscitanti viro Dei, an quis ex illo pago eum nosset; respondit, se probe notum esse. Adductus, qui eum noverat, unus e primoribus loci, dixit, insignissimum esse latronem. quo audito, prudens pater eum monuit, mores ut prius corrigeret; & tunc demum ad monachatum admitteretur. At ille: Ego, inquit, hodie a te projectus, eo in certam perditionem; animam vero meam Deus a te repetet. Miseratus hominem benignus pater, præcepit, ut se ad monasterium præcederet. Ille denique post regularem probationem factus monachus, Cellerario fratri obsequi jussus est, simulque, cum idiota esset, litteras discere. Utrumque gnaviter exsequitur, scilicet obedientiæ jugum, & studium litterarum, ita ut unam manum obedientiæ porrigeret, altera vero psalterium semper ferret. Non multo post, cum ad extrema venisset, rogavit, sibi ut alloquendi pii patris copia daretur. ubi abbas venit, ille veniam ab eo petiit. Interrogatus, an in aliquo lapsus esset post initum monachatum, respondit, se nudo cuidam injussu patris propriam tunicam dedisse, & funem ex pilis contextum e cellario abstulisse. Jussus dicere, quid ex eo fecisset: Refrenandæ, inquit, causa ingluviei, quam dudum male contraxi, ventrem meum circumligavi. Hoc audito, pius pater solvi funem jussit. qui ita cuti adhæserat, ut absque sanie solvi non potuerit. Adjecit ille, sibi præstantissimæ formæ personam, quæ se Matrem misericordiæ diceret, apparuisse, ac prædixisse, fore, ut post triduum ipse e vita migraret. quod ita contigit. Hinc vir sanctus consuetudinem tenuit, ut beatissimam Mariam *Matrem misericordiæ* appellaret.

Cluniaco factæ donationes.

Ipso anno quædam Odoni abbati sive Cluniaco donationes factæ leguntur; in his *curtilus* unus in villa Rufiaco, prope Cluniacum, Odoni datus mense Maio, *quando Rodulfus rex migravit a sæculo. Actum Cluniaco, firmatum Lurduno * castro publice.*

* Lourdon.

ANN. CHR. 936.

publice. quæ arx erat monasterio vicina, quam cardinalis Richelius subrui jussit. Eodem anno, *quo Rodulfus rex migravit a sæculo*, Gaufredos comes & uxor ejus Ava dant Escozolas in pago Æduensi pro animabus suis, & pro anima senioris sui Willelmi & filii ejus Bosonis.

LXXVII. S. Pontii Tomeriense monasterium dotatur.

Paullo ante conditum erat insigne sancti Pontii monasterium apud Tomerias in pago Narbonensi, quod ejus auctor Raimundus comes, alio nomine dictus Pontius, una cum uxore sua Garsinde, hoc anno amplissime dotavit. Hujus rei litteras Catellus [a] refert, in quibus Pontius comes Tolosanus, primarchio & dux Aquitanorum, & uxor ipsius Garsindis, pro remedio & salute animarum suarum, & pro genitore suo Raimundo, & genitrice, consanguineisque suis, donant omnipotenti Deo & sanctæ Dei genitrici Mariæ, ac beatis apostolis Petro & Paulo, necnon glorioso martyri Pontio, & per eos Tomeriensi monasterio ac domno abbati Otgario, & monachis ejusdem cœnobii, tam præsentibus, quam futuris, totum allodium & potestativum suum in villa sua dominicata Tomeriis, cum ecclesia sancti Martini; multasque alias villas cum suis ecclesiis, decimis, primitiis, oblationibus, cœmeteriis, & latifundiis. quæ omnia in istis litteris enumerantur. *Facta donatio ista in mense Novembri anno* DCCCC XXXVI. *divinæ incarnationis, primo anno Ludovico rege sedem regni ejus gubernante.*

[a] Catel. com Tolos. lib. 1. c. 14.

Prima colonia monachorum istuc deducta est ex Auriliacensi beati Geraldi monasterio per Arnulfum abbatem, uti nos docent aliæ [b] ejusdem Raimundi litteræ, qui se ob amorem sancti Pontii martyris cognomen Pontii adoptasse ait. In his litteris omnibus, tam regibus, quam pontificibus & quibuslibet primariis ordinibus notum facit, quod anno secundo regni Ludovici regis, Raimundus ipse, qui & Pontius, primarchio & dux Aquitanorum, & uxor ipsius Garsindis, quoddam juris sui prædium Christo domino & sanctæ genitrici ejus Mariæ, necnon & sancto Pontio martyri, *ob cujus nomen*, inquit, *sic & ipse vocor*, ea devotione & conditione offerant, *ut ibidem cœnobium fieret, in quo monachi secundum regulam sancti Benedicti conversarentur.* qua de causa ex Auriliaco beati Geraldi cœnobio quosdam fratres sub manu venerandi Abbatis Arnulfi accersiverit, ex quibus ibidem a pluribus episcopis abbas Otgarius ordinatus est. Facto autem sollemni testamento prædictum locum Romanæ apostolicæ sedi subjicit, ut per singula quinquennia decem solidi ibidem persolvantur; sicque locus iste ab omni alia dominatione sit immunis. quod episcopi, qui ad dedicandam ecclesiam convenerant, sub anathematis vinculo sanciverunt, scilicet Aimericus metropolitanus ecclesiæ Narbonensis, Wisandus Carcassonensis, Rodoaldus Biterrensis, & Theodericus Lodovensis episcopi; & omnes episcopi, qui postea ad concilium Ausedinense convenerunt, nempe quatuor prædicti, & Rainaldus, Dagobertus, Pontius, & Wabaldus. Tum, variis interminationibus relatis, Raimundus ad Leonem papam verba dirigit in hunc modum: *Tu vero, o episcoporum episcope & universalis papa Leo, vel quicumque in sancta sede tibi successurus est, apud te causam istam depono, ut, sicut per apostolicam auctoritatem habes potestatem ligandi atque solvendi, quæso per reverentiam apostolorum, ut prædicto loco ac monachis, necnon & adjutoribus eorum faveas, & eos absolvas: contradictoribus eorum obsistas, & eos condemnes, ubicumque hæc testamentaria auctoritas coram principibus prolata fuerit.* Subscribunt prædicti episcopi cum Raimundo & Garsinde, & post eos *Dorberbus abbas*, legendum Datbertus, qui Soricinii abbas erat; Arnulfus abbas Auriliacensis, tresque alii abbates, Simmarius, Rotbertus, & Sindo; ubi *Sunniarius* haud dubie scribendus, idem ac Soniarius, qui tunc Crassensi monasterio præerat, Rotbertus Caunensi. Sindo, corruptum nomen, ipse indubie est Guido, qui post quatuor annos subscripsit litteris Aymerici Narbonensis archiepiscopi pro monasterio Tomeriensi una cum Odone abbate, qui forte haud alius sit quam Odo ille, cujus signum præmissis litteris apponitur, ubi legendum videtur *signum Odonis indigni*, supple abbatis. Tomeriense monasterium illustravit Ranimirus seu Ramirus, filius Sancii Aragonum regis, qui eum ibidem monachum Deo sub finem undecimi sæculi consecravit. Nunc eo loci est episcopalis sedes.

[b] ibid.

LXXVIII. Cantogilensis cœnobii initia.

Affinis est tempore & personis coustructio monasterii Cantogilensis *, quod in diœcesi sancti Flori ad Elaveris * fluvium super rivulum Dejæ * situm est. Istic Claudius, vir illustris, canonicorum collegium sæculo nono instituere animo statuerat:

* Chantuge. * l'Allier. * la Dege.

ANN. CHR. 936.

at, cum morte præventus id exsequi non potuisset, eum locum Cuneberto nepoti possidendum eo pacto reliquerat, ut post ejus decessum Brivatensi ecclesiæ cederet. Erat Cunebertus levita & præpositus Brivatensis, qui cum Hectore decano,
» ceterisque ejus ecclesiæ canonicis consultius judicavit, ut prædictum locum Canto-
» gilum pro communi salute *ad districtiorem*, id est monachorum, *conversationem* con-
» verteret. *quia nimirum*, ait ille, *frigescente jam caritate, cum iniquitas multipliciter inundat, & ita rerum ordo turbatus est, ut juxta canonicam institutionem conversari ad integrum nequeamus; saltim hoc nobis ante Deum proficiat, si illos, qui regulariter vivant, de nostro jure sustentemus: præsertim vero hoc timentes, quod ob honorem domini nostri Juliani multa nobis in eleemosyna tribuuntur; ne forte Judex universorum nobis illud propheticum improperet, quod nostra habentes, peccata populi comedamus.* quæ ipsis Cuneberti verbis referre placuit ad demonstrandam Brivatensium canonicorum pietatem & mentem a cupiditate alienam. Eorum vero pio consilio suffragati sunt Raimundus Aquitanorum princeps, idem qui supra Tolosanorum comes, & Dalmatius vicecomes ac Brivatensis abbas, necnon Arnaldus Aniciensis episcopus, in cujus ditione Cantogilum tunc situm erat; aliique proceres, laudati in præclaro hac de re instrumento, quod integrum in appendice referemus. Ante conditum eo loci monasterium duæ illic erant ecclesiæ, in honore scilicet Salvatoris nostri, & sanctorum martyrum Juliani Brivatensis, & alterius Juliani, cognomento Antiocheni, atque Saturnini. His novus patronus additus est sanctus Marcellinus Ebredunensis episcopus, cujus corpus cum aliis multis sanctorum pignoribus ibidem susceptum fuisse dicitur: de qua translatione nulla mentio est ad vicesimum diem Aprilis apud Bollandi continuatores. Pii hujus consilii exsecutio commissa *Odoni venerabili abbati*: sed, *quoniam ipse alias multipliciter occupatus* erat, *reverentissimo viro domno Arnulfo abbati prædicta rei negotium* delegatum est, ea lege, *ut monachi cum abbate suo regularem secundum traditionem sancti Benedicti vitam ducant.* Arnulfus iste haud dubie abbas erat Auriliacensis, qui coloniam monachorum, ut vidimus, apud Tomerias itidem instituit. Denique hanc oblationem ab se factam ait Cunebertus, tum pro sua congregatione Brivatensi, tum pro rege ac senioribus seu principibus suis; tum *pro anima Willelmi ducis, atque nepotum ejus*
» *Willelmi & Acfredi*; necnon pro anima Claudii avi ejusdem Cuneberti. Ideo præce-
» pit, ut privatis diebus per singulas regulares horas bini pro vivis psalmi, & officium pro defunctis persolvatur. Atque ut hæc constitutio firma & inviolata permaneat, allegat Cunebertus privilegium Brivatensi ecclesiæ *antiquitus, a tempore*
» *videlicet Pippini regis, concessum*, ut, quidquid de rebus ecclesiæ suæ communiter
» decreverint canonici, inconvulsum prorsus & inviolabile perduret. *Data hæc auctoritas testamenti* v. *kalendas Septembris, anno* I. *regnante domno Ludovico piissimo Francorum rege in basilica almi martyris Christi Juliani, ante altare sancti Stephani.* Hanc vero constructionem dotationemque Cantogilensis monasterii post annos sex regio præcepto Ludovicus, mortuo jam Cuneberto, confirmavit, rogatu monachorum[a] sancti Marcellini Cantogilensis cœnobii, ad preces Herici Lingonensis episcopi & Gotescalci Aniciensis præsulis, qui Arnaldo superius laudato successerat, necnon Rotgarii illustris comitis. *Datum nonis Decembris, indictione* XV. *anno* VI. *regnante Ludovico gloriosissimo rege.* quod præceptum Odilo cancellarius ad vicem Herici (sic lego) episcopi, summique cancellarii recognovit. Gotescalcus Aniciensis episcopus is est, qui ad sanctum Jacobum in Hispaniam orationis causa profectus, libros sancti Hildefonsi de virginitate sanctissimæ Deiparæ inde retulit. Processu temporis Cantogilense monasterium Casæ-Dei unitum est, hactenus cella seu prioratus conventualis.

a Capitul. to. 2. c. 1537.

ANN. CHR. 937. LXXIX.

Hungarorum infestationes.

ANno regni secundo Ludovicus rex haud prudenti consilio ab Hugonis principis, qui ipsum ex Anglia revocaverat, procuratione se subtrahit, & matrem Edgivam Lauduni recipit. Hugo vero pacatur cum Heriberto Veromandensi comite, qui castellum-Theoderici a Walone recipit. Tunc Hungari, Rheno transmisso, Franciam prædationibus, cædibus & incendiis infestam reddiderunt, usque ad pagum Biturigensem effusi. Hujus cladis haud immune fuit sancti Basoli prope Remos monasterium, in cujus ecclesia cum Hungarus quidam, ascendere super altare volens, aræ manum applicuisset; ipsa manus ejus sic altaris lapidi adhæsit,

ANN. CHR. 937.

ut omnino avelli, nisi excisa lapidis adhærentis parte, non potuerit. Tunc captus est ab eisdem Hucbaldus quidam Orbacensis cœnobii monachus, quem cum pagani illi sæpius occidere tentavissent, nec sagittis eum vulnerare, nec gladio carnem ejus penetrare valuerunt. quod Frodoardus ex relatu Adalgarii cujusdam presbyteri, qui & ipse captivus fuerat, se didicisse testatur. Ea tempestate adeo vastatum legitur [a] Besuense monasterium, ut per quinquaginta & unum annos pæne in solitudinem redactum fuerit, dum Bruno episcopus illud per sanctum Maïolum instaurandum curavit. Tunc etiam haud dubie vastatum est Saviniacense monasterium agri Lugdunensis, quod ab Hunnis & Hungaris destructum atque incendio deformatum fuisse legitur, monachis partim occisis, partim hinc inde dispersis. quod contigit Benedicto abbate, cujus tempore quædam huic loco donationes factæ sunt, id est Rodulfi regis anno xv. Eamdem cladem a prædictis paganis Athanacense & Insulæ-barbaræ monasteria pertulisse memorantur. Ad id tempus revocandum puto incendium ab iisdem Hungaris patratum in Senonensi sancti Petri monasterio: quo factum est, ut Samson abbas sanctorum Saviniani & Potentiani, aliorumque reliquias in urbem intulerit, & in ecclesia sancti Petri, quæ ex jure monasterii sui erat, reposuerit, relicto dumtaxat corpore sancti Serotini in crypta suæ basilicæ pone altare sancti Petri: cujus sancti oratorium incendio paganorum unicum superfuit. Pace reddita, Samson abbas e vita migravit, sepultus in basilica sancti Petri. Suffectus in ejus locum sanctus Odo Cluniacensis abbas; Arigaudum Floriacensem monachum, religiosum ac Dei timentem, coabbatem illic instituit.

Besuæ, Saviniaci, aliorumque monasteriorum incendia.

a *Spicil. to. 1. p. 722. & seq.*

Vicinorum cladibus territi Resbacenses nostri, cum omnia circumquaque ferro, flamma & incendio devastari cernerent, *corpus beatissimi Agili* abbatis *& ejus bajuli Brandolini*, ut Albericus in chronico scribit, *secum tutos fugæ comites asportarunt*, & secum ipsis reliquiis in quamdam villam, Marciliacum nomine, in confinio Nortmanniæ sitam, ubi sancti Georgii ecclesia erat, contulerunt. quo ex loco nonnisi post annos ducentos ac sexaginta in Resbacense monasterium reportatæ dicuntur. Verum hæc non conveniunt cum duobus libris de miraculis sancti Agili, quæ Resbaci ad S. Agili reliquias toto sæculo undecimo patrata referuntur a scriptoribus domesticis.

S. Agili abbatis translatio.

Mortuo sub finem anni præcedentis Adelelmo Silvanectensium præsule, in ejus locum *ordinatur* hoc anno *Bernuinus ex cænobio sancti Crispini* apud Suessionas, LXXX.
quod jam forte monachorum erat. Walberto quoque Noviomagensium episcopo defuncto succedit Transmarus, monasterii sancti Vedasti præpositus, ex Frodoardo. In syllabo Corbeiensium abbatum, quo ex loco Walbertus assumtus fuerat ad sedem Noviomagensem, ejus obitus notatur VII. kalendas Januarii. unde conjicere licet, eum decessisse anno præcedente postridie natalis Domini, a quo plerique tunc novum annum incboabant. Walbertum fidelissimum suum vocat Ludovicus rex in diplomate superius [b] laudato pro ecclesia Compendiensi. Sepultus fuit in dextera parte chori ecclesiæ Noviomagensis.

Episcopi ex nostro ordine.

b *num. 65.*

Tunc Elnonensem sancti Amandi abbatiam administrabat Roigerus comes, cu- LXXXI.
jus superius [c] facta mentio est. Hic præceptum a Ludovico rege obtinuit de cella, quæ apud Gonsiniacas in comitatu Pabulo * sita erat, aliisque de rebus, quas rex fratribus assignat. Actum in monasterio sancti Audomari XII. kalendas Septembris, *anno secundo regnante HLodowico rege*. Gerardus notarius ad vicem Artoldi archiepiscopi, summique cancellarii recognovit. Rotgero mortuo, annis circiter vigintiquinque abbatia vacasse falso dicitur. nam Leudricus ejus successor paullo post medium sæculum decimum e vivis excessit. Iste ex nobilioribus terræ oriundus, præsente Arnulfo marchione Flandriæ cum episcopis & abbatibus provinciæ, abbas electus est. Hic villas, prædia, possessiones monasterii, Nortmannica persecutione dissipatas, recollegit, & de patrimonio suo Frigidum-montem & Anuentium cum eorum appendicibus fratribus contulit. Contra Genulfus ejus successor pro servitio, quod regi vel comiti debebat, villas amplius viginti male distraxit. quæ omnia Werricus post eum abbas recollegit.

Ludovici præceptum pro S. Amando.

c *lib. 42. n. 77.*

* *Peulle.*

Abbates ejus loci.

Observatu digna est ob chronicas notas charta Lampagiæ nobilis matronæ LXXXII.
pro sancti Benigni monasterio, cui tunc Albericus abbas præerat. Hæc, Ademaro conjuge suo, illustri senatore Divionensi, orbata, dedit ad altare sanctæ Mariæ in ecclesia sancti Benigni, *quod caput* [d] *ecclesiæ dicebatur ab antiquis*, res

Donatio facta S. Benigno.

d *Spicil. to. 1. p. 431.*

ANN. CHR. 937.

a Perard. p. 161. & seq.

ſuas apud Stolivicum in pago Tornodorenſi, *quas ex jure* maritali poſſidebat. Ejus donationis inſtrumentum exſtat [a] apud Perardum, *actum Divione monaſterio ſancti Benigni, Alberico abbate & monachis adſtantibus, quorum hæc ſunt nomina, Guntardus præpoſitus, Benignus decanus*, & alii quatuordecim. Tedulſus ſacerdos ſcripſit & ſubſcripſit *anno ſecundo poſt obitum Rodulfi regis Francorum, Hugone principatum tenente*, ſcilicet Hugone Nigro, ipſius Rodulfi fratre, qui tunc Burgundiæ principatum tenebat. quod argumento eſt, Ludovicum regem necdum a Burgundionibus agnitum fuiſſe.

Faverniacū & Offonis-villæ monaſteria.

b id. p. 165.

At non multo poſt pro rege ab iiſdem habitus eſt, & Hugo ipſe Ludovico ſubjectus, uti diſcimus ex regio diplomate apud eumdem Perardum [b] relato, in quo inclytus comes Ugo Ludovici regis dicitur adiiſſe præſentiam, & rogaviſſe, ut quaſdam abbatias pagi Portenſis cuidam fideli ſuo, nomine Adelardo, ejuſque conjugi Addilæ donaret, ſcilicet Faverniacum, dicatum in honorem ſanctæ Mariæ, & monaſterium Offonis-villæ, ſancto Leodegario martyri dicatum. quod rex libentiſſime ſe concedere ait, eo pacto, ut, quam diu ambo conjuges vixerint, illas abbatias teneant; poſt illorum vero deceſſum eædem abbatiæ ad priorem ſtatum revertantur. Hæc erat monaſteriorum & abbatiarum per illa tempora infelix conditio. Hujus diplomatis chronicæ notæ vitioſæ ſunt in editis. *Datum* XVI. *kalendas Martii, regnante glorioſiſſimo rege Ludowico anno* III. *indictione* XIII. (legendum *indictione* X. aut, ſi indictio retinenda ſit, legendum *anno* V.) *Actum villa Garzaica* (lege *Caziaca* *) *ſuper Madernam* * *fluvium.*

* Chezy.
* la Marne.

LXXXIII. Monaſteria per S. Odonem reformata.

Per id tempus Odonis abbatis fama ſanctitatis & Cluniacenſis congregationis circumquaque diffuſa, factum eſt, ut reges, epiſcopi, & magnates eum certatim ad ſe invitarent, quo monaſteria, in eorum poſita finibus, ad Cluniacenſium morem aut nova inſtituerentur, aut vetera corrigerentur. Omnia hic enumerare prolixum foret: præcipua tantum commemorare juvat. In Gallia invenio apud Lemovices Tutelenſe, & Auriliacenſe apud Arvernos; in Biturigenſi pago Dolenſe & Maſciacenſe; in Aurelianenſi Floriacenſe; apud Senonas ſancti Petri Vivi; de quibus omnibus jam diximus. Non omittendum Claromontenſe ſancti Illidii cœnobium, quod a Nortmannis anno DCCC LXV. incenſum, hoc tempore Arnaldus epiſcopus & Raymundus comes inſtaurarunt, impellentibus Bernardo ejus loci abbate, & altero Bernardo dicto abbate cathedralis eccleſiæ. Convocatus hanc in rem cleri, nobiliumque conventus, qui ſuam quique ſymbolam novo operi contulerunt. Miſſi ab Odone abbate ſanctioris vitæ monachi, priſtinum ſacro loco ſplendorem reſtituerunt. Veteres monaſterii poſſeſſiones recuperare conatus eſt Bernardus abbas, cujus ſucceſſor Mancidius, ejus pietatem & zelum æmulatus, ſancti Clementis reliquias per Begonem epiſcopum retegi curavit. His addenda monaſteria, ſancti Juliani apud Turonos, Sarlatenſe apud Petrócorios; & in pago Waldenſi abbatiam Romanenſem; in Italia Romanum ſancti Pauli, de quibus actum ſuperius; Adventinum, Suppentonianum, Salernitanum, & Ticinenſe ſancti Auguſtini: de quibus ſingillatim ſuis locis agendum.

S. Juliani Turonenſe.

Primum nobis occurrit Turonenſe ſancti Juliani monaſterium, jam conditum a ſæculo ſexto, quod a Normannis deſtructum Theotolo archiepiſcopus hoc anno inſtaurare cœpit. De hac inſtauratione ita ſcribit chronographus ejus loci anonymus. *Monaſterium ſancti Juliani uſque ad tempora pontificii Theotolonis vacuum monachali officio manſit. Hujus enim eccleſia rebus amiſſis, & ab extraneis pervaſit, qui cor ad reſtaurationem illius apponeret, nemo exſtitit. Hic vir Theotolo, alto ſanguine cretus, beati Martini decanus, ob meritum probitatis atque prudentia ad culmen pontificalis dignitatis, cum aſſenſu clericorum, tum favore populorum, rapitur, ac ſacris altaribus ſiſtitur. Anno igitur incarnati Verbi* DCCCC XXXVII. *ſua autem ordinationis* V. *poſthabitis aliis curis, monaſterium ſancti Juliani readificare decrevit, quod devotiſſime, Deo juvante, complevit.* Nova colonia monachorum iſtuc deducta per ſanctum Odonem, qui tunc Floriaci apud ſanctum Benedictum morabatur, ut idem chronographus teſtatur. Idem Theotolo, cum per ſe, tum per alios, hoc monaſterium dotari curavit, obtinuitque a canonicis ſancti Martini, ſuis olim confratribus, unam præbendam in ſupplementum dotis, quam ipſe ſancti Juliani monachis conceſſerat, ut in conſequentibus videbimus.

LXXXIV. Sarlatenſe monaſterium.

Sub idem tempus, ſed incerto anno, Bernardus Petrocorienſis comes Sarlatum

ANN. CHR. 937.

monasterium eidem Odoni abbati, atque Adacio coabbati restituendum commisit. Ejus rei litteræ a Sancta-Marthanis, sed cum aliquot nævis editæ sunt. Bernardus comes, ut in eis legitur, considerans monasterium Salvatoris, quod vocatur Sarlatus, ubi nulla tunc regularis disciplina erat, illudque sub jure suo diutius retinere timens, in ordine monastico restituere dignum duxit. quod argumento est, monasterium illud jam longe ante id tempus conditum fuisse, sed quo præcise tempore, incertum. Quocirca idem Bernardus, consentiente uxore sua Garsinda, prædictum locum cum tota abbatia ad eum pertinente, a sua ipsius dominatione transponit, traditque Deo & domno Odoni Cluniacensi abbati, atque Adacio coabbati ejus, (qui jam Tutelense monasterium sub Odone regebat) & monachis, quos illuc adduxerint, vel congregaverint: ut videlicet ipsi & successores eorum, tam cœnobium, quam totam abbatiam, sine ulla contradictione teneant & possideant: post illorum vero decessum monachi, cum consilio & voluntate abbatis Cluniacensis, qualem voluerint, secundum regulam sancti Benedicti abbatem sibi constituant. Sint autem ipsi monachi in subjectione regis ad locum salvum faciendum, sed non ad aliquid persolvendum, nisi tantummodo solas orationes. *Data in mense Junio, regnante Deo, domno Ludovico rege imperante.* Adacius hic laudatus idem forte fuerit atque Adalasius, vir ille opinatissimus, multorum monachorum pater, cujus meminit Johannes in libro secundo[a] de vita sancti Odonis. Nunc Sarlati sedes est episcopalis.

a num. 12.

LXXXV. In monasteriis instituendis vel emendandis Odo in primis silentium commendabat, *sine quo videlicet ducenda est pro nihilo vita monachi*, ait Johannes[b] in ejus vita. Hinc Archembaldus & Adalasius mox laudatus, insignes postea monachorum patres, a Normannis capti, dum Turonos obedientiæ causa tenderent, ne quidem vitæ periculo silentium, nocte in primis a sancto Benedicto indictum, violare sustinuerunt. Sic animo fixum habebant Cluniacenses, aut mori, aut regulæ in omnibus obsequi. Quanta vero pœna maneat silentii contemtores, unum maxime probat exemplum, quod idem Johannes[c] memoriæ prodidit. Forte Odo abbas ad quoddam monasterium venit cum paucis fratribus, e quorum numero erat quidam, nomine Adolfus. Mus autem apud Cluniacenses tum obtinebat, ut non solum vasa monasterii, quod sanctus Benedictus in regula præcipit, sed etiam *subtulares*, seu calcei, sabbato ad vesperam abluerentur. Cum vero prædictus Adolfus, ut & alii, ipsa die & hora calceos suos lavaret, quidam e fratribus, ceteris arrogantior, indignanter id ferens, Adolfum superbe interrogat, quo in loco sanctus Benedictus id præcepisset. Adolfus vero Cluniacensium more, quia hora incompetens erat, signum fecit ut taceret. quo facto ita efferatus est monachus ille, ut prædicto fratri exprobraret ante-actæ vitæ mores in sæculo; indignum esse, ut, qui turpiter negotiando provincias circumire solebat, nunc eorum, qui ipso meliores essent, vitam emendare ad regulam vellet: se a Deo non serpentem factum, ut ejus more sibilare deberet; sed hominem, cui ad loquendum lingua concessa sit. Postera die, cum id in capitulo propalatum fuisset, adeo ille veniam non petiit, ut etiam factum suum probaret. Hominis arrogantia commotus Odo, facti discussionem in crastinum (nam dies dominicus tunc erat) differendam censuit, ratus, neminem sacro die contristandum esse. Soluto capitulo, superbus ille monachus subito mutus factus est, *atque post triduum sine sermonum absolutione defunctus.* Verum hunc abluendorum calceorum usum Petrus[d] Venerabilis postmodum ut superstitiosum abrogavit.

Silentiũ quatenus ab Odone commendatum.

b ibid. n. 21.

c ibid. n. 23.

d Petr. Vener. stat 28.

Non minor fuit pœna duorum aliorum monachorum, qui carnes contra regulæ interdictum in domo propinquorum suorum, rejectis piscibus, edere non veriti, subita morte interiêre. Ex his unus armum vervecinum comedit, alter gallinam, aiens volatilia non esse carnem, sed eamdem habere cum piscibus originem. Sed huic non minus gallinæ, quam illi armi esus mortem attulit. Hæc exempla ex Johanne refert, graviterque inculcat Petrus Venerabilis in quadam[e] epistola ad suos Cluniacenses. Videtur etiam Cluniacensibus tunc non facile concessus fuisse medicinæ usus. Cum enim duo fratres, gravissimo affecti morbo, ut medicinæ remedia sibi adhiberentur, crebrius efflagitarent; eorum tandem improbitati cessit Odo, ac medicamenta eis dari præcepit, præfatus, ea simili morbo tentatis antea nihil profuisse. Datum est utrique optatum toties remedium: at neutri salutem attulit. Verum his omissis, cetera, quæ hoc anno contigere, absolvenda sunt.

Abstinentia a carnibus & medicamentis.

e idem lib. 6. epist. 15.

LXXXVI. In superiori tomo retulimus donationem[f] Moisiacensi abbatiæ ab Awarno Ca-

Moisiacenses abbates.

f lib. 35. n. 39.

ANN. CHR. 937.

durcensi episcopo factam anno secundo HLudovici regis Francorum, quod de Ludovico filio Caroli Magni, tunc rege Aquitanorum, interpretandum esse minime dubito. Sunt tamen qui id referant ad annum secundum Ludovici Transmarini. quod invicte refelli potest non modo ex anno incarnationis Awarni litteris apposito, verum etiam ex libro de miraculis S. Desiderii episcopi Cadurcensis, scripto ab auctore sæculi septimi, in quibus mentio fit miraculo quarto de Awarno (sic codex Jolianus) Cadurcensi episcopo, germano Aredii episcopi Ruthenensis. Hinc figitur tempus Hermenini Moisiacensis abbatis, cui subjicitur in vetustis indicibus Witardus abbas, laudatus in charta cujusdam viri nobilis Astonovi, qui Witardo abbati & monachis Moisiacensis cœnobii, cui nomen ob situm amœnum imponit Bonævallis, castrum suum Cerrutium donat anno ab incarnatione DCCCXLVII. *Lothario rege regnante anno* VII. quod castrum *ex munificentia senioris sui Pippini serenissimi regis* sibi obvenisse dicit. Witardum tamen præcessisse videtur Rangarius abbas, cui prædictus rex Pippinus regiæ tutelæ litteras cum cella Marciliaci concedit *anno* V. *post decessum Karoli serenissimi augusti, & tertio anno regni sui*, in Castillione castro super fluvium Dordoniæ. Obscura sequentium abbatum nomina & series.

LXXXVII. Magdeburgense monasterium conditur ab Ottone.

Unum e præcipuis hujus anni eventis fuit constructio urbis ac monasterii Magdeburgensis ab Ottone rege: quam chronicon Magdeburgense ad hunc annum, nonnulli ad insequentem referunt. Id factum instinctu piissimæ conjugis Edithæ, & ob æternam patriæ salutem; *decrevitque idem rex*, ut verbis chronici utar, *eodem anno* IX. *kalendas Octobris, hoc est in proximo die post festum sancti Mauricii, congregationem monachorum fieri in eadem urbe, ob amorem Dei, & patris suæque animæ, & sanctissimæ contectalis suæ, & Rodolfi regis, qui ei sanctum transmisit Innocentium*, martyrem ex Thebæorum legione, *omniumque debitorum suorum remedium; construens monasterium in honore sancti Petri apostolorum principis, & sancti Mauricii atque Innocentii; tradens ad eumdem locum prædia multa in diversis locis, & ipsum locum Romano subjiciens mundiburdio, fratribusque concedens liberam electionem abbatis; peragens omnia cum consilio Friderici Moguntini, & Adaldagi Bremensis archiepiscoporum, aliorumque episcoporum complurimorum.* Postulati ad novam illam coloniam monachi ex Trevirensi sancti Maximini cœnobio, quod tunc sub disciplina Ogonis seu Hugonis abbatis reflorescere cœperat. Novæ coloniæ præfectus Anno vir venerabilis, qui postea Wormatiensis præsul evasit. Principio monasterium intra urbem positum fuit, eo in loco, ubi postea cathedralis ecclesia instituta est, translato monasterio in proximum montem suburbanum, unde Bergense a posteris dictum est.

LXXXVIII. Fuldense & S. Galli monasteria cremata.

Idem chronographus, & cum eo Hermannus, & Reginonis continuator, aliique tradunt, sancti Bonifacii & sancti Galli monasteria hoc ipso anno consumta incendio fuisse. Trithemius[a] addit Scutterense, quod S. Pirminius in diœcesi Argentinensi fundaverat. Lambertus monachus Fuldæ incendium anno præcedenti, forte pro veteri calculo, consignat. Hoc incendium fortuitum fuisse puto, non vero sancti Galli, ut mox videbimus. Ceterum hoc incendio conflagravit tantum basilica Fuldensis, quam Hadamarus magnis sumtibus instauravit, & post annos decem a Marino legato sedis apostolicæ dedicandam curavit. Sancti Galli monasterium concrematum est VI. kalendas Maii, feria quarta, teste Hepidanno, nempe tertia die a sollemnibus litaniis, quas die festo sancti Marci decantat ecclesia. Rem sic narrat Ekkehardus[b] junior. Thietone abbate, severa & accurata erat non modo in claustro, sed etiam in scholis exterioribus disciplina. Die festo sancti Marci, ut scholares diebus festis solent, quædam errata commiserant, quæ censores scholarum, quos *circatores* vocabant, feria tertia ad magistros detulerunt. Reis pœnas dare jussis, unus ex eis ad superiora domus, ut virgas afferret, missus. Ille, ut se suosque commilitones virgis subduceret, titionem e fornace arreptum, aridis lignis tecto proximis subjecit, quæ ignem brevi conceptum in vicinam turrim ecclesiæ, flante aquilone, intulerunt. Monasterium fere ex integro flammis absumtum, libri multi amissi; campanæ tamen cum supellectili ecclesiæ, dum lente ignis procederet, servatæ. Post tantum infortunium, fratribus nec tecta, nec fere alimenta restabant. quare, plerisque hac illacque dilapsis, ingens disciplinæ jactura facta est. Relicti circa ambusta ædificia seniores cum aliquot junioribus, quorum aliqui disciplinam pro loco ac tempore conati sunt retinere, alii prorsus excussere: quorum e numero fuit quidam Rætianus, Victor nomine, doctior ceteris, sed ferocior,

a *Hist. Hirsaug. an.* 938.

b *Ekkehard. c.* 6.

ANN. CHR. 937.

minusque obsequiosus, qui Thietoni abbati, & Craloni decano ejus fratri multum negotii facessivit. Ex hoc incendio magna conflata est in Sancti-Gallensium animis invidia contra scholares; censentibus nonnullis, scholas prorsus abolendas, ex quibus tantum mali ortum fuisset. Verum hujus amoliendæ invidiæ causa reponit Ekkehardus, longe plus honoris ex scholis istis monasterio accessisse. Inde quippe clarissimos variis ecclesiis datos episcopos se vidisse; Conrado rege apud Ingelheimium pascha agente, & sancti Galli monacho scholarum Moguntiæ curante officium, tres episcopos, ejus quondam discipulos, cum eodem divina peregisse officia, quibus absolutis, regem ei auri uncias præbuisse, quod ille nonnisi ægre accipere voluit; Mathildem vero, sororem regis, eidem monacho, anulum vellet, nollet, in digitum inseruisse. Hæc Ekkehardus, non inanis gloriolæ causa, sed ut honorem doctrinæ & disciplinæ ejus loci commemorando, præterita illa damna utcumque relevaret.

ANN. CHR. 938. LXXXIX. Corbiniacum a rege expugnatum.

POstero anno ejus sæculi tricesimo octavo, rex Ludovicus in concordiam redit cum Hugone duce Francorum, qui Hadewigam Ittonis regis sororem, Heinrici Transrhenensis olim regis filiam, in conjugium duxit, & Heribertum itidem regi Ludovico reconciliavit. Idem Ludovicus Tusciaco super Mosam recepto, Corbenacum seu Corbiniacum castellum, quod pater ipsius sancto Remigio dederat, ab Heriberto occupatum, sed sibi a Remigianis monachis commissum, vi recepit, atque Heriberti homines, qui in eo erant, comprehensos, rogante Artaldo archiepiscopo, liberos dimisit. Recepto dehinc Lauduno, inde venit ad colloquium Hugonis Nigri, Rodulfi quondam regis germani, qui fidem ei sacramento promittit.

XC. Leonis papæ diploma Floriaco datum.

Per id tempus Leo papa VII. Odoni Floriacensi abbati congratulatorias litteras scripsit, in quibus ait se vehementer gaudere, quod prædictum cœnobium beatissimi patris Benedicti, qui est pater & dux monachorum, cujus corpus illic requiescere dicitur, ad normam monasticæ religionis florescat. *nam enm ille monastiens ordo ubique sit nimium imminnens, spes nobis inest*, ait pontifex, *quia si in illo cænobio, quod est quasi capnt ac primas omnium cænobiorum*, nimirum ob reliquias sancti Benedicti illic requiescentis, *vigor monasticus convalescat, cet era circumquaque posita, quasi membra, convalescene.* Quapropter pontifex, comperto, *quod filius noster*, inquit, *Odo venerabilis abbas in hoc monasterio, & venerabilis vir Hugo, videlicet dux Francorum ibidem nuper stabilierunt*, magis magisque proficere in dies, sancit, ut numquam locus ille, aut res quælibet ad ipsum pertinentes, cujusvis potestati, nisi tantum regiæ submittantur; neque rex ipse, vel quivis princeps, umquam ipsum locum tradat aut episcopo, aut canonico, aut laïco homini ad dominandum; sed post obitum abbatis liceat monachis successorem eligere, sive ex ipsa congregatione, sive ex alia qualibet monastica fraternitate, ut fusius in appendice nostra leges. *Scriptum per mannm Theodori notarii & scriniarii sancta Romana ecclesia in mense Januario, indictione xj. Datum v. idus Januarii per manum Nicolai primicerii summa apostolica sedis, anno Deo propicio pontificatus domini nostri Leonis pontificis & universalis papa VI.* (lege VII.) *in sacratissima sede beati Petri apostoli III. in mense & indictione supraseriptis.* Hoc diploma compendio retulit Johannes a Bosco [a] in bibliotheca Floriacensi. Idem auctor aliud ejusdem pontificis scriptum laudat, cujus tantum fragmentum reperire nobis licuit. Inscriptum est *archiepiscopis, atque eorum suffraganeis, Gnidoni ecclesia Lugdunensis, Tutoloni Turonensis, Gerunco Biturigensis, Gerlanno Senonensis, Artaldo Remensis, atque successoribus eorum in perpetunm.* In his litteris ingemiscit pontifex, quod suis diebus tempora periculosa venerint, & frigescente caritate, superabundet iniquitas: ita ut rerum ordo pæne turbatus sit, & nullus jam locus religioni restare videatur. tum dolendum esse ait, quod nec ex adverso assendere, nec impietatem reprimere certent ipse & episcopi; sed quidquid religioni adversatur, clausis mentis oculis transsiliant, tametsi non ignorent, se de sua villicatione Deo rationem reddituros. Quapropter prædictos episcopos hortatur ad custodiendam religionem. Et quia *comperimns*, inquit, *quod filius noster Odo, venerabilis abbas ex monasterio admodum reverendo, vocabnlo Floriaco, quod est in honore Dei genitricis Maria & sancti Petri constructum, nbi requiescit egregins pater* DOMNUS NOSTER BEATISSIMUS BENEDICTUS, *deens videlicet gemmaque mo-*

[a] Bibl. Floriac. p. 140.

ANN. CHR. 938.

nachorum, regularem conversationem ex traditione suorum prædecessorum tenere aliquatenus cum suis fratribus, inibi Deo servientibus videatur; hunc ordinem in prædicto loco foveri, & in aliis disseminari optat pontifex, cujus diplomatis fragmentum hic desinit, non sine damno historiæ nostræ. Forte integrum legerat Johannes » a Bosco, qui diplomati apponit has chronicas notas. Datum kalendis Februarii » anno ejusdem Leonis quarto, indictione XI. legendum XII. quæ duo diplomata simul collata probant, Leonem anno DCCCC XXXVI. ineunte sedere cœpisse. Ex posterioris inscriptione, quæ Gerlannum Senonensem præfert, siquidem genuina est, colligere licet, ante scriptæ epistolæ tempus decessisse Guillelmum Gerlanni decessorem, quem ad annum ejus sæculi quadragesimum-sextum pervenisse recentiores scribunt. at eos allucinari constat ex Frodoardi chronico, in quo Gerlandus Senonensis archiepiscopus urbe sua depulsus fuisse dicitur anno DCCCC XLI. culpatus, quod Waloni, homini Heriberti comitis, faveret contra Frotmundum, quem Hugo Albus eidem civitati præfecerat. De hac expulsione agit Clarius monachus, apud quem Willelmus archiepiscopus decessisse dicitur XIX. kalendas Septembris, atque in ejus locum electus fuisse Gerlannus, *monachus sancti Germani Autissiodorensis*, morum probitate & doctrina insignis. In utroque porro Leonis diplomate mox laudato, pontifex suum in monachos & in regularem disciplinam eximium affectum ac studium egregie testatur, utpote qui ejusdem instituti ante pontificatum fuerat. quare non mirum, si *egregius pater domnus noster Benedictus* ab eo appellatur, necnon *decus gemmaque monachorum*.

Gerlannus ex monacho archiepiscopus Senonensis.

XCI. Postea quam hæc scripseram, animadverti posteriores hasce litteras esse ipsam Leonis papæ epistolam, eamque sane gravissimam, quam in gratiam quoque Rivipullensium monachorum scripsit ad commendandam eorum religionem ac disciplinam, quæ epistola integra, exceptis chronicis notis, relata est in appendice Marcæ [a] Hispanicæ, iisdem, qui supra, inscripta episcopis, insuper Aimerico Narbonensi, Riculfo Elenensi, Godmaro Gerundensi, Willarano Barchinonensi, Wadamiro Ausonensi, & Wisado Urgellensi, quos iisdem verbis ad excitandam monasticam disciplinam hortatur, ad normam Arnulfi Rivipullensis abbatis, qui *regularem traditionem* cum suis fratribus accurate observabat. *Hunc ergo ordinem*, inquit, *in prædicto loco, Deo annuente, aliquatenus, ut audivimus, reflorescentem, toto nisu in his, quæ ad nos pertinent, refovere decrevimus. Et idcirco hanc apostolicæ auctoritatis epistolam vice apostolorum principis beati Petri, quam tenere, acsi indigni, cernimur, vestræ benignitati pro filio nostro Arnulfo abbate & ejus successoribus, & ejusdem monachis dirigimus, obsecrantes & præcipientes, ut, sicut de vestra communi obedientia, necne sollicitudine confidimus, in his, quæ ad pastoralem curam pertinent, non negligatis subvenire illorum necessitatibus*, maxime reprimendis adversariorum vexationibus, ut fusius pontifex prosequitur, præcipiens Guadamiro Ausonensi episcopo, in cujus diœcesi Rivipullense monasterium situm est, ut ejusmodi vexatores pœnis ecclesiasticis coërceat, quibus diras omnes idem pontifex imprecatur. Hanc vero epistolam *non solis episcopis, sed etiam abbatibus vicinis aut longe remotis, qui sub hac norma regulariter degunt, quam Dominus per beatum sanxit Benedictum*, dirigit pontifex, ut eadem excommunicatione constringant infestos id genus homines, ut multorum consensu eorum impietas frangatur. His litteris scriptis non diu superstes fuit Leo papa, quem anno insequenti decessisse Baronius, aliique censent. Suffectus in ejus locum Stephanus octavus, aliis nonus; qui sancto Gerardo Broniensi abbati privilegium indulsit, quod alii retulerunt. Qui ei subscripsisse dicitur Benno seu Benedictus Mettensis episcopus, ante Leonem e vivis decesserat. Eodem tempore quidam monachus cœnobii sancti Cucuphatis, nomine Godmarus, a Ludovico [b] rege præceptum obtinuit, quo universæ Rivipullensium possessiones confirmantur. *Actum secus castrum, quod dicitur Brisacha, super Rheni flumen, viiij. kalendas Septembris, indictione xj. anno tertio Ludovico rege regnante.* Sancti Cucuphatis monasterium in pago Wallensi exstruxerat Ludovicus Pius, quod a paganis eversum rex Lotharius restituit. Arnulfo Rivipullensi abbati successit Ennego, cujus tempore donationes [c] quædam monasterio factæ anno abhinc secundo.

Leonis papæ epistola pro Rivipullo.

a *Marca Hisp.* c. 851.

b *ibid.* c. 849.

c *ibid.* c. 388.

XCII. Leonis pontificis zelum in disciplinam regularem prodit ejus epistola [d] ad Hugonem principem Francorum, abbatem monasterii sancti Martini Turonensis, a cujus aditu mulieres, pro antiqua, quæ illic olim viguerat, monastica disciplina, denuo arceri

Mulierum accessus in monasteria prohibitus.

d *Spicil.* to. 2. p. 375.

ANN. CHR. 938.

arceri jubet, doletque eam fuisse violatam ex negligentia & tepore clericorum, eidem loco tum servientium: cum etiam nulli umquam feminæ intra monasterii ambitum, etiam sub tempore paganorum, nisi orationis causa, permissus fuisset accessus. Scriptum per manum Theodori notarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Januario, & indictione XI. Ludovico Francorum rege. ubi insolitum est, tempus scriptæ a Romano pontifice epistolæ a Francorum rege designari. Hæc arcendarum a monasticis etiam ecclesiis mulierum disciplina inviolata perseveraverat in Sithiensi monasterio ad hoc usque tempus, quo Adala, conjux Arnulfi comitis & abbatis, cum magnis infirmitatibus sæpius vexaretur, summopere expetiit, ut ad altare sancti Bertini, precandi causa, sibi accessus concederetur. Votum hac de re suum exposuit Wicfrido Teruannensi [a], & Fulberto Cameracensi episcopis, qui, *accepta etiam a monachis licentia, anno nativitatis Domini nongentesimo tricesimo-octavo, annoque quinto* (lege secundo) *Ludovici regis, feria secunda paschæ, introduxerunt eam in idem monasterium*, id est basilicam, & quidem *non sine tremore maximo, quoniam hoc illa prima facere præsumserat, quod antea reginarum nulla concupiscere vel audebat.* Sic introducta, & ante altare beati Bertini prostrata, fusis precibus, plenam corporis sanitatem recepisse dicitur. Tanto grata beneficio, plurima huic loco ornamenta contulit, in his *cortinam miræ magnitudinis, operisque præcipui, quæ adhuc durat*, inquit Iperius. In ipso ingressu Arnulfus, ejus conjux, fiscum quemdam eidem monasterio donavit. Eodem tempore Rodulfus, ipsius castelli urbanus prætor, filium suum, Walterum nomine, morbo variolæ laborantem, ulnis propriis ad altare sancti Bertini deportavit, voto facto, se eum Deo consecraturum, si sanitatem reciperet. quem mox saluti restitutum omnipotenti Deo & sancto Bertino obtulit, monachum perpetuo futurum.

a *Acta Bened. to. 3. p. 138.*

XCIII. S. Theotfredi monasterium instauratur.

Calmeliacense sancti Theotfredi apud Wallavos monasterium ex rectorum incuria & monachorum relaxatione ad eum statum redactum erat, ut ob inopiam loci monastica religio inibi penitus exstincta esset. Hanc desolationem non ferens Gothescalcus præsul Wallavensis ecclesiæ, hunc locum in pristinum statum reformare studuit. Et primo quidem facultates monasterii, per incuriam & sæcularium cupiditatem direptas, eidem restitui curavit. Dein Arnulfum abbatem ex Auriliacensi sancti Geraldi [b] monasterio accitum rogavit, ut prædictum locum in suum dominium acciperet, & fratres inibi, secundum regulam sancti Benedicti victuros, collocaret. quod factum est assensu Guillelmi marchionis & plurimorum episcoporum. Ad hæc idem antistes quædam eis prædia confert, ea lege, ut quotidie, exceptis diebus festis, ad singulas horas canonici officii duos psalmos pro ipso, ejusque successoribus, flexis genibus decantent; pro defunctis vero, quando feret dies, vigiliam & missam. His litteris post Gothescalcum episcopum subscribunt Gerontius Bituricensis archiepiscopus, Bego & Wido episcopi, scilicet Anicienses, qui unus post alterum, suo uterque tempore, postea successerunt; Bernardus abbas, & Dalmatius abbas, qui Calmeliacensibus ab Arnulfo abbate præfectus est, subscripsitque his litteris anno regiminis sui quinto, sive hic annus ejus abbatis quintus fuerit; sive postea, ut non raro tum fiebat, subscripserit. quod nonnullis placet, qui Dalmatium anno abhinc secundo ejus loci abbatem constitutum volunt. Actum anno regni Ludovici secundo. Arnulfus, superius laudatus, Auriliaci coabbas erat sub Odone abbate Cluniacensi, ut in chronico [c] Auriliacensi legitur. Arnulfi successor Adraldus, Conchensis monachus, ex pago Rotenico nobilibus parentibus ortus, prophetiam sancti Geraldi implevisse dicitur, amplificata basilica, quæ propter confluentem populum angustior erat; & aliud monasterium apud Cadeiracum exstruxisse. Huic suffectus Geraldus de sancto-Sereno, abbas quintus, ex castro sancti-Sereni apud Cadurcos oriundus, basilicam a decessore suo inchoatam persecit.

b *Diplom. p. 169.*

Auriliacenses abbates.

c *Analect. to. 2. p. 239.*

XCIV. Moguntiæ archiepiscopi monachi.

Hildebertum Moguntinum pontificem hoc anno decessisse tradunt veteres Germani scriptores, eique suffectum fuisse Fridericum, Gisleberti ducis Lothariensis propinqnum, qui & ipse, uti ejus antecessor, Fuldensis monachus erat. adeo ut Fuldense monasterium quoddam quasi seminarium exstiterit Moguntinorum archiepiscoporum, uti Trevirensium Mediolacense. Friderici media fama est apud veteres, *vir in sancta religione strenuus & valde laudabilis* dictus a continuatore Reginonis; sed tamen ob id culpatus, quod altercationibus Ottonis regis & Gisleberti ducis, aliorumque Ottonis æmulorum, se nimium immiscuerit, & Gisleberto propinquo

ANN. CHR. 938.

suo, & forsan fratri, contra regem se se adjunxerit. quæ res ipsi causa fuit ejectionis & exsilii non semel. In chronico Saxonico nondum edito, *vir optimus & omni religione probatissimus* appellatur.

XCV. *Adeleis a Lothario sponso dotata.* [a] *Bullar. Casin. to. 2. p. 41.*

Sub finem hujus anni Lotharius Italiæ rex Adeleidem, Rodulfi Jurensis Burgundiæ quondam regis filiam, desponsaturus, dotem ei constituit [a] ex variis Italiæ » terris & possessionibus, quas inter abbatiam de Sexto, sitam in comitatu Luccensi, » abbatiam sancti Antonii in Senensi, atque abbatiam sancti Salvatoris in monte » Amiato, sitam in comitatu Dusensi, ei assignat. Actum pridie idus Decembris in Burgundiæ curte, *quæ Columbaris dicitur*, anno ejus sæculi tricesimo-octavo, Hugonis regis duodecimo, & filii ejus Lotharii VII. indictione XI. Hæc autem fere omnia monasterio Salvatoris Papiensi contulit pientissima regina ejus conditrix, cujus in ordinem nostrum beneficia & eximiam pietatem sequentia declarabunt.

XCVI. *Guntharius fit episcopus Ratisponensis.* [b] *Canis. to. 2. p. 104.*

Festivum est quod scriptores Germani scribunt de Gunthari Ratisponensis episcopi electione, quæ hoc anno facta dicitur. Venerat Otto Ratisponam, vacante sede post mortem Isamgrini episcopi, uti Arnolfus [b] tradit, aut certe Conradi, ut recentiores habent indices. Admonitus in somnis Otto, ut eum episcopum crearet, qui postero die primus sibi ad sancti Emmerammi monasterium venienti occurreret; prima luce cum paucorum comitatu istuc accessit, monachis ejus rei ignaris. Pulsanti cum venerabilis Guntharius monachus ostium aperuisset, rex eum intuitus, quid sibi pro episcopatu dare vellet, sciscitatur. Et ille subridens: Calceos, inquit, meos. Tunc rex, patefacto reliquis fratribus oraculo, consilio cleri & populi eum episcopum elegit. qua dignitate non diu potitus est Guntharius, qui Ratisponensi ecclesiæ triginta tantum hebdomadibus præfuisse fertur, sepultus ad sanctum Emmerammum. Huic suffectus Michael, monasterio non parum infestus, Michaëli sanctus Wolfgangus e nostris, qui regularem disciplinam ibidem restituit, multis suo loco celebrandus.

XCVII. *Senoniensium res confirmatur, & abbates.*

Hoc anno exeunte Rambertus, Senoniensis monasterii venerabilis abbas, Adalberonem episcopum adiit, petiitque, ut donationes ab ejus antecessoribus de rebus sancti Stephani factas, confirmaret, in his ecclesiam in Episcopi-villa sitam in co- » mitatu Albinsi, cum suis adjunctis. quod episcopus benigne annuit. Actum Mettis » III. kalend. Januarii, anno tertio regnante Ottone rege, indictione undecima. Post Adalberonem his litteris apposita sunt signa Beatricis ducis, Zindebaldi comitis palatii, Warneri abbatis, & aliorum Mettensis ecclesiæ canonicorum. Hic est Rambertus abbas, per quem disciplina regularis [c] in Senoniensi monasterio, favente ipso Adalberone episcopo, refloruit, in necrologio laudatus VI. nonas Martii. In chronico Senoniensi, auctore Richerio, magnus hiatus est in serie abbatum post Rambertum, de cujus proximis successoribus nulla certa notitia. Qui in additionibus [d] ad chronicon Yepesianum Ramberti successor laudatur Bercherus abbas, annis amplius centum quadraginta posterior fuit, nimirum pontificatu Pibonis [e] episcupi Tullensis, ut suo loco videbimus; ac proinde longe remotior a tempore Stephani sæculo duodecimo Mettensis episcopi, cujus tempore prædicti abbates exstitisse perperam dicuntur.

[c] *sup. n. 72.*
[d] *Chron. Bened. to. 2. pag. 127.*
[e] *Spicil. to. 3. p. 325.*

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUADRAGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi 939. ad annum 947.

ANN. CHR. 939.

I. Res civiles anni sequentis.

ANNO proximo, ejus sæculi tricesimo-nono, in Gallia res civiles admodum turbatæ. Ludovicus rex, adjuncto sibi Hugone Nigro, Rodulfi quondam regis filio, pergit contra Hugonem Album Francorum ducem, & Willelmum Nortmannorum principem, qui, ob damna Arnulfo Flandrensi comiti illata, ab episcopis, qui cum Ludovico erant, diris supponitur cum Heriberto, qui villas & opida quædam sancti Remigii injuste retinebat. Sub hæc Ludovicus, semel & iterum vocatus a Lothariensibus, qui ab Ottone rege defecerant, in pagum tandem Virdunensem & Elisatium proficiscitur. In ea defectione primas tenebat Gislebertus dux Lothariensis, qui trans Rhenum prædandi causa profectus, Saxonibus insequentibus, in Rhenum cum equo dilapsus, undis oppressus est. Erat ei uxor Gerberga, Ottonis regis soror, quam Ludovicus rex statim conjugio sibi copulavit. Non tamen pax facta cum Ottone, qui Lotharienses ad se redire coëgit.

II. Gorziensibus ablata restituuntur a Bosone.

Inter hæc Boso comes, Richardi dudum Burgundiæ principis filius, Rodulfi Francorum quondam regis frater, partem aliquam regni Lothariensis sibi vindicare conabatur; & intra Victoriacum Campaniæ castrum se continens, loca circumposita, in his possessiones quasdam Gorziensis monasterii usurpaverat. Ad has reposcendas missus ab Einoldo abbate Johannes monachus, cujus jam non semel facta mentio est. Hic, cui obedientia cuncta difficilia vel impossibilia, facilia & possibilia reddiderat; per infesta latrociniis loca, uno tantum comite e famulis sibi assumto, iter aggressus, ad comitem venit, rogavitque, ut res occupatas ob amorem vel timorem Dei, & reverentiam sanctorum restitueret. Ille ira commotus id se facturum constanter negat, & Johannem cito a se summoveri jubet. At Johannes: Ego, inquit, summoveri possum: sed alii plures & potentiores succedent, qui clamare non cessabunt. Et ille: Ad quem, ait, clamabunt? num ad regem, nescio quem, tuum? num ad ducem tuum illum Gislebertum, quem non magis, quam servorum meorum novissimum, reputo? An vero ad episcopum tuum Adalberonem? cujus causa de vitrico ejus Richizone cum vindictam sumserim, ille nihilo minus ad Gislebertum defecit. Sed viderit, quid ei ex hoc commodi cesserit. Tum Johannes: Clamabimus ad Deum, qui nos forte non rejiciet. Ad hæc ille commotior, Johanni minas intentat & supplicia, & jam fere eum arripi jusserat, cum

ANN. CHR. 939.

ejus conjux, prudens sane mulier, ne id faceret intercessit; rogavitque, ut, si postulata negaret, saltem illæsum abire permitteret. Ita dimissus, etiam viatico & viæ duce a comitissa accepto, discessit, ac tandem Gorziam, non sine magnis periculis, incolumis pervenit. Non multi effluxerant dies, cum nuntius Bosonis comitis Gorziam venit, rogaturus, ut Johannes quantocius mitteretur ad comitem, qui morbo gravissimo pæne desperatus lecto decumbebat. Protinus Johannes abbatis jussu celer eo progreditur. Dum coram venisset: Quando, inquit, comes, hinc digressus es, non tam prope finem vitæ mihi adesse putaveram. Habeto jam prædia, quæ repetebas. tantum eorum patronum ac defensorem me habete. de cetero quidquid vobis ex eis deperierit, ego auro probato repensabo. His actis, ubi Johannes e conspectu abiisset, comes resolutus in somnum, quo jam per plures dies ac noctes caruerat, ab hora nona usque ad subsequentis diei horam fere tertiam non evigilavit. Sed tandem experrectus, mox cibum petit, cujus per aliquot dies prorsus expers fuerat. quo volupe sumto, iterum usque ad horam fere nonam obdormivit. Expergefactus Johannem advocat, eumque salutis suæ recuperatorem testatus, cum multo honore a se emittit. Hæc acta esse constat post mortem Bosonis comitis, Rodulfi regis fratris, qui in obsidione sancti Quintini, teste Frodoardo, mortuus est ante annum, quo rex Otto Heinrico patri successit. Atqui Boso comes, de quo mox agimus, cum Ottone jam rege de portione regni Lothariensis disceptavit, idemque *filius* erat dudum principis Burgundionum Richardi, ex vita Johannis abbatis Gorziensis. ac proinde Richardus duos filios cognomines habuisse dicendus est.

III. Odonis abbatis iter duplex Romam, & facta.

In Italia recrudescebant quoque discidia inter Hugonem regem & Albericum principem Romanorum, quibus componendis Odo Cluniacensis abbas iterum Romam adire cogitur. Id contigisse hoc anno, non præcedente, diserte testatur Johannes ejus vitæ scriptor, qui se tunc Odoni primum adhæsisse tradit initio libri primi, his verbis. *Anno itaque dominicæ incarnationis nongentesimo tricesimo-nono, & ejus ætatis sexagesimo, in monastica religione tricesimo anno, Romam veniens, me miserum terrenis irretitum nexibus reperit, miseransque suo rete piscatus est.* In reditu eumdem ad cœnobium sancti Petri, Ticini positum, usque perduxit: ubi parvo tempore ab Hugone rege detentus, ipsummet domno Hildebrando Cluniacensi preposito disciplinis regularibus informandum tradidit. Hoc monasterium est sancti Petri in Cælo-aureo, quod forte Odoni ab Hugone commissum fuerat. Non multo post Odo Romam denuo revertens, *me infelicem*, inquit Johannes, *dignatus est sibi socium sumere, & quem canonicum parentibus abiens rapuit, rediens postmodum monachum reduxit.* Ex quibus patet, Johannem Roma oriundum, ibidemque canonicum ante monachatum exstitisse. Hæc tertia Odonis in urbem profectio contigit agente Leone papa, ac proinde hoc ipso anno, qui Leonis supremus fuit. Tempus designat Johannes ipse post initium libri secundi. *Sub idem tempus Italiam missi sumus a Leone summo pontifice, ut pacis legatione fungeremur inter Hugonem Longobardorum regem, & Albericum Romanæ urbis principem.* In illo itinere, cum Senam appulisset, ubi fames tum ingruebat, cum ex triginta solidis, quos ad viaticum habebat, pauci restarent; sciens Johannes ejus morem, quod omnia in pauperes profunderet, nihilque sibi suorumve usui reservare soleret; veritus ne tandem in via rebus necessariis deficerent, clam ab eo cum reliquis solidis discessit, & civitatem pertransivit. Ubi Odo urbem ingressus est, mox cuneis egenorum stipatur. Tum ille circumspiciens ut a Johanne acciperet quod illis erogaret, cum illum non vidit, fraudem intellexit, & mendicis ut se sequerentur innuit. Interim in platea civitatis tres viri occurrunt, quamdam honestatem præ se ferentes, quos pudor a mendicando prohibebat. quem ut relevaret Odo, baccas lauri, quæ ad eorum ostia e scutulis pendebant, se velle emere simulavit. Pretium sciscitatus, cum illi minimum dixissent, eos tacite monuit, ut dicerent tanti. quod pretium mutuo acceptum eis persolvit. Urbe egressus cum turba pauperum subsequentium, Johanni præcepit, ut statim eis daret. quo facto, tam præclara suis de merito eleemosynæ dixit, ut numquam similia se audivisse Johannes affirmet: Odo vero confessus est aliquando, sibi numquam defuisse, unde fratres sustentaret, ac pauperes recrearet. Sub hæc eos consecutus est Petrus presbyter ac monachus Cluniacensis, qui viaticum eorum supplevit. Hoc iter duobus mensibus anni insequentis, Januario & Februario, factum

esse idem auctor scribit. Dum Odo Romæ versaretur apud sanctum Paulum, rogavit eum Balduinus abbas, ut codicem libri, quem de vita beatissimi Martini Sulpicius more dialogi scripsit, emendaret, & glossulis illustraret. Tum Odo, fratri Otgario data emendandi opera, ipse commentariolos edere incœpit. Dum id agerent, vesperarum signum insonuit, mox illi, secundum regulæ præscriptum, dimisso opere, in ecclesiam pergunt, codice aperto relicto. Dum vesperæ canuntur, ingens pluviarum copia e cælo decidit, & ex tribus tectis, flante vento, aquæ in eum locum, ubi codex ad insequentem diem ex incuria relictus est, deferebantur. Mirum dictu! cum margo undique aquis madida esset, scriptura intacta permansit. Cunctis demum stupentibus rei miraculum, ait Odo non esse mirandum. scirent illi, quod vitam beati Martini aqua tangere timuit. Ea vero erat omnium in virum Dei reverentia, ut, cum sancti Petri basilicam oraturus intraret, hinc inde religiosi homines *birrum* seu pallium, *quo tegebatur more cappæ*, extrema fimbria apprehendentes oscularentur. Per id tempus Albericus princeps Suppentoniense & Adventinum monasteria Odoni regenda commisit. Eidem etiam commissum Salernitanum: cujus loci fratribus Johannes libros de vita sancti Odonis nuncupavit. Suppentoniano præpositus Theodardus, qui vix monachos ejus loci ab esu carnium compescere valuit. Piscium copia e proximo lacu Odonis meritis cælitus eis subministrata. In posteriori hujus temporis itinere vir sanctus orationis causa Garganum adiit. In via occurrit Johannes Nolanus electus, tertium Romam proficiscens ordinationis causa, cui adversarii obsistebant. Hunc bene sperare jussit Odo, prosperum ei successum ominatus, quod omen eventus comprobavit. In reditu ex urbe per maritimas oras vir sanctus pauperem feminudum ad Burianum offendit. Omnibus præire jussis, vestem exuit pius pater, eaque seminudum operuit, quem unum e mortalibus non esse Johannes ex ejus dictis intellexit. Hujus itineris socius fuit Geraldus Regiensis antistes, quo præsente, vir sanctus dæmoniacam liberavit. Medio inter duo illa Romana itinera intervallo Hugo illustrissimus Burgundiæ marchio, filius Richardi, privilegium [a] Cluniaco obtinuit a Ludovico rege, qui immunitatem a teloneis, libertatem hominum ac servorum, decimas indominicatas ad hospitale eis concedit, præcipiens, ut juxta traditionem suam monachis vivere liceat. qui, si exorbitaverint, *judicio Dei sive regula referventur. Actum in Quercceto juxta Dociacum* [*] *villam super fluvium Carum* XII. *kalendas Julias, indictione* XII. *anno quarto regnante Ludovico rege.* Geraldus notarius ad vicem Artaldi episcopi recognovit.

ANN. CHR. 939.

Cluniaco privilegium datum

a Miscell. Labb. p. 532.

* Douzy.

IV. Farfensis monasterii abbates & infelix status.

Inter ea Farfense monasterium gemebat sub tyrannide Camponis, qui, cum *regulares monachos*, a principe Alberico missos, ut superiori [b] libro diximus, recipere noluisset, jussu ipsius Alberici ejectus, ad Reatinam civitatem apud propinquos suos se recepit. Hac occasione invadendæ abbatiæ captavit Hildeprandus, ejus scelerum conscius: quem Albericus sancto loco incubare haud passus est; sed Dagibertum, virum probum & inculpatum, ibidem abbatem constituit. Hildeprandus ejectus castrum sanctæ Victoriæ invadit, & monasterii possessiones deprædari pergit. Sic exterius vexatus Dagibertus, longe graviora interius tulit a pessimis monachis, ut inferius videbimus.

b num. 74.

Post Dagibertum Adam abbas a Johanne duodecimo institutus dicitur, & post eum Sarilo, tum Johannes. Ita Farfensium abbatum series in chronico instituitur. At Sarilo Dagiberto præponendus ex vulgato [c] a nobis Farfensium abbatum catalogo, in quo post Hildeprandum, qui hoc anno ponitur, recensetur post quatuor annos Sarilo; tum Dagibertus anno ejus sæculi quadragesimo-octavo; dein Adam supplendus ad annum circiter sexagesimum-tertium; ac demum Johannes anno sexagesimo-sexto, quem ordinem deinceps sequemur. Inter hæc nihilo minus Campo abbatiali jure, immo injuria, res monasterii, quæ propius Reate sitæ erant, retinebat, & de illis pro suo arbitrio statuebat, ut varia documenta probant per singulos fere annos ab eo confecta usque ad annum sexagesimum-secundum, post quem nulla amplius de eo fit mentio. Ulterius progressus est Hildeprandus, qui contra Johannem coram Ottone imperatore disceptavit anno septuagesimo-primo: quo anno abbatia ei ablata est imperiali decreto, & concessæ ad vitæ subsidia quædam monasterii possessiones, ut suo loco videbimus.

c Mus. Ital. to. I. p. 65.

V. Lotharii donatio facta monasterio S. Florae.

Lotharius rex una cum patre suo Hugone donationem facit [d] quarumdam ecclesia-

d Bullar. Casin. to. 2. p. 40.

ANN. CHR. 939.

rum & possessionum Aretinensi monasterio sanctarum Floræ & Lucillæ, tum pro se, tum pro anima Bettæ matris suæ; confirmatque donationem cujusdam terræ, quam Boso ipsius frater monachis ejusdem monasterii contulerat, insuper omnium rerum, quas constructor ejusdem loci eidem cœnobio dederat. *Data pridie kalendas Junii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC XXXIX. *regni domni Hugonis* XII. *filii ejus Lotharii regis* VII. *indictione* XI. *Actum Perusii.* Quo tempore conditum sit illud monasterium, quive fuerint ejus conditores, incertum. Certe non multum ante hoc tempus exstitisse crediderim. Antiquius videtur aliud Aretini territorii monasterium sancti Petri, in monte Pingueli situm: uti colligimus ex præcepto [a] Caroli-Magni, tametsi non omnino sincero, quo ejus bona & privilegia confirmantur. Unitum fuit hoc monasterium prædictæ sanctarum Floræ ac Lucillæ abbatiæ, quæ hactenus exstat sub congregatione Casinensi seu sanctæ Justinæ. Ad Galliam revertor.

a *ibid. p.* 19.

S. Petri monasterium ei unitum.

VI.

S. Bavonis monasterium instauratur.

Everso ante annos octoginta Gandensi sancti Bavonis monasterio, ingens eo loci solitudo, vepres ac spinæ ibidem exortæ: monachi extorres cum sanctorum reliquiis palabundi, primum quidem Lauduni apud sanctum Vincentium per annos fere triginta constiterunt; dein, canonicis ibidem a Didone episcopo institutis, ad Nigellam monasterium Briegii pagi (nam Nigellense Picardiæ necdum conditum erat) se contulerunt, ubi Radulfus eorum abbas sepultus est, qui tamen Lauduni obierat anno octingentesimo octogesimo-secundo. Post hunc electus Elias, apud sanctum Vincentium humatus. Tandem, rebus serenatis, Gandenses monachi post longa exsilia reversi sunt ad proprias sedes, invitante Arnulfo comite, qui sanctum locum instaurare constituit. Primam ejus facti laudem Transmaro Noviomensium & Tornacensium episcopo, qui ex præposito sancti Vedasti ante biennium electus fuerat, tribuit scriptor miraculorum sancti Bavonis. Hic, quoniam sanctorum locorum ac religionis cultor eximius erat, venerabilem locum tribulis ac vepribus obsitum miseratus, de eo instaurando litteras scripsisse traditur Arnulfo marchisio, *ad quem idem locus ex regis pertinebat beneficio*, quibus significavit, *se scalam velle erigere, per quam uterque levi volatu cælum posset conscendere.* His litteris aliisque adhortationibus animatus Arnulfus, pium opus aggressus est, quod cum episcopi, tum aliorum fidelium subsidio demum perfecit. Rebus utcumque dispositis, in novum oratorium sancti Bavonis reliquiæ, quæ ad tempus in novi castelli ecclesia substiterant, ipso ejus depositionis pervigilio, id est pridie kalendas Octobris, illatæ sunt, præsente Gerardo Broniensi abbate, qui hujus negotii pars magna fuit, ac primus a restituto cœnobio abbas. Idem Arnulfus non multo post effecit, ut Blandiniense sancti Petri monasterium, quod eamdem a Nortmannis cladem pertulerat, instauraretur.

Geraldus Arnulfum calculo liberat.

Forte per id tempus Arnulfus comes calculo graviter laborabat, ita ut vix ei respirare liceret. Vocati ad eum peritissimi quique medici ac chirurgi, non aliud remedium, quam incisionem afferri posse censuerunt. Repugnante comite, ut peritiam artis suæ ostentarent chirurgi, sub ejus oculis octodecim homines eodem morbo affectos inciderunt, qui omnes, præter unum, brevi sanati sunt. Verum nec sic incisioni assensit comes, maluitque Dei opem in iis angustiis, exemplo beatæ Agathæ, implorare per beatum Gerardum, cujus precibus ac meritis calculo liberatus est. In tanti beneficii præmium Arnulfus munera obtulit Gerardo, qui ea constanter respuit. ubi obiter observare licet, incisionem calculo laborantium antiquiorem esse, quam multi credant.

ANN. CHR. 940.

VII.

Dissidia continua inter Francos.

NOvo anno recurrente, scilicet nongentesimo quadragesimo, nova denuo instaurata certamina quorumdam Franciæ procerum adversus Ludovicum regem. Huic in primis infestus erat Heribertus Viromandorum comes, ea maxime de causa, quod Ludovicus, prætermisso Hugone ejus filio, qui vixdum sexennis ad archiepiscopatum Remensem postulatus fuerat, Artaldum prætulisset Remigianum monachum, per quem ecclesiæ Remensi hoc anno ejus urbis monetam cum comitatu Remensi contulit, teste Frodoardo. Ejusdem forte gratia idem princeps se munificum quoque præstitit erga sanctum Remigium, cui libram argenti singulis annis, ut ejus intercessionibus contra æmulos fulciri mereretur, se persoluturum promisit; monachis vero ejus loci de quodam castello, quod Heriveus, nepos Herivei quondam archiepiscopi, super fluvium Matronam tenebat, præ-

S. Remigio facta donatio.

ceptum immunitatis dedit. Paullo post Hugo princeps, filius Rotberti quondam re- ANN. CHR. 940.
gis, restitutor Ludovici, qui Ludovicus ab eo temere recesserat, junctis sibi quibusdam
Franciæ & Burgundiæ episcopis, cum Heriberto comite & Willelmo Nortmanno-
rum principe, Remorum urbem obsidet, quæ sexta obsidionis die Heriberto tra-
dita est. Mox Artaldus præsul ad sanctum Remigium ab episcopis & proceribus *Artaldus archiepiscopus expulsus.*
evocatus, episcopatus procuratione se abdicare cogitur, & ad sanctum Basolum se
recipere, cujus loci abbatia simul cum Avennacensi virginum monasterio eidem
concessa. Tum Hugo Heriberti filius, qui jam diaconus erat, a Widone Suessio-
nico præsule presbyter ordinatur. Per id tempus cuidam puellæ, Flotildi nomine,
ex villa territorii Remensis Lavenna, quæ Avennaco monasterio subjecta erat,
mense Martio, tempore quadragesimalis jejunii, visiones ostensæ dicuntur, in
quibus beatus Remigius [a] Artaldum præsulem increpuisse dicitur, quod relicto [a] *Chesn. to. 2. p. 624.*
Dei servitio, id est, si bene capio, monachatu, in tanta pericula se immersisset.
quo dicto, Artaldus igne correptus fuerit, sed mox a quatuor clericis igni sub-
ductus. Alias eadem puella sanctos Petrum & Martinum vidisse fertur, ipsi præci-
pientes, ut Hugonem Heriberti comitis filium, cui tunc episcopatus redditus erat,
admoneret, *ut prohiberet juramenta, quæ tot fiebant, & maxime, Dei amorem ju-
rare*: vetaret etiam presbyteros cum feminis habitare, indignos qui sanctorum re-
liquias contrectarent, quippe *qui ipsas quoque litteras ignorarent, quas legebant.* Ad
hæc sanctum Martinum ipsa puella audivisse dicitur, querentem, quod signa seu
miracula tunc cessassent ob juramenta & crimina illorum temporum, maxime sa-
cerdotum, qui ministerium suum non faciebant. Favent hæ visiones Hugoni tunc *Frodoardus in custodia positus.*
dicto episcopo, non ita vero Frodoardus, qui cum orationis gratia ad sepulcrum
sancti Martini proficisci vellet, ab Heriberto comite, a nonnullis apud eum clam
accusatus est, quasi hoc prætextu uteretur ad discedendum, ut filio ejus licentius no-
cere posset. quare sub custodia detentus est ad quinque menses, cunctis rebus,
quas de episcopatu tenebat, ipsi ablatis, cum ecclesia Culmisciaci *, quam rege- * *Cormicy.*
bat. Veri simile est, Frodoardum sic male habitum ab Heriberto & Hugone epis-
copo ejus filio ad monasterii portum se recepisse: sed quo in loco, nobis incom-
pertum. Inter hæc rex Ludovicus, ut sibi Hugonem comitem conciliaret, ejus
rogatu cuidam fideli suo [b] Adelardo, ejusque conjugi Addilæ, duas donavit abba- [b] *Perard. p. 165.*
tias, scilicet Faverniacum, dicatum in honorem sanctæ Mariæ; atque Offonis-
villam sancto Leodegario sacram. *Datum* XVI. *kal. Martii, regnante gloriosissimo
rege Ludovico anno* III. (lege V.) *indictione* XIII. *Actum villa Gurziaca*, lege
Caziaca, super Madernam fluvium.

Cum Gemeticense sancti Petri monasterium, quod ab Hastingo Danorum duce VIII.
combustum diximus, annos amplius octoginta cineribus consepultum jacuisset; hoc *Gemeticum instauratur.*
tempore demum excitatum est a Willelmo Nortmannorum duce, Rollonis filio,
cui [c] Longa-Spata cognomen inditum erat. Rem sic narrat Willelmus monachus [c] *Willelm.*
Gemeticensis. Sub id tempus contigit, duos monachos, ex Hasprensi cella pagi *lib. 3. c. 7.*
Cameracensis, quo Gemeticenses plerique ob infestationem Danorum cum corpore
sancti Aicadri se receperant, antiquæ habitationis suæ desiderio Gemeticum repe-
tere. Balduinum & Gunduinum vocant. Hi itaque vastam illam solitudinem in-
gressi, magnis laboribus locum, dumis & sentibus horridum, expurgare & com-
planare cœperant, & veteris monasterii fundamenta perscrutari. Forte istuc in-
ter venandum adveniens dux Willelmus, percontatus est, unde venissent; & cu-
jus ædificii rudera hæc essent. Illi ubi percontanti fecere satis, duci *caritatem pa-
nis hordeacei & aquæ obtulerunt.* Hæc cum ille pro rei vilitate rejecisset, saltum
ingressus, immanem aprum reperit, quem festine insequi cœpit. Molossis post eum
emissis, aper cursum retorquens, hasta venabuli fracta, irruit in ducem, ac prostra-
tum vehementer attrivit. At dux, paullulum spiritu recepto, monachos revisit, &
caritatem, quam incaute spreverat, ab eis recepit; atque accepti beneficii causa,
monasterium se instauraturum pollicitus est. Nec mora, auctionariis & artificibus
missis, locum perpurgari curavit, ac sancti Petri *monasterium* seu oratorium, quod
unum ex omnibus ædificiis fere integrum supererat, resarciri ac tegi; claustrum
vero & cetera ædificia in minorem formam redegit, ac brevi monachorum habi-
tationi apta & opportuna reddidit. His peractis, legatos ad sororem suam Herloch,
cognomento Adelam, quæ Willelmo Pictavorum comiti nupserat, confestim diri-

ANN. CHR. 940.

git, petitque, ut monachos ad Gemeticum incolendum mittat. Duodecim cum abbate Martino missi ex cœnobio sancti Cypriani, quod nuper Frotharius Pictavorum antistes instauraverat. Eorum adventu dux mirifice recreatus, eos Rotomagi perhumaniter recepit, atque inde honorifice Gemeticum deduxit, abbatique locum cum tota villa tradidit, quam ab invasoribus redemit. Quin etiam se inibi monachum futurum promisit: votoque suo incunctanter fecisset satis, nisi abbas id differendum censuisset propter imbellem ætatem Richardi ejus filii, qui necdum regendæ provinciæ habilis erat. Verum in voti memoriam dux *cucullam & staminéam* a Martino abbate extorsit, & secum assidue gestavit, scilicet in scrinio, cujus clavem argenteam cingulo suo appensam habebat. Restitutis Gemetici monachis primus in abbatum indicibus præfectus censetur Martinus sancti Cypriani abbas: at cum proprio suo monasterio, aliisque, quibus restituendis aut informandis adhibitus fuerat, procurandis unus par esse non posset; Odonis Cluniacensis exemplo proabbatem seu coabbatem Gemetici substituit, videlicet Annonem, qui secundo loco in vetustis ejus loci abbatum syllabis ponitur, non multo post ad Miciacense monasterium translatus. sic in sancti Augustini monasterio apud Lemovicas idem Martinus proabbatem instituit Richardum, ut superius [a] vidimus. Eidem hoc anno commissa est abbatia sancti Johannis Angeriacensis apud Santones, ut mox dicturus sum.

a *lib.* 43. *num.* 17.

IX. S. Illidii item cœnobium.

Apud Arvernos per istud tempus itidem instauratum est sancti Illidii monasterium suburbanum, quod ab anno octingentesimo-quinto, cum Dani Arvernensem urbem infestarunt, eversum jacuerat, exinde monachis omnino destitutum. Erat tamen ejus loci abbas hoc tempore Bernardus: quo in primis agente, Arnoldus ejus urbis antistes, assensu & consilio clericorum suorum & baronum Arvernensium, suggerente etiam altero *Bernardo Arvernicæ sedis abbate*, monachos ibidem per Odonem Cluniacensem abbatem restituit, dotavitque ex bonis suis, concessa eidem loco omnimoda libertate, quam apostolica auctoritate confirmari curavit. quod postea rex Lotharius & Raymundus comes, necnon Rotbertus vicecomes laudaverunt.

X. Angeriacum quoque cœnobium.

Eodem tempore Willelmus dux Aquitanorum ac Pictavorum comes, quem Caput-Stupæ cognominant, Angeriacense seu Engeriacense sancti Johannis monasterium, quod a Nortmannis pariter excisum fuerat, excitavit, ac liberaliter dotavit, accitis e Pictavensi sancti Cypriani cœnobio monachis una cum Martino abbate piissimo, jam sæpius laudato, cui Angeriacense monasterium commisit. Nulla tamen Willelmi fit mentio in diplomate Ludovici regis, apud Beslium [b] edito, » quo Rotgarii comitis & Eblonis rogatu, quamdam abbatiam, in honorem sancti » Johannis-Baptistæ Deo sacratam, tunc pristino penitus destitutam honore, & in » solitudinem redactam, *cuidam servo Dei, nomine Martino*, causa emendandi con» fert: ut eam, quamdiu vixerit, teneat, & monachos inibi regulares collocet, qui » post ejus decessum sibi abbatem secundum regulam sancti Benedicti eligere possint. » vetatque, ut nullus comes, aut quævis alia præpotens persona ullum nocumentum » eidem abbatiæ inferat, sed illa *secundum aliorum morem locorum, sub regula jam dicti almi Benedicti militantium*, immunis sub regia defensione permaneat. *Actum Pictavis civitate* VII. *idus Januarii, indictione* XIV. *anno* VI. *regnante Ludovico rege Francorum.* quæ notæ conveniunt initio anni subsequentis nongentesimi quadragesimi-primi, arguuntque hanc instaurationem anno præcedente inchoatam fuisse. Willelmum comitem ejus auctorem fuisse probant veteres loci tabulæ, tametsi benefactorem tantum & amplificatorem dicit chronographus Malliacensis, ubi Willelmus prædictum cœnobium [c] multum dilexisse, & magnis honoribus ditavisse dicitur. Angeriacensis monasterii curam per se ipse exercuisse videtur Martinus sancti Cypriani abbas, & post eum Aimo, qui abbas *sancti Johannis-Baptistæ, sanctique Cypriani, quod est in prospectu civitatis* Pictavensis dicitur in chronico Malliacensi seu sancti Maxentii.

b *Besly com. Pict. p.* 257.

c *Labbe bibl. to.* 2. *p.* 203.

XI. Ebulo S. Michaëlis & S. Maxentii cœnobia restituit.

Willelmi comitis mox laudati frater germanus erat Ebulo seu Ebulus, aliis Eblo seu Eblus, cui ille abbatiam sancti Hilarii apud Pictavos, necnon sancti Maxentii cum multis aliis possessionibus contulit, testante Ademaro [d] monacho sancti Eparchii Ecolismensis. Idem, castello sancti Hilarii reparato, canonicos ibidem collocavit loco monachorum, qui ob infestationem Nortmannorum illic defecerant.

d *ibid. p.* 166.

Instauravit

Instauravit quoque monasterium sancti Michaëlis, quod vocatur ad-eremum; necnon cœnobium sancti Maxentii apud Pictones, ob easdem infestationes pæne in solitudinem redactum, quod etiam muris & præsidio munivit. Id factum videtur anno Ludovici regis sexto, quo Garbertus abbas sancti Maxentii fuisse dicitur in chronico [a] Maxentiano, ut scilicet Ebuli vices in procuratione monasterii gereret. ubi legendum *Girsbertus* aut *Gisbertus* sive *Gislebertus*, quo nomine afficitur in charta cujusdam matronæ, scilicet Alramæ, monachis sancti Maxentii, *qui ipsum locum cum Dei timore & observatione sancta regula sub regimine domni Lemovicensis episcopi, vel Gisleberti abbatis die noctuque deserviunt*, conferentis pro salute animæ suæ & pro anima conjugis sui Ugonis, quidquid juris sui erat in villa pagi Pictavini, vocabulo Similiaco, sita in vicaria Calviacensi. Gisleberti successor Albertus pauco tempore vixit. Eidem loco præerat Odo abbas, cum Willelmus comes, Caput-Stupæ cognominatus, ibidem sepultus est. Hic multa contulit prædia cœnobio sancti Michaëlis ad-eremum, de cujus abbatibus nihil occurrit usque ad medium fere sæculum undecimum, quo tempore Willelmus comes, eo nomine sextus, cellam sancti Michaëlis ad-eremum Roiberio sancti Florentii abbati restituendam tradit. Quod attinet ad Ebulum, qui ibidem sepultus fuit, Lemovicensem episcopatum adeptus est post mortem Turpionis episcopi; habuitque sub se chorepiscopum [b] Benedictum, qui ab Elia comite Petragoricæ provinciæ oculis orbatus est. quæ res multorum discidiorum seminarium fuit.

a ibid. p. 202.

b ibid. p. 166.

XII. S. Juliano Turonensi factæ donationes.

Apud Turonos Theotolo archiepiscopus instaurato ab se sancti Juliani monasterio necessaria providere sullicitus, canonicos sancti Martini perinsignis basilicæ, in qua olim decanus fuerat, interpellavit, ut unam e præbendis suis, eam scilicet, quam ille olim tenuerat, conferrent *ad monasterium sancti Juliani necnon sancti Antonii*, quod *noviter* ipse dedicaverat. Assensere illi haud illibenter, eo pacto, ut eorum *memoriale* perpetuo illic haberetur, & missarum oblatio quotidie duplex fieret, una scilicet pro defunctis, altera pro vivis sancti Martini. *Data est hæc auctoritas* II. * *kal. Aprilis Turonis in castello sancti Martini, in pleno fratrum capitulo, anno* III. *regnante Ludovico rege.* Ex hoc instrumento, quod in appendice integrum referemus, manifestum est, novi monasterii dedicationem jam tum factam esse: & tamen post biennium facta dicitur in chronico: sive prima dedicatio loci facta dicenda sit, altera basilicæ: sive id de duabus basilicis intelligendum sit, quæ suam, una post aliam, dedicationem habuerint. Eodem anno Theotolonem adiit, ut ipse in quadam charta testatur, quidam *inclitæ spectabilitatis vir*, nomine Fulculfus, humiliter deprecans, ut res, quas quondam a decessore suo Roiberto archiepiscopo more precario obligaverat, *monasterio sancti Juliani sive sancti Antonii* donare posset. *quia ibi se ad monasticum ordinem jam ex multo tempore transferre de mundiali militia desideraret.* Annuit Theotolo cum consensu canonicorum. *Data mense Novembri, in civitate Turonis, anno ab incarnatione Domini* DCCCC XL. *anno* IIII. *regnante HLudovico Ultramarino, postea Francorum rege.* ita in authentico, ubi vides, Ludovico *Ultramarini* cognomen etiam viventi tributum fuisse. Dictum est porro *sancti Juliani & sancti Antonii monasterium* ab Antonio ejus loci quondam monacho, cujus reliquiæ istic habebantur, ut alias [a] vidimus. In diplomate Ludovici Transmarini, quod inferius referemus, vocatur monasterium *sancti Juliani & sancti Albini.*

* 1. pridie.

a lib. 8. n. 62. v. infra n. 65.

Eidem monasterio a Theotolone recens exstructo Hugo *dux Francorum, necnon & demarcus*, rogatu cujusdam fidelis sui, nomine Rotberti, ex rebus beneficii, quod ille ab Hugone acceperat, capellam in villa pagi Turonensis, vocabulo Cancellis, in honorem sancti Martini constructam, cum suis prædiis, aliisque adjunctis concessit, uti Rotbertus petierat, *pro absolutione animæ genitoris sui, nomine Erkembaldi, qui monasticum in monasterio sancti Juliani acceperat ordinem.* Huic instrumento, quod in appendice referemus, apposita sunt signa Hugonis comitis & Francorum ducis; Rotberti, qui hanc auctoritatem fieri deprecatus est; Gerardi fratris ejus, sancti Martini canonici; tum Fulconis Andegavorum comitis, Theotbaldi Turonorum vicecomitis, Gaufridi Aurelianensium vicecomitis, Burchardi comitis, Gausfredi Carnotensium vicecomitis, Bernardi Silvanecti comitis, & aliorum. *Data mense Maio, in pago Aurelianensi, in villa, qua dicitur Fontanas, ubi residebat domnus Hugo venerabilis comes & tramarcus.*

ANN. CHR. 940.

cum suis fidelibus, anno tertio regnante HLudovico rege.

Item S. Pontio Tomeriarum factæ donationes.

In pago Narbonensi tum florere cœperat cœnobium sancti Pontii apud Tomerias, recens ædificatum a Pontio-Raimundo, duce Aquitanorum & comite Tolosano. De ejus ædificatione admodum gavisus Aymericus archiepiscopus Narbonensis, assentientibus ecclesiæ suæ canonicis, multas eidem loco ecclesias contulit *cum omnibus decimis, primitiis, & oblationibus*, & omni ecclesiastico jure, salvis tantum synodalibus juribus. Hoc instrumentum in appendicem relatum est, cujus præfatio hoc loco proferenda videtur, quæ sic habet. *Ego Aymericus, Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, notificare volumus cunctis hæc audientibus, quod multum gaudemus & exultamus de ædificatione monasterii Sancti Pontii Tomeriensis, quod dominus Pontius, dux Aquitanorum & comes Tolosanus, ædificavit, & dotavit, abbatem & monachos ibi constituens, ut regulariter vivant secundum regulam sancti Benedicti. Et quia in diebus nostris tam venerabilis religiosusque locus ædificatus est, volumus & cupimus cum magno desiderio, monasterium prædictum dotari ad sustentationem monachorum, qui ibi Deo serviunt, & in futurum servituri sunt, ut tantæ eleemosynæ participes esse mereamur. Igitur ego Aymericus archiepiscopus prædictus, & nos canonici prædictæ sedis, bono animo & bona voluntate damus, laudamus, & concedimus, ac præsenti carta in perpetuum tradimus Domino Deo & sanctæ Mariæ, & monasterio sancti Pontii martyris Christi Tomeriensis, & domno abbati Otgerio, & monachis ejusdem monasterii, præsentibus & futuris, ibidem Deo servientibus, videlicet ecclesiam sancti Martini de Jauro* &c. *Factum est hoc donum anno Domini ab incarnatione* DCCCC XL. *mense Augusto, anno* III. *regnante Ludovico rege Francorum.* ubi forte legendum VII. nisi si Ludovicus serius a Septimanis rex agnitus est. His litteris præter Aymericum archiepiscopum & canonicos subscribunt provinciales episcopi, & post eos Datbertus, Odo, Arnulfus, Suniarius, Rotbertus, & Guido abbates; tum Pontius dux cum uxore sua & aliis. Eodem animo Rodaldus episcopus Biterrensis, qui unus e subscribentibus fuit, eidem monasterio ac domno abbati Otgerio, ejusque monachis donavit ecclesiam sanctæ Mariæ de Tomeriis, aliasque, *anno ab incarnatione Domini* DCCCC XL. *mense Augusti, anno quarto regnante Ludovico rege.* Iidem episcopi & abbates his litteris subscripti reperiuntur, iisdemque anno & mense utræque litteræ confectæ sunt, & forte eadem die, ac proinde annus regni Ludovici in alterutris, & forte in utrisque corrigendus. In necrologio Tomeriensi VI. *nonas Octobris* obiisse dicitur *domnus Otgerius quondam abbas istius ecclesiæ.* Ex præmissis abbatibus Datbertus fuit Soricinii abbas, in necrologio dictus *Debertus* kalendis Decembris, is, qui ante quatuor annos litteris Raimundi comitis pro conditu Tomeriensis monasterii subscripsit. Qui secundo loco hic subscripsit Odo abbas, haud scio an is sit Odo Tomeriensis abbas, laudatus in litteris Ludovici regis, apud quem Raimundus comes per legatos suos [a] & monachos obtinuit, ut hoc monasterium, *ubi præest*, inquit, *domnus abbas Odo una cum norma monachorum*, sub immunitatis tuitione susciperet. Datum apud Laudunum IV. nonas Augusti, anno quarto Ludovici regis. Et tamen Otgarius eodem anno eidem monasterio præfuisse dicitur. an binominis erat Otgarius? an exscriptores nomen Otgerii seu Otgarii, prima forte dumtaxat littera expressum, Odonem interpretati sunt. Certe nullus ejus loci Odo abbas occurrit in necrologio. Tertius subscribentium abbatum Arnulfus erat Auriliacensis abbas, Suniarius Crassensis, Rotbertus Caunensis, Guido incerti loci.

a *Catel Com. Tolos. lib.* 1. *c.* 14.

XIII. Lezatum monasterium & Mansus-Garnerii conduntur.

Sub idem tempus Atto-Benedicti Biterrensis vicecomes, ejusque conjux Amelia, ambo prole carentes, duo monasteria in honorem sancti Petri construxisse feruntur: unum in comitatu Fuxensi, Lezatum dictum a fluviolo Leza, situm inter fluvios Aurigeræ & Garumnæ in diœcesi Rivensi: alterum sancti Petri de Curte, diœcesis Tolosanæ ad dexteram Garumnæ ripam, prope Verdunum opidum. Horum primum ab Attone, alterum ab Amelia ejus conjuge conditum dicitur. Id factum Raymundo comite Tolosano, & Hugone Tolosano episcopo, quatenus ex vitiosis tabulis colligi potest. Id vero confirmatur ex charta cujusdam Raduevi, qui ecclesiam sancti Germerii de Mirello cum suo alode pro se suaque conjuge, & pro anima Attonis, de cujus dono illi obvenerat, cedit ac donat *sancto Petro vel Atasio abbati, una cum norma monachorum, qui sunt in Lezatense cœnobio*, interdicens ex parte Dei vel sanctæ Mariæ seu sancti Petri & sancti Benedicti, ne umquam

hic locus tradatur in manus alienorum. *Facta cessio ista in mense Julio, anno* XIII. *regnante Ludovico rege*, quod argumento est, non diu ante hunc annum Attonem vicecomitem decessisse. In loco mox dicto condita est cella sancti Petri Lezatensis, cujus primus abbas Atasius iste videtur fuisse, non alius forte quam Adasius abbas Sarlatensis. Ceterum in monasterio Lezatensi, quod hactenus est Ordinis Cluniacensis, annua fit commemoratio *Athonii vicecomitis Bitterensis, fundatoris istius monasterii*, quod sancti Antonii & sancti Petri a posteris dictum est, a corpore sancti Antonii confessoris, ut perhibent, istuc translato. Hoc nomine jam donatum erat cœnobium anno millesimo tertio, quo Sulmo quidam donat *sanctæ Dei ecclesiæ de Lezat, ac sancto Dei confessori Antonio ecclesiam sancti Beati, quæ est fundata super ripam Garumnæ*. Monasterium sancti Petri de Curte, vulgo de Manso-Garnerii*, subjectum fuit Clusinæ sancti Michaëlis abbatiæ, male habitum ab hæreticis Albigensibus, pejus a Calvinistis, qui sacras reliquias & chartas igni cremaverunt, & monasterium susque deque verterunt. Sic factus est locus horroris & vastæ solitudinis, dum patres congregationis sancti Mauri nostro sæculo istud a fundamentis instaurare cœperunt.

* *Masgarnier.*

XIV. Adasio abbati monasterium S. Sori commissum.

Florebat hoc tempore Adasius abbas, quem sanctus Odo abbas Cluniacensis coabbatem sub se Sarlati & Tutelæ instituerat. Is est sine dubio Adasius abbas, cui Bernardus comes, haud dubie Petrocoricensis, monasterium sancti Suris seu Sori commisit, ut legimus in quadam ipsius Bernardi charta cujus hæc summa est. Bernardus comes monasterium sancti Suris, quod alio nomine Geridia dicebatur, in sua potestate tunc temporis retinebat, & sine regulari disciplina manere siverat. Verum divina judicia in memoriam revocans pius comes, diutius illud retinere, & regularis disciplinæ expers manere veritus, consentiente uxore sua Beata, (forte Berta) & filiis suis Guillermo, Gausberto, Arnaldo, & Bernardo suffragantibus, hortante etiam & rogante quodam fideli suo, nomine Frotario, prædictum locum cum abbatia sibi adhærente, tradit domno Adasio abbati & monachis, qui regulariter vivere inibi sub ejus potestate voluerint: ut *tam cœnobium, quam omnem abbatiam teneant* & possideant sine ulla contradictione; & post Adasii abbatis decessum, quemcumque voluerint abbatem secundum regulam sancti Benedicti sibi eligant. In illo autem conventu Deo servire studeant, & sancto Soro, cujus corpus illic requiescere dicitur, & pro ipso comite, ejusque conjuge ac liberis orent; sintque ipsi monachi *in subjectione regis ad locum salvum faciendum, non etiam ad aliquid persolvendum.* quæ omnino verba in litteris Bernardi comitis Petrocoriensis pro Sarlato leguntur, ut superius vidimus. Caret chronicis notis præmissa charta: at ex circumstantiis facti non dubitem eam ad hoc tempus pertinere. Vixit sanctus Sorus apud Petrocorios principatu Guntchramni regis, ejusque cella sita erat ad Viseram fluvium, ubi basilicam in honorem sancti Juliani martyris exstruxit, in qua corpus ejus sepultum est. Hic locus videtur esse is, qui modo absolute Monasterium * vocatur. Liber de vita sancti Sori exstat apud Labbeum, in qua illud observatu * dignum, quod eo tempore prima dominica quadragesimæ necdum inter abstinentiæ dies censebatur, sed festiva erat, in qua scilicet sanctus Sorus cum suis cervi carnes comedit.

* *Moustier.*

* *Labbe bibl. to. 2. p. 670. & seqq.*

XV. S. Mariæ de Piasca parthenon.

Ante sexdecim annos ab eo, de quo nunc agimus, Hispanicæ piæ mulieres, numero triginta sex, spretis sæculi pompis, sua omnia condendo in honorem beatissimæ Deiparæ apud Piascam in montibus Levanicis parthenoni contulerunt, seque omnes tradiderunt sub disciplinam unius ex ipsis, nomine Ailonæ, quam sibi abbatissam delegerunt. Ejus loci ecclesia dedicata est a Reccaredo episcopo anno ejus sæculi tricesimo. Non tamen ante præsentem annum sollemni voto se se adstrinxerunt prædictæ mulieres ad ea servanda, quæ ab apostolis & regula monasterii præscripta sunt. Duplex fuisse de more istud monasterium, virorum scilicet uti & mulierum, intelligitur ex charta cujusdam piæ matronæ, quæ filiam suam Totildam abbatissæ dominicæ Ailonæ tradidit, *& ecclesia sanctæ Mariæ, & fratribus vel sororibus, qui ibidem vitam monasticam duxerint.* Processu temporis monasterium solis viris cessit, subjectum abbatiæ sanctorum Primitivi & Facundi; sanctimoniales vero in villam de Petra translatæ, quibus nobile erectum est cœnobium sancti Petri, quod Dominarum vocant.

XVI. Bobiensium privilegia confirmata.

Post Gerlannum abbatem Bobiense monasterium rexit Liutfredus, dictus comes

ANN. CHR. 940.

& abbas, cujus rogatu Hugo & Lotharius reges superiorum regum privilegia renovasse memorantur, comitatum Bobiensem, in eoque *merum & mixtum imperium* confirmantes, addita anathematis interminatione in eos, qui secus attentaverint. quæ imprecatio in aliis Hugonis & Lotharii diplomatis non occurrit. Actum in ipso Bobiensi monasterio, XIII. kalendas Aprilis hoc anno. quæ omnia Otto Magnus imperator, itidem rata habuit duobus præceptis Petro abbati indultis, quem *per anulum aureum* [a] *de jam dicto comitatu*, ejusque juribus & honoribus universis investivit. Petrum abbatem excepit Gerbertus, de quo in consequentibus agemus.

[a] Ughell. to. 4. c. 1353.

XVII. Dunstanus in palatium accitus, tum exsul.

In Anglia hoc anno finem vivendi fecit Ethelstanus rex, qui multa monasteria instaurasse, ac sanctis altaribus pretiosissima ornamenta obtulisse traditur. Sepultus est in Malmesburiensi monasterio, ubi prius cognatos suos, filios Ethelwardi patrui sui, Elwinum & Ethelstanum, a Danis cæsos, sepulturæ tradiderat. Mortuo successit frater ejus Eadmundus, qui Dunstani, sibi olim in palatio familiarissimi, & ob virtutem & recta consilia cunctis acceptissimi, memor, eum e Glastoniensi evocavit monasterio, ejus consiliis in regni moderamine usurus. Regis dignationi respondere Dunstano visum est, ut regnum justitiæ, quod magna ex parte apud Anglos obsoleverat, si fieri posset, instauraret. Hunc itaque rex inter proceres & palatinos principes summum tenere locum jussit, ejusque salubria consilia in multis expertus est. Sed non diu tanti viri dignitatem sustinuit invidia, prosperis ejus infesta successibus. In malam partem ab aulicis traducta omnia ejus facta; ac demum rex ipse falsis æmulorum criminationibus aurem accommodans, Dunstanum honore privatum ex aula in exsilium migrare jussit. Verum non diu tantum lumen obscurari passus est Deus. Rex brevi, agnito errore, eum ab exsilio revocari præcepit, quod hac occasione factum tradunt. Vix tertia exsilii dies advenerat, & rex cum suis venatum ibat. Nemus erat in monte consitum, qui medio sui interruptus, ingens præcipitium ex una parte spectantibus objiciebat. Rex nemus ingressus cervum offendit, quem per devia quæque fugientem insequitur. Omni tandem effugiendi aditu negato, fera in præcipitium ruit, ac perit. Sequentium canum similis interitus. Regem ipsum, effusis habenis insequentem, in os baratri defert equus præceps, qui, retractis habenis, cursum reflexit; at mox frenis ruptis sessorem asportat. Jam in baratrum præcipitabat rex, cum is injuriæ Dunstani factæ recordatus, Deum invocat, seque eum ab exsilio revocaturum promittit. Nec mora, quasi divina manu retentus equus cursum sistit, & ex præsenti voragine se retrahit. Rex tanto defunctus periculo, Dunstanum accersiri jubet, suæ salutis auctorem coram omnibus agnoscit, & in gratiam restituit, atque in pristinos honores, eique insuper natale solum, scilicet Glastoniense territorium, donat, reconciliati animi pignus. Compendio factum refert Ingulfus, scilicet Turketulum regis cancellarium, cui Dunstanus a secretis familiarissimus, & confessionum auditor erat, regi auctorem fuisse, ut vir sanctus in aulam revocaretur, & monasterio Glastoniæ donaretur; eumdemque Dunstano dedisse pulcherrimum calicem, ad sua usque tempora Glastoniæ conservatum.

XVIII. Glastoniæ abbas, monasterium restituit.

Erat tum Glastoniensis monasterii angusta res familiaris, angustæ quoque religiosæ ædes, terra ferme tota in fiscum redacta, ubi etiam regia domus condita extabat. Toto itaque territorio donatus Dunstanus, mox augustioris basilicæ fundamenta jacere, regulares officinas componere, denique, absolutis omnibus, magnum piorum monachorum agmen ibidem coadunare. quibus ipse præfectus, ad tantam eos perfectionem adduxit, ut occidentales illas Saxonum plagas, velut quædam cæli luminaria, splendore vitæ ac doctrinæ suæ illustrarent. Mox ad omnes circumquaque ecclesias ex eisdem monachis præsules & abbates assumi cœpti, *propterea quod essent*, ait Osbernus, *& religionis merito præcipui, & doctrina sapientia clarissimi, & ad catholicæ fidei defensionem præstantissimi.* Verum tantæ religionis dæmon malus impatiens, varias Dei servis insidias struit, atque ubi doli non proficiunt, ostentis territare pergit, nunc lupi, nunc vulpis specie objecta. Sed hæc terriculamenta sprevit prudentissimus abbas, ejus virtuti confisus, qui leonem & draconem proculcavit, atque beati Andreæ apostoli præsidio, cui se commendavit. Præter Glastoniense, alia quinque monasteria Dunstanus erexit ex rebus, quæ sibi ex parentum hereditate obtigerant. quæ monasteria, teste Osberno, in tantum per

ANN. CHR. 940.

ejus industriam aucta sunt, *ut singulis complurium monachorum turba inessent, qui omnes secundum regulam ab eodem patre insti'utam viverent*, id est secundum regulam sancti Benedicti, & decreta ab ipso Dunstano edita, in quibus est decretum pro concordia seu uniformi vivendi ratione monachorum, quod Eadgari regis nomine & auctoritate sancitum est. Erat viro Dei quidam germanus frater, Wlfwinus nomine, vir sæcularis. Hunc in procurandis monasterii exterioribus rebus adhibuit Dunstanus, ob idque præpositum constituit, *nec vel ipse, vel quispiam ex monastica professione foris vagaretur inepta rei sæcularis discursione.* Denique non modo rem monasticam, sed etiam litterariam vir sanctus restituit in illa insula, ubi a tempore Ælfredi regis adeo litterarum studia defecerant, *ut sacerdos* [a] *nullus epistolam nosset vel latine edere, vel e latino interpretari.*

a *Spelm. to. 1. conc. p. 518.*

XIX. Æthelwoldi prima facta & monastica professio.

Unus e præcipuis Dunstani discipulis, qui ejus commilito in palatio fuerat, exstitit Æthelwoldus seu Athelwoldus, ex ingenuis parentibus in Wentana civitate ortus: cujus futurum meritum, dum is in utero matris adhuc gestaretur, matri prædixit quædam Christi famula, Etheldrida nomine, quæ in prædicta urbe nutrix devotarum Deo virginum erat. Litterarum studiis pro tempore institutus, cum bonis moribus polleret, ab Ethelstano rege accitus est in aulam, eo tempore, quo Dunstanus in ea versabatur. Adulta jam ætate, jussu regis in clericatum adscitus, dein ab Elfego Wintoniensi episcopo sacerdos ordinatus est eodem die quo Dunstanus. Utrique episcopatum ipsa die sanctus antistes, at tertio cum eis ordinato, nomine Edelstano, apostasiam futuram prænunciavit. Demum aulicorum tumultuum pertæsus Æthelwoldus, Glastoniam secedere animo constituit, ibique magisterio se subjecit Dunstani abbatis, a quo monastici ordinis habitum accepit. Cum vero pro merito sanctitatis ab omnibus suspiceretur, monasterii decanus ab eodem institutus est. Ex hoc uno sancto viro aliorum Dunstani discipulorum conjecturam facit Willelmus [b] Malmesburiæ monachus. *Quantum efficax fuerit*, ait ille, *sanctitas & probitas discipulorum suorum, indicio est Athelwolaus, ex monacho Glastoniensi abbas Abendoniensis, idemque post hæc episcopus Wintoniensis, qui tot & tanta monasteria fecit, quod vix modo credibile videatur, ut talia fecerit episcopus urbis unius, qualia vix posset rex Angliæ totius.* Sed de his postea.

b *Willelm. lib. 2. de reg. Angl. c. 8.*

ANN. CHR. 941.

XX. Artaldus Remensi archiepiscopatu denuo privatus.

VErtente anno ejus sæculi quadragesimo-primo, controversia de Remensi archiepiscopatu denuo agitata est in conventu episcoporum, facto apud Suessionas in ecclesia sanctorum Crispini & Crispiniani; statutumque, ut Artaldus a regimine episcopatus, quemadmodum sacramento se adstrinxerar, deinceps abstineret: Hugo vero, Heriberti comitis filius, episcopus, clero populoque petente, ordinaretur. Inde Remos convenientes iidem comprovinciales episcopi, Hugonem in basilica sancti Remigii præsulem consecrant, qui Frodoardum statim ab exsilio revocavit. Nec sic tamen contentus Heribertus, Laudunum cum Hugone Albo obsidet. Ludovicus e Burgundia auxilio advolar. Obviam progressi Hugo & Heribertus insperato invadunt regis exercitum, funduntque. Rex ipse e prœlio vix evasit. Erar in ejus comitatu Artaldus episcopus, qui, rebus suis amissis, victoribus se dedidir, & datis, uri exigebatur, sacramentis, redditisque ipsi sancti Basoli & Avennaci abbatiis cum villa Remensis ecclesiæ Vindenissa *, ad sanctum Basolum se recepit. Soluta nihilo secius Lauduni obsidio est: Ludovicus a Karolo-Constantino Viennam acceptus, & ab Aquitanis rex agnitus: cui insuper Lotharius filius ex Gerberga conjuge nascitur. Tunc temporis miracula ad sanctum Theodericum facta commemorar Frodoardus [c], quod monasterium est Remis proximum, ab Hungaris eo tempore in favillas redactum, cum adhuc locus a clericis sæcularibus occuparetur.

* *Vendresse.*

c *Frod. lib. 2. c. 25. V. Sæc. 3. p. 621. & seqq.*

XXI. Conspiratio in Ottonem.

Neque Germania motuum ac turbarum expers. nam Heinricus, Ottonis regis frater natu-major, se regno privatum esse graviter ferens, cum quibusdam Saxonibus in fratrem conspirat. ar rex victor rebellium primores comprehensos capite plecti jubet, fratrem vero Ingelheimium retrudit. Fridericus Moguntinus antistes, ejusdem conjurationis particeps creditus, perceptione corporis & sanguinis Domini se purgavit, & tamen Fuldam relegatus est. Rothardus Strazburgensis episcopus ob eamdem causam in Corbeiæ-novæ monasterium deportatur. Heinrico Ottonis fratri Lothariensis ducatus, qui ei post mortem Gisleberti a fratre commissus

ANN. CHR. 941.

fuerat, eripitur, atque Ottoni Richuini ducis filio commendatur, ut & ducatum procuraret, & Heinricum puerulum, Gisleberti filium, nutriret.

XXII. S. Arnulfi monasterium datur monachis.

Inter has nihilominus turbas Adalbero Mettensium præsul, de suo grege perquam sollicitus, monachos in suburbana sancti Arnulfi basilica instituit canonicorum loco, quos licentius viventes ad meliorem frugem compellere non potuerat. Hujus rei causa Ottonem regem adiit, facultatem petiturus monachos illic substituendi in locum canonicorum, qui, *posthabita canonica regulæ conversatione, laico more vivebant, & post creberrimas admonitiones incorrigibiles* esse pergebant. Reclamantibus nequiquam canonicis, sanxit Otto regia potestate, ut, *congregata inibi Domino famulantium honesta conversatione*, deinceps *monachica sibi perpetualiter vita ducatur. Data iiij. idus Januarii, anno incarnationis Domini* DCCCC XLI. *indictione xiiij. anno domni Ottonis vj. Actum in Vrancouewrt*, id est Franconofurti. *Brun cancellarius ad vicem Frīdurici archicapellani* recognovit, ut in authentico legimus. Bruno regis Ottonis frater, postmodum Coloniensis antistes; Fridurícus Moguntiæ archiepiscopus erat, de quo paullo ante mentionem fecimus. Exstat hoc diploma apud Meurissium [a] in historia Mettensi cum litteris [b] prædicti Adalberonis episcopi, in quibus ait, se cum suis suffraganeis diu tentavisse, ut sancti Arnulfi clericorum, qui » *acephalorum canonicorum* more vivebant, mores & vitam emendaret. Sed, cum in» corrigibiles expertus esset, statuisse, ut eos inde expelleret, nisi monasticæ se vitæ » subderent. quod cum illi facere prorsus abnuissent; se *consultu suorum clericorum, scilicet abbatum utriusque ordinis, atque fidelium laïcorum*, eidem loco abbatem præ» fecisse, Arbertum nomine, cujus institutionibus novi tirones illuc adventantes in » ordine monastico erudirentur. Id factum anno insequenti cum consensu ducis Ottonis paullo superius laudati, qui litteris Adalberonis cum Gozlino Tullensi episcopo, aliisque, tum clericis, tum comitibus, subscripsit. Ex clericis primi subscribunt *Everinus primicerius, Blidulfus abbas, Gunterus abbas, Goffridus archidiaconus, Nanterus archidiaconus*; post comites *Hamadeus comes palatii.* Hic est Hamedeus, in vita sancti Johannis abbatis Gorziensis [c] laudatus, qui bona Gorziensium sub precaria tenebat, sepultus Mettis in basilica beatæ virginis Mariæ ad xenodochium. quo mortuo, Johannes bona illa, quæ Adalbero propinquis suis destinabat, ægre sibi restitui impetravit. Blidulfus abbas prædictus videtur esse is, qui ex archidiacono Mettensi Gorziensis monachus, ac demum eremita factus est. Primus, qui supra, abbas sancti Arnulfi Arbertus e Gorziensi monasterio assumtus est, ut ipse testatur in quibusdam litteris, quas de sua institutione, & de canonicorum sancti Arnulfi querimoniis scripsit, relatas in historia nondum edita monasterii sancti Arnulfi.

Arbertus primus abbas.

a *Meurisse p.* 304.
b *ibid. p.* 306.
c *num.* 110

XXIII. Mediolacense monasterium emendatur.

Non minor fuit Ruotgeri Trevirensium pontificis in rem monasticam zelus. Erat tunc temporis, ut multorum aliorum, ita etiam Mediolacensis monasterii [d] deformata species, imminuta religio, accisæ facultates, tum crebris bellorum motibus, tum Wicelini Trevirorum vicedomini infestatione. Hic, cum frequenti locum illum direptione, adducta eo prædabunda militum manu, exhausisset, tum etiam, ne umquam monachis hanc injuriam persequendi facultas superesset, omnes donationum veteres chartas minutatim consciderat. Hinc labare ac deficere sensim religio ex inopia rei familiaris. Utrumque sarcire pro virili tentavit Ruotbertus antistes; atque ut a spiritualibus inciperet, nuntios misit ad Indense sancti Cornelii cœnobium prope Aquisgranum, quod tum religione florebat sub Adagrino, si nobis submissi indices non fallunt, abbate, virum inde postulans, qui Mediolacensibus præesse, & collapsam disciplinam instaurare valeret. Missus ad hoc Rotwicus, pristinum loco splendorem, & primam religionis famam restituit. Insuper Ottoni regi monasterium & novum abbatem commendavit Ruotbertus, & veteres loci possessiones vindicari curavit, quibus novas de suo rex adjecit, amplissimo dato privilegio, quo veterum jactura repararetur. His præsidiis munitus abbas, totum se convertit ad reformandum monasterii statum, & ad instauranda ædificia, in his præclaram sancti Petri aram, quam Ruotbertus consecravit. Atque ut doctrinæ etiam fructus, uti olim, Mediolaci non deessent; duos ex suis ad Gerbertum Auriliacensem monachum, forte cum hic Remis doceret, eruditionis gratia misit, qui deinde ad suos reversi litteras probe excoluerunt. Ex ista schola prodiit Remigius ille abbas Mediolacensis, in Gerberti epistolis laudatus non semel.

d *V. Brovver. annal. Trevir. p.* 454. *c.* 2.

ANN. CHR. 941.

XXIV. Blandiniense instauratur.

Eodem tempore Blandiniense sancti Petri monasterium apud Gandavum, quod a Nortmannis eversum, & in solitudinem redactum fuerat, Arnulfus Flandriæ comes instaurandum curavit. Hujus rei testes [a] sunt ejus litteræ, in quibus ait, se religiosorum hortatu virorum animatum, & quasi ex gravi somno excitatum, tacita cogitatione secum interdiu ac noctu revolvisse, quoddam esse sub sua ditione monasterium in castro Gandavo, Blandinium vocabulo, a sancto Amando episcopo conditum, ac reliquiis beati Petri apostolorum principis, aliorumque sanctorum, quas ille Roma secundo rediens istuc detulerat, nobilitatum; multum dolere, quod tantæ dignitatis reliquiis debitus honor desit, fugatis scilicet monachis, qui locum istum olim incolebant, & cunctis monasterii possessionibus in comitum, aliorumque potestatem translatis. quapropter permissu Ludovici regis, atque cum Transmaro episcopo, ad cujus diœcesim locus iste pertinebat, & cum amicis ac fidelibus suis consilio habito, eidem loco restituere velle partem ex reditibus, quos beatus Amandus a regibus, ceterisque fidelibus impetraverat, id est censum, qui percipitur ex mansionibus ad Scaldim sitis, floralia prati portui adjacentis, & alia, quæ in charta Einhardi abbatis exprimuntur. quæ omnia monachi cum suo abbate possideant, eo pacto, ut ibidem ad amussim Christo serviant, uti vivebant tempore sanctissimi Amandi, nimirum secundum regulam sancti Benedicti, ad cujus præscriptum abbatem sibi eligant. *Actum Blandiniensi cœnobio, regnante Ludovico anno vj. filio regis Karoli reclausi.* quæ nota chronica recte quadrat huic anno, quidquid contra sentiat Miræus. Subscribunt post Arnulfum marchisum Transmarus Tornacensis ac Noviomensis, ac Folbertus seu Fulbertus Cameracensis episcopi; & post Transmari archidiaconos aliosque canonicos Isaac comes, & Arnulfus ejus filius, Theodericus comes, & alii. Ad restituendam eo loci disciplinam adhibitus est ab Arnulfo comite sanctus Gerardus [b] Broniensis ac Cellensis seu Ghislenianus abbas, ardentissimus regulæ Benedictinæ in Belgio tunc instaurator, qui primus restituti Blandiniensis monasterii abbas censetur. Cum Arnulfus de restituenda illic monastica disciplina cogitaret, *huic aptus negotio inventus est vir vitæ laudabilis, sanctitate clarus, & genere Gerardus, monachus proposito, abbas officio, & apostolicus merito*: qui istuc anno præsenti evocatus, *eliminato in primis clericorum grege, dominici scholam servitii, a beato olim Amando constitutam, ibidem constituit.* Istuc *quamplures tanti exemplo magistri excitati, cœperunt voto monastica disciplinæ confluere, & jugum Domini suave suscipere; & contigit in brevi ut hoc dominici ovilis cœnobium, numero & merito dilatatum, nobilissimis per omnia non ignobilius probaretur cœnobiis.* Hæc antiquus auctor in libello de translatione sancti Wandregisili, & aliorum in istud monasterium Blandiniense. Clericos, qui Blandinium incolebant, vitæ sancti Gerardi insidias struxisse tradit ejus vitæ scriptor, testaturque monasteria decem & octo ab eo instaurata fuisse.

a Miræi cod. donat. p. 141.

b Sander. Gand. p. 258.

XXV. Elisiernus Floriaci monachus.

Eodem anno, Ludovici regis sexto, vir quidam illustris, Elisiernus nomine, monasticum habitum induit in Floriacensi monasterio, cui prædium suum Sedam, in Wastinensi pago situm, donavit. Exstant in appendice hac de re ipsius litteræ, in quibus ita loquitur. *Ego Eliziernus me ad obsequium divinæ servitutis conferre, & de rebus juris mei portionem in posterum reservare decrevi. Et quia monasticam professionem mihi subire placuit, beatissimum Benedictum, patrem videlicet monachorum ac ducem, placandum quam primum judicavi. Igitur prædium meum, quod Seda dicitur, situm in Guastinensi pago, cum omnibus, quæ ad ipsum pertinent, in honore Domini nostri ac beatissimi Benedicti ad Floriacum cœnobium, quo ipse quondam de Casino translatus requiescit, perpetualiter habendum trado, cum ecclesiis videlicet, villis, mancipiis, seu ceteris quibuscumque rebus ad ipsum pertinentibus, quicquid videlicet vel inquisitum, vel inquirendum videtur. Quia vero, juxta Apostolum, cura proximorum negligenda non est; volo ut easdem res filius meus Joseph, & filia mea Elizabeth, & primogenitus ejusdem filiæ, si de legitimo conjugio fuerit, ad usum-fructuarium teneant; post eorum vero discessum ipsæ res cum omni integritate ad prædictum cœnobium transferantur: & ita in usibus fratrum cedant, ut nulli abbatum liceat inde beneficium laicis dare*, &c. *Datum mense Novembri anno vj. regni HLudovici.* Subscribunt post Elisiernum Joseph ejus filius acolythus, & sex comites, cum aliis. Ex quo intelligitur, Elisiernum virum illustrem fuisse, haud dubie non alium, quam Elisiardum illum comitem, cujus studio & auctoritate [b] monastica disciplina Floriaci per sanctum Odonem restituta

b V. lib. 43. n. 17.

est. Certe Johannes monachus inter Odonis discipulos numerat Elisiardum ex comite monachum.

ANN. CHR. 941.

XXVI. Trenorchii bona & jura confirmata.

Eodem mense, eodemque anno Ludovicus rex bona & jura Trenorchiensis monasterii confirmavit, ad preces Haimini abbatis, qui Herveo secundo successerat, & interventu Heinrici Lingunensis episcopi, & Rotgeri comitis nobilissimi, uti fusius leges in præcepto regio, quod Chiffletius [a] retulit. *Actum in monasterio Trenorchio vj. idus Novembris, indictione xiij. anno vero vj. regnante Ludovico rege.* Odilo notarius ad vicem Heirici episcopi, summique cancellarii recognovit. Itaque Heiricus Lingonum antistes in munere archicancellarii Artaldo Remensi archiepiscopo successerat, prætermisso Hugone archiepiscopo in locum Artaldi, præter regis assensum suffecto.

a Tournus p. 277.

XXVII. Wlfelmo Cantuariæ archiepiscopo succedit Odo factus monachus.

Anglicani scriptores omnes, cum antiqui, tum recentiores, Wlfelmi Cantuariensis archiepiscopi obitum anno ejus sæculi tricesimo-quarto collocant, ast eum ad hunc saltem annum quadragesimum-primum pervenisse constat ex tribus instrumentis ecclesiæ Cantuariensis, ejus tempore datis. unum est [b] anni DCCCC XXXIX. quo Wlfelmus quidam nonnullos agros Wlfhelmo archiepiscopo donat: cui donationi subscribit inter alios Odo Schireburnensis præsul, qui Wlfelmo in sede Cantuariensi successit. Alterum est [c] anni sequentis, quo Eadulfus dux, præsente Wlfelmo archiepiscopo, quasdam terras ecclesiæ Christi Dorobernienfi confert, cujus litteris idem Wlfelmus subscribit. Tertium denique [d] est præsentis anni DCCCC XLI. quo Eadmundus rex & Edredus frater ejus, necnon Edwinus filius ejusdem Eadmundi, eidem ecclesiæ Christi quasdam terras restituerunt, quas eorum antecessores ei abstulerant. Id factum eodem anno, quo prædictus Eadmundus *levatus est in regem.* Subscribunt post Eadmundum ejusque fratrem ac filium Eadgiva regina, Wlfelmus Dorobernensis archiepiscopus, Teodredus Londoniensis, Elfegus Wintoniensis, Odo Schireburnensis, aliique tres episcopi, post quos Ethelgarus episcopus conclusit. Itaque non ante hunc annum Wlfelmi obitus consignari potest. Postulatus in ejus locum unanimi regis, cleri & populi consensu Odo Schireburnensis antistes, primo constanter postulationi obstitit: tum quia ejusmodi translationes vetant canones: tum *ne morem majorum ambitione sua turbare videretur*, inquit Willelmus, & post eum Gervasius Dorobernensis; cum nullus ad id tempus, nisi monachus, hanc dignitatem iniisset. Neque enim honestum aut rationi consonum videbatur, *ut monachis regularibus clericus præesset sæcularis: cum a tempore beati Augustini, ex institutione sancti Gregorii, eadem Cantuariensis ecclesia semper fuerit monachorum.* Verum cum Odo regis, cleri, & populi constantiam his aliisque rationibus emollire non posset, ea tandem conditione assensum præbuit, ut prius monastico habitu, quod olim habuerat in votis, indueretur. Quo ritu id factum sit, non convenit inter Anglicanos scriptores. Odonis vitæ scriptor, quem Osbernum monachum esse puto, tradit, Odonem missis Floriacum legatis abbatem inde accersivisse, ab eoque ad monachatum induta cuculla initiatum fuisse. Idem asserit Gervasius Dorobernensis. at Willelmus Malmesburiensis, cui Johannes Bromtonus suffragatur, auctor est, Odonem ipsum, transmisso oceano, monasticam vestem Floriaci accepisse. quod quidem propius verum est. siquidem Odo Cluniacensis abbas, cui tum Floriacense monasterium parebat, numquam in Angliam trajecisse dicitur, immo tunc ad ultimum Romanum iter se se accingebat. Quamquam fortasse, proabbatem Floriaci instituerat, qui in Angliam Odonis initiandi causa proficisci potuit. Ut ut sit, id maxime cedit in laudem & commendationem Floriacensis monasterii, quod, prætermissis Anglicanis monasteriis, in quorum nonnullis tunc florebat religio, Floriacense prætulerit Odo, a quo monasticum habitum acciperet. Id Floriaco tributum ob corpus sancti Benedicti, quod istic requiescere credebatur, existimare par est.

b x. Script. col. 2219.

c ib. c. 2220.

d ib. c. 2221.

XXVIII. Cantuarienses præsules semper monachi.

Illa porro Odonis ratio, qua nulli, nisi monacho, Cantuariensem ecclesiam ad id tempus commissam fuisse persuasum habebat, nec aliter licere arbitrabatur, saltem id evincit, hoc passim, & ante omnium hominum memoriam in more positum fuisse, nec ullum eatenus contrarium exemplum illius ævi mortalibus compertum. Errorem vocat Godwinus, aitque certum esse, Nothelmum, aliosque sæculares, ut vocant, presbyteros sedi Cantuariensi ante Odonem impositos fuisse. Verum nullo argumento id certius rescire potuit Godwinus novus auctor sectatius, quam

Odo

ANN. CHR. 941.

Odo ipse seu Anglicani illorum temporum homines ac scriptores, ad ipsas rerum origines propius accedentes; nec constat Nothelmum, quem Godwinus objicit, monachatus expertem fuisse. Beda quidem in præfatione ad historiam Anglorum eum dumtaxat *religiosum Londonensis ecclesiæ presbyterum* vocat. at hoc uno titulo affici solebant monachi sacerdotes, omisso passim monachi nomine, ut de Beda ipso universis notum est. Sed quid si *religiosi* nomine Beda Nothelmum monachum designat? Certe idem auctor in epistola [a] ad Albinum Cantuariensem abbatem *venerabilem fratrem nostrum Nothelmum*, antequam is ad sedem Cantuariensem esset assumtus, appellat. quo loquendi modo se invicem monachi compellare solent. Denique eadem fuit sancti Thomæ, atque Odonis, persuasio, cui religio fuit Cantuariensem subire cathedram, priusquam monastico habitu insignitus esset. Mox ut Odo manum clavo admovit, egregiam scripsit epistolam ad coëpiscopos suos, a Willelmo magna ex parte relatam, in qua ait, se, si totius mundi opes in sua potestate solus haberet, libenter omnia distributurum, seque ipsum insoper pro eorum animarum salute impensurum. tum eos rogat, ut ipsum in pontificali regimine adjuvent, hortaturque, ut ita se gerant, quo eos rex augustissimus Edmundus cum omni populo suo imitari gaudeat. Ad hæc constitutiones edidit saluberrimas, quarum capitulo sexto hortatur monachos, & omnes qui votum Deo voverunt, ut in omni hnmilitate & obedientia die noctuque hoc adimplere studeant, permanentes in timore Dei in ecclesiis, ubi se voto constrinxerunt. Non sint vagabundi neque gyrovagi: sed secundum exempla apostolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum & lectione sacra, & continuis orationibus se exerceant.

a Analect. to. 1. p. 9.

XXIX. Eveshamensis monasterii status.

Defuncto Egwino abbate Eveshamensis [b] apud Mercios monasterii, facta est dispersio ejus loci monachorum per Athelmum & Wlricum laïcos, & Elfulfum episcopum; & eorum loco intrusi hoc anno sæculares canonici, qui ibidem ad annos fere viginti perseverarunt, nempe ad principatum Eadgari regis monachorum patroni: quo mortuo, denuo ejectis monachis sobstituti sunt canonici per Alferum principem Merciorum. Transiit deinde in varias manus hæc abbatia, dum rex Ethelredus abbatem regularem & monachos ibidem restituit.

b Monast. to. 1. p. 150. & seqq.

XXX. Persecutio in monachos.

Dum Fridericus Moguntinus antistes relegatus Fuldæ detineretur, ejus, ut creditur, instinctu orta est gravis persecutio in monachos, affirmantibus quibusdam episcopis, satius [c] esse, paucos inculpatæ, quam multos laxioris vitæ in monasteriis versari. non attendentibus scilicet ad sententiam patrisfamilias, prohibentis a servis suis zizania colligi, sed crescere volentis cum tritico usque ad messem. Hinc factum est, ut multi, propriæ infirmitatis conscii, qui ad tantam perfectionem assurgere non valebant, deposito habitu & relictis monasteriis, grave sibi onus illud effugerent. Id vero non serio, sed ficte molitum esse Fridericum quidam opinati sunt, ut scilicet venerabili Hadamaro Fuldensi abbati, regi addictissimo, negotium facesseret. Hic Fridericum primum honorifice & humaniter tractavit: sed, cum litteras ab eo clanculum scriptas intercepisset, eum severius habuit. Fridericus vero jam liber, dum ultionem quærit, & contra talem ac tantum virum facile prævalere non posset; primum in minora monasteria persecutionem excitavit, ut sic demum ad nobiliora, & tandem ad Fuldense procederet. sed nihil doli & artes illi profuere adversus abbatem, qui gratiam regis semper retinuit.

c Vuitichind. lib. 2. prope fin.

XXXI. Udalricus reliquias Agauno acceptas Augustæ reponit.

Sub id tempus Udalricus, Augustæ-Vindelicorum antistes, Agaunense sancti Mauricii monasterium, qnod a Sarracenis recens combustum erat, adiit, ut unum e sanctis martyribus Legionis Thebææ a Conrado rege, ipsi promissum, acciperet. Illic unum ædilem reperit monasterii custodem. Postridie quam eo advenerat, quæ dies dominica erat, prima luce missam unam de Trinitate celebravit: tum alteram diei dominicæ convenientem. nam tunc plures una die missas passim licebat celebrare. cui missæ duodecim ejus loci clerici, e proximis locis cum multitudine populi istuc advenientes, interfnere. His peractis, votum suum illis aperit. Favent clerici, & aperta spelunca in scopulo excisa, in qua sanctorum reliquiæ servabantur, earum partem sancto antistiti liberaliter concesserunt. In reditu ad Augiam insulam Constantiæ vicinam divertit Udalricus: ubi ab Alewico abbate perhumane acceptus, partem sacrarum reliquiarum petenti donavit, reliquas Augustam reportavit, & in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ deposuit. Tunc in Augiensi monasterio eruditionis causa morabatur Wolfgangus adolescens, qui ob acumen

Wolfgangus ibi studet.

ANN. CHR. 941.

ingenii ipsis etiam magistris suis suspectus fuisse dicitur. Ibidem etiam tum versabatur Heinricus nobilis itidem adolescens, illustri Francorum ac Suevorum prosapia genitus, qui-cum ille intima necessitudine conjunctus est. Erat Heinrico germanus frater, Poppo nomine, Wirziburgensis ecclesiæ episcopus, qui magistrum quemdam Stephanum ex Italia conduxerat ad erudiendam ecclesiæ suæ juventutem. Ut ad eum ambo se conferrent, Heinricus amicum perpulit, evicitque. verum magistri invidiam illic quoque Wolfgangus sustinuit. Hinc animo ejus incessit vitæ monasticæ propositum, quod Heinricus avertit, eumque demum factus archiepiscopus Treviros adduxit.

XXXII. Odo abbas Cluniaci Aymardum substituit.

Inter ea Romæ discidia recrudescebant inter Albericum principem & Hugonem regem: quibus iterum componendis unus idoneus visus est Odo abbas Cluniacensis. Quam ob rem a Stephano papa denuo in Urbem vocatus, sub finem hujus anni ad quartum illud Romanum iter, quod postremum ejus fuit, se accinxit; &, ne ipso absente regularis disciplina detrimentum pateretur, Aymardum Cluniaci coadjutorem instituit. Erat is *humilis quidem genere, sed celsus humilitatis culmine*, ut in antiqua Cluniacensium abbatum chronologia legitur: qui, licet non adeo famosus atque Odo, *regularis tamen observantiæ non impar custos* a Glabro fuisse dicitur. » Tria vero de illo prædicat sanctus Odilo, nempe eum fuisse beatæ simplicitatis » & innocentiæ filium, tum in procuratione rei domesticæ studiosum, & in ob» servatione regularis disciplinæ ferventissimum; ad hæc patientissimum in amissione » corporalium oculorum. adeo ut ob meritum ejus patientiæ Deus beatum Mayolum » ad monasticum ordinem adduxerit. Talem virum ad vices suas supplendas delegit sanctus Odo, Romam ultimo profecturus. Certe hoc anno charta de villa pagi Matisconensis, Noglis vocabulo, Aymardo abbati data est; eodemque anno Ingelbertus, frater Sobbonis archiepiscopi Viennensis, *Hemardo abbati* res multas in pago Viennensi contulit pro anima genitorum suorum Berlionis & Ermengardis, ac filii sui Tetbaldi, & aliorum. quæ donatio facta est *anno* IIII. *Conradi Burgundiæ regis*, quo anno Conradus ipse confirmavit donationem ecclesiæ sancti Martini in villa ejusdem pagi Landadis, *Eymardo abbati* factam per Ratburnum vicecomitem & Waldam ejus uxorem. Itaque jam hoc anno Cluniaci abbas, id est proabbas, & coadjutor Odonis erat Aymardus. immo jam ab anno DCCCC XXXVI. cum primum Odo Romam profectus est. Id colligimus ex charta vicesima-prima Heymardo abbati data *anno primo Ludovici regis, die dominico*, III. *idus Martii*. qua charta ecclesia sancti Andreæ, sancti Johannis & sancti Marcelli in villa Acquiranda * comitatus Matisconensis Cluniaco donatur. Ad hæc anno tertio Ludovici regis, quo tempore Odo iterum Romæ occupatus erat, Aymardo abbati & monachis Cluniacensibus res quædam conferuntur a Beraldo abbate, sitæ *apud Exartum in plano Boranti*, & apud Alivertum. Quo ritu facta sit Aymardi electio, tradit vetus chronologia Cluniacensium abbatum, totidemque verbis Petrus de Rivo in chronico, his verbis. *Fratribus super electione abbatis agentibus concilium, idem sanctissimus Eymardus a Caviniis, sua obedientia, rediens, equum super quem sedere consueverat, ante se ipse pedes piscibus onustum ducens, concilio eorum admiscetur, omnibus humilitatem ejus admirantibus. Itaque, ejus humilitate obnitente, abbas eligitur, & ab Ædnensi episcopo, nomine Rotmundo, regnante Ludovico, consecratur.* Caviniæ * decanatus est Cluniaco subjectus, & ab eo trium leucarum spatio distans, Matisconi vicinior. Exstat in archivo Cluniacensi Rodulfi regis authenticum præceptum de *villa Cabiniensi. Actum Ansa villa* XI. *kalendas Julii, indictione* III. *anno* VIIII. *regnante Rodulfo rege gloriosissimo*. quod præceptum *Rotmundus ad vicem Ansusi episcopi recognovit*. Integerrimum est Rodulfi regis sigillum, cum ejus monogrammate, in cujus medio Y græcum appositum est.

* Ingrande.

* Chevines.

XXXIII. Monasterium S. Martini de Castaniera.

Hoc primum anno factam invenio mentionem cœnobii sancti Martini de Castaniera in regno Legionensi, quod Ramirus rex Adseruero abbati & monachis asseruit, qui *sanctæ regulæ instituta* implerent, *facto testamento* [a] *æra* DCCCC LXXIX. cui multi episcopi & abbates subscripsere. Post annos decem Ordonius tertius, ejusdem Ramiri filius, litem [b] diremit, ortam inter Johannem ejus loci abbatem & Romanum abbatem vicini monasterii de quadam piscaria, quæ Johanni adjudicata est. In hoc posteriori diplomate fit mentio de Martino abbate, qui hanc piscariam a tempore Ordonii secundi comparaverat. quod argumento est, longe antiquius esse hoc monasterium, quod demum patribus Cistercienfibus cessit.

[a] Yepes to. 5. script. 7.
[b] ibid. script. 6.

ANN. CHR. 942.

XXXIV. Ludovicus rex ab omnibus agnitus.

ANno ejus sæculi quadragesimo-secundo, Stephanus papa per Marinum legatum suum effecit, ut Ludovicus rex ab universis demum agnosceretur. Ex his dux Willelmus Rotomagi Ludovicum ea, qua par erat, honorificentia excepit; eodemque tempore Willelmus alter, Pictavorum comes, & Brittones cum suis principibus ad regem venerunt. Dein Ludovicus & Otto rex Germanorum fœdus inter se ineunt; & Otto ipse reconciliandis aliis Francorum principibus bona fide collaborans, Hugonem Album tandem in concordiam cum rege reduxit: cujus exemplum Heribertus comes secutus est. Eumdem regem anno superiori jam receperant Aquitani. cujus rei fit mentio in quadam charta archivi Cluniacensis, qua mansi quatuor in villa comitatus Matisconensis Roliaco, dantur ecclesiæ sancti Petri & sancti Pauli, & ceterorum sanctorum, quorum *corpora & reliquias Cluniacensis continet locus, ubi Eymardus abbas est, temporibus Ludovici Franciam & Aquitaniam regentis, anno regni ejus sexto, mense Septembri.*

XXXV. Floriacensium societas cum S. Martiali & Sollemniaco.

Per id tempus Floriacenses cum sancti Martialis Lemovicensis monachis & Sollemniacensibus communionem precum & mutuam societatem inierunt. Eorum hac de re litteræ videntur hoc loco referendæ ex veteri codice sancti Martialis.

In nomine Domini Jesu-Christi, anno ab incarnatione ipsius DCCCC XLII. *indictione* XV. *factum est ut venirent beati Benedicti servi Lemovicas, scilicet Ravinaldus, Ademarus, Andreas, & Oibertus religiosi monachi, sub regimine domni abbatis Odonis constituti, ibique dum morarentur aliquantisper religionis gratia, ab abbate sanctissimi Martialis apostoli Christi Aymone impetraverunt, quatinus, invicem domus abbatis Odonis sui, societatis suæ sortirentur commune compendium: ita ut ab ea die in reliquum avum nulla esset differentia inter monachos ejusdem loci, & sancti Benedicti Floriacensis famulos: sed utrique, dum ad se invicem transirent, communis agnosceretur in omnibus conversatio, & quasi una haberetur congregatio. Exinde transeuntes jam dicti fratres ad Sollemniacum beati Petri apostolorum principis cœnobium, eadem obtinuere ab abbate ejusdem loci Geraldo & a fratribus inibi Deo servientibus. Facta autem est hæc conscriptio mutuæ agnitionis & societatis, & in conventu utrorumque fratrum recitata, atque in memoriam futurorum in libello regulæ jussa conscribi. quam ipse corroborare dignetur, qui est constitutus, ut multi credentes in eum sint cor unum & anima una in ipso. Datum mense Februario, anno* VI. *Ludovico rege regnante. Wldraldus, patris Benedicti utinam non ingratus servulus, adnotavit.*

XXXVI. S. Martialis abbates.

Ex his intelligitur, Odonem abbatem Floriacensium regimen ad hunc annum, qui ei supremus fuit, retinuisse; & Aymonem sancti Martialis abbatem, cujus superius [a] meminimus, ad hunc itidem annum superstitem fuisse, ac proinde annis amplius sex, quidquid in contrarium dicat [b] Ademarus, eidem cœnobio præfuisse. siquidem anno DCCCC XXXIV. quo ejus frater Turpio Lemovicensis episcopus monasterium sancti Augustini instauravit, jam abbas erat Aymo. qui annum insequentem haud prætergressus videtur, si verum est quod scribit Ademarus, ejus obitum triennio tantum præcessisse decessum Turpionis episcopi, qui anno DCCCC XLVI. e vita migravit. Obiit Aymo nonis Maii, teste Ademaro ejus pronepote. quippe ex nepte ejus, nomine Officia, nati sunt Adalbertus decanus & Rogerius, patre Fulcherio, in proprio rure hereditario, quod vocatur Campanense, juxta castellum Potentiam: tertius quoque Raimundus: *cujus ego*, inquit, *Ademarus filius fui, matre Hildegarde* sive Aldearde. Post Aymonem abbatiam tenuit per annos unum & triginta Aimericus, non monachus, sed canonicus, immo potius laïcus moribus, qui monasterii possessiones & ecclesias sæcularibus hominibus dare non dubitavit. Ejus tyrannidem subveritus Ludovicus rex, *honorem* [c] *sancti Martialis*, id est abbatiam, illi ea tantum lege commiserat, ut monachus fieret. quod ille sub sacramento se quantocius facturum pollicitus erat. Verum tertio tantum ante mortem die id exsecutus est. Ei successit Guigo, cujus anno duodecimo rex Lotharius Lemovicas adiit, non multo post mortuus, testante Ademaro. adeoque Guigo Aimerico successit circiter annum DCCCC LXXIV. quo ex numero si annos unum & triginta, quibus abbatiam occupavit Aimericus, subduxeris, anno DCCCC XLIII. Aimericum Aymoni successisse invenies.

"Ademari "Cabanensis "prosapia.

[a] lib. 41. n. 81.

[b] Labbe to 2. p. 272.

[c] ibid. p. 167.

XXXVII. Odo abbas Romæ ægrotat.

Cum Floriacenses societatem cum prædictis monachis inierunt, Odo abbas Romam quartum profectus erat, istuc a Stephano evocatus ad reconciliandos Albe-

ANN. CHR. 942.

riei principis & Hugonis regis animos. Frodoardus ad hunc annum : *Domnus Odo abbas*, inquit, *pro pace agenda inter Hugonem regem Italia & Albricum Romanum patricium apud eumdem regem laborabat.* Scilicet primo regem Papiæ convenit, dein Romam adiit, de pace acturus cum Alberico, qui non minus quam Hugo virum Dei colebat. Forte id tum accidit, quod Johannes monachus de ipso commemorat ex relatu quorumdam nobilium Romanorum, qui ipsi ex urbe Neapoli, quo monasterii sui necessitate cogente profectus erat, reverenti obviam facti ad Portuensem civitatem, & de Odone patre suo sciscitanti, hoc factum narraverunt. Præterito mense Augusto, ipsa die assumtionis beatæ Mariæ, cum in Aventino monasterio vir sanctus versaretur, a domno Balduino abbate rogatus est, *ut ipsa die ob amorem sanctæ Mariæ sibi missam celebraret, & suis manibus corpore & sanguine Domini eos communicaret.* Negavit primum ille. sed eis flagitantibus tandem consensit. Tum ecclesiam ingressus, cum paullisper fuisset oratum, mox egressus est. Volentibus eum retinere ait, oportere se properare ad duos fratres suos, qui in extremis erant apud sanctum Paulum. Nec mora missus adfuit, qui id nuntiaret. Ubi venit vir Dei ad sanctum Paulum, pro fratre Benedicto, is ex his duobus unus erat, missam celebravit, *eique corpus & sanguinem Domini viaticum tribuit* : & sic prædictus frater Domino spiritum reddidit. Alter vero, Gislebertus nomine, Johannis consobrinus, octavo post die ipsum secutus est. Inter ea vir sanctus acuta & continua febre corripitur ; corpus dolore atteritur, quod jam coutinuis laboribus & inediis debilitatum erat ; denique frigidus, ut ita dicam, ignis ipsas cum carne medullas depascitur. Ille vero hinc dissolvi cupiebat, & cum Christo esse : illinc prius suum Martinum, cujus amorem cum ipso veluti lacte imbiberat, orationis gratia revisere optabat. Inter hæc desideria fluctuanti quidam spectabilis formæ & gratiæ ipsi dixisse visus est, Martini precibus vitæ inducias ei datas, dum ad patriam rediisset. Visum confirmavit salus mox subsecuta. Ille continuo reditum in Franciam aggreditur, nec itineris difficultatem, nec senilia & præmortua membra moratus ; tandemque feliciter Turonos appulsus est.

XXXVIII. Duo alii Odones.

Non confundendus cum sancto Odone alter Odo Masciacensis abbas, anno DCCCC XXXV. [a] ordinatus, & ad annum DCCCC LXVII. superstes ; & fortasse ab eisdem etiam distinguendus Odo abbas Dolensis apud Bituriges, qui eo tempore, quo Romano itinere sanctus Odo erat occupatus, Ludovicum regem adiit, rogaturus, ut Dolense [b] monasterium, ejusque jura & possessiones confirmaret. quod rex libenter concessit, eidem loco asserens libertatem eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti ; simulque capellam, quam in conspectu castelli Dolensis Brittones monachi ædificaverant, illi scilicet, qui ex sancti Gildasii monasterio Ruyensi illuc confugerant. Notis chronicis caret hoc diploma in editis ; nec proinde certo dici potest, cuinam abbati hoc tribuendum sit, Odoni Cluniacensi, cui prædictum monasterium a conditore Ebbone commissum fuerat, an alteri cognomini, qui ejus vices ibidem suppleret.

a *Labbe to. 2. bibl. p. 733.*
b *id. Miscell. p. 534.*

XXXIX. S. Odo abbas moritur.

Reversus Turonos vir sanctus, optatæ sancti Martini solemnitati IV. idus Novembris interfuit : sed quarta infra octavam die, rediviva febre denuo afficitur ; ac demum divina illa & salutari Christi carne & vivifico poculo recreatus, *Martino duce* in cælum migravit *quarta decima die ante Decembrem*, inquit Johannes monachus ejus ac discipulus, qui libros tres de ejus vita & rebus gestis statim ab ejus obitu scripsit, & Salernitani monasterii fratribus nuncupavit. Paullo ante obitum vir sanctus identidem præteritas culpas in memoriam revocans, de eis maxime dolebat, quas ipse privatus in suum abbatem commiserat, Johanni hæc effatus : *Carissime fili, ausculta quæ dico tibi. Gratias ago Deo, quia ex omnibus peccatis, quæ a juventute perpetravi, in hac vita jam ultionem recepi, exceptis illis, quæ in abbatem meum commisi ; & semper diem illum & tempus exspectavi, deprecans Deum, ut ea non reservaret mihi in futurum.* Lubet quæ de viri Dei obitu in chronico sancti Juliani Turonensis, ubi sepultus est, memorantur, hic attexere. Postquam venerabilis Odo multa monasteria exstruxerat vel emendaverat, multa etiam in laudem sancti Martini composuerat ; jam silicernus, non tam longævæ ætatis senio (nam vix sexaginta-tres annos attigerat) quam laboribus attritus, Roma reversus, ad sancti Juliani Turonense monasterium, in quo monasticam restituerat disciplinam, se recepit, ut sancti Martini tumulo propius adesset. Cum dies ejus festus adve-

nisset, venerabilis pater una cum suis monachis, uti a Theotolone archiepiscopo & Odone ipso constitutum erat, ad basilicam sancti antistitis de more *ad matutinorum sollemnia* peragenda processit. Inter hæc mortale frigus artubus sensim illapsum, cui infestus calor, ut in febribus fieri solet, successit. Finitis matutinis, rediit ad monasterium, ac juxta sancti Albini ecclesiam *in peribolo* seu ædicula ecclesiæ adhærente languidum corpus collocavit. Atque, ut erat semper sancti Martini memoria & laudibus occupatus, singulis diebus versus singulos in ejus honorem composuit, quorum initium est, *Martini renitet en speciosa dies*: extremi, *Theotolone, servis ceterisque tuis miserere, o Martine.* Audito ejus morbo, Theotolo archipræsul ocius accurrit, & prorumpit in lacrymas. ut flere desinat, monet vir Dei; non obsistendum divinæ voluntati; sibi adesse quietem jam diu optatam. Ceterum Deum alios excitare posse, qui vices suas melius expleant. Post hæc, benedictione data, ad urbem redit antistes. Octavo die vir sanctus extremam vitæ horam imminere sentiens, viatico corporis & sanguinis Domini se muniri curavit. Dehinc in sancti Albini proximam ecclesiam deferri voluit, oculisque ac manibus in cælum erectis, Christo, quem semper in corde, semper in ore habuerat, animam reddidit. Sepultus est honorifice a prædicto pontifice sub altare sancti Juliani in crypta ipsius basilicæ, quæ nondum dedicata erat, ubi idem antistes postea humari voluit. Paucis verbis sancti Odonis obitum & elogium præstringit Frodoardus ad hunc annum. *Domnus Odo venerabilis abbas, multorum restaurator monasteriorum, sanctæque regulæ reparator, Turonis obiit, & sepultus est apud sanctum Julianum.* Hinc corrigendi, cum veteres nonnulli, tum recentiores, qui tempus ejus obitus & locum sepulturæ aliter notant.

Ad scripta ejus quod attinet, omnia continentur in bibliotheca Cluniacensi, præter breviarium moralium beati Gregorii in Job, & librum de adventu sancti Benedicti Floriacum, ab Aimoino laudatum, qui desideratur. Ad hæc eidem tribuitur in quibusdam codicibus libellus de vita sancti Gregorii Turonensis; insuper libri quatuor metrici sub titulo *Occupationum domni Odonis abbatis*, qui titulus est membranei codicis, olim monasterii sancti Juliani Turonensis, nunc Carmelitarum excalceatorum Parisiensium; idem, qui ejus collationibus in quibusdam libris antiquis tribuitur. Certe in veteri catalogo manuscriptorum bibliothecæ Cluniacensis, inter Odonis opera indicantur *libri occupationum domni Odonis*, id est libri tres collationum ad Turpionem Lemovicensem episcopum; & *supra dictæ occupationes metricæ*. quamquam non idem est in utrisque argumentum. nam metricæ illæ occupationes constant quatuor libris, quorum primus est de opificio Dei, secundus de conditione hominis, tertius de ejus casu, & corruptione humanæ naturæ lapsæ, quartus de patribus veteris testamenti usque ad Christum reparatorem. Ceterum Odoni falso tribuuntur quædam chronica, quæ Thomas Luochensis sub ejus nomine composuit, ut ex ipsius Thomæ [a] ore didicit scriptor historiæ consulum Andegavensium. His addendus chartaceus codex Cluniacensis, in quo chartæ eo abbate conditæ sunt numero C LXXXVIII. ex quibus intelligas, quantum sub eo abbate per annos sexdecim res familiaris creverit.

X L. Scripta ejus & discipuli.

[a] Spicil. to. 10. p. 400.

Multos habuit discipulos vir sanctus illustres, ex quibus quorumdam nuda tantum nomina Johannes in ejus vita exhibet. In primis commemorat Arnulfum & Landricum, a quibus multa de Odone se accepisse testatur: quorum alterum præceptorem suum, alterum confratrem vocat. His subjungitur domnus Hildebrannus seu Hildebrandus, *vir*, ut idem ait, *veridicus, & Cluniaci cœnobii præpositus*, ipsiusque Johannis *in regularibus disciplinis præceptor*, qui in compluribus instrumentis Odone abbate factis laudatur, & cancellarii vice subscripsit chartæ Adelaïdis comitissæ. Idem Cluniaci *prior* seu præpositus adhuc erat anno XVII. Ludovici Transmarini. Alter ejusdem nominis monachus exstitit sæculo undecimo, is, qui postea summum pontificatum adeptus est, Gregorius VII. appellatus. Præter illos, quos Johannes in præfatione sua memorat, in libro secundo laudat Petrum presbyterum, Balduinum abbatem sancti Pauli in Urbe, qui & Casinensis fuit; Firmum ejus germanum, domnum Gothefredum, *& duos venerabiles viros ex eadem congregatione, quorum unus Archembaldus vocabatur*, ipsi Johanni bene *notus; alter vero ignotus*, scilicet *Adalasius, viri opinatissimi*, qui multorum monachorum patres exstiterunt. Archembaldus *Cluniensis cœnobii prælatus*, id est præpositus, dicitur in charta

ANN. CHR. 942. Bernonis Matiscensis episcopi, data anno x. Rodulfi regis; idemque videtur esse, qui Odoni suffectus est in regimine cœnobii Floriacensis. Ad hæc Wlfaldus laudatur a Johanne in libro tertio, ejusdem Archembaldi abbatis forte successor. Adalasius, ex Johanne mox a nobis laudatus, videtur non alius esse, quam Adacius, qui sub Odone abbatis officium gessit in Tutelensi & Sarlatensi monasteriis; idem etiam, cui a Bernardo comite sancti Sori cœnobium commissum fuisse diximus. De hoc intelligendum sancti Juliani Turonensis necrologium, in quo notatur depositio *Adacii abbatis* IX. kalendas Decembris. His omnibus Odonis discipulis Johannes accenset Adolfum, Theodardum, & Eliziardum, ex-comite monachum: cujus instinctu Floriacense monasterium ab Odone emendatum est. Odone paullo superior ætate videtur fuisse Aribertus ille, de quo hæc narrat Odo ipse in libro secundo de vita beati Geraldi Auriliacensis. nempe quadam vice, cum iter Romanum excurreret Geraldus, *quemdam monachum, nomine Aribertum, ducebat secum, magna abstinentia virum. Factum est aliquando, ut deesset pulmentarium, quo abstemius ille cum pane vesceretur. Senior vero*, scilicet Geraldus, *studiose requirit, an consuetum illi cibum ministri paravissent. Respondentibus illis, quod nihil præter panem haberent, anxiabatur ille, dicens: O quid nobis hodie contigit! Nos omnes plenam refectionem habemus, & iste Dei servus in attenuatione erit! Erat autem dies abstinentia solutus. Tempus abluendi manus jam venerat, & Samuel, qui hoc præsens narrat, ad afferendam aquam cucurrit: cum forte reperit pisciculum in littore expositum & palpitantem, qui, ipso vidente, de aqua exsilierat.* Gratias Deo egit de hoc beneficio Geraldus: *tum vero consedentibus ad mensam comedit ille abstemius* de pisce parato: reliquam partem Geraldus comedit, *& omnibus, qui aderant, particulas pro benedictione dedit.* ubi obiter licet advertere, *pulmentarii* nomine etiam ferculum ex pisce ab Odone significari.

XLI. Odonis successores. Jam vero quinam fuerint Odonis abbatis in regimine monasteriorum successores, etsi quosdam jam commemoravimus, paucis hic exponere juvat. Apud Cluniacum ante ejus obitum suffectus erat Aymardus, uti superius dictum est. Floriaci Archembaldus mox laudatus nonnisi post Odonis mortem electus est, quemadmodum ex litteris societatis, inter Floriacenses & sancti Martialis monachos initæ, intelligitur, quæ societas hoc anno *in vicem Odonis abbatis* a Floriacensibus facta est. In monasterio sancti Juliani apud Turonos, Georgius ejus loci monachus in locum

S. Juliani abbates. Odonis substituitur: cujus temporibus Hugo Magnus, dux Francorum, ad preces Rotberti vasalli sui, ecclesiam de Cancellis sancto Juliano Ludovici principatu contulisse dicitur; ac portum de Cohordone rogatu Girardi clerici, assensu Adelelmi vasalli itidem sui, regnante Lothario rege. Prioris donationis charta exstat in appendice nostra, *data in mense Maio, in pago Aurelianensi, in loco, qui dicitur Fontanas; ubi residebat domnus Hugo venerabilis comes & tramarchus cum suis fidelibus, anno tertio regnante HLudovico rege.* Georgio abbati successit Ingenaldus, qui ex Romano sancti Pauli monasterio, cujus rector erat, revertens, inter Apenninas alpes a Sarracenis interemtus est. Bernardus ejus successor turrem maximam ante portam monasterii exstruxisse dicitur. De Ebrardo ejus successore infra. Mitto alios Odonis in aliis monasteriis ipsi commissis successores, diu ante ejus obitum institutos, qualis fuit Adacius Tutelensis & Sarlatensis abbas, cujus mox meminimus: qualis etiam fuit Arnulfus Auriliacensis abbas, non semel a nobis laudatus.

XLII. Johannes & Nalgodus S. Odonis vitæ scriptores. Duo fuere sancti Odonis vitæ scriptores præcipui, Johannes monachus, ejus discipulus, & Nalgodus monachus itidem Cluniacensis. Johannes statim ab Odonis morte, si non ipso superstite, scribendam ejus vitam, quam tribus libris absolvit, aggressus est. Id colligitur ex libro [a] secundo, ubi ait, *ante hoc triennium*, dum

a num. 21. Romæ esset cum Odone, Balduinum sancti Pauli abbatem Odoni persuasisse, ut

b lib. 1. n. 2. sancti Martini vitam glossulis illustraret. Erat Johannes natione [b] Italus, & forte domo Romanus, canonicus professione, antequam Odoni adhæreret. Id factum anno DCCCCXXXIX. in secunda scilicet Odonis Romana profectione. quo tempore

c ibid. n. 4. vir Dei Johannem *terrenis* [c] *irretitum nexibus* secum traxit, & ad Ticinense primum

d ibid. n. 1. S. Petri cœnobium, dein Cluniacum secum perduxit: ubi Hildebrannum præpositum [d] in regularibus disciplinis præceptorem habuit. Tum socius factus Odonis peregrinationum, & *prior* Cluniaci ab eo institutus, quidquid in ejus factis ac dictis observatione dignum observare potuit, litteris mandavit, aliis rebus prætermissis, quæ tum

ab Arnulfo magistro suo, tum ab Hucberto Tiburtino episcopo, tum a Landrico monacho & Hildebranno præposito resciverat. Denique absolutum opus nuncupavit *Dominis & in Christo fratribus Salernitensibus servus Christi Jesu frater Johannes.*

Salernitana monasteria.

Tres erant eo tempore nostri ordinis abbatiæ apud Salernum: una sancti Benedicti, quam Angelarius Casini abbas sub finem sæculi decimi restruxit: altera sancti Maximi a Gauferio principe condita exeunte sæculo nono: tertia sancti Petri de Cursina, a Petro episcopo erecta ante annum DCCCC LVIII. Cujus ex his loci monachis Johannes Odonis vitam inscripserit, mihi non liquet. Alia opuscula edidit hic auctor, in his *opusculum ex Gregorii moralibus desloratum*, a nobis repertum in bibliotheca Casinensi. in quo *Johannes abbas* (sic enim vocatur) alia scripta sua commemorat. In digressiones subinde excurrit Johannes in vita sancti Odonis, nec seriem temporum, factorumque ordinem accurate servat. His incommodis mederi cupiens Nalgodus, monachus & ipse Cluniacensis, haud inelegans & impolitus, Johannis lucubrationem in compendium, melioremque ordinem redegit. quod etiam de sancti Mayoli vita præstitit. Hic in suo libro meminit Gregorii septimi & Urbani secundi, atque sanctum Martinum *per ducentos fere annos* provisorem fuisse Cluniacensis monasterii, quæ manifeste refellunt eos, qui eum vel sancti Odonis, vel sancti Mayoli discipulum faciunt.

XLIII. Adhegrinus eremita.

Cum hæc scriberet Johannes, jam triginta amplius anni effluxerant, ex quo Adhegrinus, Odonis in conversione socius, in eremo degebat, dominicis tantum diebus ac solemnioribus festis, ad Cluniacense monasterium, quod duobus fere millibus aberat, solitus accedere, sumta inde farina, ex qua sibi panem conficeret, cum paucis fabarum granis ad eremum reversurus: ubi nec vino utebatur, nec adipe, oleove cibos suos condiebat. Hunc prophetiæ dono præditum fuisse probat eidem facta revelatio de coronatione Ludovici regis, ei longius absenti ipso die facta quo accidit, ut ipse Odoni postea narravit.

XLIV. Drogonis tironis vanitas ut repressa.

Archembaldi Floriacensis abbatis tempore Drogo quidam, sæculo totus animo implicitus, atque adeo vanitate inflatus, Floriacum ad conversionem venit. Hanc ut probaret abbas, utrum ex Deo esset; Romam petiturus, novo tironi, ut animal sarcinas itineri necessarias gerens manu pedes traheret, imperavit. Fecit ille quod jussus erat, eaque injuria, veluti quadam cote, ad acuendas virtutes usus est. Tali experimento probatus facile in Floriacensium cœtum admissus, ceterosque sanctitate vitæ præcedere studuit, atque e vita cœnobitica ad singularem pugnam eremi ingressus est tempore Wlfaldi abbatis. Archembaldo abbate id etiam contigit, quod Aimoinus [a] narrat de quodam Arnusto milite, qui ob injurias Pauliacensi * prædio, quod in beneficium acceperat, ab ipso factas, male periit. At majoris momenti sunt ea, quæ ad propagandam variis in monasteriis regularem disciplinam fecit Archembaldus, aliis Ercamboldus, ut in Remigiano apud Remos, in Salmurensi sancti Florentii, & in sancti Michaëlis Teorasciæ cœnobiis, in quibus monastica religio per suos instituta, vel restituta est, ut inferius videbimus.

Archembaldi abbatis Floriacensis gesta.

a *Aimoin. de mirac. S. Bened. lib. 1. c. 17.*

* *Pouilly.*

XLV. Archembaldus alter abbas S. Apri.

Ex eodem seminario prodierat regularis disciplina, quæ tunc florebat in Tullensi sancti Apri monasterio, cui tum alter Archembaldus abbas præerat. Is quorumdam prædiorum commutationem hoc anno fecit cum Eva comitissa & Odelrico abbate ejus filio. Itaque *convenit inter præfatum Archembaldum religiosissimum abbatem, atque Evam comitissam nobili prosapia ortam, ejusque filium Odelricum excellentissimum abbatem*, ut prædictus Archembaldus *de prebenda monachorum* Evæ comitissæ, ejusque filio concederet unum mansum, cum uno mansello in villa pagi Calmontensis, Villari nomine, quem mansum Humbertus comes sancto Apro donaverat: contra vero Eva & filius ejus in compensationem darent vineam unam *in pago Scanctinse, in fine Silenicurte, in loco, qui dicitur Landoni-monte.* qua de re chartæ duæ *pari tenore* conscriptæ sunt. *Actum Tullo civitate in porticu sancti Apri, sub die ij. kalendarum Juniarum,* DCCCC XLII. *anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi, indictione xv. regnante vj. anno Ottoni regis, ordinationis vero domni episcopi Gozlini anno xviiij.* ut legitur in authentico, cui apponitur *signum Evæ comitissæ, signum Odelrici gloriosi abbatis, signum Archembaldi abbatis*, & post eos *signum Widoni comitis*, & multorum aliorum, tum laïcorum, tum monachorum. Is est Odelricus seu Odalricus, qui Remorum archiepiscopus factus est post Artaldum, prædictæ

ANN. CHR. 942.

Evæ comitissæ & Hugonis filius, frater Arnulfi comitis, *ab impiis & inimicis sanctæ ecclesiæ a primævo juventutis flore trucidati*, ut inferius videbimus. Ejusdem Archembaldi, ejusque monachorum consultu Gauzlinus episcopus cuidam viro nobili, cui nomen Aderauldus, concedit *ex communi monachorum prabenda* tres mansos in comitatu Pertensi, in villa *Masels, qui terminantur una fronte terra sanctæ Mariæ Landunensis ecclesiæ. Actum Tullo civitate in monasterio beati Apri, in concilio plenario, ubi lecta fuit* hæc charta *anno viij. regnante Ottone rege.* Hanc scripsit *Agilus ipsius monasterii decanus, jubente domno abbate Archembauldo cum omnibus fratribus.* qui numero triginta & unus huic chartæ subscribunt post abbatem.

Donatio facta S. Michaëli ad Mosam.

Eodem tempore quidam Amalricus miles, filius quondam Walteri, gladiorum „ ictibus perfossus, cum diem mortis suæ imminere sentiret, & expaveret gehennæ „ pœnas, cœnobio sancti Michaëlis ad Mosam, in cujus cœmeterio sepeliri voluit, „ *per manus fratrum suorum Walteri & Stephani*, contulit quidquid in villis Marcione * & Boveia * possidebat, consentiente uxore sua Mainfreda cum prædictis fra- „ tribus suis, qui ejus chartæ subscripserunt cum scabineis & nobilibus viris, *qui in ipsa audientia Francorum & mallo præsentes fuerunt. Actum publice in villa Nansiide iv. kal. Novembris, anno viij. Ludovici regis, Hugone parvulo comite, Hugone item comite, Giraldo vicecomite.* Villa Nansiidis * prope Barrum-ducis duplex, major & minor.

* *Marson.* * *Bouvolle.* * *Nansoy.*

XLVI. Hugo archiepiscopus Rotomagensis.

Post mortem Gunhardi seu Gunthardi archiepiscopi Rotomagensis, Willelmus dux Nortmannorum vacantem ecclesiam Hugoni sancti Dionysii monacho commisit. Hic prosapia ᵃ clarus, sed operibus omnino ignobilis fuisse traditur, &, postpositis sanctæ regulæ institutis, propudiosam vitam duxisse, insuper res ecclesiæ suæ prodegisse. Huic frater erat, nomine Radulfus, *vir potentissimus, filius Hugonis de Calvacamo*, cui Todiniacum ab ecclesiæ dominio abstractum dedit. Hæc ex antiquis actis archiepiscoporum Rotomagensium. Nec dissentit Ordericus Vitalis, scribens palam memorari, eum habitu, non opere monachum fuisse, & quadraginta-octo annis præsulem egisse. Gerardus monachus, sancti Medardi præpositus, librum de vita sancti Romani episcopi ab se scriptum ei dedicavit. Vix meliores fuerunt ejus successores, dum tandem Maurilius, ex monacho archiepiscopus, decessorum suorum probra vitæ suæ merito diluit.

a *Analect. to. 2. p. 437.*

XLVII. S. Maximini Trevirensis basilicæ dedicatio.

Apud Treviros absoluta sancti Maximini basilica, tertio idus Octobris a Ruotberto urbis antistite, & Adalberone Mediomatricum sollemni pompa & apparatu dedicata est. Adstabant episcopis Ogo seu Hugo sancti Maximini, Agenoldus seu Einoldus Gorziensis, Erkemboldus Tullensis sancti Apri, Heribertus seu Arbertus Mettensis sancti Arnulfi, Fridericus Andaginensis sancti Hucberti, & Salacho sancti Martini abbates: qui omnes splendidi vestibus sacris, reverentiam pompæ, uti & spectaculum religioni conferebant. Mitratos fuisse ait Browerus: at episcopalia hæc insignia necdum abbatibus concessa erant. Peracta consecratione, sacra pignora sanctorum antistitum Agricii, Maximini, Nicetii, Basini & Weomadi, in novam importata basilicam, in crypta sub ara principe recondita sunt. Prædicti abbates omnes jam a nobis laudati sunt: ex quibus Fridericus, Adalberonis Mettensis episcopi patruus, postquam *usque in finem laudabili conversationis rigore rem divinam optime monastico tenore continuisset*, post sollemnitatem dedicationis in monasterio sancti Maximini morbo repente correptus, diem extremum subiit, ibidemque sepultus est, *novaque nova fabrica ecclesiæ novo hospiti novum primo sinum aperuit*, ut loquitur Johannes abbas in libro de vita sancti Johannis abbatis Gorziensis. Friderici successor apud Fisenum ᵇ ponitur Albertus, sed nudo nomine, uti & sequentes sex abbates usque ad Adelardum.

Friderici abbatis Andaginensis obitus.

b *Flor. Leod. p. 438.*

XLVIII. Mediani-monasterii reformatio.

Erat tum miserabilis status Mediani-monasterii in Vosago, ubi monachi potius militariter, quam regulariter vivebant. Locum insederant sæculares clerici ᶜ per annos ferme quadraginta-quinque, non septuaginta, ut Richerius aliique numerant, scilicet ab eo tempore, quo Zuenteboldus ejecto Pippino abbate, eliminatis fugatisque monachis, Hasumæ comiti abbatiam tradiderat. Sed, cum malis monachis pejores clerici successissent, visum est duci Lothariensi, quem Fridericum vocant, monasticum illic restituere ordinem per Amaldum, tunc ejus loci abbatem. Sed, ut erat ille prorsus religionis expers, quoscumque sine delectu admisit, & cuculla indutos vivere pro libito sivit. unde isti brevi habitus ac loci pertæsi, abjecta plerique

c *lib. 39. n. 96.*

rique

rique cuculla huc illuc vagari & lascivire; abbas ipse in Alsatiam fugit: atque ita monasterium abbate & monachis destitutum mansit, absque divinis officiis: nisi quod presbyter villæ adjacentis ibidem idemtidem sacra peragebat. Per id tempus vicinum sancti Deodati monasterium, tunc canonicorum, ab eodem duce commissum fuerat Adelberto Gorziensi monacho, eximiæ religionis viro, qui monachos illic denuo instituit. Hunc ad Medianum-monasterium transferre placuit, ut denuo istic religionem excitaret. Unus illic restabat æditus monachus, Erchembertus nomine, cui Adelbertus, cum utrique loco sufficere non valeret, sancti Deodati abbatiam commisit. Ille vero brevi totam loci substantiam & supellectilem devoravit, distraxit, venditisque calicibus & vasis sacris, pretium duci placando, quem sibi infensum malis moribus factum sciebat, offerre statuit. quod aversatus princeps, malum illum proviforem inde extrusit cum monachis, qui istic ab Adelberto restituti erant, & canonicos eorum loco substituit, ubi etiam nunc perseverant. Interim Adelbertus reparandæ in Mediano-monasterio religioni sedulam navabat operam, eique loco pristinum splendorem restituit. quod hoc anno inchoatum tradit Richerius [a], & post eum Johannes de Bayona, & quidem auctore Friderico duce, qui necdum Lotharienfem ducatum obtinebat. nam, mortuo Gisleberto duce, rex Otto ducatum Heinrico fratri suo tradidit anno DCCCC XL. quem mox ob ejus rebellionem Ottoni Ricuini comitis filio commisit, dum Heinricus Gisleberti filius impubes adolesceret. Post mortem Ottonis & Heinrici, quæ anno DCCCC XLIV. accidit, ducatum obtinuit Conradus Werinheri filius, Ottonis regis gener; dein Bruno Coloniensis antistes, Ottonis frater; & post eum Fridericus comes, Adalberonis Mettensis episcopi frater anno DCCCC LIX. ut ex chronico Frodoardi constat. Sed parum interest, Fridericus comes, an dux, pium istud opus aggressus sit. Nec plura de Adelberto abbate, nisi quod quarto-decimo regiminis sui anno corpus beatissimi Hidulfi, quod adhuc saxea tumba continebat, convocatis multis abbatibus & religiosis viris, magno apparatu levavit, & in ligneo loculo reposuit. quo tempore corpora quoque sanctorum geminorum Johannis & Benigni, discipulorum sancti Hidulfi, itidem levata sunt. Hi fructus erant Gorziensium monachorum, ubi tantus religionis fervor tam longe lateque caloris sui flammas diffundebat, ut ituc ad disciplinam Domini omnis confluerent nobilitas, ut Sigebertus loquitur, omnis dignitas, omnis sine personarum discretione professio concurreret atque ætas: nec quisquam vel initium conversionis se crederet arripuisse, cui non contingeret illic fuisse initiatum.

Superstes fuit ad hunc annum Folcmarus Corbeiæ-novæ abbas, quo adhuc vivente Otto rex, interventu Hugonis fratris sui tunc diaconi, prædia quædam in Hassia Corbeiensibus x. kalend. Julii, hoc ipso anno largitus est. Hujus donationis diploma [b] retulit Schatenus, ejusdemque mentio fit in annalibus Corbeiensibus ad hunc annum, his verbis: *Otto rex ad petitum Brunonis fratris sui, tunc monachi Corbeiensis, monasterio nostro multa confert.* Verum Brunonem monachum fuisse non dicit Rotgerus ejus vitæ scriptor: at Frodoardus abbatem vocat. qua de re inferius [c]. Non multo post datum hoc diploma decessit Folcmarus III. nonas Octobris in procinctu ad visitandas ditionis suæ ecclesias. In ejus locum subrogatus Bovo tertius, sub quo Heiu præpositus anno sequenti a Corbeiæ-aureæ abbate postulatur [d] prior istius monasterii, in quo diu vixerat. Eodem anno id contigisse legitur, ut culinarius reliquias mensæ, egenis destinatas, porcis daret: unde totus grex scabie infectus pessum ierit. Alius mendico denegans panem, quem dextra tenebat, cum in lapidem repente conversum stupens conspexit. Triennio post Otto rex, ad preces Brunonis sui fratris, jus telonei [e] & monetæ in opido Meppia Bovoni abbati concessit, novaque beneficia anno sequenti adjecit. quo anno idem rex Gandersheimensis parthenonis possessiones confirmavit, auxitque.

In Bajoaria exstinctus est hoc anno Benedictus Vessebrunensis abbas: cujus loco electus est Thiento, rectius Thieto, qui post annos tredecim ab Hungaris cum sex e fratribus cæsus est. Post hæc locum in solitudinem redactum occuparunt canonici ad annum millesimum sexagesimum-quintum, quo Albero seu Adalbero præpositus, abjecto canonicorum habitu, monasticum induit, abbasque ibidem factus est.

Eodem tempore sancti Galli monasterio præerat Thieto alter, qui duos ibidem

ANN. CHR. 941.

a Richer. li. 2. c. 10.

Lotharienses duces.

Gorziensium laus.

XLIX. Corbeiæ-novæ varii eventus.

b Annal. Paderborn. p. 286.

c lib. 45. n. 95.

d Annal. Corb. an. 943.

e Annal. Paderborn. p. 288. & seqq.

L. Thieto abbas martyr.

LI. Craloni refignata S. Galli abbatia.

ANN. CHR. 942.

fratres habebat, Cralonem scilicet, ejus loci decanum, & Annonem. Forte, absente fratre abbate, Victor monachus, cujus mentio jam facta est, quiddam commisit censura dignum. Invehitur in hominem severius Cralo, vir antiquæ disciplinæ, & plusculo rigidioris. Non tulit acriorem correptionem Victor, eoque efferbuit immoderatus adolescens, ut decano alapam minaretur. Iræ locum dedit decanus, & conscenso equo, abbati foris agenti rem nuntiat. Interim Anno, vir omnium mortalium mitissimus, Victori propter generis & ingenii nobilitatem amicus, eum in gratiam tentat reducere. Frustra. is enim abbatem iratum brevi adventurum sciens, loco cessit. Thieto vero his turbis ac præteritis infortuniis fessus, satis egit, ut Cralo in ipsius locum eligeretur. quod facile obtinuit, Victore absente. Electum Otto approbavit, cum eo, ut, si Victor supplex rediret, benigne reciperetur. Ille cum propinquis suis rediit, in speciem supplex, admissusque est, uti rex præceperat: at Fabariensem abbatiam illi dari, quod propinqui datis muneribus postulabant, Cralo hand sustinuit. Inde propinqui discedunt irati, minantes ultionem, ubi se offerret occasio. Interim Craloni cura fuit, ut vagos a nupero incendio monachos ad cœnobium redire compelleret, in claustro stabiles vivere, silere & loqui pro tempore, regulam quotidie audire, & ejus scita exsequi, delinquentes acrius corripere. tametsi nonnulla pro tempore licentius indulgebat, non ignarus arcum tendere, & laxare. Exosa plerisque erat hæc severitas, quantumvis remissa, accedente præsertim Victoris insolentia, qui passim in Cralonis placita fremebat. Accessit ad inflammandam ejus iram depositio Enselini patrui sui e præpositora Fabariensi. quæ res Liutolfum Ottonis filium movit, ut Annonem in Cralonis locum subrogari curaret. Sed de his postea.

LII. Hugo & Lotharius munifici in basilicam Ambrosianam.

Ad Italiam venio, ubi Hugo & Lotharius reges munifici in basilicam Ambrosianam, in qua humari optabant, cortem de Pasiliano, & cortem de Monte ei contulêre ad usum & stipendium monachorum, quibus tunc Astulfus abbas præerat, sublata sub gravibus imprecationibus cuivis archiepiscopo & abbati has cortes alienandi aut distrahendi facultate. *Data xviij. kalendas Septembris, anno dominica incarnationis* DCCCC XLII. *regni vero domni Hugonis regis xvij. filii ejus Lotharii item regis xiij. indictione xv. Actum Papia.* Vidit archetypum Puricellus [a], aitque illud *litteris aureis* conscriptum, & quidem *in corio piscis* exaratum. cujus generis alia quoque archetypa laudat. Astulfo abbati Rupaldus post biennium successisse dicitur.

[a] *Puricell.* p. 282. *& seq.*

ANN. CHR. 943.

LIII. Artaldi episcopi novi conatus.

POst mortem Heriberti Viromandorum comitis, quæ anno insequenti nongentesimo quadragesimo-tertio accidit, novos spiritus resumsit Artaldus episcopus, &, relicto sancti Basoli cœnobio, ad Ludovicum regem profectus est, ut ejus favore in sedem Remensem redintegraretur. Promisso ejus rei a rege accepto, cum fratribus suis, qui ex episcopatu Remensi ejecti fuerant, Altmontem * castrum occupat. Hugo vero episcopus, ejus æmulus, Amblidum * castrum, Altmonti & Bairo amni vicinum, quod Rotbertus & Rodulfus fratres, Artaldi quoque haud dubie propinqui, & forte germani tenebant, cepit & combussit. tum Altmontem castrum, quod tenebat Dodo Artaldi frater, obsidet; sed obside ejus filio accepto, obsidionem solvit. Non tamen statim Remensem archiepiscopatum recuperavit Artaldus. nam rex Ludovicus Hugonem episcopum, agentibus Ottone duce & Adalberone Mediomatricum præsule, recipere compulsus est, ad preces etiam Hugonis Francorum ducis, qui eum cum filiis Heriberti, suis ex sorore nepotibus, Compendium ad regem adduxit. Sic rediit in concordiam cum rege Hugo, qui tunc regis filiam ex sacro fonte suscepit. Eidem rex ipse ducatum Franciæ confirmavit, totamque Burgundiam ejus ditioni subjecit.

* *Aumont.*
* *Ambly.*

LIV. Willelmus dux Normannorum cæsus.

Hæc omnia Frodoardus in chronico refert, additque, Willelmum Normannorum principem, ab Arnulfo Flandrensi comite ad colloquium evocatum, dolo ab eodem peremtum fuisse; ejusque ex concubina filium, scilicet Richardum, in paternos honores, Ludovico rege concedente, successisse. Hæc fusius narrant Willelmus [b] Gemeticensis, aliique rerum Normannicarum scriptores, traduntque, Arnulfum Willelmo infensum fuisse, quod Willelmus Monasteriolum * castrum pagi Pontivensis, ab Arnulfo occupatum, ceperit, atque Herluino comiti, domino legitimo, restituerit. quam ob rem Arnulfum, specie concordiæ & pacis Willelmo duci suasisse, ut ambo Pinchiniacum * in agro Ambianensi in insula Somenæ conveni-

[b] *Willelm.* li. 3. c. 10. *& seqq.*
* *Montreuil.*
* *Pequigny.*

ANN. CHR. 943.

rent, utriusque partis exercitu altrinsecus stante; datisque dextris & osculis mutuis, alterum ab altero discessisse; sed Willelmum a quatuor sicariis revocatum, gladiis confossum fuisse XVI. kalendas Januariii, anno DCCCC XLIII. Ejus corpus ad suos relatum, cum exueretur, inventa est clavis argentea ex ejus strophio dependens, ad usum scilicet scrinioli, in quo *staminceam & cucullam monachilem* secum ferebat. quæ, si sospes ab illo conventu rediisset, *apud Gemeticum factus monachus*, uti olim Martino abbati voverat, *procul dubio* sumturus fuisset. Sepultus est Rotomagi in majori sanctæ Mariæ ecclesia, cujus funeri Richardus puer, ejus filius ac successor, interfuit. Maurilius Rotomagensis præsul sæculo insequenti corpus ejus in novam ecclesiam transferri curavit, appenso ad ejus sepulcrum epitaphio, in quo hi versus ad nostrum institutum leguntur.

Rexit Normannos viginti-quinque per annos,
Militis atque ducis promptus in officiis.
Cænobium pulcre reparavit Gemmeticense,
Et decrevit ibi ferre jugum monachi.
Fervidus invicti coluit normam Benedicti,
Cui petiit subdi plenus amore Dei.

LV. *Anno abbas Miciacum restituit.*

Eo tempore Miciacense monasterium procurabat Anno abbas, prius Gemeticensis monasterii rector, ubi a Martino sancti Cypriani abbate institutus fuerat. Huic erant duo germani fratres, Albertus & Azenerius, degentes apud Aurelianos, qui fratrem suum propius habere cupientes, eum istuc evocant, eique Miciacense monasterium, tunc in cujusdam villæ formam redactum, ab Ermentheo episcopo committi curant. Hujus vero abbatis temporibus, ait Letaldus monachus, locus iste, *quasi quidam redivivus æger a longa ægritudine convalescens*, a sua dejectione & vilitate resurgere occœpit. Per hunc enim venerabilem patrem regularis ordo ibidem restitutus, sub eo ferventissime viguit; &, si rebus inesset paupertas, *virtus tamen caritatis & hospitalitatis eam contegens celabat, & liberalis obumbrabat honestas. Quoties enim*, addit Letaldus, *vidimus hospitibus largiter vina propinari, nobis omnibus aqua contentis? & tamen ea fieri cautela, ut præsentes ibi hospites hoc omnino nescirent, sed omnes, ut se, vino delibutos æstimarent.* quæ verba innuunt, Letaldum monachum sub Annone abbate illic vixisse, & quidem puerum istic adolevisse sequentia probant. nam, relatis miraculis, quæ Deus ad relevandam servorum suorum inopiam illic tunc operatus est, duo alia subjungit, unum de quodam clerico, tempore Annonis abbatis lapso e laqueari basilicæ in subjectum pavimentum, qui meritis sancti Maximini servatus, *hodie*, inquit, *vivit, cum fere triginta & amplius anni sunt, quod hoc peractum est*: alterum de quodam rustico, cujus manus, ob violatum festum sancti Maximini hæserunt fossorio ejusdem Annonis temporibus, *cum adhuc*, ait ille, *infantulus essem*. In veteri catalogo Gemeticensium abbatum, cujus prima desinit manus in Guntardo, post Annonem recensentur Rodericus, Rotbertus, & Theodericus. Roderici nulla gesta nobis nota: de Rotberto & Theoderico agemus suo loco. Hinc corrigenda Neustria-pia & vulgati catalogi, qui Ensulbertum nescio quem secundo loco habent, & pro Roderico Theodoricum.

Letaldi monachi ætas.

Gemetici abbates.

LVI. *Marini papæ privilegium pro Vizeliaco.*

Superiores mortes præcessit obitus Stephani papæ VII. cui hoc ineunte anno Marinus secundus successit. Ejus rei fidem facit privilegium ab eo concessum Vizeliacensi monasterio, cujus immunitas & jura confirmantur. Pontificium diploma [a] inscriptum est Guidoni seu Widoni abbati, qui Aymoni superius laudato successerat. *Scriptum per manum Azzonis scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ mense Februario, indictione j. Data pridie nonas Februarii per manum Benedicti episcopi & bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Marini summi pontificis & universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli, anno primo, in mense Februario, indictione j.* Guidoni abbati successit Eldradus, de quo inferius.

[a] *Spicil. to 3. p. 464.*

LVII. *Cluniaco factæ donationes.*

Aymardo Cluniacensi abbate crevit cum religione res familiaris, ut probant chartæ, numero CC LXXVIII. quæ sub ejus præfectura non admodum longa confectæ sunt. Ex his quæ ad hunc annum pertinent, Hugo comes Eymardo abbati confert ecclesiam sancti Martini in villa pagi Lugdunensis Romanis, *assentiente*

ANN. CHR. 943.

Conrado ; anno regni ejus sexto, iv. kalendas Decembris. Subscribit cum Hugone Leotaldus comes. Is est Hugo Baugiaci & Sebusianorum regulus, cujus hortatu idem Conradus rex Burgundiæ Jurensis eodem anno Cluniacensibus diploma concedit de villa Boliniaco * apud Sebusianos ; quo in diplomate ᵃ Conradus Hugonem consanguineum suum vocat. *Data ix. kalend. Maii, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi* DCCCC XLIII. *anno vj, regnante domino Cunrado rege, filio Rodulfi.* Idem Conradus in aliis litteris testatur, se rogatu ejusdem Hugonis comitis, consanguinei sui, Tusciacum villam pagi Lugdunensis Cloniacensibus donavisse *pro remedio animæ senioris* soi *Rodulfi regis bonæ memoriæ.* Subscribit Einricus ad vicem Aymonis episcopi. Datum IX. kalendas Maii eodem anno tum incarnationis, tum Conradi regis. Ipsomet anno, v. kalend. Julii editum est placitum ab eodem rege pro Cluniacensibus contra Carolum consanguineum ejus, cognomento Constantinum, Ludovici Orbi filium, de quibusdam rebus, quas Ingelbertus, frater Sobbonis archiepiscopi Viennensis, eisdem largitus erat. Subscribunt *Aymo episcopus* Valentinus, *Wido archiepiscopus* Lugdunensis, *Sobbo archiepiscopus* Viennensis, *Bero episcopus, Hugo comes* mox laudatus, *Odolricus comes palatii*, & alii. Iidem fere, eodem anno subscribunt litteris Lamberti comitis, qui una cum Falectrude uxore sua, ex rebus proprietatis suæ, in loco de Ferlinis pagi Valentinensis, *ut ecclesia sancti Marcelli ibi reædificaretur*, donat Oddoni & Duranno monachis, aliisque, *qui ad illum locum venerint*, pro filiis suis Ademaro & Lamberto, forte monachis factis apud Cluniacum. Subscribunt Wido, Sobbo, & Odolbertus episcopi, Hugo comes & marchio, Odolricus comes palatii, Einricus filius Ludovici, Anselmus comes, Odolricus Anselmi frater, Oddo comes, Leutoldus comes, anno VI. Conradi regis. Denique anno VII. Ludovici Francorum regis Aymardus in mallo publico, ubi residebat Maimbodus episcopus Matisconensis, & Maïolus vicecomes cum aliis, quasdam res in villa Suntiaco adversus Rainaldum quemdam evindicavit. Qui prædictis litteris subscribit Sobbo archiepiscopus Viennensis, fratrem habuit Ingilbertum seu Ingelbertum, qui res quasdam, sitas in pago Viennensi, Hemardo
» abbati & Cluniacensi monasterio confert anno quarto Conradi regis pro animæ suæ
» remedio & fratris sui Sobbonis archiepiscopi, necnon genitorum suorum Berlionis
» & Ermengardis, atque filii sui Thetbaldi, Emmelt & Novianæ, quæ ejus filiæ esse videntur.

* Bouligneux.
ᵃ Bibl. Sebus. p. 269.

LVIII. Patriciacensis item cellæ.

Occasione Lamberti Valentinensis comitis mox laudati, recorrit in mentem id, quod legere memini in chartario ᵇ Patriciacensi, de Lamberto Allobrogum comite, qui Hugonis Magni temporibus, una cum Letaldo milite, Teduini Gordonensis castri domini patruo, atque Bernardo cognatis suis, in Burgundiam irruisse dicitur, agrisque vastatis cuncta diripuisse; & sic eos in patriam spoliis onustos rediisse legitur. Hac præda inescati, tertium usque novam impressionem eodem moliuntur. Eorum adventu excitati Burgundiones, ad arma concurrunt, communem hostem repulsuri. Multitudine territi Lambertus & Bernardus, primum omnium ad divinum confugere auxilium, Patriciacum una petere, Richardum ejus cellæ præpositum rogare, ut pro se preces fundat. Insuper quædam prædia ex rebus suis eidem cellæ offert Bernardus, *reliquias sanctorum, quibus in præliis jam usus fuerat*, impetraturus. Tali munitus præsidio, in Burbunensi pago hostibus obviat propter Calamossam villam, tantaque cæde eos fœdavit, ut pauci ex illis superessent, non amplius quam quindecim suorum amissis, ex quibus unus fuit prædictus Letaldus, quem Patriciaci sepeliendum curarunt, quibusdam prædiis pro animæ ejus, aliorumque remedio eidem cellæ collatis. Hunc Lambertum comitem Allobrogum non alium esse puto, quam Lambertum illum comitem Valentinensem, cujus superius facta mentio est. Richardus vero præpositus Patriciacensis idem esse videtur Richardus, qui postea successor fuit Wlfaldi abbatis in regimine monasterii Floriacensis, cui Patriciacensis cella etiam nunc subjecta est.

ᵇ *Exstat apud Perard p.* 30.

LIX. Badinus abbas Saviniaci instaurator.

Post Benedictum Saviniacensem abbatem superius ᶜ memoratum, cujus depositio x. kalendas Septembris in necrologio notatur, ejus monasterii præfecturam iniit Badinus abbas, qui monasterium ab Hunnis combustum & vastatum instaurasse traditur, institutus a Widone Lugdunensi archiepiscopo. Hunc calculum firmant chartæ complures ejus tempore editæ, quarum una est cujusdam matronæ, Raingundis nomine, ejusque filiorum, offerentium monasterio quidquid possidebant a

ᶜ *lib.* 43. *n.* 79.

Ligeri usque ad Ararim pro Dalmatio puero, quem monachum ibidem futurum vovebant anno quinto Conradi regis. Sequuntur plures aliæ chartæ usque ad annum xiv. ejusdem regis; una anno xx. Ludovici regis. Habetur in appendice nostra præstaria, quam Badinus abbas *dilecto in Christo fratri Severo* fecit de ecclesia sanctæ Mariæ de Libertis, sita in pago Lugdunensi, sub annuo censu ipsi concessa *cum parrochia & presbyteratu, & omnibus ad eam pertinentibus*. qui Severus non monachus, sed ipsius Badini germanus frater videtur fuisse. Locum rexisse dicitur hic abbas per annos circiter octodecim; mortuus xv. kalendas Julii, sepultusque in capella sancti Leodegarii. De Gausmaro ejus successore infra. Fuit & Badinus alter tempore Heinrici imperatoris.

LX. Turonis S. Juliani basilica dedicatur.

Perfecta sancti Juliani apud Cæsarodunum-Turonum nova * basilica, Theotolo archiepiscopus, instaurator monasterii, eam in honorem Dei genitricis Mariæ, sanctique Juliani martyris propriis manibus hoc anno dedicavit xvi. kal. Septembris: &, ne quid ipsius munificentiæ deesset, eam liberaliter una cum sorore sua Gersende dotavit ipsa dedicationis die, rebus propriis, quæ jure hereditario, maxime ex successione avunculorum suorum, Hieronymi, Sigeberti, necnon Otgerii atque Ramboldi, sibi provenerant, *cella* sancti Juliani & monachis eam incolentibus in perpetuum collatis. *Data mense Augusto in civitate Turonus, anno incarnationis dominica* DCCCC XLIII. *sive anno viij. regnante Ludovico rege*. In quibusdam hujus instrumenti exemplis legitur, *Data mense Aprilis*, sed mendose. siquidem id factum est tempore dedicationis, quæ *xvj. kalend. Septembris*, ac proinde mense Augusto, in chronico & in kalendariis monasterii notatur. In plerisque ejusdem instrumenti exemplis legitur datum regni Ludovici *anno v.* at annus VIII. præferendus ex chronico, in quo idem instrumentum refertur. Certe Ludovicus ipse annum regni sui octavum notat in diplomate, quo rex ipse hanc monasterii sancti Juliani restitutionem, dotationemque confirmavit. In hoc diplomate notum facit rex, quod anno dominicæ incarnationis DCCCC XLIII. regni vero sui VIII. regiam clementiam adierit venerabilis Turonicæ ecclesiæ Teotolu archiepiscopus, significans, quod quamdam cellulam suburbii Turonensis in honorem sancti Juliani & sancti Albini dicatam, quondam, ut multis notum erat, plurimis annorum curriculis *monachorum sub regula patris Benedicti viventium* turma incoluerit: quæ cellula infestatione tum barbarorum, tum sceleratorum hominum penitus desolata, & rebus suis spoliata esset, pæne jam in jus publicum redactis. Verum quod ipse venerabilis præsul eumdem locum in honorem sanctæ Dei-genitricis Mariæ, ac sanctorum omnium restaurare, & in pristinum statum secundum regulam sancti Benedicti reformare ac redintegrare velit, corpusque sancti Antonii, monachi scilicet ejus loci, ibidem collocare; rogans regiam celsitudinem, ut res eidem loco restitutas & collatas confirmare dignaretur. quod rex benigne annuit. *Actum Suessionis civitate kalendas Augusti, indictione prima, anno vero viij. Ludowico rege regnante.* Rorico notarius ad vicem Hugonis archipræsulis, summique cancellarii recognovit. Tunc monasterio sancti Juliani præerat, ut antea diximus, Georgius abbas, successor sancti Odonis, qui ibidem sepultus jam fuerat.

* *V. sup. n. 12.*

LXI. Martino abbati S. Cypriani succedit Aymo.

Paullo ante decessisse videtur Martinus abbas monasterii sancti Cypriani Pictavensis, vir eximius, multorum monachorum pater, ac Gemeticensis, sancti Augustini Lemovicensis, & sancti Johannis Angeriacensis monasteriorum reformator. Ejus successor Aymo regimen quoque Angeriacensis cœnobii retinuisse censetur ex chronico Maxentiano seu Malliacensi, in quo venerandus abbas Aymo sancti Johannis-Baptistæ, sanctique Cypriani, cum Raynaldo monacho familiari suo, corpus sancti Reverentii a Noiastro * Pictavos in monasterium sanctæ Radegundis transtulisse perhibetur. quod postea Raynaldus ejus successor, consilio Guillelmi ducis Aquitanorum, in monasterium Angeriacense transportari curavit. Aymo videtur fuisse sancti Cypriani abbas, vivente Martino, qui multis aliorum monasteriorum curis occupatus, forte vices suas illi cummiserit. Certe Aymelius, Raynerius & Bernardus Aymoni abbati sancti Cypriani mediam ecclesiam in loco, qui dicitur Batrizia, contulerunt regnante Radulfo; idemque Aymo anno VII. regni Ludovici vineam apud Saviniacum vendidit Richardo archidiacono ecclesiæ senioris beati Petri. In quadam charta Rotbertus clericus sancto Cypriano quartam partem vineæ apud Quadras, Willelmo comite consentiente, confert, regnante Ra-

* *Nonatre.*

ANN. CHR. 943.

a Besly epist. Pict. p. 43. & seqq.

dulso rege : cui chartæ subscribit Willelmus comes, & apponitur signum *Alaina comitissa, qua fuit monacha.* Pictavensem ecclesiam ab anno DCCCC XXXVII. regebat Alboinus seu Albuinus Frotherii successor, qui ipso anno cellulam [a] quamdam, a Frotherio sacerdote conditam ac dotatam, ejus rogatu dedicavit *in honore sancta resurrectionis, beatique dilecti Evangelista Johannis*, eamque sancti Cypriani monasterio subjecit, eo pacto, ut tres inibi monachi degant, & tam pro se, quam pro Frotherio gloriosissimo antecessore suo preces quotidie fuodant. His litteris subscribunt post Alboinum episcopum, Frotherium sacerdotem cellæ conditorem, & Petrum præpositum, Launus, Ebolus, & Ricardus abbates, an archidiaconi; & post alios ac decanum Segoinus abbas. *Data mense Aprili, regnante Ludovico rege, & Hugone comite Pictavorum.* Idem Alboinus in synodo, mense Maio [b] habita, decimas villæ Cusiaci, pertinentes ad capellam sancti Maxentii, quam Frotherius episcopus monasterio sancti Cypriani ex alodo suo contulerat, Aymoni abbati asseruit contra duos presbyteros vici Betioarum ex potestate majoris sancti Petri ecclesiæ, qui illas decimas invadere volebant. Hæc evindicatio facta est *regnante Ludovico rege*, sed incerto anno : cui Segoinus, Rotardus, & Wido abbates, cum aliis presbyteris & canonicis subscripsère.

b ibid. epist. Pict. p. 42.

LXII. Balduinus abbas Casinensis.

Adalperto Casinensi abbati, Capuæ mortuo ac sepulto, Balduinum initio hujus anni successisse probat Peregrinius ex duobus diplomatibus Landulfi principis Beneventani, quorum altero bona monasterii confirmantur, altero ecclesia sanctæ Sophiæ, Beneventi posita, Casineosibus restituitur. Utrumque datum III. *kalend. Februarii, anno* XL. *principatu Landulfi, x. anno principatus Athenulfi filii ejus, iv. anno Landulfi filii prædicti Landulfi, indictione prima.* Jam ante hunc annum, immo ante triennium, idem Balduinus abbas erat Romæ ad sanctum Paulum, ut superius vidimus ex Johanoe monacho in vita sancti Odonis abbatis, qui Balduini abbatis rogatu vitam sancti Martini commentariolis illustravit. unde arguas Leonem Marsicanum, ejusque sequaces, qui anno ejus sæculi quadragesimo-quarto, eum e Casinensi præfectura ad sanctum Paulum migrasse existimant. Utramque vero præfecturam videtur retinuisse, idque colligitur ex Leone Marsicano, qui de Aligerno abbate [e] agens, ait eum Romæ in monasterio sancti Pauli *sub prædicto abbate Balduino* monachum factum esse, postmodum autem ab eodem Casinum translatum. Balduinum porro genere Francum fuisse, idem auctor tradit; atque adeo veri simile est eum exstitisse discipulum sancti Odonis abbatis Cluniacensis. Quamdiu vero Casinensis congregationis, quæ Capuæ etiam tum in monasterio sancti Benedicti residebat, magistratum tenuerit, non constat.

c Chron Casin. lib. 2. c. 1.

ANN. CHR. 944.

LXIII. Marini papæ privilegium pro Casino.

ANno insequente quadragesimo-quarto, Marinus papa Balduioo venerabili abbati monasterii Casinensis privilegium iodulsit, coofirmavitque omnes sacri ejus loci possessiones, & monasteria ei subjecta, tam virorum, quam ancillarum Dei : scilicet monasterium Salvatoris, positum ad pedem ipsius montis in opido sancti Germani; monasterium sanctæ Dei-genitricis Mariæ, qood Plumbarola vocatur; item saoctæ Mariæ in Cingla, in civitate Capuana tunc positum, quæ duo virginum erant; ad hæc sanctæ Sophiæ in urbe Beneveotana; sanctæ Mariæ in Canoeto, sanctæ Mariæ in civitate Cosentiæ, quod erat ancillarum Dei : in quibus omnibus omnem cuivis episcopo jurisdictionem interdicit. Præterea eligendi ex ipsa congregatione abbatis liberam facultatem coofirmat, conceditque abbati, ut *hymnum angelicum*, quod tunc cuivis sacerdoti non licebat, diebus dominicis & festis in missarum sollemniis dicere possit. *Scriptum per manum Leonis notarii & regionarii atque scriniarii sancta Romana ecclesia, in mense Januario per indictionem secundam. Datum xij. kal. Februarii, per manum Benedicti sancta Silva-candida ecclesia episcopi, & bibliothecarii sancta sedis apostolica, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Marini summi pontificis & universalis papa secundo in sacratissima sede beati Petri, in mense Januario, indictione secunda.* Consimile privilegium refert hoc aono Baronius, concessum Leoni abbati sancti Vincentii ad Vulturnum, in quo omnia monasteria ei subjecta enumerantur. Data est hæc bulla *mense Martio, indictione secunda.* ac proinde Leo abbas Raimbaldo abbati successerat aote hunc aonum, siquidem Raimbaldus obiit idibus Junii, ut scribit Ughellus [d]. Idem pontifex graves litteras [e] scripsit ad Siconem Capuanum episcopum, acriter eum objurgans, quod ecclesiam

d Ital. sac. to. 6 c. 488.

e Chron Casin. lib. 1. c. 57.

ANN. CHR. 944.

S. Vincentii ad Vulturnum abbates.

sancti Angeli ad arcum Dianæ, quam antecessor ejus ad monasterium exstruendum Casinatibus concesserat, vi abstulisset, & cuidam diacono suo in beneficium dedisset, *ut ibi, sicut quondam, saltationes & vagationes fiant*. quæ verba sunt epistolæ ab Angelo de Nuce relatæ. Perstitit idem abbas ad pontificatum Agapiti, quidquid Peregrinius contra dicat, ejusque suggestione idem pontifex Capuanis [a] principibus, qui monasterium sancti Benedicti ejus urbis suæ ditioni subjecerant, qua occasione fratres omnino sæculariter vivebant, serio præcipit, ut nullam ulterius in eodem monasterio dominationem exercere præsumant; monachi vero universi ad proprium cœnobium Casinense, relictis duobus tantum aut tribus senibus fratribus, cum tota monasterii supellectile revertantur, ibidem sub proprio abbate regulariter victuri. Per id tempus, cum monasterium beatæ Mariæ in Cingla combustum fuisset a Sarracenis, Johannes monachus Casinas, ejusdem cellæ præpositus, sanctimoniales eum universa supellectile transtulit in urbem Capuanam, tamquam ad commune asylum, ibique novum eis monasterium ædificavit. Balduino tamen vivente Majelpotus hoc anno abbas fuisse videtur, idque colligitur ex litteris Landulfi principis, a quo hic præceptum totius abbatiæ recepisse dicitur *tertio kalendas Septembris, indictione secunda*, ut Angelus de Nuce observat. Quocirca idem Balduino abbati, atque sancto Odoni Cluniacensi abbati, contigisse dicendum est, quod, cum duo monasteria sibi commissa haberet, nec utrique facile posset sufficere, proabbatem Casinatibus Capuæ degentibus præposuit Majelpotum, qui post ejus obitum in solidum abbas evasit.

a ibid. c. 59.

Majelpotus cum Balduino abbas.

LXIV. In Francia turbæ & direptiones.

In Gallia novæ turbæ inter Ludovicum regem & Heriberti filios atque Hugonem ducem eorum avunculum; novæ item inter eumdem Ludovicum & Ottonem Germanorum regem. In his turbis utrimque direptiones. Regii milites episcopatum Remensem deprædantur: filii vero Heriberti abbatiam sancti Crispini, quæ regis erat, diripiunt; & Ragenoldus comes abbatiam sancti Medardi, quam Hugo dux Francorum tenebat. Hæc contigere post Ludovici reditum ex Aquitania, quo cum Gerberga regina profectus erat, cum Ragimundo seu Raymundo, Gotthorum, id est Septimaniæ, principe, ceterisque proceribus Aquitanis collocuturus.

LXV. Ludovici præceptum pro Rodensi monasterio.

Forte Lauduni versabatur, cum ad eum accessit Tassius, unus ex prioribus monachis sancti Petri Rodensis, regiam immunitatem & tutelam postulaturus. Hoc monasterium positum erat in pago Rossilionensi, in comitatu Petralatensi, qui pars est Emporitani, situm in monte, quem Rodas vocant, in latere promontorii [b] Aphrodisii, impositum areæ, quam occupabat templum Veneris-Pyrenææ. De istius monasterii subjectione [c] controversia erat inter monachos Balneolenses & ecænobitas sancti Polycarpi martyris, qui utrique illud suæ ditioni vindicare certatim contendebant. Id autem haud probabat Gotmarus Gerundensis præsul, nec minus repugnabant Seniofredus marchio atque Goffridus comes: qui Rodensibus monachis persuaserunt, ut, ad removendam totius contentionis altercationem, ad regiæ immunitatis & defensionis præsidium confugerent. Missus itaque ad regem Tassius; cujus petitioni rex assensit, jussitque regale decretum defensionis Rodensibus concedi. *Actum Lauduno nonis Julii, indictione* II. *anno vero* VIII. *regnante Ludovico rege*. Rorico notarius ad vicem Gerunci archipræsulis, scilicet Bituricensis, recognovit. Sic annis fere singulis Ludovicus archicancellarios mutabat, modo adhibens Artaldum, tum Hugonem, ambos de Remensi episcopatu contendentes; modo Heiricum episcopum Lingonensem. Non sic tamen sopita fuit omnino hæc controversia, ut in consequentibus videbimus.

b Marca Hisp. c. 96.

c ibid. c. 855.

LXVI. Cadroë & Maccalani vitæ initia & monachatus.

Per id tempus in Franciam accessit Cadroë nobilis Scottus, quem parentes steriles meritis sancti Columbæ abbatis Hiiensis a Deo obtinuerunt. E Scotia patria, ubi litterarum studia neglecta erant, in Hiberniam eruditionis causa missus adolescens, Artmachæ humanis litteris imbutus est, popularium suorum postea magister. Huic patruelis erat, Beanus nomine, vir pius ac religiosus, qui de cognati salute perquam sollicitus, frequentes ad Deum hac de re fundit preces; ac demum de futura Cadroæ monastica professione cælitus admonetur. Hinc ei auctor est, ut patriam deserat. quod ille incunctanter exsequi parat. Vulgata ejus discessionis fama, cunctos mæror & luctus invasit, quasi eo abeunte exitium & vastitas toti Scotiæ immineret. Rex ipse, Constantinus nomine, Cadroæ propositum remorari conatur. Ad hæc ejus propinqui: Si precibus, inquiunt, retinere non valemus, fer-

ANN. CHR. 914. reis vinculis & carcere cohibebimus. At ille, si id fecerint, nihil sibi potuisse se perceptaturum respondit. Inter hæc abbas quidam, Mailedarius nomine, regi omnibusque persuadet; ut ne pio juvenis obsistant consilio; quin potius ei ad viaticum necessaria conferant. Mox omnes certatim dona ferunt, quibus ille instructus iter arripit. Non multo post rex Constantinus, & ipse abdicatis honoribus, sæculo nuptium remisit, & in sancti Andreæ monasterio ab se exstructo pussime reliquum vitæ absolvit. Ubi ad terram Cumbrorum venit Cadroë, a Dovenaldo rege, propinquo suo; tum Eboraci ab Erichio rege perhumane excipitur. Dein Londinium accessit, ubi civitatis incendium precibus suis restinxisse dicitur. Inde Wintoniam progressus, quam Windecastram vetus auctor appellat, primum ab Hegmundo seu Eadmundo rege, honorifice acceptus, tum ab Otthone seu Odone episcopo ad portum Limen deducitur. Navi conscensa, brevi Bononiam cum sociis numero tredecim appulsus, ad Parronam seu Perronam monasterium, ad sepulcrum sancti Fursei abbatis, popularis sui, oraturus venit. Non longe ab eo loco aberat matrona quædam, Hersendis nomine, nobilitate atque opibus non magis, quam pietate locuples, at liberis carens: quæ, ut pios illos peregrinos secessum meditari comperit, eis suadet, ut ad desertum locum, in silva Teorascensi sancto Michaëli sacrum, se recipiant, opem ac subsidia eis promittens. Eunt illi ad locum, cujus ecclesiam matrona illa amplificat; ibique ad tempus consistentes, Maccalanum seu Malcalenum, unum e sociis, rectorem sibi constituunt. Post aliquantum temporis devotionis studio crescente, monasticæ professionis desiderio flagrare cœperunt. Eorum votis Hersendis oblecundans, Maccalanum ad Gorziense monasterium, sub disciplina venerabilis Agenoldi seu Einoldi abbatis victurum, dirigit; Cadroen vero Floriacum, cui Erchembaldus seu Archembaldus, *vir magnæ religionis*, præerat. Ambo igitur quod cupierant assecuti, Maccalanus Gorziæ monachum professus est; Cadroë vero Floriaci, ipso die conversionis beati Pauli apostoli, *habitum & animum monachalem induit.* Alii eorum socii videntur remansisse apud sanctum Michaëlem. Emenso annuæ probationis tempore, Hersendis Maccalanum & Cadroen ad se revocat, ambosque in monasterio, quod ambo conjuges Walciodori construxerunt, collocat.

LXVII. Walciodorensis monasterii primordia. * Vaffor. a Spicil. to. 7. p. 715. Walciodorus * seu Vallis-decora (sic enim etymon explicant) locus est ad Mosam, positus Dinnantum inter ac Philippopolim. Ibi castellum erat Eilberti comitis, nemore obsitum. Nemore succiso, templum ibidem propter comitis ædes construitur cum regularibus ædificiis, servorum Dei usui aptis. Jacta hoc anno templi fundamenta, testante * chronographo; & trium annorum spatio consummata omnia. Adjunctum est cœmeterii luco sancti Patricii oratorium. Ad dotandum vero monasterium contulit Eilbertus, quidquid in villa Condrusi Antina, & apud Heidram in Famena pater suus comes Ebroinus a rege Ludovico in beneficium acceperat, quæ donatio Ottonis regis auctoritate confirmata est. Walciodorensis chronographus tradit, assignatos fuisse a comite nonaginta-quinque terræ mansos, culturas decem & novem, cum pratis plurimis & villis decem, totaque earum familia, dato insuper monili suo, instar illius fabrefacto, quod sanctus Eligius olim compofuerat: cujus in medio beryllus erat, insculptum habens Danielis judicium pro Susanna in Senes judices. Illuc itaque evocati ab Hersinde Eilberti conjuge Maccalanus e Gorziensi, Cadroë e Floriacensi monasterio. Novæ coloniæ regimen subiit Maccalanus, sic tamen ut Eilbertus rei familiaris curam & providentiam haberet: Cadroë vero vix adduci potuit, ut præpositi officium assumeret. Sancti Michaëlis in Teorascia monasterium simul etiam regebat Maccalanus: qui utrique loco sufficere se non posse arbitratus, Ottonis regis imperium adhibuit, ut Cadroë Walciodori regimen susciperet vel invitus.

Maccalanus primus abbas, Cadroë præpositus, tum abbas.

LXVIII. S. Michaëlis monasterium in Teorascia regit Maccalanus. Maccalanus itaque uni sancti Michaëlis monasterio deinceps intentus fuit, quod ab Hersende matrona eodem tempore constructum jam diximus. Erat eo loci vetus sancti Michaëlis ecclesia, quam Hersendis amplificavit, eique continentes domos pro monachis adjunxit. Tempus conditi monasterii discimus ex litteris Rodulfi Laudunensis episcopi, qui illius ecclesiæ instaurationem ab Hersende factam anno DCCCC XL. confirmasse dicitur. Hæc mihi videntur esse primordia monasterii sancti Michaëlis, Petronillæ de Roceio, quæ Radulfo Veteris-villæ comiti nupta fuerat, falso, ut quidem puto, attributa: siquidem

ſiquidem hæc ætate poſterior Herſende fuiſſe mihi videtur. Hactenus ſupereſt monaſterium iſtud haud ignobile Benedictinæ congregationis ſancti Vitoni.

ANN. CHR. 944.

LXIX. Alia monaſteria ab Eilberto & Herſende conſtructa.

Plura alia monaſteria condidiſſe cenſentur Eilbertus & Herſendis, omnia numero ſeptem. Bocciteum ſeu Bocileium * virginum in honorem ſancti Petri a fundamentis condidit Herſendis, ibique quamdam puellam, a dæmone vexatam, Cadroë liberavit. Hoc cœnobium, quod modo Præmonſtratenſium eſt, ſæculo duodecimo jam tranſierat ad monachos ſancti Martini de Campis Pariſienſes : ut fidem facit Radulfi Viromandorum comitis epiſtola, quam in chartario ejuſdem ſancti Martini legimus. Ad hæc Eilbertus Humolarienſem beatæ Mariæ baſilicam, quæ paullo ante combuſta fuerat, reſtruxiſſe dicitur, idemque monaſterium multis prædiis & honoribus ditaviſſe, quod ex diplomate Ludovici regis inferius referendo amplius eluceſcet. De aliis monaſteriis ſilet Walciodorenſis chronographus, ex quo hæc accepimus. Parum accuratus videtur iſte auctor [a] in aſſignanda Eilberti proſapia, quam ex Warino de Aſclovia deducit, filio Aimerici comitis Narbonenſis ex Ermengarde comitiſſa, filia Bonifacii principis de Papia. Huic Warino Bovonem comitem filium tribuit, patrem Ebroini comitis, qui ſeptem filios ex Berta Wederici comitis & Evæ filia habuiſſe fertur : ex quibus natu maximus Eilbertus comes, ſecundus Udo *de Rotx*, tertius Heribertus comes de ſancto Quintino. ubi manifeſte auctor ille confundit Eilbertum cum Alberto Heriberti Viromandenſis comitis fratre, qui Heribertum ſecundum patrem habuit, non Ebroïnum ; nec ab Aimerico comite Narbonenſi, ſed a Pippino Italiæ rege originem traxit. Ad hæc Eilbertus ab eodem chronographo duas uxores habuiſſe, & ſine liberis deceſſiſſe dicitur : Albertus vero ex Gerberga, filia Giſleberti ducis Lotharienſis, unica uxore, quinque liberos ſuſcepit. Hanc genealogiam aliis examinandam relinquo. In præcepto Ludovici regis de introductione monachorum in Humolarienſe monaſterium, Eilbertus vir nobilis dicitur, & ab Adalberto comite diſerte diſtinguitur. Ceterum Herſendis in ſancti Michaëlis monaſterio ſepulta eſt ; Eilbertus vero in Walciodorenſi. Fallitur Sigebertus, qui Walciodorenſem abbatiam ab Heriberto comite Viromandorum, Hugonis archiepiſcopi patre, conditam fuiſſe dicit, eumque inibi ſepultum eſſe, quem in eccleſia ſancti Quintini humatum fuiſſe conſtat. Mirum eſt in libro de vita ſancti Cadroæ, qui ab auctore æquali aut ſuppari ſcriptus eſt, nullam Eilberti fieri mentionem ; atque uni Herſendi tribui ſancti Michaëlis, Walciodorenſis, & Bucileii monaſteriorum conſtructionem.

* Bucilly.

a ibid. p. 54. Eilberti comitis genus.

LXX. S. Wandregiſili & aliorum tranſlatio Blandinium.

Blandinienſe Gandavi monaſterium ante triennium inſtauraverat Arnulfus comes, eique Gerardum Bronienſem abbatem præfecerat. Hunc vero locum ſacris reliquiis locupletare cupiens, corpora ſanctorum Wandregiſili abbatis, Anſberti & Wlframni pontificum, quæ tunc Boloniæ refugii cauſa ſervabantur, Blandinium transferre conſtituit, cui tranſlationi Wicfredus epiſcopus ægre conſenſit. Sacris reliquiis obviam progreſſi Balduinus filius Arnulfi & mater ipſius Adala ſeu Adela ad villam Atrecias : atque inde eas Leutho archicapellanus Bruzzias ſeu Brugas deduxit : ubi in baſilica ſancti Donatiani depoſitæ ſunt. Hinc ad Truncinenſe * monaſterium, ad Legiam fluvium ſitum, quod modo Præmonſtratenſium eſt, deportatæ, demum ſollemni pompa in baſilicam Blandinienſis monaſterii hoc anno exceptæ ſunt tertio nonas Decembris. Non multo poſt ſanctorum Gudwali epiſcopi & Bertulfi confeſſoris corpora ex eadem urbe Bulonia Blandinium itidem tranſlata dicuntur tertio nonas Decembris.

* Drongene.

LXXI. S. Bertini monaſterii reformatio per S. Gerardum.

Non minus operæ pretium fecit Arnulfus comes, cum Sithienſis monaſterii præfecturam abdicavit, & collapſam iſtic religionem per ſanctum Gerardum Bronienſem abbatem redintegrari curavit. Jam quadraginta minimum anni erant, ex quo hæc abbatia ejus patri Balduino, Adololfo fratri, atque ipſi Arnulfo, laïcis hominibus, tradita fuerat, & ſic ex rectorum incuria vel potius defectu a priſtina religione defecerat : cum Arnulfus, inſtinctu haud dubie beati Gerardi, quibuſdam inſuper ſancti Bertini miraculis animatus, ſacro huic loco priſtinum ſplendorem reſtituere in animum induxit. Hinc ordinatus ejus loco Gerardus abbas, probante Wicfredo Morinorum epiſcopo, ejus loci monachos ad meliorem frugem reducere ſtuduit, ex quibus quoſdam voluntarios & ſponte obſequentes invenit, alios contumaces & obduratos, quos in ſeparatis domibus morari juſſit, ne bonos pravis ſermonibus & exemplis a ſancto propoſito abducerent. Hos tamen identidem

ANN. CHR. 944.

pertentabat vir Dei, si forte audirent verba salutaria, ac demum resipiscerent. sed cum obstinatos eorum animos flectere non posset, illos e monasterio per comitem eliminari curavit, & ad villam monasterii Longonessam ad tempus relegari. Hinc comes eos hortari, promissis pellicere ad officium, commoda omnia, nedum necessaria polliceri, minis terrere. at, ubi nec promissa, nec minæ quidquam proficiunt; e finibns suis eos expulit. Hi vero, transmisso oceano, in Angliam appulsi, ab Adelstano rege benigne accepti sunt, concesso eis monasterio ad-Balneos dicto, ubi ipsius regis frater Eadwinus, pridem ereptus e naufragio, honorifice susceptus fuerat. Restituta apud sanctum Bertinum disciplina, postquam apud Sithienses triennio moratus fuerat Gerardus, Blandinium reverti coactus est, ubi ejus opera necessaria erat. Quam ob rem Sithiensis monasterii regimen venerabili Agiloni monacho sancti Apri absque abbatis titulo commisit, adjuncto ei Womaro monacho Blandiniensi; & mortuo intra biennium Agilone viro sancto, Widonem nepotem illic abbatem instituit. Iste est Aylo monachus sancti Apri, qui litteris commutationis, inter Archembaldum abbatem & Evam comitissam ante biennium factæ, primus e monachis subscripsit.

LXXII. Ratherius Brunonis præceptor.

Sub idem tempus, cum rex Otto fratrem suum Brunonem, magnum ecclesiæ lumen futurum, philosophicis & ecclesiasticis disciplinis erudiri cuperet; non alium magis idoneum præceptorem invenit, quam Ratherium episcopum, qui e sede Veronensi pulsus fuerat. Quare advocatur in aolam Ratherius, *& habetur inter palatinos philosophos primus*, ut scribit Folcuinus Laubiensis; nec destitit, donec Brunonem *omnibus disciplinis*, ut ferebant illa tempora, penitus imbuerit. quæ res tantam ei gratiam apud Brunonem conciliavit, ut hic eum non multo post ad Leodicensem cathedram promovendum curaverit. quod cum non bene successisset, ipsum in sedem Veronensem, fratris sui Ottonis jam imperatoris auctoritate, restitui satagit.

LXXIII. Cluniaci res auctæ.

Inter ea Cluniacense monasterium sub Aymardo abbate non minus re familiari, quam religione crescebat. Maimbodus Matisconensis episcopus permutationis causa Aymardo abbati tradit *duos curtillos* in villa Rosiaco prope Cluniacum, ubi Otardus pater & Maimbodus avus ipsius pridem babitaverant. *Actum anno* VIII. *Ludovici regis*. Eodem anno apud Vesontionem, *coram reliquiis sancti Johannis Baptistæ*, quidam laïci Cloniacensibus largiuntur ecclesiam sancti Martini in villa comitatus Cabilonensis Flagiaco. Denique anno VIII. Conradi regis, Sicherus quidam, ob interfectum monasterii servum, se ipse in servum perpetuum tradit sub hac formula. *Ego Sicherus memet ipsum & caput meum trado ecclesia Cluniacensi, cujus servum unum interfeci: ut dehinc, quacumque conquisiero, ad ipsam casam permaneant, & sine licentia abbatis non habeam potestatem faciendi, neque eundi absque illius & monachorum consilio; & ipsi dehinc habeant de me potestatem in omnibus facere quacumque voluerint.*

Fulcherius e Flaviniaco Jerosolymam profectus.

Apud Flaviniacum sub Rotmundo Æduensi episcopo Fulcherius præpositus monasterium procurabat. qui Jerosolymam [a] profectus hoc anno, partem clavi dominici & portiunculas sanctæ Crucis cum aliis reliquiis inde retulit, suæque donavit ecclesiæ cum media parte corporis sanctæ Paschasiæ, quam accepit a Divionensi sancti Benigni monasterio, quod etiam rexisse dicitur.

a *Labbe to. 1. bibl. p. 792.*

ANN. CHR. 945.

LXXIV. Theotolo archiepiscopus sepultus ad S. Julianum.

ANno ejus sæculi quadragesimo-quinto continuæ Ludovici regis rixæ cum Hugone Duce Francorum. Vastatus a rege Viromandensis pagus; Remorum urbs obsessa: dum Hugo ipse manus conserebat cum Nortmannis, qui regi favere videbantur, tametsi ab eis paullo post proditus, captusque est. ubi Hugo dux quoddam moderationis specimen dedisse visus est, cum de regis liberatione cum ipsis tractavit: sed ut regem ipsum in sua potestate haberet, quem Tetbaldo Carnutensi comiti servandum commisit, dum ipse ad Ottonis regis colloquium iret. Lugduni retentum fuisse Ludovicum tradit Albericus. quod de Lugduno-clavato seu Lauduno intelligendum est. Remorum obsidioni cum Ludovico rege & Artaldo adfuisse memorantur Bernardus comes & Theodericus ejus nepos: qui Bernardus *comes de Retesth* apud Albericum, id est Regitestensis *, appellatur. Inter hæc Theotilo seu Theotolo venerandus urbis Turonicæ præsul, de pace regem inter ac principes componenda laborans, cum ab urbe Lauduno rediret, in ipso itinere morbo

* *de Rethel.*

correptus interiit. Dum extremum spiritum exhalaret, lumen quoddam, teste Frodoardo, noctu in aëre discurrere visum est, cujus subsidio funeris ejus ductores Turonos usque usi fuisse dicuntur. Ejus corpus *in monasterio sancti Juliani, quod idem vir sanctus summa instituerat religione, juxta sepulcrum domni Odonis reverenter humatur, & exinde ipsum templum divinis illustrari miraculis declaratur*, inquit idem auctor in chronico. Juxta ipsum sepulta est itidem soror ejus Gersendis. Utriusque corpora a Guillelmo abbate anno M CCC LXI. translata sunt in chorum ecclesiæ, eisque quotannis sollemni officio parentari mos erat postera die festi sancti Martini mense Novembri, quo die presbyter, in majori sacro uti solebat tunica, dalmatica, & cappa, quæ in sepulcro Theotolonis repertæ fuerant. In chronico sancti Juliani Theotolo Turonensi ecclesiæ annis XIII. mensibus IIII. diebus XII. præfuisse dicitur, eique post undecim mensium intervallum successisse Joseph ad annos XI. menses II. ac dies XII. quem Froterius secutus est annis IIII.

LXXV. S. Remigii Remensis reformatio.

Inter has bellorum civilium procellas monasterium sancti Remigii apud Remos, quod ab institutis eo loci per Tilpinum regularibus monachis per annos centum & septuaginta non alios abbates, quam Remenses archiepiscopos habuerat, regulares deinceps abbates obtinere cœpit. Id factum adscribitur Hugoni archiepiscopo, qui *advocans Ercamboldum monasterii sancti Benedicti* Floriacensis *abbatem, regulam monasticam in monasterio sancti Remigii*, ut Frodoardus [a] scribit, *restituere decertat, constituens ibi abbatem Hincmarum ejusdem loci monachum*, id est sancti Remigii, ut diserte legitur in veteri codice Remigiano, in quo monachorum omnium, qui ibidem monasticam vitam professi sunt, nomina sub unoquoque abbate annotantur, præmisso hoc titulo: *Anno ab incarnatione Domini* DCCCC XLV. *regula sancti Benedicti, quæ dudum defecerat, restituta est in monasterio sancti Remigii, jubente Hugone Heriberti filio, cum consilio Erchamboldi abbatis sancti Benedicti, ordinato ibi Hincmaro sancti Remigii monacho.* ubi mirari subit, id Hugoni archiepiscopo venisse in mentem, ut abbatis jure ac titulo cederet, & non potius Artaldo ejus æmulo, qui ex monasterio sancti Remigii ad archiepiscopalem dignitatem provectus a Ludovico rege fuerat. In prædicto codice Hincmarus Remigiano cœnobio annis XXII. præfuisse dicitur: cujus tempore sex dumtaxat professi numerantur, in his Rothmarus abbas, cujus, uti & Hincmari abbatis, consilio disciplina monastica in monasterio sancti Basoli post annos septem restituta est. Eodem Hincmaro abbate videtur id contigisse, quod Aimoinus [b] Floriacensis monachus tradit, scilicet anniversario die sancti Remigii, *in quo concursus populorum ad ejus venerandam basilicam fieri adsolet*, Gerbergam reginam, tardiore jam incumbente hora, cum numeroso comitatu istuc accessisse, cum *vespertina laudis officia jam a cantorum choro inchoata* essent. *quæ pudore suæ tarditatis*, mirare modestiam, *consueta stationis relicto loco, cryptas ipsius ecclesiæ ingressa est, in quibus pretiosi patris Benedicti oratorium habetur*. Forte *dum ad orandum regii stipatores suas flecterent cervices*, accidit, ut *unus eorum, protervæ temeritatis ausu, spatam, quam manu gerebat, altari superponeret*. Exsecrati factum socii, gladio inde ablato, facinoris auctorem dure increpant. quibus ille superbe respondit: Quænam, inquiens, vobis nova isthæc incessit religio, ut aggestum calcis ac sabuli cum lapidum mole, meo putetis gladio esse sanctius? quo dicto, ensem dominicæ iterum mensæ imponere non dubitavit. Sed brevi divina ultio subsecuta. nam ille cum regina reversus, inter cœnandum cultello super inguina delapso sauciatus, elatus a mensa, e vestigio infelicem animam exhalavit. quo exemplo Deus ostendit, quantum ipsi displiceat altaris violatio, *quod sub nominibus servorum suorum ipsi dicatur, quodque ob sacrosancti corporis Christi immolationem figuram obtinet crucis*. sic loquitur Aimoinus, qui paullo post venerationem suam in sacram eucharistiam testatur, agens de palla, *super quam sacrosanctum corpus Jesu-Christi fuerat confectum.*

[a] Frod. hist. lib. 4 c. 32.

[b] Aimoin. lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 6.

LXXVI. Corbeiæ veteris abbates.

Hoc ipso anno Berengarius, antiquæ Corbeiæ abbas, Heriboldo abbati locum fecit, mortuus III. kalendas Septembris, ut in veterrimo kalendario legitur. In nativitate beatæ Mariæ *pastum* seu refectio olim fratribus debebatur *de molendinis, quot ædificavit ad portam sancti Albini*. De Heriboldo ejus successore id tantum memoriæ proditum invenio in chronico, ejus tempore destructam fuisse Corbeiensem ecclesiam occasione Radulfi Cameracensis comitis, qui Ludovici regis ex sorore nepos erat, & Viromandensem comitatum invaserat; totamque monasterii

ANN. CHR. 945.

terram vastatam ; tantamque tunc temporis fuisse multitudinem ac licentiam perversorum hominum, ut boni malos vix reprehendere auderent ; & , si ausi fuissent, nullam eorum querelarum habitam rationem. Quam diu Corbeiam rexerit Heriboldus, veteres loci tabulæ non produnt, in quibus XVIII. kalendas Decembris obiisse memoratur.

Ratoldus abbas.

Non minus procellosa fuere tempora sub Ratoldo abbate Heriboldi successore, cujus nomen apud posteros haud incelebre reddidit sacramentorum codex, a Menardo nostro laudatus, qui jussu ipsius Ratoldi scriptus est. Eo abbate Lotharienses post Nortmannos Corbeiense solum infestare ac diripere perseverarunt. Nihil eorum rapacitati ac furori subductum. Terram ipsam invasisse dicuntur Lotharienses duo, qui se Corbeiæ comites ferebant, Aimo & Godardus, si recte nomina expressit vetus chronographus. In tanta rerum ac temporum iniquitate se ipse non deseruit Ratoldus ; sed adversus sævientem procellam animum erigens, dissipata bona pro modulo recolligere, ac religionem tueri conatus est. Sane apud Richardum Nortmannorum ducem suis id effecit obsequiis, ut Domus-Petri villa in pago Lexoviensi, quam Nortmanni occupaverant, monasterio restitueretur. Quin etiam Walterus Ambianorum comes, cum Adela uxore sua, villam Otmaricurtem * Corbeiensi ecclesiæ contulerunt ad comparanda luminaria & incensum *ad obsequium reliquiarum*, ut fusius suo loco dicturi sumus. quibus subsidiis adjutus Ratoldus, monasterii sui penuriæ utcumque subvenit.

* *Moricourt. Labbi.*

LXXVII. Geraldus archiepiscopus Cluniaci fit monachus.

Ea erat tunc temporis apud Cluniacum religionis fama, ut ipsi etiam episcopi, abdicatis honoribus, se se istuc reciperent. Ejus rei inter alios exemplum nobis suppeditat Geraldus archiepiscopus, cujus hac de re instrumentum legimus in archivo Cluniacensi. *Ego Geraldus archiepiscopus memetipsum Deo offero per sæculi abrenuntiationem & habitus commutationem, & omnes res meas in cænobio Cluniacensi, ubi nunc domnus Eymardus præest : in quo, si Deus annuerit, me ipsum sub ordine regulari mancipare cupio. Res vero meæ sunt in comitatu Uzetico, in vicaria Caxionense, id est ecclesia sancti Saturnini* &c. Subscribunt *Geraldus episcopus, Rostagnus episcopus. Actum apud sanctum Saturninum publice, mense Augusto, anno incarnationis* DCCCC XLV. *indictione* III. Cujus loci Geraldus archiepiscopus fuerit, incertum. Nec certior notitia de Rostagno, qui episcopi tantum nomen subscribendo assumit, ut Geraldus.

LXXVIII. Trenorchio quædam a Girfredo archiepiscopo concessa.

Archiepiscopus alter, scilicet Girfredus Vesontionensis, hoc etiam anno prædia [a] quædam sita in pago Cabilonensi, in villa Bellenata, sub annuo censu concedit Aymino seu Haymino abbati Trenorchiensi, nempe terrulas quasdam & prata, quæ cum Trenorchiensium terris ac pratis simul mixta erant : ex quo damna gravia a laïcis hominibus, qui ea in beneficium acceperant, ipsis Trenorchiensibus inferebantur. Quam ob rem Girfredum archiepiscopum Vesontione adierunt *monachi summæ Imperatricis, scilicet sanctæ Mariæ Dei genitricis, ac sancti Filiberti gloriosissimi Christi confessoris, necnon & sancti Valeriani egregii martyris, missi Aymini abbatis ipsius loci*, exorantes ejus *magnitudinem*, ut hæc sub annuo censu ipsis concederet. quod facile annuit archiepiscopus cum consensu suorum clericorum, opportunum existimans, ut *servis Dei rurale opus exercentibus* aliquid commodi præstaret, & afflictis succurreret. quod factum probat auctoritate concilii Agathensis, *era* XLV. id est canone XLV. *Actum anno* DCCCC XLV. *indictione* III. XII. *kalendas Junii, anno* VIII. *regnante Conrado serenissimo nostro rege.* Non diu superstes fuit Hayminus abbas. quo mortuo, Gislebertus Jurensis Burgundiæ princeps, posthabitis fratrum suffragiis, Guidonem monachum in abbatis dignitatem intrusit. Hic a partibus Lingonensium clericus, ait Falco [b] monachus, Trenorchium venerat, ubi, suscepto religionis habitu, tam læta omnium oculis auspicia exhibuit, ut fratres, ignari futurorum, honores ei committerent potiores. qua opportunitate usus, ingentem sibi rerum cumulavit copiam. Ea fretus, Gislebertum ducem adiit, & quod meritis adipiscendum foret, muneribus extorsit. Obstitit pars monachorum sanior, qui, secessione facta, primum Matisconem ad Letaldum comitem, dein ad sanctum Portianum cum sancti Filiberti, aliorumque sanctorum reliquiis se receperunt. Illic, electo sibi abbate Herveo, per triennium commorati, lugente interim ob sanctarum, ut creditum est, reliquiarum ablationem, variisque oppressa cladibus Burgundia ; tandem episcoporum, qui apud Trenorchium convenerant, decreto, pristinas in sedes revocati sunt, Herveo præfectura servata.

[a] *Tournus p.* 281.

Turbæ de eligendo successore.

[b] *ibid. p.* 10.

ANN. CHR. 941.

LXXIX. Cantioli monasterii origo.

Incidit in hunc quoque aonum inchoatio monasterii Cantioli * apud Arvernos, quod Stephanus [a] *præsul eximius*, uti se ipse dicit, & tamen *humillimus*, Claromontensis ecclesiæ condere instituit, tum ad obtinendam facinorum suorum veniam, tum pro seniore suo Ludovico rege & conjuge ejus proleque illorum, & pro absolutione animæ genitoris sui Rotberti, & genitricis suæ Adalgardis jam defunctæ, ac novercæ suæ Hildegardis, aliisque propinquis suis: quo in loco duodecim monachos constituere meditabatur: ut ipsi monachi diebus vitæ suæ Deo serviant, Deum timeant, Deum diligant, præceptum beati Benedicti & sui abbatis secundum vires & possibilitatem suam observent, & pro ipso Stephano & statu sanctæ Dei ecclesiæ diebus & noctibus jugiter Dominum exorent: ita ut post suum ipsius decessum hic locus maneat in manu & dominatione Rotberti abbatis, filii Jozberti. qui Rotbertus abbas seu præpositus Brivatensis erat, ut ex alia ejusdem Stephani charta discimus. *Data cessione ista IV. idus Octobris apud Lithiniacum vicum, anno X. regnante Ludwico rege Francorum, Aquitaniamque regente.* Hoc monasterium modo cella est abbatiæ Casæ-Dei, in diœcesi Anieiensi, non confundendum cum Cantogilensi monasterio, de quo in libro superiori egimus.

* Chanteuil.

a Spicil. to. 11. p. 281.

LXXX. Barcinonense monasterium.

Non ante hoc tempus conditum est Bareinone puellare cœnobium, cujus origioem Didacus & Antonius Vincentius Domenecus ad Ludovici Pii principatum perperam referunt. In veteri ejusdem monasterii instrumento [b] legitur, Soniarium Urgellensem comitem a Villarano Barcinonensi episcopo impetrasse hoc anno, ut locus, in quo nunc situm est monasterium, sanctimonialibus donaretur, eumque dein ibidem ecclesiam construxisse, quam una cum Richilde comitissa uxore sua aliquot latifundiis dotavit, tradito Adalaudæ abbatissæ libello dotis, quem auctoritate sua episcopus ratum esse jussit. Eodem anno, XVI. kalendas Julii idem Wilaranus episcopus dedicavit prædictum monasterium, in quo tum fuere triginta sanctimoniales sub Adalauda abbatissa. Huic successit Eliarda, cujus tempore Adalera priorissa virgines illas informabat ad sapientiam & religionem. Harum imagines se vidisse refert Didacus in antiquissimo codice evangeliorum, qui ejus ætate exstabat in secretario ejusdem monasterii, ubi sequentes versus legebantur.

b Marca Hisp. col. 390.

Hæc sunt domuarum tot nomina scripta bonarum,
Quas docuit mores Adalera.

Cum vero idem monasterium anno DCCCC LXXXVI. capta a Sarracenis Barcinone, destructum fuisset, instauratum est a Borrello comite, ut inferius videbitur.

LXXXI. S. Felicis Guixalensis monasterium.

Guixalense sancti Felicis in Catalania monasterium hoc etiam tempore conditum est, non principatu Caroli [c] Magni, ut pleriqne recentiores opinantur, decepti quodam dubiæ fidei instrumento, ex quo tamen conditi monasterii tempus facile eruitur. Id enim factum legitur præsentibus Suniario comite & Reiede ejus uxore, qui haud dubie non alii sunt quam Suniarius Urgellensis comes & Richildis ejus conjux mox laudati. Eodem tempore vivebat Ermessendis seu Hermesendis comitissa Barcinonensis, cujus mentio fit etiam in prædicto instrumento. Laudatur Soniarius ejus loci abbas in præcepto Lotharii regis, in quo hoc monasterium situm dicitur *in loco, qui dicitur Jcesalis*, in comitatu Gerundensi.

c V. lib. 26. n. 11.

LXXXII. S. Savini Tarbeiense monasterium instauratur.

Inter Wasconiæ monasteria, quæ tantum preces regi debebant tempore Ludovici Pii, sancti Savini cœnobium censetur, situm in Levitana valle, haud procul a Tarba civitate Bigerronum-Ortivorum, unde Tarbeiense vulgo appellatur. De ejus origine in superioribus [d] actum: nunc agendum de ejus instauratione, facta post excidium ejus a Nortmannis, qui hoc monasterium, ut plurima alia, solo æquarunt. Instaurationis auctor Raimundus Bigorritanus comes, qui hunc locum a parentibus jure hereditario acceperat. Hic iram Dei incurrere timens, si sacrum locum, ubi sancti Savini corpus jacebat, diutius absque debito cultu neglectum relinqueret, illic monasterium & monachos restituere in animum induxit. Inter cetera vero bona eis concessit Vallem Caldarensem *, eo pacto, ut ecclesiam in honorem beatæ Mariæ ibi ædificarent, & mansiones balneis competentes in eodem loco conservarent. Ad hæc in ipsa valle id juris eis tribuit, ut, si quis *porcum singularem*, id est aprum, sive cervum venando ceperit, quartam sive spadlarem, id est humerum, sancto Savino persolvat: idque *per totum paschale sancti*

d lib. 28. n. 64.

* de Cauteres.

AN. CHR. 945.

» *Savini infra* ſeu intrà *pontes* pariter fiat. Inſuper ad luminaria ſancti Savini butyrum, quod *per illas totas æſtivas cenſualiter accipiebat*, eidem monaſterio tribuit, & quidquid pecuniæ *pro placitis aut batallis*, id eſt duellis, ſibi aut vicario ſuo contingeret. Hanc vero chartam, procerum atque hominum ſuorum auctoritate confirmatam, fecit, poſuitque in manu Bernardi tunc temporis ſancti Savini abbatis, *regnante in Francia Lodoico rege, & in Aragonia Garcia rege, anno ab incarnatione Domini* DCCCC XL. Hoc inſtrumentum in hiſtoria Benearnenſi integrum retulit [a] illuſtriſſimus Petrus de Marca, ubi *paſchale* ſancti Savini ait eſſe jus illud, quo homines ſeptem parochialium eccleſiarum, ſancto Savino ſubjectarum, baptiſmum, & communionem in tribus anni ſollemnitatibus, ſcilicet nativitatis Domini, reſurrectionis, & pentecoſtes, apud ſanctum Savinum percipere debebant, ibique mortuos ſuos ſepelire. quod in aliis quoque ejus provinciæ locis obſervari ſolitum idem auctor ſcribit. Id porro colligitur ex alio [b] ejuſdem monaſterii inſtrumento, in quo eccleſiæ illæ recenſentur, octo numero, quæ *ex antiqua conſuetudine ordinata & titulata ſunt ad paſchale ſancti Savini, ita ut generaliter apud ſanctum Savinum totum baptiſmum habeant, & ſepulturam ibidem ſuſcipiant, niſi fuerint infantuli, aut in tantum pauperrimi, quod non habeant qui eos illuc deferant.* Ad hæc ex antiqua itidem conſuetudine ſtatutum eſt, *ut iſtarum eccleſiarum capellani cum parochianis ſuis, tam clericis quam laicis, in nativitate Domini, ad nocturnas apud ſanctum Savinum conveniant, & ibi ad celebrandas miſſas & ad communionem ſuſcipiendam permaneant. Sed ipſi capellani luceſcente die ad eccleſias proprias redeant, & propter paſtores & familias minores domorum communicantes, miſſas ibi celebrent.* Hoc autem jus *paſchale* appellatur, quod ſollemniſſimi illi dies olim paſchales appellarentur, teſte Benedicto Levita, qui ſollemniſſimos dies paſchales, quorum in capitularibus mentio eſt, interpretatur paſcha, pentecoſtem, & nativitatem Domini. Mitto alios dies, purificationis beatæ Mariæ, aſſumtionis, nativitatis ſancti Johannis, alioſque, in quibus eædem eccleſiæ ad ſanctum Savinum convenire debent. quod honoris cauſa ſancto Savino tributum eſt, ut cathedralibus olim eccleſiis conceſſum canone XII. concilii Agathenſis. Hactenus prior ſancti Savini e noſtris tanta auctoritate toti Levitanæ valli præeſt, ut cauſas indigenarum omnes finiat, & ab ejus nutu incolæ omnino pendeant. Ceterum ex alio inſtrumento diſcimus, primum ejus loci ab inſtauratione abbatem fuiſſe Enecum, *virum maximæ ſanctitatis*; dein Bernardum ſuperius laudatum, *ineffabilis virum nobilitatis*; tertium Arnaldum *ſanctæ memoriæ*, filium comitis Guillelmi Fortis: cui *magnificus abbas ſucceſſit Bernardus, almiſitus, geſtis grandis, & fama ſuper æthera felix*, quem Bernardus comes & Eracleus epiſcopus, aliique magno cum honore habuerint. De præmiſſis juribus ſubinde ortæ ſunt variæ lites; ac demum incolis conceſſum, ut mortuos ſuos in propriis eccleſiis ſepelirent, modo ipſi certis diebus ad ſancti Savini eccleſiam de more convenirent.

[a] Bearn. lib. 9. c. 2.

[b] ibid.

Abbates ejus loci.

LXXXIII. Ogo abbas fit epiſcopus Leodicenſis.

Redeo ad Galliam Belgicam, in qua Richarius Leodicenſis epiſcopus, olim Prumienſis abbas, vita functus eſt, ſucceſſorem ſortitus Ogonem ſeu Hugonem abbatem ac reformatorem monaſterii ſancti Maximini Trevirenſis, virum ſagacem, & in rebus eccleſiaſticis verſatiſſimum, de quo Frodoardus in chronico ita ſcribit: *Richario Tungrenſium præſule defuncto, idem epiſcopium rex Otto Hugoni abbati monaſterii ſancti Maximini, nolenti atque refugienti, dedit, eumque ordinari fecit epiſcopum.* Non integro biennio hac dignitate potitus eſt Ogo, ut poſtea videbimus. Richarius ejus deceſſor monaſterium ſancti Petri Benedictinæ familiæ, quod a ſancto Hucberto epiſcopo conditum perhibent, jam tum a Nortmannis vaſtatum, collegio triginta canonicorum mutaſſe dicitur, eiſque prædia ad victum cultumque ſufficientia donaviſſe.

LXXXIV. Airicus abbas Indenſis reliquias obtinet.

Superiori ſæculo in Stabulacenſi ejuſdem pagi monaſterio quidam e famulis ſeu colonis monaſterii poculum quoddam, in quo potus menſura eis apponebatur, furto ſubripuit, & cum plauſtro, cui quatuor boum paria juncta erant, diſceſſit. Vix e monaſterio egreſſus erat, cum boves adeo immoti ſubſiſtunt, ut nulla vi aut arte moveri poſſent. Cauſa rei cognita, ruſticus poculum reſtituit, moxque nullo negotio cum plauſtro proceſſit. Vaſculum iſtud in facti memoriam ſervatum eſt, donec, ejus rei fama Indam allata, Airicus abbas multis precibus impetratum in beati Remacli memoriam auro includi, & catenis argenteis appendi juſſit ad ſancti

ANN. CHR. 945.

Hermetis martyris monumentum, cujus *sacras reliquias per Lotharium imperatorem* a Romanæ ecclesiæ partibus obtinuerat. Idem abbas auctor fuit, ut sancti Remacli miracula litteris mandarentur, uti auctor ipse testatur. De sancti Hermetis reliquiis aliter scribit Baldericus [a] in chronico Cameracensi, eas videlicet ex Rotnacensi Bracbanti monasterio, ubi asservabantur, ob metum Nortmannorum *ad monasterium villa Enda, quæ juxta Aquisgranum sita est*, primo asportatas, inde Coloniam translatas fuisse. Danis vero tandem remotis, magnam Rotnacenses inter atque Indenses de his reliquiis exortam altercationem, quas Indenses retinere contendebant: at Rotnacenses demum ope Fulberti Cameracensis episcopi, in cujus parochia erant, prævaluisse. Id vero ita conciliari potest, quod Airicus re vera quasdam reliquias sancti Hermetis, puta vestimentorum ejus, vel forte particulas corporis per Lotharium imperatorem obtinuerit: Rotnacenses vero corpus integrum, aut maximam ejus partem habuerint, quod Indam deinde translatum litis occasionem & materiam utrisque præbuerint Fulberti episcopi tempore, qui hoc tempore Cameracensem ecclesiam administrabat. Albericus auctor est, per id tempus *apud Stabulaus* præfuisse Raginerum comitem & abbatem; deinde Everardum itidem comitem & abbatem.

a Balderic. lib. 1. c. 75.

LXXXV. S. Glodesindis monasterium refloreſcit.

In urbe Mettensi sanctæ Glodesindis monasterium rebus spiritualibus ac temporalibus tunc pæne destitutum erat: cum Adalbero episcopus, non minus puellarum quam virorum moribus reformandis intentus, illud ab imminente interitu vindicare, & in pristinum splendorem restituere serio cogiravit. Ejus rei causa regulæ sancti Benedicti, *ut fuit olim inibi*, observationem restitui curavit, ejusque loci sanctimonialibus neptem suam Himiltrudem præfecit. Dehinc necessaria quæque vitæ subsidia eis suppeditavit, certus in monasteriis, præsertim puellarum, religionem non posse diu subsistere absque necessariis commodis temporalium rerum. Ejus rei causa Hasteriensem abbatiam, quam a Wigerico comite genitore suo, ibidem humato, acceperat, eisdem sanctimonialibus tribuit. ad hæc sanctæ Glodesindis possessiones, quas viri præpotentes tyrannica violentia invaserant, eis restitui sategit, uti nos docet ipsius Adalberonis bac de re instrumentum, quod domnus Martinus Retellius [b] laudat, datum anno incarnationis Domini DCCCC XLV. Ottonis regis IX. indictione III. Hasteriæ * locus est ad Mosam, haud procul a Walciodorensi monasterio, de quo superius egimus. Illic conditum perhibent sæculo septimo cœnobium a Widerico comite, principatu Sigeberti regis. Destructo monasterio, abbatia in laïcorum manus devoluta erat, obtigeratque comiti Wigerico, patri Adalberonis episcopi, qui eam hereditario jure accepit, tum sanctæ Glodesindis parthenoni attribuit. Exin *Hasteriensem villam*, ut in chronico Walciodorensi legitur, *moniales sanctæ Glodesindis tenebant, & in ecclesia ejusdem villæ, sub imperio & regimine decanæ, quædam earum in eadem cella Deo servientes vivebant, & sub jugo & obedientia abbatiæ sanctæ Glodesindis omnes pariter incedentes regebantur.* Non diu perseveravit iste Hasteriensis cellæ status; quippe quæ a Diederico seu Theoderico episcopo, Adalberonis successore, concessa est monasterio Walciodorensi, ut inferius dicturi sumus. Sic restitutis sanctæ Glodesindi possessionibus, Adalbero resarciendis ædificiis animum adjecit. Restituendæ inibi regulari disciplinæ multum contulit Himiltrudis abbatissa, laudata a Johanne abbate in libello de translatione sanctæ Glodesindis. *Unde & hoc idem*, inquit, *beatæ virginis collegium præfecta ibi domna Himiltrude, sanguine, &, quod majus est, spiritu sibi propinqua, ad monasticam institutionem coegit*, scilicet Adalbero, qui hoc ipsum in sancti Petri parthenone postea præstitit. Himiltrudi abbatissæ successit Voda, cujus rogatu Diedericus seu Theodericos episcopus, Adalberonis successor, confirmat omnes possessiones, quibus olim dotatum fuerat hoc *monasterium sancti Sulpicii & sanctæ Glodesindis.*

Hasteriensis abbatia ei data.

b Tepes to. 5. p. 152. Gallica vers.

* Hastieres.

LXXXVI. S. Trudonis monasterio præfectus Adalbero.

Mettensi ecclesiæ tunc subjectum erat sancti Trudonis in Hasbania monasterium, quod cum ad incitas, ut pleraque alia, redactum esset, ejus curam ac regimen Adalbero episcopus in se suscepit, ut relatum a Meurissio [c] fragmentum historicum nos docet. nam *anno* DCCCC XLIIII. *Adalbero, qui ob favorem, quem monachis exhibebat, monachorum pater est appellatus, gravi compatiens desolati gregis necessitati, ut abundantius proficienti illi in monasticis prodesset, & temporalia bona, quæ per illos* XLV. *annos desolati hujus loci per tyrannidem nobilium & magnatum injuste possidebantur, reparare posset; divinitus inspiratus, onus prælaturæ hujus mona-*

c Meurisse p. 311.

ANN. CHR. 945.

sterii assumens, abbas efficitur. Et quia dudum Reinero suo predecessori, sinistre informatus, alienus exstiterat, pro qua causa sanctus Trudo etiam ipsum corripuerat; ideo ferventius ad omnem istius monasterii promotionem intentus, hereditates disperditas pro parte restitutas accepit, & non habitas ex proborum largitione, quos informaverat, augmentavit. Ille etiam de suo quædam adjecit, & *structuram monasterii cum gravibus expensis in altum produxit, & firmo tecto exsectis lapidibus nobiliter coopertam consummavit.* Absolutis majori ex parte ædificiis Adalbero, annuente Tungrensi episcopo diœcesano, *hoc monasterium sollemniter consecravit anno prælationis suæ in hac abbatia tertio.* quo tempore non Richarius, ut fallit prædictum fragmentum, sed vel Ogo ejus successor, vel Farabertus Tungrensem episcopatum obtinebat. In chronico Trudoniano Reinerus [a] abbas, Adalberonis decessor, annis quinque præfuisse dicitur, nulla facta mentione Adalberonis. At Stepelinus monachus in libro primo de miraculis sancti Trudonis testatur, Reinerum abbatem, posteaquam aliquamdiu a monasterio abfuisset, revocatum fuisse ab Adalberone, qui ei diu negatam gratiam indulsit, atque in posterum favorabilem ac propitium fore pollicitus est. Progressu temporis, id est anno MCC XXXI. Hugo Leodicensis episcopus Hasteriensem abbatiam, quæ in ejus diœcesi sita est, Mettensi episcopo cessit, ab eoque sancti Trudonis monasterium in commutationem recepit, agente Conrado cardinale, ut Albericus in chronico scribit.

a *Spicil. to. 7. p. 347.*

LXXXVII. Societas renovata inter S. Gallum & Augiam.

Post annos centum quadraginta-quatuor, quam Sancti-Gallenses & Augienses monachi mutuam suffragiorum societatem inierant, visum est Craloni sancti Galli, & Alawico Augiensi abbatibus, fratribusque utriusque monasterii, ut vetus illud [b] pactum novo decreto confirmaretur, eique nonnulla insuper adjicerentur: scilicet ut, fratre alterutrius monasterii mortuo, corpus ejus in ecclesiam translatum non prius inde tollatur ad tumulum, *donec omnes horæ canonicæ tempore statuto decantentur, & omnis celebratio missarum sive vigiliarum, seu etiam psalmodiæ pro defuncto persolvatur. Ad eamdem autem missam, quæ primum pro eo a fratribus in commune recitatur, dicto ter* SANCTUS *angelico carmine, omnes pavimento prostrati tam diu jaceant, usque dum a presbytero* PAX DOMINI *dicatur, gemitibus & suspiriis, & lacrimarum inundatione animam fratris attentius Domino commendantes. Annona vero illi quondam viventi statuta ad anniversarium ejus diem, & inde usque xxxvij. dies pro eo in eleemosynam pauperibus plene tribuatur.* Ad hæc cum obitus alicujus ex alterutro monasterio alteri fuerit significatus, quantocius vigiliæ, missæ, & psalmodia pro eo persolvatur, & ad eamdem missam fratres, ut dictum est, se prosternant, atque ab eo die annona per totos triginta dies, sicut uni e fratribus, apponatur, ac pauperibus distribuatur. denique ut tota utriusque monasterii congregatio, in sex divisa turmas, cotidie privatis diebus, die sibi definito, vigilias & missam pro omnibus defunctis peragat.

b *Gold. to. 2. Alam. p. 180.*

LXXXVIII. Thietlandus an primus abbas Einsidlensis.

Hoc anno Einsidlensi monasterio præfectus dicitur abbas Thietlandus, de quo sic legimus in codice Einsidlensi Hermanni-Contracti ad hunc annum: *Thietlandus pater venerabilis, primus abbas monasterii Eremitarum, qui fecit glosam super epistolas sancti Pauli.* Christophorus Hartmannus in annalibus Einsidlensibus probat, Thietlandum non fuisse primum istius Eremi abbatem, sed secundum, scilicet post Eberhardum, qui sacræ Eremo novam formam dedit, exstruendo monasterio, in quo numerosum discipulorum cœtum sub uno rectore congregavit. Certe in diplomate [c] Ottonis regis, dato anno sequenti, Eberhardus adhuc abbas vocatur, & immunitas ac facultas eligendi post ejus obitum abbatis eidem monasterio sive cellæ conceditur. Forsan Thietlandus proabbatis officium primo gessit sub Eberhardo abbate, qui pristino vitæ generi, id est solitariæ, amplius addictus erat. Thietlandi abbatis prima occurrit mentio anno DCCCC LXI. in præcepto Ottonis imperatoris, triennio post obitum Eberhardi, quod conjecturam nostram videtur confirmare.

c *Annales eremi p. 46.*

LXXXIX. Hugo rex an monachus.

In Italia rex Hugo pulsus a suis, & ab eo ipso proditus Manasse Arelatensi episcopo, cui tot in Italia episcopatus dederat, recepto Berengario ipsius dudum æmulo, in Burgundiam Jurensem se recepit, hoc obtento a Berengario, ut filio suo Lothario regnum servaretur. Addit Leo [d] Marsicanus, eumdem Hugonem in Burgundia monasterium ditissimum, *quod sanctus Petrus de Arle vocatur*, suis sumtibus construxisse, ibique monachum factum fuisse. quod videtur intelligendum de Arelatensi

d *Chron. Casin. li. 1. c. 61.*

ANN. CHR. 945.

tenſi Montis-majoris monaſterio ſancti Petri, tametſi ab Hugone rege haud conditum fuit. Et vereor quidem ne ſatis tuta ſit Leonis Marſicani hac in re fides, qui unus Hugonem factum monachum dicit. nam Liutprandus [a] Ticinenſis diaconus, auctor æqualis, Hugonem quidem in Provinciam omni cum pecunia properaſſe « tradit, additque eum *brevi* viam univerſæ carnis ingreſſum, *Bertha nepti ſua, Boſonis Arelatenſis comitis vidua, pecunia derelicta* : at nullam neque monaſterii ab eo conditi, neque monachatus ipſius mentionem facit, nec quivis alius illorum temporum ſcriptor ante Leonem Marſicanum; immo Frodoardus eum anno ſequenti a ſuis denuo receptum fuiſſe teſtatur. At, quod rem conficere mihi videtur, nondum exſtabat prædictum monaſterium, cum Hugo deceſſit: & Berta ipſa, Hugonis neptis, eidem monaſterio confert res quam plurimas, *quæ ſibi legibus obvenerant ex parte avunculi* ſui *Ugonis regis*, dictura eum ipſius monaſterii conditorem aut reſtitutorem, ſi ab eo conditum, reſtitutumve fuiſſet. De hoc monaſterio inferius ex inſtituto agendum.

a *Liutpr. lib.* 5. *c.* 14.

XC. Alberici donatio facta monaſterio S. Andreæ.

Romæ Albericus princeps [b] cum Sergio Nepeſino antiſtite, aliiſque propinquis ſuis inſignem donationem fecit Romano monaſterio ſancti Andreæ & ſancti Gregorii ad clivum Scauri, cui tunc Benedictus abbas præerat, collato caſtello Mazzano in territorio Nepeſino, aliiſque prædiis & fundis in ejus inſtrumento recenſitis, quod Leo ſcriniarius & tabellio urbis Romæ ſcripſit Marini papæ ſecundi anno tertio, indictione tertia, menſis Januarii die quarta-decima. Subſcribunt poſt Albericum Marocia & Stephanina itidem donatrices: tum Berta, Sergius epiſcopus, Conſtantinns, & Johannes nobiles viri: ex quibus Marocia, famoſa illa femina, ſed mala utique fama, ipſius Alberici parens erat: Sergius & Conſtantinus fratres, Berta ſoror uterina, infelix omnino progenies. Prædictum caſtrum hodie quoque idem nomen retinet, ſed cameræ apoſtolicæ ſubjectum.

b *Ital. ſac. to.* 1. *c.* 1099.

ANN. CHR. 946.

XCI. Agapiti papæ juſſu Caſinates ad ſua redeunt.

NOn diu ſupervixit Marinus papa, qui poſtero anno deceſſit medio menſe Maio. Succeſſor ejus haud indignus Agapitus papa, eo nomine ſecundus, monaſterium ſanctæ Sophiæ, quod Beneventani principes [c] occupaverant, ſub gravi interminatione reſtitui præcepit. Idem præſtitit de Capuano ſancti Benedicti monaſterio, quod iidem principes in ſuam ditionem redegerant. qua occaſione Caſinenſes, qui tunc illic degebant, ad ſæcularem vitam ex aulæ contagio prolapſi erant. Quapropter, aſſerto in libertatem monaſterio, pontifex juſſit, ut fratres omnes ad proprium Caſinenſe monaſterium, duobus tantum vel tribus ſenioribus Capuæ relictis, reverterentur, *ibidem ſub abbate proprio regulariter Domino ſervituri.* Majelpotum tunc abbatem fuiſſe Leo Marſicanus cenſet, ratus Balduinum ejus deceſſorem, dimiſſa Caſini præfectura, Romam ad ſanctum Paulum migraſſe: at utramque præfecturam retinuiſſe videtur, ac Majelpotum proabbatem habuiſſe, ut ſuperius [e] monuimus.

c *Chron. Caſin. li.* 1. *c* 58. *&* 60.

e *num.* 62.

Gorzienſes ad S. Paulum miſſi.

Interim cum non ſatis accurata eſſet apud ſanctum Paulum regularis diſciplina, Agapitus pontifex, audita Gorzienſium religione, *litteris cum nuntio quodam idoneo viro multum a domno Einoldo* abbate *efflagitaverat, aliquot ſibi religioſos, quos in monaſterio beati Pauli cum auxilio regis Albrici collocaret, transmitti.* Miſſus ad pontificis mandatum Andreas ſenex emeritus, mentem canitie capitis referens, & cum eo quidam frater, qui ex monaſterio Luxovio Gorziam ante aliquot annos advenerat. Ubi locum regulari inſtitutione informaſſet Andreas, non multo poſt receptus ad Dominum, ibidem humatus eſt. Hæc ex Johanne in libro de vita ſancti Johannis Gorzienſis abbatis, ubi de Agapito papa legitur, quod monaſterium ſancti Pauli *ad monaſticum ordinem transferre moliebatur.* quod non abſolute de monaſtico ordine, ſed de regulari & accurata obſervantia interpretandum, uti *regis* nomine, quod Alberico tribuit idem auctor, princeps intelligendus eſt. Aſt mirari ſubit, tam cito apud ſanctum Paulum defeciſſe regularem illam diſciplinam, quam ſanctus Odo ante paucos annos ibidem reſtituerat. Sed forte tantum illic deerat idoneus magiſter, qui tirones informaret.

XCII. Anſteus abbas S. Arnulfi inſignis.

Ex eodem Gorzienſi aſceterio ante annos quinque prodierat nova colonia monachorum, quæ ab Adalberone epiſcopo in Mettenſi ſancti Arnulfi cœnobio inſtituta eſt ſub Harberto ſeu Heriberto abbate. Huic duos tantum annos præfecturæ tribuit domeſtica ejus loci hiſtoria: at quatuor minimum annos ei præfuiſſe inde

ANN. CHR. 946.

colligimus, quod Ansteus ejus successor anno DCCCC LX. in nativitate beatæ Mariæ mortuus est *sexdecim annorum exactis laboribus*, ut legitur in vita Johannis abbatis Gorziensis: proindeque non ante annum DCCCC XLIV. aut insequentem successit Harberto, cujus depositio XIV. kalendas Septembris in necrologio notatur, his verbis, *Harbertus abbas*. Heribertus tamen vocatur in prædicta vita, *vir egregius* dictus. Ansteus ejus successor, jam superius a nobis laudatus, in Gorziensi monasterio decanus erat, in omnibus *onera strenue sustentans* Einoldi *abbatis* consanguinei sui, *omnique sanctæ conversationis exemplo forma gregi dominico factus, ut pene per ipsum, post abbatem, omnia disponi viderentur.* Mox ut abbas sancti Arnulfi renuntiatus est, *ibi brevi ejus industria claruit.* nam, ut architecturæ peritissimus erat, habitacula monastico congrua ordini *pulcherrimo schemate* construxit; & quem omnino incultum & necdum bene informatum invenerat locum, numeris omnibus absolutum reddidit. Sic autem interioribus ac spiritalibus rebus intentus erat, ut curam non negligeret exteriorum ac temporalium, quæ misere ubique locorum delapsæ erant. Ruris quidquid monasterio subjacebat, ita in vineis, pratis, silvisque excoluit, ut cum angustissimam rem familiarem, & vix exiguo monachorum numero sufficientem invenisset, post annum exactum, qui sterilitate & pestilentia gravis erat, in omnem copiam rerum necessariarum, Domino benedicente, supereffluxerit. Dein, cunctis fratrum habitationibus intra quadriennium expletis, monasterium, tunc suburbanum, muro in modum castri circumdare animum intendit. quod opus, Adalberone pontifice suppetias conferente, intra quatuor menses pæne ad summam esset perductum, nisi infausta regni dissensio, quæ inter Ottonem regem ac filium ejus Liutulfum, generumque Conradum usque ad Hungrorum eruptionem desævit, illud impedisset, quod proxima tamen æstate completum est. Sic vero his exterioribus curis applicabat animum, ut de his, quæ vel ad vitæ, vel conversationis puritatem, vel ad pastoralis sollertiæ vigilantiam pertinebant, nihil omnino prætermitteret, ita ut quotidie solitum pensum orationum, psalmorum, ac lectionum sanctarum expleret. Omnibus dominicis & festivitatibus sanctorum celebrioribus missas publice celebrabat, insuper unaquaque feria quarta privatim: in quibus quantum gemitibus & lacrymis seipsum conficeret, ne referri quidem potest. Ut paucis concludam, in visceribus caritatis & simplicitate cordis ac mansuetudine animi, in condescensione infirmorum, recreatione miserorum, & omnibus omnino misericordiæ actibus, non alter eo præstantior fuisse dicitur.

XCIII. Ludovicus rex Artaldum restituit.

Inter ea Ludovicus rex in custodia Theobaldi comitis Landuni tenebatur: cujus vicem miseratus Eadmundus Anglorum rex, legatos ad Hugonem principem pro ejus restitutione dirigit. Nec mora, convocatis regni primoribus, Hugo regem in libertatem asseruit. Sub hæc Gerberga regina in auxilium conjogis sui adducit Ottonem fratrem, qui, maximo contracto exercitu, adjuncto sibi Conrado Galliæ cisalpinæ rege, confestim adfuit. Urbs Remorum obsessa, & ab Hugone præsule regi dedita. Mox reges cum episcopis ac principibus urbem ingressi, Artaldum per Rotbertum Trevirensem & Fredericum archiepiscopos in sedem suam restituunt. quæ restitutio anno insequente in synodo Virdunensi confirmata est. Witichindus tradit, in toto exercitu, qui triginta duabus legionibus constabat, Ottonis regis nullum militem fuisse, qui non *fæno pileo* uteretur, præter Bovonem abbatem Corbeiæ-novæ cum tribus suis sequacibus: Ottonem vero, tentata Lugduni-clavati obsidione, antequam Remorum urbem oppugnaret, Hugonem Parisiis inclusum obsedisse: tumque *memoriam* seu tumulum *sancti Dionysii* condigno honore veneratum fuisse. Frodoardus addit, ambos reges, Sequana transmisso, *terram Nordmannorum* peragrasse, ac plurima loca devastasse. Tunc id accidisse puto, quod Dudo [a] & Willelmus [b] Gemeticensis monachus tradunt, nempe Ottonem suasu Ludovici, qui Richardi Nortmannorum ducis cum Emma Hugonis principis filia desponsationem gravate ferebat, Rotomagum obsedisse; at, cum res minime succederet, misisse ad Richardum, ut orationis causa sancti Audoëni [c] basilicam suburbanam adire sibi liceret. quo impetrato, *rex cum episcopis & ducibus, depositis armis, venit ad monasterium, quod est in suburbio civitatis, in honore cultuque sancti Petri, sanctique Audoeni dedicatum:* cui *multa donaria largitus est ipse, & sui.* Ex quo intelligitur, sancti Audoëni monasterium, quod a Danis sæculo nono eversum fuerat, jam tum instauratum fuisse.

Otto apud S. Dionysium & S. Audoënum orat.

a *Dudo lib* 3.
b *Willelm. lib.* 4. *c.* 10. *&* 11.
c *Dudo ibid. p.* 131.

ANN. CHR. 946.
XCIV.
Eadmundus rex Glastoniæ sepultus.

Non diu post prædictam legationem supervixit rex Eadmundus, cujus mortem Dunstanus, tunc Glastoniensis abbas, ante aliquot dies prædixerat. Cæsus est a quodam latrunculo, atque honorifice, ut par erat, Glastoniæ a Dunstano abbate humatus. *Hic Glastoniensem ecclesiam*, ait Albericus, *magnis prædiis & honoribus ditavit, & confirmavit donationem suam per privilegium, litteris aureis scriptum in libro evangeliorum eleganter composito, quem eidem ecclesiæ dedit.* Hæc Albericus accepit a Willelmo [a] Malmesburiensi monacho, qui Eadmundi privilegium, ante biennium datum, retulit. Successit in fraternum regnum Eadredus, justitiæ ac pietatis cultor, adeo in Dunstanum propensus ac fidens, ut non solum thesauros, sed etiam corpus, animam & regnum ei committeret: ita ut Dunstanus quasi rex, ipsiusque regis moderator haberetur. Non multo post, mortuo Elfego Wintoniensi episcopo, rex Dunstanum urget, ut ecclesiæ pastore destitutæ regimen accipiat. Sed cum ei persuadere non posset, reginæ matri Eadgivæ persuadendi partes, quæ in muliebri sexu efficaciores esse solent, committit. Verum nec reginæ sermones flectere valuere Dunstani animum, quippe qui diceret, se non posse a rege separari, qui ipsum tam sui patrem, quam regni veluti dominum constituisset. Sed hæc inferius.

[a] *Willelm. lib. 2. de reg. c. 7.*

Eadredus rex quam Dunstano addictus.

XCV.
Ethelwoldus fit abbas Abendoniæ.

Ejusdem Eadredi principatu floruit Ethelwoldus, de quo jam superius actum est. Is ampliorem scripturarum scientiam assequi cupiens, & monasticis disciplinis perfectius informari, transmarinas adire partes decrevit. Sed ejus consilium prævertit Eadgiva regina, regique persuasit, ut ne talem ac tantum virum regno egredi pateretur. Reginæ matris monitis rex acquievit; atque ut virum Dei in Anglia retineret, quemdam locum, vocabulo Abbandum seu Abendoniam, in quo modicum antiquitus monasterium fuerat, sed omnino neglectum, & fere in solitudinem tunc redactum, ei excolendum ac restituendum commisit, suadente Dunstano, qui ejus virtutes ac merita probe noverat. Nec provinciam hanc, etsi parum gratam, recusavit Ethelwoldus. venit ad locum sibi commissum, eumque istuc secuti sunt e Glastonia, aliisque monasteriis nonnulli monachi, qui ejus in instaurando monasterio adjutores fuere, dum rex ac regina necessaria subsidia & possessiones abunde subministrabant. Sic brevi crevit monachorum numerus, crevit quoque pro portione monasterii substantia. adeo ut cœnobium istud, quod omnium antea pauperrimum erat, præ ceteris rerum omnium copia exuberaret. Verum, ut regularis disciplinæ normam ad amussim ibidem institueret piissimus abbas, Osgarum monachum, qui ipsum e Glastonia secutus fuerat, trans mare direxit ad Floriacense sancti Benedicti monasterium, ut regularis observantiæ mores illic disceret, indeque reversus, domi verbo & exemplo fratribus ostenderet. Quin etiam viros monasticæ disciplinæ exquisite callentes e Corbeiensi Galliæ cœnobio vir sanctus accersivisse dicitur apud Harpsfeldium. Hoc modo perfecta regulæ observatio Abendoniæ instituta est. cujus insigne specimen edidit inter alios quidam frater, Elfstanus nomine, vir simplex & probatæ obedientiæ: qui artificibus cibaria parare solitus, aliquando jussus ex olla fervente carnis frustum tollere, illud absque ulla læsione extraxit. quod abbas nemini viventi indicare voluit. Idem vero monachus postmodum ad Wiltunensem promotus episcopatum, beato fine in Domino quievisse traditur. Abendoniæ monasterium celebrat Willelmus Malmesburiæ [b] monachus, aitque illud a Cissa Inæ occidentalium Saxonum regis patre fundatum, Ælfredi regis tempore a Danis ædificia loci complanata, regemque ipsum, pravorum præventum consiliis, terras ejus loci in suos suorumque usus redegisse. *At vero rex Edredus*, inquit, *Ælfredi nepos, loci miseratus solitudinem, simulque avi animæ consulens, cuncta restituit ablata per manum Ethelwoldi, quem ibi abbatem posuerat; tantumque amoris assumsit in ecclesiam, ut per se loca ædificiorum metaretur, & fundamenta jactaret, meditans inibi celeberrima famæ monasterium construere: fecissetque voluntati satis, si non eum fata de medio propere repulissent. Institit tamen Ethelwoldus cœptis. Sed antequam summam manum rebus imponeret, ad episcopatum Wintoniæ ab Edgaro prædicandæ memoriæ rege raptus est. Complevit magistri molimina Ordgarus, ab eo in abbatia substitutus, ditatusque est locus, & immane quantum exaltatus, successoribus semper aliquid recens molientibus, quo antecessoribus non impares æstimarentur.* Is est Osgarus, quem a Dunstano Floriacum missum fuisse mox dicebamus.

Osgarum monachum mittit Floriacum.

[b] *Willelm. l. 2. de pontif. c. 4.*

XCVI.
Mathildis regina a filiis vexata.

Dum Mathildis regina, Ottonis mater, in Quindeliburgensi parthenone piis exer-

ANN. CHR. 946.

citiis ſe totam daret, & ſuavem quocumque ſpargeret virtutum odorem; agente dæmonum invidia, filiorum ſuorum Ottonis atque Heinrici calumnias perpeſſa eſt, quippe apud eos inſimulata, quod innumerabiles regiorum cenſuum pecunias profunderet, repoſcebantur a rege quæ in pauperum uſus erogaverat, mittebanturque exploratores, qui eleemoſynarum ejus miniſtros ſpoliarent, ac contumeliis afficerent: nt ſic ipſa compelleretur dotales regiones relinquere, & ſacro velamine ſe conſecrare. Tuliſſet vero minus moleſte has injurias, ſi Heinricus, quem unice amaverat, hac in re cum fratre non concordaſſet. Hos ut vidit placari non poſſe, ſed in dies fieri acerbiores; relictis omnibus, quæ Heinricus rex quondam in dotem ipſi dederat, Angriam * ſeceſſit, ſitam in Ravenſpergenſi Weſtfaliæ comitatu, ubi poſtea monaſterium exſtruxit, parcens filiis, & non minus, quam conſueverat, bona opera exercens. Regi ex boc ſupervenêre Dei flagella, converſis victoriarum triumphis, aliiſque rebus ſecundis: Heinricum vero gravis morbus invaſit. Tum Editha regina ſacerdotum & principum hortatu regem ad pænitentiam adduxit, qui revocata parente, delictorum ab ea veniam petiit, eique ablatos reſtituit honores. Similis fuit Heinrici pænitudo, quem pia mater non minori, quam antea, amore complexa eſt. Hæc in chronico Saxonico referuntur ad hunc annum, quo Editham reginam obiiſſe Frodoardus auctor eſt: tametſi plerique Germanici ſcriptores ejus obitum in annum ſequentem differunt. Witichindus [a] addit, Ottonem poſt mortem reginæ primum litteras, quas antea neſciebat, ita didiciſſe, ut facile quoſque libros legeret, ac intelligeret. Haud ſcio an Ratherio uſus eſt magiſtro, quem Brunoni fratri ſuo præceptorem jam dederat.

* *Enguerben.*

a *Geſta Sax. lib. 3. p. 24. & annal. li. 2.*

XCVII. Rachildis recluſæ obitus.

Hepidannus monachus tradit, Rachildem incluſam ad ſanctum Gallum hoc anno defunctam fuiſſe, cujus recluſionem [b] ante annos ſex & viginti retulit. Ejus epitapbium habemus ex veteri codice ſancti Galli, in quo legitur, dæmonem anno nongenteſimo decimo-ſeptimo a Domino petiiſſe, ut, Jobi inſtar, ſacram virginem eruciaret. Nec mora, accepta cælitus poteſtate, eam a planta ad verticem horrendo ulcere cruentatam fuiſſe; ſed, quod minus voce poterat, Deum ſemper corde memoraſſe, nec id impedimento fuiſſe, quo minus ſe vivam in illum ſpecum recluderet: ubi Wiboradæ martyris, qui eam illic præceſſerat, exemplo & monitis inſtructa, conſimilem palmam meruerit.

b *lib. 42. n. 40.*

Quæ datur in nonis decimi ſibi parta kalendis.
His animam cælo, oſſa dat hic tumulo.

XCVIII. S. Hunegundis tranſlatio.

Prope Auguſtam-Viromandorum exſtat etiam nune Humolarienſe monaſterium, olim virginum, nunc virorum, quod ſancta Hunegundis virgo ſæculo ſeptimo illuſtravit, & ſepultura ſua nobilitavit. Hujus monaſterii baſilicam ſæculo decimo inſtauraſſe dicitur Eilbertus comes, eujus paullo ante meminimus, cum de Walciodorenſi aſceterio ageremus. Præerat hoe tempore Humolariis Berta abbatiſſa, quæ poſt mariti obitum Remis *ſub beatiſſima Dei genitricis tutela ſuſcepto velamine* Deo conſecrata, dein ad regendum Humolarienſe monaſterium accerſita eſt, ut ſanctimonialium illic degentium mores emendaret. His cum ſubinde ſanctæ Hunegundis exemplum imitandum proponeret pia antiſtita, illæ, quibus hæc monita haud grata erant, *de ejus ſacri corporis abſentia quadam auſa ſunt commentari figmenta.* quæ ne efficacius refelleret, ſacræ virginis corpus, incerto loco reconditum, perveſtigare cœpit. Eo poſt multas preces ac vigilias reperto, a Giſone preſbytero, qui ſanctorum Quintini & Victorici pignorum cuſtos erat, admonetur, non prius e terra levandum, quam diœceſani epiſcopi (is Tranſmarus erat) facoltas conceſſa eſſet. Hanc vero commiſit epiſcopus Rodulfo Noviomenſis eccleſiæ tum archidiacono, poſtea ejuſdem eccleſiæ epiſcopo, qui, adjunctis ſibi e congregatione ſancti Quintini Giſone & Rotberto presbyteris, id hoc anno exſecutus eſt VII. idus Novembris. Multa in hac tranſlatione miracnla facta eſſe aſſerit, qui ejus biſtoriam in litteras retulit, Bernerus abbas monachorum, qui poſt biennium iſtuc in locum puellarum male viventium inducti ſunt. Idem teſtatur Tranſmarus ipſe, *ſanctæ eccleſiæ Vermandenſis ac Noviomenſis epiſcopus*, in litteris, quibus anno ſequente, rogatu domnæ Bertæ Humolarienſis abbatiſſæ, altare ſancti Stephani parœcialis apud Humolarias eccleſiæ, ſanctæ Mariæ & ſanctæ Hunegundi ad uſus congregationis

ANN CHR. 946.

ibidem Deo militantis concedit, ea conditione, ut quolibet anno *duos solidos de narsorum persolvat propter honorem cathedra episcopalis* ; & ut *defuncta persona, ante episcopum adducatur altera, cui idem episcopus altare prascriptum*, id est parœciæ curam, *sine pecunia donet, & curam animarum commendet.* Id vero ab se libenter factum dicit, *quia corpus sancta Hunegundis, tam venerabilis virginis*, eo ipso anno nondum revoluto, *coruscantibus miraculis de terra levatum est. Actum Lauduno-clavato, anno dominica incarnationis* DCCCC XLVII. IV. *idus Aprilis, indictione* V. *regnante Ludovico rege anno* XIII. legendum *anno* XII. Subscribunt Luduvicus rex, Gerberga regina, Lotharius eorum filius, Hugo dux, Heribertus comes, Arnulfus marchisus seu comes Flandriæ, Artoldus Remensis archiepiscopus, Rodulfus Laudunensis, Transmarus Noviomensis, Abbo Suessionensis, Stephanus Morinorum, Geraldus Ambianensis, Ingrannus Cameracensis, Gildricus Meldensis, & Evagrius Triectensis seu Trajectensis episcopi, Hincmarus abbas sancti Remigii, & quidam milites, quorum nomina exhibet charta a nobis relata [a] in Sæculo quinto Benedictino. Ex his quidam episcopi serius subscripserunt, ut Ingrannus seu Ingelramnus Cameracensis, qui non nisi post annos decem ex-monacho Corbeiensi ad illam sedem assumtus est. Idem dicendum de Trajectensi episcopo Evagrio seu Euracro. Hanc enim ecclesiam Ogo seu Hugo tunc administrabat.

[a] Sæc. 5. Bened. p. 213.

XCIX. Cadroë Walciodori abbas.

Malcalano abbate, ut diximus, ad sancti Michaëlis regendum monasterium regresso, Cadroë Walciodorensis præfecturam, Ottone jubente, subire coactus est. Exstat Ottonis regis [b] præceptum, quod venerabiles episcopi, Fredericus Maguntinensis & Hugo Leodicensis postulaverunt, rogantes, ut cuidam nobili viro, Eilberto nomine, « assensum ac facultatem præberet ædificandi ac dotandi ex rebus « suis monasterii in honorem sanctæ Mariæ virginis, in loco, qui dicitur Walcio- « dorus, *ubi jam dictus vir & uxor sua Heresindis susceperant quosdam Dei servos, peregrinationis gratia a Scotia venientes, & sub regula sancti Benedicti vivere cupientes.* quod Otto litteris suis confirmavit. *Actum xiij. kal. Octobris*, anno incarnationis Domini DCCCC XLVI. indictione I. anno Ottonis XI. Actum *juxta civitatem Remis dictam.* Cadroë abbate, ejus loci fama religionis longe lateque diffusa, multos *ad agonem sancta regula* accivit. In his vir quidam nobilis, Girerus nomine, eo confugiens, militiæ sæcularis deposito cingulo, monachum professus est. Dum vero ille in coquinæ officio, ut moris est, vices suas expleret, cultro manum incaute gravi vulnere sauciavit. Mox ad patris vestigia provolutus, ubi manum cruentam ostendit, signo crucis edito repente sanatur. Iverat aliquando vir sanctus ad Bucceleium virginum cœnobium, ubi quædam soror a dæmone atrociter exagitabatur. Adducta in ejus præsentiam, mox infesto hospite liberata est. Ex his aliisque factis celebre factum est Cadroæ nomen, pervenitque ad notitiam Adalberonis Mettensis episcopi, qui eum sancti Felicis monasterio præficiendum curavit.

[b] Miræi not. p. 99.

C. Guibertus apud Ottonem male audit.

Nonminor erat fama Gemmelacensis seu Gemblacensis monasterii, quod a Guiberto ante aliquot annos conditum erat. Hac boni odoris suavitate jam tota fragrabat ecclesia, & ad Ottonis aulam penetraverat: ubi cunctis palatinis in ore erat nobilissimi viri Guiberti ad Deum conversatio, cujus exemplo multi sæculo vale dicentes, sanctæ religionis propositum arripiebant. Ringebat interim dæmon, totque victimas sibi ereptas dolebat. Hinc quorumdam aulicorum excitavit invidiam, qui obliquo hæc oculo intuebantur. Guibertum contra rem publicam egisse dictitant, qui *Gemmelaus regalem fiscum*, majoribus suis munificentia imperiali loco beneficii attributum, in partem proprietatis suæ usurpavisset, & injussu regis, fundato illic cœnobio, in sortem ecclesiastici juris injuste transfudisset. Ilico ad caussam dicendam citatus Guibertus adfuit, & ad pedes Ottonis provolutus rogat, ut ne servos Dei exagitet, quin potius gaudendum esse regiæ majestati, quod temporibus suis ostium misericordiæ suæ divina bonitas talibus viris, qui pro ipso staruque regni exorent, aperire voluerit. posse regem de alieno opere laudem ac profectum mereri, si ab aliis constructa & Deo dicata loca sua regali auctoritate velit tueri. sic omnibus probatum iri, plus apud eum valere veritatem & æquitatem, quam adulantium fraudes. His monitis rex aurem advertit gratanter, regalique sancivit edicto, ut rata & inconvulsa permaneret nova Gemmelacensis cœnobii « domus, & quidquid illi a Guiberto, aliisve fidelibus concessum fuerat. Insuper « data est ei potestas abbatem & advocatum eligendi, castellum construendi, cum «

ANN. CHR. 946.

jure mercati & percutiendæ monetæ , & omnimoda immunitate. Actum Leodii XII. kalendas Octobris, anno dominicæ incarnationis DCCCC XLVI. indictione IV. regni Ottonis anno undecimo, cathedram Tungrensis ecclesiæ regente Ogone: cui præcepto postea Benedicti papæ VII. confirmatio accessit. Idem Otto advocatiam ipsius monasterii vice sua commisit Lamberto [a] comiti Lovaniensi, viro forti & bellicoso; statuitque ut unum tantum haberet subadvocatum, qui nihil juris in villas monasterii haberet, nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, & unum avenæ sextarium.

[a] Spicil. to. 6. p. 512.

C I. Ludovici præcepta pro Cluniaco.

Ludovicus rex anno regni sui undecimo, qui præsenti anno respondet, tria præcepta Cluniacensibus concessit: unum de ecclesia sancti Johannis in suburbio Matisconensi: alterum de Tusiaco villa pagi Lugdunensis super Ararim: tertium de Caroli-loci monasterio, cella Regniaco, & ecclesia sancti Martini, sitis in pago Matisconensi. Paullo post Sobo quidam, qui Carolilocensem abbatiam invaserat, facti pænitens, eam Aymardo Cluniacensi abbati restituit, præfatus, ipsum locum fuisse *ex hereditate Rodberti quondam Valentiæ episcopi, qui construxerat inibi monasterium, idque in honore beatorum martyrum Stephani, Felicis, Fortunati, & Achillei sollemniter dedicare curaverat*, atque Romanæ ecclesiæ tradiderat. quod postmodum *domnus Oddo, cujus memoria cum laudibus agitur, Hugone rege ordinante*, a Leone papa VII. obtinuerat, quod ratum habuerat Ludovicus rex, cujus tempore Sobo hanc abbatiam Aymardo restituit.

ANN. CHR. 947.

C II. Virdunensis synodus.

INter continua regis ac principum discidia, quæ ab Heriberti comitis filiis ac propinquis maxime ob Remensem episcopatum fovebantur, synodus Virduni habita est, cui Hugo episcopus adesse recusavit. Præsedit huic synodo Rotbertus Trevirensis præsul, præsentibus Artaldo Remensi, Odolrico Aquensi, Adelberone Mettensi, Goslino Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi seu Mimigardewordensi, Mirnegardo Werdensi, & Israële Brittone; præsente etiam Brunone abbate fratre regis Ottonis, Agenoldo quoque Gorziensi & Odilone Stabulacensi, aliisque abbatibus. Universa denique synodus Artaldi restitutionem confirmavit, eique Remensem episcopatum adjudicavit, alia tamen synodo in proximas idus Januarii indicta, quæ *in ecclesia sancti Petri ante prospectum castri Mosomi* celebrata est ab eodem Rotberto archiepiscopo, ejusque suffraganeis, & quibusdam episcopis diœceseos Remensis. Sita erat hæc sancti Petri ecclesia in declivi montis Mosomo incumbentis, nunc penitus cum adjunctis domibus destructa.

C III. Widoni abbati Sithiensi suffectus Womarus.

In Sithiensi sancti Bertini monasterio Wido, Gerardi Broniensis abbatis nepos, & ab eo sancti Bertini [b] abbas institutus, brevi præfectura ob ineptam administrationem dejectus est. Rem narrat Folcuinus, ejus loci monachus, ad hunc annum in hæc verba. *Anno* DCCCC XLVII. *abbas Wido, quia nimis vana juventutis gaudia sectabatur, apud comitem incusatus, abbatia est fraudatus, & sancti Bavonis monasterio abbas est destinatus. Womarus autem regimen monasticum sub regulari regebat districtione. quo tempore ego ipse has scribens Folcwinus, a patre Folcwino supra jam memorato, & matre Thiedala de regno HLothario dicto huc adductus, anno incarnationis felicissimæ Domini nostri Jesu Christi* DCCCC XLVIII. *die festivitatis elevationis sancti Bertini, quæ successit omnium sanctorum festivitati, sancto Bertino oblatus, monachus pro dolor! fasie tenus sum effectus.* Hic est Folcuinus monachus, qui chartas Sithienses in unum codicem redegit, brevibus annalibus interfertis, ab Hieronymo Caroli Martelli filio ducens originem, ut sequens series ostendit.

[b] Supra n. 71.

Folcuinus illic monachus.

Hieronymus — Ercensendis aliis Ermentrudis

S. Folcuinus episcopus Morinorum — Odwinus, Fulradus abbas S. Quintini.

Folcuinus II. Regenvalla. Thiedala uxor

Folcuinus monachus Sithiensis.

Apud Turonos sancti Lupi abbatia basilicæ sancti Martini vicina erat. Hanc abbatiam Theotolo archiepiscopus regendam commisit cuidam sanctimoniali, Hildegardi nomine, quæ ipsum archiepiscopum rogavit, ut aliquid de terra ejusdem abbatiæ in censum dare sibi liceret. quod ille ipsi concedit, dataque est hæc terra sub annuo censu septem denariorum, qui solvendi erant ad festivitatem sancti Lupi IV. kalendas Augusti, ut legimus in authentico, cui Theotolo pro suo more characteribus græcis subscribit, & post eum Hildegardis abbatissa. *Data mense Augusto in civitate Turonus, anno XII. regnante HLudovico rege.* ANN. CHR. 947. CIV. Hildegardis abbatissa S. Lupi Turonis.

Jam ipso anno Bosoni [a] Bellilocensi apud Lemovices abbati successerat Bernardus abbas, ut fidem facit charta donationis, quam Gaufredus quidam & Alcuinus fecerunt *sacrosanctæ basilicæ sancti Petri Bellilocensis monasterii*, cui vir venerabilis Bernardus abbas præerat. qui donatores eidem monasterio mansum unum contulerunt apud Ferrarias, *in orbe Lemovicino*, in vicaria Altilliacensi, *ad sacrificium sacrandum; & ad luminaria concinnanda ante altare sancti Petri*, ea lege, ut id *ad sacrarium* in perpetuum remaneat. Facta hæc donatio *in mense Maio, anno XII. regnante Ludovico.* Bernardo successit Guerno abbas, de quo inferius. CV. Bernardus abbas Belliloci.

[a] Supra lib. 42. n. 94.

Sub idem tempus Willelmus comes Ecolismensis, cognomento Sector-ferri, & Bernardus ejus consanguineus, monasticum ordinem in cœnobio sancti Eparchii, ubi a Normannorum tempore iterum defecerat, denuo restituerunt, testante Ademaro [b] Cabanensi, ejusdem loci cœnobita, præposito illuc Mainardo abbate, qui in fronte basilicæ sancti Eparchii elegans oratorium titulo sanctæ resurrectionis exstruxit: ubi multa reliquiarum pignera, quæ Jerosolymis asportaverat, reposuit. Tunc Willelmus comes multas ecclesias & villas eidem monasterio contulit, facto testamento seu instrumento, cui Bernardus comes & Arnaldus ejusdem Bernardi filius, necnon Arnaldus & Ademarus ejusdem Willelmi ex concubina filii, aliique subscripserunt. Arnaldus iste [c] pro Dei amore habitaculum monachurum Buxiaci in honore sancti Amantii fecisse dicitur, ibique Franconem abbatem præfecisse, & monachus factus apud sanctum Eparchium juxta patrem suum sepultus fuisse, Willelmo filio suo successore relicto. CVI. Monachi apud S. Eparchium restituti.

[b] Labbe to. 2. p. 165.

[c] ibid. p. 253.

In Italia Gerlo, Nonantulæ abbas prudentissimus, vita functus est VIII. kalendas Septembris. In ejus locum subrogatus Gotefredus, filius Hugonis regis, abbas sæcularis. Ab hoc tempore præpositi locum abbatis tenere cœperunt; & sic locus paullatim dilabi, donec totum flammis combustum est anno M XIII. & abbatia Eriberto Mediolanensi archiepiscopo subjecta. Demum transiit ad Cistercienses, quorum duo vel tres sub abbate commendatario vix habent, quo utcumque sustententur. CVII. Nonantulæ status.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER QUADRAGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 948. ad annum 957.

ANN. CHR. 948. I. Ingelheimii synodus.

POST synodum Mosomensem ineunte anno ejus sæculi quadragesimo-octavo habitam, altera generalis VII. idus Junii insequentis Ingelheimii prope Moguntiam celebrata est in ecclesia beati Remigii, præsidente Marino sedis apostolicæ vicario, præsentibus Ottone & Ludovico regibus: cui synodo Germaniæ præsules cum quibusdam Galliarum episcopis interfuerunt. Convocandæ synodi causa eadem, quæ superiorum fuit, scilicet discidia inter regem Ludovicum & Hugonem principem, inter Artaldum quoque & Hugonem Heriberti filium, qui de Remensi episcopatu decertare perseverabant. Ludovicus rex ipse causam suam in synodo peroravit, graviter conquestus de Hugone principe, qui cum ipsum ad suscipiendum regnum e transmarinis partibus revocasset, mox dolis appetitum, ac comprehensum, per annum integrum in custodia detinuisset, nec ante relaxavisset, quam Laudunum castrum ei cederetur. Id vero nullis suis noxis sibi accersivisse aiebat Ludovicus, quod *singulari certamine* probare paratus esset. Dein Artaldus causam suam dixit, eique denuo Remensis archiepiscopatus assertus est, excommunicatusque Hugo ejus æmulus, qui falsas episcoporum litteras ad Romanum pontificem protulerat. Interfuit huic synodo Farabertus Tungrensis episcopus, qui Ogoni seu Hugoni recens successerat, antea Prumiensis abbas. His episcopis subjecta erat Laubiensis abbatia; in qua sub Faraberto, ut pridem sub Richario, qui & ipse Prumiensis abbas fuerat, omnia fuisse venalia tradit [a] Fulcuinus: adeo ut is locus a parasitis *Argentea-vallis* diceretur. *Tunc corona illa regalis aurea*, inquit ille, *hactenus deplorata, miri operis & non minimi pretii, confracta & pro libitu dilapidata; gemmæ ejus mirifica pessum data, & ab oculis subducta sunt.* Idem Farabertus *monasterium Eche* [b] *vocatum*, quod virginum erat, *super fluvium Votra constructum, situm in pago Hasbee, in comitatu Rodulfi*, Leodicensi ecclesiæ ab Ottone rege attribui curavit, cujus rei præceptum anno insequenti datum est, uti indictio VII. probat, non anno DCCCC XLIV. ut in editis legitur. quo anno Farabertus nondum episcopus erat. Aderat quoque prædictæ synodo Frodoardus, qui in reditu Treviris cum Rotberto archiepiscopo, dum Otto copias ad

Farabertus episcopus Tungrensis, Laubiis infestus.

[a] Spicil. to. 6. p. 565.

[b] Gesta episc. Leod. to. 1. p. 171.

ANN. CHR. 948.

ad reducendum Ludovicum pararet, hebdomadas fere quatuor mansit. unde nata est illa familiaritas, quæ id effecit, ut Frodoardus libros carminum eidem Rotberto nuncuparet. Idem historiam Remensem hoc anno definivit. at chronicon produxit ad annum DCCCC LXVI. quo is decessit. Is regi Ludovico natum ait hoc anno filium, *quem præsul Artoldus de sacro fonte suscepit*, patrisque nomen ei imposuit. ubi *de sacro fonte suscipere* perinde est apud illorum temporum scriptores, ac baptizare.

II. S. Apri bona aucta & confirmata.

Non satis fuit piissimo Tullensi episcopo Gauzlino seu Goslino monachos sancti Apri monasterio restituisse, nisi eis etiam necessaria subsidia provideret. Quapropter cum de statu ejus loci diligenter inquireret, intellexit, sub venerabili Archembaldo abbate, quem eidem loco præposuerat, ita gregem monachorum crescere in dies, ut eis substantia monasterii non sufficeret. Quam ob rem communi fidelium suorum, tam clericorum quam laïcorum, consensu adjunxit *prebendæ monachorum* ecclesiam in villa Columbario * sitam, ab eodem cœnobio abstractam, quam Wido quidam & frater ejus Nitzo in beneficium habuerant. *Acta Tullo xi. kal. Januarii, regnante Ottone rege, ordinationis anno nostræ xviiij.* Subscribunt cum eo Odelricus archiepiscopus, haud dubie Aquensis, qui a Sarracenis fugatus, in illis tum partibus degebat; aliique, tum canonici ac clerici, tum laïci. Eodem Goslino flagitante, rex Otto bona omnia ejusdem monasterii confirmavit regali præcepto, in quo singillatim universas possessiones commemorat, in his prædictam Columbarii ecclesiam, & alodum, qui vocatur Nancionis-curtis, *quam abbas Odalricus & mater ejus Eva eidem loco contulerant*: necnon *ecclesiam sancti Mansueti, quæ sita est in suburbio ejusdem civitatis, a præfato venerabili episcopo ea ratione eidem loco collatam, ut ex eisdem monachis aliqui Deo & sancto Mansueto deserviant.* quæ ecclesia non multo post in abbatiam erecta est. *Data iij. nonas Augusti, anno incarnationis Domini* DCCCC XLVIII. *indictione vj. regnante Ottone rege anno xj.* Actum Tuzzihha quod præceptum Brun cancellarius ad vicem Fridurici archicapellani recognovit.

* Columbey.

Berhardus abbas S. Martini Mettensis.

Mettensi sancti Martini monasterio tunc præerat Berhardus abbas, ut patet ex litteris commutationis, quam ille hoc tempore fecit cum Raimbaldo comite & conjuge ejus Gertrude. His litteris Berhardus abbas & fratres prædicti monasterii Raimbaldo & Gertrudi ejus uxori dedisse dicuntur in Rainaldi-villa comitatus Solocensis, assensu Ottonis imperatoris & ducis Friderici, qui eidem monasterio dominari videbatur, ecclesiam & capellam unam cum omni dote sua, necnon mansum indominicatum & XXIV. mansos ad eum pertinentes. quod totum Rainardus comes olim sancto Martino donaverat. Raimbaldus vero & Gertrudis prædictis Berhardo abbati & fratribus ejus vicissim contulere in pago Moslensi apud Ottringas ecclesiam cum omni jure suo, & duodecim mansos ad eum pertinentes. *Actum publice apud Aquas sub die vj. kal. Martii, anno iv. regni domni Ottonis gloriosi regis feliciter.* His litteris apposita sunt cum signo crucis primo signa Berhardi abbatis, Aimardi præpositi & presbyteri, tum tredecim presbyterorum, diaconorum quinque, quatuor subdiaconorum, & aliorum quinque absque titulis. Hos subsequuntur signa Raimbaldi comitis & Gertrudis ejus conjugis; tum Friderici ducis; dein Sigifridi, Theodorici, Odoari, Hugonis, Richardi, Thietberti, Rainardi, & Riemarti comitum, aliorumque absque ullis titulis dignitatum. Postremo apponitur signum Ottonis regis cum ejus monogrammate. Litteras porro Brun cancellarius ad vicem Adberti recognovit. *Data vj. kal. Martii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC XLVI. *indictione vj.* quæ anno sequenti conveniebat. adeoque annus incarnationis DCCCC XLVI. veteri more appositus est. Verum hic annus non convenit cum anno quarto regis Ottonis superius notato, qui cum anno DCCCC XXXIX. concurrebat. Itaque dicendum est, hoc anno factam fuisse prædictam commutationem, quæ ab Ottone rege nonnisi post annos octo confirmata est.

III. Humolarias introducuntur monachi.

Actum est sub finem superioris libri de Humolariensibus sanctimonialibus, quas Berta abbatissa ad meliorem frugem reducere tentaverat. Verum cum illæ a solutiori vita pedem referre nollent, Adalbertus Viromandorum comes, in cujus ditione hoc monasterium situm erat, *una cum nobili viro Eilberto & conjuge sua Hersende*, qui hunc locum instaurandum emendandumque ab eodem comite acceperant, apud Ludovicum regem satis egit, ut *sanctimonialibus inibi non satis honeste*

ANN. CHR. 948.

viventibus, & regulari districtione subjici nolentibus, inde remotis substituerentur monachi, qui obedirent regulæ & abbati. Ejus rei causa idem *Eilbertus prædictam abbatiam domino suo comiti, videlicet Adalberto, reddidit; isdem vero comes regiæ ditioni eamdem obtulit, quo absque ulla omnino diminutione, & sine aliqua alicubi subjectione abbati regulari concessa, inviolabilis in perpetuum permaneret.* quod quidem rex ita fieri sancivit, favente conjuge sua Gerberga, una cum venerabili archiepiscopo Artaldo, episcopis Widone Suessionensi & Gibuino Catalaunensi, qui hoc anno Bovoni successerat; atque *clarissimo abbate Hincmaro* sancti Remigii, & monachis ejusdem congregationis, ex qua nova colonia Humolarias deducta est sub Bernerio primo ejus loci abbate. *Actum Remis civitate in monasterio sancti Remigii kalendis Octobris, indictione vj. anno xiv.* (lege XIII.) *regnante Ludovico rege glorioso, anno incarnationis Domini* DCCCC XLVIII. ubi forte annus incarnationis additus est explicandi causa. Integrum diploma a nobis editum est in fine vitæ sanctæ Hunegundis, cum bulla Johannis papæ XII. quæ Bernerio abbati inscripta est. Plura de Eilberto & conjuge ejus Hersende superius [a] diximus. Exstant apud Hemeræum [b] quædam chartæ donationum ac permutationum pro Humolariensibus, quarum una est Lotharii regis, confirmantis donationem eis factam ab Arnulfo Flandriæ comite, *de mansionili, qui dicitur Gaziacus, sito in pago Vermandensi:* duæ sequentes sunt Alberti comitis & sancti Quintini abbatis, quibus comprobat quasdam permutationes a Bernero abbate factas annis DCCCC LIV. & DCCCC LIX. Quarta denique est canonicorum sancti Quintini, ad quos *frater Bernardus, cœnobitarum sanctæ Humolariensis ecclesiæ præpositus, jussu abbatis Berneri* accessisse dicitur, & tres mansos in villa Saviniaco impetrasse anno sequenti DCCCC LX.

a Lib. 44. n. 68. & 69.
b Hemer. p. 30. ...

IV. Donati & Donatæ Cluniaci.

In Cluniacensi monasterio sub Aymardo abbate Aquinus quidam, vir nobilis, ipsiusque uxor Doda, consentientibus filiis suis, *per renuntiationem sæculi & habitus commutationem*, se suaque Deo tradunt, scilicet res suas in villis Maceriis & Neronda, sitas super fluvium Graonam, probante Gisleberto comite, seniore suo. His litteris subscribunt Letbaldus comes, Rotbertus vicecomes, Gildeboldus episcopus, Rodulfus comes cum multis canonicis, & quidem anno XIII. Ludovici regis. Hæc mihi videtur esse origo Donatorum, ut vocant, & Donatarum in monasteriis nostris, qui, suscepto religioso habitu, non tamen monastico, se suaque Deo offerebant, in perpetuum ibidem servituros. De his in consequentibus fusius agendum. Eodem anno mortuus est Rotbertus vicecomes, cujus uxor Eldegardis [b] quasdam res suas confert cellæ Celsinianensi, *ubi Aymardus, humillimus abbas, rector præesse videtur, custodemque loci illius & provisorem subtus se fratrem Raginbertum constituere voluit. Actum anno xiij. regnante Ludovico rege Francorum seu Aquitanorum.* Ipso tempore Aymardus abbas coadjutorem in Cluniacensi præfectura sanctum Mayolum eligendum curavit. quod antequam explicare incipio, de Mayoli vitæ primordiis quædam præmittenda sunt.

b Diplom. p. 570.

V. Mayoli patria & parentes.

Mayolus ex *Avennicorum opido* seu Avenione, *claris ortus natalibus & splendidissimis parentibus* procreatus dicitur a Syro ejus vitæ primo scriptore. unde *Provincialis genere* ab eodem vocatur, & *nobilium Gallorum clarus generositate*. Et tamen recentiores Valentiolæ natum volunt. Nec plura Syrus, aliive ejus vitæ scriptores de ejus parentibus, quorum ne nomina quidem retexerunt: quasi ex amplissimis eorum titulis nobis satis comperta esse debuissent. Unus ex antiquis sanctus Odilo sub finem elogii sancti Mayoli, quasi fortuito, ejus patrem Folcherium nominat, eumque *militem* vocat in hæc verba. *Fuit eodem tempore quidam miles in illis partibus, nomine Folcherius, in armis strenuus, jure hereditario, ceterisque bonis & divitiis ditissimus, &, ut de nobilissima ejus prole* Mayolo *diximus, ex utroque parente gemina nobilitate coruscus; vir magni consilii, prudentiæ sagacisque ingenii, pater videlicet istius sanctissimi patris nostri, de quo loquimur, Mayoli.* Verum etsi hanc Odiloni gratiam non haberemus, integrum nobis Fulcherii nomen servassent Cluniacenses tabulæ, in quibus non semel Fulcherius memoratur, necnon amplissimæ donationes ab eo factæ, in comitatibus Aquensi, Atensi seu Aptensi, Secustironensi, & Regensi, in quo *Valentiolam* donat *cum ecclesia sancti Maximi*, multasque alias ecclesias, uti eas possidere laïcis tunc familiare erat. Has vero donationes prius fecit Fulcherius, quam Mayolus ejus filius Cluniacum se reciperet, qui istuc nonnisi mortuis parentibus accessit. Hinc refutatur Honorati Bouchei opi-

ANN. CHR. 948.

Valentiola ab ejus patre data Cluniaco.

nio, censentis Valentiolam a comitibus Provinciæ Cluniaco datam fuisse. Certe in chartario sancti Mayoli (nam suum quisque chartarium habent primi Clunia-censes abbates) legitur in charta sexta Willelmi, data regnante Conrado rege, Willelmum ipsum donasse Cluniensi monasterio & Mayolo abbati ex rebus, quas ipse Mayolus abbas & Clunienses ei ad vitam dederant, villam Valentiolam: in qua postea Almeradus Regensis episcopus Odiloni abbati remittit quædam annua " debita, quæ Valentiola episcopo pendere solebat. Nunc eo loci decanatus est mo- " nasterii Cluniacensis. Non solum Mayoli parentem discimus ex tabulario Clunia-censi, sed etiam nomina ejus avi ac fratris: quorum alterum itidem Fulcherium, alterum Cyricum dictum fuisse intelligimus ex quadam chartarii sancti Mayoli præstaria, Arnulfo Atensi episcopo ab eo facta de quibusdam rebus cœnobii Cluniacensis, sitis in pago Atensi seu Aptensi: quas inter recenset quemdam alodum in villa, quæ dicitur Vallis, *quem avus*, inquit, *meus Fulcherius comparavit de Bernardo.* tum subdit, *ista* omnia sibi & fratri suo Cyrico ex successione parentum suorum provenisse. *Actum apud sanctum Saturninum, anno vigesimo-tertio regnante Conrado rege.* Hoc mihi meditanti suspicio occurrit, num Fulcherius Mayoli avus fuerit ille *Folcratus dux Arelatensium*, quem Lotharius augustus cum aliis comitibus rebellare molientem in deditionem accepisse, sicque Provinciam ordinasse memoratur in annalibus Fuldensibus ad annum DCCC XLV.

VI. Ejus studia & dignitates in sæculo.

Postquam Mayolus integris intaminatisque moribus pueritiam in patria exegisset, *parentibus humana sorte præventis, prædisque barbarica invasione in solitudinem redactis*, natale solum deserere coactus est, ac Burgundiæ partes expetere; veniensque in urbem Matisconem, ibi susceptus est *a quodam suo propinquo, qui inter reliquos ejusdem urbis proceres nobilitatis gerebat decus.* Eo conciliante, in familiaritatem venit ejus civitatis episcopi, scilicet Bernonis, qui eum canonicorum collegio sociavit, sedulo eum monens, ut se virginem conservaret. Quænam sit illa clades, de qua hic agit Syrus, non facile est definire. Duo hostium genera Provinciam per id tempus infestarunt, Hungari & Sarraceni. Hi piratico more ex Hispania in Italiam forte delati, Fraxinetum arcem ad alpes Cotias occuparunt anno DCCC XCI. eamque per multos annos cum maximo Lombardiæ & Provinciæ detrimento tenuerunt: donec Hugo Provinciæ primum comes, dein Italiæ rex, maritimo eos ac terrestri exercitu adortus, illorum navibus græco igne consumtis, plerosque Fraxinetum relinquere, & in Montem-maurum se recipere coëgit anno DCCCC XLI. Eos obsidione cinctos Hugo in suam potestatem facile redegisset, ni Berengarium adversarium timens, ab eorum oppugnatione destitisset, fœdere cum eis ita percusso, ut pars illorum in montibus, Italiam a Suevia dirimentibus, consideret, & Berengarium ex Suevia per illos montes exercitum traducere molientem impediret. Isti eo in loco positi, quoscumque postea ad limina apostolorum visitanda illac iter facientes aut penitus spoliabant, aut inhumaniter perimebant. Eodem sæculo Hungari, ex Germania in Galliam atque Italiam sæpius effusi, utrique funestas clades intulerunt. Hi ductu Berengarii regis, quem Langobardi expulerant, anno DCCCC XXIV. Italiam depopulati, teste Frodoardo; dein abrupta alpium juga transgressi, in Galliam irruperunt. quos Rodulfus, cisalpinæ Galliæ rex, cum Hugone Viennensi, *inter angustias collium alpinarum* conclusit. sed inde inopinato evadentes, Gothiam impetiverunt, ibidem a prædictis Rodulfo & Hugone subacti. Paullo post, id est anno DCCCC XXXIII. dum Hugo rex Italiæ Romam obsidet, alpium meatus occupant Sarraceni, atque vicina quæque loca deprædantur. Tot tamque frequentes Provinciæ clades Mayolum patriam deserere, ac Matisconem ad suum propinquum perfugere coegerunt. Ibidem canonicus factus, Lugdunum ad scholas abit: ubi, Antonio præceptore, homine in philosophia erudito, *non modo doctrina, verum moribus & vita* multum profecit. E studiis Matisconem reversus, per cunctos ecclesiasticos gradus conscendens, demum promotus est ad archidiaconi officium. quo nomine subscribit anno tertio Ludovici regis chartæ Acfredi, viri *præcelsæ nobilitatis*, qui a Maimbodo episcopo Matisconensi quasdam ecclesias apud Scociacum * obtinuit. Idem Maimbodus anno ejusdem regis sexto nobili viro Achardo terram ecclesiæ suæ locat, sitam in pago Forensi: cujus rei instrumento inter alios signum apposuit *Mayolus archidiaconus* ante Adonem abbatem, qui superiori chartæ ante Mayolum subscripsit. Itaque Mayolus archidia-

Sarracenorum & Hungarorum clades.

* *Escunolles*.

cum omnibus abbatiis, locis & cellis, quovis loco vel tempoee acquisitis, oedinandum tradidisse; eumdemque tam ad oedinem secundum beatum Benedictum & instituta patrum servandum, quam ad res omnes disponendas, vinculis obedientiæ adstrinxisse, & abbatem omnes unanimiter proclamasse. quam electionem & ordinationem ipse Aymardus consultu primatum, comitis & advocati sui Leotoldi litteris sanciei peæceperit. Actum in Cluniacensi cœnobio. His litteris, quibus nulla apponitur chronica nota, subscribunt *Mainboldus sancta Matisceensis eeclesia episcopus, Childeboldus peccator, Elbadus episcopus & monachus, Rodulfus humilis abba sancti Petri Cavillonensis, Richardus humilis abba*, & post eos monachi centum ac triginta, qui ex diversis monasteriis Cluniaco subjectis istuc convenerant. Peimum instrumentum, in quo Mayolus abbas dicitur, datum est anno decimo-tertio Ludovici eegis, id est anno Christi insequenti: quo anno Leotaldus Matisconensis comes, & Richildis ejus uxor, perdonant Mayolo abbati & monachis ejus servitium, quod ipsis homines de Caviniis debebant. In multis tamen subsequentibus chartis Aymaedus abbas aliquando solus, aliquando cum eo Mayolus nominatur. Immo etiam in una, quæ est Manassæ Aeelatensis archiepiscopi, *data mense Septembri, anno xiij Ludovici regis Francorum*, solus Aymardus nominatur abbas Cluniaci, cui Manasses Juliacum villam pagi Cabilonensis, cum rebus suis ad eam pertinentibus, quas pater ipsius Warnerius possederat, liberaliter donat pro anima patris sui mox dicti, & mateis suæ Teutbergæ, featrumque suorum Hugonis, Richardi & Bosonis. Subscribunt cum eo Hayrardus Vendassensis episcopus, Berta comitissa, Warnerius abbas, aliique. Ex quo intelligitue, Aymardum non ita regimen in Mayolum rejecisse, ut ab eo penitus recesserit, sed adsciviße in coadjutorem, atque abbatis nomen retinuisse, tametsi præcipua rerum cura penes Mayolum erat.

IX. Aymardi zelus, & Mayoli modestia.

Id patet ex quodam facto, a Petro Damiani [a] relato, in quo mira Mayoli abbatis modestia elucet, simulque Aymardi zelus ad reprimendum cellerarium petulantem. quod exemplum ipsis Petri Damiani verbis referre placet. *A venerabilis plane Cluniacensis cœnobii fratribus didicisse me contigit insignia duo sancta humilitatis exempla, quorum unum non mediocriter quosque pralatos, alterum valet adificare subjectos. Aymardus certe, ejusdem rector ecclesia, Mayolum sibimet substituit, & grandava jam senectuti sua quietis otium procuravit. Hic itaque dum privatus in infirmorum maneret adicula, quadam advesperascente die caseum petiit, quem cellerarius, pluribus, ut fieri solet, intentus, non modo non dedit, sed & duris cusuper ministrum ejus responsionibus fregit. Conquestus est abbatum turbam, nec posse se tot dominorum perferre molestiam. Quo seuex audito, non mediocrt scandalum pertulit: & quia lumen oculorum prorsus amiserat, dolor in ejus corde tenacius hasit. nam quo cacus a visibus vacat, eo, quidquid audierit, in corde subtilius versat: & quia per exteriora queque non spargitur, iuteriori zeli stimulo truculentius inflammatur. Mane vero facto, ministro suo, ut se se ad manum in capitulum duceret, jussit. Adductus autem talibus abbatem aggressus est verbis. Frater, inquit, Mayole, non ego te super me, ut me persequereris, imposui; nec, ut tamquam emptor, mancipio dominareris, sed, ut re vera patri filius compatereris, elegi. Et post hujusmodi multa, propemodum commotus adjecit: Es-ne, quaso, meus monachus? quo respoudeute, Sum, tuumque me non magis fuisse, quam & nunc esse profitcor. & ille: Si meus, inquit, es monachus, protinus cede sedi, & locum, quem ante noveras, repete. Quo Mayolus audito, repente surrexit; humilem locum, prout jussus fuerat, expetivit. Aymardus itaque, quasi postliminio reversus, vacantem occupat sedem; cellerarium, cui fuerat infensus, accusat. quem mox terra prostratum durius corripit, tandemque modum panitentia, qui sibi videbatur, injungit. Perfunctus itaque tam longi tribunatus officio, prasto dethronizatus assistit. Mayolo, ut ad suam sedem redeat, pracipit: ille confestim nil cunctatus obedit.* Magnus sane in effeto sene vigoe: miea novi abbatis modestia & humilitas: sed forte non multo minus probanda cellerarii resipiscentia, qui dure objurganti non responsavit; sed prostratus culpam agnovit, subiitque pænitentiam.

[a] Petrus Dam. opusc. 33. c. 7.

X. Montis-majoris descriptio.

Prope urbem Arelate exstat sancti Petri monasterium, Montis-majoris dictum, ad discrimen aliorum montium, e subjecta insula seu paludosa planitie assurgentium, quos longitudine & amplitudine superat. Insula quoque Montis-majoeis, aliquando insula sancti Petri, monasterii patroni, appellatue, ob subjectam colluviem aquarum, quæ paetim ex inundatione fluminum Rodani & Druentiæ, par-

ANN. CHR. 948.

tim ex variis fontibus eo confluentes, in varios lacus, ingentesque paludes excreverunt. Sesqui-milliario tantum ab urbe abest monasterium, ad quod iter est per præruptam montis asperitatem, quam nonnihil flexit ac temperavit natura, montis dorso ad justum viæ conficiendum spatium inclinato. Ceterum, licet ex continenti ferè ac solida rupe mons totus constare videatur, varias tamen subinde præbet convalles, quæ fruticibus diversis atque arboribus consitæ, odoratis etiam herbis amœnissimæ sunt. In longiusculam excurrit linguam orientalis plaga, paullo liberior ac nitidior, & in extrema, qua terminatur, rupe sacellum eminet sanctæ Crucis titulo insigne: cujus fabricam, quadratis ex lapidibus constantem, hemisphæria quatuor, totidem angulis commissa, crucis io morem eleganter compoount. Circa sacellum quam plures visuntur tumuli, ad modum humani corporis in ipso excisi saxo, in quibus fabulatur vulgus conditos fuisse Caroli Magni milites, qui, conserto cum Sarracenis ad Arelate eo duce prœlin, cæsi fuere. Eadem montis pars, ubi de horrida montis reliqui remittens asperitate mollius se se demittit, commodam locando monasterio sedem dedit, cujus historiam scripsit noster Claudius Chantelovius, ex quo prædictam montis descriptionem mutuati sumus, ab eodem etiam accepturi, quæ inferius de hoc monasterio suis locis referemus.


XI. Monasterii illius origo.

Sunt qui ejus originem sancto Hilario Arelatensi episcopo tribuunt, instaurationem Childeberto seniori Francorum regi, cum ex Hispanica expeditione rediret; adduntque eversum a Sarracenis monasterium, a Carolo Magno denuo excitatum fuisse. cujus rei argumentum proferunt veterem inscriptionem, quæ id attestatur. Quin etiam Nouguerius profert antiquum, ut ipsi videtur, indicem abbatum Majoris-monasterii, ex quibus primum locom ad annum undesexcentesimum tribuit Paulo, quartum Emundo, quem Avenionensem episcopum fuisse dicit. Sed qui ejus monasterii veteres tabulas accurate perlustravit Chantelovius, prædictam inscriptionem cum Saxio rejicit, nec quidquam fide dignum de hoc monasterio invenit ante sæculum decimum, cui ejus originem consignat. Exstabat quidem a primis sæculis ibidem in devexo, præruptoque montis latere sancti Petri apostolorum principis oratorium, cui adhæret spelunca, quam beati Trophimi Arelatensium primi episcopi cellam vocant, secessu ejus, ut perhibent, identidem illustrata, dum ab apostolicis laboribus tantisper respirare cupiebat. Et hæc sane fuit prima condendi monasterii occasio, quod longe serius exstructum est. Eum in locum primo secessere quidam eremitæ, quibus alii, aliique religiosi viri se se adjunxêre, toti civitati venerabiles. Hos io primis colebat Teucinda matrona piissima, eorumque inopiam sublevabat. Atque ut ne temporaria esset ejus caritas, ejus loci fundum eis comparare, ibidemque religiosa ædificia ædificare decrevit. Pendebat hic locus ab Arelatensi ecclesia, assignatus ejus ecclesiæ præposito, qui illius proventus percipiebat. Hunc aliis prædiis commutare piæ feminæ visum est. Ejus rei causa Arelatensem adit antistitem Manassen, convenit clericos, eorumque consensum elicit. Commutationis tabulæ factæ sunt *Arelate civitate nonis Octobris, anno xij. regnante Conrado rege Alamandorum vel Provinciæ.* quibus subscribunt post Manassen *Israël Aquensis archiepiscopus, Contarus Foriulensis, Honoratus*, Warnerius & Ayrardus abbates, Adalbertus decanus, aliique canonici. Commutatione facta, Teucinda locum tribuit monachis, quibus jam Mauringus abbas præerat, scilicet insulam, *quam Monte-majore vulgus vocat, qua mihi*, inquit, *ex commutatione legalium mearum hereditatum, cum voluntate Manassis archipræsulis, & consensu canonicorum legibus obvenit: & est in comitatu Arelatense, ab urbe eadem milliario & semis, necnon & beata Mariæ Dei-genitricis, & sancto Petro apostolorum principi, quorum memoria in prædicta insula veneratur & colitur. Actum Arelate civitate publice, anno ab incarnatione Domini DCCCC LXXIV. xiij. kal. Septembris, anno xxxviij. regnante Conrado rege.* Post Teucindam subscribunt Riculfus episcopus, Willelmus comes, multique alii. Has tabulas *Archinricus levita atque indignus monachus scripsit.* Ejus loci donatio jam longe ante conditum hoc instrumentum monachis facta erat pro more illorum temporum, idque probant tum commutatio prædicta longe ante transacta in gratiam monachorum, tum aliæ donationes ab eo tempore factæ, quas inferius proferemus. Cum itaque annus Conradi regis duodecimus, qui factæ commutationis notatur, anno DCCCC XLVIII. vel insequenti conveniat, non visa est ulterius differenda monasterii constructio, cujus rudia quædam principia jam antea præcesserant.

Tunc temporis monasterio sancti Johannis castri Malasti seu Montis-olivi, in diœcesi Carcassonensi, præerat Tresmirus abbas, ut nos docet charta cujusdam Arnaldi viri nobilis, & Arcindis ejus uxoris, qui una cum filiis suis, Rodario & Odone, monasterio sancti Johannis-Baptistæ & Tresmiro abbati, ac cunctæ congregationi ipsius monasterii conferunt alodium suum proprium, situm *in suburbio Carcassensi, in termino Ausonensi*, scilicet villam sanctæ Eulaliæ cum ejus ecclesia & suis decimis: uti ipsum alodium prædicto Arnaldo provenerat ex dono Rodgarii fratris sui, *de comparatione Ugonis comitis. Facta ista charta donationis vij. idus Aprilis, anno xiij. regnante Ludovico rege.* quæ donatio hoc pacto facta est, ut Abbo clericus ipsam ecclesiam ad vitam retineret *cum suo ecclesiastico*, ita ut singulis annis in decollatione sancti Johannis-Baptistæ refectionem fratribus exhiberet. Huic instrumento subscribit *Ugo episcopus dono Dei sedis Tolosæ*, qui hoc ipso anno donationem quamdam Coxanensi monasterio [a] fecisse dicitur cum Lupone primicerio & archidiacono ecclesiæ Tolosanæ. Tresmirus abbas, mox laudatus, basilicam monasterii sui condidit, aut certe S. Michaëlis capellam, in qua lapis altaris nuper inventus hanc præfert inscriptionem in quadro positam: TRESMIRUS GRATIA DEI ABBA ÆDIFICAVIT HANC DOMUM, ET JUSSIT DEDICARE IN HONORE SANCTÆ TRINITATIS, ID EST PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. DEO GRATIAS. & in longum, AMELIUS NUTU DEI VICECOMES. cum quatuor symbolis Evangelistarum in quatuor angulis, ut melius docebit hic apposita figura lapidis, qui septem palmos longitudinis cum dimidio, quatuor latitudinis ac dimidium habet.

ANN. CHR. 948. XII. Montis-olivi monasterio alodus datur.

a Catel. Hist. Lang. p. 856.



ANN. CHR. 948.

Idem Tresmirus privilegium obtinuit ab Agapito papa, qui ejus monasterium sub apostolicæ sedis præsidio suscipit *indictione vij.* id est anno sequenti.

XIII. Concordia inter Balneolense & Rodense monasteria.

Composita, ut in superiori libro diximus, controversia, quæ inter Balneolensem & sancti Polycarpi abbatias vertebatur de subjectione Rodensis monasterii, nova orta est contentio Balneolenses inter ac Rodenses: quorum illi Rodense monasterium sibi subjectum esse asserebant: hi contra reclamabant. Tunc Balneolense monasterium regebat Acfredus abbas, Rodense Hildesindus, cujus pater, Tassius nomine, ibidem monasticum habitum induerat. Tandem inter utrasque partes communi consilio ejus regionis præsulum, comitumque convenit, ut duo illa monasteria, absque ullo unius ad alterum respectu, *præter mutuæ dilectionis obsequium*, libera & absoluta consisterent. Atque ut pax & concordia illa firmius roboraretur, Hil- » desindus Rodensis abbas, & Tassius ejus pater res proprietatis suæ Balneolensibus » cessere, ea ratione, ut quod eis a jam dicto Acfredo abbate concessum fuerat, a » se suisque successoribus inconvulse & immutabiliter servaretur. Hoc pacto inito, Acfredus abbas & Tassius monachus Ludovicum [a] regem, tunc in urbe Remorum degentem, adierunt, pactique ab eo confirmationem obtinuerunt, accepto regio diplomate, in quo Rodensis monasterii possessiones & ecclesiæ enomerantur, daturque libera facultas eligendi abbatis. *Actum Remæ civitate iij. kalendas Octobris, indictione sexta, anno scilicet decimo-tertio regnante Ludovico rege glorioso.* Rorico notarius ad vicem Gerunci archiantistitis, primique cancellarii relegit atque subnotavit.

a Marca c. 858. & seqq.

XIV. Geysekæ cœnobium conditur.

In Westfalia hoc anno Aholdus [b] comes Anholtensis, fratribus suis Brunone ac Frederico, atque sorore Witburga consentientibus, castrum suum Geysekæ in monasterium virginum ad honorem sanctissimæ virginis Mariæ, & sancti Cyriaci martyris transformavit, reditibus amplissimis dotavit, eique prædictam sororem suam Witburgam præfecit. quod rex Otto litteris suis confirmavit, quibus decernitur, » ut post mortem abbatissæ, quamdiu in eodem monasterio aliqua sanctimonialis de » ipsius Aholti progenie exstiterit, non alia eligatur; advocatus quoque loci ex ejus- » dem posteris constituatur. *Datum vij. kal. Novembris, anno* DCCCC LII. *indictione x. anno regni Ottonis regis xvj. Actum Walahausen.* Eidem parthenoni immunitatis [c] privilegium concessit Otto secundus anno DCCCC LXXXIV. Wigburga abbatissa. Huic successit Hilgundis, cui Heribertus Coloniensis archiepiscopus [d] privilegium indulsit anno M XIV. In omnibus ejus loci primariis instrumentis illic institutæ dicuntur sanctimoniales, quæ in canonicas postmodum pro more gentis degenerarunt, olim diœcesis Patherbrunnensis, nunc ex commutatione Coloniensis.

b Annal. circ. Vvest. lib. 2. p. 184.

c ibid. p. 167.

d ibid. p. 233.

Corbeiæ novæ abbates.

In chronico Saxonico noodum edito consignatur hoc anno obitus Bovonis Corbeiæ-novæ abbatis, III. idus Julii notatus in tabulis domesticis. Chronici Saxonici hæc verba sunt. *Anno* DCCCC XLVIII. *Bovo Corbeiensis abbas obiit, vir sapiens & clarus. Hujus patris avus Bovo, græcas litteras coram Conrado rege legendo, factus est clarus: & hic ejusdem nominis erat, ut natu-major, omni virtute potior. Sed & iste nepos erat Warini, qui ex milite factus est monachus, & primus apud novam Corbeiam regulariter electus est in patrem. qui Saxoniæ pretiosum intulit thesaurum, reliquias scilicet sancti martyris Viti.* Hactenus chronicon. Annales tamen Corbeienses Bovonis obitum differunt in annum sequentem. Gersmus ejus successor caput sancti Justini martyris ab Ottone rege accepisse dicitur, bibliothecam & fratrum supellectilem auxisse, & post viginti-septem annos præfecturæ XIV. kalendas Aprilis obiisse, substituto in ejus locum Liudolfo, de quo inferius agendum. Idem Gersmus Adalbertum monachum reginæ Russorum petenti misit, futurum illius gentis apostolum.

XV. Fuldensis novæ basilicæ dedicatio.

Fuldensi basilica studio Hademari abbatis post conflagrationem demum absoluta, hoc anno kalendis Novembris ipso die Sanctorum omnium, Ottone rege præsente, a Marino legato sedis apostolicæ dedicata est. Otto autem, mirum, quibus beneficiis & muneribus Fuldensem ecclesiam ornarit, cumularitque, ait [e] Browerus. nam & Ludovici Pii donationem de scholasticorum alimentis confirmavit, & ullam munitionem, opidum, castellum in monasterii fundis erigi, aut vectigalia seu teloniorum onera imponi vetuit. Causas vero civiles ab uno cognosci abbate, & coram illo dici, agique voluit. De hac dedicatione mentionem facit Frodoardus, qui *Wldense* monasterium vocat.

e Antiq. Fuld. p. 284.

Eodem

ANN. CHR. 948.

XVI. Lindaugia cremata, Liudolfus ad S. Gallum.

Eodem anno Lintaugia concremata est nonis Junii, teste Hepidanno, id est monasterium Lindaugiense ad lacum Acronium, quod opido circumposito nomen, uti & originem dedit, sicut Fulda, Corbeia-nova, aliaque. Addit Hepidannus, ipso anno Liutolfum seu Liudolfum, Otionis regis filium, *Deo carum & omnibus sanctis*, cum Herimanno duce Alamannorum, cujus filiam Idam recens desponsaverat, venisse primius ad monasterium sancti Galli in ipsa ejus festivitate. Idem Liudolfus anno insequente, mortuo Herimanno socero suo, Alamannorum ducatum a patre obtinuit, & paullo post turbas apud sanctum Gallum excivit, in patrem quoque rebellis.

XVII. Farfæ plures abbates, & direptio.

In Italia Farfense monasterium Camponis & Hildeprandi prædonum potius quam abbatum prædæ expositum cum esset, missus est hoc anno Dagibertus, ut locum servaret adversus hos prædones. Initio ejus regiminis donationes duæ temporibus Agapiti papæ, Anastasii episcopi Sabinensis, & Azonis comitis mensibus Septembri & Decembri per indictionem VI. factæ sunt Dagiberto religioso presbytero & abbati prædicti monasterii. Non valuit tamen Dagibertus impedire direptionem castelli de Matenano, quod est in Marchia, in comitatu Firmano, Farfæ subjectum; ex quo Hildeprandus nefandus ille presbyter, qui se abbatem ferre pergebat, thesaurum Farfensem sustulit. In chronico Farfensi legitur *breve de ipso thesauro*, quem abstulit Hildeprandus. In primis *vestes duas altaris de auro brusto cum gemmis*, calices minores XII. cum patenis, libros coopertos argento, & deauratos quatuor; *capsam de auro purissimo cum gemmis mirabilibus, quam Karolus rex pro anima sua dedit in hoc monasterio*; alias capsas duas de argento; *sigilla duo de auro, quæ miserunt Karolus & Pippinus filius ejus in uno præcepto; alia duo sigilla de auro, quæ Guido & Lambertus miserunt in alio præcepto, quod fecerunt*, &c. Ejusmodi bullas aureas complures vidimus in archivo sancti Martini Turonensis: unam Ludovici augusti, cognomento Pii, Martinianæ basilicæ immunitatem confirmantis: in cujus bullæ antica parte exhibetur Ludovici effigies coronata cum lilio superne adjuncto, gerentis in dextra lanceam, in sinistra scutum, cum hac inscriptione in orbem: D. N. HLUDOWICUS IMP. in postica, RENOVATIO REGNI FRANC. quæ inscriptio totam occupat posticam partem. Altera bulla aurea Caroli Calvi necdum imperatoris appensa est ejus præcepto, quo portionem Martinianis canonicis assignatam confirmat, præferens in antica parte similem Caroli regis effigiem cum hoc lemmate: KAROLUS GRACIA DEI REX. in posticæ area crucem coronatam cum hac inscriptione, † RENOVACIO † REGNI FRANCO. *Data viiij. kal. Maias, indictione x. anno xxij. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Turonis civitate.* In fine diplomatis leguntur hæc verba: *de bulla nostra sollemniter insigniri jussimus.* Nullum in eo apparet vestigium sigilli cerei affixi, quale in Ludoviciano una cum bulla aurea habetur. Ex his apparet, reges Francorum, non tantum imperatores, aliquando chrysobullis usos fuisse.

Bullæ aureæ.

XVIII. Turketulus cancellarius fit monachus.

In Anglia Crulandense monasterium hoc tempore Turketuli regis cancellarii secessu nobilitatum est. Hic locus tunc fere in solitudinem redactus erat post cladem a Danis illatam, & post mortem Godrici abbatis, tribus tantum senioribus monachis illic relictis. Sacri ejus loci desolatione commotus Turketulus, Edredi regis cancellarius, afflictis opportunam pollicetur opem, nec serius differt. Primo regi miserabilem monasterii statum diserte exponit, eumque ad illud instaurandum hortatur, seque inibi monachum fieri velle dicit. Rege ægre annuente, cancellarius Londinii proclamari jussit, quod, si cui aliquo debito teneretur obnoxius, quam primum id ex integro persolvere paratus esset. Omnibus persolutis, sexaginta maneria regi contulit, sex alia Crulandæ legavit. Tum, revocatis ex Wintoniensi & Malmesburiensi monasteriis duobus monachis, Bruno & Aïone, qui illuc post mortem Godrici se receperant, ipse die festo sancti Bartholomæi loci patroni, deposito sæculari habitu, inter illos quinque senes, monasticum induit rege præsente; mox baculo pastorali ab eo donatus, & a Cedwlfo Dorcacistrensi episcopo diœcesano benedictus. Dein, conductis cæmentariis, Edredus monasterium instaurare aggressus est, totiusque fabricæ curam cuidam clerico sibi propinquo, Turketuli cognato, Egelrico nomine, commisit. Demum in synodo, Londinii paullo post in nativitate beatæ Virginis habita, amplissimum novo monasterio impertiit privilegium, cui Wlstanus Eboracensis & Odo Dorobernensis archiepiscopi cum suis coëpisco-

Crulandam instaurari curat.

ANN. CHR. 948. pis; Athelwoldus abbas Abendoniensis, & Dunstanus Glasconiensis, multique proceres subscripsere. Sic Turketulus, vir regiæ stirpis, utpote Ethelwardo Edwardi regis fratre progenitus, ab ipso Edwardo patruo suo cancellarius creatus, spreto connubio, episcopatibus, aliisque dignitatibus recusatis aut abjectis, plurimos exemplo suo ad sæculi contemtum animavit. Eum vero ad monasterium secuti sunt multi litterati viri: ex quibus decem monasticam vestem statim induerunt: ceteri ordinis rigorem abhorrentes, in sæculari habitu permanserunt, jussi habitare ad orientalem monasterii plagam in cella sanctæ Peggæ virginis: ubi horas divini officii, tam nocturni, quam diurni, persolvendas eis præscripsit, concessitque habitum omnibus uniformem, scilicet chlamydem nigram, vestesque talares, omnes nigri coloris, præter continentiam & obedientiam nihil ab eis exigens. Ex his quidam in illo proposito sanctissime devixerunt: quidam processu temporis ad monasticam religionem conversi, etiam ad abbatiale munus assumi promeruerunt, in his Egelrici duo, Turketuli cognatione propinqui, ejusque in pastorali dignitate unus post alterum successores. Continua fuit aliorum clericorum istic successio sub Turketulo abbate, deputato eis sacerdote ex monachis, qui sacra celebraret, quorum primus fuit Reinfredus, *vir multæ litteraturæ & honestatis.* Porro eo in loco probari solebant, qui primo ad conversionem veniebant, priusquam ad monasterium admitterentur.

Litterati eo confluunt.

ANN. CHR. 949. XIX. Anno insequenti nongentesimo quadragesimo-nono, Artaldus Remorum antistes, in synodo Romana per Agapitum papam denuo confirmatus, duos consecravit episcopos, unum Lauduni, scilicet Roriconem diaconum, Ludovici regis fratrem: alterum Ambianis, Ragembaldum nomine, Atrebatensem seu Vedastinum monachum, quem Ambianenses elegerant in locum Tetbaldi, quem Hugo princeps ipsis invitis episcopum intruserat. Hæc Frodoardus de Ragembaldo, de quo nihil deinceps legitur. Milites Remensis ecclesiæ, qui Hugoni pseudopræsuli adhærebant, Altmontem castrum, quod Dodo Artaldi frater tenebat, dolo capiunt, & Hugone jam excommunicato istuc admisso, villas episcopatus circumpositas rapinis infestant. Verum Dodo Altmontem non multo post deinceps recepit. Sic perseverabant obstinata illa dissidia inter Artaldum & Hugonem ob episcopatum Remensem, & Ludovicum inter & Hugonem principem, unde in charta quadam pro Cluniaco, qua donatio cujusdam alodi apud Colongias in comitatu Augustodunensi, ab Ingelberto facta confirmatur, hæc apponitur clausula. *Actum Cabiloni in conspectu Ugoni marchionis, Gisleberti comitis, Rotberti vicecomitis, anno* DCCCC XLIX. *indictione vij. die Martis xv. kalend. Maii, litigante rege HLudovico cum Hugone nobilissimo marchione.* Eadem quoque legitur hoc anno in charta Leotardi levitæ itidem pro Cluniaco.

Ragembaldus monachus fit episcopus Ambianensis.

In monasterio sancti Benigni apud Divionem tunc degebant clerici, quibus hoc tempore Aridius abbas præerat. Utrumque nos docet charta [a] cujusdam Dodoleni sive Dodonis, qui illic ab adolescentia nutritus & tonsus, cum stabilitatem eo in loco professurus esset, res suas in villa Bargis Aridio abbati & congregationi clericorum ejusdem loci consulit *præter meritos*, id est proventus, quos sibi reservavit. *Actum Divione in basilica domni Benigni publice, die Mercoris proximo ante mensem Octobris, anno* XIV. *regni domini nostri HLodovici regis.* Aridio videtur successisse Manasses abbas, de quo inferius.

Aridius abbas S. Benigni.

[a] *Perard. p. 165.*

XX. Non ante autumnum anni superioris aut vernum tempus hujus anni celebratum est Trenorchiense concilium, quod Sirmondus, Labbeus, aliique præter Chiffletium ad annum DCCCC XLIV. referunt. Convocandæ synodi occasio nata ex schismate, quod Trenorchii exortum est post mortem Haymini abbatis: in cujus locum dux Gislebertus, posthabitis monachorum suffragiis, Guidonem quemdam, ejus loci ex Lingonensi clericu monachum, intruserat. Unde turbati monachi, secessione facta, primum Matisconem ad Leraldum comitem, inde ad sancti Portiani cellam apud Arvernos, cum sancti Filiberti, aliorumque Sanctorum reliquiis se receperunt: ubi electo sibi Herveo abbate, per triennium commorati sunt. Lugente interim, variisque cladibus oppressa Burgundia, cum id Sanctorum ablationi a popularibus tribueretur, Trenorchium convenerunt episcopi, decretumque ab eis est, ut monachi cum sacris reliquiis in pristinas sedes revocarentur. quibus resti-

Trenorchiense concilium.

ANN. CHR. 949.

tutis, omnis protinus calamitas sedata. Hayminus abbas superstes erat mense Maïo anno DCCCC XLV. quo Girfredus [a] Vesontionensis antistes ei quædam bona contulit. Intruso in demortui Haymini locum Guidone, tribus annis apud sanctum Portianum exsularunt Trenorchienses, antequam decreto episcoporum revocarentur. atque adeo vix ante hunc annum Trenorchiense concilium reponi potest.

a lib. 44. n. 73.

XXI. Saviniaco privilegium concedit Burchardus Lugdunensis.

Huic concilio præsedisse dicitur Guidn seu Wido Lugdunensis antistes, idemque diœcesanus, qui non diu supervixit. Id patet ex litteris quas Burchardus ejus successor hoc ipso anno mense Augusto condidit in gratiam Badini [b] Saviniacensis abbatis, quem Wido ibidem instituerat. In his litteris Burchardus significat, quod *anno nongentesimo quadragesimo-nono incarnationis, indictione vij. decimo-nono kalendarum Septembrium*, ipsu die festo assumptionis Genitricis filii Dei, dum ipse in fratrum capitulo resideret, de publica utilitate tractaturus, coram adstiterit Badinus abbas cœnobii Saviniacensis, in honorem sancti Martini dicati, a decessore suo domno Widone subrogatus, narrans ipsius cœnobii desolationem: qun pacto scilicet a tyrannis pervasum, & ab Hungris succensum defecisset, nullumque haberet privilegium, quo se tutari posset; addens vereri se, ne post suam ipsius vocationem, labor ab se susceptus ad restituendam inibi regularem disciplinam penitus annullaretur. Quapropter Burchardus pontificali anctoritate ejus loci possessiones confirmat, & liberam eligendi abbatis facultatem. Subscribunt post Burchardum archiepiscopum *Icterius archiepiscopus*, scilicet Aquensis, *Childebodus episcopus* seu Hildebodus Cabilonensis; *Maimbodus episcopus* Matisconensis, *Gotiscalcus episcopus* Lausanensis, aliique quatuor episcopi; & post eos *Rodulfus filius regis*, scilicet Conradi. Hinc Chiffletius emendat vulgatos archiepiscoporum Lugdunensium catalogos, qui Amblardum Widoni proxime substituunt, Amblardo Burchardum seu Brochardum; duosque admittendos probat Burchardos, unum Widonis, alterum Amblardi successorem. Certe Burchardus [c] Widonis successor anno DCCCC LI. ecclesiam sancti Petri de Corcellis confert *Herveo abbati congregationis monachorum sancti Filiberti Trenorchiensis, cui se dudum familiaritate sociaverat.* Actum *apud Ansam opidum vj. idus Septembris ij. feria, xij. anno Conradi regis Jurensis.* ubi præferendus videtur annus XIV. Cunradi regis, qui ab anno DCCCC XXXVII. regnare cœpit. Ceterum Badinus Saviniaci abbas, vir sanctus & justus fuisse dicitur, ac monasterii restitutor, qui multas suo tempore præstarias fecir.

b Tournus p. 282.

c ibid p. 284.

XXII. Patricianum monasterium conditur.

Circiter hoc tempus Asnerius seu Asenarius vicecomes, reversus ex Romano itinere, quod orationis causa confecerat, consilio & auctoritate papæ Patricianum * monasterium in comitatu Cominiensi, diœcesis nunc Lombariensis, sub patrocinio beatę Mariæ condidit, in quo *monachos & clericos sub regula viventes* instituisse dicitur, Patriciani nomine, ut tradunt, imposito, quod nulli, præterquam *cælesti Patri*, monachos subjectos vellet, nisi quod Cominiensi comiti unam annis singulis refectionem *& tertiam partem beneficii domus* concessit, si domum ac familiam, totumque jus monasterii debite tueretur ac defenderet. Monasterii rebus apte ordinatis, idem Asnerius illud subjecit Lezatensi abbatiæ, ubi monasticum habitum induit; ibidemque abbas factus, demum *cælicas ad sedes* pervenisse traditur. Mortuo comite Cominiensi, Bernardus-Oddo ejus filius, Astaracensis comes, castrum Bencam juxta Patricianum, salvo ejus jure, exstruxit, adeoque coluit sanctum hunc locum, ut filium suum Rogerium Deo inibi, monachum futurum, obtulerit, ibidemque ipse humari voluerit. Post aliquantum temporis idem Rogerius Patriciani creatus abbas, hunc locum tutelæ Guillelmi Enardi de Benca, viri potentissimi, commisit, eumque *villicum suum* constituit, eo pacto, *ut esset fidelissimus amicus monachorum & clericorum, totiusque juris domus; & ut abbatis Lezati homo esset, & unam mulam* LX. *solidorum pretio daret, quæ in obsequio domus Patriciani* esset. *Factum est hoc in præsentia & manu Rogerii abbatis, & fratrum ejus comitum Raymundi-Bernardi & Bernardi patris Raymundi, Willelmi & Fortanerii, Vidiani monachi*, & aliorum monachorum & clericorum. Rogerio abbati successit prædictus Vidianus, cui Anerius de Benca seipsum & uxorem suam cum omnibus bonis suis tradidit, repugnante primum, dein assentiente Fortanerio comite. Lezatensi monasterio præerat hoc tempore Daniel abbas, cui Astare presbyter alodum suum de Blidanis contulit anno XX. regnante Ludovico rege, cujus anno nono jam idem Daniel abbas erat. De Guarino abbate inferius agendum.

* Peyrissas.

ANN. CHR. 949.

XXIII. *Cadroë S. Clementis monasterio præfectus.*

In Belgica secunda florebat eo tempore Cadroë Walciodori abbas, cujus sanctitatis fama cum ad aures Adalberonis Mettensis episcopi pervenisset, in eam urbem ab eo accitus est, agentibus Agenaldo Gorziensi & Ansteo sancti Arnulfi abbatibus, quibus id negotii præsul tractandum commiserat. Forte Cadroë ad Gorziense monasterium die festo sancti Gorgonii martyris, ejus loci patroni, accesserat. Hac occasione usi duo illi abbates, ei præsulis voluntatem exponunt, rogantque ut secum in illa urbe manere ne gravaretur. *Precibus ergo supplicantium evictus*, ait vitæ scriptor, *consentit, & locum, non longe ab urbe Mettensi positum, & multorum sanctorum corporibus & reliquiis inclytum, sed tunc jam ad nihilum redactum, suscepit commendatum.* Locus iste *Ad-basilicas* vocabatur, ubi sanctus Clemens, primus Mettensium episcopus, aliquamdiu reclusus fuisse traditur. Exstat hic locus ad urbis portam, quæ modo sancti Theobaldi vocatur, in declivi collis, quem Sallia fluviolus præterfluit. Illic erat basilica sancti Felicis, postea sancti Clementis dicta, primorum urbis antistitum sepultura & reliquiis insignis: cui adjunctum erat sancti Clementis monasterium, antequam in urbem transferretur. quod patrum nostrorum memoria factum est. Non procul aberat basilica sancti Petri *Ad-arenas*: quo ex loco sanctus Clemens serpentem expulisse dicitur, ubi & prædictam basilicam exstruxit. Illic visebantur nuper veteris amphitheatri rudera, quæ ad construendam arcem penitus disjecta sunt. In martyrologio sancti Clementis notatur VI. *nonas Maii Ad-basilicas dedicatio crypta in ecclesia beati Clementis in honore sancti Petri apostoli, & aliorum plurimorum sanctorum.* Disposito monasterio, quod primum sancti Felicis a tertio ejus urbis episcopo, postea sancti Clementis dictum est, Cadroë quosdam secum Walciodoro istuc adduxit; aliis vero, qui Walciodori remanserant, patrem præfecit, qui postea *a via rectitudinis* exorbitasse dicitur. Is non alius esse videtur quam Godefridus, ex Remensi sancti Remigii assumtus monasterio, ob superbiam pravumque regimen præfectura dejectus, quem post Immonem collocat chronographus Walciodorensis.

XXIV. *Ottonis munificentia in Einsidlenses.*

Dum rex Otto Francofurti versaretur, relatu accepit, Adamum quemdam, nobilem Rætum, paullo ante publico judicio majestatis condemnatum, ad Meginradi-cellam perfugisse, mutataque in melius vita, monachum induisse, atque ibidem pie se gerere. quo nuntio simul & loci veneratione permotus, Adamo vitæ [a] ac judicii gratiam fecit, ejusque bona sita in Drusiana * Rætiæ valle, in fiscum redacta, eidem restituit, Einsidlensium usibus profutura. *Data kal. Januarii, anno Domini* DCCCC XLVIIII. *indictione* VI. (lege VII.) *regnante serenissimo rege Ottone anno* XIIII. *Actum Franconefurt.* Idem [b] anno superiori, suggestione filii sui Liutolfi ac Herimanni ducis, res quasdam sui juris in villa Rætiæ, Quadravedes nominata, concessit sanctæ Dei genitrici Mariæ & sancto Mauricio Martyri, ac ceteris sanctis, quorum juge obsequium in silva & in loco Meginrates-cella, ab Eberhardo eremita cum ceteris fratribus, in eodem loco monastica religione celebratur. *Eremitas* itidem vocat ipsemet Otto in alio [c] diplomate, quo prædium quoddam pagi Brisachgowensis, vocabulo Lialachum, qui de rebus Gundramni, populari judicio, in regiam potestatem venerat, eisdem largitus est anno DCCCC LII.

a *Annal. Erem. p. 53.*

* *Valgeuv.*

b *ibid. p. 49.*

c *ibid. p. 57.*

Gregorius eo se recipit.

Eberhardo abbate Einsidlam secessit Gregorius nobilissimus Anglus, qui juvenis, patriâ, parentibus, ac sponsa clam relictis, primum Romæ in Cælio-monte factus monachus, & diu inclusus, dein omnibus incognitus *ad monasterium Solitariorum, in Hercinia silva habitantium*, ait vitæ sancti Wolfgangi scriptor anonymus, *propter artiorem monasticæ disciplinæ observantiam* se recepit: ubi ob egregias virtutes post annos decem omnibus præpositus est. Tritbemio, aliisque recentioribus ex regia stirpe procreatus dicitur ac regis filius, quem tamen Adelstani Anglorum regis fratrem non fuisse constat. Eum tantum *ex Anglorum stirpe* ortum dicit prædictus anonymus ejus æqualis, qui ejus *vitam virtutibus ornatissimam*, ne ab instituto deflecteret, pertexere noluit, nec quisquam alius, quem quidem noverimus, aggressus est. tametsi Gregorius, adhuc vivens, *sanctissimus vir & cunctis virtutibus pollens* ab Ottone Magno prædicatus est in quodam diplomate, quod suo loco referemus.

XXV. *Aligernus fit abbas Casinensis.*

Post mortem Majelpoti Casinensis abbatis, qui annis sex non integris sedit, electus est hoc anno Aligernus abbas [a] VIII. kal. Novembris, magnum ejus sæculi lumen, qui sacro monti pristinum honorem ac cultum restituit. Hic Neapolitanus

ANN. CHR. 949.

genere, Romæ in monasterio sancti Pauli sub Balduino abbate factus monachus; postmodum ab eodem abbate Casinum translatus, ex præposito ejus loci abbas demum ordinatur. Quo pacto facta sit ejus electio, Leo Marsicanus tradit his verbis. *Post transitum supra dicti abbatis* Majelpoti, *cum convenissent in capitulo monasterii Capuani domnus Adelpertus egregius præsul ecclesiæ Capuanæ, & domnus Ardericus episcopus, Leo quoque venerabilis abbas sancti martyris Christi Vincentii* ad Vulturnum, *necnon & nobilissimi judices prædictæ civitatis Arechis & Saldefrid, & Atenulfus castaldeus viij. kalendas Novembris, omnibus unanimiter annuentibus atque laudantibus, electus est ab universis fratribus, cum maximo gaudio & lætitia, in abbatem domnus Aligernus, præpositus tunc monasterii hujus, vir venerabilis & valde honestus, & tam divina quam sæculari prudentia præditus*; & quidem septimus ac vicesimus Casini abbas a sancto Benedicto, seditque annis triginta & septem. quæ diuturna præfectura magnis rebus gerendis idoneum spatium fuit. Et primo quidem Casinense monasterium, quod post Saracenicam cladem per septem & septuaginta fere annos neglectum & incultum fuerat, a Leone & Johanne abbatibus jam instaurari cœptum, omnino absolvit, & cuncta in circuitu reparavit. Ad hæc possessiones monasterii, a Teanensibus comitibus & Aquinensibus occupatas, non sine magno recuperavit labore. In his Adenulfus quidam, castaldeus Aquinensis, totam Flumeticam invaserat: quem cum ad restitutionem flectere non valeret Aligernus, eum apud Landulfum Capuanum principem accusavit. qua re offensus Adenulfus, abbatem vi cepit, & Aquinum ovans adduxit: ubi ursino tergore vestitum in publicum spectaculum exposuit canibus ad circum latrandum immissis. His acceptis, princeps Adenulfum Capuam citat, legali judicio abbati satis facturum. Ille vero debitæ mortis pœnæ succumbere veritus, rebellare potius elegit, Aquinensi munitione confisus. Hinc princeps cum suam, tum abbatis injuriam ultum ire certus, Aquinum venit; ac prætorium, quo rebellis se munierat, obsedit. Tum Adenulfus, principis manus se evadere non posse videns, fune in collum immisso, per conjugem ad principis pedes se trahi præcepit. quem, ita ut ligatus erat, princeps abbati tradidit, & tam ipsum, quam res ejus omnes, ejus potestati permisit. Ita Adenulfus se captivum in manus captivi sui justo Dei judicio venisse cernens, mox *cartulam renuntiationis* de universis, quæ invaserat, fecit, & in manus abbatis remisit. quod similiter Teanenses comites fecerunt. Idem abbas a Landulfo principe *præceptum libertatis ac confirmationis totius in circuitu abbatiæ* obtinuit secundum terminos, quos Gisulfus dux tempore Petronacis primo statuerat, ac postmodum Carolus Magnus tempore Theodemari confirmaverat. Prætereo varias donationes & commutationes eo abbate factas, quas Leo Marsicanus fuse commemorat, uti & varia privilegia, quæ ab Ottone Magno concessa sunt. Bonis itaque temporalibus recuperatis, Aligernus ad reparanda ædificia, maxime ad instaurandam pietatem totum se convertit. In primis ecclesiam novis trabibus ac lignis cypressinis contignavit, tegulis cooperuit, parietes ejus picturis ornavit, pavimentum ante altare beati Benedicti multimoda lapidum varietate constravit, ipsumque altare argenteis tabulis decoravit, necnon anteriorem faciem altaris beati Johannis argenteam fecit. Mitto crucem argenteam, textum evangelii argento & gemmis ornatum, coronas argenteas tres, calices, turibula, variaque ecclesiastica ornamenta, tum Casini, tum Capuæ ab eo facta; ad hæc codices plurimos ac diversos, quos utrique loco, maxime Casino concessit. Ad regularem disciplinam quod attinet, velut *alter Petronax, juxta tenorem regulæ & priscam monasterii consuetudinem*, suam fratrumque vitam composuit. Multum vero ad sacri loci ædificationem & informationem contulit sancti Nili Casinum adventus, de quo inferius.

a Chron Casin. lib. 1. c. 60. & lib. 2. c. 1. & seqq.

XXVI. Raculfense monasterium Cantuariensi ecclesiæ datum.

In Anglia Edredus rex, præsente Odone archiepiscopo, ecclesiæ Christi Dorobernensi dedit Raculfense [b] monasterium agri Cantiani, cum tota villa & omnibus ad eam pertinentibus, liberam ab omni sæculari servitio, exceptis militari expeditione, & constructione pontis & arcis. Regiis hac de re litteris subscribunt complures episcopi, Ealdhelmus abbas, duces tres, Eadgifu regis genitrix, quæ Ediva aliis dicitur, & post omnes Dunstanus abbas, qui regium diploma composuit ac perscripsit.

b *Monast. Anglic. to. 1. p. 86.*

ANN. CHR. 950. XXVII. Res civiles anni sequentis.

POstero anno quinquagesimo supra nongentesimum inter Ludovicum regem & Hugonem principem pax initur, Conrado Lutharienſi duce, Ottonis regis legato, Adalberone Mettenſi & Fulberto Cameracenſi episcopis cum Hngone Nigro allaborantibus. In Italia vero Berengarius, veneno, ut ferunt, necato Lothario, Hugonis regis filio, rex Italiæ Veronæ proclamatur, atque una cum Adelberto majore-natu filio regnum capeſſit. Inde ſe convertit ad regiam ſedem, id eſt Papiam occupandam, in qua Adelheidis regina, Hugonis conjux, reſidebat. Hæc Adelberti oblatas nuptias reſpuit, ſive antiquo odio propter injurias ſocero, maritoque ſuo illatas impulſa, ſive ſpe honeſtiorum nuptiarum, quas anno ſequenti cum Ottone rege contraxit. Mox ut Papiam obtinuit Berengarius, parthenoni ſancti Sixti Placentino, cui Berta ejus amita præerat, privilegium indulſit, a Sigonin relatum in hæc

S. Sixti monasterio Placentino privilegium datum.

verba. *Nos Berengarius & Adelbertus reges, rogatu Giſelprandi Derthonenſis & Vidonis Mutinenſis epiſcopi, monaſterium ſancti Sixti, quod extra Placentiam ab imperatrice Engilberga conſtructum fuit, Berthæ abbatiſſæ ejus, amita noſtra, confirmamus, atque eidem monaſterio Guardaſtallam, & quæcumque ſupra ſcripta imperatrix & ceteri reges huic cœnobio reliquerunt, ſancimus; & ut ipſa, dum vita ſuppetat, monaſterium adminiſtret, concedimus, & præcipue ædem ſancti Petri, ad Caput Trebiæ ſitam, quemadmodum Carlomannus rex largitus eſt, elargimur. Anno* DCCCC L. *regni vero domni Berengarii & domni Adelberti piiſſimorum regum primo, indictione nona.* legendum *octava. Actum Papiæ.*

XXVIII. Derthonensis monasterii primus abbas Gezo.

Qui in his litteris laudatur Giſelprandus ſeu Giſeprandus Derthonenſis episcopus, abbas erat Bobienſis monaſterii, idemque auctor monaſterii ſancti Martiani, quod hocce tempore Derthonæ conditum eſt. Cum ejus ſtruendi conſilium animo agitaret pius antiſtes, inſedit animo Gezonis Derthonenſis eccleſiæ ſacerdotis vitæ monaſticæ deſiderium. Petita ab episcopo diſcedendi venia, non alia ratione obtineri potuit, quam ut Gezo in novo cœnobio monachum profiteretur, ejuſque demum regimen ſubiret. Ægre aſſenſit ille, ratus haud rectum eſſe, ut artem, quam quis nondum didiciſſet, alios edoceret; & qui ſubeſſe non aſſueviſſet, aliis imperaret. At parendum fuit conſtanti præſulis voluntati, qui Gezonem monaſtico habitu indutum paullo poſt abbatem ordinavit. Rem luculentius exprimet Gezo ipſe in prologo libri de corpore & ſanguine Domini, quem ad informandos de tanto myſterio diſcipulos ex ſanctorum patrum ſcriptis, maxime ex libro Paſchaſii Radberti, compoſuit. Prologus ita habet. *Dilectiſſimis fratribus, quibus ex divina diſpenſatione, quantum propria permittit infirmitas, paternam impendo ſollicitudinem, Gezo Dei & Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſervus. Decreveram quidem olim, fratres cariſſimi, graviſſimorum mihi conſcius delictorum, patriam parenteſque relinquere, & in aliquod me conferre conſecretum: ubi a ſecularium negotiorum ſtrepitu omni modo ſequeſtratus, in omnipotentis Dei ſervitio ævum tranſigerem, peccata mea jugiter deplorans, & continua pœnitentiæ ſatisfactione clementiſſimum Dominum & judicem univerſorum ad miſerendum invitans. Quantum autem huic decreto voluntatis meæ, reverendæ memoriæ dominus Giſeprandus, illo tunc tempore noſter epiſcopus, & vi & auctoritate reſtiterit, non habetis incognitum, aſſerens non eſſe canonicum, ut, relicta eccleſia, in qua nutritus & ordinatus fueram, meo arbitrio alio demigrarem: ſe vero numquam mihi ad iſta præbiturum eſſe conſenſum, præſertim cum jam ipſe decreverit in propria eccleſia, ubi beatiſſimi martyris Martiani corpus humatum quieſcit, monaſterium conſtruere: in quo, ſi omni modo ſtatueram mutare propoſitum, & ſolitudo mihi non deeſſet, & ad ſerviendum Deo juxta libitum cuncta ſuppeterent. Quam ergo pollicitationem pro mea tunc imperitia ægre ſuſcepi: quia æſtuanti deſiderio nimis prolixa tanti temporis videbatur exſpectatio. Prævaluit tamen ejus auctoritas: quoniam tanti viri juſſionibus non parere, & conſiliis non acquieſcere, non modo temerarium, verum etiam inſaniæ ſimile duceretur. Acceleravit igitur quantocius implere promiſſum; & poſtpoſitis curis omnibus ſæculi, quibus nimium impediebatur, ad monaſterii fabricam ſe totum tranſtulit, indulta mihi bono animo licentia monachum profitendi. Nec diu moratus, ubi proſperari in manibus ſuis cœptum opus, Domino cooperante, perſpexit, omni mihi inſtantia cœpit imminere, ut totius loci curam ſuſciperem, & in lucrandis Deo animabus ſollicitum me vigilemque præberem. Repugnanti itaque mihi, & pondus regiminis non ſegniter refugienti, eo uſque inſtitit, & irrevocabilis manſit, ut, nulla a me excuſatione ſuſcepta, ſub divini ſe*

nominis obtestatione constringeret, quod, nisi eo die voluntatis ejus arbitrio me committerem, ut subirem sarcinam, quam jubebat; sine aliqua dilatione eliminatis hinc his ipsis, qui pauci admodum habebantur, monachis, canonicis, quos jam ad hoc praeparaverat, locum traderet incolendum. Suscepi itaque infirmis humeris grave pondus regiminis, & nimia necessitate compulsus, illius professionis magister factus sum, cujus non fueram ante discipulus. Dispensationis igitur mihi per vos credita ex eo tunc tempore curis mordacissimis occupatus, dum utilitati vestrae plurimum intendo, & quae potissimum vobis expediant, mecum ipse pertracto; occurrit animo de dominici corporis & sanguinis sacramento mellitum vobis atque floridentum, sacrisque permixtionibus sobrie temperatum poculum pro mei ingenii paupertate conficere, quod dilectioni vestrae & voluptati sit, & saluti. Sanctorum siquidem catholicorum patrum scripta lectione percurrens, & intenta, quantum potui, meditatione retractans, quicquid in eisdem absolutius atque enodatius ad intelligendum de tanto tamque sublimissimae rei mysterio invenire valui, in unius libelli corpusculum compendiosa brevitate redegi. quod vobis, si Spiritus-sancti favor adspiret, nec ex intellectus difficultate displiceat, & ex sui parvitate complaceat: imitatus in hoc opusculo Paschasium Ratbertum, qui de hac eadem re Placido cuidam suo discipulo libellum luculento sermone composuit; eosdem ipse, quos & ego, secutus auctores, beatissimos scilicet Domini sacerdotes, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Johannem, Isidorum, Isicium, Hieronymum & Bedam: de quorum omnium scriptis quosdam sententiarum decerpimus flores, causa valde necessarios, item dominici corporis & sanguinis suavissimum odorem exhalantes. Ipsius vero Paschasii libellum totum pane, sicut invenimus, ita in nostrum transtulimus, sensum ejus potius in aliquibus locis, quam verba sequentes, & superflua quaque vitantes. Cetera prætereo, quæ in Musei Italici tomo [a] primo legere licet. Ex his porro intelligitur, qualis fuerit Derthonensis monasterii sancti Martiani origo, quisve auctor ac primus abbas; & quæ fuerit Gezonis abbatis de Paschasii libro sententia. Processu temporis Otto quartus abbatiam [b] de Patrania huic monasterio univit. Giselprandus abbas fuit, ut jam dixi, Bobiensis monasterii, scilicet post Liutfredum, ejusque bona quædam permutavit. quod Otto tertius irritum [c] esse jussit anno duo-demillesimo. Petro abbati [d] ejus successori Otto Magnus duo privilegia concessit.

In Gallia Ragenfredus Carnutum præsul impense etiam in rem monasticam affectus fuit. Ludovico Pio imperante, monachi sancti Petri ejus urbis ab Elia episcopo vexati, Autisiodorum ad sancti Germani cœnobium confugerant. Post Eliæ obitum reversi sunt monachi ad pristinam sedem, Burchardo episcopo. Sub ejus successore Frotbaldo Carnotis ingens a Normannis illata est clades, in qua cæsi sunt cum clericis monachi non pauci, qui ad ecclesiam se receperant. Paullo post Gislebertus præsul munificus, cernens in sancti Petri cœnobio exiguum ob inopiam numerum monachorum, eorum paupertati subvenit. Sub Gisleberti successore Aimerico, vel sub Gerardo, qui Aimericum excepit, locus ad paucos redactus est clericos. ast Agano, proximus Aimerici successor, monasterium pæne in solitudinem redactum, a fundamento restituit, ecclesiam auxit, ibidemque canonicos sub Alveo abbate collocavit. Haganonis obitus in necrologio notatur IX. kal. Januarii anno DCCCC XLI. indictione XIV. ubi vocatur *episcopus & comes*, *Leobino beatissimo consimilis.* Huic in episcopatu successit venerabilis Ragenfredus, qui, cum suapte pietate, tum impulsu Alvei abbatis, qui religionis monasticæ studiosissimus erat, monachos ibidem restituere decrevit in locum canonicorum, qui, relictis spiritalis militiæ exercitiis, ad terrea & caduca toti conversi erant. Alveus itaque a se ipso bene vivendi initium sumendum ratus, ad Floriacense monasterium, tunc fama religionis celebre, se contulit, &, monastico indutus habitu, ibidem per triennium conversatus, normam beati Benedicti perfecte didicit. Inde a Ragenfredo episcopo revocatus, duodecim secum monachos adduxit, concedente ac comitante Wlfaldo abbate, qui tum Floriacensibus post Archemboldum præerat, factus demum & ipse episcopus Carnutensis. Alveo duce ac magistro, monastica disciplina reformata est in illo sancti Petri monasterio, cui Ragenfredus multas possessiones, a decessoribus suis subtractas, restituit, eique in supplementum duodecim ecclesiæ suæ assignavit præbendas, quarum mediam partem Arduinus ejus frater ac successor subtraxit. Ragenfredi duo hac de re instrumenta ex chartacco libro, Haganonis dicto, a nobis [e] edita sunt, at sine chronicis notis: sed, ut ex subscribentium

ANN. CHR. 910.

[a] Muf. Ital. to. 1. p. 89. & seqq.

[b] Ital. sac. to. 4. c. 856.

[c] ibid.

[d] ibid. c. 1311. & seqq.

XXIX. S. Petri apud Carnutas monasterium restituitur.

[e] Sæc. 5. p. 281. & seqq.

ANN. CHR. 950.

tempore colligitur, vix ante annum DCCCC LIV. conscripta sunt. Priori subscribit post Ragenfredum Hildemannus archiepiscopus Senonensis, qui Gerlannum prædicto anno excepit. Post Hildemannum Graulfus abbas sancti Carauni nomen suum apposuit, multique post eum canonici. *Postea firmaverunt Joseph archiepiscopus Turonensis, Constantius Parisiorum episcopus, Guichardus * Ebroicæ, Mainardus Cenomanicæ, Mabbo Pauliani Britanniæ, Nordoardus Redonensium* episcopi; *Tedbaldus comes, Hugo archiepiscopus*, scilicet Bituricensis; idemque *filius Tedbaldi; Odo comes, Hugo dux Franciæ, Hugo filius ejus, Ledgardis comitissa;* sequenti tempore *Odo episcopus Carnotensis; Otho comes Burgundiæ, Suggerius decanus.* Ex quibus confirmatur id, quod jam sæpe observavimus, vetustis instrumentis non modo absentes, sed etiam posteros non raro subscripsisse. Posteriori instrumento præter Raganfredum seu Ragenfredum episcopum subscripsere Nordoardus episcopus Redonensis, Hugo archiepiscopus, Theobaldus comes, Joseph archiepiscopus Turonum, Gunhardus episcopus Ebroicæ, Sugerius decanus, Radulfus abbas. Post mortem Theotolonis Turonum archiepiscopi, quæ ante annos quinque contigit, undecim mensium interpontificium accidit, ut legimus in veteri chronico sancti Juliani. quo elapso successit Joseph, qui annis XI. mensibus II. diebus XII. præfuisse dicitur. Redeo ad Alveum sancti Petri abbatem, cujus pater Geroardus laïcus in necrologio notatur VI. idus Junii.

* al. Gunhardus.

S. Eligii monasterii varius status.

Transmaro Noviomensi ex nostris episcopo successit hoc etiam anno Rodulfus ex archidiacono ejus ecclesiæ, qui suburbanum sancti Lupi & sancti Eligii monasterium, post vastationem Nortmannicam a sæcularibus clericis occupatum, monastico restituit ordini, ex quo post ejus mortem denuo ad clericos revolutum est Fulcario episcopo, qui tamen monachus & decanus fuerat sancti Medardi apud Suessionas: sed tandem a Liudulfo Fulcarii post Hadulfum successore, iterum assertum ordini monastico, sub quo etiam nunc perseverat.

XXX. Mabbo episcopus cum sancti Pauli corpore, Floriacum secedit.

Dum mox laudatus Wlfaldus abbas Floriacensi monasterio præesset, eo se recepit *Mabbo Pauliani Britanniæ*, seu sancti Pauli Leonensis episcopus, secumque corpus sancti Pauli ejus urbis episcopi attulit. Factum ex Aimoino [a] sic accipe. *Osa * oceani maris quadam est insula, quæ a continenti Armoricanæ regionis terra, quam Cornu-Galliæ * nominant, pelago sexdecim passuum in transversum porrecto sejungitur. In ea beatum Paulum, cognomento Aurelianum, eremiticam duxisse vitam ex libro vitæ ejus discimus. Hic denique sanctus Paulus in loco Brittaniæ, qui opidum sancti Pauli dicitur, episcopus factus, multis in sua vita clarus virtutibus, ibidem per divinam designationem tumulariam meruit sepulturam. cujus corpus post longa obitus ipsius transacta tempora, a Mabbone ipsius loci pontifice ad hoc nostrum Floriacense translatum est cœnobium. Hujus translationis seriem, quia occasio se præbuit, licet multis antea temporibus gesta sit, sicut a prioribus nostris eam auditu comperimus, referre dignum duximus. Memoratus denique venerabilis Mabbo pontifex, amore divino contemplativæ succensus vitæ, hæsitabat animo, quonam potissimum in loco suum posset explere propositum. cui divinitus inspiratum est, nusquam aptius id posse eum perficere, quam in præsentia corporis sanctissimi patris nostri Benedicti, qui dux & signifer illius esset institutionis, quam ipse sectari cupiebat. Sumtis igitur evangeliis, & sacrarum vestium non contemnendo ornatu, simul cum sacratissimo corpore egregii præsulis Pauli ad sibi desideratam pervenit habitationem. quem abbas istius sacri cœnobii præcedenti libro nominatus Wlfaldus, cunctaque congregatio, gratantissimo dilectionis suscipientes obsequio, quo advixit tempore, honorifice secum tenuerunt. qui peracto laudabilis vitæ cursu, ante altare sancti Johannis-Evangelistæ, in basilica sanctæ Dei-genitricis Mariæ, tumulariam adeptus est sepulturam. Corpus autem ante dicti confessoris Pauli cum proprio loculo post loculum sanctissimi Patris Benedicti posuerunt, uno tamen ampliori scrinio, quod etiam argento tectum erat, utrumque concludentes.* Liber de vita sancti Pauli, sed mutilus habetur in bibliotheca Floriacensi; quem librum habemus integrum in veteri codice a Wrmonoco monacho scriptum anno DCCC LXXXIV. ut superius diximus. His Aimoinus miraculum addit de Felice anachoreta e naufragio erepto, quod suo loco referemus.

[a] Aimoin. lib. 2. de mirac. S. Bened. c. 11.
* Huessan.
* Cornouaille.

XXXI. Drogonis monachi secessus in eremum, & tentatio.

Actum est superius [b] de probatione Drogonis novitii per Archembaldum. Is a Wlfaldo abbate Archembaldi successore ægre obtinuit, ut sibi, in vita cœnobitica [c] jam diu probato, eremi singularem pugnam aggredi liceret. Facultate obtenta,

[b] lib. 44. n. 44.
[c] Aimoin. ubi supra l. 1. c. 4.

ta, in locum, *qui Balma dicitur*, secessit, ubi varias dæmonis tentationes perpessus est, quæ eo graviores erant, quo majori contritione carnis & spiritus totam expenderet vitam, & vigiliis jejunia, & jejuniis vigilias alternando subnecteret. Forte accidit, ut, dum quadam nocte, quæ unam festivitatum sancti Benedicti præcedebat, maturius pervigil tempus persolvendarum vigiliarum ex progressu stellarum exploraret, quercus quædam phantastico igne ad ejus tugurium flammivomis ignibus ardere visa est. Dæmonis hæc fraus erat, ut hoc terriculamento pium eremitam ab officio averteret. Verum ille ad nota recurrens præsidia, signo crucis phantasticum illud dissipavit incendium. quo facto, sancti patris Benedicti, ut creditur, alloquio recreatus est, cujus hac in re exemplum imitatus fuerat. Cum plures Balmæ sint, quinam sit ille locus Balma dictus, ubi Drogo solitariam vitam duxit, non explicat Aimoïnus, nisi quod innuit, eum *in procul remoto solo* a Floriaco mansisse. ANN. CHR. 952.

XXXII. Salmurensis cœnobii primordia.

Ex eodem Floriacensi asceterio deducta est colonia monachorum in Salmurense sancti Florentii monasterium, quod hoc ipso tempore ædificari cœpit. Prolixam de ejus origine narrationem exhibet scriptor anonymus, qui in eo videtur emendandus, quod Absalonem monachum ab eversione Glunnensis monasterii, quæ sub finem regni Caroli Calvi accidit, ultra medium sæculum decimum superstitem facit. Narrat quippe iste auctor, Absalonem, vastato a Nortmannis Glonnensi sancti Florentii monasterio, quod ad ripam Ligeris in finibus Aquitaniæ situm erat, cum abbatis sui venia in urbem Cenomannicam, ex qua ortus erat, ad propinquos suos se recepisse; inde profectum ad Trenorchiense monasterium, in quo Glonnenses monachi, Herensibus juncti, cum corpore sancti Florentii consititerant, illud furtim Salmurum reportasse: ubi ædificato monasterio, demum obierit. quod ut constet, eum ad annos ætatis minimum centum viginti pervenisse necesse est. Sic itaque res videtur contigisse. Destructo Glonnensi monasterio, Carolus-Calvus Hecfrido abbati ejusque monachis cellulam sancti Gundulfi ad refugium anno regni XXVI. concessit, ubi cum corpore sancti Florentii aliquamdiu commorati sunt. Verum, cum ob frequentes barbarorum in pagum Bituricensem incursiones illic non satis tuti essent; in Burgundiam cum corpore sancti Florentii confugêre, ubi in Trenorchiense castrum excepti sunt ab Herensibus monachis, quibuscum antiqua necessitudine conjuncti erant. Ex his Absaloni in patriam se recipere permissum. Pacato regno, Glonnensibus cupido incessit remeandi ad pristinas sedes, ac secum sancti Florentii corpus reportandi. Verum negantibus Trenorchiensibus id umquam se permissuros, abirent illi quo vellent, si remanere nollent; at Burgundiones numquam S. Florentii corpus inde efferri passuros: mœsti recessere Glonnenses, & hac illac dissipati miserabilem vitam nudi & inopes traduxere. His acceptis, Absalon dolo extorquere molitur, quod bona gratia obtineri non valeret. Cenomannis Trenorchium pergit, claudum simulans. Admissus in cœtum fratrum ut peregrinus & incognitus frater, apud Trenorchienses gratiam invenit. Scholarum primo regimen, tum cantoris officium ei committitur: postremo *secretarius* factus est, cui sacrorum custodia incumbebat. Optata occasione usus, sancti Florentii reliquias e loculo extrahit, & in peram cervinam immittit. Mox conscenso equo, quem ad hoc paratum habebat, sub peregrino habitu, Trenorchiensibus frustra insequentibus, fugam arripit, & ad Corbonis-curtes, haud longe ab urbe Turonica, pervenit: dein, transmisso Ligeri ad locum, qui Restis vocatur, accedit; indeque digressus, venit ad quoddam prædium, sancto Florentio quondam in parrochia beatæ Mariæ de Lentiniaco * regia liberalitate collatum, quod in solitudinem penitus redactum invenit. * *Nentille.*
Locus iste ab occidente castrum, Truncum nomine, quod sibi ad perfugium populares funestis illis temporibus construxerant; a boreali vero plaga Vigennæ fluvium habebat. Haud procul invenit Absalon rupem concavam, in qua sacras reliquias deposuit, divina pro modulo officia ibidem persolvens. Dein audito, tres pios viros in specubus subterraneis prope Doadum * opidum exsistere, genere, non * *Doé.*
tantum pietate celebres, opibusque locupletes; hos sibi socios adjungere cupiens, eos convenit, nec invitos secum adducit. Tum una construendi monasterii consilium ineunt, adeoque facultatem petunt, obtinentque Teutbaldi Blesarum comitis, *cujus ditioni regionum occiduarum pars non modica parebat*. Principis obtenta facultate, locum monachis opportunum perquirunt, nec alium, aut tutiorem, aut commodio-

ANN. CHR. 950.

rem inveniunt, quam castrum Truncum, in cujus medio cœnobium construere properant, Teutbaldo comite impensas liberaliter conferente. Interim sancti Florentii corpus e prædicto specu in capellam castri Trunci, quod ab eo die Salmurum appellatum est, infertur *vj. nonas Maii*, quo die in domestico martyrologio notatur, *Castro Salmuro susceptio corporis sancti patris nostri Florentii presbyteri & confessoris*. Tunc tres illi viri, quos ex opido Doado istuc accessisse diximus, monastico habitu induuntur. Horum nomina Othbertus de Furnis, Helias de Liniaco, Reginaldus de Reste. Acciti e Floriaco a Teutbaldo comite monachi, qui illos regularibus disciplinis informarent. Ex illa vero die novum cœnobium crevit tum religione, tum numero monachorum: quibus præfectus Helias mox laudatus, vir miræ, ut tradunt, religionis, qui multum in ejus loci constructione desudasse dicitur. Sub eo Reginaldus de Reste præpositus, Absalon æditus factus est. Repetita a Trenorchiensibus ornamenta, quæ Glonnenses apud eos olim deposuerant. Verum pauca ab eis extorqueri potuerunt, scilicet vas cœnæ dominicæ, turibulum cum pedibus a sancto Eligio fabricatum, missale, & psalterium, quibus sanctus Florentius usus fuisse memoratur: ex libris & chartis pauca, & viliora: cetera pretiosiora ne quidem Teutbaldus comes recuperare valuit, obsistente, ut aiunt, rege, qui a Trenorchiensibus (Tornacenses ubique vocat auctor) corruptus fuisse dicitur. Hic est Teutbaldus seu Tetbaldus comes, ejus nominis primus, cognomento Tricator, qui hoc anno Codiciacum * castrum agri Laudunensis ad Aquilam amnem contra Artaldum archiepiscopum præfracte retinuit: cujus uxor Leigardis, filia Heriberti secundi Viromandorum comitis, prioribus litteris Ragenfredi Carnutensis episcopi subscripsit pro cœnobio sancti Petri, cui & ipsa se munificam præbuit.

* Coucy.

XXXIII. S. Ebrulfi & aliorum translatio.

Sub idem tempus, cum Hugo princeps Oximos & Bajocas cum toto Constantiensi pago post mortem Guillelmi ducis a Ludovico rege obtinuisset; Herluinus ejus cancellarius & Radulfus de Dragiaco cubicularius, Uticum diverterunt, & in cœnobio sancti Ebrulfi hospitati sunt, ambo religiosi, & reliquiarum pro more gentis in primis avidi. His oratoria, & pretiosa quæque ostenderunt simplices monachi, ut tantis hospitibus se gratos præberent. Et illi quidem oblatis loco sancto donis tunc vacui discesserunt; postea vero eodem reversi, Uticensem basilicam, stupentibus & nil mali suspicantibus cœnobitis, cum armatorum manu ingressi, tria corpora sanctorum, Ebrulfi & Ebremundi ejus loci abbatum, atque Ansberti monachi inde abstulerunt, insequentibus monachis cum famulis numero triginta, & patronorum suorum ablationem deplorantibus. Ubi ad locum, qui Campus dicitur, pervenium est, Hugo princeps, qui illic cum exercitu aderat, auditis sanctorum virtutibus ac meritis, eis ab omnibus honorem haberi jussit, & sacra corpora usque ad urbem Aurelianos, quæ sui juris erat, ante exercitum deferri. Herluinus cancellarius abbas erat sancti Petri de Puncto, ibique venerabiles reliquias Hugonis Magni jussu deposuit. Illic reliquiarum facta partitio. Herluinus, *quia sacerdos erat* & abbas canonicorum sancti Petri de Puncto, & ducis archicapellanos, caput & majorem partem ossium sancti Ebrulfi, librum quoque cum Arula argento coopertum, & cambutam atque cingulum ejusdem, chartasque donationum sibi retinuit: reliquam vero corporis partem Radulfo tradidit. Ossa sancti Ebremundi Aurelianensibus cesserunt, Ansberti vero monachi Radulfo, homini Suessionensi, qui tantum thesaurum Resbacum attulit, & eidem cœnobio, *quia frater & amicus erat*, devote obtulit, simulque Portum-Alnonis ac Bonolium Resbacensibus concessit; &, ne quid ipsius liberalitati ac pietati deesset, magnam auri atque argenti quantitatem ad thecas sacris reliquiis fabricandas donavit; tantorum beneficiorum gratia ibidem post mortem honorifice humatus, testante Orderico-Vitali Uticensi monacho, ex quo hæc retulimus. Hugone principe mortuo, Hugo filius ejus in ducatum successit, postea rex futurus: a quo Gotfridus Andecavorum comes, ejus filiolus, partem reliquiarum sancti Ebrulfi obtinuit, easque apud Andecavos in sancti Mainbodi ecclesia reposuit. Aurelianis porro ad sacras patroni sui reliquias remansisse dicuntur ad finem vitæ suæ Uticenses monachi, uno excepto Ascelino, qui Utici perstitit, collectumque ex tumulo sancti Ebrulfi cinerem secreto loco recondidit. quo mortuo, Uticense monasterium in solitudinem redactum ad medium sæculum undecimum. Dubitare tamen licet, monachi Uticense monasterium tunc incoluerint, an canonici, qui locum anno DCCCC. jam occupabant, ut suo loco diximus.

ANN. CHR. 950.

XXXIV.
Cluniaci quædam monumenta.

Anno DCCCC L. Ludovicus rex Aymardo Cluniacensi abbati donationes confirmat, ab Acfredo comite factas in pago Arvernensi, anno XV. regni, tertio idus Februarii. quo itidem anno Mainbodus Matisconensis præsul, rogante Heymardo abbate, ecclesiam in honorem sancti Taurini, in villa Cavannis exstructam, quam Cluniacenses Rodulfi regis tempore obtinuerant, dedicavit, *eo quod non est congruum*, inquit, *ut tam gloriosus confessor, & syncellitæ inibi commorantes, diu sine benedictione episcopali persisterent.* Heymardus seu Aymardus abbas & quidam ex monachis suis terras in dotem ecclesiæ conferunt, ubi obedientia est, ut vocant, abbatiæ Cluniacensis. Non multo post, scilicet III. idus Octobris ejusdem anni, *ante præsentiam Leotaldi comitis, Mainboldi episcopi & fidelium suorum, venerunt* actores sancti Petri Cluniacensis, Hildebrandus, Leutbaldus, & alii, proclamantes adversus Hugonem quemdam pro rebus suis in villis Iggiaco & Domanico, quas res Willelmus comes & Ava comitissa ipsis contulerant.

XXXV.
Iciodorense monasterium instauratur.

Non potest ulterius differri Iciodorensis monasterii instauratio, a Bernardo Arvernorum episcopo facta, cujus successor Stephanus anno insequenti a Frodoardo laudatur. Translato, ut superius vidimus, ad Petram-incisam sancti Stremonii seu Austremonii capite a comite Rotgerio Carrofensis monasterii conditore, progressu temporis Petræ-incisæ monachi de excutiendo Carrofensium jugo consilium agitavere, instigante Bernardo, cui sacrorum custodia commissa erat. Non gravate assensum præbuerunt ejus sodales, qui, præfecto sibi Gisleberto abbate, monasterium Iciodurum, olim a sancto exstructum Austremonio, instaurare aggressi sunt, delato istuc sancti capite, quod Rotgerius comes aureo loculo incluserat. Erat eo loci vetus castrum, ex cujus lapidibus basilica miræ magnitudinis in honorem prædicti martyris cum monasterio constructa est. De Gisleberti abbatis successoribus Bernardo, Girardo, Roberto abbate Cantinobensi nihil observatu dignum occurrit usque ad Gaubertum, de quo in consequentibus agemus.

XXXVI.
Agapiti papæ privilegium pro Coxano.

Tunc temporis Coxanense in Catalania monasterium administrabat Gondefredus abbas, qui cœnobio suo apostolicæ sedis defensionem procurare volens, Suniarium religiosum presbyterum & monachum suum Romam misit ad Agapitum papam, ut monasterii sui privilegiorum confirmationem obtineret. Ejus rei litteræ pontificiæ inscriptæ sunt [a] *Gondefredo religioso abbati venerabilis monasterii sancti Germani atque Michaëlis, quod est situm in valle Confluente, in loco, qui vocatur Coxano.* Inter cetera ejus loci monachis concedit pontifex primitias, decimas, & oblationes in locis suis recolligendas, ac liberam facultatem eligendi abbatis. *Scriptum per manum Leonis notarii regionarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Decembrio, per indictionem supra dictam*, scilicet nonam, quæ pro more pontificum hoc anno a Septembri incipiebat.

[a] Marca Hisp. c. 864.

Suniarii comitis donatio facta Crassæ.

Ipso anno Suniarius Bisuldunensis comes cellam Riodezariam in comitatu Bisuldunensi, cum ecclesiis sanctæ Mariæ, sancti Petri & sancti Johannis, atque sancti Andreæ, quam cellam ante annos centum Wifredus comes & marchio exstruxerat, & per Soniefredum Gerundensem episcopum consecrari curaverat, novo opere restruxit, & ab Ugigone Gerundensi atque Teuderico Barcinonensi episcopis denuo dedicari fecit *anno incarnationis* DCCCC L. *indictione IX. kalendis Octobris*, eamque demum Crassensi beatæ Mariæ monasterio & Witidæ abbati ejusque monachis attribuit *pridie kalendas Julii, anno ab incarnatione Domini* DCCCC LIII. *regnante Ludovico rege.* Alias ejusdem cellæ seu ecclesiæ dedicationes prætereo. Hic mendum irrepsisse suspicor in nomen Witidæ abbatis. nam Soniarium abbatem ante & post hoc tempus Crassensi monasterio præfuisse invenio usque ad annum DCCCC LIX. quo anno cum Aymerico Narbonensi antistite de ecclesia sancti Assiscli transegit. Soniariu successit Donatus abbas, Donato Bernardus, cui desinente sæculo decimo Rotbertus eo nomine primus subrogatur.

Crassæ abbates.

XXXVII.
Laium villa S. Arnulfo data.

Laïum villa est pagi Calvomontensis in regno Lotharii, Nanceïum inter ac Pontem-Montionis * posita, sancti Arnulfi ortu insignis, quæ Hugoni comiti, ex ejus genere procreato, hereditario jure obvenerat. Hugoni conjux erat Eva nomine, cui hanc villam in dotem dedit. Hæc orbata viro, duos ex eo filios habebat, Arnulfum comitem natu-majorem, & Odalricum seu Udalricum, quem in clericatus ordine instituendum curavit. Bonis omnibus carus & acceptus erat Arnulfus comes, viduarum & pupillorum defensor, sed malis & raptoribus infestus, a qui-

* *Pont-a-Mousson.*

ANN. CHR. 950.

bus in primo juventutis flore impie interfectus est. Et quoniam ex genere sancti Arnulfi ex linea paterna ducebat originem, visum est ejus genitrici, ut in basilica sancti Arnulfi sepulturæ mandaretur. Quam ob rem Eva comitissa cum filio suo Odalrico Laïum villam sancti Arnulfi monasterio contulit, probante Adalberone Mettensium episcopo, ejusdem Arnulfi defuncti consanguineo, qui prædictum monasterium, uti & plura alia suæ diœceseos loca, monasticis institutionibus informari curaverat. *Actum Mettis publice, sub die xvij. kalendarum Septembrium, anno dominica incarnationis* DCCCC L. *indictione viij. regnante domno Ottone rege feliciter, anno imperii ejus xvij.* Hanc donationem Odalricus, qui tum vixdum adultus erat, post annos novem una cum matre sua confirmavit. *Actum apud Mortismum in mallo publico, sub die xj. kal. Maii, anno incarnationis Domini* DCCCC LIX. *indictione ij.* Eodem anno corpus sancti Chlodulfi episcopi istuc translatum est e monasterio sancti Arnulfi, missis inde monachis, qui locum illum incolerent, & divina officia celebrarent. Hactenus eo loci cella est monasterii sancti Arnulfi. Odalricus anno quinto a dato hoc instrumento Remensis archiepiscopus creatus est. In necrologio sancti Arnulfi notatur idibus Junii *Arnolfus comes, pro quo datus est fiscus de Lato sancto Arnulfo cum omnibus appendiciis suis;* Eva vero comitissa ejus mater, quæ hunc fiscum dedit, XI. kal. Martii memoratur.

XXXVIII. Magdeburgenses abbates.

Post annos tredecim quam Anno Magdeburgensi monasterio ab Ottone Magno præpositus fuerat, ad sedem Wormatiensis ecclesiæ post Richowonem episcopum provectus est: cui viginti-quatuor annis summa virtute ac vitæ sanctimonia præfuisse dicitur. Otwinus, ejusdem in abbatiali munere successor, Hildensheimensem episcopatum post Thiethardum anno abhinc quarto consecutus est, quem per annos triginta utiliter administravit. quo tempore, Wendelgarda Gandersheimensi antistita defuncta, Gerbergam abbatissam ordinavit. Denique Otwino in Magdeburgensis abbatiæ regimine successit Richarius, quo abbate monasterii translatio facta est extra urbem, priori ecclesia in cathedralem erecta.

XXXIX. Kero comes frater conscriptus S. Galli. a Gold. to. 2. p. 181.

Tunc temporis in Saxonia florebat Kero comes, factus marchio contra Sclavos, vir religiosus, qui hoc anno DCCCC L. a liminibus apostolorum reversus, monasterium [a] sancti Galli orationis causa invisit. qui cum a fratribus perhumaniter fuisset acceptus, probato sanctæ conversationis studio, quod illic vigebat, a patre monasterii flagitavit, ut in consortium fratrum conscriptorum admitteretur. qua gratia obtenta, libras argenti octo sancto loco devote obtulit, pollicitus insuper, se, si quam possessionem in Alamanniæ partibus comparare posset, monasterio sine dubio collaturum; ceterum omnibus ejus loci necessitatibus seu negotiis pro sua facultate ubivis, sive in palatio, sive in privato, affuturum. Ut vero hæc fraternitas nulla posset oblivione deleri vel intermitti, a patribus statutum est, ut quotannis X. kal. Aprilis, quo die hæc societas concessa fuit, ejus commemoratio in sacris fieret, & in regula monasterii hoc statutum adscriberetur.

XL. Dulquito abbati Alveldensi subjicitur S. Prudentii cœnobium.

Florebat hoc tempore in Alveldensi monasterio prope Locronium in finibus Navarræ & Castellæ-veteris Dulquintus seu Dulquitus abbas, ducentorum monachorum pater, qui in monasteriis principi illi abbatiæ subjectis commanebant. Ex his monasteriis unum erat Hildense *in finibus Pampelonia*, cui Gomesanus abbas tunc præerat: aliud sancti Prudentii *ad radicem montis Laturci*, quod abbas Adica hoc anno Alveldensi subjecit, uti discimus ex charta, quam Yepesius centuria quinta
» refert. In hac charta ait Adica, se cum fratribus suis, numero sex, prompta mente,
» toto corde, patri spirituali Dulquito abbati & fratribus, cum eo Albeldæ in cœ-
» nobio sancti Martini delitescentibus, contradere animas suas & corpora, ut eorum
» orationibus adjuti, regna polorum consequantur; necnon ecclesiam sancti Vincen-
» tii, *& domni Prudentii basilicam, ubi quiescit corpus ejus venerabile*, quæ cum suis
» adjacentibus terris, & cum hereditate Petri presbyteri, eorum collegæ, in opido
» Leca defuncti, ipsis obtigerat. Hanc vero oblationem addunt se fecisse regni cæ-
» lorum causa, & pro salute animarum, *jugique dominici corporis & sanguinis sacrificio in ara Dei offerendo. Actum æra* DCCCC XCVIII. quæ huic anno respondet. His litteris subscribunt inter alios *Tudemirus Nagelensis episcopus, Dulquintus Albeldensis abbas, Didacus Siliensis abbas, Mimio de sancta Columba abbas, Stephanus Dercensis abbas de sancto Emiliano, Belasco Gironensis monasterii abbas.* Dulquinti successor fuit Salvus abbas piissimus & eruditus, de quo inferius. Garsiæ regis diplomati æra

ANN. CHR. 950.

DCCCC XCVIII. subscribit *abbas domno Salute sancti Prudentii*, quod monasterium Cisterciensibus concessum est. Quis sit iste sanctus Prudentius, an is, cujus corpus e Gallia Narbonensi ad Besuense monasterium Carolo-Calvo regnante a Geylone Lingonensi episcopo translatum est, aliis examinandum relinquo.

XLI. Gomesanus abbas Hildensis.

Alveldensi abbatiæ itidem subjectum erat Hildense monasterium, beati Martini reliquiis insigne, cujus abbas Gomesanus libros sancti Hildefonsi Toletani præsulis exscripsit impulsu Gotescalci Aniciensis episcopi, qui hoc anno voti causa cum magno comitatu ad fines *Galeciæ sancti Jacobi apostoli suffragia imploraturus* profectus, in reditu ad Hildense monasterium divertit, compulitque Gomesanum abbatem ad prædictos libros exscribendos. quod ipse Gomesanus testatur his verbis in codice præmissis. *Ego quidem Gomesanus, licet indignus, presbyteri tamen ordine functus, in finibus Pampeloniæ abba Hildense in archisterio, infra atria sacra ferens reliquias sancti ac beatissimi Martini episcopi, regulariter degens sub regimine videlicet Dulquinti abbatis, inter agmina Christi servorum ducentorum fere monachorum, compulsus a Gotiscalco episcopo, qui gratia orandi egressus Aquitaniæ a partibus, devotione promtissima, magno comitatu fultus, ad finem Galeciæ pergebat concitus, Dei misericordia sancti Jacobi apostoli suffragia humiliter imploraturus; libenter conscripsi libellum, a beato Hildefonso Toletanæ sedis episcopo, dudum luculentissime editum, in quo continetur de laude virginitatis sanctæ Mariæ perpetuæ virginis.... Unde æstimo incunctanter, ut pari gloria ditetur a Christo pontifex Gotiscalcus, qui hanc laudem Genitricis Domini nunc Aquitaniæ sanctæ Mariæ Anicio in propriam sedem specialiter advexit, sicut Hildefonsus episcopus, qui eam universæ ecclesiæ catholicæ dudum tradidit: quia etsi materia defuit laboris, æquiparatur tamen sacra devotio retributione mercedis. Mihi autem exiguo atque miserrimo Gomesano concedat Christus, gloriosæ Genitricis suæ interventu placatus, hic emundari a sorde facinorum, & post expletum vitæ hujus cursum cum sanctis omnibus in regno cælorum perfrui gaudio feliciter sine fine mansuro, amen. Transtulit autem hunc libellum sanctissimus Gotiscalcus episcopus ex Hispania ad Aquitaniam tempore hiemis, diebus certis Januarii mensis, currente feliciter æra* DCCCC LXXXIX. *regnante Domino nostro Jesu-Christo.* Deinde in codice sequitur vita sancti Hildefonsi cum ejus libris, de quibus suo loco diximus. Gotescalcum Aniciensem episcopum e Calmeliacensi sancti Theotfredi monasterio assumtum fuisse tradunt.

XLII. Ramiri regis sepultura & monasteria.

Post victoriam de Mauris reportatam obiit hoc ineunte anno Ramirus rex Legionensis apud Legionem, ubi, abdicato regno, filioque Ordonio de manu tradito, pænitentia & eucharistia ex christiano ritu ab episcopis & abbatibus, qui animam agenti aderant, procuratus, supremum obiit diem quinto Januarii, postquam annos decem & novem cum tribus fere mensibus regnavisset. Funus illatum in cœnobium [a] Salvatoris, in ea urbe pro virginibus ab ipso institutum: ubi Elviram, filiam unicam, sacrari curaverat. Alterum monasterium sancti Andreæ nomine, tertium sancti Christophori ad Ceæ ripam; quartum ad Durium Matri-virgini sacrum; quintum denique sancto Michaëli in Ornensi valle condidisse memoratur. Ordonius filius ejus, eo nomine rex tertius, vix annos quinque cum dimidio regnavit, ad patrem in eodem Salvatoris monasterio humatus: cujus tempore Ferdinandus rex Castellæ, conserto cum Mauris longe impari numero ad Laram prœlio, viro sancto, Pelagio nomine, qui ei victoriam portenderat, monasterium sancti Petri magnificum ad ripam Aslanciæ fluminis e belli manubiis exstruxit, ubi Gonsalvi patris ossa humata sunt: cui monasterio Pelagii sacellum in vicina rupe eminens conjunctumque, nostra etiam ætate visitur. Garsiæ quondam ejus monasterii abbatis, quem in Sanctorum numero reponunt Benedictini nostri, sepulcrum eo loci monstratur.

[a] Mariana ll. 8. c. 5.

ANN. CHR. 951.

XLIII. Sancti Walaricus & Richarius Sithiu translati.

VIx biennium in Sithiensis monasterii regimine expleverat Womarus abbas, cum Hildebrandus Arnulfi comitis nepos in ejus locum suffectus est, a beato Gerardo quidem rogatu comitis institutus, ordinatus autem a Wicfredo Morinorum episcopo. Hic monasterium ita rexisse dicitur, ut omnibus circumpositis esset exemplum. Anno insequente quinquagesimo-primo Arnulfus comes, sanctarum reliquiarum avidus, corpus sancti Walarici abbatis e proprio monasterio, a Danis destructo, ad Sithiense transtulit IX kalendas Septembris; & quinto post die corpus

ANN. CHR. 951.

beati Richarii e Centula eodem adduxit; ac demum sancti Silvini episcopi reliquias ex Alciacensi. Hæc memoriæ mandavit Folquinus ejus temporis æqualis, cujus hæc verba sunt. *Sub Hildebrandi abbatis tempore comes Arnulfus, sanctarum reliquiarum avidus, sanctum Silvinum, a monasterio requietis sua propria furtim abstractum, & sibi delatum, huic monasterio direxit venerandum xv. kal. Martii, die festivitatis ejusdem, anno incarnationis Domini* DCCCC LI. *Post etiam sanctum Walaricum, eodem modo de castello & monasterio suo ei deportatum, ad hoc direxit monasterium viiij. kal. Septembris. Sanctum etiam Richarium, die post hac vj. id est iv. kal. Septembris, pariti modo præcepit deferri conservandum.* tum subdit idem auctor: *Anno a nativitate Domini* DCCCC LII. *suscepit etiam prædictus abbas in monasterio quemdam canonicum Saxonici generis, nomine Odoldum, ad monasticum confugientem habitum: cui ad imbuendam puerorum scholam commisit; (erat enim litteratoria arte peritissimus) & decaniæ curam commisit, quam usque hodie, Deo miserante, regit.* Hæc Folquinus. Alia videtur fuisse causa, cur Arnulfus comes prædictorum sanctorum corpora e propriis locis Sithiu transferret. nempe continuum bellum, quod habebat cum Hugone principe Francorum ob castrum Monasteriolum * & terram quondam Herluini, quam idem Arnulfus occupaverat, nec restituere volebat. unde quo magis Hugonem exasperaret, has reliquias ex illius terræ partibus abstulit. Certe hoc anno, ut scribit Frodoardus, Hugo ipsam terram ingressus cum Rotgario Herluini filio, quoddam castrum, forte sancti Walarici, obsedit: sed mox Ludovico rege petente, ab obsidione destitit.

* *Montreüil.*

XLIV. Fanis castrũ condit Fridericus.

Haud absimilis rixa orta est inter Ludovicum regem & Fredericum ducem Lothariensem, Adalberonis Mettensis episcopi fratrem, qui fretus auctoritate Hugonis principis, cujus sororem Beatricem conjugio sibi copulaverat, hoc anno munitionem in loco Fanis dicto, in confinio Lotharingiæ & Campaniæ, construxit, *inconsulto rege vel regina*, inquit Frodoardus. unde vicina Campaniæ loca prædationibus vexare cœpit. Querelis hac de re ad Ottonem regem, qui ipsum ducem instituerat, a Ludovico delatis, Otto negavit se velle, ut Fredericus in illo regno ullam munitionem haberet, invito Ludovico. Hæc ex Frodoardo ad hunc annum, ubi variant manuscripti codices, quorum nonnulli habent Banis, quod de Barri-ducis loco plerique recentiores interpretantur, indeque Barri-Ducis originem repetendam censent. At retinenda lectio *Fanis* *, ut recte animadvertit qui vitam sancti Gerardi gallice scripsit religiosus & eruditus vir Benedictus a Tullo Capucinus, probatque in primis diplomate Ottonis primi, abbatiæ sancti Apri concedentis *alodum unius mansi juxta castrum Fanis super fluvium Horna, quod dedit Godefridus miles pro sepultura sua*; tum etiam charta Pibonis episcopi, qui *Fanes juxta Barrum castrum* memorat. Idem auctor observat, Fredericum ducem castrum vocabulo Barrum itidem exstruxisse in prædio ecclesiæ Tullensis, at tredecim annis serius, id est anno DCCCC LXIV. Gerardi episcopi anno secundo, qui ægre tandem assensit, aliis prædiis in compensationem acceptis. Attamen longe ante id tempus Barri locus jam insignis erat, Barrum-castrum a Fredegario [a] dictus, id est opidum, a quo pagus Barrensis, cujus meminit Wlfoaldus comes ante annos fere mille, nimirum in primaria charta monasterii sancti Michaëlis, qood ille in pago Virdunensi ad Mosam ædificavit. Nec dubitem, quin iste sit *pagus Barrisus*, qui inter Pertisum & Camizisum pagos ponitur in capitularibus Caroli Calvi. In chronico [b] prædicti monasterii sancti Michaëlis legitur, eumdem Fredericum abbatiam illius monasterii dominio suo subjugasse, & dominium illud sub titulo defensionis ad posteros suos transmisisse; atque ut castrum Barri, quod propter frequentes Campanorum in Lotharingiam incursiones in confinio utriusque provinciæ exstruxerat, *casare* seu in feodum erigere posset, de tertia parte possessionum abbatiæ illud *casavisse*, hoc scilicet prætextu, quod hoc castrum totius abbatiæ tutamen ac munimentum foret. Quin etiam Bazunvillam & alias villas adjacentes ab ecclesia Tullensi per commutationem accepisse dicitur, concessa illi ecclesiæ curia apud *Berchem* in Teutonica terra, & duabus abbatiis, *scilicet Mediano-monasterio & Galilæa, quæ dicitur Deodatus*: quæ quidem abbatiæ antea Gauzlino Tullensi episcopo datæ fuerant, sed forte paullo post a Frederico duce occupatæ, eique demum prædictæ commutationis obtentu restitutæ. Processu temporis Rainaldus Barrensis comes, quinto gradu Frederici in illo comitatu successor, graves mo-

* *Fanis.*

Barrum item castrum S. Michaëlis abbatiæ dispendio.

a *Fredeg. epit. c. 11.*

b *Analect. to. 2. p. 387.*

ANN. CHR. 951.

nasterii prædiis exactiones imposuit. qua de re conquesti sunt monachi [a] litteris scriptis ad archiepiscopum Trevirensem, scilicet Adalberonem, ejus nominis secundum, ut suo loco videbimus.

a Baluz. miscell. to. 4. p. 464.

XLV. S. Mariæ Laudunensis abbatia Gerbergæ data.

Aliud item negotium Ludovico regi facessivit conjugium, quod Heribertus Viromandorum comes iniit cum Eadgiva seu Edgiva regina, matre ipsius Ludovici, quæ in vulgato Frodoardi chronico Gerberga vocatur. Ob eas nuptias iratus rex, *abbatiam sanctæ Mariæ, quam ipsa Lauduni tenebat, recepit, & Gerbergæ uxori suæ dedit.* Hæc est abbatia, quæ modo sancti Johannis Baptistæ dicitur, a sancta Salaberga exstructa, tunc puellarum, jam ab annis fere sexcentis virorum, de qua frequens mentio in his annalibus occurrit. Erant antiquitus quinque ibidem ecclesiæ, quarum princeps sanctæ Mariæ erat, cognomento Profundæ, quod in declivi montis posita esset, uti rudera relicta probant, quæ murum urbis ex ea parte modo constituunt.

XLVI. Adelgagi præsulis epistola ad Frodoardū.

Si non fallunt editi libri, Adelgagus seu Adelagus Bremensis pontifex hoc anno scripsit epistolam Frodoardo patri Remensi, quem a persequendo Noviomensi episcopatu dehortatur. Integram epistolam huc referre juvat.

*Adelagus, miseratione divina Bremensis ecclesiæ servus, Frodoardo patri * Remensi, verbum pacis. Qui dudum deposuisti beneficium, ut tecum mundanæ gloriæ contemptorem animum in solitudinem & monasterii latebram deferres, ex voto non ante finem discessurus; quid jam doles tibi inde non licere egredi ad episcopium ascendendo, quod subripuit Fulcherius? stas, & non stas? Deo promisisti de stabilitate, ut, si aliquando aliter feceris, ab eo te damnandum scires, quem irriseris, & jam tamen vacillas? Esto firmus in via Dei, & a matutina usque ad noctem quæ sunt honoris & dignitatis obliviscere. Orasti:* Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, & vivam. *Eloquium Dei est:* Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Salvabuntur qui fugerint ab eis, & erunt in montibus, sicut columbæ convallium. Vidit Deus boni operis in te affectum, exercendi præstitit facultatem, exaudivit preces. ne dubita, consummandi afferet auxilium. Sed dicis: Negotiari volenti commodat Deus talentum, lucrantes beat. An nescis quanto quis altius evectus est, tanto propius esse ut * cadat? Ignoras honoris gradum superbiæ esse irritamentum, esse inanis gloriæ materiam? Cave ne tibi blandiaris, ne justitiam tuam facere desideres coram hominibus, ut videaris ab eis. Fac te aptum regno Dei: negotiare, lucrare super destinato bravio tuæ vocationis in Christo Jesu. Qui te aptum dicunt dignitati majori, ipsi te, frater, decipiunt, & viam gressuum tuorum, consultore diabolo, conantur dissipare. Fateor enim, qui prodesse, non præesse; qui contradictiones, non honores; qui labores, non delicias; qui opus, non opes episcopatus desiderat, bonum opus desiderare: sed in omnibus interiorem discute animum, & disce. Christum non semetipsum clarificasse, ut pontifex fieret. Officium quidem episcopale suscepimus: sed opus officii non implemus. In affectata præeminentia latet periculum. Horreo notare quod dixit sanctus, rescripsit sanctus:* NUNC ESSEM DE NUMERO DAMNATORUM, SI PUISSIM DE NUMERO EPISCOPORUM. *Hæc accipe ab eo, qui tuus est; & jacta tuum in Domino cogitatum: patientia tua non peribit in finem. Fient in desolationem, subito deficient, peribunt propter iniquitates suas qui te oderunt. Cognoscetur Dominus judicia faciens, & in operibus manuum suarum comprehendetur peccator. Ora pro me. Scriptum pridie kalendas Octobris, anno* DCCCC LI.

* f. Presbytero.

* al. ne.

Notus est Adelgagus Bremensis præsul, qui hanc epistolam scripsit: nec ignotus Frodoardus presbyter Remensis & historicus, si is ipse est ad quem scribit Adelgagus, uti certe manifestum videtur ex eo, quod *Remensis* appellatur, quod *beneficio* privatus dicitur, quod denique adversarios passus fuisse. quæ omnia Frodoardo Remensi presbytero & scriptori celebri apprime conveniunt, qui ab Hugone pseudopræsule & ab Heriberto comite ejus patre exagitatus, trususque in custodiam est anno DCCCC XL. ablatis ipsi iis rebus, *quas de episcopatu tenebat*, cum ecclesia Culmisciaci, *quam regebat.* Itaque nullum dubium est, quin Frodoardus Remensis presbyter post illum annum factus sit monachus, professusque regulam sancti Benedicti, cujus verba professionis in præmissa epistola usurpasse dicitur. Hinc Sigeberto [b] *Flawaldus Remensis, qui gesta pontificum Remensium scripsit, monachus* vocatur. Idem hoc anno quinquagesimo-primo contendit de Noviomensi episcopatu cum Fulcario, monasterii sancti Medardi Suessionensis decano, qui demum

Frodoardus monachus & abbas.

b Sigeb. de script. c. 131.

ANN. CHR. 951.

prævaluit, & post triennium ab Attaldo archiepiscopo ordinatus est, teste ipso Frodoardo, qui nullam de se ipso hac in re mentionem facit. Hinc colligas, Rodulfum episcopum, Fulcarii decessorem ineunte hoc ipso anno decessisse, si non fallit nota chronica vulgatæ epistolæ, quam alii ad annum DCCCC LIV. rejiciunt, quo anno Fulcarius ordinatus est. At contentio de episcopatu ad triennium per illas civilium bellorum tempestates facile protrahi potuit. Jam vero cujus loci monachus fuerit Frodoardus, nobis incompertum. certe in diœcesi Remensi, ubi & *prælaturam* obtinuit, qua fractus ætate se abdicavit anno DCCCC LXIII. coram Odalrico archiepiscopo, qui illam nepoti ejus Frodoardo *per electionem fratrum* imposuit. ubi *prælaturæ* nomine videtur intelligenda abbatialis dignitas, probatque ejus epitaphium, veteri Romano scriptum idiomate, in quo *castus clericus*, *bonus monachus*, *melior abbas* fuisse traditur. an in monasterio sancti Basoli, quod plerique volunt, ubi duo avunculi sui filii monachi fuere, malo incertum relinquere, quam temere asserere. Id si admittas, abbas fuerit necesse est post Odoleum, primum ejus loci a restituta monastica disciplina abbatem. quæ restitutio anno insequenti facta est. ubi si monachus factus est Frodoardus, ad triennium superior epistola differenda, quæ eum jam monachum dicit. Denique ipsum in urbe aut in pago Remensi tunc mansisse illud probat, quod hoc tempore in Vosagum ab Artoldo archiepiscopo missus [a] est ad reposcendas quasdam ecclesiæ Remensis possessiones, a Raginbaldo Conradi ducis familiari afflictas, quas postea Artoldus Hincmaro abbati ac monachis Remigianis donavit.

[a] *Frod. hist. lib.* 1. *c.* 20.

XLVII. S. Glodesindis translatio.

Emendato per Adalberonem Metiensem episcopum parthenone sanctæ Glodesindis, Himmiltrudis abbatissa, ejusdem præsulis consanguinea, de instauranda basilica, *quia brevitas & vetustas monere videbatur*, consilium animo agitare cœpit. Sed quia id nonnisi submoto sanctæ Glodesindis corpore fieri licebat, episcopo propositum aperit. Hic reparandæ basilicæ consilium probat: at sacrum corpus loco movere pæne ipsi religio erat. Consulti ea de re venerandi patres, Einoldus Gorziensis & Ansteus sancti Arnulfi abbates, scrupulum levant, animosque ad id utrique, id est episcopo & abbatissæ, addunt. Instabat ascensionis dominicæ dies, qua episcopus in publico suggestu frequentem populum ad commendandum Deo negotium hortatur, diemque sequentis dominicæ ad eam celebritatem indicit. Ea die, *ab ipso sancto pontifice missis dictis*, & facta ab eodem concione, cum *eo patres monasteriorum & ceteri ex clero religiosi*, ad tumulum sanctæ Glodesindis reverenter accedunt. Arca reserata, sanctæ virginis ossa extrahuntur, & præparato loculo excepta, *in proximam* quamdam domum inferuntur conservanda, dum fabrica basilicæ absolveretur. Illic facta miracula, quorum aliqua narrat Johannes Mettensis abbas, ejus temporis æqualis.

XLVIII. Stradensis monasterii eventus.

Frodoardus in chronico auctor est, Hungaros hoc anno, ex Italia transscensis alpibus egressos, in Aquitaniam pervasisse, ibique tota pæne æstate demoratos, multis eam regionem rapinis & cædibus attrivisse; ac demum per Italiam domum revertisse. Ea tempestate id videtur accidisse, quod in libro de translationibus sancti Genulfi confessoris legitur, nempe Stradenses pagi Bituricensis monachos, cum hæc regio *Hungarorum quateretur incursibus*, ad castrum Lucas *, secundo Angere fluvio, cum beati Genulfi præsulis corpore se contulisse: indeque, cum hostes recessissent, ad propria rediisse. Ibidem fit mentio de alia Hungarorum incursione post biennium facta, quæ Stradenses iterum in vicinum castrum migrare coëgit. Hæc contigere Elia tunc Stradensi abbate, qui Aetico superius [b] memorato successerat. Ejus tempore quidam Britannus sive Anglus, qui sancti Gildæ, aliorumque sanctorum reliquias orationis causa lustrare decreverat, in proxima villa Godonis, quæ citra flumen Angeris sita est, gravi morbo decubuit. Tum Eliam abbatem per nuntium rogat, *ut sibi mysteria nostra redemtionis per sancta religionis ministros mittere dignaretur, qui eum jam deficientem sanctis ac vivificis mysteriis communicarent, ejusque exitum Domino commendarent.* Missus ad eum paraphonista seu cantor, nomine Wido, *mox eum sacrosanctis mysteriis participavit.* Post obitum ejus corpus delatum in monasterium, honorifice illic sepultum est. In eodem libro agitur de Fredebaldo monacho ab Elia misso ad tuenda cœnobii jura de ecclesia sanctæ Mariæ, ob idque in foribus ejusdem ecclesiæ necato, conscio loci presbytero, nomine Godone. Hoc facinore abbas ac fratres vehementer afflicti,

* *Loches.*

[b] *lib.* 34. *n* 48.

ANN. CHR. 951.

afflicti, magis *a judice Deo, qui Deus ultionum est, quam ab aliquo saculi principe tanti vindictam flagitii petere decreverunt.* Nec cælestis vindicta in homicidas defuit, uti viso præcognovit *vita venerabilis senior, Ermenulfus nomine, qui tunc in monasterio æditui fungebatur officio* : cui gloriosa Dei-genitrix Maria cum beato Genulfo conspicua in oratorio visa est. Cædis auctores ac ministri omnes intra breve temporis spatium morbis exitialibus absumti : presbyter vero facti pænitens, *sanctam Dei-genitricis ecclesiam & hujus cænobii cœtum ex proprii possessione juris* * *heredem fecit.* Idem post mortem pro scelere pœnas luere visus est a Widone monacho ejusdem ecclesiæ æditito. Perstitit Elias abbas usque ad principatum Hugonis ducis, postea regis, cujus tempore cum optimates quidam Willelmi Pictavorum comitis juxta sancti Sigiranni cœnobium munitionem exstruxissent, id gravate admodum tulit primas contigui castri, quod *ad orientalem Stradensis cœnobii plagam situm* erat. Ideo Hugonis ducis auxilio flagitato, adest princeps cum multis militum copiis, qui ob rapinas in vicinis Stradensis monasterii locis factas cælitus puniti sunt. quo accepto, religiosus princeps toto obsidionis tempore monasterium inviolatum esse jussit, relicto illic milite, qui prædones arceret. Eliæ abbati subrogatus Rotbertus, novam monasterii fabricam aggressus est.

* f. ruris.

XLIX. Stephani episcopi Arvernensis testamentum.

Regebat tunc temporis Arvernensem ecclesiam Stephanus episcopus, qui in suo testamento *cænobiis communiter viventibus, atque canonicis sub sua potestate commorantibus* multa ex suis rebus legavit. In primis Claromontensi beatæ Mariæ ecclesiæ *in communia fratrum abbatiam Aidiacensem* cum suis appendicibus concessit; Iciodorensi sancti Austremonii monasterio villam, quæ appellatur Alta-riba, & alia quædam; sancto Geraldo de Aureliaco villam, quæ vocatur *Alegrin*; monasterio Celsinianensi ecclesiam de Chidriaco; denique Magnilocensi sancti Sebastiani monasterio ecclesiam Hirrundis*, & villam Callinacum. Nullæ sunt chronicæ notæ in hujus testamenti exemplo, quod penes nos est. Hic est Stephanus episcopus, qui hoc anno, ut scribit Frodoardus, Ludovicum regem agnovit, & in Aquitania morbo correptum Letoldus Burgundiæ seu Matisconensis comes perhumaniter curavit.

* Ayronde.

L. S. Enimiæ cella a Stephano Mimatensi fundata.

Eodem tempore Mimatensi ecclesiæ præerat Stephanus alter, qui anno VII. Ludovici regis, consentientibus ecclesiæ suæ clericis, locum beatæ virginis Enimiæ corpore insignitum, qui per incuriam rectorum & sæcularium cupiditatem pæne destructus erat, in pristinum statum restituere aggressus est. Ea de causa domnum Dalmatium sancti Theotfredi abbatem rogavit, ut eum locum in suam curam susciperet, & fratres ibi secundum normam beati patris Benedicti regulariter viventes constitueret. Ille vero renuit, *asserens se in rebus extraneis nolle laborare, vel in alterius potestate.* Ejus mentem intellexit præsul, eique privilegium cum consilio Raymundi marchionis indulsit, quo locus ille deinceps in perpetuum subjectus maneret dominio & potestati cœnobii sancti Theotfredi, ejusque abbatum. Et quia tempus instabat, quo idem episcopus una cum prædicto Raymundo, multisque clericis Romam orationis causa profecturus erat; eisdem se adjunxit Dalmatius abbas, & ante sacrum corpus beati Petri apostoli, & coram Agapito papa, multisque episcopis & presbyteris, atque Alberico senatore, aliisque laïcis, prædictum privilegium recitari, & apostolica auctoritate confirmari curavit, obtento decreto, ut locus ille, *antiquitus dictus Burlatis*, in honorem beatæ Dei-genitricis Mariæ consecratus, *restauraretur in perpetuam habitationem monachorum*, essetque subjectus monasterio & abbati monasterii Calmiliensis, consecrati in honorem beati Petri apostoli, *ubi beatus martyr Theofredus in corpore cum aliorum sanctorum pignoribus requiescit* Hujus rei litteris signum apposuerunt Agapitus papa, *cujus auctoritate hac charta confirmata est*, Stephanus episcopus Mimatensis, Gotescalcus Anicienfis superius laudatus, & alii tum clerici, tum laïci. *Facta est hac charta* III. *nonas Maii, feria secunda, luna* VIII. *regnante Ludovico Francorum & Aquitanorum rege*, id est anno DCCCC LI. quo feria secunda in tertium nonas Maïas incidebat. Dalmatio non multo post suffectus est Wlfaldus abbas, postmodum Diensis episcopus, de quo inferius plura dicendi erit occasio.

LI. S Orentii parthenon conditur.

Puellare cœnobium sancti Orentii seu Orientii episcopi in diœcesi Tolosana hac occasione conditum traditur. Dum Isarnus Tolosanus antistes ecclesias suæ diœceseos perlustraret, & in vico sancti Johannis resideret; contigit, ut pia quædam

ANN. CHR. 951.

matrona, nomine Emervitis de Alteiis, *qua crucem in spatula dextra levaverat ad pergendum Jerosolymam*, illac transiret, & ad episcopum accederet benedictionem petitura. Consilio ejus intellecto, episcopus satius esse dixit, ut domum Dei, in qua pauperes reciperentur, ædificaret. Acquievit illa monenti episcopo, *& ecclesiam sancti Orientii, quæ diu destructa inter vepres deserta remanserat*, concedentibus viris nobilibus, in quorum dominium hæc ecclesia venerat, instaurandam accepit, ibique sanctimoniales collocavit. quo facto, Isarnus episcopus Emervitem & ecclesiæ donatores absolvit *de omnibus peccatis, unde sibi pœnitentiam sumserant.* Facta hæc charta mense Aprili, anno ab incarnatione Domini DCCCC LI. Maio insequente, cum Emervitis se ipsa Domino & sancto Orientio tradidisset, Gimbosa ejus filia itidem Deo & sancto Orientio se consecravit in præsentia Isarni episcopi, *qui eas in monachas benedixit.* Erant etiam eidem Emerviti filii duo, Austorgus scilicet & Raymundus, qui sorori suæ Gimbosæ & aliis monachabus partem hereditatis suæ cum primitiis & decimis vendiderunt pretio CCLX. solidorum Morlanensium cum sex parvis & singulis camisiis. Processu temporis hoc cœnobium unitum est parthenoni beatæ Mariæ de Veteri-muro, diœcesis olim Albiensis, nunc Castrensis.

LII. Agapiti papæ privilegia pro Rivipullo & Crassa.

Rivipullensi monasterio tunc præerat Arnulfus abbas, qui Romam hoc anno profectus est ad Agapitum papam, ut omnes ejus loci possessiones auctoritate apostolica cum libera electione abbatis confirmari [a] curaret. Res pro voto successit, scripto privilegio per manum Stephani notarii atque scriniarii, mense Decembri, indictione decima, quæ a Septembri hoc anno incipiebat. Arnulfum vero ipsum ejus rei causa Romam adiisse intelligimus ex consimili privilegio, quod Soniarius Crassensis abbas eodem tempore ab Agapito papa impetravit per Arnulfum abbatem, quem pontifex ejus *legatum* vocat. Authenticum ejus diploma scriptum est in papyro Ægyptiaca, inscriptumque *religioso abbati venerabilis monasteriis sanctæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ*, [*quod est*] *situm in comitatu Carcassense super fluvio Urbionis.* & in contextu: *Igitur quia per vestrum legatum, videlicet Arnulfum humilem abbatem, postulastis a nobis, quatenus monasterium supra dictum confirmaremus, & cum omnibus suis locis* &c. In utroque diplomate vetat pontifex, ne quis post mortem abbatis cupiditate aut pecunia, vel qualicumque favore aut ambitu abbas constituatur: sed a cunctis servis Dei ejusdem cœnobii *secundum Deum & secundum S. Benedicti patris regulam* dignus eligatur. In Crassensi, *Scriptum per manum Stephani notarii regionarii atque scriniarii sanctæ atque apostolicæ Romanæ ecclesiæ in mense Decembri per indictionem supra dictam decimam.* & ita fere in Rivipullensi.

[a] Marca Hisp. c. 867.

LIII. Ejusdem epistola pro Celsinianensi.

Per id temporis Celsinianense monasterium a vicinis ejus loci præpotentibus viris vexabatur, ejusque possessiones invadebantur. Id ubi pontifex intellexit, graves litteras *omnibus in Arvernico habitantibus* direxit, maxime prælatis, ut prædones ab eo loco arcerent, eosque ad restitutionem sub excommunicationis pœna compellerent. quod maxime commendat Stephano Arvernensi episcopo, in cujus parochia hoc cœnobium situm erat. Pontificias hac de re litteras huc referre operæ pretium videtur.

Agapitus episcopus servus servorum Dei, omnibus sanctæ Dei ecclesiæ filiis in Arvernico habitantibus, perpetuam pacem æternamque salutem in Christo Jesu. Immensa suspendimur ammiratione, cur illi, quibus inter vos pastoralis cura commissa est, oculos mentales claudi, sanctam ecclesiam, ita ut nobis suggestum est, sinant pravorum rabie lacerari, vastari, rebus propriis exspoliari; non opponentes se murum pro Domo Israël, nec in prælio in die Domini stantes, ut obvient sua auctoritate raptoribus & prædonibus: sed videntes inhonorari suam ipsorum matrem, tacent, nec aspera redarguunt invectione talium patratores. Videmur enim terribilem illam vocem aut ignorare, aut nullatenus omnino pertimescere, quæ dicit: Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. Unde generaliter omnibus vobis condolemus, timentes, ne ira Dei a sanctuario ipsius, id est a prælatis, incipiens, in oves eorum justo grassari permittatur judicio. Noscit quam plurimi fratres, & qui ignorat cognoscat, locum Celsinianias, ex quo fundatus est, sanctæ Romanæ ecclesiæ specialiter esse contraditum, ejusque sub tuitione ab initio mansisse, quem speciali amore diligendum esse decernimus, atque omni tempore multiplici sublimandum honore judicamus. Nec immerito. nam salutiferum monastici ordinis aroma ex eodem loco surgens, nunc in nostris partibus, Deo donante, flagrare utiliter videtur. Quapropter rogamus & obsecramus, magnaque prece deposcimus,

ANN. CHR. 951.

ut prædicto loco reverentiam exhibere cureeis, ibique Deo militantes nullus inquietare præsumat. Si quis autem de terra ad jam dictum monasterium pertinente, vel eosdem monachos, aut de ipsorum familia aliquid injuste contra voluntatem abbatis ejusdem cœnobii tenet, nostra apostolica auctoritate præcipimus, ut hoc sine dilatione reddere festinet. quod si non fecerit, ante nostram præsentiam jubemus ut veniat, rationabilem causam dicturus. si vero & hoc contempserit facere, terribilis anathematis innodatus nostra excommunicatione, qui vices beati Petri, licet indigni, agere videmur, cujus [terras] injuste invadere non timet, plectatur atque vulneretur. Specialiter ergo nostra ex parte obsecrando præcipimus domno Stephano episcopo, in cujus diœcesi Celsinianias monasterium situm est, ut omnes res ejusdem monasterii vastantes, vel aliquid mali familiæ monachorum ibidem consistentium inferentes, gladio excommunicationis ferire non differat, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ tamdiu sequestret, donec digna satisfactione emendare cogantur.

LIV. Privilegium pro S. Vincentio ad Vulturnum.

In chronico [a] sancti Vincentii ad Vulturnum Berengarius & Adelbertus reges, rogatu Leonis ejus loci abbatis, præcepta superiorum imperatorum ac regum, eidem indulta monasterio, confirmasse perhibentur. *Data vj. kalend. Octobris, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LI. *regni vero domni Berengarii atque Adelberti piissimorum regum* I. *Actum in plebe sancti Martini.* Id si ita est, hoc præceptum datum est eo tempore, quo rex Otto Papiam urbem regiam in potestatem redegit. Is quippe per nuntium ab Adeleide regina, Hugonis quondam regis conjuge, ad Italiæ regnum capessendum, & ipsam e custodia liberandam invitatus, alpibus cum numeroso exercitu superatis, Veronam primum recepit: tum Canusio expugnato, Adeleidem, quæ illic detinebatur, sibi matrimonio copulavit: perfectisque magna pompa sponsalibus, inde Papiam accessit, quam mense Octobri expugnatam una cum regina triumphantis in modum inivit. Berengarius belli fortunam haud prospere periclitatus, auctore Conrado duce, oexis cum Adelberto filio manibus, Ottonis arbitrio se permisit. Receptis in fidem Otto regnum reliquit, marchia Veronensi & Forojuliensi excepta, quas Heinrico fratri Bajoariæ duci jam attribuerat.

a Chesn. to. 3. p. 698. & 699.

Ratherius Veronæ restitutus.

Ottonem in Italiam secutus est Ratherius, & in Veronensem episcopatum restitutus ab eo est, sed denuo pulsus, ac tertium restitutus. Hinc ille in Itinerario [b] suo Romano: *Omittam quippe ter me contra canones exsulatum, millies injuriatum, episcopium mihi illegaliter ademtum, alium super me adultere adductum receptum. Iterum eo misericordia piissimi cæsaris, præcepto apostolici, qui tunc Romanæ præerat sedi, judicio episcoporum synodaliter restitutum, ab eodem invasore* (Milo [c] is erat) *postea comprehensum, pulsum, injuriatum, exspoliatum, custodiæ mancipatum.*

b Spicil. to. 2. p. 269.

c Ughell. to. 5. c. 654.

LV. Elfegi episcopi Wintoniæ obitus.

In Anglia mortuus est hoc anno Elfegus, cognomento Calvus, die festo sancti Gregorii papæ, scilicet IV. idus Martii, quo die ejus depositio in kalendariis Anglicanis notatur: tametsi ejus cultus ob festum sancti Gregorii ad kalendas Septembris remissus sit. In ejus locum Edredus rex Dunstanum, tunc Glastoniensem abbatem, subrogare voluit, eoque reginam matrem Eadivam, quæ plurimum apud eum valebat, ut id ipsi persuaderet adhibuit. Verum ille constanter renuit, viso cælesti edoctus se non futurum episcopum Edredo superstite, a quo separari nollet. Itaque in vacantem ecclesiam suffectus Elfsinus, & post eum Brithelmus, cui Ethelwoldus noster successit.

ANN. CHR. 952.

LVI. Ludovici præcepta pro monasterio Coxano & Bisuldunensi.

SI recte notatus est Ludovici regis annus sextus-decimus mense Februario in duobus ejus præceptis pro monasteriis Bisuldunensi & Coxano, hic princeps sub initium anni nongentesimi quinquagesimi-secundi in urbe Remorum versabatur. Illic enim adiit Suniarius [d] religiosus presbyter & monachus Coxanensis jussu Gondefredi abbatis sui, ab eoque impetravit diploma, quo monasterii sui possessiones & cellæ omnes confirmantur, potestate monachis facta *eremum* seu inculta loca exstirpandi in pagis Cerdaniensi, Fenoliotensi, Bergitano, & in valle Asperi. *Actum Remis civitate pridie nonas Februarii, indictione vj. anno xvj. regnante Ludovico rege glorioso.* Non convenit indictio sexta cum anno Ludovici regis sexto-decimo, qui mense Februario respondet anno Christi DCCCC LII. desinitque in mense Junio, a quo annus ejus decimus-septimus inchoatur, currente indictione decima. Idem dicendum de præcepto, quod Wifredus [e] comes, frater Soniefredi comitis Barcinonensis, ab eodem

d Marca Hisp. c. 863.

e ibid. 1 861.

ANN. CHR. 952.

* al. Jaufredus.

rege iisdem die & anno petiit, nempe ut regia protectione monasterium tutaretur, a se conditum in honorem sancti Petri in pago Bisuldunensi, nunc Campi-rotundi appellatum, cui primus abbas præfectus est Laufredus * seu Leufredus. Hujus vero monasterii locum Wisredus a Gotmaro Gerundensi præsule per commutationem acceperat, ea ratione, *ut inibi regula beati Benedicti cum abbate proprio exerceretur.*

LVII. Monachi apud S. Vitonum instituti.

In Belgica prima Beringerus seu Berengarius Virdunensis antistes, dolens ecclesiæ suæ clericos, qui ad monasticam professionem anhelabant, ad externa commigrare monasteria, propterea quod nullum in sua urbe inveniretur; communicato cum clero & proceribus consilio constituit, ut in ecclesia sanctorum Petri & Pauli apostolorum, ubi sanctus Vitonus cum aliis ejusdem sedis sanctis præsulibus requiescit, monachorum cœtum institueret clericorum loco, qui illic tum degebant. Expulsis itaque clericis, monachos illuc introduxit, quibus ex rebus tum propriis, tum matris ecclesiæ, annuos proventus assignavit, præfecto eisdem venerabili Humberto abbate, quem e Tullensi sancti Apri monasterio accersivit. Exstat Beringeri hac de re charta in chronico Hugonis [a] abbatis, data *anno incarnationis Domini* DCCCC LII. *indictione x.* ubi male conscripta dicitur *præsidente Romanæ ecclesiæ papa Adriano anno vj.* ubi legendum *Agapito.* tametsi in chartario Vitoniano nulla fit Agapiti mentio, sed tantum Ottonis. Subscribunt domnus Humbertus ejus loci abbas, Vodo item ac Berardus abbates, Godefridus comes, aliique clerici & monachi. Vodo seu Udo idem est atque Odo abbas sancti Michaëlis ad Mosam; Berardus forte sancti Martini extra muros Mettenses, de quibus [b] alias. Idem Beringerus ab Ottone imperatore præceptum monasterio sancti Vitoni obtinuit, quo statuitur, *ut filii* [c] *ecclesiæ Virdunensis, qui sæculum deserere voluissent, in eo monasticum habitum susciperent, nec ad externa monasteria demigrarent.* Erat tamen ante id tempus in illa urbe monasterium sancti Pauli, sed tunc monachis destitutum, quos Wigfridus Berengeri successor ibidem restituit. Quod attinet ad Humbertum sancti Vitoni primum abbatem, is distinguendus est ab altero ejusdem nominis abbate sancti Apri, in vita sancti Johannis Gorziensis laudato, qui Virduni reclusus aliquamdiu vixerat, antequam Gorziam se reciperet, unde ad monasterium sancti Apri translatus est.

a Labbe Bibl. to. 1. p. 132. & 133.

b li. 47. n. 24.

c Labbe ibid. p. 234.

Humberti abbates duo.

LVIII. S. Arnulfo facta donatio.

d Chesn. to. 2. p. 588.

Eodem anno Rodulfus illustris juvenis, filius, ut puto, Matfredi comitis, qui pacto [d] Carolum inter atque Heinricum reges inito subscripsit, Mettensi sancti Arnulfi monasterio, in quo sepeliri cupiebat, ubi & pater ejus Matfridus, atque » avus Rodulfus cum aliis sui generis requiescebant, confert alodum suum, in villa » vocabulo *Til*, situm in pago Salnensi, cum ecclesia sanctæ Mariæ, *ad mensam monachorum Deo & sancto Arnulfo famulantium*, consentiente Audacro comite vitrico suo, atque matre sua cum fratre suo uterino & proprio fratre. *Actum publice in cœnobio sancti confessoris Christi Arnulfi, præsente venerabili præsule sanctæ Mettensis ecclesiæ domno Adelberone, ac suscipiente domno abbate ejusdem loci Ansteo, anno incarnationis Domini* DCCCC LII. *indictione decima, sub die quinta idus Julii, regnante Ottone rege.*

LIX. Cosla abbatia S. Remigio restituta.

e Frod. lib. 1. c. 20.

f Metrop. Rem. to. 1. p. 580. & 581.

Exstat in Vosagi partibus villa quædam, Cosla nomine, quam sanctus Remigius Remorum pontifex dato [e] pretio comparavisse dicitur. Illic processu temporis facta est abbatia, quam Artoldus, ejusdem sedis antistes, sancti Remigii cœnobio concessit. Ejus rei causa misit Hincmarum [f], ejusdem cœnobii abbatem, ad Ottonem regem, ut ab eo hujusce donationis confirmationem obtineret. Huic legationi Otto se favorabilem præbuit, accedente Conradi ducis interventu, & pro » animæ suæ remedio, non solum prædictam abbatiam *monachis sacro loco sub regula* » *sancti Benedicti deservientibus* confirmavit, sed quidquid intra Vosagum ad ipsam » abbatiam pertinebat, sicut ipsi beatissimo Remigio superstiti a Chlodomiro rege, » Chlodovei majoris filio, aliisque Francorum regibus traditum fuerat, restitui jussit. *Data v. idus Septembris anno incarnationis* DCCCC LII. *indictione x. anno Ottonis serenissimi regis xvii. Actum in loco Patherborn.* Odbertus cancellarius *ad vicem Brunonis archicapellani* recognovit, male in editis *archiepiscopi capellani.* necdum enim Bruno Coloniensis archiepiscopus erat. quam dignitatem anno tantum insequenti adeptus est, teste Frodoardo.

LX. Monachi restituti apud S. Basolum.

Idem auctor est, Artoldum archiepiscopum hoc anno monachos in sancti Basoli

ANN. CHR. 952.

monasterium restituisse, expulsis clericis, qui locum illum tunc incolebant, illudque Hincmaro & Rotmaro abbatibus commisisse. Hincmarus Remigiani, Rotmarus Altivillarensis monasterii abbas erat. Id factum *præsente & confirmante* Gerberga Regina legitur in præcepto [a] Lotharii regis, qui anno regni sui primo hanc restitutionem confirmavit. Illic pro canonicis, qui *post monasticam conversationem sæculariter* vivebant, Artoldus *viros regulares* collocavisse dicitur, *quibus & regularem abbatem præfecit, virum justum, & monasticæ institutioni fidelissimum, nomine Odeleum, cui & locum ex integro tradidit, & terram, quæ prius sub manu canonicorum fuerat, ei delegavit, & alios sexaginta mansos addidit.* Hoc Lotharii præceptum datum est Compendio, XII. kalend. Julii, indictione XIV. anno regni ejus primo. quo proinde anno Odoleus abbas erat. an vero Frodoardus ei successerit, medius inter Adsonem, hæret animus.

[a] ibid. p. 594.

LXI. Palidense monasterium conditur.

In Saxonia Mathildis regina piissima, Heinrici quondam regis conjux, Palidense monasterium ædificavit in honorem sancti Johannis-Baptistæ, & sancti Servatii episcopi & confessoris. Incredibile est quod in ejus vita legitur, ubi *tria millia clericorum* illic congregasse dicitur, quibus larga manu necessaria quæque impenderit. Certe clericorum nomine monachos esse intelligendos probat Ottonis Magni diploma [b] hoc anno datum, qui Otto in quodam loco, Palithi nominato, *abbatiam monachorum, in honorem sancti Johannis-Baptistæ & sancti Servatii constructam, concessu ac voluntate venerabilis Hastonis Maguntinensis ecclesiæ archiepiscopi, fieri concessit*, simulque decimas *per parochias Palidensis ecclesiæ, & per quadam novalia ejusdem ecclesiæ a monachis novellata, a venerabili Hattone, utili Maguntinensis ecclesiæ recompensatione eidem ecclesiæ concessa, sancivit* & confirmavit. *Datum xvj. kalend. Maii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LII. *anno regni Ottonis Magni xix. Actum Palithi.* ubi mendum irrepsit, ne quid de aliis dicam, in nomen Hattonis Moguntini. siquidem eo anno non Hatto, sed Fridurícus ecclesiæ Moguntinæ præsidebat. Post annos novemdecim Otto secundus [c] ecclesiæ Magdeburgensi attribuit hoc monasterium, quod in ducatu Brunswico situm erat.

[b] Mader p. 208.
[c] id. p. 116.

LXII. Augustana synodus.

Eodem anno DCCCC LII. Otto Magnus Augustæ-Vindelicorum synodum episcoporum haberi curavit, in qua convenientes Germaniæ & Italiæ episcopi, decem statuta pro cleri & populi utilitate condiderunt. In quinto renovatum est decretum concilii Chalcedonensis de monachis, quibus interdictum est extra claustrum progredi sine licentia proprii abbatis. In sexto renovata item sanctio Toletani concilii, nempe ut *clericis, monachicum propositum sequi cupientibus, & pro remuneratione divina, sæcularibus spretis, artiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab episcopo denegetur, sed potius eos in tali conversatione perstare exhortari conetur* episcopus. Idem sancitum capite sequenti de sanctimoniali, *quæ spontanea voluntate strictiori vitæ proposito*, forte reclusioni, *se alligare voluerit*, ut ne ab episcopo impediatur. Huic synodo præsederunt Frithuricus seu Fridurícus Moguntinus e nostris, Heroldus Juvavensis seu Salzburgensis, Manasses Mediolanensis, & Petrus Ravennas archiepiscopi. Otiosum esset episcoporum nomina huc afferre. Ex nostris huic synodo interfuere Anno Wormatiensis, de quo jam egimus, & Godefridus Nemetensis seu Spirensis ex monacho Wissemburgensi: cui post annos sex successit Otgarius monachus Hornbacensis, post quem electus Werimbaldus Hirsaugiensis monachus electioni suæ assentire noluit.

LXIII. Helmenstadio donatio, & confirmatio Geisekæ.

Dum Magdeburgi rex Otto versaretur cum Adelaide conjuge, quasdam donationes fecit monasterio, quod vocatur [d] *Helmenstadi*, in subsidia monachorum inibi Deo famulantium, id est omnem decimationem quarumdam villarum, cum consensu venerabilis Bernhardi episcopi Halberstadensis, necnon quidquid decimationis pertinebat ad curtes seu prædia prædictorum monachorum, quæ colonia erat monasterii Verthinensis, a sancto Liudgero constructi. *Data tertio kalendas Maias, anno incarnationis Domini* DCCCC LII. *indictione quinta*, (lege decima) *anno domni Ottonis serenissimi regis decimo-septimo. Actum Magathaburg.* Liudolfus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovit. Mense Octobri insequente idem Otto fundationem & dotationem confirmat Geisekensis [e] parthenonis, interventu Hoholti, fratrisque ejus Brunonis ac Friderici, sororisque eorum Wicpurgæ, qui prædictum monasterium construxerant ac dotaverant, ut superius [f] diximus. Actum apud Walahausen septimo kalendas Novembris, eodem anno,

[d] Annal. Paderborn. p. 295.
[e] ibid. p. 296.
[f] Supra n. 14.

ANN. CHR. 952.

indictione decima. Otpertus cancellarius ad vicem Brunonis recognovit, qui Ottonis archicapellani ſeu archicancellarii alter cancellarius ſeu notarius erat. Ad Helmenſtadienſe monaſterium quod attinet, ſub finem ſæculi duodecimi, flagrante bello inter Ottonem & Philippum, Helmenſtadium opidum disjectis mœnibus ſpoliatum eſt, ac nobile illud Helmenſtadienſe monaſterium odio Heriberti abbatis, qui Ottonis caſtra ſequebatur, miſeranda calamitate a milite Philippi devaſtatum, multos exinde annos jacuit, donec anno demum MCC XXXVII. a Gerhardo Werthinenſi abbate denuo excitari cœpit.

LXIV. Boſo epiſcopus Merſeburgenſis monaſterium condit. * *Buſonvvo.*

Floruit hoc fere tempore in Ratiſponenſi S. Emmerammi aſceterio Boſo monachus, poſtmodum aſſumtus ad eccleſiam Merſeburgenſem, qui e clauſtro *ad ſervitium regis aſſumtus*, beneficium Cicenſis eccleſiæ in præmium accepit, & juxta prædictam urbem in quodam ſaltu monaſterium, ex ſuo nomine Buſonwenſe * dictum, exſtruxit. Et quia in orientali Saxonia innumeram Chriſto plebem prædicatione aſſidua converterat ad fidem chriſtianam, Ottoni Magno auctor fuit tres in illis partibus conſtituendi epiſcopatus, Miſnenſem, Cicenſem & Merſeburgenſem, cujus primus epiſcopus creatus eſt.

ANN. CHR. 953. LXV. Synodus in monaſterio S. Theoderici.

ANno inſequenti ejus ſæculi quinquageſimo-tertio, pace inter Ludovicum regem & Hugonem ducem Francorum firmata, ſynodus quinque epiſcoporum, præſidente Artaldo epiſcopo, convenit in monaſterio ſancti Theoderici in territorio Remenſi, ad quam Ragenoldus comes de Rauciaco ob res eccleſiaſticas ab ipſo pervaſas vocatus, venire ſubterfugit, precatus regem ad avertendas diras, quas epiſcopi in eum proferre decreverant. Ad id temporis monaſterium ſancti Theoderici a clericis occupatum erat, poſtero anno combuſtum ab Hungaris, qui Campaniam & Burgundiam prædationibus, cædibus & incendiis tunc infeſtarunt. Tandem Adalbero, Remorum antiſtes piiſſimus, monachos apud ſanctum Theodericum reſtituit, ut poſtea dicturi ſumus.

LXVI. Turbæ in regno Ottonis.

Per id tempus ingens diſcordia exoritur inter Ottonem regem & Liudulfum ejus filium, cui Conradus dux Lotharienſis cum aliis regni primatibus adjunctus. Hujus diſcordiæ cauſa orta eſt ex eo, quod Otto nato ex nova conjuge Adelaïde filio, Ottoni nomine, regnum deſtinare videbatur, quod jam Liudulfo aſſignaverat. Iratus maxime in Conradum Otto, ducatum Lotharienſem ei abſtulit, tradiditque Brunoni fratri ſuo, qui hoc ipſo anno Colonienſis archiepiſcopus, mortuo Wicfredo, creatus eſt.

Ratherius epiſcopus Leodicenſis.

Eodem quoque tempore deceſſit Farabertus Leodicenſis epiſcopus ex-abbate Prumienſi, cui Bruno Ratherium præceptorem ſuum, qui ſecundo a Veronenſi eccleſia pulſus fuerat, ſubſtituendum curavit, ratus, id quod res erat, virum, doctrina & moribus haud improbis præditum, aptum & idoneum eſſe ad corrigenda ſuperiorum epiſcoporum errata, qui illam eccleſiam non bene adminiſtraverant; ſimul ad emendandos clericorum mores, qui liberiorem vitam ducebant. Sed contra quam Bruno ſperaverat, res vertit. nam *ad ſui perniciem*, ait Folcuinus [a], *pars ſiniſtra prævaluit, & quidquid pro ſalute eorum geſtum eſt, hoc ſibi peſtiferum exiſtimabant.* Nec mora in Ratherium ſævitum eſt, nec ceſſatum, donec illi *expulſione ejus crudelitati ac nequitiæ ſuæ ſatisfacerent.* Ratherius itaque violentiæ cedere compulſus eſt, biennio in epiſcopatu vix exacto.

a *Spicil. to. 6. p. 566.*

LXVII. Einoldus abbas Mettas liberat.

Interim Conradus ablati ſibi ducatus injuriam non ferens, ubi Moguntiam præſidio firmaviſſet, ad Mediomatricum urbem ſe convertit, eamque invaſit. Verum poſt non modicam Mettenſis agri deprædationem ex urbe exceſſit hortatu, ut fertur, Agenoldi ſeu Einoldi abbatis Gorzienſis, uti Frodoardus tradit.

Wltmarus abbas Blandinienſis.

Eodem tempore Wltmarus ſeu Womarus, reſignante Blandinienſem abbatiam ſancto Gerardo, ibidem abbas ordinatus fuiſſe dicitur apud Sanderum, & ablatorum bonorum reſtitutionem obtinuiſſe ab Arnulfo Magno, qui poſt annos ſex monaſterium inſtaurare aggreſſus eſt, cujus baſilicam Adalbero Remenſis archiepiſcopus poſtmodum conſecravit. De hoc abbate agitur in libro de vita ſancti Cadroæ Mettenſis abbatis, qui cum Walciodorum viſitaſſet, recurrente ſancti Gorgonii celebritate, ad eam celebrandam in Gorzienſe monaſterium, una *cum Wltmaro Gandenſis cœnobii, cumque Aledrando Gemblacenſis monaſterii abbatibus repedabat.* In reditu, cum illi in caſtro Brieo prandendum ante horam ſuaderent, propterea quod nullus in itinere opportunus locus occurreret; negavit Cadroë abbas, iterque

ANN. CHR. 953.

Cadroæ miracula.

usque ad prandii tempus persequi statuit. Hora refectionis in quodam prato subsistendum dixit, ubi, deficiente aqua, fontem evulso cæspite cœlitus impetravit. *qui fons*, ait auctor ille, *usque hodie permanens, testatur quid Kaddroë apud Deum meritis habeat.* Ad Aledrandum seu Aledrannum abbatem quod attinet, nullus ejus nominis abbas in Gemblacensi chronico per id tempus legitur. Primus enim ejus loci abbas Erluinus successorem habuit Heriwardum, cui suffectus Erluinus eo nomine secundus, Erluino secundo Olbertus, qui annum incarnationis millesimum prætergressus est. Non alius ille videtur quam Aletrannus Laubiensis, qui anno ejus sæculi sexagesimo Laubiis præpositus, post annos quinque e vita migravit. Idem Cadroë Lazarum Scottigenam, qui cum eo in monasterio sancti Clementis habitabat, poculo ipsi porrecto febri liberavit.

Gemblacenses abbates.

LXVIII.

Anno abbas apud S. Galli intrusus.

Liudolfus Ottonis Magni filius, quem turbarum in patrem incentorem fuisse diximus, vastata Bajoaria, ad sancti Galli monasterium accessit. Audito ejus adventu, Cralo abbas, assumto cum paucis aliis Waningo fratre, cum sacrarii thesauro, quem furto amisit, ad Ottonem se recepit, a quo pro exspectatione non bene acceptus fuisset, nisi agente sancto Udalrico Augustensi episcopo, condiscipulo quondam suo, ejus fides regi esset approbata. De privato regis procurari jussus, magnam nihilo minus penuriam ab œconomis pertulit, propinquis scilicet Enselini & Victoris, quos in monasterio adversarios jam sustinuerat. Interea Liudolfus biduo commoratus apud sanctum Gallum, fratrum instinctu Cralonem detestantium ob severiorem, ut ipsis videbatur, disciplinam, ipsius Cralonis fratrem Annonem monachum abbatem jussit, infulis certe dignissimum, si legitime creatus fuisset. Hic intra breve præfecturæ spatium, id est unius anni cum duobus mensibus, admiranda celeritate vallum & fossas cum turribus tredecim loco circumdedit.

Magdeburgo facta donatio.

Residebat eo tempore Quindeliburgi rex Otto, ubi ob remedium animæ suæ & dilectæ suæ conjugis Adeleidis, prædium Hiddehusi cum tota marca, quod a Bilingo comite pro quadam possessione, in terra Slavorum & in Turingia sita, in commutationem acceperat, Magdeburgensi monasterio sancti Petri & sanctorum Mauricii & Innocentii contulit *ad usum monachorum. Actum Kidalingaburg, anno Domini* DCCCC LIII. *anno regni Ottonis regis xviij.* Hæc apud Meibomium [a] post Witichindum, ubi alia donatio eidem monasterio post annos decem facta legitur.

[a] Meibom. p. 112.

LXIX.

Coxanensis basilicæ dedicatio.

Facta est hoc anno dedicatio [b] basilicæ Coxanensis, quam Seniofredus Barcinonensis comes hac occasione construxit. Everso, ut superius diximus, exundantis fluvii Tetis aquis Exalatensi monasterio ac penitus submerso, ejus loci monachi cum suis omnibus ad vallem Confluentanam se recepere, ibique in loco, cui Coxanum seu Cuxanum vocabulum erat, consistentes, ecclesiam in honorem S. Germani Autisiodorensis episcopi tumultuario opere construxere. Perstitit hæc ecclesia usque ad tempora Seniofredi comitis Barcinonensis, qui, adepta paterna hereditate, ad Cunfluentem profectus, visa tam vilis operis ecclesia, quæ tugurioli potius, quam oratorii speciem præferebat, eam destruere, & aliam ampliorem, augustioremque ædificare decrevit. Absoluta demum nova basilica, Riculfus Helenensis episcopus, ad ejus dedicationem a Seniofredo invitatus, eam in honorem sancti Germani & sancti Michaëlis archangeli consecravit. Huic celebritati adfuere, præter Seniofredum ac Gondefredum abbatem & monachos loci, Oliba comes Cerritaniensis, frater Seniofredi, Ava eorum mater, Bernardus vicecomes Cerritaniæ, aliique permulti: quorum plerique insignia dona in dotem novæ basilicæ contulerunt. *Exarata est autem hæc scriptura donationis, dotis, traditionis anno incarnationis Domini* DCCCC LIII. *die iij. kalendas Augusti, anno Ludovici regis xviij.*

[b] Marca c. 868.

Rodensi monasterio facta donatio.

Non multo post Ludovicum regem [c] Lauduni degentem adiit Hildesindus abbas monasterii Rodensis, supplicaturus, ut quoddam stagnum de Castilione dictum, positum in comitatu Petralatensi, ex consensu Gozfredi illustris comitis, prædicto monasterio largiretur. quod rex facile annuit. *Actum Lauduni-montis vj. idus Septembris, indictione xj. anno xviij. regnante Ludovico rege gloriosissimo.*

[c] ibid. c. 870.

ANN. CHR. 954.

LXX.

Ludovici regis obitus & sepultura.

POstero anno Lauduni adhuc versabatur Ludovicus, cum æquivocus ejus filius minorennis vita functus est. cujus rei mærore affectus rex, eam urbem deseruit, & Durocortorum Remorum ire decrevit. In itinere, dum obvium lupum insequitur, equo excussus, graviterque attritus Remos defertur: ubi protracto languore de-

ANN. CHR. 954.

cumbens, elephantiaco morbo correptus decessit IV. idus Septembris, anno ætatis tricesimo-tertio, regni decimo-octavo. Annum discimus ex Frodoardi chronico: diem ex psalterio Emmæ reginæ, & ex subjecto epitaphio, eruto ex codice nostro Germanensi, ex quo annus ejus ætatis ac regni innotescit. Sic habet epitaphium.

Sanguine cæsareo jacet hic excelsa propago,
Francorum populo prodita de Karolo;
Dum sibi ter-denos & tres floreret in annos.
Augustum nomen rex Ludovicus erat.
Remigius regum sanxit consulta priorum.
Huic dederat sceptrum: præstat & hic tumulum.
Octavum-decimum regnando subegerat annum:
Quadris September idibus exit iter.
Lector, posce Deum, Francorum posce salutem,
Hoc regale genus servet in orbe Deus.

Sepultus est in basilica sancti Remigii ad dextram principis altaris, ubi cum prolixo epitaphio ejus effigies visitur, qualis hic exhibetur; & e regione Lotharius ejus filius, qui ibidem humatus est, ut suo loco videbimus.



Ludovici

ANN. CHR. 954.

Ludovici anniversarium ibidem fit quotannis, notatum in necrologio his verbis: *iv. id. Septembris obiit domnus HLudovicus Francorum rex.* & recentiori manu: *Intus quiescit in dextro choro, & dedit nobis castrum istud*, id est castrum quod vocabant sancti Remigii. Si non fallit præmissum epitaphium, bis coronatus est Ludovicus, idque non sine exemplo, primo quidem Lauduni, testante Frodoardo: deinde in basilica Remigiana, ut habet epitaphium, & in quodam ejusdem Ludovici diplomate legere memini.

Lotharius coronatur.

Lotharius adhuc *puer*, filius Ludovici, non multo post in eadem sancti Remigii basilica insignia regni ab Artaldo archiepiscopo accepit, faventibus Hugone principe ac Brunone Coloniensi archiepiscopo, ceterisque præsulibus ac proceribus Franciæ, Burgondiæ, & Aquitaniæ. Ut vero Hugonem principem sibi devinciret novus rex, Burgundiam & Aquitaniam ei commisit. Lotharii novi regis unctio pridie idus Novembris facta dicitur in chronico Clarii monachi Senonensis. Insequente Decembri [a] idem Lotharius Gandense sancti Petri seu sancti Bavonis monasterium, ab Arnulfo comite & Balduino ejus filio, sancti Gerardi Broniensis abbatis opera & studio instauratum, regia auctoritate confirmat, ubi *quemdam alumnum ejusdem Gerardi, religiosum videlicet virum Womarum*, abbatem anno superiori instituerant. qui Womarus transacto jam suæ ordinationis anno primo, hujus privilegii interventores adhibuisse dicitur *religiosos abbates, Aginaldum videlicet Gorziensis cœnobii abbatem*, [Gerardum] *provisorem cœnobii sancti Petri* Blandiniensis, *Hildebrandum atque Ledricum, ceterosque sanctæ dictæ ecclesiæ adjutores.* ex quibus Hildebrandus abbas erat sancti Vedasti, Ledricus seu Leudricus sancti Amandi. *Datum in palatio Lauduni-clavati, apud monasterium sancti Johannis... Decembris, anno primo regnante Lothario rege gloriosissimo.* Wido cancellarius ad vicem Artoldi archicancellarii hoc diploma recognovit.

Diploma ejus pro S. Bavone.

a Miræi donat. p. 345.

LXXI. Fulcarius fit episcopus Noviomensis.

Frodoardus auctor est, Fulcarium decanum monasterii S. Medardi Suessionensis, quem alii Fulcherium vocant, Noviomensium episcopum hoc anno Remis ordinatum fuisse, haud dubie ab Artaldo archiepiscopo. Verum hanc dignitatem non diu tenuit, anno insequenti exstinctus, ex eodem Frodoardo. Pravam de eo nobis opinionem suggerit Herimannus [b] monachus; ast eum Marlotus [c] purgare nititur. Fulcario in decani officio successisse existimo Gerardum, qui se *patrem cœnobitarum* [d] dicit in prologo, quem ad Hugonem Rotomagensem archiepiscopum scripsit in vitam sancti Romani ejusdem sedis pontificis, ejus hortatu a Gerardo expolitam. quippe decani in monasteriis, ubi sæculares abbates dominabantur, vices abbatum agebant, adeoque patres cœnobitarum non immerito dici poterant. In hoc prologo ait Gerardus, se operis executionem distulisse ob adversitatum incommoda, «quæ undique ipso anno perpessi erant. modo vero se Hugoni archiepiscopo dirigere «sancti Romani *vitam veteranam heroico carmine editam*; aliam vero, quæ historico «stilo scripta erat, *pro nimia vetustate* penes se retinere, & ejus loco aliam, illius ad «instar ab se digestam, ei transmittere. Ceterum vitam illam veteranam in loco Braina, qui Rotomagensis ecclesiæ potestatis tunc erat, cum multis aliis libris amissam, «sed a quodam mercatore inventam, nepti suæ, id est ipsius Gerardi, in monasterio Dei Genitricis Mariæ Deo sacratæ, concessam fuisse, quam illa muneris loco «Gerardo impertierit. In fine idem auctor ab Hugone petit sancti Romani promissas «quasdam sibi reliquias, precesque a cuncto illius loci contubernio fratrum, paritér«que a monasterio sancti Audoëni. Gerardi tempore Ethgiva regina, Caroli Simplicis quondam, tum Heriberti Trecensis comitis uxor, in cryptis sancti Medardi sepulta est, ubi hactenus legitur ejus epitaphium lapidi insculptum, quod alibi [e] retulimus.

b Spicil. to. 12. p. 458.

c Marlot to. 1. pag. 586.

Gerardus decanus S. Medardi.

d Analect. to. 1. p. 107.

e ibid. p. 427.

LXXII. Laubienses Hungarorum obsidione liberati.

Conradus dux Lothariensis, quem ob defectionis cum Liudulfo societatem ducatu ab Ottone privatum anno superiori diximus, hanc ulturus injuriam Hungaros in regnum Lothariense inducit usque ad terram Ragenarii Hainoensis comitis æmuli sui, atque Brunonis archiepiscopi Coloniensis, Ottonis fratris. Inde barbari in pagos Viromandensem, Laudunensem, Remensem, & Catalaunensem pervadentes, usque in Burgundiam penetrant. Denique multis suorum, tum armis, tum morbis, amissis, per Italiam reliqui ad sua revertuntur. In illa funestissima clade quanta strages provinciis, ecclesiis, ac monasteriis illata sit, etiam silentibus illorum temporum auctoribus, facile conjicimus ex innata barbarie Hungarorum.

ANN. CHR. 954.

Fulcuinus tamen quid Laubiensi monasterio acciderit, diserte testatur. Ait quippe * sævissimam hanc gentem, a perversis illectam civibus, in primis a Conone duce, (sic Conradum vocat) transitis Germaniæ & plerisque Galliæ provinciis, omnia ferro & igni vastaturam se totam infudisse, comitante Conone. qui ubi Trajectum ad Mosam ventum est, incertum qua de causa, ab eis descivit. Hungros vero Hasbaniam incendiis ac deprædatione aggressos, Carbonariam silvam petiisse. Ejus rei fama Laubias perlata, missus e monachorum collegio ad paciscendum cum illis Huchertus frater, patiens laboris, seipsum ob amorem sanctæ religionis, fratrumque ad umne discrimen impendere paratus. Facta pactione de solidis ducentis, revertitur, obsidibus a barbaris acceptis. Verum Laubienses infidelibus haud quaquam fidentes, Tudinium * munire tentant ad se suaque tutanda: sed obstitit Raginerus comes. Montem itaque monasterio incumbentem, ubi sanctorum Ursmari & Ermini corpora colebantur, cnnscendunt, & variis plaustrorum, surculorum, sæpiumque impedimentis instar munitionis circumcingunt, Dei adjutorio maxime confisi. Jamque paschalium octavarum, quæ erant tunc IV. idus Aprilis, celebritas complebatur, cum prima luce apparuit densa veluti nubes equorum equitumque galeatorum. Expavere Laubienses, ex quibus qui agiliores erant, propere montem scandunt, & in umbratilem illam munitionem se recipiunt: qui vero ætate graviores & impeditiores erant, in monasterio substitere. Mox eo barbari advolant, ex iis qui substiterant, duos ubtruncant, Theutmarum & Theodulfum: reliquos capiunt: eos vero, qui iu montem se receperant, obsident. Urgentur obsessi, nullis non telorum aut tormentorum generibus impetiti. Resistunt illi pro viribus, quippe quibus pro aris & focis, pro salute & vita res erat. Jamque hostes in præsidium irrumpebant, & fere ad manus cum obsessis venerant, cum ex respectu miserantis Dei, ex adytis templi duæ columbæ evolantes, terna circuitione obsidentium acies circumeunt. tum effusus cælo immensus imber arcus hostium laxat, & inutiles reddit. Mox metus ac terror in eos tantus irruit, ut fugam maturarent præcipites, captivos abducentes eos, quos ceperant, qui paullo post sani & incolumes reversi sunt. Ecclesia sancti Pauli incensa; majorisque tentatum, sed frustra, incendium. Thesaurus ecclesiæ partim in munitionem transportatus, partim in ecclesia a Theodulfu infossus, qui a quodam capto ex pœnarum impatientia proditus, & a barbaris exportatus fuisse creditur. Hujusce liberationis memores Laubienses, annuam ejus memoriam posteris recolendam sanxerunt IV. nonas Aprilis, quo fieret *commemoratio meritorum Ursmari & Ermini, quo metuerunt Laubienses ab Hungrorum obsidione eripi.* Ex his non paucos a Guiberto Gorziensi monacho, Gemmelacensis cœnobii conditore, ad Christi fidem conversos fuisse Sigebertus in ejus vita tradit. Eadem impressione combustum est sancti Theoderici monasterium in agro Remensi: cujus rei oraculum Otberto clerico (nam clerici tunc illic erant) longe ante factum traditur.

LXXIII. Gerlannus & Fridericus archiepiscopi mortui.

Hoc ipso anno duo nostri ordinis archipræsules ex bac vita migrarunt, Gerlannus scilicet Senonensis, olim monacbus sancti Germani Autisiodorensis, & Fridericus Moguntinus ex-abbate Fuldensi. In cbronico Clarii monachi Gerlannus archiepiscopus, longo confectus senio, ad astra migrasse dicitur nonis Augusti, sepultusque fuisse in basilica sancti Germani Autisiodorensis: *cui successit Heldemannus secundo idus Decembris, sancti Dionysii monachus.* De Friderico seu Fritburico ita legitur in chronico Hildensheimensi ad hunc annum: *Frithuricus archiepiscopus Mogontiaensis ecclesia obiit, vir summe abstinentia, in religione sancta & doctrina probatus.* Id tamen in eo culpandum, quod seditiosis ab Ottone rege deficientibus non semel adhæsit. Sepultus est ad sanctum Albanum, apposito ad ejus tumulum epitaphio, quod Serarius retulit. Willelmus Othonis filius in ejus locum successit. His adjungendus Thiotardus *pie memorie* episcopus Hildensheimensis, eodem anno mortuus, qui antea Hirsaugiensis abbas exstiterat. Huic in episcopatu successit Otwinus, unanimi totius cleri ac populi consensu electus ex abbate cœnobii Pergensis, quod erat olim ante muros Magdeburgensis urbis ad Albim magnificentissimum, ut Bruschius testatur, nunc in Germanico, inquit, hoc bello solo æquatum. Præfuit annis triginta Hildensheimensi ecclesiæ, cui corpus sancti Epiphanii ex urbe Ticino allatum contulisse dicitur. mendose *Ochwinus* apud Bruschium appellatus, laudatus a Tritbemio in historia Hirsaugiensi.

Theotardus item Hildensheimensis episcopus.

* Spicil. to. 6. p. 569.

* Thuin.

ANN. CHR. 954.

LXXIV. S. Hildulfi translatio.

Jam quartus-decimus fluebat annus, ex quo monastica disciplina in Mediano-monasterio restituta fuerat, cum Adelbertus abbas, rei tam pulcræ ac piæ auctor, de transferendo sancti Hildulfi episcopi corpore, quod ad id tempus in proprio sepulcro jacuerat, cogitare cœpit. Convenit ad eam celebritatem magnus abbatum, monachorum, ac religiosorum virorum cœtus cum infinita promiscui vulgi multitudine. Levatum e tumulo sacrum corpus, & in arca lignea repositum, translatumque ex oratorio sancti Gregorii, ubi primitus humatum fuerat, in majorem beati Petri basilicam, in qua repositum fuit hoc anno, VI. idus Octobris: quo die nubibus & pluviis atrum cælum in magnam serenitatem conversum fuisse traditur. Eodem tempore levata sunt etiam ossa duorum sancti Hildulfi discipulorum, Johannis & Benigni gemellorum, qui una die concepti, unaque die nati, cucullati ac mortui, unoque sepulcro conditi fuerant. Ex his colligitur, thecam argenteam, in qua nunc sancti Hildulfi reliquiæ repositæ sunt, etsi antiqui operis, eo tamen tempore posteriorem esse, quo lignea tantum facta est.

LXXV. Cralo abbas redit ad S. Gallum.

Apud sanctum Gallum Anno, qui in locum Cralonis abbatis fratris sui a Liudulfo suffectus fuerat, hoc anno immature decessit. Biennium jam in aula Cralo exegerat, multa passus ab Enzelino, aliisque Victoris propinquis. Cumque nec ipse de rigore quidquam remittere, nec Enzelinum ad preces Ottonis recipere vellet, ab irato rege privatur abbatia Fabariensi, sancto Gallo ab aliquot annis subjecta: quæ Enzelino mox donatur. Excitavit ea jactura jam infensos sancti-Gallensium in Cralonem animos: adeo ut Udalrici Augustensis episcopi industria vix tandem in monasterium receptus sit, agente in primis Amalungo Ekkehardi monachi fratre, laïco admodum litterato & facundo, *cui soli ab ullius memoria capituli domum intrare permissum est.* Erat tunc Walto ejus loci decanus, & post eum primores Ekkehardus mox dictus, *post doctrinas*, id est scholarum magisterium, *decanus*; Notkerus, quem pro severitate disciplinæ Piperis-granum cognominabant, doctor ipse, pictor, & medicus; Geraldus ab adolescentia usque ad senilem ætatem scholarum magister; & Burchardus, post abbas, præter singulares scientiæ & virtutum dotes, *nobilitate, qua & ceteri pollebant, regalis.* Restituta utcumque per Udalricum concordia non diu tenuit ob funestum casum, qui Victori monacho, Cralonis dudum adversario, accidit. Hic aliquando foras eundi veniam a decano petiit, specie ut quosdam amicos in vicinia inviseret; re, ut Enzelinum fratrem, jam Fabariæ abbatem, Cralonis damnis insultaturus, adiret. Admonitus hac de re abbas, militem ad eum reducendum mittit. Ille reverti nolens, baculo e propinquo rapto, militem ipsum capite percutit, & ex equo seminecem dejicit. Tum vero qui militem comitabantur, Victorem equo & ipsi dejiciunt, eique oculos eruunt. Relato in monasterium Victore, in abbatem retorquetur facinus, de quo is se ad aram sancti Galli purgare voluit: sed patres non permisere. Sanatus brevi ab Ekkehardo medico Victor, postmodum ab Erchinbaldo Argentinensi antistite, consanguineo suo, accersitus, urbem ejus *doctrinis floridam* reddidisse traditur, eoque mortuo, ad cellam quamdam eremiticam intra Hochfeldinos montes, Longum-mare vocatam, secessisse: ubi, postquam multos annos vixisset, *multas virtutes*, ut fama loci est, *in extremis faciens, sanctissimus circumquaque habitus, diem senex obiit*, ut scribit Ekkehardus junior, qui ejus sepulcrum invisit, quod serpentibus, ceterisque venenatis reptilibus, quorum plurima illis in locis copia est, omnino impervium & intactum esse a quodam ejus loci solitario accepit. Hochfeldi montes vicini sunt Jurensibus silvis, ut ex eodem Ekkehardo [a] intelligitur.

Victoris monachi fortuna.

a *Gold. p. 68.*

LXXVI. Rassonis monachi Werdensis gesta.

In monasterio Andecensi seu Monte-sancto, quod sex horarum itinere a Monachio * Bajoariæ civitate distat, pro sancto habetur venerabilis Rasso seu Ratho ex-comite monachus cœnobii Werdensis, quod ipse juxta Amperensem lacum ad pedem arcis suæ Razembergensis exstruxerat. Hic [b] ab Heinrico Bajoariorum duce, Ottonis Magni fratre, contra Hungaros, sub Toxo eorum rege in Bajoariam irruentes, belli dux factus, semel & iterum feliciter pugnavit, eosque prostravit. Post hæc peregrinationem ad loca sancta aggressus fuisse dicitur una cum Juditha prædicti Heinrici conjuge, Arnulfi Bajoariorum ducis filia, fundatrice monasterii Inferioris Ratisponensis, in quo sepulta quiescit. Reversus in patriam Rasso, monasticæ vitæ propositum animo concepit, ob idque monasterium in insula fluvii Ambronis ad pedem castri sui, in diœcesi Augustana, Werdense nuncupatum, ædifica-

* *Munich.*

b *Hund. to. 3. p. 223.*

ANN. CHR. 954. vit, cujus basilicam in honorem Salvatoris & sanctorum apostolorum Philippi & Jacobi ab Udalrico Augustano episcopo sanctissimo consecrari curavit. Illic collocatis tredecim monachis e familia sancti Benedicti, Rasso ipse, relicto cum magna humilitate sæculo, se adjunxit, ac monasticen professus, hoc anno, xv. kalendas Junii ad superos abiisse dicitur, ibidemque sepultus fuisse. Vastato dein ab Hungaris monasterio tres ejus loci relicti monachi, Eusebius, Adelbertus & Adelherus, refugerunt in proximam arcem montis Andecensis cum reliquiis venerabilis Rassonis, quæ illic depositæ sunt, ac demum post multum tempus e loco ante incognito cum aliis reliquiis & monumentis effossæ, ut vetus missale testatur, quod olim in Andecensi monasterio vidimus, de cujus origine inferius, Deo dante, agemus.

LXXVII. Ravennenses abbates. a Labbe to. 9. c. 1137. Rubeus, & ex eo Labbeus[a] revocant ad hunc annum concilium Ravennæ habitum sub Petro archiepiscopo *indictione xiij*. quæ anno præsenti convenire potest, si certum esset hoc concilium post kalendas Septembris celebratum fuisse; alias anno sequenti consignanda. In eo concilio quædam prædia, quæ a nonnullis occupata erant, Ferrariensi episcopo asserta. Ejus synodi acta, charactere Longobardico scripta, in Ursiana bibliotheca servari testis est Rubeus, signata *anno Berengarii & Adalberti regum quinto, indictione xiij*. quibus subscribunt episcopi numero sex, ac tres abbates, scilicet *Dominicus religiosus presbyter & abbas regularis sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe; Martinus presbyter & abbas regularis sancti Severi*; & *Petrus misericordia Dei presbyter & abbas regularis sancti Laurentii, qui vocatur in Casarea*. ubi observanda est abbatis *regularis* nuncupatio, quæ hoc sæculo maxime in usu esse cœpit, ut exempla in superioribus jam adducta probant. Monasterium sancti Severi, situm extra muros Ravennenses, inter Classem & Ravennam, postea Cisterciensibus concessum est, nunc omnino excisum, uti & monasterium sancti Laurentii in Cæsarea, qui locus itidem Ravennam inter ac Classem positus erat. Ejus monasterii ecclesia, quæ Honorii principatu condita dicitur, monachis Græcis ab exarchis primum tradita, post exarchos nostris commissa fuit.

ANN. CHR. 955. LXXVIII. Lotharii præceptum pro S. Remigio. b Marlot to. 1. p. 584. ANno supra nongentesimum quinquagesimo-quinto ineunte Lotharius rex, ut se gratum exhiberet beato Remigio, cui ab ortu nativitatis suæ oblatus, & in cujus basilica *ab omnibus Francorum proceribus electus*, id est agnitus, *ac regali diademate coronatus fuerat*, ob amorem etiam, quem genitrix sua Gerberga erga eumdem locum præ ceteris habebat, ad preces Hincmari abbatis præcepto[b] suo sanxit, ut monachi, *ibidem sub regularis abbatis pastorali sollicitudine viventes*, absque ulla perturbatione sub regia tutela consistant; & ut castrum sancti Remigii omnino sit immune, & sub eorum tantummodo ditione libere constitutum, simulque omnes aliæ villæ, quas monachi possidebant. *Actum Lauduni publice regali palatio kalendis Januarii, indictione xiv*. (lege XIII.) *anno primo regnante Lothario rege*. Wido regiæ dignitatis notarius hoc præceptum ad vicem Artaldi archiepiscopi recognovit.

LXXIX. S. Petro Carnutensi facta donatio. Non multo post monasterio sancti Petri Carnutensi facta est donatio cujusdam alodi in villa Condato territorii Corbonensis ad fluvium Odanam. Parva in speciem res, sed ob personarum dignitatem notabilis. De ea legitur in codice, quem „ Haganonis vocant, quod Lambertus, filius Ansberti, cum Girberga sorore sua, „ necnon propinquis suis Guaningo & filiis ejus, Gadilone atque Ingone & filia „ Girberga, prædictum alodum, hereditario jure ad se pertinentem, vendiderint *Girvardo militi* (nota *militis* nomen pro nobili jam tunc receptum) *fratrique suo* „ *Gertranno, Odoni quoque & Ildegario*, acceptis ab eis in argento viginti tribus soli„ dis nummorum. Huic chartæ apponuntur signa *Hugonis ducis*, cognomento Magni, & filiorum ejus *Oshonis & Hugonis, Odonis comitis*, scilicet Trecensis & Carnutensis, *Hugonis comitis Cenomannorum, Hervei comitis Mauritaniæ*, in cujus ditione hic alodus situs erat, *Lamberti vicecomitis*, & aliorum. *Data est vij. kal. Julii, anno primo regni regis Chlotarii*. Hanc vero chartam Girvardus posuit super altare sancti Petri in signum donationis, eidem ab ipso factæ. Id contigit tempore Aremberti abbatis. Arembertum excepit Widbertus, cujus successor Gilbertus eumdem alodum sub annuo censu ad tres vitas concessit tribus ipsius Girvardi propinquis.

LXXX. Flaviniaci præpositi. Flaviniaci in Burgundia Fulcherius præpositus sub Rotmundo Æduensi episcopo

& abbate, obiit [a] IV. kal. Maii, eique successit Milo Magabrensis abbas, qui Ro- ANN. CHR. 955.
mam profectus, privilegium a Benedicto papa quinto impetravit. Eo mortuo,
Walterus episcopus Flaviniacense monasterium Rotberto commisit, locum pessum [a] *Labbe to. 1. p. 792.*
daturo, nisi ab officio remotus fuisset. Hic abbatia pulsus, cellam Corbiniaci, quia
Landrici comitis Nivernensis propinquus erat, obtinuit, & se abbatem vocari fe-
cit. Post eum Heldricus Cluniacensis monachus Flaviniacensem abbatiam tenuit,
cujus successor Amedeus cellam Corbiniaci recuperavit. Ex eo tempore Flavinia-
censis abbatia Æduensibus episcopis ademta.

Exstat in pago Arvernico, sed in episcopatu Augustodunensi, villa Oydellis cum LXXXI.
capella beatæ Mariæ, ubi beatus Leotadus corpore quiescere dicitur. Hunc lo- Oydellis villa Cluniaco data.
cum vir nobilis Stephanus & uxor ejus Ermengardis contulere Cluniacensi mona-
sterio, cui *domnus Eymardus humilis abbas* præerat. Actum apud Oydellas publi-
ce, anno Lotharii regis primo, qui de eadem donatione præceptum fieri jussit.
Hujus donationis charta, *jubente domno Stephano lecta est in curte Euiziaco ante
domnum Willelmum comitem in præsentia domni Stephani Arvernorum episcopi die illo,
quando seniores Arvernici cum comite supra nominato convenerunt, eique se commenda-
verunt.* quæ temporis notæ observandæ sunt ad res Arvernicas illustrandas. Hinc
enim intelligitur, Willelmum Pictavorum comitem, mortuo Ludovico rege, in
possessionem Arvernici comitatus venisse. Has litteras in elogio [b] Aymardi abba- [b] *Sæc. 5. p. 320.*
tis Cluniacensis integras retulimus: quibus subscripsere Stephanus Arvernorum
episcopus, Willelmus comes, Rotbertus vicecomes, Rotbertus abbas, & alii. Eo-
dem tempore Leotaldus Matisconensis comes pro salute animæ suæ, filiique sui
Alberici, necnon Erolanæ matris suæ, tradit Cluniacensi cœnobio, cui Aymardus
abbas præfuisse dicitur, *mansum in agro Fuseiacensi juxta fluvium Sagonna, regnan-
te Lothario Francorum rege.*

In Provincia Gallorum Criso comes, & cum eo Rostagnus clarissimus episcopus LXXXII.
cœnobio Montis-majoris Arelatensis res suæ proprietatis in villa comitatus At- Monti majori facta donatio.
tensis seu Aptensis, quam Campos vocant, cum ecclesia sancti Albani donavit pro
anima genitoris sui Crisonis & genitricis suæ Deviardæ, & matris nepotis sui
Rostagni episcopi, nomine Ermengardæ. Facta donatio ista *in Attensi civitate pu-
blice, anno incarnationis Dominicæ* DCCCC LV. *xj. kalendas Martii.* Ceteras no-
tas chronicas, utpote mendosas, mitto, petitas ab anno XIII. Conradi regis Ala-
mannorum & Provinciæ, & ab indictione V. quæ anno prædicto non conveniunt.
Subscribunt his litteris Criso comes, Rothstagnus episcopus, an Aptensis, & Ermen-
garda ejus mater. *Norgaldus supremus* seu infimus *monachorum rogatus scripsit.*

Eodem anno Witizo monachus & Eldefonsus subdiaconus alodem suum apud Alia Crassæ facta.
Buadellam * villam territorii Narbonensis in suburbio Minerbensi conferunt mo- * *Buadelle.*
nasterio beatæ Mariæ, fundato in territorio Carcassensi in valle Equitanica su-
per fluvio Urbione, quod monasterium Crassæ vocant. *Facta scriptura donationis
atque traditionis idibus Septembris, anno ij. regnante Leutario rege.* Hinc colligas
in Crassensi monasterio, si quidem Witizo ejus loci monachus erat, laxatam
fuisse monasticam disciplinam, quæ tales donationes monachorum admittebat.

Habitum est in civitate Narbona placitum coram Aymerico archipræsule, *sub* LXXXIII.
die iduum Maii, anno incarnationis dominicæ DCCCC LV. *& anno primo, quo Lothe-* Placitum pro S. Pontio Tomeriarum.
rius rex cœpit regnare, de media parte cujusdam alodis, siti apud Genestar vicum co-
mitatus Narbonensis, quam monachi sancti Pontii Tomeriarum ex dono cujusdam
Alfarii possidebant. His ea de re litem intentavit Udalgarius. Ambæ partes ad
constitutam diem convenerunt Narbonæ ante Aymericum archipræsulem & Richil-
dim vicecomitissam. Jussi monachi proferre scripturam cum testibus & auctoribus
ejus donationis, adduxerunt eleemosynarios Alfarii defuncti, qui legitimam dona-
tionem comprobaverunt. quo facto, Udalgarius *propter timorem Dei & pro beati Pon-
tii amore* causam refutavit, professus, se ea de re monachos non amplius interpel-
laturum *nec hodie, nec ex hodie, nec ullo umquam tempore, neque per legem, neque
per justitiam, neque per malum ingenium.*

Cum Leodicensem episcopatum vix biennio tenuisset Ratherius, gravissimæ con- LXXXIV.
tra eum conspirationi factæ cedere compulsus est, suffecto in ejus locum Baldri- Ratherius
co, qui de magnatum prosapia oriundus erat. Ægidius id ex eo contigisse ait, Leodicensi
quod Ratherius in mores hominum, tam verbis, quam scriptis, mordacius inve- episcopatu cedit.

Vuu iij

ANN. CHR. 955.

a Spicil. to. 6. p. 567.

hereiur, & nec potenti, nec humili prorsus deferret. *Cessit igitur*, ait [a] Fulcuinus, *ne vinceretur a malo, sed vinceret in bono malum: cessit adversantium voluntati, ut suo eos gladio jugularet, sibi* sponte obstrictos sacramentorum fide, se, si acciperent episcopum, quem petebant, *invicta exinde firmitate auctoritatem ecclesiæ & jus imperatorium* tuituros. Ratherium post hanc cessionem ad Laubiense cœnobium recessisse Ægidio assentior: at eum ibi ad obitum deinceps perseverasse falsum esse constat ex Fulcuino ejus temporis Laubiensi monacho, qui testatur, Ratherium, exacto in sua destitutione biennio, in Italiam revertisse, ac Brunonem Coloniensem archiepiscopum cum Ottone germano suo id effecisse, *ut eidem jam bis destituto antiqua sedes Veronensis ecclesiæ restitueretur.*

LXXXV. Calventiacū Andaginensibus datum.

Tunc in illis Belgii partibus florebat Stephanus comes, de quo id memoriæ proditum invenio in libro de miraculis sancti Hucberti episcopi Tungrensis. *Anno incarnationis dominicæ* DCCCC LV. *imperii autem* seu regni *Ottonis primi vicesimo, comes Stephanus dedit Andaginensi ecclesiæ legali dono, quidquid sui juris erat in Calventiaco: & hoc præsente Brunone archiepiscopo Coloniensium, & Baldrico pontifice Leodiensium: cujus cum esset erga beatum Hucbertum affectus magnæ dilectionis, ut corpus ejus ad prædictum fiscum deferretur, ab abbate Alberto & fratribus ejus obtinuit, ibidemque illi vestituram ejusdem allodii coram Raginero & Gisleberto comitibus, multisque regni principibus publice firmavit.* Raginerus hic Hainoensis comes erat, Longi-colli cognomen sortitus: Gislebertus seu Gisilbertus Arduennæ comitatum [b] tenebat. Hoc allodium processu temporis cum Fridericus, frater Theoderici ducis Lothariensis, invadere voluisset, nec ab hac injuria delatione sancti Hucberti corporis reprimi potuisset; in ipso exitu e villa lapso super eum equo totus collisus ibidem exspiravit.

b Brovver. annal. Trevir. lib. 9 n. 139.

LXXXVI. Mathildis reginæ pia facta.

Hoc ipso anno kalendis Novembris, Heinricus dux Bajoariorum, Mathildi reginæ matri suæ carissimus, cessit e vita, cum paullo ante Liudulfus, ejus ex fratre Ottone nepos, ipsius ducatum invasisset. Hanc mortem pia parens tulit acerbissime, & ex eo tempore regia indumenta, quæ viduæ convenire poterant, penitus abjecit, ac deinceps lugubri veste induta est, nec nisi sacros cantus audire voluit. Erat in ejus ministerio sanctimonialis quædam, Rechburga nomine, cui diligenter observare præcepit, ut ne quis egenus suis largitionibus non recreatus abiret. Balneum mane præparari jubebat, quo pauperes ac peregrini lavarentur, quibus ipsa non raro sordes abstergebat. Sabbatum singulari cultu honorabat, tum propter reverentiam vigiliæ dominicæ resurrectionis, tum ob memoriam Heinrici regis conjugis sui, qui ea die decesserat. His aliisque exercitiis pia regina vacabat in monasteriis ab se constructis, quorum unum post alterum identidem incolebat.

LXXXVII. Augusta Hungrorum obsidione liberata.

Paullo ante Heinrici ducis obitum contigit Augustam-Vindelicorum ab Hungarorum numeroso exercitu obsideri. Jamque illi basilicam sanctæ Afræ cremaverant, & ad portam urbis, quæ propugnaculis destituta erat, jam ingressuri pervenerant, cum sanctissimus antistes Udalricus, non clypeo vel galea loricave, sed stola indutus, in hostes processit: dum interim religiosæ mulieres atque infantes ipsi ad altaria jactati, illæ precibus ac gemitibus, hi vagitibus divinam opem efflagitarent. Tum adveniente cum copiis Ottone rege, hostes, numero longe superiores, in fugam se dedere præcipites: ex quibus multi cæsi, plurimi capti, ceteri ad sua reversi sunt. Cecidit in illo prœlio Dietpaldus seu Theodpaldus, frater Udalrici, cum Reginboldo comite, filio sororis ejusdem sancti antistitis, cujus meritis hæc victoria tributa est. Amborum funus curavit rex Otto, ac Dietpaldi filium Richwinum patris comitatibus honoravit. Dein Udalricus ad restruendam sanctæ Afræ basilicam se convertit, nec ab opere destitit, donec eam imbricibus cooperuit, & interius variis ornamentis decoravit. Ipse etiam cælitus didicit locum, ubi corpus sanctæ Afræ virginis & martyris jacebat, scilicet secundo milliario ab urbe, ut in ejus passione legitur. Hanc porro victoriam ad hunc annum revocant Frodoardus &, ut alios prætercam, Hermannus Contractus, cujus hæc verba sunt: *Conradus, dux bellicosus & pius, gener regius*, Ottonis scilicet, cum quo in gratiam redierat, *& sancti frater episcopi Theotpaldus, sororis ejus filius, & Reginbaldus comes, aviæ meæ Perthæ patruus, occubuere.* Hanc porro victoriam IV. idus Augusti contigisse docet vetus inscriptio a Browero [c] relata. Post hæc Gerardus, vitæ sancti Udalrici scriptor, iter ejus Romam commemorat, ubi eum ab Alberico principe

c Annal. Trevir. lib. 9. n. 117.

Romanorum honorifice susceptum fuisse tradit, indeque sancti Abundii caput retulisse. Verum hoc iter præpostero relatum esse ordine, uti & quæ sequuntur de ejusdem itinere in Burgundiam, ex eo manifestum est, quod Albericus princeps Romanorum superiori anno jam decesserat.

LXXXVIII. Campidonæ Udalricus ægrotat.

Incertum est quo anno contigerit id, quod idem auctor in consequentibus narrat de sanitatis recuperatione, quam Campidonæ vir sanctus unctione olei sacri consecutus est, quod in diè cænæ Domini benedicere solebat. Forte e monasterio sancti Galli, quod ob antiquum a primis annis amorem frequens invisebat, Augustam reversurus Campidonam divertit: ubi tam gravi infirmitate correptus est, ut nec sine aliorum adjutorio progredi, nec quidquam cibi sumere valeret. Mox Augustam missus nuntius, oleum sanctificatum affert, cum monachi sollemni missæ officio (vigilia pentecostes tum erat) interessent. Peractis sacris mysteriis, adsunt monachi, qui pro ejus infirmitate septem psalmos cum litania recitant: tum *quemdam sanctum monachum, Hiltine nominatum, ad claustrum revertentes fratres ad ungendum eum oleo sancto cum suis duobus presbyteris dimiserunt.* Unctione secundum Jacobi apostoli doctrinam facta, vir Dei omnino convaluit, ejusque rei nuntium ad fratres, qui tum prandebant, mox perferri jussit. Nec dubium receptæ sanitatis argumentum dedit, cum ad signum vesperarum statim surgens, in ecclesiam processit, *& ibi in Dei laudibus infatigatus permansit, donec vespertinalis laus a fratribus secundum cursum monachorum prolixe perficeretur.*

LXXXIX. Buranum cœnobium vastatum

In illa Hungarica incursatione vastatum est inter alia Buranum monasterium, & pæne in solitudinem redactum, nisi quod duo fratres [a] presbyteri hunc locum per novennium incoluisse dicuntur. Dein Woltoldus, monasterii instaurator ac novus fundator dictus, per duodecim annos præpositum egit, quem sex alii præpositi subsecuti sunt: dum tandem Ellingerus abbas, ex Tegernsensi accitus monasterio, pristinam ejus loci disciplinam reformavit, &, substituto post annum Gothelmo, ad proprium monasterium reversus est.

[a] Hund. to. 2. p. 146.

X C. Dunstanus regi Edredo suprema persolvit.

In Anglia mortuus est hoc anno Edredus rex piissimus, qui vitam suam ad nutum Dunstani abbatis composuerat. Ubi letali morbo correptus est, cum nullam evadendæ mortis spem medici promitterent, per celeres nuntios Dunstanum abbatem, quem vitæ suæ parentem alterum agnoscebat, e Glastoniæ monasterio accersit, *ut sit ultimi arbitrii testis, confessionum susceptor, & fidelis apud Deum intercessor.* Verum is in itinere ex voce cælitus delapsa regis obitum accepit, moxque defuncti animam Deo precibus commendavit. Ingressus palatium, dilecti principis cadaver jacens contemplatur, ab aulicis derelictum ac neglectum. Miratur commutationem, conditionem miseratur. At ille fidem, qua viventem dilexerat, defuncto quoque impendere studens, debitum sepeliendi officium impendit, & justa ipsi regio more persolvit. Successit pio regi longe dispar Edwius, filius Eadmundi regis, totus ad crudelitatem & libidinem compositus: quem cum Dunstanus sæpius increpitum emendare non valeret, ad monasterium se recepit, ibique *in tanta celsitudine religiosus* vixit, *ut mensuram sancta excederet devotio.* Cum vero impii regis scorta & facinora redarguere non cessaret, patrium solum vertere jussus, transmisso oceano, in Flandriam se recepit, mansitque in Gandavensi sancti Petri monasterio, ubi Womarus abbas erat, *propterea quod illud ceteris illius regionis monasteriis & professione virtutis & philosophia documentis excellere videbatur. Exsulat itaque sanctus, nulla exsilii per gratiam Dei damna deplorans: dum suis meritis ita omnes sibi devinciret, ut patriam esse exsilium putaret.* Alter ejus vitæ scriptor tradit, Odonem Cantuariensem episcopum, audita regis petulantia, qui ipso consecrationis suæ die infame stuprum commiserat, consulentibus coëpiscopis ac principibus, duos viros, quos animo constantissimos noverat, ad arguendum regem misisse, Dunstanum scilicet abbatem, & Cynewium episcopum ejusdem Dunstani consanguineum. Biennium in exsilio perstitit vir sanctus, dein revocatus ab Eadgaro principe optimo, quem regni proceres loco Edwii ejus fratris regem constituerunt.

Exsul Blandinii degit.

Abendoniensibus res suæ restitutæ.

Paullo ante obitum Edredus rex villam Abendunam ejus nominis monasterio, cui ab Ælfredo rege avo suo abstracta fuerat, agente Ethelwoldo abbate restituit, diras comminatus iis, qui hanc restitutionem infringere tentarent. Eam vero non modo comprobavit Eadgarus, sed triplex eidem monasterio privilegium indulsit, ut postea videbimus.

ANN. CHR. 955.
XCI.
Agapito papæ succedit Johannes XII.

Sub finem hujus anni ad cælum migravit sanctissimus pontifex Agapitus, cum annos circiter decem Romanam ecclesiam præclare administrasset. In ejus locum se intulit indignus tali sede ac decessore Octavianus clericus, vix annos quindecim natus ex concubina, qui anno superiori Alberici patris sui principatus jam occupaverat. Hujus pontificatus ut fœdum ingressum, sic tristem exitum cum maxima totius ecclesiæ offensione & ipsius Italiæ perturbatione habuit. Hunc primum esse putant e Romanis pontificibus, qui nomen mutaverit, ex Octaviano dictus Johannes, ordine duodecimus, indignus qui inter pontifices numeraretur, nisi ecclesiæ consensus metu schismatis intrusioni tam illegitimæ accessisset. Agapiti annum obitus diserte assignat Frodoardus, diem ignoravit Baronius. Probabilis sententia est ipsum VI. kalendis Januarii e vita migrasse. Unum e postremis ejus diplomatibus fuit illud, quo *Balduino abbati venerabilis monasterii Casini montis* ejusque successoribus in perpetuum restituit Terracinense sancti Stephani monasterium, quod *per longam vetustatem in ruinis & desertis positum erat. Data xvij. kalendas Novembris per manum Andreæ divini respectus gratia arcarii sanctæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio domni Agapiti summi pontificis & universalis junioris papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli decimo, in mense & indictione supra scriptis*, id est indictione XIV. a Septembri inchoata. Sigonius auctor est, Albericum consulem, veteri libidine duminandi, Urbisque potiundæ incensum, cum extraordinariis in civitate opibus esset instructus, filium suum Octavianum, licet juvenili adhuc ætate præditum, ipsa jam pridem corrupta nobilitate favente, ad eam dignitatem evexisse, atque Johannem XII. appellavisse. Verum ut id admitti possit, dicendum est, Octavianum ante mortem Agapiti in sedem Romanam intrusum fuisse a patre Alberico, quem anno præcedente, ut jam dixi, obiisse ex Frodoardo constat, atque adeo ante Agapitum papam, cujus mortem anno subsequenti, id est præsenti, idem auctor accuratissimus consignat. Nec desunt inter veteres qui asserant, Octavianum factione patris in locum Agapiti adhuc viventis intrusum fuisse. Certe haud veri simile est, adolescentem, vix ephebis egressum, tantum auctoritatis ac potestatis mortuo patre habuisse, ut cunctis ordinibus repugnantibus pontificatum invadere potuerit.

ANN. CHR. 956.
XCII.
Pestis in Germania & in Gallia sævit.

Annum insequentem quinquagesimum-sextum infestum reddidit dira pestilentiæ lues, in Germaniam totamque Galliam effusa, quæ multos episcopos ac principes viros, non tantum plebeios, e medio sustulit. In his Rotbertus Trevirensis præsul eximius e nostris Coloniæ exstinctus: cujus corpus Treviros relatum; episcopatus Heinrico, regis Ottonis propinquo, datus est. Illatum Rotberti funus in Paulinianæ basilicæ cœmeterium, beatæ Walpurgi a decessore conseeratum. Haud scio an ex eadem contagione interierit Hugo Francorum princeps, cognomento Albus, cujus filins Hugo, cognomento Capetus, in patris dignitates successit, rex Francorum aliquando futurus. Hunc paullo ante præcesserat Gislebertus dux Burgundiæ, qui principatum suum prædicto Hugoni commisit. Hunc vero ipse Hugo brevi subsecutus, apud villam agri Parisiaei, quæ Dordinga * vocatur, die dominica XVII. kal. Julii viam universæ carnis ingressus est, sepultusque apud sanctum Dionysium, Ottoni filio Burgundiæ principatu relicto, quem Heinricus, ejusdem Ottonis frater, post eum adeptus est.

* *Dourdan.*

Hugo Capetus abba-comes.

Post mortem Hugonis principis Hugo ejus filius abbatias sancti Dionysii & sancti Germani Parisiensis, quasi hereditario jure obtinuit, abba-comes ob id appellatus. Ejus vices in sancti Germani cœnobio egit Albericus decanus, Huberti successor: dum Hugo abbas Gualoni abbatiam resignavit. Eodem haud dubie tempore abbatem quoque regularem apud sanctum Dionysium instituit, forte Rotbertum, de quo in consequentibus agemus.

XCIII.
Wolfgangus Heinrico archiepiscopo adhæret.

Heinrico archiepiscopo Treviros accedenti comitem se Wolfgangus multis precibus invitatus adjunxit, qui antea in Augiensi, tum in Wirziburgensi academia ipsius socius fuerat. Hunc in tota metropoli secundum a se haberi voluit Heinricus: verum ille unico erudiendæ juventutis munere contentus, de cetero consilii maturitate multum ei profuit, universis virtutis ac probitatis exemplo, adeo ut non jam clericus, sed monachus haberetur. Ut vero eum sibi artius adstringeret pontifex, quoddam ei clericorum vel monachorum cœnobium regendum

committere

ANN. CHR. 956.

committere voluit. quod ille conſtanter detrectavit, vixque tandem obedientiæ neceſſitare compulſus conſenſit, ut eſſet decanus clericorum. Sic fere decem annos apud Treviros exegit vir Dei, dum mortuo Heinrico, poſthabitis, quos ipſi Bruno Colonienſis offerebat, honoribus, ad Einſidlenſis monaſterii portum ſe recepit.

XCIV. Johannes Gorzienſis legatus in Hiſpaniam.

Inter ea legati a rege Arabum in Hiſpania, nomine Abderramano, cum litteris ac muneribus miſſi, ad Ottonem regem adveniunt, diuque detenti ſunt. Horum primus erat quidam epiſcopus, qui inter moras illas mortem obiit. Dum ab Ottone qui in Hiſpaniam remittantur, anxie diſquiritur, poſt multa hinc inde tracta conſilia in id demum convenit, ut, quia rex profanus quædam in Chriſtum impia litteris ſuis inſeruerat, vir interritus eo legatus mitteretur, qui regis impietatem, tum verbis, tum litteris regiis, redarguere non trepidaret. Poſt varias inquiſitiones non alius aptior inventus eſt quam Johannes Gorzienſis monachus, qui ſe ultro ad tantum diſcrimen haud cunctabundus obtulit, uno contentus ſocio, Garamanno diacono & monacho, quibus ex ſuo monaſterio ſumtus omnis ſuppeditatus eſt. Eis adjunctus Ermenhardus Virdunenſis, locorum regionumque peritus, cui munera deferenda tradi Johannes expoſtulavit: ipſe litterarum tantum bajulus fieri voluit. Pedeſtri itinere uſque ad urbem Viennam profecti legati, ſarcinis navi impoſitis, ſecundoque Rhodano uſque ad certum locum vehendis, diſpendium perpeſſi non modicum, Barcinonem progreſſi, quindecim diebus illic morantur, dum Tortoſam, quæ prima Sarracenorum urbs erat, eorum adventus nuntiaretur. Præmiſſo duce, qui eos in itinere ad omnem copiam procuraret, tandem ad regiam urbem Cordubam deductis, domus quædam, a palatio duobus fere millibus diſtans, aſſignata eſt: ubi regali luxu excepti, per aliquot dies coacti ſunt remorari. Dein primates inter ſe ſe deliberant, utrum in colloquium regis admittendi ſint legati. ubi parum id compertum habent, regem ſuper hoc interrogandum cenſent. Tum illi pertentant, quid legati afferant, ac demum intellecto, non ſolum munera, ſed etiam litteras eos afferre; nefas eſſe apud ſe aiunt, cautumque ſub pœna capitis, ne quis in ipſorum religionem loqui audeat: ſi rex ipſe loquentem audierit, capite plectendum. Supprimendam proinde ſuadent epiſtolam, ſi ſibi conſultum velint legati. Ad hæc multa de ritu gentis, & quo pacto legati ſe obſervare debeant, commonent, præcipue ut a quibuſcumque vanis & laſcivis locutionibus abſtineant, & ne quavis libertate, vel ſolo nutu, feminis abblandiantur. His monitis ſibi non opus eſſe reſpondit Johannes: ad epiſtolam Ottonis quod attinet, ſe ſine illa ad regis audientiam nolle admitti, nec ullum ejus apicem demi, vel commutari umquam paſſurum. Quin etiam epiſcopo Hiſpano contra ſuadenti exprobravit ejus imbecillitatem, qui, cum fidei aſſertor eſſe deberet, ad diſſimulandas Chriſti Domini injurias ipſum pelliceret.

His ad regem perlatis, novæ ad labefactandam Johannis conſtantiam machinæ adhibentur, grande ſcilicet periculum chriſtianis earum partium imminere, ni ille a propoſito deflectat. quod quidem rex ipſe minacibus litteris Johanni ſignificavit, in quadra pellis vervecinæ ſcriptis. Hic vero nihilo fractior Johannes, Garamanno ſcribendi peritiſſimo tanta celeritate reſponſum dictavit, ut dictantis velocitatem ſcriptor aſſequi ſe non poſſe ſæpius queritaretur. Reſponſi hæc ſumma erat, ſe le- «
gatum miſſum præceptis domini ſui fidem inviolatam ſervare debere; fas ſibi non «
eſſe, ut cui tanta majeſtas litteras ſuas, eaſque non ſignatas credidiſſet, ſine his «
faciem regis, cui directus ſit, intueri; aut abſque ipſo in regis, cui miſſæ ſunt, «
conſpectu recitentur. ſi rex id patiatur, ſe in nullo regio honori defuturum: ſin «
minus, ſe cuncta corporis ſui membra particulatim diſcerpi potius paſſurum, quam «
officio ſuo deeſſe. Ceterum de chriſtianis ejus regni curam Deo fore, &, ſi quid pro «
Chriſto paſſuri eſſent, dignam eis mercedem a Domino rependendam. «

Hæc non iniquo, ut credebatur, animo accepit rex, immo Johannis conſtantiam ac prudentiam laudavit. Conſultus demum Johannes quid facto opus eſſet, mittendam Ottoni alteram legationem ſuadet: ſe, ſi is aliud ſibi mandatum injungat, incunctanter obtemperaturum. Miſſus ad Ottonem Recemundus quidam e palatinis catholicus ſub obtentu epiſcopatus, ſumtu regio ac litteris inſtructus, Gallias ocius petit, & intra decem fere hebdomadas Gorziam pervenit. Illic gratulantibus cunctis exceptus, ac Mettis ab Adalberone epiſcopo egregie recreatus; qui menſe Auguſto jam præcipiti venerat, autumnum & hiemem cum eo

ANN CHR. 956. transfegit. Inde ad Ottonis audientiam circa festum epiphaniæ ab eodem antistite Francofurtum adductus, ab Ottone impetrat, ut, prioribus suppressis litteris, aliæ mitiores Johanni mittantur, regi Sarracenorum cum donis tradendæ, cum eo ut pacem & amicitiam cum Ottone sanciat, & infestationem latrunculorum Sarracenorum compescat. quo facto, Johannes reditum maturet. His mandatis ac novis denuo muneribus perferendis Virdunensis quidam, Dudo nomine, destinatur: qui circa palmarum diem cum Hispano legato discedens, Junii mensis initio Cordubam pervenit. Cumque mox cum novo legato regem adire vellet, baud quaquam passus est rex, nisi prius *monachum illum*, qui tanto tempore tam constanter exspectaverat, audiisset. Jam vero quo ritu in regiam admissus sit, inferius exponemus. Toto illo triennio, nam tamdiu Johanni expectandum fuit, ipsi ejusque sociis diebus tantum dominicis, & si qua præcipua nostræ religionis festa erant, ad ecclesiam proximam, quæ sancto Martino sacra erat, accedere permittebatur, custodibus hinc inde duodecim, quos *sagiones* vocant, ipsos deducentibus. Recemundum hunc Bollandus ipsum esse putat Raymundum seu Ragemundum Liberitanum seu Illiberitanum episcopum, cui suam historiam rerum ab Europæ imperatoribus ac regibus gestarum nuncupavit Liutprandus Ticinensis ecclesiæ diaconus, qui tunc apud Ottonem in Germania exsulabat, cum Recemundus eo a Mauro legatus venit.

XCV. Brunonis Coloniensis vitæ compendium. Coloniensibus archiepiscopis non mediocriter obstrictus est ordo noster, in primis Brunoni, Ebergero, & Heriberto, qui tria virorum in sua urbe monasteria, sancti Pantaleonis, sancti Martini, & Tuitiense instituerunt. Et primum quidem sancti Pantaleonis cœnobium *Brun archiepiscopus Coloniensis, frater regis* Ottonis, hoc anno condidisse perhibetur in chronico Saxonico necdum edito. Sed antequam id explicemus, quædam de sancti ejus conditoris gestis præmittere juvat. Bruno, Heinrici Germaniæ regis filius, frater Ottonis Magni, quadrimus Baldrico Trajecti ad Rhenum episcopo, liberalium artium studiis imbuendus traditur, quo præceptore nullos græcæ vel latinæ eloquentiæ auctores non legit. In his Prudentium poëtam legere amabat. Ea erat ipsius in libros, ut ita dicam, reverentia, ut eos incaute refringi, aut corrugari, vel quomodocumque negligenter tractari ægre omnino ferret. In annalibus Corbeiæ-novæ legitur non semel, eum monachum fuisse celeberrimi illius cœnobii, cui quidem multa beneficia [a] ab Ottone fratre conferri curavit. Post mortem Heinrici patris ab Ottone in aulam revocatus, sub Israële Scotigena episcopo multum profecisse dicitur. Ratherium quoque Veronensem episcopum in palatio præceptorem habuit. Ex quo in aulam revocatus est, translatitiis usus est scholis ad varios aulę motus: at quocumque circumagebantur tabernacula castrave regalia, bibliothecam circumferebat. Adolescenti commissa sunt ab Ottone monasteria, quorum inquilinos ad regularem vitam constrinxit, ipsisque monasteriis privilegia & immunitates a rege impetravit. Ex his unum erat Lauresbamense, *adhuc in memoriam tanti viri retinens & prærogativam libertatis, & monimenta religionis*, inquit ejus vitæ scriptor Rotgerus. Huic abbatiæ electionem hoc anno restitutam fuisse docet Reginonis continuator, haud dubie beneficio Brunonis, qui abbas appellatur in chronico Frodoardi, ubi de synodo Virdunensi agitur, quæ eo præsente ante annos novem babita est. In locum Wicfridi Coloniensis archiepiscopi anno DCCCCLIII. electus, factusque Ottonis archicapellanus, primam de religione & cultu Dei, ac de recta ministrorum institutione curam habuit. *Synodicam suam epistolam per Hadamarum venerabilem monasterii Fuldensis abbatem Romam ad Agapitum miræ sanctitatis papam direxit.* Pallium inde ad ipsum retulit Hadamarus una cum reliquiis sancti Pantaleonis martyris. *Properavit in occursum ejus læta civitas, conveniens in suburbio prope antiquum locum, ubi ecclesia pretiosi martyris erat inculta adhuc, & ruina proxima. Ibi deposita sunt grata onera, deinde suo quæque loco reposita.*

[a] supra li. 44. n. 49.

XCVI. S. Pantaleonis monasterium condit. Hæc sancto antistiti occasio fuit condendi illic monasterii, sive quæsita, seu sponte oblata ex translatione sancti Pantaleonis reliquiarum ex nrbe Roma. Antiqua jam tum erat, & ob senium inculta & ruinæ proxima basilica sancti Pantaleonis, quæ, sicut in quodam diplomate Ludovici & Lotharii augustorum legitur, *ad thesaurum & luminaria matris ecclesiæ* Coloniensis spectabat, adjunctum babens *hospitale ad pauperum receptionem*. An vero ante Brunonis tempus monachos habuerit, veterum silentium id nos ignorare facit. *Non multo post* receptas reliquias, id

ANN. CHR. 956.

est hoc ipso anno, idem Bruno *ibidem, utpute in loco secretiori, & ab urbana inquietudinis molestia remotiori, fratres in laude divina pervigiles, & sollicitos sub monastica regula disciplina Domino servire instituit, quibus abbatem præposuit, nomine Christianum*, in lege Domini, quod nomen ejus præferebat, & in confessione vitæ monasticæ *apprime eruditum*. Quo ex monasterio educta sit nova hæc colonia, e Fuldensi, an e Trevirensi sancti Maximini monasterio, quod tunc religione florebat, incertum. Fuldensi favet conjectura ex consuetudine Brunonis cum Hadamaro abbate mox laudato. At si verum esset, quod docent annales Corbeiæ-novæ, Brunonem eo loci monachum fuisse, veri similius esset, monachos primos sancti Pantaleonis inde eductos fuisse. Certe in iisdem annalibus ad annum DCCCC LII. legitur, Unwanum, Corbeiæ lectorem sacræ Theologiæ, una cum fratre Harutho Coloniam ad sanctum Pantaleonem profectum fuisse. Christiano abbati ordinato Rotgerus, Brunonis vitæ scriptor, *hoc breve commonitorium de occidentis partibus* scripsit. *Ut sis quod vocaris, cura; gentilitati ne degeneres, id serio triumpha; ut non, sicut prius, antiquetur, sed de virtute in virtutem ut eatur, nava:* quibus verbis Christianum monet Rotgerius, ut ne locum, uti erat prius, antiquari & negligi sinat. Ad hæc Bruno certatim multis in locis suæ diœceseos monasteria, aliaque sacra ædificia, quædam a fundamentis erexit, quædam prius fundata nobiliter auxit, alia olim diruta reparavit. Atque ut nihil, quod ad Dei cultum pertineret, intentatum relinqueret, si quos vitæ solitariæ studiosos reperit, *per diversas monasteriorum cellulas*, alibi singulos, binos alibi inclusit: *quibus tamen ad invicem, nisi sermone tantum & adspectu, nullus pateret accessus.* His annonam & necessaria quæque piissimus pastor per fidelissimos viros suppeditari curabat. Hæ erant optimi antistitis piæ mentis agitationes inter varia vitæ publicæ negotia, quibus cum ex officio, tum ex Ottonis fratris mandato solebat occupari. Serius sancti Pantaleonis monasterii conditionem differt Ægidius [a] Gelenius, idque probat ex diplomate, quo Bruno plurimas novo monasterio libertates concedit, prohibetque spolia post mortem abbatis, mandans, ut locum defuncti nullus obtineat, *nisi quem votiva fratrum electio secundum timorem & amorem Christi sibi praesse voluerit;* eximens insuper cœnobium ab omni onere, nisi cum archiepiscopis successoribus suis pro statu & negotio regni ultra alpes proficiscendum erit, quo tempore *spadicem unum* a monasterio accipient, *sed* nudum. Si vero intra regnum, vehiculum absque jumentis, quod post expeditionem, si superfuerit, monasterio restituatur. Acta hæc Coloniæ anno Christi DCCCC LXIV. pontificatus Brunonis undecimo. Verum hoc privilegium post aliquot a condito monasterio annos concedi potuit: nec veri simile est, Brunonem post acceptas ex urbe sancti Pantaleonis reliquias ad annos undecim exspectasse, quo congrua eis sedes, ac loci religiosi custodes & cultores assignarentur. Ejus loci basilica in honorem sanctorum martyrum Pantaleonis, Cosmæ & Damiani atque Quirici dedicata est.

a Gelen p 362.

XCVII. Fuldenses & Hersfeldenses abbates.

In chronico Hildensheimensi, præter Ruodbertum Trevericum archiepiscopum, Hadamarus abbas Fuldensis, modo laudatus, hoc anno obiisse dicitur, eique Hatto abbas successisse. Hadamarum ex pestilentia interiisse tradit Reginonis continuator. Eodem anno Liudulfus in Italiam contra Berengarium jussu patris Ottonis perrexit, eamque subegit, ibidem mortuus anno insequenti, indeque Moguntiam translatus, sepultusque ad sanctum Albanum. De Hattone Fuldensi abbate pauca nobis dicenda occurrunt. Romæ interfuit coronationi Ottonis imperatoris, & monasterii sui immunitatem Johannis XII. diplomate sanciri curavit, factus demum post Willelmum archiepiscopus Moguntinus.

Eodem anno decessit Megingozus Hersfeldæ seu Herveldiæ abbas, cui Hagano suffectus. De eo Herveldensis anonymus apud Maderum [b] scribit, calicem magnum ex auro purissimo, electro, & gemmis pretiosis ejus jussu fabricatum fuisse cum patena æque pretiosa, cujus umbo latititudine pæne unius palmæ, totus per circuitum lapidibus pretiosissimis & unionibus ornatus erat. Post annos tres Hagano præfectura ob infirmitatem corporis se abdicavit, in cujus locum suffectus ad triennium Guntherus successorem habuit Egilolfum, cui Gozbertus successit.

b Mader. p. 155.

XCVIII. Erluinus Laubiis male acceptus.

In Laubiensi monasterio ingentes motus ac turbæ contigere occasione præposituræ, quæ Erluino Gemblacensi abbati tradita est. Ab anno Christi octingentesimo sexagesimo-tertio, quo ejus loci abbatiam [c] Hucbertus, scelestus ille Theutbergæ

c Spicil. to. 6. p. 514.

ANN. CHR. 956.

reginæ frater, fugato Hartperto abbate, invaserat, hæc in prædam cesserat Leodicensibus episcopis usque ad hunc annum, quo Baldricus, expulso Ratherio, episcopatum occupavit. Post mortem quippe Hucberti Franco abbatiam adeptus, postmodum episcopus factus eam retinuit, subdique episcopo Leodicensi ab Arnulfo imperatore obtinuit. Hunc subsecuti Stephanus, Richarius, Ogo seu Hugo & Farabertus, non modo abbatiæ reditus in suos converterunt usus, sed etiam præpositūras, quæ ad nutum abbatis religiosis & Dei timentibus viris committi solebant, quasi rusticanas villicationes sub pretio dabant, & adimebant. In illo rerum miserabili statu Laubienses a via recti exorbitare cœperunt, clamantes & queritantes, & quasi hoc nomine errata sua protegentes, quod res & substantia monasterii dilapidarentur impune, & in alienos usus, maxime Ragineri Hainoensis comitis, qui Baldrici episcopi avunculus erat, absumerentur. Forte contigit, Oduinum quemdam, eidem Raginero infestum, ob nescio quam culpam refugere in ecclesiam Laubiensem. Hoc accepto Raginerus eo advolat, & inermem ab ipsis sanctorum sepulcris extrahit, atque in ipsis atriis, ante vestibulum ecclesiæ, capite obtruncat in pervigilia omnium sanctorum, dum vesperæ celebrarentur. Commoti tam indigno facinore monachi, comitem dure, ut par erat, arguunt. Ille vero eorum objurgationes non ferens, de iis pœnas reposcere statuit. Erat mos tunc temporis apud Laubienses, ut sub episcopo-abbate præpositus monasterium regeret. Id officii tunc gerebat Blithardus ejus loci monachus. Hunc amoveri a præpositura per Baldricum episcopum curavit comes, & in ejus locum subrogari Erluinum Gemblacensem abbatem, specie, ut Laubienses emendaret, quod certe præstare is idoneus erat; re, ut Laubiensibus molestiam facesseret. Et quidem satis egit Erluinus, ut eos ad mores corrigendos adduceret: sed quia invitis præpositus erat, mortali eum odio prosecuti sunt Laubienses; quem aliquando vindemiæ tempore multa fustium multatum grandine seminecem reliquere. Querelæ hac de re ab eo delatæ ad Bernardum loci advocatum, qui tunc apud Ercliacum degebat; tum ad Baldricum episcopum & Raginerum comitem, qui Laubias ad puniendos reos in natali Domini accesserunt. Pulsi e monasterio ejus facinoris auctores: ex quibus tres, qui juvenili audacia ceteris præstabant, injuriam ulcisci propriam constituunt. Hi noctu dormitorium ingressi, Erluinum comprehendunt, & a claustri ambitu protractum oculis multant, eique extremam linguam amputant. Post hæc ille, ne quid pejus sibi accideret, cymbæ impositus Gemblacum devectus est. Raginerus hinc iratior, occasione usus, res monasterii invadit. verum a Brunone archiepiscopo, qui tum Lothariensem ducatum administrabat, ad Sanctum-Salvium prope Valentianas citatus, culpam confessus, & læsæ regiæ majestatis tum ob hoc crimen, tum ob alia reus convictus, proscriptus est, ac perpetuo exsilio deportatus. Hæc ex Fulcuino & ex anonymo Gemblacensi, qui Fulcuini duriora in Erluinum verba non immerito emendanda censuit. nam virum bonum & rectorem regendis monachis idoneum fuisse ex recta Gemblacensis monasterii administratione intelligimus. Certe Fulcuinum non modo in Erluinum, sed etiam in Ratherium parum æquum fuisse inferius apparebit. Quæ de Ragineri proscriptione & exsilio referuntur, auctoritatem habent ex Frodoardo ad annum sequentem.

XCIX. Johannis XII. bullæ pro Humolariis & S. Vitono. a lib. 45. n. 3.

Institutis, ut superius * vidimus, apud Humolarias religiosis viris nostri ordinis sub Bernero abbate, Lotharius rex apud Johannem papam satis egit, ut hæc institutio præcepti apostolici privilegio muniretur. Johannes itaque ejus rei diploma direxit Bernero venerabili abbati beatæ Dei genitricis Mariæ virginis ecclesiæ,
» atque in suam tutelam suscepit hanc *cellam*, ut ipse vocat, sitam in pago Viroman-
» densi, quæ, suggerentibus Ludovico regi comite Adalberto & Gilberto, qui eam-
» dem abbatiolam beneficii jure tenebat, ad sacræ religionis cultum erecta erat;
» vetatque pontifex, ne quis prædictam *abbatiolam*, ejusque possessiones umquam
» usurpet, distrahatve, mandans, ut sit eidem cellæ abbas secundum regulam sancti
» Benedicti constitutus, & monachi regulari districtioni subjecti. *Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ sedis apostolicæ in mense Januario, per indictionem XIV. Datum IV. nonas Januarii per manum Georgii secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno primo, Domino propitio, pontificatus domini Johannis summi pontificis & universalis papæ.*

Ad eumdem annum revocanda est ejusdem pontificis bulla, Berengario Virdunensi episcopo directa pro sancti Vitoni monasterio, cujus institutionem ac posses-

siones idem pontifex confirmat: ut Virdunensis ecclesia, quæ hactenus propriis alumnis, qui ad externa monasteria confugiebant, fraudabatur, deinceps *in membro sibi subjecto, consilio sui episcopi, atque providentia gloriosi abbatis Humberti de eorum sancta conversatione sublimata glorietur. Datum v. idus Januarii per manum Marini episcopi, & sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarii,* Johannis papæ XII. *anno primo, indictione xiv.* Hanc bullam integram refert Hugo Flaviniacensis, sed male eam revocat ad annum DCCCC LXXII.

ANN. CHR. 956.

Qui primus Salmurensi monasterio præfectus est Helias, non diu abbatiam tenuit. Is ad Theobaldum Blesensem comitem, qui operis auctor præcipuus exstiterat, quorumdam negotiorum causa profectus, in reditu, cum proprium solum attigisset, ex equo in terram corruens, ut erat statura procerus, ruptis intestinis Salmurum delatus est: ubi inter multa pietatis & consolationis verba, postquam de successore cum fratribus egisset, III. idus Martii exspiravit: cujus corpus in presbyterio ecclesiæ conditum est. Optimi patris obitu consternatis fratribus, Theobaldus comes virum religiosum & prudentem, Amalbertum nomine, e Floriacensi monasterio accersivit, & Salmurensibus abbatem præficiendum curavit. Nec exspectationem fefellit novus abbas, qui basilicam imperfectam cum regularibus ædificiis penitus absolvit, picturisque decoravit. In basilica quinque erant aræ: *dominica* seu princeps sanctæ Trinitati; matutinalis sancto Florentio: tertia in sinistra parte absidis sanctissimæ virgini Mariæ: quarta in dextera sancto Johanni-Evangelistæ: quinta in navi sanctæ Cruci sacra erat. Absidem solam arcuata fabrica, reliquum ædificium tabulatum depictum operiebat. In porticu basilicæ turris exstabat, ex qua majora signa dependebant: campanæ minores in choro pulsabantur. Præter basilicam capella abbatis vel infirmorum, in cujus fronte dormitorium erat, duo habebat altaria, inferius sancti Benedicti, superius sancti Michaëlis. Totum monasterium murus ambiebat. Ad hæc extra claustra monasterii capella ædificata fuit, ad usum scilicet exterorum. Omnibus absolutis, Theobaldus comes basilicam per Arduinum Turonensem pontificem XII. kalendas Junii consecrari curavit, & in eam corpus sancti Florentii sollemniter transferri, quod Amalbertus abbas ad firmiorem custodiam vasculo æneo inclusit. Ante sacrum ejus corpus sepultus est Absalon, fidus olim & constans ejus custos, qui longo senio confectus, xv. kalendas Martii obiisse traditur.

C. Heliæ abbati Salmurensi succedit Amalbertus.

Per idem tempus Gualo monachus, non minus genere nobilis quam religiosus, Glonnam missus est, qui veteris monasterii locus erat, ut antiquam possessionem, a Nortmannis relictam, postliminii jure vindicaret. Istuc adveniens Gualo, neminem reperit, præter Bernardum quemdam, cognomento Pennatum, cui non alius cibus erat, quam ferina caro, in venabulo capta & pedicis. Nulla fere veterum ædificiorum vestigia erant, præter cryptas, disjecta humo oppletas, quibus spinæ & dumeta succreverant. His pro tempore repurgatis, Gualo cum muneribus pergit ad Hastingum Nortmannorum ducem, qui in urbe Namnetica adhuc degebat. Gualonem benigne dux excepit, securumque esse jussit, data ei tuba eburnea, cujus sonitus suis ad prædationem profectis indultæ tutelæ esset indicium. Reversus monachus pro modulo extemporanea domicilia struit, socios e vicinis locis adsciscit. Accessit dein loco reverentia tum ex religione monachorum, tum ex miraculis, ibidem frequentari cœptis.

CI. Glonna instauratur.

Regebat hoc tempore Saviniacense agri Lugdunensis monasterium Badinus abbas, cujus præfecturam prorogant recentiores ad annum DCCCC LX. quo anno Gausmarum ei successisse asserunt. Verum Gausmari magistratum ab hoc anno inchoandum esse mibi persuadet tum instrumentum ejus electionis & institutionis, præsente Borchardo seu Burchardo Lugdunensi pontifice factum anno vicesimo Conradi regi Transjurensis, qui anno DCCCC XXXVII. Rodulfo patri successit: tum charta donationis ecclesiæ sancti Germani diœcesis Matisconensis, Saviniacensibus factæ per virum nobilem, Albertum nomine, *anno secundo Lotharii regis.* Badini abbatis obitus notatur xv. kal. Julii: sepultura in capella sancti Leodegarii. Sanctus habetur Gausmarus ejus successor, cujus electioni præfedit Burchardus archiepiscopus, ut probat instrumentum [a] ea de re confectum mense Februario, anno, ut dixi, vicesimo Conradi regis. Gausmari tempore plurimæ donationes Saviniaco factæ. Hic ab Jerosolymis multas Sanctorum reliquias retulisse dicitur, quarum partem in

CII. Gausmarus abbas Saviniaci.

[a] *de la Mure p. 377.*

ANN. CHR. 956. cruce argentea, quæ tunc in medio ecclesiæ pendebat, reponi curavit, ceteras in capsa ante majus altare posita collocavit. Ad hæc coronam auream & argenteam, quæ ante prædictam crucem pendebat; item magnum calicem argenteum, & quinque tabulas argenteas deauratas fabricari fecit. Præter varias donationes ecclesiarum ac prædiorum ejus tempore Saviniaco factas, prioratum de Mornanco, & alium apud *Randans* acquisivisse dicitur.

CIII. Wulfaldus abbas S. Theofredi. Jam hoc tempore Calmeliensi sancti Theotfredi monasterio præerat Wlfaldus abbas, Dalmatii successor, cujus tempore Achideus Diensis episcopus ecclesiam sancti Johannis de Carrevolis sancto Theotfredo concessit *anno xx. Conradi regis*. Ejusdem abbatis rogatu Conradus rex huic monasterio confirmavit *prædia villarum ac terrarum, quas inclytus martyr Theotfredus munere nobilium virorum Odilonis comitis & Achidei præsulis, & Silvii atque Truberti, & adjutorio atque eleemosyna Geilini comitis, in pago Valentinensi atque Diensi possidebat*. quas donationes ratas habet Conradus *cum consensu Geilini comitis & Aymonis episcopi, & Wlfaldi petitoris*. Alius fuit sæculo undecimo Geilinus Valentinensis comes, qui ecclesiam sancti Bartholomæi ad exstruendum monasterium sancto Theotfredo dedit cum filiis suis Odone episcopo, Arberto, Rostagno, Ugone, & Conone, atque uxore sua Ava, *regnante Aenrico rege*. Eodem Wulfaldo abbate Guillelmus & Armandus ejus frater res suas, sitas in villa pagi Vivariensis, in vicaria Ptatellensi, vocabulo Escolenco, hoc est ecclesiam sancti Andeoli martyris, conferunt *sacrosanctæ Dei ecclesiæ Calmiliacensis monasterii, quæ est constructa in pago Vellavense, in arce Amnoricense, consecrata in honore sancti Petri & sancti Martini, ubi sanctus Theofredus martyr humatus est, & sanctus Eudo, & sanctus Fortunatus, & duo Innocentes in corpore requiescunt: ubi domnus Wlfaldus abbas super ipsam congregationem Deo famulantem præesse videtur*. Facta est hæc donatio *regnante Lothario rege*.

CIV. Ratherii ad Johannem papam epistola. Sub initia pontificatus Johannis XII. Rathetius ad eum epistolam scripsit, in qua varias fortunæ suæ vices fuse commemorat. Illud postremum, quod, Ottone rege
a Spicil. to. 2. p. 250. in Italiam profecto, ait [a] » se adfuisse *cum clarissimo ejus filio*, scilicet Liudolfo, ut
» suo restitueretur loco, id est Veronensi ecclesiæ. sed impeditum fuisse, quod alte-
» rum illic institutum rex invenisset, Milonis scilicet, olim intrusi, nepotulum, cui
» Manasses Arelatensis sedem vendiderat: cujus ordinandi facultatem ab ipso ponti-
» fice Johanne se accepisse gloriabantur. Proinde sibi visum esse cedere tam apostolicæ
» auctoritati, quam regiæ majestati, ac solitudinem monasterii petere, ibique exspe-
» ctare Deum, qui salvum ipsum faceret a pusillanimitate spiritus, & tempestate per-
» sequentium, causasque expulsionis suæ a se ipso pænitendo exigere. Verum sibi re-
» cogitanti, in quali ordine illic deberet esse, episcopi an presbyteri; satius sibi visum
» fuisse ad pedes apostolatus Johannis papæ se prosternere, & judicium ejus exspec-
» tare, uter e duobus futurus sit episcopus Veronensis: ut, si ipse causa cadat, re-
» pulsio ipsius non furtiva sit, sed publica. Hanc epistolam scribebat Ratherius, *cum per annos jam viginti* variis fatigatus procellis, *ad oras senectutis* pervenisset. Eum
b num. 24. vero tunc restitutum fuisse ex superioribus [b] intelligimus: at non diu hanc restitutionem tenuisse probat epistola, quam ille post annos septem *domino sanctæ Romanæ sedis apostolico* scripsit.

CV. Palatiolo unitum S. Eusebii monasterium. Palatiolum monasterium, quod in insula cognomine positum, octo passuum millibus distabat ab urbe Ravenna, tunc temporis regebat Raimbaldus religiosus abbas, cujus gratia Petrus archiepiscopus monasterium sancti Eusebii, quod pæne
» omnino destructum erat, una cum monasterio sanctæ Mariæ ad Hortum, Palatiolo
» univit cum omnibus rebus ad ea pertinentibus, quantascumque Fredebertus quon-
» dam abbas acquisiverat. Verum, ne merces piorum hominum, qui sua bona eisdem
» locis contulerant, deperiret; statuit idem antistes, ut a Palatioli rectoribus & mo-
» nachis Dei cultus debite suppleretur, & quotannis in festivitate sancti Viti, qui dies
» ipsius *genuinus* seu natalis erat, duodecim missæ pro se celebrarentur, & post ejus
» obitum anniversarium officium cum vigiliis & quinquaginta missis. Actum Ravennæ
» pontificatus Johannis papæ anno primo, regnantibus Berengario & Adalberto ejus
» filio anno VII. die XXII. mensis Februarii, indictione quarta-decima, in editis in
» fine male *quinta-decima*. quo tempore Johannis papæ annus secundus fuisset.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUADRAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 957. *ad annum* 965.

POST mortem Fulberti Cameracensis episcopi, quam anno ejus sæculi quinquagesimo-sexto accidisse ex Frodoardo discimus, viduam ecclesiam ad breve tempus regendam accepit Berengarius, consanguineus Ottonis imperatoris, certe prolixiori regimine haud dignus: quem Engrannus, Corbeiensis cœnobii sancti Petri monachus, excepit. Hujus promotionis auctor [a] fuit Bruno Coloniensis præsul, in cujus notitiam & familiaritatem venerat Engrannus, cum res monasterii sui, trans Rhenum sitas, procuraret. Hic tam ecclesiasticis, quam sæcularibus disciplinis apprime instructus, mira in gregem caritate pollebat; sicque episcopi implebat officium, ut propositum monachi semper animo retineret. Cum gregem sibi commissum exemplo vitæ innocentis & salutari doctrina informare omnino satageret, res tamen ecclesiæ suæ haud neglexit; &, si qua subtracta erant, publico judicio evindicare ac recuperare studuit. *Monasterium sanctæ Mariæ*, id est Atrebatensem majorem ecclesiam (nam unus erat tum Atrebatensis & Cameracensis episcopatus) ad occidentalem plagam amplificare aggressus, morte præventus opus imperfectum reliquit, dignus certe diuturniori pontificatu, quem triennio absolvit. Is corpus sancti Hadulfi episcopi, unius e decessoribus suis, e tumulo levavit, transtulitque in sancti Vedasti basilicam, &, verbo facto ad populum, ejus sollemnia [b] numero sanctorum adscripsit.

ANN. CHR. 957.

I. Engrannus episcopus Cameracensis.

[a] *Chron Camerac lib.* 1. *c.* 84.

[b] *ibid. c.* 16.

II. Dunstanus ab exsilio revocatus fit episcopus.

Interim Dunstanus Glastoniæ abbas in Blandiniensi Gandavi monasterio exsulabat, regno pulsus ab Edwio nequissimo rege, cujus regnum frater ejus Eadgarus partitus est, optimæ indolis adolescens: cui Angli omnes, uti olim Dunstanus prædixerat, fraternum regnum detulerunt. Post paucos dies novus rex totius regni concilium celebrari jussit Bredanfordæ, ubi, abrogatis rescissisque fratris sui iniquis decretis, Dunstanum quoque abbatem sanctum ab exsilio cum summa omnium ordinum gratulatione revocavit, & honorifice excepit. Hunc in ipso conventu episcopum consecratum fuisse, ut novo regi providis suis consiliis semper adesset, tradit antiquior ejus vitæ scriptor; dein, mortuo Cynewaldo seu Kenewaldo Wigorniensi episcopo, in ejus locum suffectum fuisse. at Osbernus, aliique scribunt, Dunstanum prius designatum fuisse Wigorniensem episcopum, quam episcopali benedictione insigniretur. Certe ea fuit Simeonis Dunelmensis sententia, qui, relato

ANN. CHR. 957.

Dunstani ab exsilio reditu, ait excurso dein parvi temporis spatio, pastorem Wigorniensis ecclesiæ Ceonwaldum, qui *vir magna humilitatis & monastica professionis* dicitur, defunctum fuisse, ejusque in locum Dunstanum electum & consecratum episcopum. Addit Osbernus, eum electioni suæ ægre, jubente rege, tandem acquievisse, & Cantuariam ordinandum missum fuisse ad Odonem archiepiscopum, qui, recitata cleri ac populi petitione, non ut episcopum Wicciorum, sed ut Cantuariæ archiepiscopum cælesti quodam præsagio & Spiritus-sancti impulsu ordinaverit.

III. *Balneolensis ecclesiæ dedicatio, & aliarum.*

Balneolense in Catalania monasterium tunc regebat Acfredus abbas, qui, cum ejus loci ecclesiam, olim a paganis cum toto monasterio combustam, *a pavimento*[a] *usque ad tegimen ex calce & lapidibus dedolatis* restruxisset, Arnulfum Gerundensem episcopum ad eam consecrandam invitavit. Hæc dedicatio hoc anno celebrata XIV. kalendas Novembris: quo die variæ donationes eidem ecclesiæ factæ sunt a religiosis hominibus; & ab eodem episcopo concessæ decimæ, primitiæ, & oblationes fidelium de villa Agemalo, cum ecclesia illic sita in honore sancti Petri, & de quibusdam aliis villis. Eadem die[b] idem Arnulfus episcopus, *rogatu & obsecratione eximii abbatis Aimerici* cœnobii Arulensis, duas consecravit ecclesias huic monasterio subjectas in valle Albaniana pagi Bisuldunensis, quarum una dicata fuit sanctæ Mariæ, altera beatis apostolis Petro & Paulo; eisque decimas, primitias & oblationes fidelium circumpositorum concessit.

a *Marca Hisp.* p. 872.

b *ibid.* p. 874.

IV. *Grandivallense monasterium instauratum.*

Grandivallense Alsatiæ monasterium, quod Lotharius imperator Liutfridi comitis defensioni olim commiserat, Liutfridus alter a Rodulfo secundo Burgundiæ Jurensis rege in beneficium accepit. Dein Liutfridi posteri eumdem locum non jam in beneficium, sed in proprietatem sibi vindicarunt, ejusque possessiones, quasi hereditario jure, inter sese diviserunt; sicque idem monasterium omnino destructum. Hoc comperto, Conradus, Rodulfi regis filius ac successor, religione tactus, in sollemni conventu *Ottonis imperatoris, & filii sui regis*, cui Conradus ipse cum multis ducibus & comitibus interfuit, percuntatus est, an monasterium, regiis privilegiis munitum ac confirmatum, per manum regiam in proprietatem dari liceret. Omnes in commune id non licere censuerunt, eique consilium dederunt, ut prædicti Liutfridi filium ad palatium suum legaliter citaret, & ipsam abbatiam judicio fidelium suorum evindicaret. quo facto Conradus idem monasterium instaurare, eique antiquas possessiones restituere decrevit, ut fusius exponitur in regio[c] hac de re præcepto, quod datum dicitur VII. *idus Martii, anno a nativitate Domini* DCCCC LVII. quæ nota chronica vereor ut sincera sit: tum quia Conradus iste annos regni sui, non Christi, diplomatibus suis apponere solebat: tum quia Otto hoc anno nondum imperator erat.

c *Spicil.* to 6 p. 187.

Wissenburgenses abbates.

Idem rex Otto, *studio sanctæ religionis*, Wissenburgensi diœcesis Spirensis monasterio jus eligendi abbatis restituit, *& virum venerabilem Geilonem eidem cœnobio abbatem prefecit*, ut in chronico Saxonico legitur. Triennio post Geiloni mortuo suffectus Gerricus: quem anno DCCCC LXIV. excepit Erkembertus ejus frater; hunc vero post biennium Adalbertus, ex Russiæ missione reversus, uti ex eodem chronico discimus, & ex Reginonis appendice, in qua mendose pro *Wissenburgensi* perpetuo legitur *Wirtzburgense monasterium*.

ANN. CHR. 958.

V. *Usercæ monasterium conditur.*

Anno insequenti quinquagesimo-octavo interiit Ebolus seu Eblus Lemovicensis episcopus, sepultusque est in monasterio sancti Michaëlis in eremo apud Pictones, quod instauraverat, uti & sancti Maxentii cœnobium, cujus abbas erat. Successit in episcopatu Hildegarius, Geraldi Lemovicensis vicecomitis ex Rothilde filius. Hic ab ipso pontificatus sui initio Usercæ monasterium condere occœpit, uti Ebolus ejus decessor jam mente conceperat. Situm est hoc monasterium in pago Lemovicensi, haud procul a Visera fluvio versus Tutelam. *Ecclesiam Userca* Ruricius major, Lemovicensis episcopus, memorat in epistola ad Rusticum. Exstant primariæ Hildegarii[d] hac de re litteræ, in quibus idem antistes ait, se ob refrige-
» rium tam animæ suæ, quam patris & matris suæ, necnon dilecti fratris sui Gui-
» donis, ac conjugis ejus Emmæ, hortantibus genitore suo Geraldo ac genitrice sua
» Rothilde, clericisque suis, sancti Petri ecclesiam suæ diœceseos, Usercam nomine,
» quæ olim ab episcopis in laïcale beneficium concessa fuerat, *in cœnobii monachalis*

religionem

d *Gall. Chr.* to. 4. p. 961.

religionem transmutasse: ut *per succedentia tempora monasticus ordo & religionis observantia sub regula sancti Benedicti ibi habeatur, teneatur, & custodiatur, eo pacto, ut nulli successorum suorum* episcoporum *eam a potestate sancti Petri & ab ordine monastico* alienare liceat. cujus rei jam simile privilegium fecisse dicitur antecessor ipsius Ebolus, petente & hortante venerabili vicecomite quondam Ademaro, & uxore ejus inclyta Milesinde, qui eidem loco jam sanctæ Eulaliæ ecclesiolam prædictæ Usercensi ecclesiæ adjacentem, aliaque prædia attribuerant. Post cujus Ademari obitum Guido, ipsius Hildegarii frater, Emma ejusdem Ademari filia in conjugium accepta, alias etiam ecclesias, aliasque possessiones monachis Usercæ *consistentibus sub Gausleno abbate* reddidit. In chronico ejus monasterii, fabulis resperso, Pippinus rex primus illius conditor esse dicitur; eoque destructo Albertus de Chavano locum ab rege Ludovico, ejusque filio Lothario obtinuisse ad monasterium instaurandum. quo absoluto, Hildegarius ejus rogatu privilegium condiderit ad restituendos eo loci monachos Balma accersitos: ubi postmodum Albertus ipse monasticum habitum induerit: adeoque sensim auctum fuisse monachorum cœtum, ut centenarium numerum expleret. Verum præferenda est ipsius Hildegarii auctoritas, qui nullam de prædicto Alberto mentionem facit. Gauslenum primum abbatem excepit, haud scio an proxime, Adalbaldus abbas, de quo inferius.

AN. CHR. 958.

VI. Pontius abbas Coxanensis monasterio jam ab anno superiori præerat, quo tempore Miro[a] archidiaconus Gerundensis, frater Guifredi comitis, an Bisuldunensis, & Seniofredi Barcinonensis, Pontio abbati & monasterio Coxanensi, *quod est fundatum juxta fluvium Literani ad radicem montis Canegonis*, contulit alodem sibi dono datum ab eodem Guifredo fratre suo *in episcopatu Elenensi, in adjacentia sancti Petri de Tuir.* Actum pridie kalendas Februarii. Hoc vero anno, id est subsequente, Gerberga[b] regina idem monasterium sancti Michaelis & sancti Germani, seu Coxanum, resque ad illud pertinentes, eidem Pontio abbati a Lothario rege filio suo confirmari curavit. Actum Compendio palatio v. idus Februarii, regnante gloriosissimo rege Lothario anno IV. indictione II. Legendum videtur prima, quæ huic anno Christi DCCCC LVIII. & Lotharii IV. convenit mense Februario. In epistola Garsiæ monachi Coxanensis ad Olivam Ausonensem episcopum *Pontius clarissimus, vir eximiæ nobilitatis, probabilisque vitæ* dicitur. Hic basilicam ejus monasterii novo opere exstruxit. Pontio abbati successit Gondefredus, cui Ava[c] comitissa, conjux Mironis olim comitis, & parens Seniofredi, villam Balgariam in valle Confluenti donavit anno DCCCC LXII.

Pontius abbas Coxanensis.
a Marca Hisp. c. 395.
b Spicil. to 8. p. 367.
c Marca Hisp. c. 397.

Nolim omittere hoc loco clausulam adscriptam vetusto codici bibliothecæ Aniciensis, continenti decretalia summorum pontificum, quibus hæc subduntur: *Anno incarnationis dominicæ* DCCCC LVIII. *indictione (I.) II. kalend. Octobris, hic codex nuncupatus* DECRETALIA PONTIFICUM ROMANORUM, *scriptus est sub (Johanne) papa, HLothario rege, Borrello marchioni præcipiente, Arnulfo præsuli summæ sedis Gerundæ, & cuncta congregatio Riopollensis cœnobii. Ego Johannes monachus atque diaconus transscripsi, non mea voluntatis mendosa, sed lima rectitudinis emendatum atque distinctum, &c.* Ad eumdem annum Baluzius[d] revocandam putat mortem Tassii monachi, qui pater erat Heldesindi abbatis sancti Petri Rodensis, dein episcopi Helenensis, mortuus VI. kalendas Februarii, ut ex imposito ejus epitaphio intelligitur.

Johannes Monachus Rivipullensis.
Tassius Monachus obit.
d Marca Hisp. c. 396 & seq.

VII. Brajacus* locus est in Senonensi diœcesi ad Sequanam, sancti Paterni monachi & martyris reliquiis insignis. Eo loci miles quidam, Burchardus nomine, ejusque uxor Hildegardis cœnobium monachorum cum basilica Salvatori sacra construxerunt, eoque sanctorum Paterni martyris & Pavacii confessoris reliquias transtulerunt pontificatu Hildemanni Senonensis archiepiscopi, qui anno subsequente migravit e vivis. Editum est a nobis Lotharii regis[e] præceptum, quo ad postulationem ejusdem Hildemanni confirmatur hoc monasterium cum suis possessionibus, quod Burchardus miles, filius Alberici ducis, cum consensu Hildegardis uxoris suæ, & consilio Theobaldi domini de Centumliis fratris ejus, condiderat ad collocandum, servandum, & colendum corpora sanctorum Paterni martyris & Pavacii confessoris, quod postremum ex Anglia ex dono Ædredi regis attulerat cum monachis ex cœnobio Persoræ, qui in dicto monasterio Brajacensi sub professione regulæ

Brajacum Monasterium apud Senones.
* Bray.
e Sæc. 5. pag. 245.

AN. CHR. 958. » sancti Benedicti Deo servirent. Datum in palatio Lucduni-clavati apud monasterium sancti Johannis x. Decembris, anno v. regnante Lothario rege gloriosissimo. Post aliquot annos miles quidam, Boso nomine, Brajaci munitionem, vivente adhuc Hildegarde Burchardi uxore, vi cepit, & vicina loca deprædatus est. qua re offensus Rainardus comes, ipsam munitionem incendit cum basilica Salvatoris, captoque Bosone reliquias sanctorum Paterni & Pavacii Senonas retulit; sed postea proprio loco restituit rogatu Thetbaldi comitis, in cujus ditione locus iste consistebat.

VIII. Floriaco factæ quædam donationes. a Perard p. 39.

Cum Wlfaldus abbas Floriacensi sancti Benedicti monasterio præesset, Rotbertus[a] vicecomes, ipsiusque conjux Ingeltrudis quasdam res suas in pago Augustodunensi, scilicet capellam sanctæ Mariæ *super fluvium Adro*, & prædia quædam in villa Malniaco, conferunt *ad monasterium sanctæ Mariæ & sancti Petri atque sancti Benedicti, ubi sanctus Benedictus debito quiescit honore, & ubi præesse cognoscitur vir venerabilis abbas Wlfaldus, una cum turba plurima monachorum ibidem Deo famulantium. Data in mense Decembrio, anno quinto regnante Lothario rege gloriosissimo*, cujus annus quintus a die Novembris duodecima inchoatus erat. *Richardus monachus & levita scripsit*, forte is, qui Wlfaldo abbati ad sedem Carnotensem assumto successit.

Abbo Floriaci educatus & oblatus.

Wlfaldi abbatis tempore Abbo puer Deo in monasterio Floriacensi a parentibus oblatus est. Pater ejus Lætus nomine, mater Ermengardis ex pago Aurelianensi: quos quidem non vana tumens nobilitate superbus alebat sanguis, sed avis, atavisque derivata honestabat libertas, & præcipue timor Domini moribus honestis exornabat. Puer in Floriacensi monasterio traditus est scholæ clericorum ecclesiæ sancti Benedicti obsequentium litteris imbuendus, divina id præordinante providentia, ut inde primordia sumeret litterarum, ubi postmodum fluenta doctrinæ cum multo fœnore posteris refusurus erat. Hujus consilii auctores fuere duo præcellentes viri matris ejus propinqui, quorum unus, Gumboldus nomine, relictis hujus sæculi nugis, habitu monachi insignis: alter, vocatus Christianus, sub clericali veste Christo servire studebat: ambo in ordine presbyteratus divini amoris igne ferventes: quorum admonitione parentes Abbonis ipsum ad serviendum Christo & sancto Benedicto tradiderunt venerabili Wlfaldo abbati, ut ejus magisterio in disciplina Christi erudiretur. Hic audito pueri nomine, quodam cælesti præsagio abbatem fore prædixit, monuitque Abbonem, ut se tali nomine dignum exhiberet. Tum monastico habitu eum induit, facta prius per parentes sollemni oblatione, ut regula præscribit. Mox traditus scholis puer, nulli sodalium gravis & molestus, sed omnibus gratus acceptusque erat; ceterum tam tenacis memoriæ, ut a didascalis semel audita numquam ex animo exciderent. Adolescens jugi litterarum exercitio corpus domare satagebat, ut spiritui subjiceretur. Nec tamen, ut a plerisque fieri assolet, ob studium litterarum orationi quidquam detrahebat: sed, quasi pro quodam levamine, post preces studiis animum recreabat. Denique monasticæ religionis propositum, quod habitu prætendebat, tota mentis devotione exsequi atque implere studebat. Erat ei hoc præcipuum, adhærere lateribus senum; &, licet certis horis condiscipulorum societate gauderet, aliis temporibus copulari senioribus amabat. Post paullo imbuendis scholaribus præpositus, lectione simul & cantu eos erudivit, aliisque artibus, quas in monasterio didicerat, grammatica scilicet, arithmetica, & dialectica. Verum, cum ille his non contentus ad ceteras quoque scientias aspiraret; Parisios atque Remos ad eos, qui philosophiam profitebantur, profectus, aliquantulum quidem in astronomia, sed non quantum cupiebat, apud eos profecit. Inde Aurelianos regressus, musicam artem, occulte propter invidos, a quodam clerico non paucis nummis comparavit. Supererant rhetorica & geometria, quas ex lectione veterum per se ipse didicit, nec tamen pro votis assecutus est. Quantum vero in dialectica, arithmetica & astronomia profecisset, testantur ejus lucubrationes, quas de nodis syllogismorum, de computo, ac de solis, lunæ, planetarumque cursu composuit.

IX. Cruces miraculosæ. b Annal. Trevir. to. 1. pag. 462.

Hoc anno cruces in vestibus hominum cælitus impressas fuisse tradunt Ditmarus, aliique illorum temporum auctores: in cujus ostenti memoriam Heinricus Trevirensis præsul crucem lapideam medio foro erigi curavit cum inscriptione ejus rei teste, quam Browerus[b] retulit. Johannes Iperius auctor est, supplicationes procurando portento factas fuisse, delatis sanctorum Audomari, Bertini & aliorum

ANN. CHR. 958.

reliquiis a basilica sancti Bertini ad ecclesiam sancti Audomari, Ragennldo abbate comitante cum Wicfrido Morinorum episcopo, qui eodem anno obiisse dicitur: cui in episcopatu successit David Corbeiensis monachus, alias Bauco nuncupatus.

Wicfrido episcopo Morinorum succedit David.

X. Erluini abbatis Gemblacensis patientia & pia facta.

Erluinus Gemblacensis abbas oculis orbatus hoc anno, ut vidimus, ac fere lingua multatus XIII. kalendas Novembris, cum nihil bonæ spei de emendandis Laubiensibus superesset, tandem cessit, ac naviculæ impositus, per Sabim fluvium advectus, demum Gemblacum pervenit. Neque ejus labor infructuosus exstitit. nam post ejus discessum, cum sine abbatis regularis disciplina Laubienses corrigi non posse animadversum esset, deinceps sub abbate eos agere permissum est, concesso eis Aletranno abbate, sub quo restricta levitas fratrum, status sanctæ religionis reformatus, ac res familiaris, quæ per cupiditatem & ambitionem majorum prodigi solebat, ad communem fratrum usum redacta est. Reversus autem ad suos Gemblacenses Erluinus, re ipsa expertus nonnisi per multas tribulationes regnum cælorum christianis parari; contemplationi ac piis religionis officiis eo vacabat propensius, quo nihil pæne sibi exterius arridere poterat. Nec multum sibi dolendum esse credebat, quod iis oculis careret, quibus etiam culices & cyniphes gloriari possent, cum interiori illo frueretur oculo, quo mundi-cordes Deum contemplantur. Tum vero de sua suorumque salute perquam sollicitus, eos maxime ad concordiam fraternæ unanimitatis cohortabatur. quod ut efficacius exsequeretur, rem valde utilem & conducibilem, quæ a piæ memoriæ domno Wiberto seu Guiberto, Gemblacensis monasterii conditore, inchoata fuerat, sagaciter implevit, scilicet piam illam confœderationem, per quam omnes totius pæne Franciæ & Lotharingiæ religiosi viri uno concordiæ ac dilectionis mutuæ vinculo colligavit, *ut omnes in Christo unum saperent, unum diligerent, unum vellent, unum nollent*; pro invicem orantes ut salvarentur, eleemosynis, jejuniis, psalmis ac precibus supra pensum quotidianum ad id constitutis. Talem vitam ducere perseveravit per multos annos *vir magni nominis* Erluinus, multisque bene vivendi exemplum præbuit.

XI. S. Arnulfo Mauri-villa donata.

In illa societate & communione sine dubio erant Gorzienses & Mettenses sancti Arnulfi monachi: cujus ut particeps esset Regimbaldus quidam, *non infima nobilitatis stirpe progenitus*, corporali detentus infirmitate, cum liberos, quibus ampla patrimonia relinqueret, non haberet, Deo sanctisque multa offerre decrevit. Quia vero corpus pii genitoris sui, necnon & unici filii, ceterorumque propinquorum suorum corpora in basilica sancti Arnulfi *sollemni more* sepulta erant, ubi & ipse humari volebat; ejusdem loci monasterio, *ad mensam fratrum ibidem Domino famulantium*, alodum quemdam suæ proprietatis, vocabulo Mauri-villam, in comitatu Salnensi, contulit dilectissimæ conjugis suæ consultu, simul & amicorum suorum illustrium virorum, qui & fidejussores ejus donationis extiterunt, eo tamen pacto, ut ejus conjux usum-fructum, dum viveret, perciperet sub annuo censu decem solidorum, quos in festivitate sancti Arnulfi ad ejus altare persolveret. Actum in villa Dexteraca XVI. kal. Julii, anno ab incarnatione Domini DCCCC LVIII. Id factum sub Ansteo primo ejus loci abbate. In necrologio sancti Arnulfi memoratur *v. kal. Junii Raimbaldus comes, qui dedit sancto Arnulfo prædium suum de Mauri-villa*.

XII. Eberhardi abbatis Einsidlæ obitus.

Mortuus est hoc anno Eberhardus Einsidlensis abbas, anno scilicet vicesimo-quinto, quam istuc se recepisset, antea præpositus Argentinensis. In veteri kalendario ejus loci, in quo præter sanctos etiam mortui quidam insigniores inscribuntur, de eo ita legimus: *xviiij. kal. Septembris, dormitio Eberhardi eremitæ*. Sepultus est ante sacellum Deiparæ prope Bennonem, qui ex eremita episcopus Mettensis factus fuerat. Eberhardum *sanctum* vocat anonymus scriptor vitæ sancti Udalrici episcopi Augustensis, qui eum idemtidem invisere solebat. Cum paullo ante ejus obitum istuc accessisset, discessurum non semel amplexatus Eberhardus, dixit, se se ultra non visuros, dum in cælo se invicem conspicerent. nam finem vitæ suæ certo imminere. quæ res ita contigit ut prædixerat. Thietlandus abbas ei successit, ab Hermanno perperam Eberhardo præpositus, qui Burchardi Alamanniæ ducis frater ab Hartmanno Eremi annalista dicitur. Ejus anno primo Meginradicellæ seu Einsidlensi monasterio contulit rex Otto quasdam res juris sui *in ducatu Alamannico, in comitatu Burckardi ducis, Turgowe nuncupato, in villa* scilicet As-

Thietlandus successor.

ANN. CHR. 958.

* *Eſchanz.*

chinza *, *talem proprietatem, qualem Gundramus comes in ipſo loco obtinuit*, quæ ipſi *ob perfidiam ſui reatus* juſto judicio in jus regium devoluta erat. *Actum Polithe* in Saxonia, *viij. idus Januarii, anno incarnationis Domini* DCCCC LVIII. Gundramnus comes majeſtatis damnatus erat, quod Liudulfo Ottonis filio rebellanti adhæſiſſet. Indictio ſecunda non prima illi anno convenit.

XIII. Fabaria priſtinam libertatem recuperat.

Ad jus item regium, ſed abſque legitima cauſa, devoluta erat tunc abbatia Fabarienſis in Rætia Curienſi. Verum idem Otto, interventu dilectæ ſuæ conjugis Adelheidæ, & conſultu Odalrici ſeu Udalrici Auguſtenſis & Harberti Curienſis epiſco-
» porum, litteris abbati Enzelino viro nobili datis, idem monaſterium, *tamquam ſin-*
» *gulare imperii membrum*, in priſtinam libertatem reſtituit, conceſſa eligendi abba-
» tis libera facultate juxta inſtitutionem canonicam. Actum item Polithe VI. kalen-
» das Decembris.

Augiæ abbates.

Ad eumdem etiam annum Hermannus refert obitum Alawici abbatis Augienſis, cujus extremum paralyſis morbum hoc quidem anno collocat Hepidannus, at mortem inſequenti his verbis: *Alwicus Augenſis abba defunctus eſt: & in ejus locum Ekkehardus eidem cœnobio, horto deliciarum, prælatus eſt.* Forte Alawicus deceſſit initio anni ſubſequentis, ob idque pro veteri calculo ad præcedentem relatus ab Hermanno. Ejus ſucceſſor Eggehardus dictus ab eodem auctore, abbas ejus loci viceſimus-tertius, annis XV. præfuiſſe, & eccleſiam ſancti Johannis-Baptiſtæ inſigni artificio ibidem conſtruxiſſe memoratur.

ANN. CHR. 959.

XIV. Gerberga Ruminiacum dat Humolariis.

a *Diplom.* p. 571.

POſtero anno, ejus ſæculi quinquageſimo-nono, Bruno Colonienſis antiſtes in Franciam venit, & apud Compendium cum Gerberga regina ſorore ac nepotibus ſuis, Ottone ſcilicet atque Hugone filiis Hugonis Albi, ob caſtra quædam diſcordantibus, colloquium habuit. Diſcedentem ſecutus eſt Coloniam Lotharius rex cum matre ſua, ibique paſcha cum eo celebravit, atque inde Laudunum reverſus eſt. Sueſſionis ſub finem Aprilis verſabatur Gerberga, cum ad eam acceſſit a Bernerus Humolarienſis abbas, obſecrans, ut quamdam terram pagi Vermandenſis, in
» villa Ruminiaco ſitam, ex poteſtate ſanctæ Mariæ Sueſſionenſis cœnobii puella-
» rum, quam regina de beneficio comitis Adalberti tenebat, liceret ſibi ab eodem comi-
» te in beneficium accipere, eamque precario ſub annuo cenſu, ad altare ſanctæ Ma-
» riæ prædicti cœnobii perſolvendo, in perpetuum poſſidere. Id vero benigne an-
» nuit regina cum conſilio fidelium ſuorum, Widonis & Roriconis, & aliorum, eo
» pacto, ut Humolarienſes duodecim denarios quotannis eidem cœnobio in purifica-
» tione ſanctæ Mariæ perſolverent. *Actum Sueſſionis infra portas monaſterii puellarum, ſub die vij. kalendarum Maiarum, anno incarnationis dominicæ* DCCCC LIX. *indictione ij. regnante Lothario rege.* His litteris ſubſcribunt Aimo advocatus, ſcilicet ſanctimonialium beatæ Mariæ, Everardus præpoſitus, qui res earum procurabat, Helvidis præpoſita, Mileſindis decana, & quidam earum vaſſalli. Wido, in prædictis laudatus litteris, epiſcopus erat Sueſſionenſis, filius Fulconis comitis Andegavenſis, alias ſancti Martini Turonenſis canonicus; Rorico vero Laudunenſis antiſtes, Caroli Simplicis filius naturalis.

XV. Sueſſionenſes abbatiſſæ.

His litteris nulla ſubſcribit abbatiſſa parthenonis beatæ Mariæ Sueſſionenſis, ſed ejus loco Helvidis præpoſita, ſub Cunegunde, ut videtur, abbatiſſa. nam poſt Rotildem Caroli-Calvi filiam, quæ ejus loci abbatiſſa erat Caroli Simplicis principatu, notatur a noſtro Michaële Germano Mileſindis abbatiſſa ab anno circiter DCCCC XXV. quo tempore obiit Rotildis XI. kalendas Aprilis, ipſo die laudata in necrologio noſtro Germanenſi his verbis: *Rotildis abbatiſſa & monacha, filia regis magni Karoli*, id eſt Calvi, qui *magnus* nonnumquam appellatur; & poſt Mileſindem ſequitur Herſindis, tum Lotharii principatu Cunegundis, quæ multas terras & poſſeſſiones a comitibus Viromandenſibus Alberto & Heriberto, qui eas invaſerant, redemiſſe dicitur. Cunegundem excepit Eremburgis, de qua inferius. Multas itidem vexationes patiebatur ſancti Medardi ſuburbanum monaſterium, quod tunc a decanis regebatur, abbatia laïcis in prædam data.

XVI. Hildemannus Senonum antiſtes obit. S. Petri abbatia a ſucceſſore vaſtata.

Hildemannus ex-monacho Dionyſiano Senonum pontifex hoc anno diem ſupremum abſolvit, poſt quinque fere annos pontificatus, ſepultuſque eſt in baſilica ſuburbani monaſterii ſancti Petri, uti & plerique ejus deceſſores. Succeſſor ejus Archembaldus, filius Rotberti viri nobilis, & Rainardi comitis conſanguineus, ſancti

Petri abbatiam susque deque vertit. Jam ante eum Nurtrannus, abbas sancti Petri necnon Ferrariensis monasterii, hanc abbatiam fere pessum dedisse dicitur, venditis villis, ecclesiis & ornamentis ecclesiarum sancti Petri & sancti Remigii, sanctique Heraclii & sancti Petri Ferrariensis, quas omnes abbatias tenebat; eaque parentibus suis partim distribuisse, ex aliis Nivernensem postea episcopatum sibi comparasse. Quamquam ex iis, quæ jam episcopus fecit, non tam malus fuisse videtur. Verum post eum Archembaldus archiepiscopus sancti Petri abbatiam penitus absorbuit, cetera prodigens, quæ Nortrannus reliquerat. Insuper, relicta domo archiepiscopali, cum infami comitatu habitare cœpit in claustro monachorum, ubi tantum quindecim monachi supererant, ex quibus duodecim una nocte interiere: alii tres, Odo, Raimbertus, & Adelingus, eodem anno defuncti sunt. Tum vero miles quidam, Frodu nomine, sacri loci ruinæ compatiens, postulavit ab archiepiscopo thesaurum sancti Petri filio suo cognomini dari, id est ornamentum unum, quod reliquum erat, & chartas monasterii: quæ omnia in domum suam Sennnas detulit, non retinendi cupiditate, sed causa servandi. Nec patris studium fefellit Frodo filius. nam factus archidiaconus villam suam Arceam donavit ad stipendia monachorum sancti Petri tempore Rainardi abbatis & Leoterici episcopi, ex cujus beneficio hanc villam tenebat; meruitque in capitulo fratrum ad pedes Sewini archiepiscopi humari, pater vero ejus in porticu basilicæ sancti Petri. Archembaldus porro canes suos & accipitres etiam in claustrum sancti Petri duxit. Sed non diu hanc injuriam inultam passus est Deus. nam qui ad vesperam adducti erant, mane mortui inventi sunt. quod ubi conspexissent ejus familiares, id factum aiebant, quod injuste claustrum & possessiones monachorum retineret. quod ille velut aniles fabellas deridebat. Quin etiam quidam religiosus canonicus, Candacher nomine, ostenso ei domnæ Theodechildis loci conditricis epitaphio, quod Fortunatus ediderat: Perspice, inquit, & intellige, quod non ad usus canum, sed servorum Christi cœnobium hoc conditum est. Verum cum ille ad tot admonitiones obsurdesceret, anno ejus ordinationis nono, mense Junio, morte correptus est Rainaldus, regis Lotharii consiliarius, cujus consilio is archiepiscopus factus erat: tum Julio insequente incensæ sunt ecclesiæ sancti Stephani, & sanctæ Mariæ, sanctique Johannis-Baptistæ cum claustro canonicorum, quo incendio periit *librarium* seu bibliotheca sancti Stephani cum ornamentis ecclesiæ & reliquiis pretiosissimis, ac demum mense Augusto decessit Rainaldus archiepiscopi pater, ipseque Archembaldus adhuc juvenis, quem a sancto Saviniano martyre percussum fuisse tradit Clarius monachus, ex quo hæc omnia discimus. Ab eo tempore, id est a discessu Nortranni abbatis, qui Nivernensis episcopus factus est, monasterium sancti Petri sine abbate remansit usque ad tempus Sewini archiepiscopi, successoris Anastasii, qui Archembaldo suffectus sancti Petri monasterium instaurare cœpit, sed ob vitæ brevitatem absolvere non potuit.

XVII. Oswaldus Floriaci monachus.

Oswaldus, nobilis Anglus, hoc circiter anno in Galliam trajecit, habitum monasticum induturus in monasterio Floriacensi, quod tum religione & litterarum scientia florebat sub Wlfaldo abbate. Oswaldo præiverat exemplum patrui sui Odonis archiepiscopi, qui non prius Cantuariensem subire cathedram voluit, quam habitum monasticum a Floriacensibus accepisset. Præceptorem habuit Frithegodum, omnium sui temporis in Anglia peritissimum creditum, quem non alium esse puto a Fridegodo poëta, qui rude carmen de vita sancti Wilfridi Eboracensis episcopi scripsit rogatu Odonis pontificis Cantuariensis. Hujus ex fratre nepos erat Oswaldus, qui morum præceptis informandus a parentibus ei commendatus, cum sacris ac profanis studiis apprime excultus esset, Wintoniæ canonicus factus est, tum decanus. Hoc in munere canonicorum mores reformare aggressus, exemplo, non solum monitis & adhortationibus, eos ad meliorem frugem reducere conatur. ast, ubi eos a pravæ consuetudinis via revocare se non posse intellexit, spreto sæculo relictisque omnibus, oceano transmisso, *Floriacum, ubi corpus sancti Benedicti requiescit, pergere decrevit*, ab Odone patruo commendatitiis litteris ac donis plurimis munitus. Non ægre in monasterium admissus est egregius ac pius juvenis, immo facile quod postulabat impetravit. Accepto sacro habitu, talem se exhibuit, ut brevi quod in eo imitarentur ceteri haberent. Orationi ac contemplationi potissimum addictus, secretum a Wlfaldo abbate ad altare accepit locum, ubi, remo-

ANN. CHR. 959.

tus ab aliornm inquietudine, Deo familiarius adhæreret. Illic dum nocte quadam orarioni vacaret, dæmonum horrificos sonitus audiisse dicitur, quibus ille non magis territus est, quam si balatum ovis audiisset. Nec magis eum delusit diabolus sub specie angeli lucis ei apparens, quem signo crucis mox abegit.

XVIII. Gerardus Broniensis obit. In Belgio Gerardus Broniensis abbas, multorumque monasteriorum reformator, mortalem vitam æterna commutavit. Cum diem obitus sui imminentem præsentiret, cœnobia fratrum sub suo regimine degentium ultimo lustrare necessarium duxit. Octodecim numerant cum veteres, tum recentiores, id est omnia, aut fere omnia Belgicæ regionis monasteria. His perlustratis, ad omnium pauperrimum se recepit, Broniense videlicet monasterium, ab se constructum: ubi provectiori ætate confectus, exitum suum dominici corporis & sanguinis perceptione munivit. tum campanam, quam episcopali benedictione sacrari olim curaverat, pulsari jussit, ut scilicet hoc signo agonem suum fidelium precibus commendaret. quod Fuldæ aliquando factum observavimus, cum Sturmius abbas morti proximus omnes ecclesiæ campanas pulsari præcepir. Post hæc animam efflavit Gerardus hoc anno, & quidem tertio nonas Octobris, ut notat ejus epitaphium vitæ subjectum, adeoque feria quarta, non secunda, uti habet sequens ibidem additamentum. **Bronium Franciæ regibus subjectum.** Bronium, etsi intra fines Lothariensis regni positum, tamen Francorum regibus subjectum fuisse docet anonymus vitæ sancti Gerardi scriptor, qui Gerardus apud sanctum Dionysium factus monachus, hunc locum concessit Dionysianis, a quibus eum postea redemit, cum cœnobium ibidem ædificare decrevisset. At vir Dei veritus, ne hic locus, tam remotus *a finibus Merovingiæ, ad quam pertinebat illo in tempore*, bellorum incursibus omnino pateret, vicini episcopi Leodicensis tutelæ eum commendavit. Et quidem vetustæ ejus loci chartæ non alium quam Francorum regem agnoscunt, ejusque a sua ditione immunitatem ac libertatem Heinricus Auceps, Otto Magnus & alii agnovere; asseruitque Stephanus papa septimus, non octavus, dato diplomate v. kalendas Maii, cui multi postea episcopi subscripserunt. Denique ejusdem loci libertatem agnovit quoque Godefridus Namucensis comes anno M C XXXI. quo anno sancti Gerardi corpus e terra levatum est. Superest etiam nunc Broniense monasterium, sed tenuis reditus, cujus mensa, ut vocanr, abbatialis fundando Namucensi episcopatui insumta est.

XIX. S. Bavonis abbates. Unum e monasteriis a Gerardo reformatis erat Gandense seu sancti Bavonis cœnobium, cujus abbas piissimus Columbanus, qui se ante biennium in cellam privatam recluserat in cœmeterio monasterii, hoc anno ad cælestem vitam migravir, sepultus in crypta beatæ Mariæ, ubi ante altare sancti Andreæ sub arcu lapideo jacet. Post eum Hugo abbas monasterium rexit ad annos quinque, successorem sortitus Wolmarum abbatem, qui & ipse Blandiniensis abbas fuit: cujus successores vide sis apud Sanderum, ubi Wolmaro perperam postponitur Wido levita, sancti Gerardi nepos, qui Columbani antecessor, utpote promotus ab Arnulfo comite ejus nominis primo, qui paullo post Columbanum decessit.

XX. Tinense monasterium. Inter alia monasteria, quæ Gerardi consilio erecta sunt, censetur Tinense seu Tignense, sic dictum a Tino præterfluente rivulo, qui e radicibus Aldiniaci montis exoritur. Hoc monasterium in Portensi comitatu Freduidis nobilis matrona cum illustri viro suo comite Stephano ædificasse traditur; ac subjecisse sancti Remigii monasterio, cujus curam Gerardus habuisse dicitur in chronico Mosomensi, sed nullo, ut videtur, fundamento. quando quidem non Gerardus, sed Ercamboldus Floriacensis abbas restituendæ istic monasticæ disciplinæ præcipuus auctor fuit, primusque sancti ejus asceterii a reformatione abbas Hincmarus Gerardo supervixit. Tinense monasterium sancto Quintino martyri sacratum fuit, eique præfectus a Gerardo Lietaldus abbas, ex-clerico monachus, qui octo tantum monachos sub sua cura illic habebat, futurus post duodecim annos primus abbas Mosomensis, ut suo loco dicturi sumus.

XXI. S. Firmini translatio Flaviniacum. Sub hoc tempus Berengarius Virdunensis antistes corpus sancti Firmini, ejusdem sedis olim episcopi, quod in ecclesia sancti Vitoni per Eugeniam piissimam feminam revelatum est, rogatu Humberti abbatis transfertur in villam pagi Tullensis Flaviniacum, haud longe Nanceio, regalem quondam fiscum, ubi cella est sancti Vitoni abbatiæ subjecta. Berengarius pompæ efferendæ diem indixit pentecostæ sacrum, quo die Virduni adfuisse dicuntur Bruno Agrippinensis antistes,

ANN CHR. 959

Berengarius ipse, Einoldus seu Agenoldus abbas Gorziensis, atque Humbertus Vitonianus. Miracula in ea translatione patrata Browerus [a] singillatim commemorat. Sacræ pompæ Tullum-Leucorum accedenti Gerardus episcopus sanctissimus cum clero & frequenti multitudine obviam processit, venientemque in basilicam sancti Apri deduxit, ubi corpus sacrum pernoctavit. Postera die submissi ex sancti Apri monasterio cœnobitæ sacrum locum ad portum Mosellæ deportavere: ubi vectores novi, non sine periculo, per vada fluvii, ad alteram ripam traduxere ad ædem sancti Martini in vicino colle positam; aliisque subinde succollantibus sacræ reliquiæ Flaviniacum usque delatæ, ubi honorifice in sancti Hilarii ecclesia repositæ sunt. In veteri codice, in quo dedicationes ecclesiæ sancti Vitoni & cellarum seu prioratuum ab ea pendentium consignatæ sunt, dedicatio sancti Vitoni III. kal. Novembris; Flaviniaci vero idibus Octobris notatur. Quam diu post hæc superstes fuerit Berengarius, non omnino exploratum. Breves annales & necrologium sancti Vitoni hunc annum ejus supremum assignant.

[a] Annal. Trevir. to. 1. p. 463.

XXII. Johannes Gorziensis ad regis Mauri præsentiam ut admissus.

Jam tertius annus erat, ex quo legationis causa in Hispania morabatur Johannes Gorziensis, eo ab Ottone missus, cum in audientiam tandem principis Mauri admissus est ante posteriores legatos, qui novas litteras ab Ottone cum muneribus attulerant. Antequam admitteretur, ei persuadere conati sunt Mauri, ut crine detonso, loto corpore, veste splendidiore ad regis conspectum se aptaret. quod Johannes constanter renuit. Rati illi vestium mutatoria ei deesse, id regi nuntiant: qui mox decem libras nummorum ipsi mittit ad vestes comparandas, quibus indutus decentius oculis principis appareret. quippe nefas esse aiunt apud istam gentem, ut quis vili habitu regiis adspectibus exhibeatur. Johannes primo cunctatus, an munus acciperet; sed demum ratus hoc in usus pauperum expendi satius esse, gratias regi ob munificentiam reddit, & quod sui tam sollicitus esse dignaretur: ut vero vestis suæ formam aut colorem mutaret, se adduci non posse asserit. quo accepto, rex infit: Constantem ejus animum probe novi. Sacco quoque indutus si veniat, eum videbo, & amplius mihi placebit. Post hæc præfixa die, ingenti pompæ apparatu Johannes ad regis colloquium adducitur. Viam totam a legatorum hospitio ad palatium regium varii hinc inde satellitum ordines constipabant. Hinc pedites hastis humo defixis stantes: inde alii hastilia quædam & missilia ad ludicrum certamen vibrantes. Præter hos quidam mulis insidentes cum levi armatura: deinde equites calcaribus equos ad fremitum & subsultationem concitantes. Denique Mauri in forma insolita, quasi ad terriculamentum se se ostentantes, variis proludiis multo pulvere, quem ipsa jam satis concitabat solstitii æstivi siccitas, excitato, Johannem ad palatium perducunt: cui obvii proceres in ipso limine exteriori procedunt. Ubi ad cubiculum, in quo rex solus, quasi numen quoddam, residebat, perventum est, aderat rex ipse thoro perquam magnifico, de more uno crure alteri imposito, accumbens, qui Johanni accedenti manum interne osculandam protendit. quod summis tantum viris & quos præcipuo honore dignatur princeps, concessum, minoribus & mediocribus dextera exterius tantum osculanda porrigi solita. Tum sella parata ut sedeat legatus, rex innuit. Longa dein utrimque silentia. Rex prior: Non dubito, inquit, quin cor mihi infensum geras, qui tam diu te adspectu & colloquio meo suspensum tenuerim. Sed tute probe nosti, fieri aliter non potuisse. Jam vero quæcumque postulaveris, impetrabis. Johannes tam humanis verbis mitigatus respondit: se quidem negare non posse, tantis morarum induciis, tanta nuntiorum acerbitate nonnihil fuisse commotum; at tacite secum recogitasse, id non serio, sed quadam quasi simulatione agitari. ceterum sibi penitus notas esse tantæ dilationis causas, nec esse quidquam reliqui, quod sui odio factum merito suspicari possit; &, si qua essent, se penitus animo depulisse; regi vero gratias agere, quod tanta magnificentia, tanta humanitate se exceperit. Mox imperatoria munera oblata, quæ rex gratanter accepit. quo facto, Johannes redeundi facultatem sibi dari rogavit. At rex probari sibi non posse ait tam repentinam divulsionem modo visi, tanto tempore exspectati; mutuo conspectu & colloquio iterum se frui velle, ut mutua notio & amicitia confirmetur. quo facto, domino suo remittendum, deducendumque condigno cum honore. Johanne assentiente, introducuntur posteriores legati, eoque præsente munera, quæ deferebant, oblata. Tunc demum utrisque ad hospitia remissis, post aliquantum tempus Johannes a principe revocatus,

ANN. CHR. 959.

familiaria multa cum eo colloquia habuit, de Ottonis potentia, prudentia, copia & robore militum, atque victoriis, deque gloria & divitiis. Maurus contra sua jactare, & supra modum efferre. & merito quidem a legato regem suum celebrari; sed verane, an falsa sint, se ambigere. Et Johannes: Licet, inquit, experiri. Rex vero cetera se approbare ait; at unum esse, in quo rex ejus non satis sibi providus videatur, nimirum quod potentiam suam non sibi soli retineret, sed suis partes regni sui divideret. Hinc enim superbiæ & rebellionis occasionem & materiam eis dari, ut nuper, inquit, in genero ipsius contigit, qui, filio perfide patri subducto, publicam tyrannidem contra eum exercuit. Hic desinit vetus codex vitæ Johannis, quam ab auctore imperfectam relictam fuisse suspicari licet, magno sane historiæ damno. nam vix ullum ejus temporis auctorem invenias, qui plura observatione digna referat, & elegantius scribat, quam Johannes abbas ejus vitæ scriptor, de quo inferius acturi sumus. Reversus ad sua Johannes noster, superstitem invenit Einoldum Gorziensem abbatem, cui paullo post mortuo suffectus est.

XXIII. Fridericus dux Lotharingis.

Quod rex Maurus monuit de secessione Ottonis generi, scilicet Conradi, qui Liudulfum ejus filium ad defectionis suæ partes pertraxerat, id quodam modo probatum est de Immone Brunonis archiepiscopi consiliario, cujus suasu Lotharienses a fide Brunoni duci suo præstita defecerunt, ob quædam nova opida, quæ Bruno everti præceperat, ob nova etiam onera, quæ ipsis imponere volebat. quibus pacatis ac mansuefactis, Fridericum comitem vice nomineque suo moderatorem ac ducem Lotharingiæ Mosellanæ dedit. Hic Fridericus filius erat Ottonis, antea ducis Lothariensis, consobrinus Godefridi comitis Ardennensis, mortuus anno DCCCCLXXXIV. cujus epitaphium Gerbertus reddit.

XXIV. Lutrense monasterium renovatur per Baltrannum abbatem.

Actum est in superioribus [a] de infelici statu Lutrensis monasterii, quod rex Lotharius Waldradæ infami pellici tradiderat. Vastato dein ab Hunnis monasterio, cum nec monachus, nec clericus ullus ibi superesset; Eberhardus, præpotens in Alsatia comes, locum illum invasit, & in jus proprium vindicavit. Post illius mortem Hugo comes, ejus filius, eumdem locum sibi retinuit. Ob id tres ejus filii, Eberhardus, Hugo, & Guntramnus cælitus puniti, & facti membrorum impotes. Reatu agnito, ad sancti Deicoli sepulcrum deportati, professionis monasticæ voto cum patre facto, pristinam incolumitatem receperunt. Ex his Eberhardus Conradi imperatoris, cognomento Salici; Hugo vero Brunonis seu Leonis IX. pater fuit. Post hæc Hugo comes & filii ejus probatum quemdam vitæ monasticæ ducem & institutorem, qui ipsos regulis monasticis informaret, sollicite perquirunt. Erat tunc temporis in Alsatiæ partibus quidam probatissimæ vitæ abbas, Baltrannus nomine, qui collecto non minimo cœtu monachorum cœnobium condiderat in loco *Analesberg* dicto, de cujus subjectione duo vicini episcopi contendebant, Mettensis videlicet atque Argentinensis. Hunc locum rex Otto frequentare solitus erat, & maximis donis extulerat. Istue etiam frequentes accedebant hospites, quorum frequentiam ac tumultum ut vitaret servus Dei, secretum sibi tuguriolum, in quo solus versari posset, sibi exstruxerat. Illic jam tum per quinquennia decem vitam eremiticam duxisse ferebatur, tantisque virtutibus inclaruerat, ut non modo Adriaticum sinum, sed etiam Græciam ipsam ejus fama penetrasset. Dum duo illi episcopi de ejus monasterii subjectione concertarent, Baltrannus sua omnia egenis & clericis larga manu cœpit expendere, alio migrare volens, & reliquos vitæ dies Romæ ad sepulcrum beati Petri apostolorum principis transigere. Verum cum id in Hugonis comitis, filiorumque ejus notitiam venisset, abbatem sanctum adeunt, rogantque, ut potius Lutram se recipiat. Induciis petitis acceptisque, vir Dei nepotem suum, Werdolfum nomine, qui locum exploraret, eo misit. cumque ex ejus relatu commodum esse intellexisset, nuntios ad Ottonem regem dirigit, oratum, » ut sibi fuæque congregationi, quæ apud *Analesberg* loco incommodo manebant, sedem mutare liceat, & in commodiorem locum commigrare. Tunc rex Otto Quintilingaburgi paschales dies peragebat cum episcopis & abbatibus, aliisque proceribus suis: quorum consilio locum Lutram, a filiis Hugonis acceptum, *Baltranno & ejus subditis, sub regula beati Benedicti degentibus*, eorumque successoribus concessit, cum alio prædio, quod a Bosone quodam permutatione comparaverat, indulta insuper regia immunitate & facultate eligendi abbatis, eo pacto, ut locus esset sub mundiburdio regum Francorum, nulli archiepiscopo vel episcopo subjectus, sed

[a] lib. 36. n. 21.

ANN. CHR. 959.

ſed tantum Romano pontifici, cui annuum decem ſiclorum argenti cenſum perſolveret. *Data* VIII. *idus Aprilis, anno dominicæ incarnationis* DCCCCLIX. *indictione* II. *anno vero regni Ottonis ſereniſſimi regis* XXIV. *Actum Quintilingaburg.* quod præceptum Liutulfus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovit, editum a nobis in ipſius Baltranni elogio. Hoc præcepto munitus vir Dei, locum ingreſſus eſt cum ſuis in perviligio ſanctorum apoſtolorum Simonis & Judæ, moxque *monaſterium* ſeu eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ permodica erat, amplificavit, ac brevi perfecit, cum officinis regulari diſciplinæ congruis; eodemque anno necdum revoluto, in feſto aſſumtionis Deiparæ-virginis, ut ipſi ante plures annos divinitus revelatum fuerat, ad cæleſtem patriam migravit, ſepultus in dextris altaris *monaſterii* ſeu eccleſiæ, quam in melius renovaverat. In ejus locum ſucceſſit Werdolfus ipſius nepos, qui adhuc ſuperſtes erat, cum anonymus Lutrenſis monachus hæc ſcriberet in libro de vita ſancti Deicoli primi ejus loci abbatis. Werdolfum ſecutus eſt Milo abbas, cujus tempore Heinricus imperator, Chunigundæ conjugis ſuæ hortatu, bona monaſterii confirmavit XI. kalendas Julii, anno Chriſti M XVI. regni XV. imperii III.

XXV. Burchardus S. Galli abbas.

Poſt caſum Victoris ſancti Galli monachi, de quo ſuperius[a] actum eſt, Cralo abbas, jam ætate provectior, marceſcere doloribus cœpit, ſuſpectam habens non modo fratrum, ſed etiam Ottonis regis indignationem, quem fama erat eum præfectura velle amuvere. Waltoni decano defuncto ſubrogatus eſt Burchardus, huicque poſt unius anni ſpatium Ekkehardus, beatæ Rachildis virginis conſobrinus: cui tandem Cralo, deficientibus jam viribus, communi fratrum aſſenſu omnem abbatiæ adminiſtrationem commiſit. Ipſe vero, a Victoris amicis nuſquam ſecurus, perpetua armatorum cuſtodia ſalutem tueri cogebatur: qui, cum animi relaxandi gratia Heriſovium equitaſſet, in morbum incidit; &, cum mortem imminentem ſentiret, fratres, ut Ekkehardum ſibi ſubſtituerent, monuit. Facile id impetratum. Ceterum Cralo Heriſovii hoc anno exſtinctus, in monaſterio honorifica ſepultura donatus eſt. Eo abbate non fuiſſet inſelix monaſterium, ſi infortunia abfuiſſent, quorum cauſæ ei minime imputari debuerant. Poſt Cralonis mortem, Ekkehardo magiſtratum reſignante, abbas renuntiatus eſt Burchardus, Udalrici comitis ex Weindilgarda Heinrici Aucupis filia ſecundo-genitus, a puero enutritus in monaſterio, Ingenitus dictus, quod cæſo matris utero editus fuiſſet in lucem. Patre ab Hungris capto & mortuo credito, mater ad ſanctum Gallum conceſſit, domoque ſibi prope cellam Wiboradæ recluſæ exſtructa, ibidem de ſuo vixit ad præſcriptum Wiboradæ pientiſſimæ virginis. quæ cum eam dulciaminum nimiſquam avidam eſſe advertiſſet, aliquando mala petenti, agreſtia dedit. At illa vix unum dimidium ore & oculis contractis vorans, cetera projiciens: Auſtera es, inquit, auſteraque mala tua. Talia ſi Deus creaſſet, nunquam Eva malum guſtaſſet. Hoc facto a dulciaminum appetitu deinceps abſtinuit pia matrona, tantumque brevi hac monitrice in virtutibus profecit, ut ſacrum velamen a Salomone epiſcopo, ſynodo favente, ſibi imponi obtinuerit. quod, reverſo poſt quatuor annos marito, ſynodo probante exuit, in ſcrinio eccleſiæ decreto ſynodi aſſervandum, reſumendum aliquando ab ipſa, ſi marito ſuperſtes viveret. Nuptiis dein celebratis, votum concepit mulier, ſi maſculum paritura eſſet, fore ut eum ſancto Gallo monachum offerret. Prægnans ante quatuordecim tempeſtivi partus dies emoritur. Infans exciſus, & arvinæ porci recens exutæ, dum incuteſceret, involutus vixit: tum nutricis ſinu juſſu patris ad ſanctum Gallum adductus, ſuper ejus aram cum opimis prædiis offertur; educatuſque ibidem liberaliter, in eum tandem virum adolevit, ut abbatiæ honorem Ekkehardus ipſi merito detulerit. quod rex Otto maxime probavit. Omnium exſpectationi reſpondit optimus paſtor, ſedulus in divinis, providus in ſuos, largus ad egenos, hoc uno indulgentius habitus, quod, delicatior cum eſſet, Conradi epiſcopi juſſu carnes ederet. quod nunc plerique monachi, quantumvis robuſti ac validi, abſque ſcrupulo actitant, vano prætextu vel conditionis locorum, vel inopiæ piſcium, quorum ſat magna copia eſſet, ſi majorum ſuorum parſimoniam imitari vellent.

XXVI. Gregorius abbas Einſidlenſis.

In brevibus annalibus Einſidlenſibus[b] legimus, Gregorium hoc anno abbatem ejus loci creatum fuiſſe. quod ſi ita eſt, Thietlandi obitus hoc ipſo anno reponendus, quem tamen Hartmannus ad quinque annos differt. Gregorius ex An-

a lib. 43. n. 75.

b Sæc. 5. pag. 543.

ANN. CHR. 959.

a lib. 45 n. 24.

glorum ſtirpe a nobiliſſima, & quidem regia, ut plerique volunt, progenitus, relictis omnibus ante annos decem ad monaſterium Solitariorum ſe receperat. Ejus vitam *virtutibus ornatiſſimam* fuiſſe tradit anonymus ſancti Wolfgangi epiſcopi vitæ ſcriptor, qui utinam eam litteris ad nos tranſmiſiſſet. De illo ea tantum novimus, quæ Hartmannus retulit ex variis inſtrumentis eo abbate conditis, in quorum uno, quo Otto Magnus liberam eligendi abbatis facultatem indulget, *ſanctiſſimus vir*, & *cunctis virtutibus pollens*, etiam vivens appellatur. Hoc præceptum datum eſt x. kalendas Februarii, anno incarnationis DCCCC LXV. indictione VIII.

XXVII. Anianæ abbates.

Communem aliorum monaſteriorum ſortem ſubiit Anianenſe, quod, uti & cetera fere omnia, ſæcularibus abbatibus ſubjacuit. Poſt Arnulfum quippe regularem abbatem, qui extremos Caroli-Calvi annos attigit, duo nobis occurrunt Arelatenſes archiepiſcopi, ejus loci abbates, Roſtagnus & Manaſſes, quorum ille Crudatenſem abbatiam cum Anianenſi & cella Gordanica tenuit: hic quinque non contentus epiſcopatibus, Arelatenſi, Mediolanenſi, Tridentino, Veronenſi & Mantuano, etiam Anianenſem abbatiam devoravit. Hujus ſucceſſor Bernardus, Biterrenſis antiſtes, permutationem quamdam fecit cum Arico, ejuſque uxore Richilde, qui alodem quemdam in villa comitatus Biterrenſis, ſanctæ Eulaliæ dicta, Anianenſibus ceſſere pro alio alode, ſito in villa Liciano. Hujus commutationis charta, in qua *Bernardus abbas & epiſcopus & omnis congregatio ſancti Salvatoris ex Aniano monaſterio* laudatur, data eſt kalendis Maii, *anno* VI. *regnante Lothario rege poſt obitum HLodoici regis.* qui anno inſequenti DCCCC LX. potius convenire videtur quam præcedenti, quo annus Lotharii ſextus ab idibus tantum Octobris inchoandus eſt. Ab hoc Bernardo perturbata eſt Anianenſium abbatum ſeries, in qua Rainaldus anno primo Ludovici, poſtremi e Carolina ſtirpe regis, villam Caunas ab Archimberta vidua conſecutus eſt. Hugonem dein ſuggerunt indices, haud ſatis certi uſque ad Salvatorem abbatem, qui deſinente Rotberti principatu præfecturam tenuit: cui Pontius primus Heinrico regnante ſucceſſit.

XXVIII. Dunſtanus fit epiſcopus Lundonienſis.

In Anglia Edwius rex, optima regni parte ob ſua facinora multatus, hoc quoque anno interiit, ſepultuſque eſt Wintoniæ in Novo-monaſterio, uti Willelmus Malmeſburienſis tradit. Hinc Eadgarus ejus frater totius Angliæ monarchiam adeptus, Dunſtanum univerſo regno præficere in animum induxit, nolens abſque illo creſcere, quem ante adeptum imperium præ ceteris dilexerat. Interim moritur Brithelmus Lundonienſis antiſtes, cujus ſedes, regis ac principum inſtinctu, Dunſtano jam Wigornienſi epiſcopo confertur. Neque illum reſiſtentem juvit excuſatio, canonum auctoritate prætenta, qui, ſicut eccleſiam unam duobus parere epiſcopis non ſinunt, ita duas eccleſias uni epiſcopo committi vetant. at prævaluit volontas regis ac cleri Lundonienſis, qui exemplum ſancti Johannis Evangeliſtæ ac Pauli apoſtoli excuſationi Dunſtani obtendebant. Verum non diu has eccleſias tenuit Dunſtanus, poſt biennium tranſlatus ad ſedem Cantuarienſem. Factus Lundoniæ epiſcopus, teſtante Willelmo, Wlſſinum, claris natalibus in ea urbe natum, & a parentibus Deo a puero oblatum, abbatem apud Weſtmonaſterium inſtituit, inſtructo ad duodecim monachos cœnobiolo eo in loco, ubi quondam Mellitus epiſcopus eccleſiam ſancto Petro exſtruxerat. Poſtmodum Dunſtanus, jam Cantuariæ pontifex, eumdem ad ſedem Schireburnenſem promovit. Ex quibus inferas, quam graviter erraverit Godwinus, qui & ipſe nobis aliiſque errandi occaſionem dedit, cum Wlſſini Schireburnenſis epiſcopi obitum anno DCCCC LVIII. conſignavit, quo tempore necdum Weſtmonaſterii abbas erat, ut ex Willelmo Malmeſburienſi intelligimus. Idem abbas adhuc erat anno DCCCC LXVI. quo duobus diplomatis pro Crulanda adhuc abbas ſubſcripſit. Proceſſu temporis Weſtmonaſterii celebritas magnopere crevit, maxime ex eo, quod Angliæ regum conditorium factum eſt.

Wlſſinum Weſtmonaſterii abbatem inſtituit.

ANN. CHR. 960.

XXIX. Divionem Lotharius recuperat.

FRodoardus auctor eſt, Rotbertum fratrem Heriberti Trecenſis comitis, fidelem ſe regis fingentem, Divionem dolo invaſiſſe, regiis cuſtodibus expulſis; moxque Lotharium cum regina matre ad eam recuperandam profectum eſſe, eaque recepta Laudunum revertiſſe. In illa expeditione Bruno Colonienſis præſul, qui cum Lotharienſibus regi auxilio venerat, Ottonem & Hugonem, filios Hugonis Magni, ipſe eorum avunculus ad regem adduxit, eique conciliavit: ex quibus Hu-

ANN. CHR. 960.

gonem, qui Capucius seu Capetus postea dictus est, ducem Francorum constituit, addito insuper pago Pictavensi ad terram usque, quam pater ejus tenuerat: Ottonem vero Burgundiæ præfecit.

Nantua Cluniaco concessa.

Dum rex in Divionensi palatio moraretur, eum rogavit Gerberga regina, *ut monasterium, quod est situm in comitatu Trabesino, in honore sancti Amandi dicatum, eo quod absque rectoribus esset, veluti in inhabitabilibus locis*, monasterio Cluniacensi, ejusque rectoribus subderetur. Petenti matri rex benigne annuit, præcepitque, ut, quoad facultas Cluniacensibus competeret, monasterium illud conservarent, & habitationi aptum redderent, ut Deus ibi jugiter laudaretur. *Heto* * *humilis quæstor ad vicem Artaldi archiepiscopi, summique cancellarii recognovit. Datum* VIIII. *kalendas Decembris, regnante gloriosissimo Lothario rege anno* V. *indictione* III. *Actum Divioni in palatio.* Ita ex authentico, cujus regium sigillum adhuc integrum superest, in quo regis thoracata cernitur effigies cum corona radiata, in globulos desinente, pallio super humerum dextrum aperto, & fibula adstricto. Editum est hoc præceptum in bibliotheca [a] Cluniacensi & in probationibus historiæ Baugiacensis, sed cum aliquot mendis. Hoc authenticum non vidi, sed mirum est in eo exprimi tantum annum quintum Lotharii regis, qui Ludovico parenti ab idibus Octobris anni DCCCCLIV. successerat.

* al. Hugo.

a Biblioth. Clun. p. 313.

XXX. Fontanella instauratur.

Richardus Normannorum dux, Willelmi ducis filius, hoc anno, scilicet DCCCCLX. Emmam filiam Hugonis Magni, olim Francorum ducis, uxorem duxit. Eo favente & opitulante, Mainardus abbas Fontanellense monasterium eodem anno restituendum aggressus est. Jam anni amplius centum erant, ex quo hoc cœnobium a Normannis incendio consumtum fuerat; monachi extorres & palabundi cum sanctorum Wandregisili & Ansberti reliquiis, dum illæ tandem in Blandiniensi apud Gandavum monasterio repositæ sunt. Cum huic loco supra Womarum abbatem præesset sanctus Gerardus abbas, audito villam [b] quamdam pagi Belvacensis, quæ Reveriscors dicitur, ad Fontanellenses olim pertinentem, a Theoderico, viro quodam nobili & potenti, occupatam esse; sumto sancti Wandregisili corpore illuc perrexit, & Theodericum de restituenda hac possessione admonuit. Ille vero non modo id facere recusavit, sed etiam legatum baculo percussit. cujus rei non seras pœnas fœdo interitu dedit. Tum Gerardus apud Richardum ducem instare cœpit, ut Fontanellæ suæ possessiones restituerentur, allatis chartis & instrumentis, quibus Fontanellensium jus comprobaretur; se, si hoc fieret, corpus sancti Wandregisili proprio loco restituturum. Princeps chartas recitari præcepit. quo facto, murmur & contradictio ab omnibus fieri cœpit, aperte negantibus, se iis honoribus & possessionibus umquam cessuros, quas armorum virtute & sanguine majorum suorum, sive ipsi propriis servitiis, multisque sudoribus acquisiissent. Sic igitur spe sua frustratus Gerardus, ad Gandavense monasterium cum corpore sancti Wandregisili recessit. Verum cum hæc ad Gandavenses monachos relata fuissent, unus eorum, alto parentum sanguine procreatus, Mainardus nomine, divino, ut credere par est, instinctu, & studio renovandi Fontanellensis monasterii, de cujus dignitate & prærogativis multa audierat, accensus, accepta venia, Richardum marchionem adire maturavit, atque ab eo facultatem instaurandi monasterii flagitavit, tandemque impetravit, præmissis quibusdam indiciis, quæ viro cuidam nobili & præpotenti, Torstingo nomine, inter venandum acciderant occasione cervi, qui inter parietinas diruti cœnobii asylum invenerat. Facultate accepta, Mainardus ad locum properavit, dumis ac vepribus obsitum & horridum. quo repurgato, divina ope fretus a domo Dei incipit, templum nobile inchoat perficitque; sed & dormitorium ac refectorium magna celeritate non parvo sumtu ædificat. His pro tempore strenue expletis, monachos illuc adducit, libros quoque & chartas & quædam ornamenta cum nonnullis sanctorum reliquiis, a Womaro Blandiniensi abbate (nam Gerardus jam obierat) accepta, illuc advexit: sicque locus, olim sacer & insignis, pristinæ dignitatis formam sensim recuperare cœpit. Corpus vero sancti Wandregisili relictum est in Blandiniensi monasterio, quod Arnulfus comes hoc tempore magnificentius exstruere occœpit. Eodem tempore vir quidam e transmarinis divino, ut perhibent, monitu in Galliam accedens, corpora sanctorum germanorum, Maximi episcopi & Venerandi levitæ martyrum, ex vico Neustriæ Achiniaco, ad Auturam fluvium posito,

b Spicil. to. 3 p. 213.

ANN. CHR. 960.

clam abstulit, &, cum ad portum Logiensem pervenisset, deprehensus, ea Fontanellæ reponere coactus est.

XXXI. S. Petri Carnutensis abbates.

Sub hoc tempus decessit Ragenfredus Carnutensis antistes, qui monachos in sancti Petri monasterio restituit, dotavitque duodecim ecclesiæ suæ præbendis. Ejus obitus in necrologio suæ ecclesiæ notatur XIV. kalendas Augusti, at XV. easdem kalendas in necrologio sancti Petri, in cujus basilica sepultus est honorifice ante altare sancti Petri. Ei successit in episcopatu, sed non in amore erga sancti Petri monasterium, Arduinus ejus frater, episcopatum mercatus suburbana sancti Martini abbatia, episcopis subjecta, quam comitum potestati tradidit. Idem episcopus ad breve tempus factus, ex duodecim præbendis, quas frater ipsius sancto Petro dederat, mediam partem detraxit. Eodem, quo Ragenfredus, tempore Alveus abbas sancti Petri ad superos migravit XV. kalend. Septembris, aliis XVI. humatus ante altare beatæ Mariæ: ad cujus anniversarium olim præpositus de Boivilla viginti solidos persolvere debebat. Geroardus ejus pater VI. idus Junii in obituario laudatur. Alveo subrogatus est Arembertus abbas, quem Arduinus episcopus ordinavit. Ejus successor Widbertus abbas ordinatur a Wlfaldo episcopo, qui post biennium ex-abbate Floriacensi Carnutensis episcopus creatus est.

XXXII. Raymundi-Pontii comitis testamentum. a Diplom. p. 572.

Ad hoc tempus pertinet testamentum Raymundi-Pontii comitis Tolosani, & Gothiæ marchionis, quem monasterii sancti Pontii Tomeriarum auctorem fuisse diximus. In hoc testamento [a] magna elucet istius comitis devotio & pietas, quippe qui tot & tanta bona ecclesiis ac monasteriis legavit. Monasteria illa sunt sancti Salvatoris de Figiaco, sancti Petri de Bello-loco, sancti Petri & sancti Geraldi de Auriliaco, sancti Petri de Marsiliaco, sancti Salvatoris Vabrense, Nantense, sancti Baudilii, sancti Ægidii prope Nemausum, Salvatoris Anianense, sancti Juliani de Psalmodio, sancti Tiberii, sancti Petri de Juncellis, sancti Pontii ad Tomerias, sancti Petri ad Caunas, sanctæ Mariæ Crassæ, sanctæ Mariæ de Soricinio, sanctæ Mariæ de Soliaco, sancti Benedicti Castrense, sancti Michaëlis de Galliaco, sancti Eugenii de Viancio, sanctæ Fidis ad Conchas, sancti Audardi, sanctæ Mariæ-Fabricatæ Tolosæ, sancti Petri de Condomio, & sancti Petri Musciaci, cujus abbas fuisse videtur Gausbertus ibidem laudatus. His omnibus prædia, alodes, ecclesias, aliquando medias legat. E propinquis nominat Bertam seu Bertanam uxorem suam, filios Hugonem & Raymundum; Hugonem & Raymundum nepotes; item Raymundum & Amalvinum fratrem ejus; atque Hugonem & Ermengaudum ejus fratrem, & quosdam alios. Ex his quæ Figiaco, Bello-loco, & Auriliaco legat, quædam ad usum-fructum nonnullis concedit, ea lege, ut monachis per singulos annos *medio quadragesima* unam refectionem præbeant. Hoc testamentum caret chronicis notis.

Raymundi liberi.

Raymundus-Pontius duas uxores habuit: priorem Gersendem, quam laudat in litteris de constructione monasterii sancti Pontii Tomeriensis: posteriorem Bertam seu Bertanam, in hoc testamento sæpius memoratam, neptem Hugonis Italiæ regis, primo nuptam Bosoni Tusciæ marchioni. Ex priori Hugonem filium habuisse videtur, ex posteriori Raymundum, quem unicum filium prodit Berta in litteris donationis factæ monasterio Montis-majoris, mox commemorandis. Quosdam etiam filios naturales ac filiam habuit ex filia Odoini, quos ipse in prædicto testamento designat, sed non nominat.

XXXIII. Bertæ comitissæ donatio facta Monti-majori.

Berta Raymundo nupsit post annum DCCCCXLVII. scilicet post mortem Hugonis Italiæ regis, qui plurimas eidem Bertæ nepti suæ possessiones reliquit. Ex his amplissimam donationem hoc anno fecit *sanctæ Mariæ & sancto Petro monasterii insulæ Mnotis-majoris* prope Arelate, & fratribus ibidem Deo famulantibus: quæ res sitæ erant in comitatu Sustantionensi & in regno Provinciæ, videlicet in comitatibus Friuliensi, Regiensi, Vapincensi, Vasionensi, Atensi, Orisionensi, Trahensi, & Diensi. quæ omnia, *tam vestita, quam vasta*, quæ ipsi legibus provenisse dicit *ex parte avunculi* sui *Ugonis*. donat prædictis sanctis & monachis insulæ Montis-majoris, pro anima sua *& senioris* sui *Raimundi, & filii* sui *Raimundi. Facta donatio ista iiij. kalend. Martii, anno vj. regnante Lothario rege Francorum.* quo tempore Raymundus comes ejus maritus jam obiisse videtur ex eo, quod hæc donatio, nulla habita ejus consensus mentione, facta est. si tamen ipse non est, qui post biennium Bellilocensi monasterio ecclesiam sancti Medardi adjudicavit. Alia erat

eodem tempore Berta comitissa, conjux Siguini comitis olim Nivernensis, quæ curtes duas apud Vivarium & Villam tradit Nivernensi sancti Cyrici ecclesiæ pro remedio animæ suæ, senioris sui Siguini, filiorumque suorum, *anno xj. regnante Lothario rege.* ANN. CHR. 960.

XXXIV. Luxovienses ablata repetunt.

Quo tempore Lotharius Divionense castrum recepit, Luxovienses monachi, consultu Letoldi comitis, cum reliquiis sancti Waldeberti abbatis accessere ad pagum Divionensem, repetituri quasdam monasterii sui possessiones, scilicet villam ejusdem pagi multum viniferam, Caciacum nomine, quam Rotbertus quidam præpotens miles cum nepote suo Berardo invaserat; & Molisiacum villam pagi Belnensis, ab Hucbaldo occupatam. Cum ad villam Caciacum pervenissent, in medio villæ tentorium cum sacro loculo statuunt, ibidemque jejuni pernoctant. Mox adest etiam Berardus cum suis armatis, qui villam solito more diripiunt, ibique alimentorum sumtus copiosius ac durius exigunt, quibus sese ingurgitant; sicque vino perfusi lectis se collocant. Verum nocte media Berardus febre ac dysenteria corripitur, vixque auroram præstolatus, monachos adit, ante sacrum loculum pronus corruit, reatus sui culpam agnoscit, ac villa Caciaco restituta, integram recipit sanitatem. quo audito, territus Hucbaldus, alias vir probus ac modestus, Molisiacum villam, vini ac frugum feracem, ilico itidem restituit. Haud scio an jam tum Luxovio præerat Aaloncus abbas & episcopus, qui, delatis sanctorum Eustasii & Waldeberti abbatum reliqoiis ad pagum Alsgodiensium, quasdam res e tyrannorum manibus vindicavit. Huic loco contiguum est castrum Montis-Beliardi: cujus opidi quidam incola haud ignobilis, Uto nomine, nervis contractus, & membrorum facultate privatus, istuc delatus, sancti Waldeberti nomine invocato, penitus convaluit. Aalonco seu Adalonco abbati successit Adso abbas, de quo inferius.

XXXV. Manasses abbas S. Benigni Divionensis.

Divionense sancti Benigni monasterium tunc administrabat Manasses abbas, Fulcherii successor, cujus tempore Hugo, illius pagi comes, in atrio [a] sancti Benigni se humari postulavit. Huic erat conjux Adalburgis, quæ pro ejus animæ requie & loco sepulturæ, cum consensu filiorum suorum, Gibuini scilicet Catalaunensis episcopi, & Richardi, qui patri in comitatu successit, & Hugonis Atoariorum comitis, sancto Benigno mansum unum in villa Patriniaco donavit. Mortua comitissa, tres isti fratres pro requie parentum suorum eidem monasterio contulerunt hereditatem suam in villa Missiniaco, quam Manasses nobili cuidam feminæ, Retrudi nomine; in præstariam dedit. Eodem tempore Ado sacerdos, factus ibidem monachus, sancto Benigno tradidit prædia quædam sua, tum in villa pagi Belnensis Cussiniaco, tum apud Flaviniacum.

[a] Spicil. to. 2. p. 428.

XXXVI. Ansteo abbati S. Arnulfi succedit Johannes.

Cum Mettensi monasterio sancti Arnulfi per annos sexdecim præfuisset Ansteus abbas ejus loci secundus, vitæ piissimæ cursum absolvit pridie nativitatis beatissimæ Virginis, id est VII. idus Septembris; sepultus in aquilonari parte basilicæ, Adalberone episcopo funus curante. Ei successit Johannes ejus nominis primus, abbas loci tertius, vir doctrina & pietate præditus eximia. Doctrinam & eloquentiam probant scripta ab eo edita de gestis sanctæ Glodesindis, & sancti Johannis abbatis Gorziensis, in quibus ejus pietas & eloquentia pro tempore haud vulgaris elucet. Fallitur scriptor libri de gestis abbatum sancti Arnulfi anonymus, qoi pleraque Johannis Gorziensis facta ei tribuit. Probabilius, immo certum videtur id, quod de eo refert idem auctor, nimirum temporibus primi Ottonis famosissimi imperatoris exstitisse comitem palatii, nomine Teutbertum, opibus florentem, ac bonitate conspicuum: qui, cum masculina prole careret, orationis causa ad basilicam sancti Arnulfi accesserit, vota facturus ad masculum cælitus obtinendum. Huic autem ad altare precibus instanti Johannem abbatem, qui ejus voti minime conscius erat, prædixisse, fore ut brevi voti compos esset; nuncupandumque infantem Benedictum, Deo sanctoque Arnulfo offerendum, atque ibidem nutriendum. Et quidem rem ita contigisse, & infantem, ubi primum editus in lucem fuisset, Johanni abbati delatum, *ut catechumenus efficeretur.* Dein fonte salutari ablutum, *pallio purpureo involutum* a patre in ecclesiam illatum, atque altari superpositum fuisse, Deoque ac sancto Arnulfo oblatum. quæ omnia ubi mater rescivit, ægre tulisse, quod & Benedicti nomen solis monachis convenire diceret; & generi suo infamiam inuri crederet, si ex ipsa natus puer talis professionis habitum gereret. Verum eam a marito correptam resipuisse, factumque ac votum suffragio suo comprobasse. Hic

ANN. CHR. 960.

est vir clarissimus Theodebertus palatii comes, ac monasterii advocatus, cujus assensu Johannes abbas Mauri-villæ * incolas emancipavit, ut postea videbimus.

* *Maurville.*

XXXVII. S. Petri puellare monasterii reformatur.

Non minus sollicitus fuit Adalbero Mettensis episcopus de corrigendis puellarum, quam virorum cœnobiis. Quam ob rem cum monachæ sancti Petri monasterii regulare institutum, quod ab origine acceperant, fere abjecissent; eas ad normam regulæ sancti Benedicti revocare, ac reformare curavit, idque ab Ottone rege confirmari. Ejus rei præceptum exstat apud Meurissium [a] Madaurensem episcopum, quo in præcepto rex ait, Adelberonem (sic scribere amant ejus ævi scriptores)
» compatrem suum, egregium sanctæ Mettensis ecclesiæ præsulem, una cum germano
» suo Friderico duce, regiam serenitatem adiisse super quodam ditionis suæ monaste-
» rio, infra * muros jam dictæ civitatis in honorem principis apostolorum constructo,
» ab antiquis Majoris-monasterii nomine nuncupato, atque supplicasse, *ut* regii præ-
» cepti auctoritate *sanctimonialibus jam dicti monasterii secundum sancti patris Bene-*
» *dicti instituta sub regula vel * abbatissa liceret militare.* Id autem Otto facile in-
» dulsit, hac maxime ductus ratione, quod, *ejusdem loci privilegio prodente, Theode-*
» *rici regis tempore sub abbatissa vel regula districtione constet eas arduam vitam duxisse.*
» ideoque præcipit, ut dicti loci abbatissa, quæ hoc monasterium tunc moderaba-
» tur, domna videlicet Hawidis, cum omnibus sibi subjectis, *in monacharum ordine*
» *cogantur permanere.* quod ut exsequi possent, possessiones monasterii eis confirmat
» cum libera abbatissæ electione, quam ab initio habuerant. Actum Coloniæ tertio
» nonas Junii, anno dominicæ incarnationis DCCCCLX. indictione III. Ottonis in-
» victissimi regis XXV. Ex his intelligitur, regulam sancti Benedicti principio receptam fuisse in illo parthenone, qui novo Adalberone modo indigeret, ut ejus loci puellas, quæ se canonicas ferunt, ad pristina instituta revocaret.

[a] *Meurisse p. 313.*

* i. intra

* i. &

XXXVIII. Aletrannus Laubiensis abbas.

Inter ea Baldricus Leodicensis episcopus moritur, eique subrogatur Euracrus, Bonnensis ecclesiæ decanus, quem alii Eraclium seu Everaclum vocant. Hic suum in rem monasticam studium ostendit, tum quia Laubiensi monasterio idoneum pastorem imposuit, tum quia insigne ordinis nostri monasterium sub sancti Laurentii patrocinio in sua urbe erexit, ut videbimus libro sequenti. Ad primum quod attinet, *hic domnum Aletrannum*, inquit Folcuinus [b], *undecumque doctissimum, & in lege Dei exercitatum ac eloquentem, volentibus omnibus, Laubiis præfecit abbatem, ubi ita vixit, ut servum decuit Domini. nam cum ante eum, permissa fratribus rerum peculiarium & tricliniorum solummodo impunitate, de cetero honeste quidem & in commune viveretur; hic, quo modo instructus fuit*, forte in Gorziensi monasterio, *omnia ad regulam correxit: ad cujus supplementum domnus Euracrus juvit plurimum, ei restituens villas, ante id abalienatas.* Parce admodum de statu Laubiensis ante Aletrannum monasterii loquitur Folcuinus domesticus auctor: at longe aliam opinionem ingerit Gemblacensis chronographus, atque facinus horrendum in Erluinum abbatem patratum, quod Laubiensium depravatos mores satis superque arguit. Ad hæc illa rerum peculiaritas seu proprietas in monachis non leve crimen est, ne quid dicam de privatis illis tricliniis seu conclavibus, quæ res illis temporibus pro re abnormi censebatur: sive id intelligatur de privatis ac separatis habitaculis, sive de distinctis sub uno tecto cellulis, quales modo ubique in monasteriis in usu habentur. Addit Folcuinus, sub Alettanno abbate omnia fuisse nobilia, nisi quod capsæ reliquiarum prægrandes & aureæ furto sunt ablatæ, & crux aureola sub Erluino a fratribus confracta, ut ejus pretio se ipsi redimerent a furore Ragineri comitis Hainoensis, cujus iram & indignationem ob male multatum Erluinum incurrerant. Hic mihi videtur esse Aledtandus abbas, cum quo Cadroë Walciodorensis & Wltmarus Gandensis seu Blandiniensis abbates Gorziam ad celebrandum festum sancti Gorgonii martyris convenisse dicuntur, & in itinere hortatu Cadroæ jejunium servasse. Exstat in annotationibus ad gesta episcoporum Leodicensium epistola Everacli seu Euracri episcopi ad Ratherium Veronensem, in qua se ejus filium dicit, eique ob sibi directam cum balsamo ex urbe Verona legationem gratias agit, ubi ejus discipulum se fuisse innuit. Dein in ejus laudes excurrit. *Quis enim est vobis*, inquit, *aut sapientia, probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo laudis genere præstantior?* & infra: *Non modo non rapuisti, sed nec quidem appetisti aliena. Largitus es propria, aliorum condolens miseriis, non felicitatibus invidens alienis.* tum subdit, eum ab omnibus desiderari. *Nativa vobis supplex tendit manus*

[b] *Spicil. to. 6. p. 574.*

ANN. CHR. 960.

patria, & ut redeatis invitat … Omnia nostra erunt in manu vestra, secundum quod animo vestro insederit, ô dilecte Ratheri. Hæc epistola respondet ad Ratherianam, quæ in ejus scriptis editis deest.

XXXIX.

Engranno episcopo Cameracensi succedit Ansbertus.

Cum *monasterium* seu ecclesiam sanctæ Mariæ toto studio ad occidentalem plagam amplificaret Engrannus, e nostris Cameracensis & Atrebatensis episcopus, morte [a] præventus, opus imperfectum reliquit, & post tres annos regiminis ad Christum migravit, ab Hadulfo Noviomensi episcopo humatus honorifice *in monasterio* seu cathedrali ecclesia Cameracensi ad australem partem, cujus occidentalem partem iochoaverat. Hunc excepit Ansbertus, tunc Atrebatensis monachus *atq e Cameracensis* [b] *ecclesiæ archidiaconus*, vir liberalibus disciplinis eruditus: qui, dum res sancti Vedasti in pago Baduensi procuraret, Ottoni regi innotuit, cujus favore episcopalem dignitatem adeptus est ad annos quinque: quo tempore graves ac multas injurias a suis ipsius militibus pertulit, quos ope Arnulfi illustris comitis, scilicet Flandrensis, repressit. Hic vides Ansbertum, etsi monachum, io ecclesia Cameracensi archidiaconum fuisse. cujus rei alia similia exempla in his annalibus occurrent. Vix uno anno ecclesiam rexit Wiboldus Ansberti successor: qun mortuo, Rotbertus quidam, sancti Dionysii Parisiensis monacbus, qui res monasterii sui in villa Solemia procurabat, muneribus sibi ad episcopatum viam facere [c] conatus est: sed merito rejectus, Tetdoni, Coloniensis sancti Severini ecclesiæ præposito, viro probo ac litterato, locum cessit. Nullus dubito, quin is sit Rotbertus Dionysianus abbas, de quo Gerbertus agit in epistola quadam [d] ad episcopum Parisiensem.

a *Balderic. lib. 1. c. 86.*
b *ibid. p. 87.*
c *ibid. c. 91.*
d *Gerbert. ep. 145.*

X L.

Eadgarus rex S. Dionysio beneficus.

Tunc Dionysiani monasterii præpositus erat *vir strenuus*, nomine Vitalis, qui res sancti Dionysii in Anglia a regiis ministris infestari gravate ferens, Eadgarum piissimum regem adiit anno secundo regni ejus, indictione tertia, septimo kalend. Januarii. Rex, auditis Vitalis querelis de Togredo [e] regiæ domus præposito, multas gravesque exactiones a villis sancto Dionysio subjectis extorquente, damna restitui præcepit, ac deinceps ab ejusmodi vexationibus abstineri. cujus rei diploma per Togredum ipsum *ad sepulcra sanctorum martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii* deferri jussit, *quorum sacra corpora honorifice* ibi *locata* esse asserit. idque Otto secundus de sancti Dionysii corpore diserte affirmat. Ex quo intelligitur, quam vana sit persuasio Ratisponensium, qui sancti Dionysii corpus ab Arnulfo rege obtentum, & in sancti Emmerammi cœnobio repositum dicunt.

e *Doublet p. 817.*

X L I.

Adalberti missio in Russiam.

Lambertus Scafnaburgensis, Hersfeldensis monachus, auctor gravis, qui ante annos quingentos chronicon rerum Germanicarum scribebat, tradit, hoc anno Russiæ geotis legationem ad regem Ottonem venisse, oratum, ut illi genti episcopus aliquis, qui populares suos christianæ religionis mysteriis imbueret, mitteretur; eoque missum fuisse Adalbertum, sancti Maximini Trevirensis monachum, qui vix manus eorum effugerit. At Martinns Cromerus [f] Lambertum allucinatum fuisse putat, censetque Adalbertum in Rugiam missum fuisse, non in Russiam, quæ a Basilio imperatore Constantinopolitano episcopum, & fidei christianæ græcanicos ritus acceperit. Certe Helmodus in historia Slavica [g] traditione acceptum refert, egressos e Corveia monachos sanctitate insignes, Slavorum salutem sitientes, seipsos impendisse ad subeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei; peragratisque multis Slavorum populis, pervenisse ad eos, qui dicuntur Rani sive Rugiani, in corde maris babitantes, ac prædicatione sua totam illam insulam Christo acquisivisse, ibique oratorium fundasse in honorem sancti Viti Corveiæ patroni. Id vero contigisse hoc tempore, quo rex Otto Slavos subegit, & ad Christi fidem adduxit, vero proximum est. Verum id non obstat, quo minus Adalbertus e Corbeia in Russiam ab Ottone missus sit. quod non solus Lambertus, sed etiam alii illorum temporum auctores testantur, tametsi Rugos appellant eos populos, ad quns Adalbertus missus est, addendo Helenæ reginæ nomen, cujus rogatu hæc missio facta sit. Atqui hæc Russiæ regina erat, ante baptismum Olga dicta, quæ Constantino Leoois filio imperante Constantinopolim profecta, ibidem baptizata, Helenæ nomen accepit. Et quidem Ditmarus, scriptor ejus temporis, Adalbertum *Russiæ* [h] *præsulem* ordinatum tradit: cui chronicon Hildensheimense consentit. Ad hæc Reginonis continuator Helenæ precibus hanc missionem tribuit. Chronicon Saxonicum habet, Helenæ legatos benigne ab Ottone acceptos fuisse, eorumque petitioni annuisse, atque ad illam missionem venerabilem & catholicum virum, Libutium

f *Cromer. initio lib. 3.*
g *Helmod. lib. 1. c. 6.*
h *Ditmar. lib. 2.*

nomine, designavisse, ex cœnobitis sancti Albani assumtum, qui hoc anno a venerabili Adalgago archiepiscopo Bremensi *Rugorum genti* nrdinatus sit episcopus.

ANN. CHR. 960. Libutius ad eamdem ordinatus.

verum quibusdam dilationibus ab itinere suspensum, anno insequenti xv. kalendis Martii obiisse: *cui Adalbertus ex cœnobitis sancti Maximini Trevirensis, machinatione & consilio Willelmi archiepiscopi* Moguntini, *licet meliora in eum confisus fuerit, & nihil in eum umquam deliqueris, peregre mittendus in ordinatione successit.* Forsan Willelmo archiepiscopo, Ottonis filio, invidiam faciebat Adalbertus, plurimum ab Ottone honoratus: quem piissimus rex, solita sua misericordia, omnibus, quibus indigebat, cupiis instructum genti honorifice destinavit.

Folcmarus episcopus Patherbrunnensis. Eodem anno post mortem Dudonis Patherbrunnensis episcopi, electus est Folcmarus seu Wolkmarus Corbeiæ novæ, non ille abbas, qui longe ante, scilicet anno DCCCC XLII. decesserat, sed monachus, ut testantur annales Corbeienses: qua de re magnopere lætata dicitur tota gens de Arnsten, ex qua Folkmarus forte nrtus erat. Hanc vero dignitatem per annos viginti-tres tenuisse traditur in prædictis annalibus; sed annos viginti-septem ei tribuit scriptor vitæ sancti Meinwerci. Res ab eo gestæ in obscuro jacent, teste Schateno.

ANN. CHR. 961. XLII. Otto imperator Italiam adit.

OTto rex a Johanne papa contra Berengarium & Adelbertum reges sollemni legatione evocatus, postero anno ejus sæculi sexagesimo-primo Wormatiæ comitia celebrat, in quibus Ottonem filium, vix sexennem, regem designat, eique Aquisgrani die pentecostes coronato Germaniæ regnum sub tutela Willelmi archiepiscopi Moguntini committit, quo ex tempore anni regni Ottonis secundi numerari cœpti. Ipse Otto pater cum validis copiis in Italiam, Adelaide regina comitante, pergit. Alpes transgressus, sine ullo certamine Papiam recuperat, ac regiam ejus urbis, ante a Berengario deletam, instaurat, atque Hattonem Fuldensem abbatem ad præparanda sibi hospitia Romam præmittit: ubi anno insequenti coronatus est imperator. Quæ dum aguntur, Berengarius & Adelbertus cum suis in tutiora loca se recipiunt.

XLIII. Grassani monasterium conditur. Inter hæc Grassani monasterium conditur, qui locus est in Montis-ferrati collibus, inter Padum & Astensem pagum positis, Vercellensis quondam, nunc Casalensis diœceseos. Illic Aledramus seu Aleramus marchio cum Girberga Berengarii regis filia, altera sua uxore, Anselmo & Oddone filiis consentientibus, nostri ordinis cœnobium construxit in honorem Deiparæ Virginis, sancti Petri, & sanctæ Christinæ, mutato postea nomine sanctorum Victoris & Coronæ appellatum. Ad ejus vero dotationem conferunt ambo conjuges castrum ipsum Grassani, Cisignanum & Cardalonem, aliaque prædia, quæ jugera centum continebant, prout fusius enumerantur in primordialibus litteris ab Ughello [a] relatis, quibus cavetur, ne Vercellensis episcopus quidquam in res ipsas attentet præter jussionem episcopi sancti Johannis-Baptistæ Taurinensis ecclesiæ, in cujus ordinatione monasterium esse volunt; & citra consensum monachorum, qui quotannis eidem ecclesiæ, in nativitate sancti Johannis, duas candelas offerre debeant, & quotidie pro ipso Aledramo & filio suo Guillelmo missam & officium persolvere. Porro prædictarum rerum traditio *per cultellum, festucam & vasonem terræ atque ramum arboris* facta est ab ipsis conditoribus, qui se *lege Salica* vivere profitentur. Actum *mense Augusti, indictione quarta*, Berengarii & Adelberti regum anno undecimo. Hodie unicus sacerdos, quem abbas commendatarius alit, huic abbatiæ inservit. Hæc facta sunt Ingone episcopo Vercellensi ecclesiæ præsidente, qui multa bona suæ ecclesiæ distraxit, atque Vercellense [b] sancti Stephani monasterium, cujus origo incerta est, diripuit, ab ejus successoribus pristino splenduri restitutum, sed tandem solo æquatum, anno quadragesimo-quinto quam a Paulo papa tertio regularibus canonicis traditum fuerat.

a Ital. sac. to. 4. c. 1062.

S. Stephani Vercellense monasterium.

b Chron. Pedem. p. 290.

XLIV. Bremetensis abbatia. Circiter hoc tempus Bremetensis abbatia ab Adalberto marchione concessa fuit Novaliciensibus monachis post monasterii sui vastationem factam a Sarracenis. Sita est hæc abbatia in diœcesi Papiensi, inter Padum & Ticinum fluvios. Jam exstabat ante annos decem, quo tempore Arduino [c] marchioni a Lothario rege data est. Adalbertus marchio, illius abbatiæ instaurator potius, quam primus auctor censendus. Ejus conjux Adeleidis vocatur. unde dubitare licet, an is sit Adalbertns Eporediæ marchio, a Liutprando [d] Ticinensi diacono laudatus, qui Gistam, Berengarii

c Chesn. to. 3. p. 636. & 639.

d Liutpr. li. 5. c. 2. & 3.

ANN. CHR. 961.

garii imperatoris filiam, uxorem habuit, ex qua Berengarium secundum, aliosque liberos suscepit. Johannes præpositus monasterinm Bremetense rexit sub Arduino abbate, forte sæculari, qnem *Glabrionem* Novaliciense chronicon vocat. Is ob vexationes marchionatu privatus, in Bremetensem abbatiam se recepit, privatam deinceps vitam acturus: sed nequaquam abbatialis dignitatis *consecrationem meruit*. Eo non multo post exstincto, *strenuissimus & humillimus Gezo abbatiam suscepit.* haud scio an piissimus ille Gezo, abbas primus monasterii sancti Martiani Derthonensis. Ejus tempore Adalbertus marchio mediam [a] partem terræ Bremetensis comparavit, & sancto Petro, qui monasterii patronus erat, donavit. Eodem Gezone agente, Otto, primus an secundus, Lotharii regis præceptum, abbatiæ valde noxium, rescindi, & in conspectu quiritum suorum uri præcepit, aliudque longe utilissimum eidem indulsit. Paullo post, palatinus quidam comes, Samson nomine, ab uxore, ut ferunt, delusus, Bremetum ad sancti Petri limina se recepit, ibique monachus factus, tantas beato Petro obtulit opes, nt ejus loci inopia penitus relevaretur. nam præter aurum, argentum, & equas bubulasque, *curiam unam*, nomine Cannobium, contulit, atque stagnum tantæ magnitudinis, ut quadraginta millibus in longum, & quinque in latum extenderetur.

Gezo abbas.

a *Hist. Novalic.* lib. 2. c. 61. p. 342.

Flocardus, Albensis apud Insubres ab anno [b] superiori episcopus, ex monacho XLV.
Bremetensis abbatiæ assumtus erat: qui ecclesiam suam ita afflictam, civitatemque ipsam ab Sarracenis & Hungaris adeo devastatam reperisse dicitur, ut sibi victum propriis manibus comparare cogeretur. quæ res Ottonem imperatorem movit, ut Albæ-Pompeiæ * sedem Astensi unire procuraret. Flocardus vero adeo hanc unionem haud gravate tulit, ut contra, tamquam gravi sarcina exoneratus, lætus ac gaudens Bremetense suum monasterium repetierit, in quo reliquum vitæ cum sanctitatis opinione exegit. Dum adhuc Albæ versaretur, ipsum adiit Gezo Bremetensis abbas, cui duo insignia pignora contulit, corpora scilicet sanctorum Frontiniani & Silvestri, quæ Gezo in suum monasterium, transmisso, ut perhibent, siccis pedibus Tanagro flumine, attulit.

Flocardus episcopus inde assumtus.

b *Ital. sac.* to. 4. c. 404.

* *Albe.*

Lotharius Francorum rex Ottonem filium Hugonis Magni, cum nonnullis Fran- XLVI.
ciæ & Burgundiæ proceribus ad se venientem, Lauduni excepit. tum habitis apud Suessionas comitiis, cum matre Gerberga regina & quibusdam Franciæ proceribus Burgundiam petiit, ut eam præsentia sua componeret, sibique conciliaret. In illo itinere in villa Condeda * hospitatus est, ibique donationem ejus villæ, sancto Remigio factam ab Hugone comite, præcepto suo roboravit. Sita est hæc villa in comitatu Lingonensi, pago Boloniensi, sic dicto a Bolonia * villa super Matronam, prioratu hactenus insignis. Ejus villæ donator Hugo comes filius erat Rotgarii comitis olim Laudunensis, a beata Salaberga, ut Jacobus Vignerius [c] putat, originem ducens, qui morti proximus hanc villam donavit sancto Remigio, in cujus basilica sepeliri voluit. Ejus donationem ratam habuit, ut mox dicebam, Lotharius, dum Condedæ hospitaretur. Editum est [d] non semel regium hac de re præceptum, in quo Lotharius Hugonem *consanguineum* suum vocat, & cortem, quæ dicitur Condeda, sitam in comitatu Lingonensi, cum omnibus appendicibus suis ad victum monachorum, prout Hugo ipse in extremis statuerat, sancto Remigio confirmat, interpellante Gerberga regina, cum Roricone Laudunensi & Gibuino Catalaunensi episcopis, necnon Raginaldo comite. *Datum iij. Octob. indictione iv. regnante Lothario rege anno vij. Actum in villa Condeda feliciter.* Illic nobilis cella condita est, in qua monachi divina officia persolvebant, nunc pristini tantum splendoris umbram retinens, eliminatis Dei servis, qui divino incumbebant officio, censu ad priorem sæcularem devoluto.

Lotharii præceptum de Condeda pro S. Remigio.

* *Condé.*

* *Bouligni.*

c *Chron. Ling.* p. 76.

d *Marlot* to. 2. p. 590.

Hoc etiam anno Artaldus Remorum præsul morti debitum solvit pridie kalen- XLVII.
das Octobris, teste Frodoardo, viginti & octo annos in illa sede emensus inter fluctuantis vitæ procellas; sepultusque est ad pedes sancti Remigii, cujus monasterii alumnus fuerat, vir ingentis ac invicti animi, alternante fortuna sibi semper constans, Ludovico ac Lothario acceptissimus, quorum archicancellarius exstitit. Nonnihil diffident necrologia in assignando ejus obitus die. In necrologio codicis Odalrici præpositi Remensis ejus obitus notatur ipsis kalendis Octobris; in Remigiano die sequenti, qui ejus sepulturæ fuisse dicitur. De eo illud miraculo proximum Guibertus [e] abbas de Novigento, a Manasse bonæ memoriæ archiepiscopo

Artaldi archiepiscopi obitus ac sepultura.

e *Guib.* lib 1. *de vita sua* c. 23.

ANN. CHR. 961.

& a monachis Remigianis acceptum refert, retecto Artaldi ex necessitate mutandorum ædificiorum sepulcro, de corpore ejus vestibusque nihil repertum fuisse præter planetam solam, quæ omnino illæsa erat. unde conjicit Guibertus, ejus corpus incorruptum permansisse, & alio amotum. Si enim, inquit ille, ibidem putruisset, tabes utique planetam corrupisset. Post mortem Artaldi, quia non statim Odalricus ejus successor electus est, vacavit aliquamdiu archicancellaria. unde Gezo notarius prædictum de Condeda Lotharii præceptum solus recognovit, mendose Azzo dictus apud Marlotum [a] in præcepto Lotharii regis de villa Marsella, canonicis sancti Theoderici prope Remos concessa, quod præceptum Gezo notarius ad vicem domni Odalrici archiepiscopi & cancellarii recognovit. Datum VI. idus Decembris, anno nono Lotharii regis, indictione quinta, non quarta, quæ huic anno competit, quo Odalricus necdum electus erat. Certe in illo sedis archiepiscopalis vacantis interstitio Rorico Laudunensis antistes cancellarii officium gessit, ut probat in primis diploma Lotharii pro Saviniacensi monasterio agri Lugdunensis de Noaliaco, aliisque prædiis, quæ matrona quædam, Emmena nomine, sancto Martino ad usum monachorum contulerat, datum IV. idus Decembris anno regni domni Lotharii VII. (lege VIII.) indictione IV. quod diploma *Gezo notarius ad vicem Roriconis episcopi recognovit.*

Lotharii præcepta pro S. Theoderico & Saviniaco.

a *Marlot. to. 2. p. 603.*

XLVIII. Eodem anno Frodoardus consignat obitum Widonis præsulis Autisiodorensis, qui Hugonem Artaldi æmulum erudierat. Obiit VIII. idus Januarii. Suffectus ei Richardus, domo [b] Autisiodorensis, ex Johanne & Maria parentibus ortus, atque a puero in ea urbe sancti Germani monachus, qui rogatu cleri ac populi episcoparum suscepit, licet nimiæ simplicitatis, & minoris industriæ fuisse dicatur. Sedit in episcopatu annos novem, mensem unum, ac dies undecim, mortuus XVII. kalendas Junii; ordinatus proinde XVIII. kalendas Maias hujus anni, qui dies dominicus erat.

Richardus episcopus Autisiodorensis.

b *Labbe to. 1. p. 446.*

XLIX. A Nortmannorum primis procellis jacebat Laudunense sancti Vincentii monasterium, jam pridem monachis destitutum: cum Adelelmus episcopus duodecim canonicos illic instituit, ne divinum officium eo in loco, ubi secunda episcopalis sedes erat, diutius interrumperetur. Verum Rorico præsul, cum locus denuo ad pristinam vergeret desolationem, monachos illinc tam diu abesse non ferens, quippe qui non tantum episcoporum, canonicorum, sed etiam nobilium conditorium [c] erat, accito generali conventu, ipsius consilio decrevit eum in antiquum conversationis monasticæ statum reformare, & pro temporis opportunitate quantulumcumque monachorum numerum illic aggregare. *Evocatis igitur a monasterio sancti Benedicti, supra Ligerim sito, duodecim monachis, eis venerabilem Melchalanum præfecit abbatem, eumque cum ceteris monachis in eodem cœnobio ad Deo serviendum constituit:* quibus inter cetera beneficia, *secundæ sedis episcopatus dignitatem*, a priscis antecessoribus suis eidem ecclesiæ concessam, approbans confirmavit. *Actum Lauduni anno incarnationis Domini* DCCCC LXI. *indictione iv. kalendis Octobris, in anno vij. Lotharii regis.* Hæc restitutio postea confirmata est a Lothario [d] rege anno regni ejus XXII. Melchalanus primus a restitutione abbas non videtur alius a Malcaleno sancti Michaëlis in Teorascia abbate, superius [e] laudato, qui utique in Floriacensi sancti Benedicti monasterio institutus fuerat. Forte vicarium sibi substituit Bellandum seu Berlandum abbatem, quem ejus successorem in Vincentiani monasterii regimine domesticæ tabulæ præferunt. Idem Rorico episcopus terram juris sui, hoc est dimidiam abbatiam sancti Hilarii, a Rainone canonico Laudunensi dari consenuit ecclesiæ sancti Vincentii, in qua duodecim monachos *sub religione sancti Benedicti* recens constitutos fuisse ait, ubi Raino sanctæ religionis habitum acceperit. *Actum Lauduno iij. nonas Junii, indictione xij.* * *anno xij. Lotharii regis.*

Monachi apud S. Vincentium restituti.

c *Marlot. to. 2. p. 9. & 10.*

d *Marlot. to. 2 p. 10.*

e *lib. 44. n. 66. & seqq.*

* *L. VIII.*

L. Ragenoldus Sithiensis abbas, cum anno superiori elephantina peste, quæ tum grassabatur, infectus fuisset; remotus ab aliorum consortio regimen tamen retinuit ad hunc annum, quo illud Adalolfo ejus loci monacho, consentientibus fratribus, commisit post annos octo præfecturæ. Non tamen episcopalem benedictionem accepit Adalolfus, agente Arnulfo comite, qui, sedata peste, istuc redierat, ibidemque morabatur cum filio suo Balduino, & conjuge sua Mathilde, filia Herimanni Saxonum ducis, ex qua filium Arnulfum suscepit. Hæc primo suo in ecclesiam ingressu cortinam dedit miræ magnitudinis operisque insignis, quæ tempore

Sithienses abbates.

Iperii adhuc usui erat in quadragesima, *sancta distinguens a sanctis sanctorum.* Erat
Arnulfo nepos Hildebrandus, olim Sithiensis, tunc autem Vedastinus abbas: quem ANN. CHR. 961.
ut Sithiensibus denuo præficeret, Adalolfum benedictione carere curavit, & trans
mare proficisci ad Angliæ regem, ut honorificæ in speciem legationis occasione
Hildebrandum ad Sithiensis monasterii præfecturam revocaret. Non ægre assense-
runt Sithienses, qui gravate admodum tulerant viri sibi gratissimi ac dilecti transla-
tionem ad abbatiam sancti Vedasti. Non diu superstes fuit filius Arnulfi Balduinus Balduini comitis obitus.
comes, cognomento Junior, qui circa natale Domini morbo, *quem medici variolas
seu poceas vocant*, correptus, subsequenti festo circumcisionis Domini ex hac vita
migravit maximo totius populi desiderio, cui acceptissimus erat. Hic, etsi vivente
patre mortuus, inter Flandriæ comites numeratur, quippe qui triennio ante obi-
tum sub Arnulfo patre Flandriam rexerat. Hæc ex Iperio, qui lucem affert Fol-
cuino levitæ ac monacho Sithiensi, cujus ipsa verba ex chartaceo ejus codice,
quem Adalolfo abbati nuncupavit, huc afferre juvat. *Baldwinus comes sepultus est
in hoc ipso monasterio, in medio beati patris Bertini requietionis templo, anno nativi-
tatis Christi* DCCCC LXI. *indictione iiij. regnante HLothario rege anno viij. Rever-
tente autem domno Adalolfo de partibus transmarinis, iterum inquisitio & electio de ab-
bate futuro cœpit ventilari. Mittens autem comes Arnulfus direxit post Hildebrandum
supra memoratum abbatem & nepotem suum, & ei iterato hunc commendavit locum,
quem & hactenus miseratione Dei regit, qui est annus supra memoratus dominicæ na-
tivitatis.* Tum subdit Folcuinus. *Explicui jam, auxiliante Domino, quæ jusseras,
domne beatissime pater Adalolfe, comprehendens in uno codice traditiones fidelium cum
cartis earum, necnon & gesta abbatum ab ipso primo loci hujus structore domno Ber-
tino abbate, usque ad ultimum, qui nunc præest nostra ætatis tempore. Fateor autem,
ipsa Veritate teste, me nihil aliud scripsisse, nisi quod in exemplariis antiquorum potui
reperire, aut strenuis viris narrantibus agnoscere. Si qui autem me invidiose voluerint
dilaniare, obsecro paternitatis tuæ refrenentur favore.* Fecit & alium codicem Folcui-
nus, in quo chartas variorum ministeriorum separatim collegit. Ex his intelligitur,
Adalolfo nomen abbatis & speciem quamdam dignitatis remansisse sub Hildebran-
di præfectura, cujus tempore Arnulfus comes facilius res monasterii in proprios
usus convertebat. Illud argumento est, quod cum Adoldus decanus vindemiæ cau-
sa missus ad Rheni partes, octo naves vinis onustas inde advexisset; ille ea in pro-
prios usus reservavit, relaxata in compensationem Petressæ ecclesia, quam ipse,
antea sancto Bertino subjectam, occupaverat. Porro Folcuinum levitam mox lau- Folcuini duo Sithienses.
datum distinguendum esse a Folquino Laubiensi abbate atque chronographo, ar-
gumenta non levia suadent, tametsi quædam utrique conveniunt. Uterque ex regno
Lotharii ortus erat, uterque monachus Sithiensis, & quidem eodem tempore.
nam Folcuinus levita collectionem chartarum Sithiensium hoc anno absolvit, ex
præmissis: alter vero ad regimen Laubiensis abbatiæ assumtus est anno abhinc
quarto, ut ipse in chronico suo testatur. distinguendus tamen videtur alter ab alte-
ro, maxime quia Folquinus abbas in libro a se scripto de vita sancti Folcuini epis-
copi non consentit cum Folcuino levita, etsi iisdem ferme verbis ambo utantur.
nam Folquinus levita sancti Folcuini matrem vocat Ermentrudem; abbas Ercen-
sendam: ille hujus sancti episcopi consanguineum se dicit: non alter. Levita ait,
equum sancti viri funeri præisse: abbas addit lacrymasse. Accedit quod Folquinus
abbas sacerdotii honore præditus fuisse videtur: alter in levitæ ordine substitisse.
Denique Folcuinus levita in fine collectionis suæ recensens nomina fratrum, quibus-
cum sub Adalongo abbate in Sithiensi monasterio vixerat, nominat Folcwinum,
quem ipsum esse puto, qui postea Laubiis præfectus est. Haud scio an ejus pater
erat Fulquinus [a] ille vir potens, qui villam pagi Bracbantensis, Dorp nuncupa- a Miræi diplom. p. 37.
tam, Gemblacensi monasterio paullo ante donaverat.

Sub id tempus excessit rebus humanis sanctus Odo Cantuariensis præsul, post an- L. I.
nos viginti pontificatus, testante Willelmo, vir clarus sapientia, & virtute exi- S. Odo Cantuariensis præsul obit.
mius, *&, nisi Dunstanus succederet, ab omni Anglorum orbe semper deflendus*, in-
quit Osbernus. Annum ejus obitus plerique Anglicani scriptores ad annum DCCCC
LVIII. referunt: at præferenda videtur chronologia Saxonica Bedæ subjuncta,
quæ eum ad triennium differt, id est ad hunc annum. Diem ejus mortalem non
exprimit Osbernus: quartum nonas Julii Capgravius, aliique Anglicani scriptores

ANN. CHR. 961. notant. Ejus tempore clerici quidam, *maligno errore seducti*, inquit Osbernus, asseverare ausi sunt, *panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem in substantia permanere, & figuram tantum modo esse corporis & sanguinis Christi, non verum Christi corpus & sanguinem*. quos Odo miraculo convicit ac convertit, uti precibus ac lacrymis obtinuit inter missarum sollemnia: in quibus, cum ad confractionem vivifici panis ventum fuisset, confestim inter manus pontificis fragmenta

Eucharistiæ fides miraculo probata. corporis Christi tenentis, *sanguis guttatim defluere cœpit*. quo miraculo perterrefacti prædicti clerici, compellunt pontificem exorare divinam majestatem, *ut in pristinam formam præsens sanguis commutetur*, ne ipsos *propter infidelitatis errorem* divina ultio sequeretur. Sic factum est, ut error ille de dominico corpore in mentibus illorum clericorum aboleretur, nec ultra panem in altari positum & consecratum verum Christi corpus esse diffiderent, qui verum sanguinem inde manare conspexissent.

LII. Dunstanus Odonis successor. Post Odonis obitum, qui Cantuariensem pontificatum ante eum ambierat Elfsinus Wentanus episcopus, cognomento Lippe, mortui vacuam sedem, data pecunia principibus, qui in palatio Eadgari erant, sibi comparavit. Vix eam subierat, eum ad sepulcrum viri Dei accessit, & calcata tumba, baculo percussa, atrocibus verbis defuncto, quasi triumphans, exprobravit, quod tandem eo mortuo, id quod ipso vivente non potuerat, obtineret. Verum hanc contumeliam Deus inultam diu haud passus est, idque vir sanctus in somnis Cantuariensis ecclesiæ pio custodi prænuntiavit, & sacrilego illi suo nomine renuntiari jussit. nam ille petendi pallii causa Romam tendens, ubi alpes conscendit, nimio enectus frigore interiit. Huic suffectus Birthelmus Dorsetensis antistes, homo multæ pietatis ac simplicitatis, cum ecclesiasticarum rerum rudis ac imperitus comprobatus fuisset, jussus quod susceperat onus deposuit, & ad suum ovile humilis rediit. Ita secundum Odonis vaticinium, qui Dunstanum in Wentanum episcopum sacraturus, ipsum in ecclesiam Cantuariensem se ordinare dixerat; Dunstanus jam Londoniensis pontifex a rege & regno eligitur, & in patriarchatum totius Britanniæ Odoni dignissimus successor subrogatur, non sine Dei approbantis indicio. nam cum die sancto pentecostes novus pontifex sacra missarum sollemnia celebraret, Spiritus-sanctus in specie columbæ ipsius capiti insidere visus est, &, consumto sacrificio, ad australem altaris partem, ubi venerabilis Odo humatus erat, evolare, & super ejus tumulum, multis conspicientibus, aliquamdiu requiescere. quæ res in tanta reverentia ab ipso Dunstano habita est, ut numquam posthac, ante sepulcrum Odonis, nisi genu flexo, pertransiret; eumque passim *Segode*, id est bonum Odonem, appellaret. Johannes Iperius scribit, Dunstanum pallii causa Romam proficiscentem ad Sithiense monasterium declinasse, ibique ab Hildebrando abbate honorifice acceptum, aliquanto tempore substitisse.

LIII. Angliæ statum reformat. Pallio ab apostolica sede accepto, vir sanctus primum omnium Anglicanæ ecclesiæ statum ad sacras regulas componere studuit. Hinc singula regionis opida & loca lustrare, omnes ad bona opera instruere & hortari, prava quæque emendare, illegitima dissolvere conjugia, errores confutare; viduis, orphanis, egenis ac peregrinis subvenire, clericos ac monachos laïcis ad exemplum fingere; denique totam operam suam, immo totum se ipsum patriæ impendere, cujus pericula magis quam sua propria propulsare & avertere nitebatur. Cum autem a publicis rebus ipsi tantisper feriari liceret, tum vero divinis rebus totum se reddebat, vigiliis, precibus, lectionibus sacris, atque etiam divinarum scripturarum codicibus emendandis. Ex his tanta fuit ejus veneratio apud omnes, ut rex ipse, quidquid ab eo diceretur, quasi cæleste quoddam oraculum exciperet, & ad ejus nutum res omnes aut statueret, aut emendaret. Eodem agente pontifice, omnes ecclesiarum ministri, qui, spreto sui ordinis instituto, aut venandi studio, aut quæstuosis negotiis dediti, aut in summa quibusvis implicati vitiis essent; vel ab erratis resipiscere coacti sunt, vel ab ecclesiis expulsi. unde multis in locis monachos bene morigeratos pravis canonicis ac clericis substituit, effari solitus, aut canonice vivendum, aut ecclesiis exeundum. Rebus ita compositis, tantus divinæ bonitatis favor affulsit, tanta pacis constantia & opulentia rerum, ut omnia elementa, ipsum quoque elementorum conditorem Deum illis temporibus arridere putares. Ea porro erat sancti viri constantia in omnes, ut nemini, quantumvis potenti, ne quidem

ANN. CHR. 961.

regi ipsi, sibi faventissimo, blandiretur, quod duplici exemplo insigni patuit. Cum enim venationem die dominica interdixisset vir Dei, forte accidit, ut rex ipsa die venatum iret, rogato Dunstano, ut missæ celebrationem ad suum reditum differret. Hora tertia vir sanctus ad ecclesiam procedit, & vestibus sacris indutus regem exspectat. Interim cubitis altari innixus, in preces ac lacrymas effusus in cælum rapitur, & sacris angelorum concentibus interesse sibi visus est, qui missam celebratam dicerent. Tum accurrentes clerici regem adesse vociferantur, &, ut festinantius missam celebret, sacerdotem rogant. At ille missam se habere respondet, nec se ea die celebraturum. Tum depositis vestibus, sermonem facit, quod sibi contigerat, aperit; ac regem, ut diebus dominicis a venatu abstineret, persuadet. Alterum factum est de quadam virgine, quam rex e monasterio nondum velatam rapuerat, quam ob rem septenni pænitentiæ regem addixit. Factum sic narrat Osbertus. Forte rex in Wiltoniense monasterium, quod in Wiltensi pago diœcesis Sarisberiensis ad Wilam fluvium situm erat, accessit, ibique captus specie cujusdam nobilis puellæ (Wilfrith Willelmus appellat) quæ inter sanctimoniales ibidem educabatur, eam ad colloquium privatum adduci jussit. Hæc vero pudori suo timens, raptum ab alia sanctimoniali velum capiti suo imposuit, eo modo se protegendam sperans, si forte rex quid inhonesti a se vellet exigere. At rex nihilominus invitam in thorum adscivit, qua de re graviter a Dunstano redargutus, quod virginem, quæ vel umbratice sanctimonialis erat, vitiasset, septennem pænitentiam, sibi impositam demisse subiit. Illa vero, partu explicito, factum expiavit, & castam deinceps vitam professa, pro sancta haberi meruit.

LIV. Coxano donationes factæ.

In Catalania Seniofredus Barcinonensis comes multa prædia monasterio Coxanensi confert in comitatu Rossilionensi pro remedio animæ suæ, & animarum patris sui Mironis comitis & matris suæ Avæ seu Avanæ, *facta carta* [a] *donationis viij. idus Martii, anno vij. regnante Leutario rege, filio Ludevici.* Sub finem ejusdem anni Ava comitissa ejus mater vallem Balagariam tradit eidem monasterio, cui Gontfredus abbas præerat. *Facta scriptura donationis iij. kal. Januarii, anno viij. regnante Leuthario rege, filio Leudevici regis*, cujus annus octavus ab idibus Octobris inchoatus erat.

[a] *Marca Hisp. c. 876. & seqq.*

ANN. CHR. 962.

LV. Odalricus Remorum antistes ordinatur.

Artaldo Remorum antistite pridie kalendas Octobris e vivis sublato, de successore deligendo dissidium fuit, quod ad annum insequentem protractum est, agentibus Hugonis pridem exauctorati consanguineis, qui eum in illam sedem redintegrare moliebantur. Ejus rei causa Hugo princeps, eorum consobrinus, inducias cum rege pacificitur, ut interim synodus fieret ad hanc litem finiendam. Hæc synodus in pago Meldensi super Matronam ex Remensi ac Senonensi provinciis statim coacta est, cui Archembaldus Senonum antistes præsedit. In duas partes scindebantur episcopi: alii pro Hugone stabant: alii renitebantur, hos inter Rorico Laudunensis, & Gibuinus Catalaunensis, asserentes, Hugonem, a tot episcopis in synodo Ingelheimensi, approbante Romano pontifice, excommunicatum, a minori numero absolvi legitime non posse. Re ad pontificem delata, sancitum est Hugoni ad episcopatum reditum non licere. Hujus responsi certiores facti episcopi per Brunonem Coloniensem archiepiscopum, suffragia conferunt in Odalricum illustrem clericum, filium Hugonis comitis & Evæ comitissæ, cujus donationem pro Mettensi sancti Arnulfi monasterio superius [b] retulimus. Huic electioni seu postulationi faverunt Lotharius rex & Gerberga ejus mater cum prædicto Brunone, cui haud ingratum fuit, hominem e Lotharienfi regno, cui ipse dominabatur, ad insignem Franciæ metropolim promoveri. Mox Remis ordinatio facta a Widone Suessionensi, Roricone Landunensi, Gibuino Catalaunensi, Hadulfo Noviomensi, & Wicfrido Virdunensi, qui recens in locum Berengarii suffectus erat, vir Teutonicus ex partibus Bajoariorum.

[b] *lib. 44. n. 45.*

LVI. Berengarius episcopus fit monachus apud S. Vitonum.

Berengarius, *rejecta prelationis sarcina*, inquit Hugo Flaviniacensis, monasticum habitum susceperat in sancti Petri seu sancti Vitoni cœnobio, in quo nuper monachos collocaverat. Abdicationis causam idem Hugo refert ex eo, quod Bernerium præpositum ecclesiæ Virdunensis, qui officium beatæ Mariæ humi prostratus noctu recitabat, sibi non assurgentem, pede percussisset, ob idque pes ejus ardere & claudicare cœpisset, cujus facti pænitentia ductus, in conventu ecclesiæ culpam agnovit, &,

ANN. CHR. 962.

paucis interpositis diebus, monasterium petiit, ubi humili indutns habitu, serviebat pauperibus, pauper & ipse spiritu. Non tamen curam episcopatus deseruisse dicitur, exigente amore cleri & populi, qui eum impense pro sua sanctimonia venerabantur. Ubi Hugo non satis sibi constare videtur, cum ait, Berengarium & *rejecta prælationis sarcina* monachum factum fuisse; & tamen *episcopii curam* retinuisse. Unde dubium oritur, an Wicfridus eo vivente ordinatus sit. At continuator [a] historiæ episcoporum Virdunensium asserit, Wicfridum creatum fuisse episcopum *post excessum* Berengarii, qui proinde ante hunc annum obiisse dicendus est, & quidem pridie idus Augusti, quo die in sancti Vitoni necrologio celebratur his verbis: *Anno* DCCCC LIX. *obiit recolendæ memoriæ domnus Berengarius episcopus Virdunensis & monachus, nobilis institutor hujus loci & renovator, qui, ejectis clericis, hoc in loco monachos introduxit: ad quorum victum dedit abbatiam sancti Amantii*, &c. De anno haud levis difficultas, quam aliis examinandam relinquo. Ejus casulam, qua scilicet in sepulcro indutus fuerat, ab ejus corpore avulsam ait se vidisse prædictus continuator. Addit Hugo, Bernerium præpositum superius laudatum, monasterio sancti Petri innumera dona auri atque argenti, palliorum atque librorum contulisse, cum iis, quæ in villa Exio possidebat; & pro suæ sanctitatis merito defunctum in eadem ecclesia inter sepulcra episcoporum condignam meruisse sepulturam XV. kalendas Maii.

[a] *Spicil. to. 12. p. 263.*

LVII. S. Pauli monasterium Virduni conditur.

Wicfridus, piissimi decessoris sui imitator, in suburbio Virdunensi cœnobium ædificavit, & aggregata monachorum turma, corpus sancti Pauli ejusdem sedis olim episcopi, quod in suburbana sancti Saturnini ecclesia conditum fuerat, e tumulo levatum, feretro argenteo recondidit, victumque fratribus, qui Domino in eodem loco deservirent, ex reditibus episcopii providit. Ita fere Hugo Flaviniacensis. Anonymus vero continuator historiæ episcoporum addit, Wicfrido id consilii venisse in mentem ex lectione rerum ab antecessoribus suis gestarum, in quibus invenit, Panlum episcopum præcipue eam ecclesiam rebus collatis exalrasse, & ex inope divitem fecisse. Cumque ex tumulo ejus oleum, cujus tactu multi infirmi sanabantur, deflueret, & ab incolis diceretur, ejus sepulcrum plorare, eo quod incultum ac neglectum esset; hanc sancti Saturnini ecclesiam in honorem tanti præsulis amplificare decrevit, idque, favente Deo, feliciter perfecit, & rogatu civium, quod etiam in votis habuerat, monachos illic collocavit, qui die noctuque Deo servirent, & in honorem sancti Pauli majus altare consecravit. Corpus vero sancti Pauli episcopi e sepulcro, ut jam dixi, sublatum v. kal. Septembris in loculo argenteo reposuit. Idem *monasterium* [b], id est ecclesiam sancti Pauli, anno DCCCC XCV. consecravit, tandemque exactis in episcopatu haud paucis annis, in pace quievit pridie kalendas Septembris, & in ecclesia sancti Pauli ab se constructa ad dextram partem altaris sepultus est. Plura de eo videsis apud prædictum anonymum sancti Vitoni monachum, qui post Bercharium presbyterum acta episcoporum Virdunensium scripsit usque ad Theodericum quadragesimum episcopum, a quo Laurentins de Leodio itidem monachus historiam continuavit usque ad Adalberonem episcopum quadragesimum-quintum, qui Præmonstratenses loco nostrorum in sancti Pauli monasterium induxit. Laurentii opus continuavit anonymus alter itidem monachus, qui eadem acta prope ad finem sæculi duodecimi produxit. Ad Wicfridum seu Vicfredum episcopum scriptam puto epistolam haud spernendam de Hungris, eorumque origine, a quodam abbate sancti Germani de Monte-falconis, quæ ultimo isti continuatori in editis subjuncta est. Hervinus sancti Pauli abbas erat ineunte sæculo nndecimo, cujus tempore novella plantatio illic religione florebat, teste anonymo scriptore vitæ beati Richardi abbatis sancti Vitoni. Haud scio an ejus loci post eum abbates fuerint Blacherus, Gardinus, & Eberninus, laudati in brevi chronico [c] sancti Vitoni.

[b] *Annal. S. Vitoni.*

[c] *Labbe to. 1. bibl. p. 401.*

LVIII. Guibertus monachus obit Gorziæ.

Sigebertus Gemmelacensis seu Gemblacensis monachus auctor est, Guibertum seu Wibertum, sui monasterii conditorem, apud Gorziam, ubi Deo *propter amorem ferventis ibi sanctæ religionis* militabat, hoc anno in Christo obdormisse, & qui pro Christo reliquerat omnia, centuplum & vitam æternam recepisse. Paullo ante obitum, cum Heribrandus, vir illis in partibus nobilis, qui Rembidem, ejusdem Guiberti sororem, conjugio sibi copulaverat, Gemmelacensem fiscum hoc titulo sibi vindicaret, eo se contulit vir sanctus, ut ejus invasionem reprimeret. Ille ejus

fanctitatem reveritus, fubdole ceffit ad tempus ejus voluntati, affinitatis, ut ipse fingebat, refpectu. Tum falutatis fratribus, & negotio Erluino abbati commendato, Guibertus ad amicam folitudinem reverfus eft. Non multo poft morbo corripitur vir fanctus. quo nuntio accepto, Gemmelacenfium primores Gorziam accurrunt, patremque multis precibus fatigant, fibi ut liceat faltem mortui corpus obtinere, qui viventis præfentia tam diu orbati fuerant. Ille vero id permittit Gorzienfis abbatis arbitrio, qui ægre flagitantibus annuit, fi modo per Gorzienfes id exfequi ipfis liceret. Ultima tandem Guiberti advenit dies, fcilicet x. kalend. Junii. quo mortuo, Gemmelacenfes ejus corpus clam efferunt, & currui bubus vecto impofitum, Adechone monacho Guiberti olim familiari in primis curante, afportare properant. quod ubi refcivit Gorzienfium vulgus, Gemmelacenfes perfequitur, fublatum thefaurum armis repetiturus. At pugnam diremit divina providentia, quæ Gemmelacenfes fubita orta tempeftate protexiffe dicitur. fic demum victoria ceffit Gemmelacenfibus, qui conditoris fui corpus in ecclefia Salvatoris fanctique Petri honorifice condiderunt: ubi in tumulo requievit, donec ftudio & cura Sigeberti monachi, affentiente fynodo, e tumulo elatum, & in loculo repofitum eft. Quis Gorziæ tum abbas fuerit, cum Guibertus illic deceffit, haud exploratum. Oilbaldum fuggerit Sigebertus, eum fcilicet, qui Johanni abbati fucceffiffe dicitur. at cum Johannes vitam ad annum ufque DCCCC LXXIII. produxerit, Guiberti obitus potius ad tempus Einoldi feu Agenoldi abbatis aut Johannis ejus fuccefforis referendus eft.

ANN. CHR. 962.

LIX. Placitum pro S. Michaële ad Mofam.

Tunc monafterium fancti Michaëlis ad Mofam regebat Sarowardus abbas, cujus tempore dux Fridericus placitum ibidem habuit. In eo actum eft de villa Toraliis comitatus Uternenfis, cujus precariam Warnerius quidam, vir nobilis, adverfus ducem Fridericum repetebat, afferens, patrem fuum Walterum eam impetraviffe *a domno Hugone marchione, precatu Rudulfi avunculi fui.* His probatis, Fridericus dux Lotharienfium, qui *fenior monachorum fancti Michaelis, & familiæ ejufdem poteftatis* dicitur, hanc precariam prædicto Warnerio reddidit, ex nomine fuo & conjugis fuæ Beatricis, & filiorum fuorum Heinrici & Alberonis. *Actum publice in atrio fancti Michaëlis juffu Friderici ducis vj. idus Septembris, anno xxvij. Ottonis regis, & imperii primo.* Huic placito apponitur *fignum Sarowardi venerabilis abbatis.* Februario præcedente Otto Magnus Romæ coronatus fuerat imperator, ut ejus diploma docet, a Baronio relatum, quo Romano pontifici Johanni XII. fidem fuam obligat, ac Romanæ ecclefiæ donationes confirmat, & res a Berengario ablatas reftituit. Actum Romæ tertio-decimo die Februarii, hoc anno, Ottonis XXVII. cui diplomati præter epifcopos duo noftri ordinis abbates fubfcripferunt, fcilicet Atto feu Hatto Fuldenfis, & Guntharius feu Guntherus Hersfeldenfis, qui hoc anno deceffiffe dicitur in chronico Hildensheimenfi, & Egilolfum fuccefforem habuiffe.

Otto coronatus imperator.

LX. Buxerienfe monafterium condit Goflinus epifcopus.

Richerius monachus Senonienfis auctor eft, monafterium fanctimonialium in agro Tullenfi apud Boxerias feu Buxerias anno Chrifti nongentefimo fexagefimo-fecundo a Gozlino venerabili Tullenfi epifcopo, a fundamentis primitus ædificatum fuiffe. Huic calculo repugnat liber de geftis epifcoporum Tullenfium nondum editus, in quo Gauflinus feu Goflinus fundum condendo cœnobio per commutationem dicitur comparaffe a Theoderico Mettenfi epifcopo, fucceffore Adalberonis, quem biennio ferius obiiffe conftat. Verum ad id tempus non pervenit Goflinus, cujus fucceffor fanctus Gerardus in ejus locum electus eft anno infequenti, id eft DCCCC LXIII. ex ejus vita. & quidem IV. kalendas Aprilis ordinatus, ut inferius videbimus. adeoque obiit anno præfenti Goflinus, cujus obitus VII. idus Septembris contigit. Itaque ab Adalberone Mettenfi epifcopo, non a Theoderico ejus fucceffore Boxerienfem fundum, in quo cœnobium condidit, accepiffe dicendus eft. nifi fi Goflinus prædictum fundum acquifivit a Theoderico, dicto Mettenfi epifcopo per anticipationem. Hac obfervatione præmiffa, hujus cœnobii origini illuftrandæ contextum ex actis epifcoporum Tullenfium huc afferre juvat, ubi de Goflino hæc leguntur. *Cœnobium fanctæ Dei-genitricis Mariæ Buxeriis a fundamentis conftruxit, chorum ancillarum Dei inibi conftituit, rebus ac prædiis & ornamentis decoravit. Cui rei occafionem præbuit Hardradus, ejufdem Gauflini frater* germanus, qui inter venandum fuper *Murt* fluvium, dum aprum *infequeretur in monte fupra*

ANN. CHR. 962.

Buxerias subsistentem, comprehendere non potuit. Qua re commotus Gauslinus, didicit ab antiquo ecclesiam sancta Dei-genitricis inibi constructam, sed vetustate desolatam. quare idem præsul ecclesiam restruere meditatur. Et quia mons prælibatus ad Mettense pertinebat episcopium, petiit a Theoderico præsule, qui & Sixtus vocabatur, illum sibi dari per concambium, conferens illi sancti Petri apostoli baculum venerabilem, quem beatus Mansuetus secum detulerat a Romana urbe. Restructa ecclesia cœpit cogitare, quatinus in eodem oratorio sanctimonialium virginum societas fieret, qua sub regula sancti Benedicti obsequiis perpetua Virginis deserviret. quod sane factum est. nam invenit quasdam sanctimoniales, velut oves errantes, sed tamen viam æterna vitæ quærentes: quarum miseratione permotus, consultu domni abbatis Archemboldi, qui præerat sancti Apri cœnobio, jam dictam cellulam eis ad habitandum delegavit, præficiens eis Rothildem abbatissam, qua earum regeret vitam. Rothildis una erat ex duabus illis religiosis feminis, quæ a venerabili Humberto Virduni institutæ fuerant, ut scribit Johannes abbas in libro de vita sancti Johannis abbatis Gorziensis: *quarum altera mater plurimarum ancillarum Christi postea facta est in territorio Tullensi, loco qui Buxerias dicitur, ubi monasterium ab episcopo bona memoria Goslino ex novo constructum, postquam hæ duæ primum sunt intromissæ, multiplex deinde ex diversis mundi lateribus sancti fervoris se ibidem examen infudit: ut usque hodie*, inquit Johannes, *nova quadam gratia inter cetera resplendere videatur.* Nunc vero monasterium istud sæcularium dominarum est.

Idem Gauslinus, ut in prædicto libro de gestis episcoporum Tullensium legitur, *a rege Ottone adeptus est abbatiam Mediani-monasterii, ea lege, ut Fridericus dux, dum adviveret, advocatiam retineret, ac pontifex prebendam loci ordinaret; postque finem ducis tota abbatia ad episcopum perveniret.* Hæc concessio ab Ottone facta est ad relevandam inopiam ecclesiæ Tullensis, quæ tunc ad extremas angustias redacta erat, testante [a] Richerio. Postea vero Medianum-monasterium pristinam libertatem recuperavit, uti eam servat etiam nunc.

a Spicil to. 3. p. 320.

S. Mansueti cœnobium inchoat.

Denique idem vir Dei Goslinus instaurare cœpit sancti Mansueti basilicam, quam sanctus Gerardus ejus successor absolvit, monachis nostri ordinis jam ante commissam. Audiendus hac de re Adso abbas in libro de miraculis sancti Mansueti. *Gauslinus episcopus locum sancti Mansueti lapsantem considerans, adscito sibi ex loco sancti Apri domno Herchenboldo patre venerabili, quem ipse illic abbatem ante constituerat, locum hunc in religionis ordinem committit reparandum. qui vir venerabilis, ut erat religiosissimus, sub præpositorum manu monachorum aliquos delegavit, & quia illic stipendia eo tempore deerant, propriis sui monasterii sumtibus alendos instituerat.* Idem Adso ait, Goslinum plenum dierum ordinationis suæ anno XLIV. obiisse; ejusque corpus delatum a clero & populo in Buxeriense monasterium, quod ipse a fundamentis *longe ante construxerat.* Et quidem veri simile non est, istud monasterium, si hoc anno primum condi cœptum esset, tam cito absolvi potuisse ante Goslini obitum, qui hoc ipso anno contigit. Si annos ejus episcopatus [b] recte subduxeris, vix annos quadraginta invenies. tametsi quatuor etiam addit liber de gestis episcoporum Tullensium. Successor ejus Gerardus, vir sanctus, in Agrippinensi regione nobilissimis parentibus Ingranno & Emma editus, IV. kalendas Aprilis anno insequente ordinatus, ut ipse de se testatur in charta inferius referenda, pia decessoris sui studia æmulatus est, quemadmodum ex sequentibus manifestum erit.

b V. lib. 43. num. 70.

LXI. Wlfaldo abbati Floriacensi episcopo facto succedit Richardus.

Post mortem Arduini Carnutensis episcopi electus est in ejus locum Wlfaldus seu Wlfoldus abbas Floriacensis, qui nuper coloniam monachorum in Carnutense sancti Petri monasterium deduxerat. In necrologio cathedralis ecclesiæ vir *Deo acceptissimus* fuisse dicitur, *omniumque laudabilium virtutum claritate decoratus:* tametsi nihil de ejus actis ad nos pervenit, nisi quod Widbertum sancti Petri abbatem loco demortui Aremberti benedixit. Wlfaldo abbate ad episcopatum assumto, Floriacenses suffragia contulerunt in Richardum monachum, quem puto Patriciacensis cellæ antea præpositum fuisse. Eo abbate, Heribertus [c] dominus Soliacensis * castri, quod Floriaco tribus tantum millibus distat, Herchenaldi filius, frater vero Archembaldi Turonensis archiepiscopi, cum prædia quædam monasterii in beneficium accepisset, & nequaquam his contentus alia invaderet, promissionis sacramento firmatæ immemor, nec ablata restituere vellet; querimoniæ ad Lotharium regem & ad Hugonem ducem delatæ nihilo magis profuerunt. Tum,

c Aimoin. li. de mirac. S. Bened. lib. 1. c. 7.
* de Sùilly.

munachis

ANN. CHR. 962.

monachis ad preces ac litanias conversis, dum Heribertus de nocte iter faceret, baculo percussus a sancto Benedicto, demum resipiscere cœpit, jussitque se ad sepulcrum sancti Confessoris deferri, ut commissorum veniam imploraret, &, si fieri posset, sanitatem impetraret. Verum a famulis eo deductus, in ipso pæne ostii limine animam exhalavit in primævo juventutis flore, ibidemque sepultus est, absente Richardo abbate. Repentina itidem morte correptus est Rumaldus [a] civis Carnutensis, qui Floriacensibus in Silvio, trans Ligerim in Secalonia * posito, injuriam & damna quædam inferebat, cum ab Arnulfo Aurelianensi episcopo, sed incassum, admonitus fuisset.

[a] lib. 4. c. 8.
* la Sologne.

LXII. Oswaldus fit episcopus Wigorniensis.

Sub Wlfaldo abbate floruit Oswaldus nobilis Anglus, Odonis Cantuariensis nepos. Audita sancta ejus conversatione Odo, muneribus abbati ac monachis cum multa gratiarum actione missis, nepotis videndi desiderio se teneri significavit, eumque ad se remitti rogavit: tum quia senio gravatus mortem sibi imminentem sentiebat: tum quia regulari conversatione gentis suæ viros per eum instituere cogitabat. His acceptis, Oswaldus non statim redeundi consilio acquievit, sed crebris restitit epistolis, prætendens conversionis novitatem, ac teneritudinem in religione; nec nisi tarde admodum reditum matnravit, avunculi jam decumbentis nuntio perculsus. Floriaco itaque discessit, multo honore a fratribus affectus. In Angliam appulsus, ut Odonem defunctum audivit, minimum abfuit, quin statim Floriacum rediret. At suorum flagitatu retentus, ad Dorcestrensem episcopum Oskitellum divertit, proximo consanguinitatis gradu sibi conjunctum: qui ipsum benigne excepit, ac secretorum suorum conscium fecit. Assumto vero ad Eboracensem archiepiscopatum Oskitello, Dunstanus Oswaldum regi Eadgaro commendavit, cujus jussu is Wigorniensi ecclesiæ præfectus est. Dum huic ecclesiæ præesset, duodecim monachos in villa, cui Westbiri vocabulum est, congregavit, quibuscum identidem victitabat, monitis salutaribus eos instruere solitus, & ad jejunia, vigilias, & orationes hortari. Eodem instigante, Ailwinus comes Ramesiense monasterium postea ædificavit. Denique monachos itidem in sna Wigorniensi ecclesia, eliminatis clericis, instituit. quod diplomate suo ratum habuit rex Eadgarus, præfatus ante suum principatum monasteria, tam monachorum, quam virginum, omnino destructa " fuisse, quæ ipse denuo excitare decreverit; jamque, cooperantibus sibi fidelibus " fautoribus suis, Dunstano scilicet, Ethelwoldu & Oswaldo episcopis, quadraginta " & septem monasteria utriusque sexus restitnisse; & usque ad quinquaginta, si vita " suppeteret extendere decrevisse. Actum dominicæ incarnationis anno DCCCCLXIV. "

Ejus studium pro monachis.

LXIII. Adela Pictavis S. Trinitatis parthenium condit.

Eduardi senioris Anglorum regis filia Adela, quæ Ebloni duci olim nupserat, cœnobium virginum secundum regulam sancti Benedicti Pictavis juxta posterulam sancti Hilarii ad honorem sanctissimæ Trinitatis ædificavit, probante filio ejus Willelmo duce, cui Caput-Stupæ cognomen erat. Huic vero parthenoni dotando duas maxime curtes assignavit: quarum una Fagia * vocatur, sita super fluvium Cleni, duas habens capellas, sancti Juliani scilicet, ac sancti Gervasii: altera Secundiaca *. cum capella sancti Petri in pago Metulensi: cujus caput est Metulum * opidum; decem circiter leucis Augustorito-Pictonum distans. Priorem curtem seu villam Rotbertus, filius Mangandi comitis, ad proprium concessit Adelæ, prædicti Willelmi uxori, idque diplomate confirmavit Lotharius, dato [b] *pridie idus Octobris, regnante domno Lothario anno ix. indictione v.* quæ notæ chronicæ huic anno conveniunt. *Actum circa castellum Victerei* seu Victoriacum. quod diploma *Gezo cancellarius ad vicem domni Odalrici archiepiscopi recognovit.* Hanc villam Adela, forte illo ipso anno, contulit socrui suæ cognomini, quæ tum de condendo hoc parthenone cogitabat. Certe non multo post conditum est cœnobium istud, idque probat Lotharii diploma, hanc conditionem [c] approbantis ante prædictum annum. siquidem ejus rei diploma Gezo notarius ad vicem Odalrici archiepiscopi, summique cancellarii recognovit. Eadem Adela [d] a rege impetravit, *ut quamdam abbatiam, quæ olim monasterium puellare sancti Petri vocatum ob puellas ibi deservientes*, tunc vero *canonicis instauratum, eidem cœnobio* ab ipsa exstructo attribueret: *ita ut amodo tam ipsa abbatia, quam canonici, eorumque prebenda abbatissis sæpe dicti cœnobii cum omni integritate subjacerent*, & canonici sanctimonialibus sanctæ Trinitatis in divino cultu ministrarent. Mendosæ sunt hujus diplomatis chronicæ notæ, quod

* Flaix.
* Secondigny.
* Mille.
[b] Besly com. Pict. p. 252.
[c] ibid. p. 259.
[d] ibid. p. 251.

ANN. CHR. 962.

Arnulfus notarius ad vicem Adalberonis archiepiscopi recognovit. proinde non ante annum DCCCC LXVII. quo Adalbero archiepiscopus Odalrico in sede Remensi successit. Anno prædicto convenit indictio decima, in diplomate recte notata: ex qua corrigendus annus regni Lotharii, cujus annus tertius-decimus usque ad idus Octobris obtinebat; expungendus annus incarnationis, quo calculo necdum Lotharius utebatur. Adelæ conditricis obitus notatur v. kalend. Novembris, quæ habitum monasticum, uti olim mortuo marito [a] voverat, induit in illo parthenone, ubi etiam altera Adela ejus nurus sepulta est. Quidam existimant, Adelam conditricem ejus loci primam abbatissam fuisse: sed nulla certa ejus loci abbatissarum notitia ante Ermengardem, quæ Heinrico regnante locum regebat.

a *ibid. p. 259.*

LXIV. Duellum pro quadam ecclesia.

b *Spicil. to. 13. p. 268.*

In Bellilocensi apud Lemovices monasterio grandis altercatio exorta est de ecclesia [b] quadam sancti Medardi, quam Bellilocenses a Rigaldo sibi datam contendebant post mortem filii ejus Geraldi. Contra de hac inter se se disceptabant duo honorabiles viri, Bernardus & Gerbertus. Ambæ partes hac de re convenerunt ad ecclesiam sancti Saturnini, *die Veneris, tertio idus Julii*, ante Raymundum comitem, & alios nobiles viros ejus assessores, qui de controversiis propositis sententiam daturi erant. Illis inter se se altercantibus, judicavit prædictus Raymundus cum assessoribus suis, ut duo mox laudati viri *vicarios sibi duos eligerent ad certamen* » *expeditos*, quo Dominus veritatem hujus rei manifestare dignaretur. Id ita factum. » nam secunda diei hora certantibus usque ad solis occasum, cum neuter alterum » superasset, judicatum est, neutri controversam ecclesiam adjudicandam, sed potius » sancto Petro Bellilocensi ad usus monachorum competere debere, uti eam prædictus » Rigaldus pro animæ suæ remedio devoverat. Actum mense Julio, anno Lotharii regis octavo, qui huic anno respondet. at mendum irrepsit in tertium idus Julii, cujus loco legendum *quinto idus Julii*, in quem dies Veneris eo anno incidebat.

LXV. Teudericus abbas Campi-rotundi ordinatur.

c *Marca Hisp. c. 852.*

Jaufredus primus abbas exstitit monasterii Campi-rotundi, quod Wifredus comes in diœcesi Gerundensi condiderat. Cum *pauco ibidem tempore* [c] præfuisset Jaufredus, elegit propter vitæ æternæ præmium ad loca sacra peregrinari. Cum ejus reditum septem amplius annis præstolati essent ejus loci monachi, ad Seniofredum comitem, Wifredi conditoris sui filium ac successorem, accessere, abbatem sibi dari flagitantes. *At ille una cum consilio domni Arnulfi episcopi Gerundensis ecclesiæ, & cum voluntate omnium monachorum, atque acclamatione fidelium religiosorum, tam* » *clericorum, quam laicorum*, ibidem constituit abbatem, nomine Teudericum, qui » ab ipsis cunabulis sacris litteris eruditus fuerat, & in disciplina monastica enutritus, » Dei timore præditus, ac mortalium vitiorum penitus expers; eumque a prædicto » antistite ordinari curavit. *Exarata est hac scheda iij. kalendas Julii, imperante Lothario rege, anno viij. principatus ejusdem.* Subscribit Arnulfus Gerundensis episcopus, & post eum monachi, numero septemdecim; tum Oliba comes, Seniofredus comes, & alii laïci. Subscribunt vero monachi prævio signo crucis omnes, sed absque fratris aut domni prænomine, at cum ordinis sui titulo post nomen proprium, monachi appellatione ultimo subjuncta.

LXVI. Salvus abbas Alveldensis obit.

d *lib. 45. n. 40.*

Velascones plures.

Dum illis in partibus versamur, haud omittendus hoc loco est Salvus abbas Alveldensis, Dulquiti superius [d] laudati successor, qui hoc anno e vivis excessisse traditur. Ejus elogium refertur apud Miræum in libro de scriptoribus ecclesiasticis post appendicem Felicis Toletani. Is sermone haud inelegans, scientia eruditus fuisse dicitur: ceterum corpore tenuis & invalidus, at spiritu ferventissimus. Regulam scripsit pro virginibus sacris, atque hymnos, orationes, versus ac missas composuit, in quibus ejus pietas ac devotio relucebat: sed hæc omnia exciderunt. Obiit temporibus Garseani seu Garsiæ Aragonum regis secundi, & Theudemiri episcopi Najarensis IV. idus Februarii, ære millesima. sepultus est in prædicto cœnobio juxta basilicam sancti Martini. Ad ejus pedes discipulus ipsius Velasco episcopus humatus fuit: sed quis sit iste Velasco, non satis constat. Plures enim tunc erant ejusdem nominis episcopi, in his Blasco episcopus Pampilonensis, Valascus Legionensis, & si qui sunt alii. Præter hos erat Velasco illis temporibus scriptor, cujus fragmentum Johannes Pistorius refert. Erat & Velasco Girondensis abbas. Nec omittendus Belascus, qui codicem quemdam, modo in Escuriali asservatum, in monasterio sancti Æmiliani de Cuculla scripsisse perhibetur apud Zuritam. Ceterum Salvi discipulis adnumerandus est Vigila monachus, qui in Alveldensi monasterio

ANN. CHR. 962.

egregium codicem conciliorum, quo Loaisa usus est, scripsit æra M XIV. qui codex concilia LXI. epistolas decretales CI. scilicet a Damaso usque ad Gregorium I. & quædam alia opuscula continet.

LXVII. Paterniacum * locus est haud incelebris in diœcesi Lausanensi, medio fere itinere Friburgum inter & Everdunum, ubi condi cœptum hoc anno monasterium a Berta regina, uxore Rodulfi quondam regis Burgundiæ, Provinciæ, & Alamanniæ; commissumque Mayolo abbati Cluniacensi. Hujus conditionis primariæ litteræ exstant in Bibliotheca [a] Sebusiana, in quibus Berta regina testatur, se Paterniacum opidum cum omnibus rebus ad ipsum pertinentibus donare sanctæ Mariæ, sanctisque Petro, Johanni, Mauricio ac sociis ejus, & illis sanctis, qui in isto loco requiescunt, consentientibus filiis suis, Conrado gloriosissimo rege & Rodolfo duce, pro anima Rodulfi regis & filii sui Burchardi episcopi, atque Ottonis gloriosissimi regis; necnon pro anima filiæ suæ Adeleidæ, & filiorum suorum Conradi serenissimi regis & Rodulfi ducis: ea lege, ut in honore sanctæ Mariæ & prædictorum sanctorum illic *regulare monasterium construatur, ibique monachi juxta regulam beati Benedicti viventes congregentur, qui ipsas res possideant; & ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fideliter frequentetur, conversatioque cælestis omni desiderio & ardore intimo perquiratur; sintque ipsi monachi cum omnibus præscriptis rebus sub potestate & dominio Mayoli abbatis.* Post cujus decessum monachi libertatem habeant eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Ad hæc, ut singulis quinquenniis Romam decem solidos mittant ad concinnanda luminaria; sicque tuitionem sanctorum Apostolorum habeant, & Romani pontificis defensionem. *Data in die Martis, kalendis Aprilis, anno XXIV. regnante Conrado rege. Actum vero Lausana civitate.* quæ notæ huic anno conveniunt, non anno DCCCC LXVI. ut Guichenon opinatus est.

Paterniaci monasterii origo.

* *Payerne al. Peterlingen.*

a *Bibl. Sebus.* p. 1.

LXVIII. Cum Adalbertus Trevirensis monachus, postulantibus Helenæ reginæ [b] legatis, in Russiam prædicandi evangelii causa ab Ottone missus fuisset, & post tres fere annos nihil se proficere animadverteret; inaniter se fatigatum videns reverti constituit. Inde itineri se commisit, &, quibusdam e suis in redeundo cæsis, ipse cum magno labore vix incolumis evasit. Ex quo intelligitur, fictam ac simulatam fuisse, ut veteres tradunt, prædictorum legatorum petitionem. Reversus in patriam vir Dei, perhumaniter ab Ottone recipitur, immo etiam a Willelmo Moguntino pontifice, qui eum, hujusce missionis specie, ab oculis Ottonis parentis sui, cui ille gratissimus & acceptissimus erat, amovere tentaverat. Sic tandem invidia virtuti cessit benignitate optimi præsulis, qui ejus deinceps apud patrem fautor ac patronus exstitit. Post quatuor annos, mortuo Erkanberto Wissenburgi abbate, imperator Adalbertum, a monachis electum, ibidem abbatem ordinari curavit. Post duos dein annos Adalbertus creatus est primus episcopus Magdeburgensis, cujus episcopatus erectio hoc anno a Johanne papa, postulante Ottone imperatore, facta est, litteris pridie idus Februarii datis, quas in elogio ipsius Adalberti alias retulimus.

Adalbertus redit e Russia.

b *Supra num.* 41.

LXIX. Interim hoc ipso anno moritur Amalungus episcopus ecclesiæ Verdensis, quam Fardensem veteres passim appellant. Electus in ejus locum ipsius consanguineus Bruno Corbeiæ-novæ, non abbas, sed abbatis Folcmari [c] camerarius. Falsus est nominis æquivocatione Bruschius, qui Brunonem nostrum eumdem esse putavit cum Brunone filio Lindolfi ducis, Ottonis Magni nepote, qui postea Gregorius V. dictus est. Quantæ severitatis atque constantiæ fuerit Bruno noster, ex eo patuit, quod Herimannum Saxoniæ ducem cognatum suum, *banno* ecclesiæ *constrictum*, rogante licet imperatore, mortuum absolvere noluit, ut in ecclesia eum sepeliri liceret; & quod coadjutorem senex, flagitatu itidem imperatoris, adoptare noluit.

Bruno abbas fit episcopus Verdensis.

c *Paullin. chron. Huxar.* p. 31.

LXX. In Italia Leo abbas monasterii sancti Vincentii ad Vulturnum, magnus pater, ait [d] Ughellus, ac Deo placens, post multos labores & cum magna gloria operum perfectorum, obiisse dicitur V. kal. Octobris. Paulus ejus successor ab Ottone seniori [e] imperatore præceptum obtinuit, itidemque unum impetravit pro Casinensi monasterio, rogatus ab Aligerno ipsius monasterii venerabili abbate; aliaque insuper ab eodem imperatore, cui acceptissimus fuisse dicitur, pro diversis monasterii sui possessionibus recolligendis obtinuit. Paulus successorem habuit Johannem ad annos tres, cui suffectus Roffridus, de quo inferius.

S. Vincentii ad Vulturnum abbates.

d *Ital. sac.* to. 6. c. 485.

e *Chesn.* to 3. p. 699.

ANN. CHR. 962. Ottonis diploma pro monasterio Ravennensi. a *Rub. p. 258.* b *Sigon. mis. lib. 7.*

Cum Otto Magnus hoc anno ex urbe Roma post coronationem suam reverteretur; Ravennam ingressus, multis[a] privilegiis Richardum abbatem cœnobii sancti Johannis Evangelistæ affecit, cujus basilicam Galla Placidia augusta cum filio suo Valentiniano aug. & filia sua Justa Grata Honoria aug. construxit, ut inscriptio apud Gruterum docet. Ravenna Papiam reversus Otto, rogatu Adeleidæ[b] augustæ, Widoni episcopo Mutinensi, archicancellario suo, opimam tunc Nonantulæ abbatiam indulsit.

ANN. CHR. 963.

LXXI. Johanni papæ suffectus Leo.

OTtone Roma digresso, Johannes papa, non minus inconstans ac perfidus, quam facinorosus, Adalbertum Berengarii filium, quem una cum patre per Ottonem dejici ac fugari procuraverat, anno insequenti denuo Romam evocavit. Contra quos Otto cum exercitu reversus, fugatis ambobus, conventum episcoporum, tum ex Italia, tum ex Germania, Romæ convocavit, in quo Johanni pontificatus abrogatus, & in ejus locum Leo protoscriniarius sanctæ Romanæ ecclesiæ suffectus est, ejus nominis octavus. Hic ad preces Maurinci abbatis Montis-majoris monasterii, quod prope Arelate situm est, *pro voto & amore dilectissimi & carissimi filii* sui *imperatoris cum summa reverentia nominandi Ottonis, & Adalasiæ* seu Adelaidæ *carissimæ imperatricis conjugis ejus*, privilegium amplissimum eidem monasterio concessit, quo universæ ejus possessiones & ecclesiæ confirmantur, in his *monasterium desertum antiquumque Horluc* cum suis appendicibus, cella sancti Honorati, sita in comitatu Aquensi, *in loco, ubi dicitur Roca-fraudosa*, & alia, quæ in Leonis diplomate recensentur, dato per manus Leonis notarii & scriniarii *in mense Decembri, indictione vij.* quæ huic anno convenit, si a kalendis Septembris initium ejus desumatur, uti desumendum esse probat sequens Conradi regis præceptum. Horlucense monasterium, virginum quondam, brevi freto disjunctum erat a Lirino monasterio, cui ab origine subjectum fuit. Leonis privilegium laudat Conradus rex Burgundiæ Jurensis ac Provinciæ in suo diplomate, quo sancit ac decernit, *ut hoc, quod domnus Leo apostolicus atque Otto imperator augustus & soror* sua *Adelheis imperatrix ex terra sancti Petri apostoli postulaverant, prænominatis monachis tenere permittatur; & insuper hoc, quod Boso Arelatensis comes ipsi reddidit, illis concedendum de terra sancti Remigii de Francia, & in ceteris locis taliter nuncupatis, Oriluco monasterio, & in insula maris monasterium Lirinis vocatum*, quod forte tunc a Sarracenis vastatum fuerat; *& in comitatu Wapinco cellam, quam vocant Alamunto sancti Martini; & in alio loco cellam, quam nominant Autunnava; & in comitatu Aquense cellam, quam vocant Roca-fraudusa*, & cetera: quæ omnia monachis Montis-majoris possidenda concedit cum libera eligendi abbatis facultate secundum regulam a sancto Benedicto constitutam. *Data vij. idus Decembris, indictione vij. anno incarnationis dominicæ* DCCCC LXIII. *anno xxvij. Chonrado rege. Actum Vigenna civitate.* Triennio ante, donationem a Gencio quodam & Ayburga ejus conjuge eisdem monachis factam, firmaverant *Boso comes & uxor sua Constantia*, necnon *illorum filii Willelmus comes, & Rotbaldus comes*, præter alios.

Ejus bulla pro Montemajori.

Conradi diploma pro eodem.

LXXII. Willelmus dux Aquitaniæ obit monachus.

Sub finem vitæ suæ Willelmus dux Aquitaniæ, Caput-Stupæ cognominatus, habitum monasticum induit in sancti Cypriani monasterio Pictavensi sub Frotherio abbate, Aymonis successore, cujus tempore multæ eidem loco donationes factæ. Inde postea discessit ad sancti Maxentii cœnobium, ubi fato functus est, Odone tum ejus loci abbate, ex chronico Malliacensi. qui Odo post annos quinque Ramnulfum habuit successorem. Willelmus, prædicti Willelmi filius ac successor, statuit, ut malæ adinventiones, *quæ post obitum patris Willelmi ducis, qui in cœnobio sanctæ virginis Mariæ atque beati martyris Cypriani exstitit conversatus sub habitu monachali*, in suo comitatu excreverant, omnino aboleantur, *hoc est omne pedaticum* &c. Juvat in sequentium lucem huc afferre, quæ Beslius e veteri codice de utroque Willelmo eruit in hæc verba. *Anno* DCCCC LXIII. *Willelmo duce, cognomento Caput-Stupa, effecto monacho apud sanctum Cyprianum, ducem pro eo filium ejus habuit Aquitania: qui filiam Tetbaudi Campanensis, vocabulo Emmam sive Emelinam, accepit uxorem, genuitque ex ea filium, iterum nomine Willelmum. quæ nobilis comitissa exstruxit monasterium in dote sua Burgulium, in honore sancti Petri apostoli, ubi primum abbas exstitit Guitbertus. Willelmus comes Caput-Stupa reliquit monasterium*

ANN. CHR. 963.

sancti Cypriani; *& veniens apud sanctum Maxentium, obiit in pace. Willelmus vero filius suus, cognomento Fera-brachia, successit ei.* De hoc Willelmo, qui exemplo patris sub finem vitæ itidem monachus factus est, deque uxore ejus Emma, plura dicendi inferius occurret occasio. Haud scio cujus monasterii abbas fuerit Girardus ille, qui hoc anno apud Cluniacum [a] obiisse dicitur.

a *Labbe to. 1. bibl. p. 325.*

LXXIII. Frodoardus prælaturam abdicat.

Frodoardus presbyter Remensis, tum monachus, & quidem prælatus, senio confectus, in manus Odalrici archiepiscopi præfecturam resignavit, uti ipse testatur ad hunc annum his verbis. *Odalricus Remensis archiepiscopus proceres Franciæ, qui possessiones quasdam Remensis occupaverant ecclesiæ, vocari fecit. Ego vero fractus ætate, & attritus infirmitate, ministerio me abdicavi prælaturæ coram eodem præsule. quique me hoc absolvens jugo, imposuit illud per electionem fratrum meorum nepoti meo Frodoardo septuagesimo ætatis meæ anno.* Id videtur intelligendum de abbatiali præfectura, sed cujus loci, incertum. certe non sancti Remigii, ut quibusdam visum est, monasterii, cui tunc Hincmarus præerat, & post eum Hugo; tum Rodulfus. an vero sancti Basoli aut Altivillarensis, seu Orbacensis, in medio potius relinquere visum est, quam temere definire.

LXXIV. Heribertus comes abbas S. Medardi.

Sancti Medardi Suessionense monasterium obtinebat hoc tempore Heribertus, *Dei misericordia comes & abbas* [b] dictus, ad quem accessit Bernerus abbas Humolariensis, postulans, ut duos mansos de terra & potestate sancti Medardi, sitos in villa pagi Viromandensis Ruminiaco, qui erant ex beneficio fratris ejus Adalberti, liceret sibi ab eodem Adalberto & ab ejus fideli Madelgario, qui eam tenebat, pecunia ex thesauro sanctæ Mariæ Humolariensis redimere ad usus monachorum suorum, ea lege, ut pro eadem terra unoquoque anno ad altare sancti Medardi XII. denarios in festivitate sancti Sebastiani persolveret. quod indulsit Heribertus. *Actum in cœnobio sanctorum Medardi & Sebastiani vij. kal. Aprilis, anno inc. dominica* DCCCC LXIII. *regni autem Lotharii regis x.* His litteris subscribit Heribertus Trecarum & Meldarum comes, Fulquinus decanus sancti Medardi, & alii ejus loci monachi.

b *Hemeri prob. p. 33.*

LXXV. S. Maximini Trevirensis miraculum.

Ottone imperatore in Italia remorante, Otto ejus filius impubes, rex ab eo dictus, Treviris æstiva habuit, cum in monasterio sancti Maximini editum est insigne miraculum, quod ipse posteris commendavit, rogatu Wickeri seu Wiggeri ejus loci abbatis, qui Willero abbati ante annos quatuor successerat. Ejus rei monumentum retulit [c] Browerus, Ottonis regis nomine conditum, cujus hæc summa est. Ingenui duo conjuges, Regino & Engela de *Brambach*, se & unicum filium suum Adelmannum sancto Maximino consecraverant, ea conditione, ut ipse puer, quamdiu viveret, & posteri ejus, qui masculi essent, duos denarios; feminæ vero unum, ad altare sancti Maximini die festo sancti Martini persolverent: post mortem vero ipsorum, quod melius haberent, sive in pecoribus, sive in vestibus, ecclesiæ cederet. Interim miles quidam in eam regionem prædandi avidus cum venisset, ipsum puerum inscìis parentibus rapuit, & per pontem Augustæ-Trevirorum secum abducere cogitavit. Sed puer in ipso ponte reflexis oculis sancti Maximini monasterium respiciens, ut se sanctus antistes manibus plagiarii eriperet, exclamavit. unde iratus miles, cum puerum pulsasset, mox ultione divina, fracto equi collo, ipse de ponte prolapsus in fluvium cecidit, puer vero super pontem perstitit illæsus. sicque ad sanctum Maximinum rediit, & abbati rem totam exposuit. Abbas vero, Deo gratiis actis, puerum parentibus restituit. *Hoc celebre factum*, inquit Otto, *cum mihi Treviris agenti abbas ipse narrasset, & puerum me coram in conspectu adduxisset; ut testamento* seu testimonio *nostro traditionem prædictam pueri confirmarem, & ab omnibus advocatis eumdem puerum, ejusque posteros absolverem, utque nulli beneficiarentur, exoravit. quam ejus petitionem fieri decrevimus, & hanc chartam inde describi, nostrique sigilli impressione jussimus signari, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXIII. *indictione vj. anno regni nostri tertio, xij. kal. Augusti.* Ejusmodi homines *censuales* dicebantur, & capitibus super altare impositis cuilibet sancto se se offerebant, ut Arnulfus monachus in sancti Emmerammi monasterio fieri solitum fuisse tradit. Wickerus seu Wiggerus abbas sancti Maximini Willero successerat ab anno DCCCC LVII. ut ex chronico Saxonico discimus. Is hoc anno permutationem fecit cum Sigifrido [d] comite, cui castellum Luciliburgum cessit assensu Brunonis archiepiscopi, qui tunc principatum totius regni

c *Annal. Trevir. to. 1. p. 467.*

d *Miræi diplom. p. 39.*

ANN. CHR. 963.

Lothariensis sub Ottone imperatore fratre suo tenebat; accepitque a Sigifrido villam, quæ dicitur Viulna, sitam in pago Arduennæ. Facta est hæc permutatio in ipso monasterio sancti Maximini in die palmarum xv. kal. Maii. Subscribunt Bruno archiepiscopus Coloniensis, Heinricus *Trevirorum archimandrita*: ex monachis Asolfus præpositus, qui Wiggero abbati successit; Ramvoldus decanus, dein factus abbas Ratisponæ in monasterio sancti Emmerammi; Sandradus cellerarius, translatus ad Gladbacense monasterium, cujus primus abbas fuit; aliique: post quos subscribunt Fridericus dux Lotharingiæ Mosellanæ, aliique proceres. Ab eo tempore dicti sunt comites Luciliburgenses seu Luxemburgenses.

LXXVI. Laureshamo privilegium electionis assertum. a *Meibom. p.* 123. *& annal. Laurisham.*

Antequam Papia Romanæ expeditionis causa discederet Otto imperator, Laureshamensibus monachis, obsecrante venerabili abbate [a] Gerbodone, *regularem de abbate electionem* indulsit, aut potius jam indultam confirmavit, & ipsam abbatiam ex integro potestati *abbatum ad communem utilitatem monachorum Deo ibi famulantium* subdidit, omnimoda libertate & immunitate eidem monasterio concessa. *Data vij. kal. Februarii, anno incarnationis* DCCCC LXIII. *indictione vj. regnante pio imperatore Ottone anno xxviij. Actum Papiæ feliciter.* Gerbodo apud Ekkehardum vocatur Kebo, qui unus fuit e visitatoribus monasterii sancti Galli, de quibus infra dicturi sumus. Gerbodo quippe duobus annis superstes fuit illi visitationi, quam Hepidannus anno DCCCC LXVIII. consignat.

LXXVII. S. Blasii monasterium.

Idem imperator Veronæ cum esset hoc anno, cellam sancti Blasii, in Hercinia silva *a beato Reginberto noviter exstructam*, privilegio decoravit. Situm est hoc monasterium horrido in loco diœcesis Basileensis ad amnem Albam, unde *Cella-alba* nomen antiquitus habuit. Auctorem habet Reginbertum, quem *beatum* vocat præmissum fragmentum diplomatis Ottoniani, e Basileensis ecclesiæ historia desumtum. De eo hæc scribit chronographus Saxonicus ad annum DCCCC LXII. *Reginbertus Dei servus obiit. Iste construxit abbatiam sancti Blasii in Suevia.* Forte hic non alius fuerit a Ramberto monacho, de quo hæc habent breves annales Einsidlenses ad annum DCCCC LIX. *Rambertus monachus efficitur.* & in pervetusto kalendario: III. *kal. Octobris Rambertus presbyter effectus est.* Sunt qui ejus monasterii originem ad annum DCCCC XLV. referunt. Monasterium condi cœptum tradunt per quosdam eremitas; qui, communicato inter se se austerioris vitæ proposito, ab hominum consortio semoti, procul in unam ædiculam concessisse dicuntur, (sic narrant Basileæ-sacræ auctores) ubi animus curis liber, præter Deum cælumque, spiraret nihil, labore manuum vitæ mortali frugalem victum suppeditante. Iis sancti Benedicti florens institutum amplecti visum est. Erat tum in illis partibus strenuus miles Reginbertus, baro, ut vocant, Seldenburensis, Ottoni Magno ab arcanis consiliis, & in bellicis factis socius, cui in quodam conflictu manus altera truncata fuerat. Huic sanctiorem militiam arripere placuit, & in prædictorum solitariorum commigrare societatem. Nec vacuis accessit manibus, sed suas facultates exstruendo in honorem sancti Blasii monasterio contulit, quod hactenus persistit, & quidem insigne ac locuples, ac novis post incendium ædificiis recens instauratum.

LXXVIII. Salvatoris de Tolla cœnobio restituta bona. b *Ital. sac. to.* 4. *append.*

In Italia abbatia Salvatoris de Tolla, ditionis Placentinæ in diœcesi Mediolanensi, ita rebus destituta erat, quas Mediolanenses archiepiscopi subtraxerant, ut monachis loco cedere necesse esset, nisi ablata eis restituerentur. Cum vero Walpertus [b] *serenissimus archipræsul* in aula domus sancti Ambrosii conventum sacerdotum suorum haberet, ad eum accessit Grimpaldus Tollensis abbas, eique miserabilem sui monasterii statum graviter exposuit. Ejus relatu commotus antistes, petitionis ejus rationes proferri jussit. Ad hæc abbas instrumenta, quæ antiquam possessionem firmarent, igne cremata fuisse respondit; at superesse homines *decoctæ ætatis*, qui rei veritatem assererent. Denique pius antistes, cunctorum adstantium consilio, *per acceptum fustem* capellas sancti Cassiani & sancti Angeli cum curte Mistrani, quæ abbas repetebat, prædicto abbati tradidit, *& sancta reddidit regula*, eo pacto, ut ea deinceps, aut quidquam aliud nemo *a sancto Tolletano cœnobio* auferre tentaret. Actum anno dominicæ incarnationis DCCCC LXIII. pontificatus Walperti decimo, mense Julio, indictione VI. Subscribunt cum aliis sacerdotibus *Aupaldus per Dei misericordiam humilis abbas*, & *Benedictus Dei gratia humilis abbas.*

Ambrosiani abbates.

Ambrosianæ basilicæ abbas erat Aupaldus, mendose Huppandus Puricello dictus, cujus post annos quinque successor Petrus ad annos sexdecim, nulla

re gesta insignis; nec illustrior Oldericus abbas, cui Gaidoaldus suffectus. Hujus tempore Otto tertius Ambrosianæ basilicæ duo privilegia indulsit. ANN. CHR. 963.

In Anglia, Dunstano ad Cantuariensem primatum assumto, rex Eadgarus Ethelwoldum Abendoniensem abbatem ad sedem Wintoniensem, quam Dunstanus cum Lundoniensi antea tenebat, promoveri curavit, ac per Dunstanum archiepiscopum, in vigilia sancti Andreæ, quæ eo anno adventus prima dominica erat, episcopum ordinari. Per annos unum ac viginti, quibus Wintoniensem ecclesiam rexit Ethelwodus, tot & tanta monasteria condidit vel instauravit, ut vix credibile videatur, ait Willelmus, talia fecisse urbis unius episcopum, qualia vix posset rex Angliæ totius. Initium duxit ab ecclesia sua, id est Veteri-monasterio Wintoniensi, in quo cathedra pontificalis habebatur. Illic erant canonici vitæ adeo profligatæ, ut præ gula & carnis vitiis missas suo ordine celebrare dedignarentur. quod minime ferens vir sanctus, permissu Eadgari regis, infames ac sceleratos homines inde expulit, data a rege optione, ut vel regulariter viverent, aut loco cederent; adduxitque eorum loco religiosos ex Abendonia monachos, quibus ipse abbas & episcopus præfuit. Idem præstitit in Novo-monasterio, quod Hida dicebatur, ubi jam monachi conversi erant in sæculares canonicos, quibus substituit monachos regulariter conversantes sub Ethelgaro abbate, qui postmodum australium Saxonum episcopus, ac demum, sancto Dunstano ad cælos translato, Cantuariorum præsul creatus est. Hanc secundam coloniam itidem eduxit ex Abendoniensi haud dubie monasterio, cui Osgarum pro se abbatem præposuerat. Huic Novo-monasterio rex Eadgarus insigne privilegium indulsit: in quo monachis, quos *regulares* vocat, egregia dat monita, eisque liberam eligendi abbatis facultatem impertit, favorem suum & protectionem pollicetur, omnibusque eorum fautoribus bene apprecatur. De hospitibus id sancitum, ut sacri summique ordinis hospites *ad abbatis mensam in refectorio* cautissime invitentur; laïci vero *in hospitio*, non *in refectorio* reficiant. Eadgari constitutioni multi episcopi subscribunt, tum abbates quinque, in his Æthelgarus primus Novi-monasterii abbas, quem Athelwoldus episcopus a se alitum regi commendat; ac postremo proceres quoque subscribunt. In tertio quoque Wintoniensi cœnobio virginum, quod Nonnarum-monasterium * vocabatur, in honorem sanctissimæ virginis Mariæ consecrato, *mandras sanctimonialium* ordinavisse dicitur, quibus religiosissimam Christi famulam, ætate maturam, Etheldridam nomine, quæ in eadem urbe Deo devotarum virginum educatrix erat, & de se nasciture multa prædixerat, abbatissam præfecit.

LXXIX. Ethelwoldus episcopus Wintoniensis quanta fecerit.

* Nunnamenster.

Illam, ut sibi videbatur, injuriam non impune abire siverunt clerici illi Wintonienses, ex quibus tres tantum ad monasticam vitam se contulerunt, cœnobium, ex quo pulsi fuerant, humili corde repetentes. Ex aliis quidam sanctum episcopum e medio tollere constituunt, letali poculo, dum in aula sua cum hospitibus reficeret, propinato. quo hausto, ubi venenum per omnia membra diffundi sensit, a mensa exiit ad lectulum. Verum, ubi se collegit, se ipsum pusillæ fidei damnat, &, Christi verbis in memoriam revocatis, quibus fidelibus suis pollicetur, non eis nociturum, si quid mortiferum bibituri essent; accenso fide animo, letiferi poculi vim exstingui sensit, furentisque veneni dolore fugato protinus e lectulo surrexit. Sic dissipatum est nefandum consilium clericorum, qui per diversas Anglorum dispersi provincias demum interierunt.

Nec solum apud occidentales Saxones, sed etiam in remotis Britanniæ partibus sanctus antistes rem monasticam promovit. Sic apud orientales Saxones Eligense seu Eliense monasterium, quod sancta Etheldrida regina quondam virginibus condiderat, tunc omnino desertum & regio fisco addictum, pretio non modico redemit, & restitutis ædificiis, ibidem constituit non minimum monachorum gregem, quibus Brithnodum præpositum suum rectorem præfecit. Idem præstitum in Medeshamstedensi monasterio ad fluvium Nini in regione Girviorum, quod ab se instauratum in honorem sancti Petri consecravit, Burgense seu Petroburgense deinceps appellatum: in quo Ealdulfum monachum suum ordinavit abbatem, qui post excessum Oswaldi Eboracensem archiepiscopatum adeptus est. Denique Thorneiensi monasterio, ad crepidinem ejusdem fluminis in honorem Deiparæ virginis ab ipso renovato, impositus est abbas Godemannus: eoque sancti Benedicti, cognomento Biscopi, corpus, magno coemtum pretio, Ethelwoldus

ANN. CHR. 963. advexit. His omnibus chronologia Saxonica, Bedæ subjuncta, duo alia addit monasteria, Chatericum, cui Ordbyrhtum abbatem; & Middeltunense, cui Cynewardum vir Dei præposuisse traditur. Sic in Anglia monasticus ordo renovatus est tum per Ethelwoldum, tum per Dunstanum & Oswaldum, suffragante Eadgaro rege, cum antea nulli, aut pauci admodum in illa insula regulares monachi superessent. Hæc autem renovatio in Glastoniensi primum cœnobio per Dunstanum, deinde in Abendoniensi per Ethelwoldum, ac demum in Rameiensi per Oswaldum facta, ex his in alia monasteria propagata est. *Ita his tribus viris agentibus*, ait Willelmus, *quasi triformi lumine ecclesiam serenante, densæ vitiorum tenebræ evanuere.*

LXXX. Ejus caritas tempore famis. Quam vero pro cetero grege sollicitus fuerit Ethelwoldus, vel uno apparet luculento exemplo. Accidit eo tempore, ut acerba fames universam Britanniam premeret, & inopiæ gravis calamitas plerosque dira clade exstingueret. Expensa in egenos pecunia, vir Dei, cum nihil ipsi superesset erogandum, ecclesiæ argentea vasa minutatim confringi, & in pecuniam redigi præcepit, professus, se æquanimiter ferre non posse, inanima & muta metalla integra perdurare, dum homines, ad Dei creati imaginem & Christi sanguine redemti, mendicitate & inedia perirent. Emtis ergo ex conflata illa pecunia cibis sustentavit innumerabilem multitudinem egenorum, qui famis necessitate coacti, ad eum undique confluebant, omnesque ex ipsis mortis faucibus eripuit. Pueros ut erudit & monachos. Quin etiam pueros & adolescentes ipse docere non detrectabat, quibus latinos libros anglice exponere, ac regulas artis grammaticæ & metricæ tradere solebat, eosque hac occasione jocundis ac familiaribus alloquiis ad meliora hortari. Unde factum est, ut perplures ex discipulis ejus fierent sacerdotes atque abbates, & honorabiles episcopi, quidam etiam archiepiscopi in gente Anglorum. Ad monachos quod attinet, ipsos etiam cathedrales cœnobitas Wintonienses labore manuum occupari volebat. unde cum veterem renovare decrevisset ecclesiam, fratres una cum artificibus & operis insistere laboribus jussit. tumque accidit, ut unus ex illis, Godus nomine, e summo templi lapsus culmine, nihil mali passus sit. quod viri Dei meritis adscriptum est. Denique quam severus erratorum censor ac vindex fuerit, probavit quidam monachus, qui ob furtum clam commissum in capitulo, diris addictus a sancto antistite, brachiis sub-cuculla sibi invicem adhærentibus ita se constrictum sensit, ut ea nullo pacto movere posset: at ubi culpam viro Dei confessus est, protinus eorum usum recuperavit.

ANN. CHR. 964. LXXXI. Lis de pontificatu Romano. Johannes papa pontificatu se privatum non ferens, conventu sacerdotum coacto, Leonem abdicari curavit, ejusque acta & decreta omnia infirmavit. Dum vero in suspectos sibi homines sæviret, pridie idus Maii mortem oppetiit. Mox Romani, fidei Ottoni datæ haud memores, Benedictum cardinalem subdiaconum sublegerunt. Hoc audito, imperator Romam propere cum toto exercitu recurrit, portisque IX. kalendas Julii sibi apertis, Leonem pristinæ sedi restituit, ac Benedictum sollemni more exauctoratum in Germaniam relegavit. Ipse vero, beatorum Apostolorum festo Romæ celebrato, urbe discessit, &, mense Augusto in Etruria transacto, in Lombardiam concessit. quo in itinere, oborta peste, ejus exercitus pars maxima periit, eademque pestilentia sublati sunt Heinricus archiepiscopus Trevirensis, Gerricus abbas Wissenburgensis, & Godefridus dux Lothariensis provinciæ inferioris, quam Mosanam vocant ad discrimen Mosellanæ, cui Fridericus præerat. Gerrico abbati subrogatus est Erkembertus, & post biennium Adelbertus, uti jam supra meminimus. Ceterum Leo papa eodem anno consecrationem capellæ beatæ Mariæ, in cœnobio sancti Meginradi cælitus factam, scriptis confirmasse dicitur in optima editione Canisiana: cujus rei pontificiæ litteræ in annalibus Eremi ad hunc annum referuntur.

LXXXII. Adalberoni Mettensi episcopo succedit Theodericus. Hic etiam annus supremus fuit Adalberonis Mettensium episcopi eo nomine primi, de ordine nostro perquam optime meriti, qui, postquam ecclesiam suam annis fere triginta-sex rexisset, perceptis sacramentis, VII. kalendas Martii ad Dominum migravit in monasterio sancti Trudonis, cujus abbatiam viginti[a] annis tenuerat. Ejus corpus post sollemnes exsequias in latere exterioris parietis ipsius monasterii ad lævam, versus claustri ambitum, primo sepultum, dein Gorziam, ac demum ad sancti Arnulfi basilicam translatum est. *Vir opinatissimæ sanctitatis, sanctæque religionis indefessus ubique reformator* merito appellatur in veteri codice sancti

[a] Meurisse p. 315.

ANN. CHR. 964.

sancti Arnulfi, ubi celebris est hactenus ac pretiosa ejus memoria. Huic in episcopatu successit Theodericus seu Deodericus ejus nominis primus; & in Trudoniana abbatia Thietfridus, qui hoc monasterium annis [a] triginta rexisse dicitur, ejus vero successor Erenofridus annis quatuor. Hunc excepit Adelardus abbas, de quo inferius. Nulla mentio Adalberonis apud Rodulfum inter abbates Trudonianos, quem tamen in eis recensendum esse monumenta [b] duo a Meurissio relata probant. Theodericus, cognomento [c] Sixtus, Adalberonis in sede Metiensi successor, Ottonis Magni consobrinus erat, multis nominibus nobis celebrandus, maxime ob conditum sancti Vincentii monasterium insigne, de cujus primordiis suo loco agendum. Educatus fuerat in monasterio sancti Galli, ubi Keroldum monachum præceptorem habuerat, teste Ekkehardo.

S. Trudonis abbates.

[a] Spicil. to. 7. p. 347.

[b] V. lib. 44. n. 56.

[c] sup. n. 60.

LXXXIII. Floriaco facta donatio.

Dum Richardus abbas Floriacensi sancti Benedicti monasterio præesset, matrona quædam, Guntrudis [d] nomine, cum filio suo Letaldo amplissimam donationem fecit *monasterio sanctæ Mariæ, sanctique Petri, necne & sancti Benedicti Floriacensis cœnobii, in quo ipse sanctissimus corpore requiescit*, pro remedio animarum suarum *& senioris* seu conjugis sui Malguini, ex rebus suis propriis, sitis in pago Matisconensi, in vicaria Cavinensi apud Busserias, & in pago Augustidunensi apud Solechiacum. Insuper quemdam alodum pro filio suo Malguino, qui in cella Patriciaco requiescit. *Actum Patriciaco monasterio publice. Data in mense Julio, anno decimo regnante Lothario rege. Rainaldus monachus scripsit, dictante Alterio abbate*, sed cujus loci, ignoramus.

[d] Perard. p. 39.

LXXXIV. Calsto abbas Figiacensis.

In monasterio Figiacensi seu Fiacensi apud Caturcos mortuo Geraldo abbati, & Figiaci sepulto, subrogatus [e] Calsto ejus loci monachus vitæ probatissimæ, qui a Benedicto papa Romæ benedictus fuisse dicitur. Hic sui monasterii decora augere studuit, & inter cetera *librum de cantu optimum secundum morem Romanum* per Raymundum Auriliacensem abbatem Figiaci describi curavit, ut versus sequens initio præmissus testatur:

[e] Baluz. to. 2. p. 300.

Calsto sui nomen solito testatur in actu.

Hic etiam capellam mirifico opere exstruere cœpit, ut in columnis ecclesiæ legitur, sed non omnino perfecit. Ad hæc Fontense monasterium in honorem sanctæ Mariæ semper virginis ædificavit, fundum suppeditante Ramnulfo Figiaci domino, & Benedicto papa probante atque Stephano episcopo Caturcensi, ibique Figiacenses monachos instituit. Superstes fuit ad annum DCCCC LXXIV.

LXXXV. Geraldus & Raymundus Auriliaci abbates.

Itaque ante eum annum Auriliacense monasterium rexisse videri possit Raymundus abbas, cujus opera Calsto usus est ad describendum prædictum codicem cantus Romani, nisi forte abbas dictus est Raymundus per anticipationem. quod quidem certum existimo, & ex sequentibus patebit. Geraldus de sancto Sereno, ejus decessor, Auriliacensem basilicam, ab antecessore suo inchoatam, perfecit, & vocatis episcopis eam consecrari curavit. Hæc dedicatio facta dicitur [f] *anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXII. *indictione quinta, papa Johanne feliciter sedente in cathedra apostolica*. Verum indictio quinta anno DCCCC LXII. convenit, non vero anno DCCCC LXXII. indictione quinta-decima prædito, quæ hoc loco reponenda est. Geraldus diversa Sanctorum pignora in nova illa basilica *in altum* recondidit. Ad hæc restruxit ecclesiam beati Clementis, quam beati Geraldi pater olim ædificaverat. Idem Romam & Jerosolyma lustrasse dicitur, eoque abbate res publica monachorum valde aucta fuisse. Discessurus vicinos præpotentes viros beneficiis monasterio devincire cupiens, decem millia mansorum præter opida precario eis concessit, scilicet comitibus Turennensi, Carladensi, & aliis ex Caturci partibus nobilibus viris. Verum ejus facti valde eum pœnituit; &, nisi Dei providentia subvenisset, ad extremam inopiam redactum fuisset monasterium, cujus res familiaris subinde restituta. Sepultus est Geraldus in basilica ad lævam portæ majoris. Ejus successor Raymundus nobilis erat Caturcensis ex castro Saura * nominato, qui erudiendum curavit, immo ipse erudivit Gerbertum Auriliacensem monachum, de cujus vitæ primordiis hic agendum est.

[f] Analect. to. 2. p. 240.

* al. Vaura.

LXXXVI. Gerberti vitæ primordia.

Gerbertus, nomine quam genere illustrior, *obscuro loco natus* dicitur in chronico [g] Auriliacensi, *ingenio vafer, & in litteris præclarus*; apud Albericum ex Gui-

[g] ibid. p. 241.

ANN. CHR. 964.

done *Remis, ut dicitur, natus, & apud Floriacum monachus a puero.* Utrumque falsum puto, nec dubito, quin Gerbertus patria Arvernensis fuerit, haud procul ab Auriliaco seu Aureliaco, quod de Aurelianorum urbe imperiti quidam interpretati sunt, ob idque Floriaci in agro Aurelianensi a puero monachum fuisse commenti. Sane eum Auriliaci, aut in vicino loco natum fuisse innuit ipse in epistola xxxv. secundo loco edita, in qua suis Auriliacensibus scribens, valere cupit notos quondam suos vel affinitate conjunctos, si qui superessent. Grates etiam rependit *specialius patri R.* id est Raymundo, cui, si quid scientiæ in ipso esset, post Deum inter omnes mortales gratias rependit. Nullus veterum accuratius de eo scripsisse mihi videtur, quam Hugo Flaviniacensis [a] abbas sub finem primæ partis chronici sui: ubi Gerbertus in cœnobio sancti Geraldi apud Auriliacum nutritus dicitur, grammaticaque eruditus; & ab ejus loci abbate commissus Borrello citerioris Hispaniæ duci, ut in artibus erudiretur, atque ab eo Hattoni cuidam episcopo traditus instituendi causa, apud quem plurimum mathesi studuit. Borrellus comes erat Barcinonensis, qui Gerbertum Attoni episcopo Ausonensi commendavit. Guido mox laudatus apud Albericum ait, Gerbertum in Hispaniam fugisse, astrologiam a Sarracenis didicisse, & ita liberales ebibisse artes, ut in Galliam revocaverit pridem ibi obsoletas. Non satis sibi constare videtur Hugo Flaviniacensis, cum ait, Gerbertum *pro morum insolentia* e suo monasterio expulsum fuisse; & tamen ab Auriliacensi abbate Borrello duci commendatum. nisi dixeris, eum ob præstantius ingenium consodales suos despectui habuisse, adeoque eis exosum Auriliacu discedere coactum; abbati vero acceptum nihilo minus fuisse, a quo Borrello duci commendatus sit. Id de Geraldo abbate interpretari suadet ipsius Gerberti epistola xvi. *Geraldo abbati Auriliacensi* inscripta, cum Gerbertus jam abbas esset Bobiensis, in qua Raymundum *magistrum quondam* suum vocat, eum scilicet, qui postea in Auriliacensi præfectura successit Geraldo abbati, quem mortuum idem Gerbertus in alia epistola [b] luget. Quanta vero cum eo necessitudine conjunctus fuerit, testis est epistola xlvi.
„ eidem Geraldo inscripta, in qua felicem reputat diem, felicem horam, qua licuit
„ nosse virum, cujus vel sola nominis recordatio omnes a se molestias detorqueat:
„ cujus præsentia si interdum frueretur, se beatiorem non frustra reputaret. In præcedente denique epistola ad Raymundum monachum, *fidissimi patris Geraldi* meminit *specialis*, ut ipse ait, *filius Gerbertus.* & in fine, *Valeat pater Geraldus, valeat frater Airaldus, valeat sanctissimus ordo, meus altor & informator.* quæ quidem verba probant, Auriliacenses suos sibi carissimos, non exosos fuisse. Mitto quæ de Gerberto habet Trithemius in fusiori historia [c] Hirsaugiensi, ubi ait, eum Floriaci adolevisse, ac demum adolescentem *abjecto habitu* in Hispaniam fugisse. quod nullo auctore dictum refellit constans Gerberti affectus in suos Auriliacenses, ceterosque monachos ejusdem instituti.

a Labbe to. 1. p. 157.

b Gerbert. epist. 91.

c Hirsaug. an. 991.

LXXXVII. Bobiensis abbas renatur.

Quo tempore Gerbertus Bobiensem abbatiam adeptus sit, res obscura est, quam pro hominis fama hic illustrare operæ pretium fuerit. Tempus eruitur ex primis viginti-quinque ejus epistolis, quarum plerasque jam abbas scripsit. Ex his duas Johanni papæ direxit, nempe quartam-decimam, & vicesimam-tertiam. In priori, quam *beatissimo papæ Johanni Gerbertus solo nomine officii Bobiensis cœnobii abbas* inscripsit, ait se ab eo *virgam pastoralem & apostolicam benedictionem* accepisse. Id vero de Johanne XIII. explicandum esse suadet epistola decima-septima, scripta sub annum DCCCC LXX. Adalberone jam Remorum archiepiscopo, ad Geraldum Auriliacensem, in qua quærit, *an Hugo, quem vestra*, inquit, *lingua abba-comitem dicitis, uxorem duxerit.* Is videtur Hugo Caputius, vulgo Capetus dictus, qui Adelaidem, filiam Willelmi Pictavorum comitis, cui cognomen Caput-Stupæ, sub id tempus uxorem duxit, ex qua ante annum DCCCC LXX. susceperat Rotbertum, quippe qui patris litteris pro ecclesia Aurelianensi subscriptus anno DCCCC LXXV. invenitur, ut postea videbimus. Qua occasione Bobiensem abbatiam Gerbertus obtinuerit, ex Hugone Flaviniacensi intelligimus. quippe Borrello Barcinonensi duce cum Attone Ausonensi episcopo Romam eunte, *idem cum eis profectus, & propter actus notissimus*, ab eodem duce *Ottoni regi est intimatus.* Si regis nomine Ottonem nondum imperatorem designaverit Hugo, id factum oportuit ante annum DCCCC LXII. quo imperialia insignia Otto a Johanne XII. Romæ accepit. Sed non ita rigide regis nomen accipiendum existimo. Id vero probat tempus, quo Borrellus comita-

ANN. CHR. 964.

tum Barcinonensem adeptus est, scilicet post Seniofredum, qui anno DCCCC LXVII. mortuus est, sepultusque in monasterio Rivipullensi, facto [a] prius testamento, quo multa ecclesiis ac monasteriis piissimus princeps legavit. Itaque ab eo tempore Gerbertus Ottoni notus & acceptus, abbatia Bobiensi donatus ab eo est. Errat [b] Ughellus, qui id rejicit ad annum DCCCC XCII. fallus diplomate Ottonis primi, quod Ottoni tertio perperam tribuit. Adeptus hanc abbatiam *Hugoni suo* Gerbertus *quondam*, ut ipse ait, *scholasticus* ea de re scribit epistolam XII. secundum amplitudinem animi sui amplissimis honoribus se ditatum fuisse a domino suo Ottone. *uam quæ pars Italiæ*, inquit, *possessiones beati Columbani non continet?* at secundum amplitudinem amici sui amplissimis se oneratum hostibus, & nullam partem Italiæ, in qua suos non habeat hostes. Conditionem pacis hanc solam fore, si spoliatus abbatia fuerit; vestitum districtis persequendum gladiis: ubi gladio ferire nequiverint hostes, jaculis verborum appetituros. Ceterum malle se militem esse in cæsarianis castris, quam regem in alienis. Infensus in primis ac infestus ipsi fuit Petrus Papiensis episcopus, qui anno DCCCC. LXVI. eam sedem iniisse dicitur, eamque ad annos octodecim tenuisse. Graves ad eum litteras scripsit Gerbertus, scilicet epistolam quintam, in hæc verba. *Quod abbatiam sancti Columbani habere videmur, Italorum nulli gratias agimus. Si ante dominum nostrum a vobis laudati sumus, non indebitas vobis reddidimus laudes. Mutua exposcitis colloquia, & a rapinis nostræ ecclesiæ non cessatis. Nostra, velut propria, militibus divisitis, qui diversa in integrum revocare debuistis. Rapite, prædamini, vires Italiæ contra nos concutite. Opportunum tempus nacti estis. Dominus noster bellorum certamine occupatur: nos nec manus paratas eum juvare detinebimus, nec quod ejus officii est temere usurpabimus.* De his aliisqoe vexationibus conqueritur, tum apud cæsarem, tum apud Adelaidem augustam. scilicet monachos [c] suos attenuari fame, premi nuditate; libellariis codicibus sive precariis totum sanctuarium Domini venumdari; apothecas & horrea exhausta; in marsupiis nihil esse. Satius sibi fore, si cum gratia domini sui fieri posset, solum apud Gallos egere, qnam cum tot egentibus mendicare apud Italos.

Neque foris tantum sæviit hæc tempestas: domi etiam eo usque grassata est, ut Bobienses eum expulerint. Hinc epistola XVIII. ad Bobienses. *Qui regulam sancti Benedicti professi estis, & pastorem deserendo abjecistis, colla tyrannis sponte subdidistis... Ante tribunal Christi quomodo apparere vultis? Hæc quidem non causa retinendi honoris scribo, sed loquenda loquens, cura pastorali animam meam crimine libero, non audientes implico.* & in epistola XIX. ad Rainaudum: *Recte quidem, frater, conquereris super abbatis tui privatione. Oves in convallibus ante ora luporum absque pastore, monachi in monasterio absque abbate. Secundum scire tuum & posse, bene te velle & facere adhortor & moneo. Unius anni tria diversa imperia super se docent quæ videt, fallacia & inconstantia. Futuram desolationem, non tantum parietum, quantum animarum, ingemisce, & de Domini misericordia noli desperare.* Tria hæc imperia videntur interpretanda de trium abbatum mutatione apud Bobienses.

Hac tempestate jactatus Gerbertus in Galliam rediit, & primo forte in Germaniam, nbi Ottonem juniorem erudire jussus est. Eo absente, Petrus creatus est abbas Bobiensis, ut diplomata Ottonum duo manifeste probant, quorum primum [d] est anni DCCCC LXXII. Non tamen sic abjectus fuit a Bobiensibus Gerbertus, ut nonnulli ipsi addicti esse non perseveraverint. Argumento est epistola LXXXIII. qoam ille omisso abbatis nomine scribit *dilectissimis sibi filiis Bobiensibus utriusque ordinis*, clericalis scilicet ac laicalis. in qua eos rem dignam, suoque nomini, filiorum scilicet, convenientem fecisse dicit, patrem quærendo, patrem visitando: se pro eorum dilectione & fide constanti erga ipsum, tunc absentem gratias agere; brevi præsentem debitas exhibiturum. ceterum se quidem jam prope in portu constitisse; at eos malignis fluctibus jactari iniquo animo ferre; sed confidere, Dominum, qui omnia potest, motum prece pauperum, afflictis opem ilico laturum. Hinc est quod abbatem loco sui institutum, velut tyrannum reputabat in epistola septima, quæ secundo loco est, ad Rainaudum monachum Bobiensem, cui facultatem indulget migrandi ad aliud monasterium, *si sub regula patris Benedicti ac spirituali abbate* in alio militare cuperet; dandi etiam ac recipiendi, *quod jure & sine offensione divinarum legum dandum ac recipiendum est*, excepto *si quid tyranno aut impio* sponte tribuisset.

a Marca c. 885.

b Ital. sac. to. 4. c. 1354.

c Gerbert. ep. 2.

d Ital. sac. to. 4. c. 1352.

ANN. CHR. 965 LXXXVIII. Ottonis Magni diplomata pro S. Remigio, &c. a *Marlot to.* 1. *p.* 604. b *ibid.*

GErberti varia illa infortunia acciderunt ex Ottonis maxime absentia, qui anno DCCCCLXV. teste Frodoardo, relicta urbe Roma, Coloniam venit, ibique Gerbergam reginam sororem suam, cum filiis Lothario rege & Carolo puero ad se profectam, excepit, & cum eis, aliisque magnis proceribus placitum magnum habuit. Antequam Coloniam veniret, aliquamdiu moratus est in pago Ingelheimensi prope Moguntiam: ubi rogatu Hincmari abbatis curtem Coslam, quam Artaldus archiepiscopus monasterio sancti Remigii restituerat, eidem imperiali præcepto [a] asserit Otto Magnus hoc anno, x. kalendas Junii, indictione VIII. actum *Ingelheim* palatio. Ibidem Otto junior eodem die & anno idipsum regio [b] diplomate comprobavit. Erat hæc cella seu abbatia (sic eam Otto Magnus alibi vocat) in diœcesi Moguntina, *in monte sancti Remigii* dicto, *circa villam, quæ Cosla dicitur, super fluvium Glan*, ut Adalbertus Moguntinus antistes loquitur, ubi Remigiani quidam monachi sub monastica regula quondam vivere consueverant. Ex prædicto Ingelheimii palatio Otto Coloniam venit: ubi monachorum iu cœnobio sancti Mansueti restitutionem rogatu Gerardi Tullensis episcopi; & bona omnia monasterii sancti Apri imperialibus litteris confirmavit. Utraque præceptio *data iiij. nonas Junii, anno dominica incarnationis* DCCCCLXV. *indictione viij. anno regni Ottonis xxx. imperii iiij. Actum Coloniæ palatio.* Utrumque diploma recognovit Liudulfus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani, qui hoc ipso anno Remis mortuus est, ut postea videbimus.

LXXXIX Gerardi episcopi beneficia in S. Mansuetum.

» In priori diplomate Gerardus, venerabilis Tullensis ecclesiæ præsul, imperiali clementiæ suggessisse dicitur, quemdam locum in suburbio ejusdem suæ civitatis ab » antiquo quidem fundatum, sed præcedentium injuria temporum rebus destitutum, » religione depravatum, ædificiis corruentibus omnino collapsum esse. qui locus in » honorem sancti Petri consecratus, & corporibus sancti Mansueti primi ejusdem ci- » vitatis episcopi, simulque beati Ammonis prædictæ urbis itidem antistitis decoratus, » a bonæ memoriæ Gauzlino antecessore suo reparari cœptus fuerat, sed opere im- » perfecto relictus. Hunc vero se ex integro restaurare velle, rebusque ac reditibus » augere; ideoque *abbatem, nomine Adam, regularibus disciplinis eruditum*, cum » consilio Brunonis archiepiscopi ac principum regni, fratribus ibidem consistentibus » præfecisse; & tam ex his, quæ quondam eidem loco subjectæ fuerant, quam ex aliis » episcopii sui rebus, cum suorum fidelium consensu dotasse. quæ omnia Otto Magnus, cum suo, tum filii sui æquivoci nomine, ratum gratumque habet. In libro de miraculis sancti Mansueti legimus, Gerardum restituto beati Mansueti oratorio, *laudabilis memoriæ abbatis Humberti consilio, qui tunc temporis beati Apri gloriose regebat monasterium*, suorumque consensu fidelium, quemdam boni testimonii virum, moribus & actibus præfulgentem, eidem loco præfecisse, Adamum scilicet modo laudatum. Ex quo intelligimus, Humbertum abbatem in sancti Apri regimine successisse Archemboldo, abbati a restitutione primo, cui Gauzlinus episcopus, Geraldi decessor, locum sancti Mansueti reparari cœptum commendaverat. In quibusdam tamen indicibus Archemboldo abbati substituitur Adso abbas, quem monasterii sancti Apri abbatem non fuisse inferius probaturi sumus. Humbertus, a nobis alias jam laudatus, e Gorziensi monasterio assumtus est ad regendum sancti Apri monasterium, ubi *in cura dominici gregis beato fine quievit*, ut in libro de vita sancti Johannis abbatis Gorziensis legitur; adeoque distinguendus ab Humberto sancti Vitoni abbate, qui e sancti Apri monasterio eductus, apud sanctum Vitonum decessit.

S. Apri abbates.

XC. Baini-villæ cella.

In posteriori Ottonis diplomate pro sancto Apro, fit mentio de cella Baini-villæ, » quam quidam miles, Arnulfus nomine, loco sancti Apri tradidit, eo pacto, ut ali- » qui de fratribus sancti Apri ad custodiendum regularis disciplinæ ordinem in eo » loco ponerentur. Exstant in archivo sancti Apri litteræ hac de re confectæ, in qui- » bus Arnulfus *famulus Dei* ait, se ob animæ suæ remedium, domni Gauzlini ponti- » ficis auctoritate & collaudatione, quoddam famulorum Dei monasterium constru- » xisse in suis prædiis, *in pago Segintise*, ac definiisse, ut idem locus, qui in honorem » sancti Salvatoris ac sancti Mauricii sociorumque ejus conditus est, subjectus sit mo- » nasterio sancti Apri, ejusque abbati sub regulæ sancti Benedicti institutione: ea con- » ditione, ut, si quis ex suis propinquis causa devotionis & salutis suæ in hoc loco se

AN. CHR. 961.

suscipi petierit, ei non denegetur introitus; sed & si utilis & dignus pro vitæ suæ merito inventus fuerit, & abbati visum fuerit, etiam provisor ejus loci constituatur: alias, ut noxius repellatur. Si autem episcopus vel abbas monasticam religionem illic funditus destruere voluerit, tunc ipsius propinqui ac posteri locum illum recipiant. Hanc vero scripturam, ut hæc omnia firma & inviolabilia sint, fieri jussit, atque manu sua ac manibus principum ac multorum nobilium *in mallo publico* firmari voluit. Subscribunt dux Fredericus, Henricus, Teutbertus scabineus, Wido comes, Teutselinus comes, aliique. Desunt chronicæ notæ in veteri exemplo, quo usi sumus. Hactenus Baini-villæ * cella est in Tullensi diœcesi ad Mosellam. Redeo ad Ottonem imperatorem, qui sub finem anni Romam reversus, convocata magna synodo, ait Frodoardus, Johannem XIII. in sede sua restitui curavit; ac Benedictum a Romanis electum, totius synodi judicio depositum, secum abduxit, & in Saxoniam relegavit, atque Adalgago Hammaburgensi archiepiscopo commendavit.

* vulgo *Bainvile-aux-miroirs.*

XCI. Brunonis Coloniensis obitus.

Hic annus supremus fuit Brunonis Coloniensis pontificis sanctissimi, qui, post conventum illum Coloniensem profectus Compendium, ut nepotes suos, Lotharium scilicet regem & Hugonis Magni filios, invicem dissidentes ad concordiam revocaret, infirmari cœpit; tum in urbem Remorum advectus, ubi morbo ingravescente, *corporis & sanguinis Domini sacramentum, virtutis ejusdem sacramenti non inscius, expetivit. quod cum fuisset allatum, vir ille Domini, quid animo senserit, toto corpore prostratus ostendit.* Post dies quinque, morti proximus *iter suum magno illo viatico, sancto videlicet & unico redemtionis nostræ pignore, munivit*; ac demum inter adstantium gemitus ac preces spiritum Deo reddidit v. idus Octobris. Corpus ejus cum debito honore Coloniam revectum, insigni pompa XIV. kalend. Novembris sepulturæ mandatum est in suburbano, uti mandaverat, sancti Pantaleonis monasterio, quod construxerat, *sed adhuc usque consilio & providentia sua construit, & ordinare non cessat, gubernante Deo insignia bonæ voluntatis ejus per sanctorum merita, quorum illuc & reliquias advexit, & patrocinia sibi religiosa & sedula supplicatione providit.* Sic loquitur Rotgerus, gravis & eloquentissimus ejus temporis scriptor, qui librum de sancti Brunonis vita composuit, ac Folcmaro archiepiscopo ejus successori nuncupavit, *Rotgerus servorum suorum*, ut ipse ait, *ultimus*. Eum sancti Pantaleonis monachum fuisse Miræus, aliique existimant. Fallitur Surius, qui eum anno MXL. floruisse dicit. siquidem sæculi undecimi initium non videtur attigisse, scribebatque [a] superstite adhuc Brunonis præceptore Baldrico, Trajecti ad Rhenum episcopo, quem nonnulli cum Baldrico Trajecti ad Mosam antistite, longe ante Brunonem vita functo, perperam confundunt. Floruit itaque, scripsitque Rotgerus librum de gestis sancti Brunonis intra duodecim annorum spatium, quod ipsius Brunonis inter ac Baldrici ejus præceptoris obitum intercessit.

Rotgerus ejus vitæ scriptor.

[a] *S. Brunonis vita c. 4.*

XCII. Wolfgangus Einsidlæ fit monachus.

Paullo ante Brunonem e vivis excesserat Heinricus Trevirensis antistes: quo mortuo, Wolfgangus, qui ei decem annis pro intima sua necessitudine adhæserat, solutis amicitiæ ac sæculi retinaculis, ad monasticæ vitæ portum, uti dudum optaverat, convolare statuit, hoc unum ex amici morte solatium assecutus, quod votum de sæculi contemtu jam pridem conceptum exsequi sibi liceret. Hæc cogitanti Bruno intercessit, fecitque ut ad se veniret, promittens illi omnem humanitatem, immo ipsum quoque pontificatus honorem, si apud se remorari vellet. Verum hæc vir Dei constanter recusavit, sed tamen aliquamdiu cum illo remansit, cui in omni probitate similem se numquam vidisse testatus est. Eo tandem dimisso, domum revisit, nec minora voti sui impedimenta passus est a propinquis, qui ei amplissimam hereditatem offerebant, velut unico suæ gentis columini, in quo tota domus inclinata recumberet. At ille longe potiorem sibi a quodam præpotenti domino hereditatem offerri respondit, apud quem majorem eis benefaciendi occasionem ac facultatem habiturus sit. Tum alacriores facti ejus consanguinei, nomen domini & locum, quo ire vellet, inquirunt; sciscitanturque, an quem ipsorum in comitatu habere vellet. Ille vero eos brevi nomen & locum scituros dixit: ceterum sociis se non indigere. Paucis post diebus domo discessit, duobus adolescentibus comitatus, & ad monasterium Solitariorum se contulit, *in tenebrosa silva* situm, ubi artiorem regulæ disciplinam sub Gregorio religiosissimo abbate observari compererat. Hujus abbatis magisterio se totum tradens, cum habitu sæculari veterem hominem exuit, novum-

ANN. CHR. 965.

que cum monasticæ vitæ habitu induit : in quo quanta districtione, ac severitate vixerit, eximia ejus facta testantur. Tirocinii peracto tempore, multi vicinorum cœnobiorum monachi, ejus probitatis ac doctrinæ fama respersi, se se illi erudiendos & instituendos tradiderunt : quos ille, abbatis accepto permissu, liberalibus ac moralibus disciplinis studiose instruxit. Inter ea beatus Udalricus fratres pro suo more visitandi causa ad monasterium venit, eumque, quantumvis reluctantem, presbyterum ordinavit. qui ordo novos ei ad virtutem stimulos addidit. Insignis ejus devotio fuit in beatum Otmarum, sancti Galli quondam abbatem, qui ei futuram ad Hungaros missionem & episcopatum prædixit.

XCIII. Ufnaugia Einsidlæ data. a *Annal. Eremi p. 73.*

Hoc ipso anno imperator Otto, rogatu Burchardi ducis, privilegium concessit Meginradi-cellæ seu Einsidlensi [a] monasterio, quod domnus Eberhardus beatæ memoriæ eremita in honorem sanctæ Mariæ & sancti Mauricii, ope & adjutorio Hermanni ducis, a fundamentis exstruxisse dicitur, quod *modo*, inquit Otto, *sanctissimus vir, cunctis virtutibus pollens Gregorius nobiliter regit*, jubetque, ut post obitum ejusdem venerabilis abbatis Gregorii, monachi ejus loci potestatem habeant ex se ipsis eligendi abbatem. *data xv. kal. Februarii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXV. *indictione viij. regnante domno Ottone rege xxij.* * *imperatoriæ autem potestatis anno ij. Actum in Sindliezesowo.* Is locus situs est prope Augiam, ubi eodem die versatus imperator, Adeleide augusta flagitante, accedente etiam Burchardi ducis & Hartberti Curiensis episcopi suffragio, Uffenovam seu Ufnaugiam insulam, Tigurino lacui proximam, cum aliis adjacentibus prædiis eidem monasterio [b] contulit. Sed quia insula hæc Seckingensi parthenonis juri ac dominio subjacebat, alia prædia ejus loci antistitæ in damni compensationem refudit.

* *l. xxx. imper. iv.*

b *ibid. p. 76.*

Regulinda & Alaricus eo secedunt.

Hermanno duci uxor erat piissima, Regulinda nomine, quæ orbata viro, in prædicta insula Deo se consecravit, exstructo in honorem sancti Martini oratorio; ibique reliquum vitæ pientissime traduxit. Eodem ante secesserat filius ejus Alaricus, qui postea in Meginradi-cellam se receperat. Mortua matre, quæ res suas Alarico, ejusque monasterio legaverat, haud multo post, relicto custodis apud Einsidlam officio, ad eamdem insulam rediit, sive ut majorem basilicam a matre incœptam absolveret; sive, quod veri similius est, ut illic magis solitariam vitam duceret. Ibi cæleste oraculum jussus est perferre piissimæ virgini Wiboradæ reclusæ apud sanctum Gallum, ut scilicet nimiæ abstinentiæ imponeret modum. quippe arborem, dum viva terra tegitur, in frondes & fructus reviresscere : si radicem humo nudatam esse contingat, cito arescere. De eodem Alarico tradunt, insula illa aliquando alluvione obsessa, cum nullus ad eum accedere auderet, eum cibi penuria prope enectum ad preces confugisse; & post preces panem & vinum capiti suo suppositum invenisse, quo refocillatus convaluit. Ibidem mortuus est vir Dei, sepultusque in oratorio beatæ Mariæ a matre inchoato, quod ipse perfecerat. Habetur inter tutelares patronos Einsidlensis monasterii, cujus præpositura etiam nunc superest apud Ufnaugiam.

XCIV. Aletranno Laubiensi abbati succedit Folcuinus. c *Spicil. to. 6. p. 575.*

Panllo post Brunonis archiepiscopi obitum Aletrannus abbas Laubiensis, exacto anno regiminis sui quinto, *in magna spe futuræ gloriæ defunctus est iij. nonas Octobris*, inquit [c] Folcuinus, ejus successor, quem Euracrus Leodicensis antistes ætate juvenem, Laubiensibus præfecit, & Coloniæ præsente Ottone imperatore, in magna populi frequentia, lecta prius fratrum electione, ab Ingranno Cameracensi episcopo, ipso die natali Domini ordinari curavit. Folcuinus *ab ipsis pane crepundiis* admissus est in Sithiensium *gratuitam fraternitatem*, ut ipse ait in prologo vitæ sancti Folquini episcopi, quam *dilectissimis in Christo sancti Sithiensis cœnobii fratribus* nuncupavit, eos in fine rogans sui, illorum utique *fratris*, esse memores. Hunc vero Folcuinum a Fulcuino levita, qui chartas Sithiensis monasterii unum in corpus redegit, distinguendum esse superius [d] ostendimus; tametsi uterque e regno Lotharii, & quidem genere nobilissimus erat. In eodem prologo abbas satis innuit, se non tam volentem, quam quodam modo coactum, *cessantibus* scilicet *ob multimodam infestationem propinquorum curis*, in Sithiense monasterium a puero se recepisse : & in chronico Laubiensi [e] *cognitionem* suam *non infimam* modeste dicit, & fratrem suum Godescalcum [f] vocat. quo ex loco novum argumentum desumitur ad eum distinguendum a Fulcuino levita, qui a parentibus suis [g] ad Sithiense monasterium adductus, sanctoque Bertino oblatus est.

d *num. 50.*

e *Spicil. to. 6. p. 576.*
f *ibid. p. 584.*
g *lib. 44. n. 103.*

ANN. CHR. 965.

XCV. Ratherius Laubiis infestus.

Folcuino Laubiis præposito Ratherius, qui adhuc Veronæ erat, civiom insolentiæ pertæsus, simulque suspectam habens innatam illis perfidiam, de reditu in patriam cogitare cœpit, animo recolens, in aliena patria vitam quidem aliquando haud injucundam esse; at mortem ingratam. Misso itaque ad Folcuinum abbatem libro a se scripto, cui *Conflictus duorum* titulus erat, in quo, utrum reverteretur necne, anxius disputabat; simul eum rogabat, equos & comites sibi mitti, quo expeditius Laubias reverteretur. Factum est, missum est: rediit ille, secum afferens auri & argenti, ut ipse aiebat, massas & acervos, quibus abbatiam sancti Amandi, si Folcuino credimus, a Lothario rege mercatus est. Cum vero non bene ei cum Folcuino abbate conveniret, apud Alnam villam, ab Euracro episcopo ipsi concessam, quæ abbatia olim a sancto Ursmaro abbate condita fuerat, ac Laubiensi subjecta, aliquamdiu moratus est: eni Folcuinus insuper consensu fratrum abbatiolam sancti Ursmari & Waslare monasterium cum duabus villis ad vitæ supplementum concesserat. Verum, cum ille nihilo minus abbati semper infestus esset, cujus forte locum occupare voluisset; eo res devenit, ut abbas loco cederet, comperto id velle Euracrum episcopum, qui Ratherio favebat. Mox Laubias invadit Ratherius, metuensque abbatis animositatem, & ejus cognationem, quæ non erat infima, claustrum in modum castelli cingit, sicque monasterio potitus est anno uno usque ad obitum Euracri episcopi, cujus successor Notkerus Folcuinum abbatem in proprium locum restituit. Ratherii Laubias reditus non videtur contigisse ante annum DCCCC LXVII. quo diploma [a] ab Ottone imperatore nonis Novembris obtinuit, immo nec forte ante annum insequentem, eum bona canonicorum Veronensis ecclesiæ ab episcopali potestate [b] immunia declarata sunt, Ratherio ipso præsente & acquiescente.

[a] *Ital. sac. to. 5. c. 646.*

[b] *ibid. c. 648.*

XCVI. Monachi apud S. Quintinum de Insula locati.

Dom Laubiis hæc geruntur, instituti sunt monachi apud sanctum Quintinum de Insula, qui locus est prope Augustam-Viromandorum, Somenæ fluvio circumdatus, ubi sancti Quintini corpus undecim lustris jacuit, in duobus scilicet puteis: quorum in uno ipsius martyris caput, in altero truncum corpus, angelo revelante, ab Eusebia matrona repertum est. quo ex tempore magna eidem loco reverentia habita, constructaque ecclesia, quæ a majori sancti Quintini ecclesia pendebat, abbatiæ nomine insignita. Hanc ab Adalberto comite, qui & ipse sancti Quintini basilicæ abbas erat, post Hugonem obtinuit Anselmus canonicus religiosissimus. Is basilicam eo in loco insigniorem ædificare, ibique monachos collocare cupiens, insula ponte juncta, ad qoam alias nonnisi navigio accessus erat, congeriem lignorum, ceteramque ædificandæ basilicæ materiam eo convehi curavit. tum exstructæ ex ligno basilicæ congrua servis Dei adjunxit habitacula. quibus absolutis, monachos ibidem canonicorum vice collocavit, haud scio an e proximo Homolariensi monasterio eductos. Id hoc anno factum tradit chronicon [c] sancti Medardi Suessionensis. Primus ejus loci abbas Arnoldus litteras a Lothario rege impetravit, quibus Singinam villam Mederenensis in Flandria pagi a publicis oneribus immunem esse jussit anno regni sui XXIV. Eidem abbati Adalbertus seu Albertus comes, abbas sancti Quintini principis ecclesiæ, consentientibus Goberto custode & Simone decano, ceterisque canonicis, faventibus quoque filiis sois Herberto & Ottone, magnam partem aquæ Somenæ monachis contulit, ut ex canonicorum abundanti opulentia Christi pauperum inopia suppleretur. Ad hæc totum districtum ejusdem insulæ cum omni justitia eisdem monachis concessit, ut ipsi filiisque ipsius, uxorique Gerbergæ veniam a Deo obtinerent. Actum anno Christi DCCCC LXXXIII. Lotharii regis anno XXIX. Hæc omnia post modum litteris suis comprobavit Liudulfus Heriberti comitis filius, Noviomensis episcopus, qui ex lignea lapideam ecclesiam fecit, & libellum de sancti Quintini miraculis ab Insulano monacho anonymo describi curavit, ab Hemeræo [d] perperam ecclesiæ Quintinianæ canonico adscriptum.

[c] *Spicil. to. 2. p. 786.*

[d] *Hemeri p. 82.*

XCVII. Widbertus abbas Carnutensis.

Florebat eo tempore in Carnutensi sancti Petri monasterio Widbertus abbas, cujus doctrinam cbartaceus Haganonis liber ex passione sancti Emani sociorumque ejus ab eo scripta; religionem ex plurimis donationibus ejus tempore sancto Petro factis probat. In his prima est donatio Walteri Dorcassini * comitis de ecclesia sancti Georgii, quam donationem tam sua, quam Richardi ducis, in cujus comitatu sita erat hæc ecclesia, manu roborari curavit *anno ab incarnatione* DCCCC LXV. *in-*

* *de Dreux.*

ANN. CHR. 965.

dictione viij. regnante Lothario anno xj. Widberti libellum de passione sancti Emani ejusque sociorum, absque auctoris nomine, legimus in codice bibliothecæ Colbertinæ: quo in libello Emanus Cappadox Romam venisse dicitur Leone papa ecclesiæ præsidente; dein Mediolanum, postea in Galliam ad urbem Augustodunum, Nectario tum episcopo; ac demum Carnotum Theodeberto regnante, ubi ecclesiam apud Saberniam vicum exstruxit. qui tandem a latronibus cæsus est una cum sociis suis Maurilio & Almaro in vicinia Islaris cellæ, ubi & sepulti sunt.

XCVIII. Cormarici à Villa-lupæ disjunctio.

Hactenus unita fuerant monasteria sancti Pauli Cormaricense & Villæ-lupæ, & ab eodem abbate administrata: sed tandem hoc anno alterum ab altero sejunctum fuit, propriosque utrumque habuit abbates. Id factum Guidone seu Widone abbate, Fulconis-Boni comitis Andecavensis & Gerbergæ filio, fratre Gaufridi comitis cognomento Grisagonellæ, qui quidquid in vico pagi Bituricensis Valentiaco possidebat, contulit fratribus monasterii Cormaricensis: *ubi frater meus*, inquit, *Guido abba præesse videtur: ut pro nostris nostrorumque parentum, genitoris mei videlicet Falconis, & genitricis meæ, nomine Gerberga, ac fratrum meorum ad mihas intercedant.* Hunc Widonem abbatem exstitisse constat monasteriorum sancti Albini Andecavensis, Ferrariensis, uti & Cormariceni ac Villæ-lupensis; ac demum Aniciensem episcopum creatum fuisse. Hic litterarum studiis a parentibus adhibitus, relictis sæcularibus pompis, monachum induit in Cormaricensi monasterio: ubi loco Arnaldi intrusi, communi fratrum consensu, approbante rege, abbas eligitur. Cum vero Cormaricenses inter & Villæ-lupenses dissensionem gliscere animadverteret; consulente & adhortante Arduino Turonum antistite, liberam utrisque propria curandi & possidendi, simulque eligendi abbatis potestatem fecit hoc anno, quo Humbertus e Villæ-lupensium cœtu electus est: Guido vero Cormaricensium præfecturam retinuit ad annum DCCCC LXXV. quo Aniciensis seu Podiensis episcopus creatur.

Guido abbas, dein episcopus.

XCIX. Aymardus abbas Cluniacensis obit.

Non videtur hunc annum prætergressus Aymardus Cluniacensis abbas tertius, quo anno *Mayolus humilis abbas* & *Heymardus abbas* subscribunt cuidam præstariæ duobus levitis factæ de rebus sitis in pago Cabilonensi. Ab eo tempore nulla ulterius occurrit mentio Aymardi abbatis in Cluniacensibus instrumentis, quæ solum Mayolum abbatem deinceps præferunt usque ad electionem Odilonis abbatis, quæ Mayolo superstite facta est. Johannes Trithemius merito ait Mayolum, virum morum conversatione sanctissimum, in scripturis sacris eruditum, lumine oculorum orbatum, velut alterum Job, in medio fratrum suorum exemplar patientiæ & humilitatis enituisse: at quod subdit, ejus festum agi apud Cluniacenses idibus Septembris, nescio unde id acceperit. nam nulla sancti Aymardi memoria occurrit in ecclesiasticis libris ordinis Cluniacensis; nec idibus Septembris convenit mortalis ejus dies, sed tertio idus Octobris, quo die in veteri necrologio Silviniacensi memoratur *depositio domni Eymardi abbatis.* Eumdem diem signant necrologium sancti Benigni, & Petrus de Rivo in chronico Cluniacensi, qui addit, Aymardum jacere in veteri ecclesia retro altare beatæ Mariæ. In libro anniversariorum Silviniacensis monasterii ejus anniversarium differtur ad pridie idus Octobris, quo die præscribitur *plenum* officium *pro domino Haimardo abbate Cluniacensi.* statuiturque ut fratribus refectionem præbeat cellerarius, ac duodecim pauperes reficiantur.

C. Instrumenta pro Cluniaco.

Ad hoc fere tempus referendum est placitum habitum *in civitate Papia, in caminata sala Lietasredi Ticinensis episcopi, post capitium ecclesiæ sancti Syri confessoris, ubi ejus sanctum corpus quiescit, residente Otberto marchione comite palatii, ut justitiam inter homines discerneret cum aliis judicibus.* ad cujus præsentiam *domnus Mayolus Cluniacensis abbas venit, & repræsentavit duo monimina* seu instrumenta, unum nomine Ottonum imperatorum, datum XVI. Julii, anno VI. regni eorum in Italia, eo spectans, quomodo Gaidulfus, filius Petri judicis, quasdam terras emisset, easque cum capella Mayolo abbati dedisset, *ut monachi sub norma sancti Benedicti viventes ibi in perpetuum habitarent, & orarent pro anima Liutardi Cumani episcopi:* alia item monimina donationum eidem Mayolo factarum; postulavitque, ut contra invasores sibi confirmarentur. quod præstitum est *indictione x.* quæ anno DCCCC LXVII. convenit: ceteræ notæ chronicæ incertæ. Hæc cella postea sancti Mayoli dicta est. Romanæ ecclesiæ tum præsidebat, mortuis anno præsenti Benedicto V. in Saxonia, & Leone intruso, Johannes XIII. qui monasterium Cluniacense, *cui sapienter,*

ANN. CHR. 965.

ſapienter, inquit, *& beate praeſt cariſſimus filius noſter domnus Mayolus abbas*, commendat Gallicanis epiſcopis, Stephanum Arvernenſem epiſcopum præ ceteris compellans, ut pro inſita ſua bonitate Amblardum fidelem ſuum ad reſtitutionem Celſinianenſi monaſterio faciendam compellat. Adonem quoque Matiſconenſem antiſtitem obteſtatur pro Cluniaco his verbis. *Res quoque exigit, ut tibi aliqua dicamus, frater cariſſime & amande domne Ado epiſcope, quem licet non viderimus, ex nomine novimus in omni ſpirituali bonitate. Efflagitamus itaque benigniſſimam tuæ paternitatis dulcedinem, ut, quo vicinior eſſe videaris ejuſdem monaſterii ſcholæ, eo tua protectio pro tuo poſſe celerior fratrum neceſſitatibus occurrat, qui te ex abundanti caritate diligunt, & ulnis totius amoris perfectiſſime ambiunt, & amplecti deſiderant. Quocirca Cluniienſis monaſterii ſemper eſto protector, ſicut beati Petri es fidelis amator.* Hoc diploma caret chronicis notis in bullario Cluniacenſi.

C I. Cabilonenſe S. Petri monaſterium fulmine percuſſum.

Hoc anno Cabilonenſe ſancti Petri monaſterium die ſabbati IV. kal. Auguſti fulmine percuſſum fuiſſe traditur, *veſpertinali ſollemnitate peracta, proceſſioneque completa in oratorio juxta morem ſancti Benedicti*, eum jam *poſt ſonitum cymbali* fratres cœnandi cauſa manus lavarent. Tria fulgura cælo delapſa, quæ turrim ſignorum ſeu campanarum, arcum maximum veteris maceriæ ſancti Petri, quæ chorum fratrum a principe altari dividebat, necnon cereum floridum ſtatutum in ipſo arcus medio ante altare omnino deſtruxeruot. Id factum Rodulfo abbate, uti pluribus narrat Wido[a] ejus loci monachus, teſtis rei oculatus, qui cereum illum ita deſcribit. Cereus ille non erat ex cera ſolidus factus, ſed ligneus & cera coopertus, variiſque tinctus coloribus, maxime altus, coronas quatuor affixas habens, congruis diſtinctas ſpatiis, e quorum medio quatuor exibant calami in ſimilitudinem ramorum. Hæc de cereo. Arcus vero *uſque ad ſepulcrum domni Ardradi epiſcopi* proruit. Ex hoc infortunio Rodulfus abbas occaſionem ſumſit fratres ſuos exhortandi ad pænitentiam.

[a] *Tournus p. 292. & ſeqq.*

C II. Guarinus abbas Lezatenſis.

Tunc temporis Lezatenſi monaſterio Toloſani comitatus præerat Guarinus abbas, qui bona quædam apud Bartas acquiſivit *anno xj. regnante Lotario rege.* Eidem Rotgarius comes Convenarum ceſſit eccleſiam de Monte-Sabaoth *, cum conſilio Bernardi epiſcopi Toloſani, qui in vulgatis indicibus deſideratur. Idem Guarinus adhuc abbas erat *anno xx. regnante Lotario*: cujus ſucceſſor Odo abbas occurrit *anno v. regnante Ludovico rege.* Guarinus iſte proinde diſtinguendus a Guarino abbate Coxanenſi, qui uſque ad finem ejus ſæculi pervenit. niſi forte Odo ſubrogatus eſt in locum hujus Guarini, dum is peregrinaretur.

* *Monſabot.*

C III. S. Martini de Pinilla monaſterium.

Exſtat in Hiſpania Tarraconenſi, diœceſi Burgenſi, opidum Moduba, eique proximum erat ſancti Martini de Pinilla, incertæ originis monaſterium, cui prædictum opidum ante annos viginti-unum attributum[b] legitur. Hoc vero anno ejus loci monachi, numero triginta-tres, Azenarium abbatem unanimi conſenſu elegerunt, editis hac de re litteris, quarum hic tenor, *Sub Chriſti nomine & individuæ Trinitatis, hoc eſt pactum, quod pepigimus nos omnes, quorum ſubter annotata ſunt nomina, tibi patri noſtro Azenario abbati. Cum vero nos regularis antiquitas doceat, monaſticam non ſine abbate ducere vitam, nec providum eſſe alicui monacho juxta ſuum præjudicium ſecum agere; quapropter eligimus te in privilegio abbatis, cui contradimus animas noſtras ſimulque corpora: ut juxta ſpiritualem cenſuram nobis ea, quæ Dei ſunt, imperes, animaſque noſtras Deo illibatas, ſanctificataſque offeras. Noſtrum ergo erit ab hodierno die & tempore tuis mandatis obedire, præcepta ſervare, actus & conſcientias noſtras revelare: tuum vero id quod a majoribus noſtris legendo, vel audiendo, vel, quod majus eſt, obediendo didiciſti, nobis ſine cunctatione imperes.* & poſt imprecationes factas in prævaricatores ſubditur: *Facta cartula pacti in arciſterio, quod conſecratum eſt in rivulo, quod vocatur Moduba, in memoriam ſancti Martini epiſcopi, ſanctorum Juliani & Baſiliſſæ, & aliorum, quorum nomina longum eſt numerare, viij. idus Januarii, æra* M III. Poſt annos octoginta-quinque Ferdinandus Magnus rex Caſtellæ hoc monaſterium vicinæ abbatiæ ſancti Petri Caradignenſi ſubjecit, litteris directis *vobis*, inquit, *patribus noſtris Gomeſſano epiſcopo, & Dominico abbati, & omni collegio monachorum ſancti Petri.*

[b] *Tepes an. 944.*

C IV. Meginradus Hirſaugiæ ſcholaſticus & alii viri illuſtres.

Johannes Trithemius tradit, Hirſaugiæ hoc anno, Sigeri abbatis XXIV. obiiſſe Meginradum monachum & magiſtrum ſcholarum ejus cœnobii ſexto-decimo die Januarii, anno ætatis ſuæ LXV. virum in omni doctrinarum genere erudi-

ANN. CHR. 965.

tissimum, qui non solum in scientia sacrarum scripturarum monachos juniores optime instituerit; sed etiam io bonis moribus ad puritatem regulæ monasticæ utiliter erudierit. Ex ejus scriptis memorat Trithemius librum de computo ecclesiastico, & epistolas ad Widechindum Corbeiæ-novæ monachum atque scholasticum, qui in libro de studiis veterum mouachorum, quem ei tribuit idem Trithemius, dixisse fertur, se fama & eruditione Meginradi excitatum Hirsaugiam venisse, multosque ibidem reperisse monachos vitæ meritu venerabiles, & in omni genere scientiarum doctissimos; & Meginradum quidem laudasse his verbis: *Monachorum ille doctissimus preceptor, velut Hieronymus alter, divinarum interpres scripturarum profundissimus, sua nos eruditione vertit in stuporem: ut vere celestis sapientiæ dici queat armarium, quippe quem nihil lateat doctrinarum.* Hæc ex Trithemio, penes quem sit fides. Meginrado in magisterio scholarum successit Reginhardus, eoque munere functus est annos duodecim: sed Meginradi doctrinam non assecutus est. Eodem tempore Egwardus, ejusdem loci monachus, jussu Ottonis Magni Sleswicensis in finibus Saxoniæ episcopus creatus, manifestum suæ sanctitatis signum ostendit, cum hominem mari submersum precibus suis ad vitam revocavit. quo miraculo stupefacti incolæ, eum Gotmanuum honoris causa vocitarunt. Ad hæc mortuo Adelhardo abbati sancti Albani prope Moguntiam, Willelmo archiepiscopo agente, suffectus Wernherus Hirsaugiensis cœnobita, vir magnarum virtutum & prudentiæ singularis; Bernolfus quoque, Hirsaugiæ itidem monachus, ad monasterium sancti Ferrucii, quod *Bledenstat* nuncupatur, abbas destinatus est. Eodem anno consignat Trithemius mortem Otgeri Spirensis episcopi, ex monacho, ut Erchenbaldus scribit, cœnobii sancti Pirminii Horubacensis, viri doctissimi & vitæ merito sanctissimi, cui Baldericus successisse dicitur.

CV. Womarus abbas S. Bavonis & Blandinii.

Hic annus supremus fuisse dicitur Hugonis abbatis Gandensis seu sancti Bavonis: cui Womarus successit, & ipse Blandiniensis in eadem urbe ab annis duodecim jam abbas. Ante triennium Wigmannus [a] comes Blandinio monasterio, cui tum præerat *abbas Deo devotus Womarus*, villam Thaslam * contulit pro remedio animæ suæ, & conjugis suæ Liutgardis. *Actum publice in monasterio Blandinio kalendis Novembris, anno Verbi incarnati* DCCCC LXII. *indictione* V. *Lotharii regis anno* XIIIJ. *domni Womari abbatis* VIII. Wichardus monachus chartam scripsit. Ejusdem abbatis rogatu Otto imperator immunitatis privilegium [b] Blandiniensi monasterio indulsit interventu Adelheidis conjugis suæ & Willelmi archiepiscopi Moguntini, datum Trajecti XI. kal. Februarii anno insequenti. quo etiam anno Lotharius rex Francorum bona [c] monasterii sancti Petri seu sancti Bavonis, *quod antiquitus vocatum est Ganda*, regali præcepto confirmavit, uti postulaverat Balduinus comes, cognomeuto Balzo, tutor Arnolfi pueri, filii Balduini, Arnulfi comitis filii, *cum reverendo abbate Womaro, sollertissimo sanctæ religionis fautore ac insigni propugnatore*, interventu etiam dilectæ matris suæ Gerbergæ & amabilis conjugis suæ Emmæ. Datum III. nonas Maii, anno Lotharii XII. indictione X. *Actum Nobiliaco*, id est in monasterio sancti Vedasti Atrebatensi.

[a] *Mirai donat. p. 143*

* *Desselberg.*

[b] *Mirai diplom. p. 42.*

[c] *id. donat. p. 150.*

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER QUADRAGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 966. ad annum 973.

ANN. CHR. 966.

I. Frodoardi presbyteri obitus.

HACTENUS ducem habuimus fidissimum Frodoardum Remensem presbyterum, accuratissimum chronographum, ab anno scilicet DCCCC XIX. ad annum præsentem DCCCC LXVI. in quo ejus chronicon desinit, ubi retulit conjugium Lotharii regis cum Emma filia regis quondam Italici, id est Lotharii ex Adelaide regina, quæ postea Ottoni imperatori nupsit. Addit idem auctor excommunicationem Ragenoldi Rociacensis comitis; ab Odalrico archiepiscopo in eum vibratam, ob villas Remensis ecclesiæ quas invaserat. Nec plura ibi de rebus hujus anni, nisi quod a quodam anonymo subditur, ipso anno virum venerabilem, & Re- « mensis ecclesiæ presbyterum, nomine Frodoardum, honore sanctitatis veneran- « dum, castitatis splendore angelicum, ceterarumque virtutum insignibus decoratum, « præcedentis chronici, aliorumque librorum dictatorem egregium, v. kalendas Apri- « lis a terrena peregrinatione ad cælestem patriam migravisse. « Ea die nullam invenio ejus mentionem in duobus vetustis ecclesiæ Remensis necrologiis, quorum unum vidimus Romæ in Vallicellana bibliotheca, alterum in Remensi, scriptum jussu Odalrici præpositi ante annos sexcentos. In utroque fit mentio alterius Frodoardi presbyteri XVI. kal. Junii. Hic retractare nil juvat ea, quæ superius [a] de monastica Frodoardi nostri professione & abbatiali dignitate, ac de ejus scriptis diximus. Duo ejus epitaphia, unum rythmis gallicis, alterum versibus latinis, in ejus elogio retulimus.

[a] lib. 45. n. 46.

II. Mons S. Michaëlis monachis concessus.

In superioribus [b] egimus de origine ecclesiæ sancti Michaëlis in monte Tumba seu in Periculomaris, quæ a sancto Autberto Abrincatensi episcopo Childeberti tertii principatu primitus condita est. Hanc si non ab ipso exordio, certe jam pridem incolebant sæculares canonici, quorum solutiores mores Richardum Normannorum ducem, ejus nominis primum, impulere, ut iis ejectis monachos substituerent. Id hoc anno contigisse tradit domesticus auctor Robertus de Monte abbas in accessionibus ad Sigebertum, ubi Richardus marchisus & dux Normannorum cle- « ricos sæculares de hoc monte ejecisse dicitur, ibique aggregavisse monachos, sub « regula beati Benedicti perpetuo servituros. Illic *delubrum miræ amplitudinis* & spa- «

[b] lib. 19. n. 39.

ANN. CHR. 966.

riosa monasticæ habitationis ædificia construxit, teste Dudone, ibique monachos *sub ærumnosa theorica vitæ palæstra* posuit, severioribus vitæ regularis legibus adstrictos. Id factum consilio Hugonis Roromagensis archiepiscopi & Radulfi comitis, assentiente etiam diœcesano episcopo Abrincensi: quibus Lotharii regis ac Johannis papæ XIII. accessit auctoritas. Monachorum cœtum istuc induxit Mainardus Fontanellensis ab annis quinque abbas, quem Richardus novæ hujus coloniæ primum rectorem esse jussit, non sine gravi dispendio Fontanellensis monasterii, recens ab eodem Mainardo instaurati, quod sub tribus rectoribus subsequentibus, quorum nomina [a] reticet vetus auctor, nullo rerum genere crevisse dicitur, immo in multis detrimenta sustinuisse, nimirum usque ad tempus Richardi secundi, cujus favore Fontanellensis domus refloruit. Hujus conspectum monasterii, quod instar cujusdam miraculi est, si non hoc loco, saltem alias Deo dante exhibebimus.

a Spicil. to. 3. p. 257.

III. Monachi apud S. Albinum restituti.

Quod in monte Tumba Richardus primus, idem præstitit Gaufridus Andecavorum comes in Andecavensi sancti Albini monasterio, ubi monachi jam dudum monasticam cucullam sæculari canonicorum toga mutaverant. Editæ sunt [b] hujusce restitutionis litteræ, in quibus Gaufridus, cognomento Grisagonela, gratia Dei, ut ipse ait, & senioris sui domui Hugonis largitione Andecavorum comes, assentiente fratre suo Widone abbate, scilicet Cormaricensi, qui ejusdem loci etiam [c] abbas erat, monasticæ religionis perfectionem, in suburbano tum monasterio sancti Albini, qualem olim ibidem floruisse fama erat, ait se velle restituere, pro remedio animæ Hugonis præsentis Francorum ducis, necnon parentum suorum Fulconis & Gerbergæ, eliminata inde canonica congregatione, quæ illic non dominicis, sed propriis lucris vacabat. *Præfecimus quoque*, inquit, *fratribus ejusdem loci boni testimonii bonæque conversationis abbatem, nomine Widboldum, qui dominico gregi, velut bonus pastor, diebus suis insistat, & post obitum quandoque ipsius, cum nostro generisque nostri futuri assensu, successor ei, qui a fratribus ejus electionis privilegio aptus inventus fuerit, substituatur.* Ad hæc ejus loci fratribus terram, quæ eidem abbatiæ subjacebat, restituit: ut sibi sæcularium bellorum turbinibus occupato Deus opem ferat, & interventu beati Albini post mortem ad cælestia regna pervenire valeat. Denique eisdem monachis id privilegii tribuit, *ut nulla in eorum terra vicaria dominetur potestas, nisi de furto, aut homicidio, seu incendio.* Harum porro rerum violatoribus graves pœnas, ter admonitis communionis ad quadriennium privationem; &, si induruerint, perpetuum anathema interminatur. His litteris subscribunt Hugo dux Francorum, Gaufridus ipse comes, Wido abbas ejus frater, Nefingus Andecavorum episcopus, Wido Suessionensis, Arduinus Turonensis, Rotbertus comes Tricassinus, Albericus Aurelianensis vicecomes, Waldricus Suessionum comes, & alii. Idem Gaufridus comes, fraterque ejus Wido abbas, sancto Albino duas quartas curtis Maironis, a comitibus Andecavensibus occupatas, restituunt pro anima patris sui Fulconis, & Gerbergæ ipsorum matris, teste Nefingo episcopo & aliis. Actum Andegavis civitate mense Martio.

b Spicil. to. 6. p. 421.

c V. lib. 46. n. 98.

IV. Clusini monasterii initia & primi abbates.

Eo tempore, quo monasterium sancti Michaëlis de Monte monachis concessum est, inceptum traditur aliud sancti Michaëlis cœnobium ad Clusam seu alpium fauces apud Taurinos, quod Hugo, nobilis ac præpotens Arvernus, cum ex urbe Roma ad patrios lares cum Isengarda conjuge rediret, magnis sumtibus construxisse memoratur. Totam rei gestæ historiam scripsit Willelmus Clusensis monachus, quam compendio hic referam ex apographo, quod V. cl. Stephanus Baluzius mihi communicavit. Exstat in Italiæ finibus mons quidam insignis, duodecim passuum millibus ab alpibus distans, vulgo Pyrchirianus dictus: cujus in cacumine ecclesia beato Michaëli archangelo ab Amizone Taurinorum episcopo nuncupata erat. Eidem monti ad aquilonem oppositus est mons Caprasius, ad quem Johannes quidam Ravennas, cognomento Vincentius, quem *in genitali solo* episcopali dignitate functum tradunt, solitariæ vitæ studio se recepit. Per id tempus Hugo nobilis Arvernus, pænitudine tactus nescio cujus facinoris a se commissi, ad limina Apostolorum proficisci statuit, indulgentiam a Romano pontifice percepturus. In facti piaculum spondet, se monasterium conditurum. Accepta indulgentia, cum Isengarda conjuge in patriam revertens, Segusiam * divertit, suique itineris causam & successum hospiti, veteri suo amico, exponit. Ille hortatur, ut monasterium in honorem sancti Michaëlis exstruat in Pyrchiriano monte, qui

* Susa.

ANN. CHR. 966.

duodecim millibus a Segusia spectabilis erat. Consilium revelationes utrique conjugi factæ confirmant. Lustrato ab eis loco & magnopere probato, Hardoinum marchionem, qui tredecim illinc millibus in Avilliano * castro residebat, ambo conjuges adeunt, & ab eo facultatem construendi cœnobii, ejusdemque libertatem quovis oblato pretio postulant. Libenter annuit princeps accepto pretio, ne futuris temporibus refragandæ libertatis ulla suboriretur occasio. His feliciter peractis, Hugo Johannem eremitam invisit, & ab eo recreatus, Segusiam ad hospitem revertit, incertus cui loci sibi concessi curam committeret, dum ipse e patria illuc revertisset. Illic forte aderat vir quidam religiosus, Advertus nomine, Arveus in Malliacensi chronico dictus, qui in Lezatensi monasterio prius abbatis officio functus, sed ab immorigeris monachis pulsus, tunc a liminibus Apostolorum revertens, in eodem hospitio diversabatur. Huic ob probatos mores Hugo locum illum committendum censuit. Ejus votis Advertus facile obsecutus, rudes illic casas pro loci asperitate ædificare cœpit, ibique modico contentus vixit usque ad reditum Hugonis. Hic tempore condicto rediit, necessariis ad monasterii fabricam impensis instructus. Sed quia montis illius situs exstruendo monasterio parum commodus videbatur, prædictum marchionem iterum convenit, ut villulam monti contiguam, Clusum nomine, quæ longe amœnior & commodior erat, ab eo compararet. quod cum impetrasset, prædia Clusæ contigua dato pretio acquisivit. Atque ut locus omnimoda libertate frueretur, non modo a principe, sed etiam a Taurinensi præsule, Amizone nomine, & a Romano pontifice privilegium obtinuit. Romanum illum pontificem modo Silvestrum, modo Nicolaum nominat Willelmus: sed Nicolaum crasso errore, cum nullus toto illo sæculo Nicolaus pontificatum tenuerit: Silvestrum haud scio an bene, ad cujus pontificatus tempus, id est ad decimi sæculi finem, forte Hugo non pervenit.

* Veillane.

Anno igitur DCCCC LXVI. *incarnationis dominicæ*, ut scribit ille auctor, *constructis, ut fertur, in eodem loco feliciter officinis cœnobialibus, prout erat possibile, cum ille vir illustris Hugo, in armis strenuus, sed in Dei rebus circa finem magis devotus, locum, quem sibi ut proprium vindicaverat, & apostolica auctoritate seu præceptis regalibus munierat, abbati dumtaxat ac monachis habendum tradidisset; postquam etiam sanctus Johannes eremita, necnon & bonæ memoriæ Advertus abbas migrassent ad Dominum; successit ei in regimine, fratrum consensu & electione, vir simplicitatis ac prudentiæ merito Benedictus & nomine*, qui ejus loci abbas secundus fuit. quibus verbis non satis clare explicat auctor, an incarnationis annus DCCCC LXVI. sit tempus conditi monasterii, an vero initi a Benedicto regiminis. at prior sensus omnino præferendus, cum Benedictus anno M XXXI. Lemovicensi concilio interfuerit, adeoque paullo ante annum DCCCC XC. abbatiam inierit, quippe qui annos XLIV. monasterium rexisse traditur. Hic moribus angelicis decoratus fuisse dicitur, & eximia refertus caritate, ita ut adventantes omnes hospitio liberaliter exciperet. Ejus tempore quamplurimi ex Ultramontanis ad eum conversionis gratia confluebant, rari ex Langobardis, qui monasticam severitatem non amabant. Ceterum aliorum monasteriorum consuetudines admittere nolebat Benedictus, ratus unam sancti Benedicti regulam monasterio perfecte instituendo sufficere; si quid addendum esset, abbatis relinquendum arbitrio. Hic sanctitatis fama clarus, monasterium, favente archangelo, rebus, personis & honoribus auxisse perhibetur, & annis quatuor & quadraginta strenue administrasse. Tale habuit sacer iste locus initium & incrementum, omnibus populis venerabilis, *exceptis Taurinensibus*, ait Willelmus, qui ei semper infesti fuisse dicuntur. Ad Hugonis genus quod attinet, is fuit ex stirpe Montis-Buxerii, testante in primis Gaufredo Vosiensi, ubi ait, Pontio abbati Cluniacensi successisse Petrum, cognomento Venerabilem, *qui descendit de stirpe illius Hugonis, cognomento Descousut*, id est Dissutus, *qui cœnobium sancti Michaëlis de Clusa condidit primus*. Ita hunc locum restituit, mihique communicavit amicus noster Baluzius. Ejusdem Hugonis filius Mauricius a Willelmo monacho laudatur, quem cum tota ejus familia testem rerum a se dictarum profert.

Auxerunt mirum in modum monasterii census ac reditus quam plures imperatores, reges, ac principes, necnon Taurinenses episcopi, eique multas abbatias & ecclesias subjecerunt: adeo ut in diplomate Innnocentii tertii centum & quadraginta minimum ecclesiæ ei subjectæ recenseantur: inter quas abbatiæ Pinerolii, Caburri, Caramaniæ, sancti Christophori Astensis diœcesis in Pedemontano prin-

ANN. CHR. 966.

cipatu; & in Gallia sancti Johannis Narbonensis, sancti Hilarii Carcassonensis, sancti Petri de Curte-Tolosana, pluraque alia monasteria numerentur. In hoc In„nocentii diplomate vir illustris Hugo, Arvernensis regionis indigena, hoc monaste„rium fundavisse dicitur in monte Pyrcheriano, quem ipse ab Arduino marchione „dato pretio comparaverat. Ejus loci præcipuum fuit ornamentum alter Benedictus „abbas, de quo suo loco.

Seniofredi comitis testamentum a *Marca Hisp.* p. 885.

Hoc anno, Lotharii regis duodecimo, Seniofredus * Barcinonensis comes testamentum condidit, quo plerisque illarum partium monasteriis amplissimas eleemosynas legavit, scilicet Rivipullensi, Arulensi, Rodensi, Campo-rotundo, Bocoranensi, sancti Pauli in comitatu Fenolietensi, Lenensi sancti Martini, Coxanensi, sancti Andreæ in comitatu Rossellionensi, sancti Sebastiani ad alveum Esnam, sanctæ Cæciliæ Barcinonensi, Urbionensi, sanctæ Mariæ Amerensi, & Cluniacensi.

V. S. Maurini corpus Coloniæ inventum.

Coloniæ-Agrippinæ in suburbano monasterio sancti Pantaleonis, cum sanctorum Pantaleonis, Cosmæ & Damiani oratorium, in quo beatus antistes Bruno humatus erat, ex caducitate corruisset; dum reponendo novi oratorii fundamento terra effoderetur, loculus inventus est, sancti Maurini abbatis & martyris reliquias continens, inclusus lapide sub hac inscriptione: HIC REQUIESCUNT OSSA BONÆ MEMORIÆ MAURINI ABBATIS ET MARTYRIS. QUI IN ATRIO ECCLESIÆ MARTYRIUM PERTULIT SUB DIE QUARTO IDUS JUNII. Amoto lapide in præsentia Folcmari archiepiscopi, qui eo invitatus advenerat, lignea inventa est arcula, jam carie obsita, ferreis revincta circulis: quibus resolutis, sanctæ memoriæ antistes prolata ossa, quæ martyrii notas & insignia præferebant, populo circumstanti ostendit, qui in jubilos lacrymis permistos effusus est. Martyris sanctitatem miracula subsecuta comprobarunt. In his Reginildis sanctimonialis e monasterio ancillarum Christi, extra muros urbis sito, *merito & officio nota*, quæ diutino capitis incommodo vexata, pæne oculorum lumine privata erat, viventem spiritum in mortuis ossibus experta est, & ad sancti bustum prostrata, integra sospitate donata. Sanctæ item memoriæ Gero, qui Folcmaro archiepiscopo postea successit, cum ossa sancti martyris, vino ex devotione intincta, in novo repositorio cum aliis collocaret, pie audax uno martyrem dente mutilavit, sed mox invisibili igne pœnas dedit, nec ante lenimen sensit, quam dentem vel invitus restituisset. Aderat huic spectaculo venerabilis Wolvereda virginum mater & abbatissa in monasterio sanctæ Mariæ, quod dicitur Novum, psalmorum cantica ex codice recitans, in quo Gero simul dentem deposuit & dolorem. Posita sunt ossa beati Maurini in oratorio sancti Benedicti sub die tertio idus Octobris: sed quis fuerit sanctus ille Maurinus abbas, quove tempore martyrium passus sit, ignoratur. Passionis ejus diem sollemni ritu celebrari sancivit Folcmarus archiepiscopus, qui ex contactu dentis ejus sanitatem recuperasse memoratur. Libellum de hac inventione scripsit, ac Christiano abbati sancti Pantaleonis nuncupavit *Stephanus*, ut se ipse vocat, *exiguus*, forte Italus ille scholasticus, qui Wirziburgi litteras docuit sub Poppone episcopo, ut legitur in vita sancti Wolfgangi Ratisponensis episcopi, qui ejus auditor fuit. Porro scriptus est hic liber post annum DCCCC LXXX. id est post mortem Geronis archiepiscopi, quem *sanctæ memoriæ* titulo Stephanus honorat.

VI. S. Maximini Trevir. abbates & illustres viri.

Florebat eo tempore in Trevirensi sancti Maximini monasterio Wiggerus abbas, qui hoc anno, id est DCCCC LXVI. supremum diem absolvit, haud mediocri, ait Browerus, relicta pietatis & virtutis opinione. Is sancti Maximini ope acuta & inveterata febri exemtus est. Illud inter ejus gesta præcipuum, quod monasterium apud Tavanam, haud procul a Saræ fluminis ripa, undecim fere supra Treviros passuum millibus, excitavit, viginti cœnobitis eo deductis, ubi hactenus sancti Maximini præpositura est. Wiggero suffectus Asolfus, Asolfo Thietfridus, Ogonis secundi antecessor. Sub his & præmissis abbatibus multi pietate & doctrina, necnon rebus gestis illustres viri ex sancti Maximini asceterio prodierunt. Ex his præcipui sunt sanctus Adalbertus Russorum apostolus, dein Magdeburgensis primus antistes; Anno & Otwinus Magdeburgenses primum unus post alterum abbates, postmodum episcopi, Wormatiensis alter, alter Hildensheimensis; denique abbates non pauci ad alia monasteria vel instituenda, vel in melius restituenda vocati: ut Sandradus ad Gladbacense, Hartwicus ad Tegernsense, & Ramvoldus ad Ratisponense sancti Emmerammi, de quibus inferius agemus, de sancto Poppone ejusdem loci abbate in sæculo sequenti.

ANN. CHR. 966.

Cum annos viginti-septem Corbeiæ-novæ monasterio præfuisset Gersmus * seu Gerbernus abbas, vitæ mortalis cursum tandem absolvit xiv. kalend. Aprilis anni superioris. Ejus successor Lindolfus, qui annis viginti-sex illud cœnobium rexit, a Ditmaro non uno in loco laudatur, maxime ob revelationes ei factas de mortibus Willelmi Moguntini, & Geronis Coloniensis archiepiscoporum; item Geronis comitis: pro quibus pius abbas missas celebravit, ac preces a suis fieri curavit. Ex his Ditmarus infert ejus meritum, *cui multum vigiliis, jejuniisque laboranti plurima Deus dignatus est revelare*. Aliud ejus rei exemplum inferius referemus. Sub Liudolfo florentissima fuit illic disciplina regularis & academia litterarum, isque scholas Saxonicas, quæ ad Corbeiensium curam spectabant, studiose lustravit. — VII. Corbeiæ-novæ abbates. a *V. lib. 45. n. 14.*

Hoc anno Berengarius, quondam Italiæ rex, exsul in Saxonia moritur, & Babenbergæ regio more sepelitur. Willa ejus conjux, antequam rex sepeliretur, *sibi velum sanctimoniale assumsit*, ut legitur in appendice Reginonis: sed quo in cœnobio vixerit, non proditur. — Willa regina velum sumit.

Eodem anno, antequam Otto imperator in Italiam iret, Mathildis, unica ejus filia, decus sanctimonialium, communi *consensu cleri & populi religiosissimæ congregationis sancti Servatii*, Quindeliburgensis abbatissa electa est, præsentibus Ottone patre, & matre Adeleida imperatrice, aviaque sua Mathilde regina, necnon Ottone rege fratre suo, cunctisque optimatibus regionis illius, *non uno, uti moris est, episcopo, sed cunctis regni archiepiscopis & episcopis in unum collectis*, benedicta est. Hanc Witichindus monachus in præfatione annalium *reginam* vocat, eamque flore virginali ac sapientia singulari, non minus quam genere illustrem fuisse dicit. Jam non semel observavimus, regum filias, quamvis cælibes, olim reginas appellatas fuisse. — Mathildis abbatissa Quindeliburgensis.

In Anglia Turketulus Crulandensis abbas duplex pro suo monasterio privilegium obtinuit, unum regium ab Eadgaro rege, alterum episcopale a Dunstano & Osketulo archiepiscopis, ut brachii sæcularis & spiritualis auctoritatis clypeo ejus monasterium muniretur. Utrique privilegio præter regem, episcopos & magnates subscribunt Alstanus abbas Glasconiæ, Ethelgarus abbas Novi-monasterii Wintoniensis, Wlfinus seu Wlsinus abbas sancti Petri Westmonasterii extra Lundoniam, & Merwenna abbatissa Merhamensis: & præter hos posteriori subscribunt Oswardus abbas Eveshamensis, & Wlwina abbatissa Merhamensis, quæ Merwennæ adhuc viventi data erat coadjutrix. His ita constitutis, Turketulus abbas, jam ætate provectior, statuta edidit pro monasterii sui optimo regimine, partim ex antiquis accepta, partim de novo adinventa. In primis totum monachorum cœtum in tres distinxit ordines, juniorum, provectorum, ac seniorum, ac singulis sua munia ordinibus assignavit. Juniores ab ingressu monasterii ad annum in ordine vicesimum-quintum omnia chori, claustri, ac refectorii officia exsequi debebant. Provecti ab anno vicesimo-quarto ad sexdecim annos minoribus officiis cantoris, epistolæ & evangelii, & ceteris minoribus laboribus exemti erant: sed alia chori, claustri & refectorii onera subibant. Seniores ad annum quinquagesimum in ordine his omnibus absoluti erant, præterquam cursu missarum, quæ cum nota canebantur. Ab anno quinquagesimo *Sempectæ* dicebantur, habebantque in infirmitorio honestam cameram cum famulo clerico vel sæculari, qui eis victum ex infirmorum coquina ministrabat. De cetero omnis eis honor ac reverentia tribuebatur. Hæc statuta, in capitulo publice promulgata & approbata, in fine regulæ Turketulus jussit apponi, ut omnibus palam innotescerent. — VIII. Crulandiæ privilegia confirmata. Monasterii qualis disciplina.

Qui prædictis Crulandæ privilegiis subscripsit Wlfinus Westmonasteriensis abbas, postea creatus est Schireburnensis episcopus; atque adeo corrigendus Godwinus, qui ejus obitum anno DCCCCLVIII. collocavit. Immo vero adhuc in vivis erat anno M I. quo anno diplomati [b] Æthelredi regis subscripsit. Eidem recens ordinato episcopo Dunstanus insignem epistolam paræneticam scripsit, qua eum monet, ut « ne lingua ejus cesset in prædicando; non pes in circumeundo gregem sibi commis- « sum; non manus a laborando & tribuendis eleemosynis. Non eum sæculi pompa « exaltet, non ciborum luxus enervet, non vestimentorum vanitas emolliat, non adu- « lantium lingua decipiat, non detrahentium convicia conturbent; non tristia fran- « gant, non læta elevent. Tempus statuatur lectioni, & oratio suas habeat horas, & « missarum sollemnia suum tempus. In summa, timorem Dei semper præ oculis ha- « — IX. Wlfinus episcopus Schireburnensis. b *Monast. Anglic. to. 1. p. 117.*

ANN. CHR. 966.

beat, & liber pastoralis beati Gregorii papæ sæpe legatur. Ubi sedem episcopalem subiit Wlsinus, ejectis clericis monachos substituit, quibus nihil ad victus necessitatem ex episcopatu largitus est, sed ex alieno mercatus. Abbatem quoque cathedralibus illis cœnobitis instituere in animum induxerat: sed illis reclamantibus, quod ejus regimine carere nollent, cessit invitus, magnarum id calamitatum principium & causam fore pronuntians.

X. Rudesindo commissa Compostellana ecclesia.

Per id tempus Compostellana ecclesia per Sisenandum, Rudesindi Dumiensis episcopi consanguineum, regebatur, hominem flagitiosum, ludis aliisque vitiis deditum, qui clero non magis, quam regi Sancio & proceribus infensus erat. Hic sæpius admonitus, cum nullo modo resipisceret, regis jussu in carcerem conjectus est, ejusque episcopatus Rudesindo, quamtumvis reluctanti, commissus. At, rege paullo post mortuo, Sisenandus vinculis confractis e custodia egressus, Rudesindum ipsa nocte nativitatis Domini stricto gladio aggressus, ei mortem minatur, nisi episcopatum deserat. Ille vero gravissimis verbis hominis temeritatem arguit, eique mortem brevi eventuram prædicit; ac statim Compostella egressus, se recepit ad monasterium sancti Johannis de Cabero, in Mindoniensis episcopatus profunda valle ab ipso ædificatum, quod postmodum transiit ad canonicos regulares. Illic oranti cælitus revelatum est, ut cœnobium in opido Villaris prope Limiam exstrueret, qui locus in amœna valle ac frugifera situs, ex hereditate majorum ipsi obvenerat. Ivit, moxque operi manum admovit, atque intra octo annos monasterium absolvit, Cellæ-novæ nomine insignitum: cui Franquillam sanctissimæ vitæ abbatem præfecit, e Silensi sancti Stephani monasterio evocatum: a quo sanctus antistes, episcopali pompa deposita, monasticum habitum accepit, regulam sancti Benedicti professus. Sub tali ac tanto magistro, qui speculum omnium virtutum fuisse dicitur, mirum est quantos in omni virtutum genere profectus fecerit Rudesindus, jam antea non vulgari probitate præditus. Is præ ceteris intentus erat psalmodiæ, vigiliis & obedientiæ, quamvis in Gallicia regias vices exerceret.

Cella-nova ab eo condita. — *Rudesindus fit monachus.*

ANN. CHR. 957.

XI. Bonæ-vallis cœnobium instauratur.

COmmunem ceterorum Galliæ sortem subierat Bonæ vallis Castridunensis apud Carnutenses pagi monasterium, & pæne ad excidium redactum erat: cum Odo clarissimus ac pius comes de eo instaurando serio cogitare cœpit. Renovatis ædificiis, Waldricum illic abbatem instituit, ejusque loci monachis ad victus supplementum inter alia Brajacum dedit, ad Sequanam situm in agro Senonensi, hereditario jure a quodam Borcardo sibi relictum, cum ecclesia sancti Salvatoris, in qua sancti Paterni monachi & martyris reliquias collocatas fuisse superius [a] diximus. Eo in loco hactenus cella est, Bonæ-vallensi abbatiæ subjecta. Sub hæc Lotharius rex, rogatu ejusdem Odonis comitis necnon Hugonis gloriosissimi ducis sub suam protectionem recepit hoc monasterium, in quo *candidatus grex monachorum* degebat. *Datum nonis Julii regnante domno HLothario rege, anno xiij. indictione x. Actum Verberiaco palatio.* quod diploma Gero notarius ad vicem Odelrici archiepiscopi summique cancellarii recognovit. Subscribunt præter regem Odo comes, Odo ejus filius, Goffredus seu Gaufredus vicecomes, Harbertus comes, Harduinus & Rotrocus. Porro Odo comes hoc præceptum fieri rogavit pro remedio animæ suæ, uxoris & filiorum, necnon & Gaufredi vicecomitis fidelis sui. Hic est Gaufridus Castridunensis vicecomes, qui pro redemtione animæ suæ & uxoris Hermengardis sanctis martyribus Florentino & Hilario Bonæ-vallis patronis alodum suum in Villa-situata contulisse dicitur: cujus exemplo filius ejus Hugo proximam villam Buxeriam eisdem donavit.

[a] lib. 46. n. 7.

XII. Guerno Bellilοci abbas.

Tunc Bellilocense apud Lemovices monasterium regebat Guerno abbas, Bernardi [b] successor, cojus tempore Ebolus quidam cum uxore sua Ermengarde, nonnulla prædia eidem monasterio largitur apud Candidas villam pagi Lemovicensis in vicaria Altiliacensi, & in aliis locis; reservato sibi usu-fructuario sub annuo censu, in festivitate sancti Petri ejus loci patroni persolvendo. Facta hæc cessio seu donatio *in mense Februario, anno xiij. regnante Lothario rege.* Eodem abbate Remigius quidam similiter unum mansum, *in orbe Lemovicino* situm, in villa quæ dicitur *Arnolz*, dedit *Deo & Salvatori omnium in honore beati Rameriі, qui de ipso loco præpositus fuit, & propter hoc, quia ipse virtutem magnam omnibus, qui aderamus,* » ait Remigius, *ostendit*, cum adolescens quidam contractus, ad ejus tumulum deportatus

[b] sup. lib. 44. n. 105.

B. Rамerus ejus loci præpositus.

ANN. CHR. 967.

portatus, *ipsius intercessione* sanatus est in festivitate sancti Martialis, & cum magna facilitate ad altare sancti Petri currendo pervenit. Sanctus Rametius iterum laudatur in alia charta Rainulfi & Getardi, aliorumque *Hugonis quondam defuncti* eleemosynariorum, qui res quasdam pro remedio animæ ipsius tradunt *sacrosanctæ basilicæ sancti Petri monasterii, ubi vir venerabilis Guerno, & Geraldus abbates præesse videntur*, excepta quadam vinea, quæ *sancto Rameño* antea donata fuerat. Hæc charta caret notis chronologicis: sed ex ea patet, duos simul abbates, ut in Cluniacensi, sic in Bellilocensi monasterio tunc exstitisse, Guernonem scilicet & Geraldum, quem ille sibi coadjutorem adoptaverat. Geraldus solus abbas nominatur in alia charta cujusdam Ragamfredi, Bellilocensi monasterio tribuentis quoddam mansionile apud Podiomeranum, situm *in orbe Caturcino, in vicaria Casiliacensi, ad fatrarium*, id est *ad luminaria concinnanda, & ad missas sacrosanctæ canendas, & ad sacrificium benedicendum*. Facta cessio in mense Decembri *sub Lothario rege*. Eodem modo Geraldus & Adalgisus simul abbates Belli-loci erant, cum Gausbertus quidam vineam suam apud Pagaciacum *in orbe Lemovicino, in vicaria Asnacensi* donat *in mense Maio, regnante Lothario rege*. Ad hæc *breve memoriale* fecerunt *Geraldus & Adalgarius abbates*, idem forte qui Adalgisus, de rebus ac possessionibus Bellilocensis monasterii. In iis locis, in quibus justitiæ potestatem habebant, judices servos instituunt, ea lege, *ut nullus ex illis vel ex posteris eorum efficiatur miles, neque ullus portet scutum, neque spadam, neque ulla arma, nisi tantum lanceam & unum esperonem. Non habeant vestes scissas ante aut retro, sed tantum clausæ fiant.* Idem Geraldus, mortuo forte Adalgiso, Bernardum quoque coabbatem habuit, uti probant cujusdam Gausleni litteræ, quasdam res suas Bellilocensi monasterio, cui Geraldus & Bernardus abbates tunc præerant, conferentis, retento sibi, duobusque filiis suis usu-fructuario, sub annuo censu, scilicet *modii de vino* a se persolvendo ad missam sancti Martini; a filiis vero suis centum solidorum. si autem solvendo non sint, eas res teneant *ad obedientiam*. quæ vox in chartis Bellilocensibus sæpius occurrit. Actum mense Maio, *regnante Lothario rege*. Hic mihi videtur esse Bernardus abbas, qui postea Caturcensis episcopus creatus est. Superstes erat Geraldus abbas anno tricesimo Lotharii regis.

Belliloci duo simul abbates.

Judices apud eos quales.

XIII. Manumissio per Johannem S. Arnulfi abbatem.

Actum est superius [a] de donatione Mauri-villæ, quæ monasterio sancti Arnulfi Mettensi cum suis colonis a Regembaldo perillustri viro tradita est tempore Anstei abbatis. Huic ante annos septem successit venerabilis Johannes, quem supplices convenerunt ejus villæ incolæ, rogaturi, ut ipsos ingenuos redderet, & certas servitutis leges, quibus monasterio obnoxii tenerentur, sibi præscriberet, ut definite scirent, quid a se deinceps exigi, quid ipsi præstare deberent. Consultis hac de re fratribus, auctore etiam viro clarissimo Theodebetto palatii [b] comite, ipsiusque monasterii advocato, decrevit idem abbas, ut more aliorum eidem monasterio subditorum ingenui hac lege in posterum censerentur, ut ex singulis mansis uncia argenti penderetur; unusquisque vero mansus *anzingam integram faceret*, id est terram arabilem, *perticas decem pedum habentem, quatuor in transverso, quadraginta in longo*, ut habet lex Bajuvariorum. Ad hæc ut singuli mansi faciant *in corrogata* * *dies duos; ad utramque sationem in prato dies duos, noctes quoque septem; in carropera* *, *ex quocumque servitio indicitur; carra duo*, & quædam alia. *Actum Mettis publicæ nundinis annalibus sub die xvij. kalend. Septembris, anno imperii Ottonis vj. regni vero junioris Ottonis vij. præsulatus domni Theoderici egregii antistitis tertio, duce illustrissimo Friderico, indictione x.* Anonymus auctor, qui libellum de abbatibus sancti Arnulfi scripsit, duos distinguit Johannes, unum post alterum abbates; & priorem quidem cum beato Johanne Gorziensi abbate confundit; posteriori vero prædictam tribuit emancipationem. Verum unus & idem mihi videtur Johannes abbas ejus loci tertius, qui Ansteo successit; idemque mox dictæ manumissionis auctor, vir, ut illis temporibus, doctrina & eloquentia clarissimus, & gravis auctor, qui librum de gestis sancti Johannis abbatis Gorziensis, & alium de vita sanctæ Glodesindis, aliaque nonnulla composuit. Hic sui monasterii famam jam ubique celebrem, studio litterarum adeo nobilitasse & prolatasse dicitur, ut non solum ex proximis civitatibus, verum etiam ex Saxoniæ atque Bajoariæ partibus undecumque ad ejus magisterium confluerent: ex quibus nonnulli & vitæ merito, & sapientiæ excellentia postmodum ad episcopatus apicem, & ad regenda monasteria assumti sint.

[a] lib. 46. n. 12.

[b] ibid. n. 36.

* corvée.

* charoy.

ANN. CHR. 967. XIV.

Concordia monasteriorum in Anglia.

In Anglia rex Eadgarus non solum leges ecclesiasticas condidit hoc anno, reformandis Anglicanis ecclesiis convenientes, sed etiam Concordiam ejusdem nationis monachorum ac sanctimonialium nostri ordinis: ut in omnibus uniformis ubique vivendi ratio servaretur. Johannes Seldenus latine ac saxonice hanc primus
» vulgavit Concordiam, in cujus procemio rex ait, se ab ineunte ætate a quodam
» abbate, haud dubie Dunstano, commonitum fuisse, ut regni statum ad christianæ
» perfectionis statum componeret; &, comperto, quod sacra cœnobia in diversis
» regni sui locis diruta, ac pæne divino servitio destituta essent, Dei compunctum
» gratia cum magna animi alacritate ea instaurasse; ejectisque negligentium clerico-
» rum spurcitiis, non solum monachos, verum etiam sanctimoniales, patribus, ma-
» tribusque præpositis, ad Dei famulatum in illis locis constituisse; seque monachis
» protectorem ac defensorem; Alfritham vero conjugem suam sanctimonialibus exhi-
» buisse. quo facto, tam abbates, quam abbatissæ, cum sibi subjectis fratrum soro-
» rumque collegiis, una quidem fide, sed non uno consuetudinis usu, sanctorum pa-
» trum vestigia certatim sequi studuerint. Verum, ut ad uniformem ritum utrosque
» adduceret Eadgarus, Wintoniæ synodale concilium fieri decrevit, in quo una ea-
» demque forma vivendi eis præscripta est, incongruum existimans, ut dissimilem
» ac varium usum unius regulæ in una eademque regione sectatores tenerent. Itaque
» tam piis tanti regis monitis acquiescentes abbates & abbatissæ, *accitis Floriacensis*
» *beati Benedicti, necnon præcipui cœnobii, quod celebri* Gent *nuncupatur vocabulo*, id
» est Blandiniensis, *monachis*, quæcumque ex eorum moribus magis congrua visa sunt,
» colligentes, has morum consuetudines in unum corpus redegerunt, easque in suis
» monasteriis observari sanxerunt.
» In primis constitutum est, ut in singulis monasteriis quoddam oratorium esset,
» in quo secretæ orationes fieri possent. Deinde, ut nullus monachorum vel cujusvis
» altioris, inferiorisve gradus vir, sanctimonialium secreta ingredi auderet; & qui eis
» præessent, caute admodum ad eas accederent. Tertio, ut in divinis officiis cantus
» non sit præceps, ne *nimia velocitate* Deus potius ad iram, quam ad misericordiam
» provocetur; sicque distincte psallatur, ut, sicut beatus pater noster Benedictus mo-
» net, mens nostra concordet voci nostræ. Quarto, ut nihil agatur, nisi quod com-
» munis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla. Quinto, ut abbatum,
» abbatissarumve electio sit omnino libera. Episcoporum vero electio, ubicumque in
» sede episcopali *monachi regulares* conversantur, eodem modo agatur, si *tanti pro-*
» *fectus monachus* ibi reperiri potuerit; *nec alio quolibet modo, dum ejusdem sunt con-*
» *versationis, præsumatur.* Si porro talis, qui tanti gradus honore dignus sit, in eadem
» congregatione reperiri non potuerit, *ex alio noto monachorum monasterio*, concordi
» regis & fratrum consilio eligatur. Ordinatus porro episcopus *in omnibus eumdem*
» *modum regularem cum monachis suis, quem abbas tenet regularis*, diligentissime ob-
» servet. Sexto, ne quis sæcularium, præter regem ac reginam, ullam dominatio-
» nem in monasteria exerceat: *ne ad magni ruinam detrimenti, uti olim acciderat, mi-*
» *serabiliter deveniant.* Septimo, ut abbatibus & abbatissis ad regem, quoties e re
» monasterii sui erit, *cum Dei timore & observatione regulæ* accedere liceat. Octavo,
» ut iter agentes non otiosis fabulis vacent, sed vel psalmodiis, vel necessariis de re-
» bus colloquiis: horas autem regulares, *non equitando, sed de equis desiliendo genu*
» *flectentes, nisi dies festiva fuerit, convenienter, ut potuerint, cum divina compunctione*
» *compleant.* Ceterum in itinere non juvenculos, sed adultos, quorum exemplo ac
» monitis meliores fiant, secum ducant. Nono, ut ne in monasterio non solum fra-
» tres, sed etiam abbates puerulos vel adolescentes amplexentur vel osculentur, sed
» reverenter cum magna cautela diligant. Decimo, ne villas absque necessitate va-
» gando frequentent; neu sæcularium mensas, præterquam in itinere, adeant. De-
» nique ut victum cum pondere, mensura & numero; vestitum, jejunium, abstinen-
» tiam, silentium, obedientiam, & cetera vitæ regularis exercitia ex regulæ præscri-
pto servent. quæ omnia monachi & sanctimoniales accurate se observaturos polliciti sunt. His omnibus addita erant duodecim capitula, quæ Seldenus omisit, subjecta sanctione, qua rex prohibet, ne abbates & abbatissæ prætextu relevamenti seu tributi, quod, demortuis cœnobiarchis, fisco pendi solebat, quodque in posterum rex
» solvi vetat, pecuniam sibi reservent; hortaturque, ut monasteriorum patres matres-
» que, quæcumque super usus necessarios restiterint, per manus pauperum in cælef-

AN. CHR. 967.

tes recondant thesauros: si quæ vero post eorum obitum superfuerint, *non propinquis carnalibus vel tyrannis sæcularibus*, ut antea mos erat, dividantur; sed necessitatibus fratrum & pauperum impendantur. Dunstanus auctor censetur prædictæ Concordiæ, quam Clemens Reynerus recudit cum capitulis duodecim omissis a Seldeno, divina officia spectantibus.

Merewina abbatissa & Eadburga virgines sanctæ.

Hoc item anno rex Eadgarus in monasterio Rumesiæ, quod avus suus rex Anglorum senior Edwardus exstruxerat, sanctimoniales collocavit, & Merewinam abbatissam eis præfecit, quæ illic sanctissime vixit. Eodem tempore Eadburga, Edwardi senioris filia, floruit in parthenone Wintoniensi. Hæc, cum trimula esset, egregium futuræ sanctitatis specimen dedit. nam calice & evangelio ex una parte, ex altera armillis & monilibus a patre oblatis, jussa dicere utrum eligeret, primum prætulit. quod pater divinitus factum intelligens: Vade, inquit, quo te vocat Deus, sequere fausto pede quod elegisti. Ita sanctimonialium habitum induta, cunctas sodales suas ad amorem sui sedulis obsequiis invitavit. Ejus sanctimoniam subsecuta miracula comprobarunt. Quasdam ipsius reliquias servabat Perscorense monasterium, quod tempore Eadgari regis dux Egelwardus Dorsatensis condidit.

XV. Pragensis episcopatus erectio.

Hoc ipso anno, idibus Julii, dux Boëmiæ Bolezlaus, cognomento Sævus, male partum fraterno sanguine Wenezlai ducatum eum vita amisit: cui filius ejus æquivocus, patri moribus longe dissimilis, in principatu successit. Erat enim vir maxime christianus & catholicus, orphanorum pater, defensor viduarum, clericorum & peregrinorum alumnus, præcipuusque ecclesiarum fundator. quippe qui viginti ecclesias erexisse, ac dotasse perhibetur. Huic erat soror, Mlada nomine, virgo sacra, litteris apprime erudita; quæ Romam profecta orationis causa, & a Johanne pontifice benigne accepta, ibidem aliquamdiu morata, monasticis disciplinis imbuta est. Dein pontifex consilio cardinalium, novæ ecclesiæ formam dare volens, eam consecravit abbatissam, data ei sancti Benedicti regula cum pastorali virga, eamque Mariam mutato nomine appellavit. Idem pontifex ducis rogatu episcopatum Pragæ erexit, scriptis hac de re *Boleslao catholicæ fidei alumno* litteris, quas revertenti in Boëmiam Mariæ consignavit, ad fratrem ejus perferendas, ex quibus hæc verba huc afferre juvat. *Filia nostra, soror tua, inter ceteras haud obnegandas petitiones, cordi nostro dulces intulit ex parte tui preces, scilicet ut nostro assensu in tuo principatu, ad Dei laudem & gloriam ecclesiæ, liceret fieri episcopatum. quod nos utique læto animo suscipientes, Deo gratias retulimus, qui suam ecclesiam semper & ubique dilatat, & magnificat in omnibus nationibus. Unde apostolica auctoritate & sancti Petri potestate, cujus, licet indigni, tamen vicarii sumus, annuimus & collaudamus, atque incanonizamus, ut ad ecclesiam sancti Viti & sancti Wenezlai martyrum fiat sedes episcopalis: ad ecclesiam vero sancti Georgii martyris, sub regula sancti Benedicti & obedientia filiæ nostræ, sororis tuæ, constituatur congregatio monialium. Verumtamen non secundum ritum aut sectam Bulgaricæ gentis, vel Ruziæ, aut Slavonicæ linguæ; sed magis sequens constituta & decreta apostolica unum potiorem, ad placitum ecclesiæ totius, eligas in hoc opus clericum, latinis adprime litteris eruditum: qui, uti vomere, novalia cordis gentilium scindere, & triticum bonæ operationis serere, atque manipulos frugum vestræ justitiæ Christo reportare sufficiat.* His acceptis pontificiis litteris, statim consilio ducis & abbatissæ ecclesia sancti Viti futuro decernitur episcopo; ecclesia vero sancti Georgii martyris Mariæ abbatissæ traditur. Electus ad novam sedem eruditus ac religiosus sacerdos Saxonicus, Ditmarus nomine, professione monachus, Slavonicæ linguæ peritus, qui olim Pragam orandi gratia venerat, & ducis familiaritatem assecutus erat. Hunc itaque, per legatos evocatum, a clero & populo dux eligi curavit, eumque ad Ottonem imperatorem direxit cum litteris, rogans, ut episcopus Boëmis ordinaretur. Tam justæ petitioni assensit imperator; ejusque præcepto Ditmarus a Moguntino archiepiscopo, haud dubie Rotberto, Pragæ consecratus est. Hic ecclesias multis in locis a fid[illegible] exstructas dedicasse, & multos gentiles baptizasse dicitur in chronico Saxonico nondum edito, ex quo hæc omnia jam in actis sanctorum nostrorum retulimus. Æneas Silvius Miladam laudat, & Ditimarum seu Ditmarum primum Pragensis ecclesiæ antistitem, uti & Dubravius, qui *Detmarum* e Saxonia oriundum, ibidemque sacris & religione apud sodales Magdeburgenses initiatum fuisse dicit, nempe in sancti Mauricii mo-

Mlada Boleslai soror fit monacha & abbatissa.

Ditmarus monachus novæ sedis electus episcopus.

ANN. CHR. 967.

nasterio, cujus alumnus erat ante translatos monachos in montem sancti Johannis: qua de translatione paullo infra agemus. Hæc continenter referre libuit, tametsi Ditmarus non ante annum DCCCC LXXIII. electus videatur.

XVI. *Ottonis junioris coronatio.*

Hoc autem anno DCCCC LXVII. Otto imperator Ravennæ cum Johanne summo pontifice concilium habuit; indeque legatos misit ad Willelmum Moguntinum antistitem & ad alios Germaniæ principes, ut Ottonem filium suum ea, qua par erat, pompa in Italiam adducerent. Adductum pater Romam perduxit, eumque a pontifice imperialibus titulis & ornamentis die natali Christi Domini insigniri curavit.

Lunæburgi & Keminadæ monasteria.

Eodem anno, Slavis devictis, cæsoque eorum duce Wigmanno, imperator spolia ex eo reportata duas in partes dividi jussit, quarum alteram monasterio, quod Herimannus Saxoniæ dux Lunæburgi in Saxonia condiderat; alteram vero abbatiæ, quæ Keminada vocatur, juxta Wisaræ fluvium sitæ, concessit. quæ duo cœnobia, eo favente ac regali auctoritate comprobante, paullo ante constructa fuerant. Itaque Lunæburgense sancti Michaëlis monasterium, cujus constructionem ad quinquiennium differt Trithemius, ante hunc annum jam conditum erat: cujus primus abbas Liudericus assumtus a Trithemio dicitur e Coloniensi sancti Pantaleonis monasterio, quod ante annos tantum abhinc undecim ædificatum erat. Ceterum, dum Otto Ravennæ moraretur, castellum Romanianum cum liberis hominibus, *qui vulgo* [a] *Heremitani dicuntur*, contulit Veronensi sancti Zenonis monasterio *ad sanctorum prabendam monachorum. Datum viij. kal. Octobris, anno dominica incarnationis* DCCCC LXVII. *imperii ejus vj. indictione xj.* a Septembri inchoata. *Actum Ravenna feliciter.*

[a] Ital. sac. to. 5. c. 655.

XVII. *Roswitæ carmen de Ottone.*

Desinit in hoc anno carmen Roswitæ seu HRoswitæ, nostri ordinis poëtriæ nobilis, de Ottone primo imperatore; desinit, inquam, in Ottonis juvenculi regis coronatione, quæ hoc anno facta est, superstite adhuc Willelmo Moguntino archiepiscopo, cujus judicio Roswita poëma suum subjicit ante annum sequentem, quo idem antistes e vita migravit. Hæc poëtria, Saxonica genere, in Gandersheimensi cœnobio ab ineunte ætate instituta, primo Richardem, deinde Gerbergam regiam puellam, magistras habuit, quibus ipsa in docendi munere ibidem successit. Id discimus ex ejus præfatione ad vitam beatæ Mariæ virginis, cujus textum confecit ex sententiis scripturarum, *quas intra aream Gandersheimensis collegerat cœnobii, primo sapientissima atque benignissima Rikardis magistræ, aliarumque suæ vicis instruente magisterio; deinde prona favente clementia regiæ indolis Gerberga, cujus nunc*, inquit, *subdor dominio abbatiæ, quæ ætate minor, sed, ut imperialem decebat neptem, scientia provectior, aliquot auctores, quos ipsa prior a sapientissimis didicit, me admodum erudivit.* Non alieno itaque magisterio Gandersheimenses illæ erudiebantur, sed ipsæ suis magistræ erant, nec id muneris etiam regiæ virgines respuebant. Gerberga, cujus hic mentio, secunda erat ejus nominis abbatissa, ordine sexta, quæ Wendelgardæ successerat. Wendelgardam præcesserat Roswinda seu Roswita quarta abbatissa, quam insigni errore confundunt nonnulli cum Roswita poëtria, quæ sub Gerberga sexta abbatissa vivebat. Hæc carmen panegyricum Ottonis inscribit in hunc modum: *Gerberga illustri abbatissa, cui pro sui eminentia probitatis haud minor obsequela venerationis, quam pro insigni regalis stemmate generositatis, HRoswith Gandersheimensis, ultima ultimarum sub hujusmodi personæ dominio militantium, quod famula heræ.* Ejus mandato hoc carmen aggressa est, de quo ita sentit Cuspinianus. *Res gestas Ottonis Roswitha monialis complexa est versibus, qui, licet sint, ut tempora ferebant, neque elegantes, neque satis culti; mirandum tamen est ingenium muliebre, in Saxonia, & in ipsa barbaria educatum & genitum, id præstare potuisse.* Multa scripsit, tum prosa oratione, tum metro, quæ Trithemius singillatim recenset. In his comœdias quasdam sacras exemplo Terentii, quarum una est de Gallicano principe militiæ, cui præmissa est auctoris epistola ad quosdam sapientes ejus fautores, in qua sic de se ipsa mentem suam aperit. *Inter hæc diversis affectibus, gaudio scilicet & metu, in diversum trahor. Deum namque, cujus solummodo gratia sum id quod sum, in me laudari corde tenus gaudeo: sed major, quam sim, videri timeo. quia utrumque nefas esse non ambigo, & gratuitum Dei donum negare, & non acceptum accepisse simulare. Unde non denego, præstante gratia Creatoris, me artes scire, quia sum animal capax disciplinæ: sed per energiam fateor omnino nescire.* Hæc illa

ANN. CHR. 967.

non minus modeste, quam pie. Quæ causa eam impulerit, ut Terentium imitaretur, aperit in sequenti epistola, quam hic integram, quia non facile occurrit, referre quoddam operæ pretium duxi, non propter cultum sermonis, qui sane impolitus & salebrosus est, sed propter sententiæ ipsius Roswitæ gravitatem. sic autem habet,

Plures inveniuntur catholici, cujus nos penitus expurgare nequimus facti, qui pro cultioris facundia sermonis, gentilium vanitatem librorum utilitati præferunt sacrarum scripturarum. Sunt etiam alii sacris inhærentes paginis, qui licet alia gentilium spernant, Terentii tamen figmenta frequentius lectitant; & dum dulcedine sermonis delectantur, nefandarum notitia rerum maculantur. Unde ego, clamor validus Gandershemensis, non recusavi illum imitari dictando, quem alii colunt legendo, quo eodem dictationis genere, quo turpia lascivarum incesta feminarum recitabantur, laudabilis sacrarum castimonia virginum, juxta mei facultatem ingenioli, celebraretur. Hoc tamen facit non raro verecundari, gravique rubore perfundi, quod hujusmodi specie dictationis cogente, detestabilem illicite amantium dementiam & male dulcia colloquia eorum, quæ nec nostro auditui permittuntur, accomoda dictando mente tractavi, & stili officio designavi: sed, si hoc erubescendo negligerem, nec proposito satisfacerem, nec innocentium laudem adeo plene juxta meum posse exponerem: quia quanto blanditiæ amentium ad illiciendum promptiores, tanto & superni Adjutoris gloria sublimior & triumphantium victoria probatur gloriosior: præsertim cum feminea fragilitas vinceret & virilis* robur confusioni subjaceret. Non enim dubito mihi ab aliquibus objici, quod hujus vilitas dictationis multo inferior, multo contractior, penitusque dissimilis ejus, quem proponebam imitari sit. Illorum concedo sententiis; ipsis tamen denuntio, me in hoc jure reprehendi non posse, quasi his vellem abusive assimilari, qui mei inertiam longe præcesserant in scientia sublimiori. Nec enim tantæ sum jactantiæ, ut vel extremis me præsumam conferre auctorum alumnis: sed hoc solum nitor, ut, licet nullatenus valeam apte, supplici tamen mentis devotione acceptum in datorem retorqueam ingenium. Ideoque non sum adeo amatrix mei, ut pro vitanda reprehensione, Christi, qui in sanctis operatur, virtutem, quacumque ipse dabit posse, cessem prædicare. Si enim alicui placet mea devotio, gaudebo: si autem vel pro mei abjectione, vel pro vitiosi sermonis rusticitate nulli placet, memet ipsam tamen juvat quod feci: quia dum proprii utilitatem laboris in aliis meæ scientiæ opusculis heroico ligatam strophio, in hoc dramatica vinctam* serie colo, perniciosas gentilium delicias abstinendo devito.*

* sic.
* sic.
* al. juncturâ.

Pleraque Roswitæ opuscula vidimus Ratisponæ apud S. Emmerammum; eaque omnia collegit, & simul edidit Conradus Celtes Germanus Norimbergæ anno M D L. Horum indicem apud Trithemium videre licet. Initio libri editi, quem mihi eruditissimus Baluzius commodavit, pingitur Roswitis in habitu sanctimonialis Benedictinæ cum velo in capite & ampla cuculla, librum suum supplex offerens Ottoni imperatori. Sed de his satis superque satis.

XVIII. Placitum pro Casa-aurea. a Capitul. to. 2. c. 1538.

Initio hujus anni habitus est Italiæ procerum conventus, placitum vocant, in villa [a] Mariani diœcesis Firmanæ, residente Pandulfo duce & marchione cum permissu Gaidulfi ejus sedis episcopi, adstantibus Lupo ipsius pagi comite, aliisque. Ad horum præsentiam inter alios accessit Hildericus Casæ-aureæ abbas cum Alberico advocato suo, conquestusque est de Johanne episcopo sanctæ Pinnensis ecclesiæ, quod abbatiam sanctæ Trinitatis Casæ-aureæ suæ ecclesiæ subjugare tentaret. Interrogatus hac de re episcopus respondit, se huic abbatiæ omnino abrenuntiare, rebusque omnibus ad eam pertinentibus, excepto Breliano, quod precario ad vitam ab ipso monasterio acceperat. sicque omnis illa controversia sedata est. Actum in ipsa villa Mariani hoc anno, mense Februario, indictione x. De hac controversia Johannes Berardi Casauriensis chronographus agit, aitque Johannis episcopi hanc fuisse intentionem, quod tota insula esset de jure Pinnensis ecclesiæ, & abbas absque ejus facultate institui non deberet, nec monachos ab alio episcopo posse ordinari. Hæc causa primum coram Adelberto rege ventilata est, & secundum Casaurienses definita in comitatu Senogalliæ [b] vi. kal. Junii, *regnantibus domno Berengario & Adelberto regibus anno x.* Verum cum huic præcepto non acquiesceret Johannes episcopus, tractus est ad judicium Pandulfi ducis & marchionis mox laudati, cujus sententiæ demum cessit. Falsus est Johannes Casauriensis chronographus, qui Adelberti præceptum Pandulfi judicio accessisse puta-

b Spicil. to. 5. p. 404.

ANN. CHR. 967. Hilderico abbati Adam succedit.

vit: cum e contrario præcesserit Adelberti diploma, datum superstite adhuc Berengario patre, qui anno superiore in Saxonia decessit. Paullo post prædictum placitum mortem subiit Hildericus abbas: cui successit Adam, notus in curia Ottonis Magni, cujus favore hanc abbatiam adeptus est. Idem ab eodem imperatore privilegium obtinuit, meruitque tres legatos accipere de latere imperatoris, scilicet Petrum episcopum Papiensem, & duos judices, Henricum atque Aldonem, quibus mandavit, ut vendita redimerent, & alienata restitui curarent: contumaces vero ac renuentes ad suam præsentiam adduci, quo timore perterriti raptores & invasores, male parta restituerunt. Ottonis [a] privilegio, quod interventu Hucberti Parmensis ecclesiæ præsulis ad preces Adæ abbatis concessum est, confirmantur superiorum imperatorum præcepta, possessiones & libertas monasterii, illudque Ambrosius cancellarius ad vicem Huberti episcopi & archicancellarii recognovit. *Data x. kal. januaris, anno Dominicæ incarnationis* DCCCC LXVII. *imperii vero domni Ottonis vj. indictione x. Actum Romæ feliciter.* Mox Itto missus imperatoris ad monasterium venit, ac domnum abbatem investivit iis rebus, quas abbatia illa perdiderat.

a *ibid. p.* 405.

XIX. Sublacensis monasterii privilegium.

Initio ejus anni, dum Otto jam Romæ esset, Georgius, *apostolicæ sedis secundicerius*, idemque *religiosus abbas prioris monasterii beatissimi patris Benedicti & sanctæ Scholasticæ sororis ejus, quod dicitur in Sublacu*, venit *in gremium basilicæ sancti Petri apostolorum principis, ubi cum domno Johanne xiij. papa sancta synodo pro utilitate ejusdem ecclesiæ & venerabilium locorum interessent* Ravennas archiepiscopus, plurimi-
„ que episcopi ex Romano territorio,& ex Italia & Ultramontano regno,præsente etiam
„ Capuano principe, qui & marchio Camerini & Spoletini ducatus, aliisque ex di-
„ verso ordine fidelibus, præsente etiam Ottone imperatore; prolatisque superiorum
„ imperatorum & regum præceptis, imperatoriæ majestati supplicavit, ut sacri ejus
„ loci instrumenta, quæ igni cum monasterio consumta fuerant, renovaret, resque
„ omnes illius confirmaret. Cujus precibus annuens imperator, omnia omnino cor-
„ roborat, in his casale, in quo idem monasterium est collocatum, & specum, *ubi*
„ *ipse religiosissimus Pater solitariam vitam duxit, castellum* item *de Sublaco*, cum glanda-
„ torio herbatico, omnique reditu, quem ejus habitatores Lateranensi palatio per-
„ solvere soliti erant; insuper quæcumque eidem sacro monasterio Hugo & Lotha-
„ rius reges concesserant. *Data iij. idus Januarias, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXVII. *imperii vero domni Ottonis piissimi Cæsaris* [v.] *indictione x. Actum Romæ.* Idem Ambrosius cancellarius ad vicem Umberti episcopi & cancellarii hoc præceptum recognovit. In chronico Farfensi Gregorius abbas, qui hic Georgius, tempore Johannis XIII. multa bona monasterio Sublacensi per diversa loca acquisivisse dicitur.

ANN. CHR. 968. XX. Hatto abbas Fuldensis archiepiscopus Moguntinus.

Anno insequenti DCCCC LXVIII. Willelmus filius imperatoris, Moguntinus antistes, cui Otto in absentia sui & filii Ottonis moderandi regni curam commiserat, cum finem ægrotantis Mathildis reginæ, aviæ suæ Redulverothe in Saxonia exspectaret, ipse VI. nonas Martii mortem oppetiit. Ejus obitum protinus intellexit piissima regina; & Liudolfus abbas Corbeiensis egregius cælesti viso accepit, fratribusque nuntiavit: *cujus mater, licet peregrina, nobili tamen genere erat procreata*, ut in chronico Saxonico legitur. Willelmi obitu accepto, Otto imperator Gillulfum Hersfeldensem abbatem ex Italia in Germaniam misit, curaturum, ut Fuldenses Werinharium seu Wernerum abbatem eligerent loco Hattonis, quem a Moguntino clero & populo Willelmi successorem eligi postulavit. Verum non diu hac dignitate potitus est Hatto, postero anno exstinctus, parum secunda fama ex commentis recentiorum, qui ejus clarissimo nomini perperam illuserunt. Wernerus monachus, ejus in abbatiali munere successor, filius erat materteræ sancti Udalrici Augustensis episcopi, multoque tempore Fuldæ magister scholarum fuerat, testante Trithemio, ab Hadamaro quondam abbate institutus. Idem abbas conditor fuisse dicitur [b] collegii, an monasterii, in Borslaba Turingiæ opido, ubi magnifico apparatu ecclesiam exstruxit. Fuldæ quoque egregium peristylium ad orientale latus ædis primariæ, tetragoni specie, ex quadris lapidibus molitus est, addito insigni oratorio, quod beatus Udalricus sancti Johannis-Baptistæ memoriæ consecravit. Visitur in Fuldensi sacrario egregie elaborata crux, cui We-

Wernerus abbas Fuldensis.

b *Brower. Fuld antiq. p.* 185.

ANN. CHR. 968.

RINHARII ABBATIS nomen inscriptum. Exstant Johannis ejus nominis XIII. luculentæ tabulæ, Werenhario abbati inscriptæ super antiquis Fuldensis monasterii privilegiis, datæ per manum Leonis secundicerii mense Decembri, indictione XV. uti Baronius legendum putat, id est anno DCCCC LXXII. Hatto archiepiscopus Hildiwardum præpositum Halberstadensis ecclesiæ episcopum XII. kalendas Januarii ordinavit in locum Bernardi summæ religionis & abstinentiæ episcopi, qui hoc anno, ordinationis suæ XLVIII. decessit III. nonas Februarii, ut in chronico Saxonico legitur. Is puellare cœnobium Hadmerheymense condidisse traditur, in quo sororem suam abbatissam instituit, referente Bruschio, qui nomen illius abbatissæ non exprimit.

XXI. Mathildis reginæ pia facta & obitus.

Hic etiam annus Mathildis pientissimæ reginæ extremus fuit, conditricis trium ad minus monasteriorum, quorum ultimum Northusanense in Turingia censetur, pro anima conjugis sui Heinrici, ac filii ipsius æquivoci exstructum, in quo *tria millia sororum Deo & beata Maria famulantium* sub Richburga abbatissa congregasse memoratur apud Witichindum ejus vitæ scriptorem. Ante biennium, cum Coloniæ una cum Ottone, ceterisque propinquis & affinibus suis convenisset, inde ad Northusanum opidum accessit, visurus sanctimonialium cœtum, quem illic constituerat. Ubi primum eo venit, statim Richburgam abbatissam accersivit, & cum ea de statu monasterii accurate disseruit. Dein monasterium ingressa, singularum studia, pro suo more, intente investigavit. Ex hoc opido discessit XI. kal. Januarias anni DCCCC LXVII. & Quindelinburgum profecta est. Appetente ipsius obitu, prædictam Richburgam abbatissam, cui animi sui arcana commiserat, ad se venire jussit, ut omnia ejus bona pauperibus erogaret. Tum accito Willelmo archiepiscopo confessionem suam aperuit, atque ab eo pro se & pro anima conjugis sui Heinrici missam celebrari præcepit. Celebrata missa pontifex, peccatorum remissione denno ei impertita, *postmodum perunxit eam sacrato oleo, & recreavit sacrosancto corporis & sanguinis Christi mysterio.* Post quatriduum Mathildis abituro Willelmo pallium eidem sepeliendo destinatum tradi jussit, quod ei ante aviam mortuo adhibitum est. Nepotis mortem a se prævisam patientissime tulit Mathildis. Tum sabbato primo post dominicam primam quadragesimæ, cum extremum vitæ diem instare sentiret, neptem suam Mathildem, Quindelinburgensis parthenonis abbatissam, filiam Ottonis imperatoris, ad se vocavit, salutaria ei dans monita, *ut esset pia & humilis, prudens & cauta, ac sibi commissum gregem custodiret; & ut monasterium raro egrederetur, ne sæcularibus dedita, a Christi servitio impediretur.* Eidem etiam *computorium* seu kalendarium dedit, cum necrologio, in quo nomina defunctorum procerum scripta erant. Mox, quamquam jam unctionis sacræ & communione corporis & sanguinis Christi domini munita fuisset, *præcepit presbyteros & sanctimoniales propius accedere, ut ejus confessionem audirent, & sibi a Deo remissionem postularent. quo facto, jussit missam celebrari, & corpus Christi sibi afferri.* tum adstantes admonuit, ut psalmos continue recitarent, atque evangelium legerent, donec animam Deo redderet. Post hæc conticuit, erectisque oculis & manibus expansis animum ac spiritum in cælum intendit. Ad horam nonam humum cilicio sterni jussit, eique corpus moribundum imponi. tum cinere capiti propriis manibus imposito: *Non decet*, inquit, *christianum nisi in cilicio & cinere mori.* quod a sancto Martino acceptum didicerat. Dein sanctæ crucis signaculo se munivit, ac demum cum summa animi & corporis serenitate obdormivit in Domino pridie idus Martii. quo die *Mathildis regina venerabilis* in kalendario, quod Emmæ Francorum reginæ libro precum præmissum est, memoratur. Sepulta est Mathildis in Quindelinburgensi sancti Servatii ecclesia prope tumulum Heinrici regis mariti sui. Ejus vitam scripsisse dicitur a Trithemio [a] Witichindus monachus, & Mathildi abbatissæ dedicasse. quod si verum est, alia fuerit hæc vita ab ea, quæ in Martio Bollandiano edita est, Heinrico regi ab anonymo nuncupata. Mathildi reginæ non solum Quindelinburgense, verum etiam Palidense & Northusanense virginum cœnobia suam debent originem. Addit alia duo chronographus Saxonicus, unum *in curte regia* sub honore sanctorum Jacobi apostoli & Wigberti confessoris; alterum *in Aggeri*, quo injuriis quondam affecta se receperat, sub titulo sancti Dionysii. His addunt nonnulli, sed perperam, Confugiense seu Cassellense in Hassia itidem virginum, quod Cunegundis, sancti Heinrici imperatoris uxor, excitavit.

[a] *Hirsaug. hist. fus.*

ANN. CHR. 968.

Nec certius id, quod de Memmelebiensis origine Fabricius opinatur, cujus originem Ottoni secundo tribuendam esse inferius ostendemus.

XXII. Magdeburgensis primus antistes Adalbertus.

Otto imperator, matris ac filii morte accepta, relicta Fraxineti obsidione, Hildiwardum præpositum, a Bernardo Halberstadensi episcopo successorem designatum, Romam evocavit, eique, quod dudum animo conceperat, erigendi in urbe Parthenopolitana seu Magdeburgo archiepiscopatus consilium aperuit. Ille vero assensit, & episcopatus sui partem novæ sedi cessit. His ita transactis, imperator Richarium Magdeburgensis monasterii abbatem tertium (nam ejus antecessores Anno Wormatiæ, Otwinus Hildensheimii episcopi creati fuerant) ad se vocavit, eumque novæ sedis antistitem instituere se velle nuntiavit. Verum ab eo consilio revocatus est imperator quibusdam clandestinis litteris in Richarium acceptis, qui tanto ejus rei dolore correptus est, ut brevi post vitam amiserit. Electus in ejus locum Adalbertus, Trevirensis monachus, prius ad Russiam missus prædicandi evangelii causa, tunc autem Wissenburgensis abbas: qui Romam ab imperatore missus, ab apostolico Johanne XIII. pallium hoc anno accepit XV. Kalendas Novembris, in festivitate sancti Lucæ Evangelistæ, *anno pontificatus ipsius domni Johannis universalis papæ quarto*; ac dein ad sedem suam cum magno honore missus ab imperatore, admissusque est, abbatia Wissenburgensi retenta. Sic Magdeburgense sancti Mauricii monasterium in archiepiscopalem sedem erectum est, ejusque loco aliud sancti Johannis Baptistæ monachorum cœnobium in suburbano monte ædificatum, ad quod translati sunt monachi prioris illius loci, & transpositi in monte, qui dicitur ad sanctum Johannem in suburbio ejusdem civitatis V. idus Augusti anni insequentis, hoc est in vigilia sancti Laurentii martyris, qui multis deinde annis ob ejus translationis memoriam, nudis pedibus eadem die solebant procedere in urbem, sancti Mauricii, ceterorumque sanctorum patrocinia implorantes. Magdeburgensi porro archiepiscopo tributi sunt tres episcopales sedes, Moguntino antea subjectæ, scilicet Havelbergensis, Brandeburgensis, & Poznanensis; ac tres aliæ de novo erectæ, Merseburgensis, Misnensis, & Citizensis: in quibus Adalbertus primos episcopos ordinavit, nempe Bosonem monachum sancti Emmerammi Ratisponensis in Merseburgensi, Burchardum in Misnensi, & Hugonem in Citizensi, quem Bucelinus ordinis nostri itidem monachum fuisse dicit.

XXIII. S. Galli visitatio.

Hoc anno, testante Hepidanno celebris monasterii sancti Galli facta visitatio est. Ejus rei auctor fuisse dicitur Ruodmannus Augiensis abbas, qui sancti Galli monachos, *quasi minus regulares*, apud Hadwidam, Bu[illegible] Suevorum duce viduatam, detulisse & traduxisse fertur, inquiens, se Colo[illegible] monachum imprimis regularem nosse, qui eos apprime corrigeret, & ad sanct[illegible]enedicti viam reduceret. Idem abbas intempesta nocte, uti lupus caulam, sancti Galli claustrum furtim ingressus anno præcedenti, subdole indagavit, si quid reatui proximum inveniret quod publicaret. Verum ab Ekkehardo monacho, qui cum laterna monasterium circuibat, deprehensus, multa venia petita vix sine dedecore dimissus est. At, ipso machinante, criminationibus ad utrumque Ottonem ab Hadwiga delatis, Ottonis Magni jussu visitatio loci indicta. Ejus rei causa missi ad sanctum Gallum octo [a] episcopi, totidemque abbates, quorum e numero ipse delator Ruodmannus erat. Primas ducebat Heinricus Trevirensis, *cui summa rerum commissa*. Ei adjuncti sunt Conradus Constantiensis, Arnolfus Tullensis, Dietricus seu Thiedericus Metensis, Hiltebaldus Curiensis, Poppo Herbipolensis, Palzo Spirensis, & Erpho Wurmatiensis episcopi. Ex octo abbatibus soli nominantur præter Ruodmannum Kebo Lauressensis seu Laureshamensis, Kerho Wirziburgensis, & Milo Elewangensis. Otto junior ad delectos episcopos & abbates: *Ite* inquit *cœnobii sancti Galli monachos, qui infamantur, correcturi*. Ad hæc Tullensis antistes rem arduam esse respondit, atque ex invidia profectam: se voti causa eo nuper accessisse; at similem alibi caritatem vix invenisse. ceterum non unius tramitis & regulæ via cælum conscendi. Tum Hiltebaldus Curiensis, omnia, quæ ibi fiunt, laude digna esse, excepto quod peculiaria habeant nonnulli, & carnium esu quidam utantur, sed cum abbatis sui, ne deficiant, permissu. Verum quod de proprio dictum est, id ex regula sancti Benedicti corrigendum Otto junior censuit, præcepitque: sed tamen omnes benigne tractandos, ex quibus aliquos *venerabiles* sibi notos esse dixit; & præcipue indulgendum *infirmo*, inquit *fratri meo abbati*, *quoniam*

[a] Ekkeh. cap. 10. & 11.

ANN. CHR. 968.

quoniam pater meus filium eum vocat. Eunt itaque illi omnes, lege ab Ottone patre data, ut cum Burchardo abbate, qui nepos ejus erat, mitius agerent; & feria tertia post tertiam dominicam paschæ ad S. Gallum adveniunt, ubi plerique ex illis episcopis educati & instituti fueranr, in primis Dietricus & Palzo præter alios, qui Dietricus Keroldi ibidem discipulus fuisse dicitur. Abbas in medium vocatus, Ekkehardum decanum & Notkerum medicum surgere jubet, atque monasterii disciplinam exponere. Ut ille cessavit; Kebo abbas Laurishamensis, aliique abbates episcopis asserunt, hæc omnia sancti Benedicti regulæ conformia esse, præter hoc solum, quod fratres secundum illam laborant; at secundum illam non reficiuntur. id in causa esse, quod undecumque quærant, quo vitam sustentent. quæ quia permissu abbatis quæsita, ubi jusserit, reponunt, & ad ejus nutum & arbitrium expendunt, contra regulam non esse. Sed demum placuit omnibus ut quisquis aliquid privati haberet, in commune conferret; omnesque carnium esu, præterquam ii, quos regula excipit, abstinerent, mensamque communem haberent. Ceterum Trevirensis archiepiscopus pollicitus est daturum se operam, ut Ottones loci inopiæ subvenirenr. quod & factum est. Lætis ob hoc omnibus, itur in ecclesiam, omnesque *in libro vitæ* inscribuntur. Discessuris prospera omnia fratres apprecantur, recipiuntque ab episcopis benedictiones data prius confessione, & *absolutis* remissionem. Postquam legati omnia ad Ottonem retulerunt, iterum missus est ad sanctum Gallum Kebo Laurishamensis, ut necessaria suppleret, adeoque *de scriniis regum sexaginta argenti librarum rata pondera deferret.* In hac narratione, quam ex Ekkehardo juniori compendiose retulimus, in nominibus, tum Ruodmanni Augiensis abbatis, tum episcoporum erratum est. Si enim hanc visitationem hoc anno recte defixit Hepidannus, tunc Augiæ abbas erat Eggehardus, cui non nisi post annos quatuor Ruodmannus successit. Deinde Laureshamensi monasterio tunc præerat Gerbodo [a] abbas, qui hic Kebo vocatur. Ad hæc jam a quatuor annis decesserat Heinricus Trevirensis præsul, cui Theodericus suffectus erat. Denique, ut de ceteris sileam, Tullensem ecclesiam tunc regebat Gerardus Gozlini successor, non Arnolfus. Nec illud omittendum, quod adhuc in vivis erat Burchardus Suevorum dux, qui non ante annos quinque mortuus est, & quidem paullo ante Ottonem Magnum. Falsus est itaqne in nominibus propriis Ekkehardus, sed forte non ita in ceteris factis, quæ a majoribus suis facile didicisse potuerat.

a *supra lib. 46. n. 76.*

Eodem anno Conradus Constantiensis episcopus orationis causa [b] venit ad monasterium sancti Galli, cum fratribus renovaturus societatem, quam olim cum Thietone ejusdem cœnobii abbate, & postmodum cum Cralone successore ejns pepigerat; tuncque ex monachis & ex clero *sabbato ante dominicam indulgentiæ* ordinavit; multos item ex laïcis sacro chrismate consignavit. Hujus renovatæ societatis nna conditio erat, ut in oratione, quæ in basilica sancti Petri pro imperatore & benefactoribus quotidie fiebat, pro ipso psalmus CXLII. caneretur; & in ea- « dem missa, quæ ibi fit pro defunctis, tres missales orationes, *illo tamen vivo, qua-* « *si esset defunctus*, dicerentur. «

b *Gold. to. 2. p. 183.*

XXIV. S. Vincentii Mettensis initia.

Qui in illa visitatione laudatur Dietricus seu Theodericus Mettensis episcopus, auctor est Mettensis sancti Vincentii monasterii, cujus ecclesiæ fundamenta hoc anno jacta fuisse vetus ejus loci chronicon [c] prodit. Hujus operis occasionem ex eo natam tradit Sigebertus, quod, cum Theodericus initio sui episcopatus animadvertisset, in catalogo Mettensium episcoporum primas quorumdam nominum litteras, *alias auro, alias argento, alias viliori metallo pro meritorum qualitate esse annotatas*; vidissetque *etiam litteram sui nominis argento prænotatam: dixisse fertur, se in episcopatu tanta bona facturum, ut ipsa nominis sui littera merito deberet auro annotari. Cujus bonæ intentionis*, subdit Sigebertus, *initium ostenditur in cænobio sancti martyris & levitæ Vincentii, fundato in ipsius urbis insula*, quod modo ejus muris inclusum est, egregium sane Theoderici pietatis monumentum. Hunc vero locum non modo præclaris ædificiis exornavit, sed etiam sacris reliquiis undequaque collectis illustrare curavit, ut postea videbimus. Quinam illius cœnobii primus abbas fuerir, incertum. Recentiores suspicantur esse Walerannum; mihi veri similius videtur præcessisse Adelmodum, qui unus fuit ex quinque vicinorum monasteriorum abbatibus, qui Johanni Gorziensi morienti post annos abhinc quin-

c *Labbe to. 1. p. 345.*

ANN. CHR. 968. que adfuerunt, scilicet *patres reverentissimi Kadhroë, Berhardus, Hudo, Adelmodus*, & Johannes, vitæ Johannis Gorziensis scriptor, tunc sancti Arnulfi abbas. Ex quatuor aliis Cadroë sancti Clementis, necnon sancti Symphoriani; Hudo seu Odo sancti Michaëlis ad Mosam rectores fuerunt. Insuper duo alia tunc erant apud Mettas monasteria, nempe sancti Martini, & sancti Vincentii: quorum uni Berhardus, alteri, quod recentius erat, Adelmodus forte præfuerint. Idem videtur esse Berhardus abbas superius[a] laudatus, qui litteris Berengarii Virdunensis episcopi pro instituendis in ecclesia sancti Vitoni monachis cum Vodone seu Vdone abbate S. Michaëlis subscriptus[b] invenitur.

a lib. 45. n. 2.
b lib. 45. n. 57.

XXV. *Dervensi monasterio facta restitutio.* Ineunte hoc anno Adso abbas, & fratres Dervenses coram Heriberto Tricassino comite, qui tunc in eorum monasterio versabatur, expostularunt de mercato & pontanatico villæ Olumnæ[c] seu sancti Desiderii, asserentes, prolatisque litteris comprobantes, id a præcedentibus Francorum principibus, Carolo imperatore augusto, scilicet Calvo, & Bosone, quondam ejusdem imperatoris *conspalatio*, id est comite palatii, regali præcepto sibi fuisse concessum; sed eidem loco per incuriam & injuriam temporum abstractum. quod utrumque sibi restitui flagitabant. Horum petitioni annuit Heribertus, *gloriosus*, uti se ipse vocat, *Francorum comes*; illudque mercatum cum pontanatico & salnino fratribus sancti Petri Dervensis restituit, reservata sibi pro vitæ tempore media ejus parte, eo quidem pacto, ut ipsius viventis memoriam in suis precibus haberent, & mortui anniversarium celebrarent. *Data XVI. Kal. Februarii, anno XIIII. regnante domno Lothario rege Francorum. Actum monasterio Dervo publice.* His litteris apponuntur signa *domni Heriberti gloriosi comitis, qui hoc testamentum fieri rogavit. Adsonis comitis, & aliorum.* Hic est Adso *Rosniacensis territorii comes*, qui Dervensibus alodium suum in Tribus-fontanis donavit: cui donationi post Adsonem subscribunt Ingelbertus comes, Ysuardus itidem comes, aliique. Ceterum Olumnæ nomine opidum sancti Desiderii significari superius[d] probatum, confirmante Alberico in chronico, qui prædictum Heriberti instrumentum patri ejus Heriberto, secundo Veromanduorum comiti, perperam tribuit.

c Camuzat. fol. 85.
d lib. 37. n. 62.

XXVI. *Adsonis abbatis scripta.* In illo instrumento facta primum mentio est de Adsone abbate Dervensi, successore Alberici, qui, prædicto Heriberto cooperante, villam Dreïas * & puellare monasterium cum multis expensis suo restituit monasterio, ejusque privilegia, quæ Benzo abbas ad monasterium Insulæ-Germanicæ seu Cellense furtim asportaverat, cuncta recuperavit *munificentia domni Odonis illius loci abbatis, cujus precibus hic famosus Adso*, inquit anonymus[e] auctor, *vitam confessoris Christi Frodoberti, primi istius monasterii instauratoris & abbatis, sermone veracissimo, simplici exaravit stilo.* Haud scio an jam abbas erat Adso, cum librum de Antichristo scripsit jussu Gerbergæ reginæ, cui, tamquam *monachorum matri*, hoc opus nuncupavit. Sane abbatem se non dicit in epistolæ inscriptione, quæ sic habet. *Excellentissimæ reginæ ac regali dignitate pollenti, Deo dilectæ, omnibusque sanctis amabili monachorum matri & sanctarum duci, domnæ reginæ Gerbergæ, frater Adso, suorum omnium servorum ultimus, gloriam & pacem sempiternam.* In prævia illa epistola regi ac reginæ, filiisque eorum fausta precatur omnia; atque eam non indigere ab ipso inquirere de antichristo, quippe quæ apud se habeat *prudentissimum pastorem, domnum Roriconem, clarissimum speculum totius sapientiæ atque eloquentiæ*, ut illa ætate, episcopum scilicet Laudunensem, ubi sæpius rex Lotharius cum Gerberga regina morabatur: qui de hoc argumento rectius scriptitus fuisset. In illo autem libro Adso id observatione dignum habet, quod quidam doctores tunc dicebant, fore ut unus e regibus Francorum Romanum imperium ex integro sortiturus sit, *qui in novissimo tempore erit, & ipse maximus, & omnium regum ultimus*: qui, postquam regnum feliciter gubernaverit, ad ultimum Jerosolymam venturus sit, & in monte Oliveti sceptrum & coronam suam depositurus: & tunc demum consummationem Romanorum, christianorumque imperii futuram; statimque antichristum adfuturum. Hic liber de Antichristo, truncatis, ut fit, prologo & epilogo, a nonnullis Augustino, ab aliis Alcuino, denique a quibusdam Rabano perperam adscriptus est. Habetur in Appendice tomi VI. novæ S. Augustini editionis: prologus vero & epilogus in Addendis post Indices generales.

* Droyes.
e Sæc. 2. Bened. p. 849.

XXVII. *Adso alter abbas S. Basoli.* Alter eodem tempore vivebat Adso sancti Basoli abbas, cujus rogatu, inter-

ANN. CHR. 968.

pellante etiam Gerberto, Adso Dervensis librum de vita sancti Basoli composuit, ut legitur in anonymi libro de miraculis sancti Bercharii abbatis Dervensis, cujus vitam itidem litteris mandavit. Anonymum audire juvat. *Gesta quoque sancti confessoris Basoli, præfationibus facundis ante positis, cum subsequentia miraculorum lepide edita digessit ad liquidum, hocque non præsumtive, sed interpellatus a sapiente Gerberto, tunc Remensis urbis archiepiscopo, atque a sibi cognomine præclarissimo viro, scilicet Adsone abbate monasterii prædicti confessoris: cujus defuncti haud multum post temporis tumulum gratia specialis dilectionis versibus honoravit propriis, inquiens inter alia:*

O felix Adso, tumulum tibi condidit Adso.

Itaque Adsoni sancti Basoli abbati supervixit Adso Dervensis, qui Jerosolymam profectus est ipso anno DCCCC XCII. quo Gerbertus Remensem pontificatum suscepit, mortuo jam Adsone abbate monasterii sancti Basoli, cujus vitam proinde scripsit Adso Dervensis, Gerberto necdum Remorum archiepiscopo.

XXVIII. Adso an abbas S. Mansueti.

Hic etiam, ut verbis prædicti anonymi loquar, *precibus ac jussione sancti Gerardi Tullensis urbis episcopi, vitam beati Mansueti, primi dirigente Petro apostolo ipsius urbis pontificis, disertissime composuit.* Ea ipsa vita est, quam Franciscus Bosquetus vulgavit, miraculis resectis. Sunt qui putent eumdem Adsonem abbatem fuisse monasterii sancti Mansueti, sed falsi, ut quidem existimo, male intellecto sancti Gerardi episcopi instrumento, cui Adso abbas subscripsit. Locum hunc afferre juvat, tametsi pertineat ad annum sequentem. Gerardus episcopus cogitans, quo modo vitam monachorum sub tuitione sancti Petri apostoli & sancti Mansueti, pastoris ecclesiæ suæ primi, ampliare posset, dedit illis altare sancti Florentini in villa, quæ Bonadus dicitur, post decessum Tietselini comitis, eo pacto, ut singulis annis redeuntibus *ordinationis suæ anniversaria dies* IV. *Kal. Aprilis habeatur*, & mensæ participatio universis fratribus sollicite administretur; & cum dies suæ advocationis advenerit, kalendaris similiter facta refectio *animæ nostræ*, inquit, *orationibus commendetur. Cujusdam etiam carissimi & specialissimi militis nostri, nomine Wolcheri, innocenter atque crudeliter interfecti*, IV. *idus Januarii annualem ab universis fratribus pie & misericorditer constituimus memoriam celebrari.* Actum anno incarnationis Domini DCCCC LXIX. *ordinationis vero nostræ* VII. Post Gerardum apponuntur signa Grimauldi primicerii, *Adsonis abbatis*, Everardi, Anstei, & aliorum: sed cujus loci abbas fuerit Adso, non exprimitur. Hic vero non alius mihi videtur, quam Dervensis, qui beato Gerardo familiaris erat, quo tempore Adam abbas sancti Mansueti cœnobium regebat. Idem Adso etiam familiarissimus fuit Abboni abbati Floriacensi, cujus supplicatione victus, secundum librum dialogorum sancti Gregorii papæ, id est *gesta sancti monachorum patris Benedicti, carmine nobilitavit heroico*, ut ex prædicto anonymo discimus.

XXIX. Adso abbas Luxoviensis.

Alius eodem sæculo floruit Adso Luxoviensis abbas, cognomento Hermiricus, qui libellum de gestis sancti Waldeberti abbatis Luxoviensis scripsit, eumque *Luxoviensium cœnobitarum sacræ concioni* nuncupavit. Verum hic paullo serius Luxovium rexit, nimirum post mortem Aalonci abbatis & episcopi superius [a] laudati, qui tunc monasterio præerat, ad annum ut minimum ejus sæculi octogesimum-quartum superstes, ut suo loco videbimus.

a lib. 46. n. 34.

XXX. Gerbergæ donatio facta S. Remigio.

Quanta fuerit Gerbergæ reginæ in sanctum Remigium pietas ac devotio, luculenter demonstrat ejus præceptum, quo ipsa Gerberga *humilis*, ut se ipsa dicit, *Francorum regina*, alodium juris sui in honorem sancti Petri consecratum, vocabulo Marsnam *, situm in comitatu Mosango, secundo a Trajecto lapide, cum suis appendicibus, id est mansis octoginta-duobus, Remigianæ basilicæ tradit per manus [b] advocati sui comitis Arnulfi, assensu & consilio domni Ottonis imperatoris augusti, collaudantibus atque confirmantibus Gerardo Tullensi episcopo, atque comitibus Emmone & Auffrido, aliisque nobilibus viris, pro salute utique sua, & remedio animæ *senioris* sui piæ memoriæ Gisleberti ducis, conjugis quondam sui, ejusque parentum, Ragenerii & Albradæ: *ea scilicet ratione, ut idem locus sancti Remigii, qui semper ab antiquo regiis donationibus, ut pote caput Franciæ, fuerat honoratus, nostris etiam*, inquit, *donis regalibus ditescat, & polleat uberius. Actum* IV. *id. Februarii, anno incarnationis dominicæ* DCCCC LXVIII. *in præfato*

* Mersen.

b Marlot tom. 2. p. 606.

ANN. CHR. 968.

comitatu , in villa , quæ dicitur Halta , anno XXXII. *regnante domno Ottone inclyto imperatore & cæsare augusto , filio quoque ejus æquivoco regnante anno* VII. *Signum domnæ Gerbergæ gloriosæ reginæ , quæ regia auctoritatis manu hoc scriptum , quod fieri jussit , dignanter corroboravit , & aliis confirmare mandavit. Signum juvenis magnæ indolis Caroli. Signum Arnulfi comitis , qui vice domnæ reginæ hanc traditionem fecit. Signum Emmonis comitis , Auffridi comitis* , & aliorum. *Datum pridie idus Februarii manu domnæ reginæ , & susceptum a domno abbate Hugone , qui ibi affuit cum suo advocato Emmone prædicto comite.* Marsnæ præpositura Remigiana fuit ad nostrum usque sæculum , quo ejus permutatio facta est cum canonicis regularibus Aquæ-curtensis abbatiæ , a quibus Remigiani prioratum Vallis-floridæ in diœcesi Noviomensi in compensationem acceperunt.

Remigiani abbates.

Hugo sancti Remigii abbas, quo abbate hæc donatio facta est, in regimine sancti Remigii monasterii jam successerat Hincmaro abbati , qui post annos regiminis viginti-duos anno superiori decesserat III. nonas Martii. Hugo ejus successor duobus tantum annis locum rexit : sub quo viginti-sex Remigiani monachi notantur, in his Albericus abbas. Post Hugonem Rodulfus abbas, a reformatione tertius, annis quatuordecim monasterio præfuit. Hincmari abbatis tempore contigit , ut vir quidam ex genere Odalrici archipræsulis e partibus Lotharingiæ ad urbem Remorum accedens , nocte interveniente , clausas urbis portas inveniens , in suburbano sancti Remigii *burgo* hospitari coactus sit. Forte accidit , ut in suo hospitio ex re familiari orta sit inter utriusque partis familiares dissensio. Inter hæc hospitii dominus , qui *goldis , quas tabernas vocant* , intererat , compertis jurgiis , vino temulentus domum accurrit , atque hospitem , quem tumultus auctorem falso opinatus est , in scamno dormitantem obtruncat. Postera die Odalricus archiepiscopus , inopinatæ tanti viri, nepotis utique sui , cædis nuntio exagitatus , totum burgum , & universa , quæ castro sancti Remigii contigua erant , succendit , vastavit , ibique neminem deinceps habitare permisit. Adalbero nihilo minus ejus successor vastata instauravit , & sancti Timothei ecclesiam monasterio beati Remigii in usus hospitum donavit.

Odalrici archiepiscopi nepotis cædes.

XXXI. S. Dionysio Britnevallis restituta.

Sancti Dionysii prope Parisios abbatiam eo tempore haud scio an abdicaverat Hugo dux Francorum , cognomento Capetus , qui eam a patre suo Hugone principe quasi hereditario jure acceperat. Certe hoc anno invenio Gozlinum [a] abbatem & monachos venerabilis cœnobii sancti Dionysii ad Richardum Normannorum marchionem accessisse , in *communi Francorum Normannorumque Gisortis placito* , ibique repetiisse *quamdam potestatem* , Britnevallem nomine , in pago *Tellau* apud Caletos sitam , quam olim ipsius Richardi majores , avus scilicet ejus Rotbertus , alias Rollo , paterque Willelmus , sancto Dionysio contulerant , eidemque quidam episcopus , Aillemundus nomine , abstraxerat. Dionysianorum expostulationi Richardus cum assensu *senioris* sui Hugonis Francorum principis, ceterorumque fidelium suorum , Radulfi maxime & Osmundi , benignas aures præbens , prædictis monachis indixit , ut ad suam præsentiam Rotomagi quam primum convenirent. Hi vero jussis obtemperantes , die dominica , præsente duce , ejusque conjuge Emma , aliisque proceribus , adversus episcopum reclamaverunt : quorum auditis probatisque querelis , Richardus prædictam potestatem Dionysianis restitui jussit. *Actum Britnevallis jussu domni Richardi inclyti comitis xv. kalendas Aprilis , anno quarto-decimo regnante HLothario rege , indictione xj.* Primus his litteris subscribit Hugo archiepiscopus Rotomagensis, tum Hugo dux Francorum, Richardus Nortmannorum princeps , Osmundus , Rodulfus , Walterus comes , Theobaldus comes , & alii. Gozlino abbati successit Rotbertus , idem ipse , haud dubie, de quo agit Gerbertus in epistola CXLV. ut inferius videbimus.

a Doublet p. 825.

XXXII. Anastasius Senonum pontifex.

Initio hujus anni præmisimus , famem & pestilentiam in Gallia grassatam fuisse, maxime apud Senonas , cujus urbis archiepiscopus malæ famæ Archembaldus communi multorum mortalium tabe oppressus est IV. kalend. Septembris , annis novem cum duobus mensibus in episcopatu expletis. Post ejus interitum clerus & populus omnis successorem Anastasium , virum egregium , insigni bonitate præditum , acclamavit , ex præcepto Lotharii regis consecratum XVIII. kalendas Januarias. Hic sancti Saviniani monitu beati Petri templum ac monasterium , ab ejus decessore fœde [b] violatum , instaurare cœpit , monachos istuc revocare , ac prædia distracta pretio redimere ; & quidem locum in pristinum statum reformasset , abbatemque

b lib. 46. n. 16.

ANN. CHR. 968.

monachis præfeciſſet, ni mors bona ejus prævertiſſet conſilia. Totis annis undecim, quibus epiſcopatum tenuit, multas injurias a Rainardo comite paſſus eſt.

XXXIII. S. Maxentii abbates.

Apud Pictones ſancti Maxentii monaſterium poſt Odonem abbatem rexit Ramnulſus, & paullo poſt Conſtantinus, qui ambo hoc anno ponuntur in chronico Malliacenſi, tametſi jam a quatuor annis Ramnulſus abbas erat. In quadam charta Conſtantinus abbas, *regens monaſterium ſancti Maxentii ſub clericali inſtitutione, una cum congregatione ibidem Deo jugiter ſervientt*, cedit cuidam fideli ſuo, nomine Ucberto, areas quinquaginta *in pago Auniſio, in Salinu de Badn. Actum iv. nonas Januarii, regnante HLothario rege.* Poſt annos abhinc quatuor Girbertus abbas extitit, qui multa ſancto Maxentio acquiſiviſſe dicitur. De Bernardo ejus ſucceſſore inferius.

XXXIV. Soniario abbati duo monaſteria commiſſa.

Non ſatis teſtari poſſum, quantum obſtricti ſumus veterum monumentorum ſtudioſiſſimo indagatori & illuſtratori Stephano Baluzio, quem nulla fere pagella noſtrorum annalium illaudatum præteriret, ſi ex æquo vicem ejus in nos beneficiis rependere vellemus. Abſque eo certe in rebus noſtri ordinis, maxime quæ ad marcam Hiſpanicam pertinent, omnino cæcutiremus. Id vel ex hoc anno patet, quo Soniarium abbatem monaſteriorum ſancti Pauli de Maritima, & ſancti Felicis Jecſalenſis ſeu Guixalenſis Lugdnnum ad regem Lotharium profectum fuiſſe diſcimus, poſtulandi cauſa, ut duo hæc monaſteria ſimul retinere ſibi liceret. Annuit rex, ſuffragante Gerberga regina cum Odelrico Remorum antiſtite & archicancellario, eo videlicet [a] pacto, ut idem abbas Soniarius duo illa monaſteria, dum viveret, *quia de ipſis duobus unius benedictionis electionem ſuſceperat*, in ſua poteſtate haberet: at poſt ejus deceſſum ſingulis cœnobiis ſinguli præeſſent abbates, *ad nullum principem, niſi ad ſolum regem Franciæ reſpicientes, & ſecundum regulam ſancti Benedicti ibidem converſantes. Actum apud urbem Lugdunenſem xvj. kalend. Julii, anno incarnationis dominicæ* DCCCC LXVIII. *domno vero Lothario rege glorioſo regnante xiv. indictione xj.* Gezo cancellarins ad vicem domni Odelrici archiepiſcopi ſummique cancellarii recognovit. In hoc diplomate urbis Lugduni nomine Laudunum intelligendum eſſe puto.

[a] Marca Hiſp. c. 891.

XXXV. Placitum pro monaſter. Rodenſi.

Ad hæc eodem anno, cum Guifredus ſeu Wifredus comes Ruſcinonenſis, & filius ejus Suniarius Helenenſis epiſcopus, una cum Arnulſo Auſonenſi & magna optimatum & populorum caterva menſe Auguſto ad Rodenſe monaſterium acceſſiſſent, ſollemnitatem ſancti Petri ibidem celebraturi; Hildeſindus ejuſdem cœnobii abbas querelam apud comitem & epiſcopos, ceteroſque optimates depoſuit adverſus Adalbertum quemdam, quod Rodenſibus monachis piſcationem ſtagni Caſtilionenſis, & trium inſularum ei adjacentium auferret, ab iiſdem Guifredo & Suniario ſibi conceſſam, & Ludovici Tranſmarini præcepto confirmatam. quo relecto præcepto, hæc piſcatio monachis aſſerta eſt. Ejus rei inſtrumentum exſtat in appendice capitularium, in quo annus Lotharii regis XIV. reponendus eſt.

XXXVI. Johannis papæ bulla pro Arulenſi.

Ipſo anno Oliba Cabreta Ceretanienſis comes Romam orandi cauſa profectus eſt ad tumulnm beatorum Apoſtolorum, eaque occaſione obtinuit a Johanne papa XIII. ut monaſterium Arulenſe, quod a fratre avi ſni exſtructum fuerat, tuitione ſedis [b] apoſtolicæ muniretur; ad hæc, ut ſi abbas a regula ſancti Benedicti deflexerit, vel res monaſterii alienaverit, licitum ſibi ſit illum amovere, & alium in ejus loco digniorem conſtituere. Scriptum per manum Leonis notarii regionarii & ſcriniarii ſedis apoſtolicæ, menſe Decembri, indictione XII. a Septembri inchoata.

[b] ib. p. 897.

ANN. CHR. 969.

XXXVII. Salmurenſibus monachis præbenda, & refugium Turonis datur.

CUm ſancti Florentii Salmnrenſes monachi in ſuo monaſterio non ſatis tuti ab incurſionibus hoſtium, & a bellorum tempeſtatibns ſibi viderentur; Amalbertus eorum abbas obnixe rogavit Harduinum Turonenſem epiſcopum, obtinuitque ab eo, *uti ad confugium monachorum ſancti Florentii infra clauſtrum matris eccleſiæ aream unam de terra ad manſionem faciendam eis concederet.* quæ area ſita erat *prope capellam ſancti Gervaſii, ubi ſanctiſſimus Martinus miſſas & orationes ſemper cantare ſolebat*, addita etiam præbenda in matre eccleſia, ea lege, ut, quando ex canonicis aliquis ab hac lnce diſceſſiſſet, ipſi monachi Deum pro eo exorarent. *Data in menſe Novembrio in civitate Turonis, anno incarnationis dominicæ* DCCCC LXIX. *ſive anno xv. regnante Lothario rege.*

ANN. CHR. 969.

XXXVIII. Gilbaldus se suaque donat Floriaco. a Perard p. 41. b ibid. p. 45.

Iisdem mense & anno Girbaldus quidam [a] semetipsum cum unico filio suo Manigaudo donat Floriacensi sancti Benedicti monasterio, cui tunc Richardus abbas præerat una cum turba plurima monacborum; tradiique res suas pro anima tum sua, tum avi sui Ildegrini, parentumque suorum Wlgrini & Girburgis, sitas in pagis Æduensi, Matisconensi, & Cabilonensi. *Actum Patriciaco cænobio.* Subscribunt post ipsum Girbaldum & filium ejus Manigaudum Lambertus comes, scilicet Matisconensis, & Rotbertus vicecomes, aliique. Rainoldus levita & monachus hoc instrumentum scripsit. Mense Junio subsequente Ansedeus [b] & uxor ejus Frideburgis, quædam quoque prædia Floriacensibus conferunt *in pago, qui vocatur Adamos.* Actum Patriciaco itidem monasterio. *Data in mense Junio, anno xvj. regnante Lothario rege.* Richardus monachus & levita scripsit hanc chartam, uti & sequentem, apud Perardum.

Albertus abbas S. Albini, & privilegia. c Baluz. in notis ad Lupum p. 378.

Eodem anno Lotharii regis sexto-decimo in locum demortui Widboldi abbatis sancti Albini Andecavensis subrogatus est Albertus, cujus tempore Adela comitissa eidem loco multa beneficia contulit. Ejus electio facta est agente Goffrido comite, una cum consensu [c] Nefingi episcopi. Hic vero, ad preces ejusdem Goffridi & Alberti abbatis, privilegia eidem ecclesiæ, quæ regalis abbatia censebatur, ex antiquo a canonicis ejusdem obtenta, fratribus quoque tunc *Deo ibidem regulariter servientibus, ordinem sanctum attollere* volens, auctoritate sua confirmavit. quæ privilegia hæc esse ait, nempe ut epistola & evangelium in sacris ordinationibus, si ex eadem ecclesia fratres sint ordinandi, ab eis canantur; item evangelium in ramispalmarum; absolutio in parasceve apud eos, & statio feria secunda paschæ; & loci immunitas ne pro quavis re vel infractura violetur. Paullo post, Alberto abbate Nefingus episcopus, Gaufrido fortissimo & nominatissimo comite suggerente, donat monachis sancti Albini, sub regula sancti Benedicti ibidem degentibus, dimidium portum apud Saïacum. Actum Lotharii regis anno XIX.

XXXIX. Elnonensis monasterii status & abbates.

Elnonense sancti Amandi monasterium, quod Leudricus abbas ad optimum statum reduxerat, Genulfus ejus successor intra triennium præfecturæ omnino labefactavit. quippe qui pro servitio, quod regi vel comiti debebat, viginti villas male distraxisse traditur. Id vero anonymus poëta, qui seriem abbatum Elnonensium prosecutus est, confirmat his versibus.

Leudrico studium minime commune Genulfus
Complexus, spargit quas dedit alter opes.
Bisque decem villas, alieno obnoxius æri,
Distrahit, haud quaquam cum solvendo foret.
Quippe diu Galli regis versatus in aula,
Egerat impensas hic aliquando graves:
Exsolvit sacri quas traditione peculi,
Legitimum contra fas, canonesque sacros.


Ratherius abbatiam ambit.

Genulfo abbate defuncto, abbatiam ambiisse dicitur Ratherius episcopus, Verona Laubias reversus, eamque pretio comparavisse.

At vix ingressum fratrum commota caterva
Ædibus extrudit, submovet atque domo,

inquit idem Poëta. cui suffragatur Folcuinus abbas Laubiensis, qui de reditu Ratherii hæc habet. *Venit ille, afferens secum auri & argenti non dico pondera, sed, ut ipsius verbis utar, massas & acervos: ex quibus a HLothario rege est mercatus sancti Amandi abbatiam. qua vix una nocte potitus, ut erat miræ levitatis, derelinquens, Alnam revertitur villam, quam munificentia domni episcopi promeruerat. Inde quoque simili modo monasterium, quod Altum-montem nominant, dato magno pretio comparavit: ubi, quidquid præcipuum sibi in ornamentis & vestimentis ecclesiasticis fuerat, quæque antea ipse ecclesiæ nostræ largitus fuerat, sed postea resumserat, facta donatione congessit. Hoc quoque derelicto, Alnam denuo revertitur.* Sane sancti Amandi abbatiam post mortem Arnulfi comitis occupaverat rex Lotharius, ut ex Balderico [d] discimus. Et quidem in Ratherio levitatem & inconstantiam satis superque probant

d Chron. Camer. li. 1 c 99.



A. Turris ex lapide albo artificiose cõposita
B Ecclesia in modum Crucis
C. Concameratum Ecclesiæ fastigium
D. Dormitorium monachorum
E. Aditus in ecclesiam
F. Janua monasterii
G. Locus ubi justitia exercetur ab officia^libus^. abba^tiæ^
H Ædes abbatiales

Conspectus in
Sancti Amai



ti *Monasterii* in Belgio

I. Ædes hospitum
K. Domesticorum officinæ
L. Septa monasterii cum variis officinis
M. Area monasterii
N. S. Andreæ ædicula
O Locus ubi oratorium S. Petri
P. Urbs S. Amandi
Q. Viridarium monasterii

ANN. CHR. 969.

varii hinc inde discursus, quos tum hoc loco, tum superius retulimus: at simoniæ reum ipsum fuisse vix crediderim. Ex aliis enim ejus factis, quantum hoc crimen aversatus sit, intelligimus. Illud inter cetera exemplo sit, quod a quodam pravo abbate, quem ex abbatiola quadam, quæ Magonzianus [a] vocabatur, ob corruptos mores expulerat, oblata pecunia tentatus, ut ipsum restitueret, numquam ad id potuit induci, ne *Geziaca lepra* inficeretur. Sed forsan ex adulantium relatu accepit Folcuinus, quod ipse facilius crediderit, in Ratherium alias offensus: qui certe in Erluinum Gemblacensem abbatem itidem parum æquus exstitit. Repulso itaque, seu sponte egresso Ratherio ex abbatia Elnonensi, suffectus est Wericus abbas, qui atrium cœnobii muro lapideo clausit, & multa, quæ Genulfus male distraxerat, recollegit. Post tot temporum ac procellarum vices hactenus persistit, floretque nobilissimum istud monasterium, quod nuper incredibili sumtu & magnificentia unus integrum a fundamentis restruxit Nicolaus a Bosco, abbas regularis, non commendatarius, ut falso in Gallia-christiana legitur. Tam illustris monasterii conspectum in adjuncto folio hic repræsentare haud ingratum fore lectori existimo.

XL. Hasteria Walciodoro concessa.

Superius [b] egimus de Hasteriensi abbatia seu cella, quam Adalbero Mettensis episcopus parthenoni sanctæ Glodesindis assignavit, nbi aliquot sanctimoniales cum decana sub jugo & obedientia sanctæ Glodesindis abbatissæ ad hoc usque tempus perseverarunt. Verum, cum forte is locus prædictis sanctimonialibus parum commodus videretur, consultius existimavit Eilbertus comes Walciodorensis monasterii auctor, ut hæc cella Walciodorensibus, utpote vicinioribus, uniretur. Re itaque cum Deoderico seu Theoderico episcopo Adalberonis successore, a quo pendebat hic locus, communicata, utrique placuit, ut ad principem (is Otto erat) ejusmodi negotium referretur. Tantorum virorum petitioni rex facile acquievit in gratiam Forannani episcopi & Walciodorensis abbatis, ut Hasteriensis cella, sub potestate tamen Mettensis ecclesiæ, Walciodorensi abbatiæ subjiceretur. quod Forannanus a Benedicto VII. confirmari curavit. Sic ad sanctæ Glodesindis monasterium regressæ sunt sanctimoniales Hasteriæ degentes: ibique nutu imperatoris a Forannano quatuor constituti sacerdotes, qui officia divina illic celebrarent sub moderamine Walciodorensis abbatis.

XLI. Aynardus glossarii auctor.

Florebat tunc in illis partibus Aynardus quidam haud indoctus, latini glossarii auctor, cujus exemplar hoc anno ad sepulcrum sancti Apri apud Tullum-Leucorum obtulit. Istud glossarium hactenus asservatur in Mettensi sancti Arnulfi bibliotheca, hunc præferens titulum: *Incipit glosarium, ordine elementorum aggregatum ab Aynardo anno ab inc. Domini* DCCCC LXIX. *indictione xij. imperio Magni Ottonis, sepulcro dijudicatum Apri Leucorum quinti pontificis, ad supplementum inibi degentium pusionum. Obsecro ne ab aliquo posterorum destruatur, ne incurrat vindictam Dei, nostramque imprecationem.* Hoc glossariom incipit a vocabulo *Apofereta*. Quintus appellatur Leucorum episcopus sanctus Aper, qui septimus habetur in vetustis actis ejus sedis episcoporum. Quis fuerit Aynardus iste, ignoramus: nisi is sit Einardus abbas, qui tertio idus Martii laudatur in necrologio sancti Arnulfi.

XLII. Heslinge cœnobium conditur.

In Saxonia comes quidam, Hedus nomine, puellare cœnobium apud Heslinge ædificavit, ut legimus in chronico Saxonico, cujus ipsa verba huc afferre juvat. *Fuit in diebus istius cæsaris*, scilicet Ottonis Magni, *quidam comes, Hed nomine, qui ecclesiam, in honore Christi athleta Viti in Heslinge constructam, quia heredem non habuit, maxima proprietatis suæ parte donavit, & congregatione sanctimonialium ibidem facta, eamdem abbatiam mundiburdio Atheldagi Bremensis archiepiscopi subdidit. Sed præposita huic sedi gemina matronæ venerabiles, quibus unum erat vocabulum Windilgard, cito proh dolor obiere. Heinricus autem prædictus comes de Stadhe filiam suam, Hatvi nomine, ibi educatam prius ac traditam, cum eis succedere rogasset, ab archiantistite præfato impetrare non potuit. Postea vero archipræsul, a cæsare patrino suo rogatus, eamdem, cum jam duodecim esset annorum, pridie kalend. Maii, velavit die dominica, & in proxima die ad abbatissam in patris præsentia ordinavit. quod postea eum multum pænituit.* quæ ordinatio, sane abnormis, facta est anno DCCCC LXXI. quo dies dominica in pridie kalendas Maii incidebat.

XLIII. Chiemensis abbatia Saltzburgensi confirmata.

Exstabat eo tempore apud Bajoarios abbatia Chiemensis, quam Arnolfus imperator Saltzburgensi sancti Petri monasterio antea [c] subjecerat. Hanc vero subjectio-

[a] Spicil. to. 2. p. 236.
[b] lib. 44. n. 85.
[c] lib. 39. n. 18.

ANN. CHR. 969. rem Otto Magnus [a], interventu Heinrici ducis propinqui sui, confirmavit sancti Petri sanctique Ruodberti confessoris ecclesiæ, cui venerabilis Fridericus archiepiscopus præerat. *Data iij. kalend. Novembris, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXVIIII. *indictione* XIII. *anno serenissimi regis Ottonis* XXXV. *imperii scilicet sui in Italia* VIII. *Actum in Tuscania, in loco, qui dicitur Monticolo, super fluvium Arna, prope civitatem Luccam.* Liutgerius cancellarius ad vicem Hattonis archiepiscopi & archicapellani recognovit.

a Metrop. Salisb. to. 2. pag. 236.

XLIV. Ottonis diploma pro Casaurea. In rebus vero, quæ Italiam spectabant, Ottonis archicancellarius erat Hucbertus Parmensis antistes, cujus rogatu idem imperator Casauriensis monasterii bona & privilegia hoc anno [b] confirmavit, diplomate kalendis Maii dato, quod Ambrosius cancellarius ad vicem Hucberti episcopi & archicancellarii recognovit. *Actum in Apulia, in suburbio Bivino.* Casæ-aureæ abbas adhuc erat Adam, qui pro servitio imperatoris desudasse dicitur. Idem abbas hoc itidem anno commutationem [c] quarumdam rerum fecit cum Johanne episcopo Pinnensi.

b Spicil. to. 3. p. 410.
c Capitul. to. 2. c. 1541.

XLV. Micæ-aureæ monasterium, ejusque abbates. Hoc loco prima nobis occurrit occasio agendi de antiquo Romano monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani, quod a tempore Johannis papæ V. exstitisse creditur. Huic monasterio præerat hoc anno Silvester abbas, eo nomine secundus, successor Pauli, qui Silvestro primo ante annos sex successerat. Silvestro secundo abbate, & quidem *anno domini Johannis* XIII. *in sacratissima sede beati Petri apostoli quinto, indictione xij. die xxiv. Aprilis*, quæ chronicæ notæ huic anno respondent, *Teuzo & Baldo atque Azo giliones fratres, filii vero quondam Brusi bonæ memoriæ, Silvestro bonæ memoriæ presbytero & monacho, atque coangelico abbati de venerabili monasterio sanctorum Christi martyrum Cosmæ & Damiani, quod nuncupatur Mica-aurea*, donant *ecclesiam Dei-genitricis Mariæ, quæ posita est in valle, in territorio Trisirivos, cum ornamentis suis, cum domibus, cellis, hortis, vineis & silvis, cum omnibus decimis & oblationibus suis, ac omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quæ a fidelibus vivis & defunctis jam dictæ ecclesiæ concessa sunt, vel in posterum concedentur, posita in territorio Silva-candida patrimonio, miliario ab urbe trigesimo plus minus.* quæ omnia signanter refero, ut nota fiat illorum temporum consuetudo, quibus laïci ecclesias possidebant. Hanc chartam Gregorius sanctæ Romanæ ecclesiæ scriniarius scripsit. Silvestro secundo post abbates septem intermedios successit Silvester tertius pontificatu Silvestri papæ secundi, ut suo loco videbimus. Processu temporis hoc monasterium, cujus nobis sæpe mentio recurret, a monachis ad sanctimoniales ordinis sancti Damiani translatum est auctoritate Gregorii IX. Abbatum syllabum qui ad id tempus hoc monasterium rexerunt, in appendice referemus.

XLVI. Osorius comes monasterium struit. In Gallicia Osorius comes Laurentianæ monasterium condidisse traditur, comprobantibus in synodo episcopis, ibique viginti-quatuor monachos collocavisse: quibus se ipse postmodum adjunxit. Illic tanta religione vixit, ut pro Sancto habeatur in illo monasterio, quod Præmonstratensibus postmodum cessit.

ANN. CHR. 970. XLVII. S. Saturnini cœnobium. NUnc prima se nobis offert mentio monasterii sancti Saturnini, siti in comitatu Urgellensi super fluvium Valeriæ, in litteris [d] scilicet Borrelli comitis & marchionis Barcinonensis, qui hoc anno villas quasdam eidem cœnobio contulit pro animæ suæ remedio, uxorisque suæ Letgardæ, ac fratris sui Mironis comitis & marchionis, ea lege, ut illarum villarum incolæ Amelio abbati & monachis sancti Saturnini annuum censum singuli in natali Domini persolverent. *Facta charta donationis* VIII. *idus Junii, anno* XVI. *regnante Lothario rege, filio Ludovici.* qui annus ante mensem Octobris anno Christi DCCCC LXX. respondet. Post annos tres ampliorem eidem monasterio donationem [e] fecit. Donavit quippe Amelio abbati ejusque monachis ecclesias quasdam tum in castro Lordano, tum in civitate Isanna, quæ tunc destructa erat a Sarracenis.

d Marca Hisp. c. 884.
e ibid. c. 902.

XLVIII. Crudatensis monasterii visitatio. Crudatense monasterium, ad Rodanum in pago Vivariensi positum, regebat ante annos fere centum Amicus abbas, cujus tempore Boso [f] rex Provinciæ, exemplo Lotharii augusti & filii ejus æquivoci, illud Arelatensi ecclesiæ attribuerat. Hoc autem anno eidem cœnobio præerat Abraham abbas, uti discimus ex litteris visitationis ejusdem loci, factæ ab Iterio archiepiscopo Arelatensi, quas hoc loco referre non ab re fuerit.

f V. lib. 38. num. 22.

ANN. CHR. 970.

Anno incarnationis dominicæ DCCCC LXX. *cum resideret sanctæ sedis Arelatensis ecclesiæ archipræsul Iterius in cœnobio super Rodanum amnem consitum, quod vocatur Crudatis, exquirens scilicet religionis cultum cum abbate ejusdem monasterii, nomine Abraham, & ceteris fratribus sub ejus potestate Domino famulantibus, adiit præsentiam prædicti archiepiscopi nobilissima femina & matrona quadam, nomine Gotolindes, petens humiliter domnum archiepiscopum, ut in præfato cœnobio ecclesiam destructam quondam, quæ fuerat in honore sancti archangeli Michaëlis, dedicaret. Cujus precibus obnixe favens prædictus domnus archiepiscopus, respondit se annuere, sic tamen, ut eam ex hereditate sua dotaret, sicut sanctorum canonum monstrat editio. Quapropter jam dicta venerabilis matrona voluntarie obediens, donavit in dotem ejusdem ecclesiæ cabanariam unam, in qua manere videbatur Udalardus, quæ est in comitatu Vivariense, in villa, quæ vocatur Bacxus, totum & ab integro, quantum ad ipsam cabanariam pertinere videtur &c. Facta hæc donatio in monasterio Crudatis v. kal. Octobris, anno xxxj. regnante Conrado rege. Signum Gotolindis, quæ hanc cartam scribere & firmare rogavit. S. Esmidoni, & aliorum. signum Notebaldi monachi, qui relegit & subscripsit.*

XLIX. Adalberonis Remensis archiepiscopi beneficia.

Nescio quid boni ominis pro nobis habent Adalberones episcopi, ex quibus tres saltem hoc sæculo nostrum ordinem beneficiis suis exornarunt. Testis hac de re in primis Adalbero Mettensis præsul, superius a nobis laudatus non semel; testis etiam ejus nepos ac successor ejusdem nominis; testis denique magnus Adalbero Remorum pontifex, de quo nobis in præsens agendum est. Erat is Godefridi Arduennæ comitis filius, frater Godefridi comitis Virdunensis, & Heinrici comitis Arduennæ, de quibus in consequentibus fiet mentio. Post mortem Odalrici Remorum archiepiscopi, qui VIII. idus Novembris anno superiori decessit, ad insignem illam sedem favore Lotharii regis, & occidentalis Franciæ procerum assensu, promotus est Adalbero: qui mox de restituenda ejus ecclesiæ religione & disciplina serio cogitare cœpit. Atque ut de nostris tantum dicamus, in suburbano sancti Theoderici cœnobio, eliminatis clericis, monachos restituit; & in Mosomensi beatæ Mariæ ecclesia ejusdem ordinis coloniam instituit. Quin etiam abbatiam sancti Timothei, quæ collegiata etiam nunc ecclesia est, Remigianis pro recipiendis hospitibus contulisse traditur. Denique Remensis ecclesiæ scholas, quæ a Fulconis archiepiscopi tempore multum collapsæ erant, pristino splendori restituit, maxime per Gerbertum Auriliacensem monachum, jam superius [a] laudatum, qui multo tempore sedulo ipsi adhæsit, eique ab epistolis fuit.

[a] lib. 46. n. 85. & seq.

L. Gerbertus ei adhæret.

Quid causæ fuerit, quod Gerbertus Italiam, atque adeo Bobiensem abbatiam deseruerit, jam superius [b] quodam modo exposuimus: vexatio scilicet, quam ab Italis quibusdam, maxime a Petro Papiensi episcopo, patiebatur. Hinc in epistola XVI. ad Geraldum abbatem Auriliacensem: *Occidit, occidit, mi pater, status ecclesiarum Domini. Res publica perit, sanctuarium Domini pervaditur, populus præda fit hostium. Consule, pater, quo me convertam. Milites quidem mei arma sumere, castra munire parati: sed quæ spes sine rectore patriæ, cum fidem, mores, animos quorumdam Italorum pernoscamus? Cessimus ergo fortunæ, studiaque nostra, tempore intermissa, animo retenta repetimus: quibus, si placet, magistrum quondam nostrum Raymundum interesse cupimus, interim dum kalendis Decembribus Romam iter intendamus.* Id accidisse hoc anno veri simile est, cum post Ottonis junioris coronationem, anno superiori Romæ a Johanne papa factam, ambo Ottones in Germaniam reversi sunt, quo tempore Italia *sine rectore* fuisse visa est. Id vero confirmatur ex eo, quod ipso tempore Gerbertus Adalberoni Remorum archiepiscopo adhærere cœpit, ut fidem facit epistola XVII. ad eumdem Geraldum abbatem, quem nomine Adalberonis archiepiscopi valere jubet: *Et quia vestram*, inquit, *præsentiam non adiit, conturbatio regnorum fecit, specialisque contra suam ecclesiam commotio Heriberti Tricassini, & Ottonis comitis, filii Tedbaldi.* Atqui hanc commotionem statim a sua ordinatione passus est Adalbero, tum ab Heriberto Trecensi comite, tum ab Ottone seu Odone comite, filio Tedbaldi, cognomento Tricatoris, comitis Carnutensis ac Blesensis, qui privatas in Adalberonis familiam inimicitias gerebant, & in ecclesiam Remensem jam antea sævierant, teste Frodoardo, invadendo inter alia Codiciacum * castrum agri Laudunensis, quod Odalricus Remorum antistes Odoni comiti cedere coactus est. De hoc Odone forte intelligendum, quod legitur in chronico [c]

[b] lib. 46. n. 87.

* Coucy.

[c] Spicil. to. 7. p. 632.

ANN. CHR. 970.

Mosomensi, ubi Otto comes Remensis diœceseos ecclesias afflixisse dicitur, & graves discordias cum Adalberone archiepiscopo habuisse ; sed tandem ab eo expugnatum fuisse in castello Warco, quod Mosa fluvius & amnis Sulmona cingunt ; indeque ablatum ab archiepiscopo corpus sancti Arnulfi martyris, translatumque in Mosomensem beatæ Mariæ ecclesiam, quæ monachis nostri ordinis anno sequenti tradita est. Huc spectare videtur Gerberti epistola XCIV. ad ipsum Adalberonem ar-
» chiepiscopum, quem monet, ut, si de fratris sui, scilicet Godefridi, fortuna cer-
» tum finem cognoscere velit, XV. kalendas Octobris ad Altovillare fratri ac comi-
» tibus occurrat, ac nepotem suum primosque generis sui consanguineos iterum nus-
» quam abire sinat ; denique Mosomum ac Macerias communiat. Ad hæc a Geraldo abbate in eadem epistola quærit Gerbertus, *an Hugo, quem vestra*, inquit, *lingua abba-comitem dicitis, uxorem duxerit.* quod videtur intelligendum de Hugone Capeto, qui circiter hoc tempus uxorem duxit Adeleidem, Guillelmi Pictavorum comitis filiam, ex qua Rotbertum suscepit. Certe subscriptus invenitur Rotberius litteris [a] Hugonis patris sui pro ecclesia Aurelianensi, cui Hugo abbatiam sancti Johannis restituit anno DCCCC LXXV. quo proinde anno Rotbertus jam grandiusculus erat.

a V. infra. n. 96.

Quantum moræ apud Adalberonem fecerit Gerbertus, non facile est certo definire. Is nempe in aula Ottonis imperatoris identidem versabatur. In variis illis discursibus studia nihilo minus ac libros assidue animo agitabat. quod variæ ejus testantur epistolæ, in quibus libros sibi vel commodari, vel exscribi postulat. Quin etiam litteras docuit, tum in urbe Remorum, ubi Rotbertum, Hugonis Capeti filium, & Johannem postmodum Autisiodorensem episcopum, auditores habuit : tum in aula imperatoris, in qua Ottonem tertium litteris imbuit. unde in nonnullis epistolis [b] se ipse *scholarem abbatem* vocat. In variis illis mentis agitationibus *cum studio* [c] *bene vivendi semper conjunxit studium bene dicendi.* quod utrumque sibi in re publica occupato necessarium esse dicit. *Cui rei præparandæ*, inquit, *bibliothecam assidue comparo ; &, sicut Romæ dudum ac in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica scriptores, auctorumque exemplaria multitudine nummorum redemi, adjutus benevolentia ac studio amicorum comprovincialium.* quod itidem postulat ab Ecberto Turonensi abbate, ad quem hæc epistola scripta est, membranam sumtusque necessarios suppeditaturus. Denique *in otio, in negotio*, ait, *& docemus quod scimus, & addiscimus quod nescimus.* Bene quidem, si in ceteris magis monastice quam philosophice ac politice vixisset.

b Gerbert. ep. 142 & 148.
c id. ep. 44.

L I. Præcipui ejus amici.

Inter eos, quos Gerbertus amicos & magis familiares habuit, primas tenet Adalbero Remorum præsul, cujus variam fortunam semper secutus est. Adalberonis mihi videtur esse epistola C XVII. ab ipso Gerberto scripta Theophaniæ au-
» gustæ, quam rogat Adalbero, ut, si in regnorum confinio quælibet ecclesia pasto-
» re vacaret, in ea non aliuto constitueret, quam abbatem Gerbertum, omnibus
» provincialibus notum, Italia expulsum, sed in fide non ficta perstantem. quæ epi-
» stola scripta dicitur absente Gerberto, cujus absentia se gravari ait Adalbero ; sed privata commoda publicis posthabenda esse. Amici quoque ejus erant Diedericus seu Theodericus Mettensis, & Neotegarius Leodicensis episcopi ; amicus etiam Stephanus diaconus Romanæ ecclesiæ : ad quos omnes epistolas scripsit. Ex abbatibus magna ei necessitudine præ ceteris conjoncti fuere Geraldus & Raymundus Auriliacenses, Adso Dervensis, Ecbertus Turonensis, Airaldus sancti Theoderici prope Remos, Romulfus Senonensis, & Nithardus Medelocensis. Denique, ne quid dicam de Ottonibus, de Adelaide imperatrice, ejusque nuru Theophania, deque Emma regina, ad quas vel quarum nomine litteras scripsit ; familiares e monachis habuit cum primis Constantinum Floriacensem ac Remigium Trevirensem, quos suis epistolis dignatus est, ac studiorum adjutores adhibuit. quæ omnia ex sequentibus amplius elucescent. Ex his Constantinus ab eo dicitur *nobilis* [d] *scholasticus, adprime eruditus*, sibique *in amicitia conjunctissimus* : quem ad se invisendum [e] invitans : *Comitentur*, ait, *iter tuum Tulliana opuscula, & de republica, & in Verrem, & quæ pro defensione multorum plurima Romanæ eloquentiæ parens conscripsit.* Ex quibus libris opusculum de republica, quod excidisse dolent litterati omnes, ad hoc tempus in Floriacensi bibliotheca superfuisse ex illa epistola intelligitur.

d Gerbert. ep. 92.
e id. ep. 87.

ANN. CHR. 970.

LII. S. Trudonis abbates.

Si non fallit calculus Rodulfi abbatis sancti Trudonis de abbatibus monasterii sui, Theudefridus hoc tempore successit Reinero abbati ad annos triginta: cujus successores Erenofridus annis quatuor, Adelardus, memoria dignissimus, annis triginta-quinque, scilicet usque ad annum M XXXIX. præfuisse dicuntur. Exstat Gerberti epistola LXVIII. Rainero abbati inscripta, eum hortantis ad recipiendum quemdam fratrem, quem ille *affabilitate* (sic ironice loquitur) *paterna* trans mare migrare coëgerat. *Erit ergo docti viri*, inquit, *more boni medici, mellita proferre: ne, primo gustu amaris sugestis antidotis, salutem suam formidabundus incipiat expavescere. Hac conditione, si placet, suscipite: si displicet, ne forte proditoris fungamur officio, quo velit redire, æquo animo ferte.* De eodem monacho interpretanda videtur epistola LXII. ad Beatricem ducem ex persona Adalberonis Remorum archiepiscopi, *Meing. monachum ex petitione abbatis Rai.* id est Raineri, *diu perquisitum, Corbeiam liquisse, Rotomagum adisse.* An hic sit Reinerus sancti Trudonis abbas, aliis æstimandum relinquo.

LIII. Reliquiarum translatio ad Mettense S. Vincentii monasterium.

Celebris est reliquiarum translatio, hoc anno a Theoderico Mettensi episcopo facta in sancti Vincentii monasterium, quod ipse in illius urbis insula ante biennium exstruxerat. Profectus in Italiam cum Ottone imperatore consobrino suo idem antistes, *in Italica expeditione* cum eo per triennium versatus est. Hac usus occasione Theodericus, multas hinc inde reliquias collegit, in prædictum cœnobium transferendas. Primo sancti Elpidii confessoris ex quadam Marsorum provinciæ ecclesia, concedente Albrico, assumsit. Inde veniens in territorium Amiterninæ urbis, quæ, uti & Marsia, excisa jam tum erat, sancti Eutychii martyris corpus & partem sancti Maronis æque martyris accepit ab eodem Albrico episcopo *de monasterio suæ ditioni Reate subjecto.* Apud Fulivias * castrum haud procul Spoleto, Benedictus ejus castri episcopus sanctum Felicianum eidem concessit. In saltu, qui Collis dicitur, Perusiæ adjacenti, *monasterium erat antiquissimum super fluvium Tiberim*, ex quo sancti Asclepiodoti martyris ossa eidem Theoderico tradita sunt: & ex monasterio sancti Savini martyris prope Spoletum reliquiæ sanctæ Serenæ virginis cum reliquiis beati Gregorii martyris Spoletini concessæ. Inter hæc, Romam misso diacono Rothardo, *partem non modicam catenæ sancti Petri* ex basilica sancti Petri ad Vincula promeruit ex dono Johannis papæ XIII. qui & abbati sancti Vincentii privilegium ac prærogativam utendi *dalmatica & sandaliis* indulsit. quæ omnia Adelbertus clericus cum Conone comite transtulisse dicitur. Præter ea beati Vincentii martyris corpus, ex Hispania, uti asserebant, advectum, in civitate quadam antiquissima, sed diruta, nomine Corduno, *quæ ab Arretio xij. millibus distat*, ex monasterio proximo sustulit Berraus diaconus a Theoderico missus, *comitante secum quodam clerico episcopi Arretini*, qui etiam non modicam portionem sanguinis beati Stephani protomartyris dedit. Hoc vero sancti Vincentii corpus Ambrosius Bergamensis præsul, pro eo quod sedes episcopatus sui sancto Vincentio sacrata erat, asportare paullo ante, sed frustra, tentaverat. *Hoc clerici de monte Romarici tulerunt*, in urbem scilicet Mettensem deferendum. Ad hæc in Sabinorum regione, ab urbe Roma millibus passuum non amplius quadraginta, sancti martyres Protus & Hyacinthus negligentius asservabantur. *Hos abbas quidam de monasterio sanctæ Mariæ, quod dicitur Farfara*, venerabili pontifici Theoderico, quem pro quadam causa intercessorem apud imperatorem habere cupiebat, gratanter obtulit. Idem antistes Romæ a Johanne papa pignora sanctarum Dignæ & Emeritæ, quarum corpora in porticu ecclesiæ sancti Marcelli martyris, quæ est ante sanctos Apostolos, recondita erant, cum sandaliu sancti Stephani, diversorumque sanctorum reliquiis accepit. quæ omnia *per Willardum monachum Mauri-monasterii missa sunt.* Insuper Leontium & Carpophorum martyres ex urbe Vicentia, & quidem *ex celebri & nobili monasterio sancti Felicis, ab Ungris nuper exusto*, itidem obtinuit. Verum præcipua fuit memorabilis virginis & martyris Luciæ Syracusanæ corporis acquisitio, quod Wigericus presbyter, custodis officium in Mettensi sancti Stephani ecclesia gerens, sustulit ex veteri ac diruta urbe Corfinio, quo a Faroaldo Spoletino duce olim e Sicilia translatum fuerat. Denique cum jam *Roma*, inquit anonymus [a] qui hæc scripsit, *regiis nuptiis ibi ingenti gloria peractis*, nempe Ottonis junioris cum Theophania filia Romani imperatoris, *reditum in patriam disponeremus, venerabilem præsulem domnus papa de quatuor portionibus craticulæ sancti*

* Foligny.

a Spicil. to. 5. p. 139.

ANN. CHR. 970.

Laurentii cumulavit. Eas Wigericus cum Johanne monacho ab ipsa sacra crate extuderunt. Hæc vero fuernut capita virgarum, quæ per transvcrsum jacuerant, costis exterioribus infixa. nam virgæ omnes, quæ sex in ea fuerant, jam inde a diversis apostolicis, a vetusto tempore quibusque regibus erant dono collatæ: e quibus una, quæ adhuc ante paucos annos supererat, magno imperatori Ottoni ab Octaviano concessa est. Hæc carptim ex anonymo, qui præsens interfuit: a quo Theoderici episcopi vitam, cujus hæc narratio pars sit, scriptam fuisse colligo ex chronico Hugonis abbatis Flaviniacensis, ubi Fingenii abbatis priora facta *in vita Theoderici eximii Mettensis episcopi* contineri ait.

Recepto in sancti Vincentii monasterium beatæ Luciæ corpore, Theodericus oratorium ibidem in ejus honorem statim exstruere cœpit, in quo tantum thesaurum reponeret, dedicavitque VIII. idus Augusti, anno IX. episcopatus sui, Christi vero DCCCC LXXII. præsentibus & cooperantibus sibi comprovincialibus episcopis, Gerardo Tullensi, & Wigfrido Virdunensi, *qui olim in aula imperatoris familiari contubernio sibi adhæserant*, inquit Sigebertus, qui vitam sanctæ Luciæ virginis & martyris rythmice composuit. Hæc fusius persecutus sum ob mentionem quorumdam monasteriorum, ex quibus prædictæ reliquiæ acceptæ sunt. Quænam fuerit illa causa, ob quam Farfensis abbas Theodericum intercessorem apud imperatorem habere cupiebat, videbimus anno sequenti.

LIV. Gisla abbatissa Romarici-montis.

Idem porro Theodericus fautor ac tutor erat parthenonis de monte sancti Romarici superius memorati, quo nomine subscripsit cuidam chartæ Geslæ seu Gislæ tunc temporis abbatissæ, a qua instituta est *memoria misericordiæ*, seu *servitium perpetuum, post occisos a paganis homines de potestate, quæ dicitur Lietzeis. Lectum publice ad sancti Romarici-montem ij. kal. Jul. regnante Othone imperatore. Signum Deoderici episcopi tutore monasterii, S. Gerardi comitis. S. Gestæ abbatissæ, quæ hanc notitiam causa pietatis annotari præcepit, ceteris dominabus assentientibus. S. Berta segresta. S. Hildigardis. S. Mariæ, Amalrici*, & aliorum, qui forte ejus loci clerici erant. Jam ergo tunc *dominæ* vocabantur sanctimoniales illæ, tametsi addictæ regulæ sancti Benedicti, quam usque ad nostrum sæculum [a] retinuerunt: & monasterium etiam nunc dicatur Romarici-montis, quamvis e monte ad subjectam planitiem ante id tempus translatum.

a V. lib. 14. n. 27.

LV. Eltenensis parthenonis initia.

Hoc anno Wichmannus comes ecclesiam sancti Viti martyris, in monte Eltena seu Altena e regione Embricæ * urbis ab se exstructam, sanctimonialibus tribuit, approbante Ottone imperatore, cujus hac de re diploma [b] hoc ipso anno datum est III. nonas Augusti *in Apulia, ad civitatem, quæ dicitur Barii.* Huic parthenoni præfecta Liutgarda abbatissa, ipsius comitis filia: quæ decimo post anno ab Ottone secundo impetravit consimile privilegium mundiburdii, quo monasteria Quindelinburgense, Essendiense, & Gandersheimense gaudebant: *ita ut Dei ancillæ inibi servientes, cum consensu Trajectensis * ecclesiæ episcopi eligendi, inter se abbatissam potestatem habeant*; atque etiam advocatum. Post mortem Wichmanni comitis altera ejus filia, Adela nomine, donationem prædicto parthenoni citra consensum suum a patre factam rescindi postulavit. quam litem demum composuit Otto tertius in colloquio Noviomagi * habito, ubi Baldericus, prædictæ maritus Adelæ, prædia controversa monasterio cum festuca resignavit anno DCCCC XCVII.

* Emeric. b Annal. Vestfal. lib. 2. p. 200. & seq.

* Utrecht.

* Nimegue.

LVI. Boso episcopus Merseburgensis obit.

In chronico Saxonico Boso ex monacho sancti Emmerammi primus Merseburgensis episcopus, superius [d] jam laudatus, cum ecclesiam sibi commissam annum unum & dies tres rexisset, in patria sua, scilicet Bajoaria, kalendis Novembris obiisse dicitur, sepultus nihilo minus Merseburgi in ecclesia sancti Johannis-Baptistæ ad summum altare. Episcopatus ejus Gisilero, moribus & genere nobili, agente Annone Wormatiensi episcopo, ab Ottone imperatore concessus. Gisilerus vero, testante Ditmaro [e] ejusdem sedis episcopo, Merseburgensem episcopatum destruxit, *& abbatiam ibi statuit, eidemque Otradum venerabilem*, id est monachum, *de sancto Johanne* Magdeburgensi *præfecit, postque Heimonem de eodem monasterio constituit.*

c lib. 45. n. 64.

Merseburgensis abbatia. d Ditmar. init. lib. 3.

Werimbaldus monachus episcopatum recusat.

Hoc quoque anno mortuo Odogario Spirensi episcopo subrogatus Baldericus, recusante episcopatum Werimbaldo monacho Hirsaugiensi, docto ac religioso, qui ad capessendam hanc dignitatem invitatus respondisse traditur: se, si mundo servire voluisset, in hanc vitæ monasticæ solitudinem non venturum fuisse: eligerent ergo episcopum quem vellent: se id oneris suscipere nec velle, nec posse.

ANN. CHR. 970.

Hæc ex Browero. Eadem Trithemius ex Meginfrido refert [a] post quinquennium, quo anno ejus obitum consignat, ubi ejus opuscula commemorat.

LVII. Hersfeldenses & Laureshami abbates.

Lambertus Scafnaburgensis, idemque Hersfeldensis seu Herveldensis monachus, auctor est, Egilolso abbati Herveldensi hoc anno Gozbertum successisse. Ejus mores etsi non probat anonymus [b] ejus loci scriptor, studium tamen erga suum monasterium laudat: cujus rei Gozbertus manifestum ad posteros transmisit documentum, *magnam scilicet copiam librorum, suo nomine ob monimentum sui attitulatorum, plurima quoque ornamenta in auro & argento, & in vestibus sacris; tabulam quoque altaris.* Hæc acta tempore Ottonis secundi, *qui Rubicundus dicebatur*, ex prædicto anonymo, ubi se excusat, quod Romanorum imperatorum gesta monasticæ historiæ suæ non inserat, quippe qui non statuerit omnia scribere, quæ in re publica, vel ecclesia gesta sunt aut geruntur, utpote monasterii carcere inclusus, nec hominum expertus, nec valde curiosus. Post mortem Ottonis secundi exauctoratus est Gozbertus abbas, ut suo loco dicturi sumus.

Eodem anno Gerbodoni Laureshami abbati mortuo subrogatur Salemannus, vir divina, humanaque sapientia conspicuus, qui inter alia magnifica pietatis opera, tabulam ex auro & gemmis ad altare majus adornari, crucem magna simili opera fabricari, frontem ciborii super mausoleum sancti Nazarii martyris auro purissimo decorari curavit. De libris etiam sollicitus, Gregorii moralia tribus voluminibus describi jussit.

LVIII. Epternaci scholarum magistri.

In Epternacensi apud Treviros monasterio Heribertus, ejus loci monachus & scholarum magister, hoc anno decessisse traditur. Meginfridus apud Trithemium asserit, eum multos in utriusque libros testamenti commentarios fecisse; & de moribus veterum monachorum utilem composuisse tractatum, in quo omnium pæne claustralium ante se institutionum mentionem fecerit. Huic in scholæ magisterio successisse fertur Rudgerus ejus monasterii cœnobita, qui sua eruditione plurimos laudabiliter instituisse dicitur. Sed vereor ut hæc certa sint, cum per id tempus canonici monachorum loco Epternacum insederint, ut anno sequenti videbimus. His duobus addit Trithemius Abbonem & Aimoinum Floriacenses, de quibus nos alias; & Richardum ex monacho sancti Germani Autisiodorensem episcopum, quem *nimiæ simplicitatis & minoris industriæ* circa res sæculares fuisse ait, quod congruit his, quæ de eo ex actis episcoporum Autisiodorensium superius [c] retulimus. Sedit in episcopatu annos novem cum mense uno & duobus diebus, obiitque XVI. kal. Junii, sepultus in ecclesia sancti Germani, ubi monasticen professus erat. Heribertus, Hugonis ducis ex concubina filius, Hugonis Capeti frater, ei successit in episcopatu: cujus tempore dux Heinricus ejus frater monasterium sancti Germani beato Mayolo abbati ad normam Cluniacensium reformandum commisit.

Richardus episcopus Autisiodorensis obit.

LIX. Wintoniensium clericorum causa in synodo agitata.

Baronius ad hunc annum revocat synodum Wintoniensem, in qua de causa clericorum expulsorum actum est. quæ res, etsi jam superius commemorata, in præsens ex Osberto retractanda videtur. Promotus ad Wentanam sedem Ethelwoldus, ex mente Dunstani clericos ecclesiæ suæ, qui ordinem suum flagitiosa vita deturpabant, sæpe admonebat, mores ut emendarent. Illis vero ex die in diem rem differentibus, Ethelwoldus haud diutius sustinendum ratus, paratis quam plurimum monachorum cucullis, die, quo in ecclesia communio, *Servite Domino in timore*, cantabatur, chorum intrat cum paratis cucullis; eosque percontatur, utrum animadvertissent quid modo cantaverant. Illis se animadvertisse reponentibus Ethelwoldus: Igitur, inquit, si servire Domino in timore vultis, eique exsultare cum « tremore, apprehendite disciplinam, vestem scilicet monachalem, ne pereatis, uti « modo cecinistis, de via justa. « Ad quod illi obstupefacti, solito more inducias petere; polliceri se quam primum id facturos. Verum Ethelwoldus eos aut statim id exsequi, aut loco cedere præcipit. Itaque ex his nonnulli, abjecto clericali habitu, monasticum induerunt, a monachis Abendoniensibus postea instituti, ceteris mandato pontificis eliminatis. Hi porro citato gressu regem adeunt, justitiam sibi de sui expulsione fieri postulantes. Refertur negotium ad audientiam Dunstani primatis, qui eos æqua postulare pronuntiat. Igitur ex præcepto regis & archiepiscopi coit Wintoniam totius regni nobilitas, & rex ipse cum sua conjuge adest ad finiendas universorum querelas. Clericorum causa hinc inde ventilata: quorum cavillationes Dunstanus invictis rationibus destruit, probatque, clericos, qui a forte

[a] Trithem. Hirsaug. hist. an 975.

[b] Mader. p. 156.

[c] lib. 46. n. 48.

ANN. CHR. 970.

Dei per vitam flagitiosam resiliunt, nihil sibi jure vindicare posse ex iis, quæ ecclesiis data sunt ad subsidium eorum, qui in clericatu intaminatam vitam duxerint. Flexi nihilo mious clericorum querelis rex & proceres, Dunstaoum obsecrant, saltem ut hac vice eis parcat, eosque in ecclesiam suam restituat. Silet ad ista pontifex, & quid agendum sit, demisso capite mente pertractat. Sileutium ingeos umnes tum occupat, suspensos ad responsum pontificis. Tunc subito ex imagine crucifixi vox a cunctis audita fuisse fertur, justum esse pontificis judicium, nec mutandum. Cessere proinde clerici: verum, illis vitæ subtractis, eorum filii Heornelinum quemdam, magnæ facundiæ pontificem, e Scotia conducunt ad causam denuo retractandam. Fit conventus in villa, quæ dicitur Calve. Audita oratoris concione, Dunstanus jam senio fessus, causam divino judicio se committere dixit. Mox concussa domus, & cænaculum, in quo litis auctores consistebaot, collapsum præcipitatos non mediocriter læsit, Dunstano cum suis illæso. Sic demum sedata est clericorum controversia, & in aliis itidem ecclesiis monachi clericis substituti. Sic religio monastica per Angliam adeo aucta fuit, ut quadraginta & octo monasteria, cum virorum, tum puellarum, cooperantibus Dunstano venerabilibus episcopis, Oswaldo Wigorniensi, dein Eboracensi, atque Ethelwoldo Wintoniensi, instituta vel restituta sint. Willelmus [a] Malmesburiensis tradit, eo usque clericorum quorumdam furorem processisse, ut Elferius quidam omnia pæne monasteria, quæ Ethelwoldus in pruvincia Merciorum exstruxerat, iosolenter everterit, ut Dunstaoo insultaret.

a *Willelm. lib. 2. de regib. c. 9.*

LX. Monasteria ab Ethelwoldo restituta.

In Monastico [b] Anglicano legimus, Ethelwoldum hoc anno reliquias sancti Swithuni antecessoris sui e cœmeterio traostulisse in ecclesiam, quam postmodum renovavit, easque ante altare sancti Petri collocasse. Ad hæc Medeshamstedense monasterium anno desolationis ejus centesimo instaurare cœpisse in vico, qui *Burg* dicitur, atque ob id Burgum sancti Petri seu Burgense appellatum. Deinde, ut Ordericus [c] scribit, Torneiense & Eligense, multaque alia monasteria renovavit piissimus pontifex, singulisque larga patrimooia assignavit, ne ob penuriam rerum necessariarum inibi viventes in divino cultu remissius agerent. Pulcra suot, quæ de Torneiensi tradit [d] Willelmus. *Illic solitudo ingens ad quietem data monachis, ut eo tenacius hereant superis, quo castigatius mortales conspicantur. Femina ibi si visitur, monstro habetur: maribus advenientibus, quasi angelis plauditur: ceterum ibi nullus nisi momentanee conversatur.* Ethelwoldus jam a principio episcopatus eremiticam ibi vitam exercuerat, maxime in quadragesima, *in remotissima, quam ipse construxerat, ecclesia solus Deo vacans. Idcirco non tantum terrarum illic, quantum alibi, congessit: sed quantum sibi & duodecim monachis satis esset. Corpora sanctorum, qui olim in illa eremo diversati fuissent, necnon & aliorum per Angliam, tot advexit, ut omnes pæne anguli ecclesiæ pleni essent.* Ceteris propter nominum stridorem omissis, Willelmus unum memorat Benedictum, cognomento Biscopum, abbatem Wiremuthensem, cujus corpus *magno emtum pretio* Ethelwoldus Tornciam advexit. Quid in veteri ac novo Wintoniæ monasterio præstiterit, inferius videbimus.

b *Monast. to. 1. p. 70.*
c *Orderic. p. 517.*
d *Willelm. li. 4. de pontific. sub fin.*

Ad Eliense monasterium quod attinet, monachis eo introductis, vir religiosus, Brithoothus oomine, Wintoniensis ecclesiæ præpositus, ordinatus est abbas, a vastatione monasterii anno centesimo: cujus loci clericos, qui monasticum habitum induere consenserunt, admisit, renuentes inde expulit, ut Thomas [e] Eliensis in Eliensi historia tradit. Hic abbas, vir eximiæ prudentiæ, summæque abstinentiæ, mooasterium instauravit, officinisque episcopali benedictione sacratis, ab archiepiscopo Dunstano & Ethelwoldo, aliisque episcopis in honorem beatæ Mariæ & sancti Petri dedicari curavit, eoque corpus sanctæ Witburgæ virginis transferri. Cum vero exterioribus rebus procurandis non sufficeret, Leoni monacho earum curam, imposito præpositi officio, commisit.

e *Angl. sac. to. 1. p. 604.*

LXI. S. Justinæ cœnobium Patavii instauratum.

Jacebat per id tempus Patavii in Italia monasterium sanctæ Justinæ, de quo superius [f] egimus, ab Hunnis excisum: quod Gauslinus ejus urbis pontifex, consilio & assensu canonicorum suorum, hoc anno instaurare aggressus est. Habentur ejusdem antistitis hac de re litteræ [g] apud Ughellum, datæ Johannis papæ anno sexto, incarnationis Domini anno DCCCC LXX. in mense Februario, indictiooe XIV. In his ait Gauslinus, se, cum venisset io ecclesiam beatæ Justinæ martyris & beati Prosdocimi præsulis, locum invenisse penitus desolatum, nec ullum ibi superstitem,

f *li. 37. n. 21.*
g *Ital. sac. to. 5. c. 406.*

qui hospitibus, pauperibusve hospitium pararet. Tunc divina gratia & inspiratione permotum animo constituisse, ut ob amorem prædictorum Sanctorum cœnobium monachis ædificaret, idque perfecisse cum consensu omnium sacerdutum, totiusque cleri ac populi; atque in stipendium ejus loci monachorum, quibus Ingelbertum abbatem præposuit, varia prædia cum ecclesiis, terris ac decimis assignasse, uti ea fuse in prædictis litteris enumerantur. Idem post annos quatuor & triginta confirmavit Urso [a] episcopus *ad ipsam ecclesiam sanctæ Justinæ, sancti Prosdocimi, & sancti Benedicti confessoris Christi:* cui loco tunc Johannes abbas præerat.

ANN. CHR. 970.

[a] ibid. c.409.

POstero anno DCCCC LXXI. Ottonem imperatorem in Italiam profectum esse, & prope Ravennam novum palatium exstruxisse, discimus ex quodam placito, quod Ravennæ ab eo tunc editum est pro monasterio Farfensi, in quo Hildeprandus cum Juhanne abbate de præfectura disceptabat. Jam pridem Hildeprandus ille litem hac de re cum Campone habuerat: sed uterque ob pravos mores exclusus: & ille post Camponem superstes, concessa sibi sorte non contentus, legitimos Farfæ abbates Sarilonem, Dagibertum, ac demum Johannem, conturbare perseverabat. Hæc altercatio vix aliter finiri poterat, quam judicio imperatoris, quem ut sibi conciliaret Johannes, intercessorem adhibuit Theodericum, magnæ apud eum auctoritatis, Mettensem episcopum, cui reliquias sanctorum Prothi & Hyacinthi anno superiore concesserat. Lite itaque ad imperatorem producta, secundum Johannem abbatem sententia dicta est in hunc modum.

ANN. CHR. 971.
LXII.
Johannis Farfensis abbatis confirmatio.

Anno dominicæ incarnationis DCCCC LXXI. *dum in Dei nomine Otto, divina providente clementia imperator augustus, resideret in regia aula, non longe a mœnibus Ravennæ urbis sita, quam ipse imperator clarissimus in honorem sui claris ædificiis fundare præceperat juxta rivum penes muros ipsius civitatis decurrentem, qui dicitur Muro-novo; tunc eo imperatore clarissimo ibi plurima sui imperii ordinante & disponente, ante ejus venerunt præsentiam Johannes abbas monasterii sanctæ Mariæ, quod situm est in comitatu Sabinensi, in loco, qui dicitur Acutianus, & Hildeprandus ipsius monasterii monachus: qui introgressi altercari inter se cœperunt altis contentionibus, quis illorum abbas ipsius monasterii deberet esse legaliter. Hildeprandus vero, quia antiquioris erat ætatis & annosior, & quia parti ipsius subjectæ monasterii, quæ conjacet in comitatu Firmensi, præerat, hac occasione, totius monasterii honorem sibi vindicare volebat, & se abbatem fore * debere asserebat. Johannes vero abbas ipsius monasterii dicebat, se ipsius honoris infulas esse adeptum electione & consensu omnium monachorum & totius congregatione collegii, &, quod erat firmius, summi benedictione pontificis; insuper ex ipso imperatore clarissimo possidebat de ipso monasterio pragmaticon. quæ omnia, quæ promulgata sunt ab Johanne abbate, firmis assertionibus vera esse claruerunt coram ipsius imperatoris præsentia, residentibus ibi plurimis Italiæ principibus, videlicet Pandulfo principe & marchione, & Huberto Furlisensi episcopo, atque Petro comite, & ceteris quam plurimis episcopis, comitibus, sacerdotibus, diaconis, clericis etiam multis, & laicis. Tunc ipse imperator disertissimus & sanctissimus, Johannis abbatis rectitudinem sciens, & mendacia atque injustitias præfati Hildeprandi pervidens, præcepit Pandulfo principi & marchioni, & Petro comiti atque Petro suo cancellario, ut eos ambos in sui præsentiam ducerent, & hanc litem ita inter eos definirent juste, legaliter & firmiter, quod nulla altercatio inter eos inde fuisset amplius: eo videlicet ordine, ut Johannes abbas ipsius monasterii omnino fuisset cunctis diebus vitæ suæ abbas & domnus. tamen pro Dei amore & remedio suæ animæ, & quia Hildeprandus erat vetulus, & plurimorum canium * atque ætatu decrepitæ, concederent ei vel duo loca, unde victum & vestimentum cum ceteris sibi subjectis habere potuisset; videlicet curtem de Milliano & curtem de sancto Benedicto, cum omnibus earum pertinentiis: nihil tamen amplius quæreret, nec aliquam querelam faceret. Si vero futuris temporibus ultra hæc aliquam prætaxato Johanni querelam tentaret agere, propriis honoris subiret periculum. Ex prætactis vero curtibus nullam haberet potestatem vendendi, commutandi, alienandi, vel aliquid faciendi, nisi fructum in proprium usum accipiendi. Quod juxta sanctissimi imperatoris decretum, ante præsentiam Pandulfi principis & marchionis, & Petri comitis, atque Petri cancellarii, definitum & determinatum est inter eos, ea ratione, ut inviolatum & inconvulsum inter ipsos omni permaneat tempore volumus. quod ut verius ab omnibus credatur, nostro sigillo sigillari jussimus.* Hactenus placitum.

* i. esse

* sic.

ANN. CHR. 971.

LXIII. *Udalricus Augustensis coadjutorem obtinet.*

Dum Ravennæ moraretur imperator, Udalricus Augustensis episcopus ad eum accessit, ut Adalberonem, suum ex Liutgarda sorore nepotem, sibi in episcopatu coadjutorem concedi postularet. Quippe cum vires suas decrescere sentiret, primo Apostolorum limina voti causa lustrare constituit. Itaque primo carpento, tum in difficilioribus viis lectica usus, Romam demum cum Adalberone pervenit, ubi perquam honorifice a Johanne pontifice, ceterisque Romanis acceptus est. Inde, votis Deo persolutis, Ravennam iter instituit ad imperatorem: qui, audito ejus adventu, nuntium ei obviam misit, qui eum ad suam præsentiam perduceret. Illo vero statim ad ostium imperatoris cubiculi adducto, piissimus imperator, *uno pede calceato*, & altero *adhuc incalceato*, nulla mora ad eum excipiendum cum insigni amoris significatione festinavit. Post solita obsequiorum officia, Udalricus imperatorem rogavit, ut Adalberoni sororis suæ filio procurationem episcopatus concederet cum spe certa futuræ successionis, quo sibi majus otium ad Deo vacandum suppeteret. Petenti gratanter assensit imperator, favente Adelhaide imperatrice; adeoque sæcularium negotiorum curam Adalberoni commisit, & eum futuræ successionis certum esse jussit. Reversus Augustam cum Adalberone Udalricus, fidei ac clientelæ sacramentum a subditis episcopi præstari curavit. *Episcopus autem indumento more monachorum formato induebatur, quorum antea regulam multimodis virtutibus sequi consueverat.* His ita peractis, cum quidam Adalberonis æmuli futuram Udalrici successionem ambirent, ipse Adalbero, ut eis hanc spem adimeret *ferulam episcopalem portare præsumsit*. quæ res alio penitus vertit in synodo anni sequentis, in qua Adalbero ipse ob illam præsumtionem episcopatu omnino exclusus est.

LXIV. *Epternaci monachi restituti.*

a li. 46. n. 75.

Superius [a] egimus de Sigifrido comite, qui a Trevirensi sancti Maximini abbate per commutationem Luciliburgum adeptus, primus ejus loci comes dictus est. Ejus hortatu Otto imperator *monachicæ vitæ religionem* innovare aggressus est in Efternacensi seu Epternacensi monasterio, quod *pravitate cujusdam Carlomanni invasoris sic fuerat destructum, ut monachi inde expulsi, & canonici intromissi* essent. Monachis itaque eo loci restitutis Otto præfecit *venerabilem virum Ravengerum abbatem*, ex sancti Maximini, ut puto, monasterio assumtum. ex quo proinde nova hæc colonia istuc deducta est. Exstat apud Miræum [b] Ottonis hac de re præceptum, *datum idibus Martii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXI. *indictione* XIV. *anno regni Ottonis* XXXVI. *imperii* XII. *Actum Magadaburg* in Saxonia, priusquam scilicet in Italiam proficisceretur. Prædicta confirmat Ravengeri abbatis epitaphium, quod alias referemus. Si Johanni Bertelio credimus, eo se contulit Ravengerus cum quadraginta probatæ vitæ religiosis, quo ex tempore inibi religio tantopere floruerit, ut schola sancti Benedicti ab omnibus diceretur, essetque. Idem abbas ab Ottone secundo potestatem cudendæ monetæ accepisse traditur.

b Miræi notit. p. 120.

LXV. *S. Laurentii monasterium condit Euracrus Leodici episcopus.*

c li. 46. n. 38.

Hic annus extremus fuit Euracri seu Euraclii episcopi Leodicensis, cujus studium in rem monasticam jam superius [c] ostendimus. Verum insigne nobis ejus rei monumentum etiam nunc superest, monasterium scilicet sancti Laurentii, quod sub finem vitæ suæ ædificare cœpit. Ubi a fundamento surrexere parietes, veritus pius antistes, ne, quod accidit, ante perfectum opus vita eum deficeret; nascentem ecclesiam dotare constituit, cujus minus altare, majori necdum absoluto, in honorem beati Sixti papæ & martyris consecravit. Non multo post mortuus est Euracrus, sicque relicta est imperfecta ecclesia, dotata quidem tenuiter, sed nondum ornata, & monachorum cœtu destituta. Ibi tamen Leonem episcopum ex nobilissimis Græcorum, quem Otto imperator sibi suspectum ad has partes pertraxerat, profugum excepit, ac manere jussit, ubi & ille post mortem sepultura donatus est. Primus ejus monasterii regimen subiit sanctus Poppo abbas Stabulensis, ut suo loco videbimus. Euracri obitus hoc anno accidit VI. kalend. Novembris, cujus corpus in collegiata ecclesia sancti Martini ab ipso exstructa sepulturæ mandatur. Successit in ejus locum Notgerus seu Notkerus, *prius monasterii sancti Galli præpositus*, ut in chronico Saxonico legitur: *cujus animi dotes & virtutum summam*, inquit Folcuinus Laubiensis abbas, *si pergam dicere, quoniam adhuc superest, adulari videbor.* Illud ejus laudibus merito adscribit idem auctor, quod initio statim ejus episcopatus altercationem, quæ inter Ratherium Veronensem episcopum, ipsumque Folcuinum abbatem ac monachos intercedebat, amice composuit. nam *evocatis* [d] *abbatibus, Werinfredo videlicet a Stabulaus, & Heriberto ab Audagino, cum aliquibus fratribus,*

Notkerus Laubienses pacat.

e Spicil. to. 6. p. 571.

ANN. CHR. 971.

fratribus, primum contentionis causas inquirit, trutinat & discutit, discussas demum dijudicat. *Ubi perspexit omnia esse frivola, fratres abbati reconciliavit, ipsum restituit.* Ratherius Folcuino abbati reconciliatus *Alnam revertitur*, ubi reliquos vitæ dies exegit, ad triennium dumtaxat superstes. De rebus a Notkero episcopo gestis id solum ex Folcuino hic dicendum, quod *nullus prædecessorum illo amplius Leodiensem ecclesiam rebus auxit, ædificiis nobilitavit.* quæ omnia fuse in gestis episcoporum Leodiensium commemorantur. Variæ habentur Gerberti ad Nuckerum epistolæ, quem ille Notgerum vocat, cum in diplomatis passim Nockerus appelletur.

LXVI. Folcuini abbatis gesta.

Pace & concordia inter Laubienses reformata, Folcuinus abbas totum se ad ornandum monasterium convertit, necnon ad ea scribenda, quæ ad ejus loci priores abbates & historiam pertinebant. Idem auctor est, crevisse illo tempore monasterii ædificia nonnulla, *instinctu episcopi, opera abbatis.* quippe refectorium a fundamento cœptum, perfectumque eleganter: in cujus introitu factum est vestibulum, in quod per subterraneos meatus aqua deducta, sursum ebulliens ibidem scaturire videbatur; eaque in conchas superiores recepta, per quatuor foramina ad usus fratrum distillabat. *quod refectorium a domno Tiedone episcopo*, scilicet Cameracensi, *consecratum est cum cereis & thymiamatis, & omni quo domus consecranda est apparatu.* Ad hæc idem abbas ecclesiam sancti Pauli, ab Hunnis combustam, de novo texit, eique domum infirmorum annexuit. *Obambulatorium claustri* seu peristylium, quod antea nullum ibi erat, ex lapide fieri curavit. Ecclesiam quoque, quæ jam satis elegans erat, exornavit; cujus altaris tabulam argenteam fecit, & laquear picturis decoravit. *Pulpitum quoque evangelii tali modo fecit, ut essent quatuor emicedia * altrinsecus e regione in modum crucis posita, quæ ex ære ductilia, & ad libitum artificis per loca scalprata & deaurata, postibus undique secus deargentatis, in septemtrionali parte fusilem habebant aquilam optime deauratam, quæ interdum alas stringebat, interdum alis expansis capacem evangeliorum codici locum pandebat, colloque, quasi pro libitu, artificiose ad audiendum retorto, & iterum reducto, immissis prunis fragantiam superimpositi thuris emittebat. In occidentali autem parte ejusdem ambonis versus populum fecit altare in honorem sanctæ Crucis & omnium Sanctorum: cui & tabulam argenteam anteposuit, & desuper vivificam illam Domini imaginem, quam nostris*, inquit, *adhuc terris incomparabilem ipse quemdam ut faceret, magno pretio locaverat, erexit.* Insuper coronam argenteam, & campanas duas majores sub nominibus sancti Petri & sancti Ursmari fabricari curavit. Denique armarii seu bibliothecæ libros multum auxit. Omitto sancti Ursmari varia miracula, quæ idem Folcuinus commemorat. In his Gislebertus, ex quatuor filiis comitis Rotberti unus, cum aliis, qui Mathildem comitissam stipaverant, Laubias hospitatum venisse, ac superius monasterium equo asscendere non potuisse dicitur. Agitur etiam de Thietberga nobilissima matrona, quæ illic oratum venerat. Sic librum de gestis abbatum Laubiensium concludit Folcuinus, testatus, nullum, qui monasterio illi damnum intulerit, impune gloriari in annum.

Refectorii consecratio.

* an emicadia, i. vasa olearia.

LXVII. Johannis bulla pro S. Vitono.

Johannes papa hoc anno privilegium concessit Berengario seu Berengerio Virdunensi episcopo pro monasterio sancti Vitoni, in quo nuper [a] pius ille antistes monachos instituti nostri sub Humberto venerabili abbate collocaverat. Hanc vero institutionem apostolicis litteris [b] approbat pontifex in hæc verba. *Quoniam te, carissime frater, inter cetera sanctæ conversationis exercitia comperimus, quoddam monasterium in tuo episcopio, juxta civitatem Virduni, in ecclesia beati Petri pro amore Dei construxisse, in quo requiescunt corpora sanctorum confessorum, atque præfata ecclesiæ sanctæ Mariæ quondam episcoporum, Vitoni, Pulcronii, Possessoris atque Firmini, & de rebus tuæ ecclesiæ provida consideratione sublevasse: ut, si quando filii ecclesiæ tuæ, divino compuncti amore terrena despicientes, ad contemplativæ vitæ perfectionem confugere desiderarent, ne a tua penitus ecclesia dissociati viderentur, in monasterio, quod membrum est ejusdem ecclesiæ, solatii refugium sub habitu religionis sibi invenirent, ut Domino quieta tranquillitate inibi famulentur; noveris omnium fidelium, tam præsentium, quam & futurorum, industria, nos idem monasterium, tua ordinatione constructum, cum omnibus rebus, regalibus præceptis tuo consultu sibi sancitis, in æternum velle permanere inconvulsum; Scanciam cum suis pertinentiis, abbatiam sancti Amantii, & quidquid ad eam pertinet, &c. Insuper hoc nostræ auctoritatis privilegio esse corroboratum volumus, quatenus eadem Virdunensis ecclesia, quæ hactenus de filiis ab ipsis infan-*

[a] lib. 45. n. 17.
[b] Labbe to. 9. p. 255 & seq.

ANN. CHR. 971.

tia sua rudimentis in gremio suo expositis., dum ad externa monasteria confugerunt, fraudabatur; abhinc & deinceps in membro sibi subjecto, consilio sui episcopi, atque providentia religiosi abbatis Humberti, de eorum sancta conversatione sublimata glorietur, &c. *Scriptum per manum Leonis scriniaris sancta sedis apostolica, in mense Januario, per indictionem* XIV. *Datum* V. *idus Januarii per manum Marini episcopi & sancta sedis apostolica bibliothecarii, anno, Domino propitio, pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis xij.* * *papa in sanctissima sede beati Petri apostoli* [VI.]

* l. XIII.

Abbates S. Vitoni. Non diu supervixit Humbertus abbas, qui obiit anno abhinc secundo, pridie nonas Decembris. Adelmarus in ejus locum substitutus.

Oratorium S. Michaëlis S. Mansueto datum. Exstat apud Ughellum [a] charta Geraldi Tullensis episcopi, quem Leucadienses perperam suum episcopum esse putant, quo sancti Michaëlis oratorium, in supercilio Barri montis ab se conditum ac dedicatum, donat monasterio sancti Mansueti, ubi Faribertus abbas præerat, eo pacto, *ut unus de monachis suis ibi semper moretur, atque de prabenda monasterii alatur ac vestiatur.* cujus donationis authenticum hactenus in prædicto monasterio asservatur. *Actum Tulli publice in plenaria synodo,* VII. *idus Octobris, anno incarnationis dominica* DCCCC LXXI. *indictione* XIV. *ordinationis vero nostra* VIII. *regnante Magno Ottone serenissimo imperatore* XXXV. *imperii sui anno* [X.] *duce Lothariensium Friderico, summo & apostolico pontifice Romanorum Johanne.* Ughellus addit XIII. quod authentico deest, sed supplendum. Ex hoc instrumento patet falli eos, qui hujus oratorii dedicationem cælitus factam dicunt.

a Ital. Sac. to. 9. p. 121.

LXVIII. Adso abbas Dervensis altaria obtinet.

Cum Adso abbas Dervensi monasterio præesset, Gualo seu Walo episcopus Trecassinæ ecclesiæ eidem monasterio duo altaria tribuit, nempe *de Summa-vera & de Braus. Actum Trecis civitate publice sub die* VIII. *idus Septembris, anno* XVII. *regnante domno Lothario rege.* Hoc unum est ex primis, ut puto, exemplis, in quo mentio fit *altarium* in donatione ecclesiarum. quod deinceps maxime in usu erit, præsertim sæculo insequente. Eidem Adsoni abbati inscripta est Gerberti epistola LXXXII. Ejusdem quoque mentio fit in epistola VIII. ad Adalberonem Remorum archiepiscopum, quem monet, ut historiam Julii Cæsaris a domno Azone abbate Dervensi ad rescribendum acquirat.

LXIX. S. Arnulfi Mosomum translatio.

Idem Adalbero corpus sancti Arnulfi martyris ex castello Warco in opidum Mosomum hoc anno transtulit, quæ translatio construendo Mosomi cœnobio occasionem dedit. Arnulfus Lothariensis, homo incerti temporis, pietatis causa peregrinationem ad Belgicam, Celticamque Galliam aggressus, cum Perticensem provinciam ingressus esset, a latronibus cæsus est apud villam Gruerias *, & martyr pro more illorum temporum habitus, ibidem humatus est. Progressu temporis, cum miracula & virtutes ad ejus tumulum patrari rumor crebresceret, constructa ab indigenis ecclesia, in quam ejus corpus translatum est. Gruerias possidebat hoc tempore quidam miles, Airannus nomine, qui homicidii reus ac pænitens, hanc villam Ottoni comiti vendidit: comes vero corpus sancti Arnulfi in castellum suum Warcum, quod ad Mosam & Sulmonam fluvios infra Macerias opidum situm est, transportari curavit. Orta dein comitem inter & Adalberonem archiepiscopum simultate, Warcum obsidet cum fratre suo Godefrido comite archiepiscopus, eoque expugnato, corpus prædicti martyris defert ad opidum Bracas *, ubi sanctus Viventius archipiscopus quiescebat. Illic collegiata erat ecclesia duodecim canonicorum, quorum loco Adalbero monachos substituere meditabatur. Verum, mutato consilio, sancti Arnulfi reliquias Mosomum transtulit, & in beatæ Mariæ ecclesia collocavit. Hæc acta sunt anno DCCCC LXXI. Adalberonis ordinationis anno secundo, IX. kalendas Augusti, ut in Mosomensi historia [b] legitur. Istuc monachorum colonia paullo post inducta est.

* Gruieres.

* Braux.

b Spicil. to. 7. p. 175.

LXX. Boana villa S. Juliano Turonensi data.

Post Mainardum episcopum, Cenomannensem ecclesiam insedit Segefridus seu Segenfridus, *vir infelicis vita* & conspurcatæ, ut in actis [c] ejus sedis episcoporum legitur. Ab eo nihilo minus obtinuit Odo levita & archiclavis ecclesiæ cathedralis, ut monachis cœnobii sancti Juliani Turonensis, a domno Teotolone archiepiscopo *inter mœnia beati Martini & eamdem civitatem* restructi, concederetur villa quædam, Vallis-Boana vocabulo, ad thesaurum ejusdem matris ecclesiæ pertinens. quæ villa in pago Cenomannico in vicaria Vedacensi super rivulum Dimidiam sita est. Hanc itaque villam cum suis appendicibus, & illo territorio, quod

c Analect. to. 3. p. 297.

« vocatur ad-Culturam-sancti-Gervasii, prædicto monasterio tribuit Odo archiclavis « seu thesaurarius, consentientibus cum Segefrido episcopo canonicis, hortatu quo- « que Hugonis comitis Cenomannensis, ejusque filiorum Hugonis & Fulconis: ea « scilicet lege, ut ejus loci monachi singulis annis ad missam sanctorum martyrum « Gervasii & Protasii, quæ colitur idibus Decembris, censum trium solidorum per- « solverent. *Data est hæc manus-firma in Cinomannica civitate, in mense Februario,* « *in anno* XVII. *Lotharis regis regni.* Subscribunt his litteris Sigefredus episcopus, cujus nomine editæ sunt; tum Odo thesaurarius, Hugo comes, ejusque duo filii, Hugo & Fulco, Rodulfus vicecomes, & alii. *Ego frater Rotbertus monachus ejusdem congregationis* sancti Juliani, *jussu Sigefredi episcopi & Odonis thesaurarii, necnon Bernardi cancellarii, ac pene omnium canonicorum, sive hortatu domni Hugonis comitis, scripsi & subscripsi.*

S. Juliani abbates.

In his litteris non exprimitur nomen abbatis, qui tunc sancti Juliani monasterium regebat. Primus ab instaurato monasterio abbas Odo Cluniacensis, tum Georgius usque ad principatum Lotharii regis. Huic Ingenaldus successit ante annum DCCCC LXIV. quo Ingenaldus ipse dat quædam ad censum ex terra sancti Albini. *Data est hæc charta anno xij. Lotharis regis, mense Maio, die xx. anno ab incarnatione Domini* DCCCC LXIIII. *indictione septima. Alfredus rogatus ab Evrardo cancellario scripsit & subscripsit.* Ingenaldus iste, dum ex urbe Roma reverteretur *de monasterio sancti Pauli, cujus rector erat, inter Apenninas alpes a Sarracenis interemtus est,* ut in sancti Juliani veteri chronico legitur. Eo mortuo, Bernardus ejus loci præfecturam obtinuit, qui *turrem maximam* ante portam mouasterii a fundamentis exstruxisse dicitur. Bernardum excepit Ebrardus, *vir totius religionis.* Hic reliquias ex capite sancti Juliani martyris e Brivatensi ecclesia attulisse traditur, faventibus Pontio comite & Blanchia ejus uxore. Is sine dubio est Ecbertus seu Ebrardus Evrardusve (sic variant codices) abbas ille Turonensis religiosissimus, ad quem plures exstant Gerberti epistolæ, ut inferius videbimus. Forte is est Evrardus cancellarius (nam & cancellarii monachi erant) superius laudatus, cujus vice Alfredus præstariam scripsit..

LXXI.

Insulæ-barbaræ privilegia confirmata.

De abbatibus Insulæ-barbaræ, supra Lugdunum ad Ararim sitæ, post Guntramnum [a] nihil comperti habemus usque ad Hildebertum seu Heldebertum abbatem, cujus rogatu Conradus rex Burgundiæ Jurensis privilegia immunitatis & liberæ abbatis electionis hoc anno confirmavit. In præcepto regio [b] enumerantur pleræque illius abbatiæ cellæ, ecclesiæ & possessiones: in his *cella de Occiaco*, quo nomine opidum sancti Ramberti significari videtur; & *capella sancti Benedicti, a monachis nuper ædificata; & quidquid in Gapincensi pago ab Hugone episcopo, seu ab aliis fidelibus Dei præscripto monasterio*, in quibuslibet ejus regni partibus concessum est; ea tantum lege, *ut annis singulis ab eodem cænobio quæstoribus propriis antistitis argenti libra persolvatur. Datum xiij. kalend. Septembris, anno incarnationis Christi* DCCCC LXXI. *indictione xiv. anno xxix. imperii Chonradi invictissimi regis. Actum apud Viennam civitatem publice.* Post annos octo Burchardus Lugdunensis præsul, prædicti regis filius, privilegia quoque Iusulæ-barbaræ in synodo [c] confirmavit: in cujus litteris Klodebertus, si mendum non est, abbas iste appellatur, iterum inferius laudandus. Idem Hildebertus *abbas ecclesiæ sancti Martini Insulæ-barbariea*, ejusque congregatio, & domnus Gausmarus *abbas ecclesiæ sancti Martini Saviniacensis*, ejusdemque loci congregatio, commutationem inter se se fecerunt de rebus suis apud Ischiriacum & Floriacum sitis.

Trenorchio facta donatio.

Tunc Trenorchiense monasterium administrabat Stephanns abbas, Hervei tertii successor, cujus tempore Albericus [d] comes, alterius Alberici filius, Letaldi nepos, *ad casam sanctæ Mariæ & sancti Filiberti* res suas confert, sitas in villa pagi Matisconensis, Lanco nomine, reservato sibi ad vitam usu-fructu sub annuo censu duodecim denariorum. *Actum Matisconum villa publice,* & quidem *feria* VII. *seu sabbato* XIX. *kalendas Februarii, anno* XX. *regnante Lotario rege.* Duæ chronicæ notæ priores huic anno conveniunt, quo littera dominicalis erat A. at non convenit annus XX. Lotharii regis, nisi hic triennio ante obitum patris (quod vult Chiffletius) rex designatus dicatur. Stephanus adhuc abbas erat anno Lotharii regis XXVII. De Odone ejus successore inferius.

LXXII.

Mosomi instituti monachi.

Translato in Mosomensem beatæ Mariæ ecclesiam, ut mox vidimus, sancti Arnulfi

a lib. 31. n. 87.
b Labourenr Masures p. 64.
c ibid. p. 67.
d Tournus p. 284.

ANN. CHR. 971.

corpore, Adalbero archiepiscopus monachos canonicorum loco istuc inducere decrevit. Illic a priscis temporibus exstiterat sanctimonialium cœtus: quibus ob injurias bellorum ac temporum deficientibus, sacer iste locus omnino incultus neglectusque fuerat: dum Heriveus Remorum pontifex, instaurata impluvio ecclesia, quæ incendio deformata fuerat, duodecim canonicos ibidem instituit, atque, ut locum amplius nobilitaret, secundam Remorum sedem esse jussit. Verum non diu perseveravit hæc institutio. nam canonici brevi tempore eo usque prolapsi sunt, ut laïcorum more uxores impune ducerent. Hanc ecclesiæ labem non tulit Adalbero, initoque cum suis consilio, monachos e Tinensi cœnobiolo, quod Freduidis [a] nobilis matrona cum illustri viro Stephano comite, marito suo, in Porticensi comitatu construxerat, una cum Letaldo abbate Mosomum clam adduxit, & prima luce canonicos allocutus, eis optionem dat, ut vel monachi fiant, vel monachis, qui pro foribus consistebant, locum cedant. Ad hæc turbatis omnibus, quibus durus hujuscemodi sermo visus est, pauci priorem amplectuntur sententiam; reliqui inde discedunt. Tum intromissis cum honore abbati & monachis præsul in hunc modum verba fecisse dicitur. » Non frustra nec temere, inqnit, vos huc adduxi, & or- » dinem clericorum vestro postposui. Videte, ut pio consilio nostro respondeatis. » Vestrum sit pro nobis, nostrisque Deum precari: nostrum erit vobis necessaria » providere. Claustra monasterii, ceteraque regularia ædificia quam-primum ædifi- « cari curabimns. Vos tantum de Deo, divinisque rebus solliciti estote; sitque vo- » bis piæ conversationis forma & speculum beati Benedicti regula, quam professi estis. Dein villas & possessiones eis attribuit, in his villam Breveliacum, qnam Richardus Mettensis comes beneficii titulo possidebat. Hæc VII. idus Novembris anni DCCCC LXXI. gesta sunt.

[a] lib. 46. n. 10.

ANN. CHR. 972.

LXXIII

Adalberonis Romam legatio.

POstea natali Domini celebrato, Adalbero legatos Romam dirigit ad Johannem papam XIII. *cognomento Albam-gallinam, qui a juventutis sua primis annis reverentia competentis, & dignitatis angelica albebat canis.* Nuntiat se proximo mense Maïo synodum indixisse; ide que sedis apostolicæ legatum, qui eidem synodo adsit, a pontifice postulat, Mosomensisque cœnobii novam institutionem apostolico roborari privilegio rogat. Annuit pontifex, atque *accito notario, & secundum Romana dignitatis consuetudinem paratis, scriptisque ex papyreo tomo-chartis*, id est ex papyro Ægyptiaca, *fecit privilegium, constituit decretum, quo Mosomensem ecclesiam in monastico ordine tueretur in perpetuum; ac in suo concilio coram episcopis & generali synodo recitatum misit.* Haud scio an Gerbertus hujus negotii causa Romam ab Adalberone missus sit. certe in Italiam per id tempus ab eo directus est, ut probat ejns epistola VIII. ad Adalberonem his verbis. *Mantua quid egerim super negotiis vestris, præsens melius explicabo verbis, quam absens scriptis.* Apostolici pro Mosomensi ec- » clesia diplomatis hæc summa est. Pontifex ait se gaudere ac lætari, quod ecclesiæ « in sancta religione crescant; comperisse Adalberonis industria stabilitum in castro » Mosomo, quod est super fluvium Mosæ, in veneratione Dei-genitricis Mariæ mo- » nasterium, monachorum cœtu decoratum, ab eoque terris & ecclesiis dotatum, » quod pontifex sub suam protectionem assumit. Insuper locellum, Tinum nomine, » a Stephano viro illustri, ejusque conjuge Freduide constructum, quia per se ob » exiguos reditus perstare non poterat, eidem Mosomensi ecclesiæ attributum, colla- » tis in compensationem aliis rebus sancto Remigio, cui a conditoribus illis subjectus » fuerat. quæ omnia pontifex probat. *Scriptum per manum Stephani scriniarii sancta Romana ecclesia, in mense Aprili. Data per manus Andrea episcopi IX. kal. Maii, anno pontificatus domini nostri Johannis sanctissimi & tertii-decimi papa VII. imperii autem domni Ottonis majoris XI. junioris vero V. in mense Aprili, indictione XV.* Postridie idem pontifex, rogatu itidem Adalberonis archiepiscopi, confirmavit omnes possessiones sancti Remigii [b] *archimonasterio* (sic primum vocatum invenio) a quibuslibet concessas; insuper abbatiam sancti Timothei, quam eidem sancto Remigio ad usum hospitalitatis Adalbero largitus fuerat, forte in compensationem Tinensis cellæ, sancto Remigio antea subjectæ, quam Mosomensi monasterio idem antistes, consentientibus Remigianis, contulerat. Tinense monasterium redactum fuit in præposituram, qnæ demum nostro tempore seminario Remensi unita est. Non multo post idem Adalbero monachos in suburbano sancti Theoderici monasterio restituit, ut fusius dicemus anno sequenti.

[b] Labbe misc. coll. p. 539.

ANN. CHR. 972.

LXXIV. Odo abbas S. Michaëlis ad Mosam.

In monasterio sancti Michaëlis ad Mosam Odo abbas, qui & Udo & Vodo alias [a] appellatus invenitur, videns res quasdam proprias monasterii sui elabi in dies, & sensim ad nihilum redigi; cum consilio fratrum amicis suis Stephano & Widoni ejus fratri mansos septem cum dimidio in villa Ermariscurte, super fluvium *Matt* sita, tradit sub censu solidorum xv. quos singulis annis *ad armarium* seu bibliothecam monasterii persolvant, & in festivitate sancti Remigii modios triginta vini, advocato duce ac seniore suo Friderico, necnon domina Beatrice una cum filio eorum Hezelino consentientibus. *Actum publice in atrio sancti Michaëlis, regnante Ottone imperatore in regno Lotharii, Luthario in Francia, Friderico duce, Rainardo comite, anno nongentesimo septuagesimo-secundo incarnationis Domini, indictione quinta-decima.* Apposita sunt his litteris signa Oddonis abbatis, Halevinci præpositi, & aliorum. Alius fuit Halevincus ejus loci præpositus ineunte sæculo decimo sub Stephano episcopo & abbate, & alius Halevincus abbas. *Haremfridus cancellarius*, prævio chrismo, authenticum scripsit & subscripsit.

a supra n. 24.

S. Vitoni abbates.

Humbertus sancti Vitoni abbas primus obiit hoc anno pridie nonas Decembris, testante Hugone [b] Flaviniacensi; & Adelmarus in ejus locum substitutus est. Adelmari & successorum usque ad Fingenium nuda nomina & diem obitus tantum assignat auctor [c] in hæc verba. *Defuncto quoque Adelmaro abbate monasterii sancti Vitoni v. kal. Januarii, Adelardus substitutus est: & hoc defuncto xiij. kal. Januarii, Ermenricus successit, qui, in quantum valuit, locum ampliavit. Hoc etiam ad suprema transvecto vj. kal. Septembris, Rohaldus successit, & Rohaldo Lambertus. Post quem raptus est de cœnobio sancti Felicis Mettensis domnus Fingenius, Scottorum progenie oriundus*, de quo inferius. Post Humbertum ab his abbatibus monasterium per annos ferme quadraginta gubernatum [d] fuisse legitur.

b Labbe bibl. to. 1. p. 136.

c ibid. p. 139.

d Spicil. to. 12. p. 266.

LXXV. Baini-villa S. Apro data.

Ad hoc tempus revocanda est origo cellæ Baini-villæ, quæ ab Arnusto famulo Dei (sic se ipse vocat.) in pago Segintensi * condita est. In litteris hac de re confectis idem Arnustus ait, se ob redemtionem animæ suæ, & domni Gauzlini pontificis auctoritate & collaudatione, quoddam famulorum Dei monasterium construxisse in prædiis suis, id est Baini-villa, *in pago Segintise*, in honore sancti Salvatoris & sancti Mauricii ejusque sociorum, eo pacto, ut idem locus subjectus sit monasterio sancti Apri, ejusque abbati; vultque omnia, quæ huic loco dotato confert, firma, solida, & stabilia esse *sicut ad opus Dei, tenore illo nullatenus mutato, sed observata regula sancti Benedicti institutione. Si autem, quod absit, aut episcopus, aut abbas monasticam religionem funditus* inibi *destruere voluerit, tunc proximi mei*, inquit, *omnia recipient, infantes scilicet sororis meæ.* His litteris absque chronicis notis subscribunt Fridericus dux, Wido & Teutselinus comites, aliique. Badini-villa vocatur hic locus in alia charta, qua Holdierdis matrona res suas ibidem sitas tradit monasterio sancti Apri sub Widrico abbate.

* le Saintois.

LXXVI. Auriliacensis basilicæ dedicatio.

Auriliacensis basilicæ dedicatio hoc anno facta [e] est cura & studio Geraldi abbatis, qui ejus fabricam, ab Adraldo decessore suo inchoatam, absolvit. Hæc dedicatio ab episcopis facta dicitur *anno dominica incarnationis* DCCCC LXXII. *indictione* v. legendum xv. *papa Johanne feliciter sedente in cathedra apostolica*; tumque *diversa sanctorum pignora* in eadem basilica *in altum reposita.* De Geraldo iterum inferius dicendum.

e Analect. to. 2. p. 240.

LXXVII. Galliaci dedicatio altaris.

Hoc ipso anno Froterius Albiensis episcopus in Galliacensi monasterio quoddam [f] altare consecravit in honorem beatæ Mariæ semper virginis, sancti Johannis-Baptistæ, & omnium sanctorum martyrum, præsente Fulcranno Lodovensi seu Lutevensi episcopo, necnon Regimundo comite, ejusque conjuge Gersinde; tumque multa prædia cum ecclesiis Galliacensi sancti Michaëlis monasterio contulit; idque confirmavit Regimundus comes, Albiensis an Tolosanus, *in perpetuum ad Dei servitium, ut monachi sub regula sancti Benedicti in eo degentes deserviant semper.* Tunc Galliaci abbas videtur fuisse Rotbertus, qui immunitati eidem loco a Raymundo comite Tolosano concessæ adfuit *anno xxj. regnante Ludovico rege Francorum*, necnon donationi Viancensis [g] abbatiæ, factæ ecclesiæ sanctæ Cæciliæ Albiensi *anno secundo, quo Ludovicus filius Lotharii regnare cœpit*, & quidem post mortem Lotharii patris, id est anno DCCCC LXXXVII.

f Catel comit. p. 97.

g ibid. p. 100.

LXXVIII. S. Benedicti de Bagiis dedicatio.

His duabus dedicationibus subjungenda est tertia, scilicet dedicatio ecclesiæ sancti Benedicti de Bagiis prope Minorissam * in diœcesi Ausonensi. Præclara sunt

* Manresa.

ANN. CHR. 972.

a *Marca Hisp. c.* 896.

& lectu dignissima bujusce dedicationis [a] acta, quorum summam bic exhibere juvat. Hanc ecclesiam construere cœperant vir quidam illustris ac prædives, nomine Sallanus, & Richardis ejus uxor, mulier religiosissima. Obierant ambo, antequam absoluta esset ecclesia: quam filii eorum, Isarnus & Wifredus, perfici curarunt. Rogatus ad eam dedicandam Frugifer Ausonensis antistes, vicinos de more episcopos, Wisadum Urgellensem, qui Sallani nepos erat, & Petrum Barcinonensem, ad illam sollemnitatem invitavit. Adfuit quoque eidem Wadaldus vicecomes; adfuere etiam cum Isarno prædicti Sallani filiæ, Aigo atque Chixilona, matronæ religiosissimæ ac viduæ, & cum eis Filmera abbatissa, Aigonis proles: at Wifredus præ nimia infirmitate adesse non poruit. Celebratis sacris mysteriis, episcopi liberos Sallani percontari sunt, quæ mens ejus fuisset in condenda illa ecclesia, & cujus sancti nomine eam insigniri voluisset. Illi vero responderunt, patris sui consilium fuisse, ut *ascecterium* illic fieret, illudque in honorem sanctæ Trinitatis, sanctique Benedicti ac sanctorum Petri & Andreæ apostolorum consecraretur. Tum de dote ecclesiæ interrogaverunt episcopi: qui, cum sufficientem esse intellexissent, eamque ab iis, qui præsentes erant, valde auctam vidissent; rursum petierunt, sub quo regimine, quave ditione hoc asceterium ex mente auctoris consistere deberet. Responsum est, ejus conditorem voluisse, ut locus iste nulli alteri homini, quam Romano pontifici subjiceretur; ejusque abbates ex genere suo eligerentur; ac demum statuisse, *ut omni anno ex propria moneta publica Ausonensi solidi triginta deferantur ex argento apostolicæ sedi urbis Quiritia.* verum, ad servandam cum Ausonensi ecclesia caritatem, Sallanum constituisse, ut ex monasterio illo *sancti Petri Ausona Vicensi cathedra libra una appensa de cera* quotannis in paschate afferatur. quæ omnia episcopi comprobarunt, & ex præscripto canonum servanda sanxerunt. *Acta sunt hæc sub æra Christi post millesima, anno trabeationis dominicæ* DCCCC LXXII. *indictione xv. die nonarum tertium Decembrium, luna xxiij. anno bis novenis regnante Leuthario, tempore Borrelli ducis Gothicæ, anno primo, quo natus est filius ejus Raymundus.* His actis subscribunt Borrellus comes & marchio, & Miro episcopus Gerundensis.

LXXIX. Benedicti papæ privilegium pro S. Cæcilia Montis Serrati.

b *ibid. c.* 895.

Jam tum decesserat post annos pontificatus fere septem Johannes papa XIII. mortuus VIII. idus Septembris bujus anni: cujus successor Benedictus VI. qui vix sesqui anno Romanam sedem tenuit, *Cæsario* [b] *abbati venerabilis cænobii sanctæ Cæciliæ Montis-serrati*, ejusque congregationi, privilegium omnimodæ libertatis & apostolicæ protectionis indulsit, cum integra facultate eligendi *secundum Dei timorem & sancti Benedicti regulam* abbatis. *Scriptum per manum Petri diaconi sanctæ Romanæ ecclesiæ, & cancellarii sacri palatii, in mense Decembrio die xvj. indictione xv.* Ex hoc pontificio diplomate recte infert [c] Baluzius, Cæsarium abbatem needum tunc ordinatum fuisse archiepiscopum Tarraconensem; ac proinde vel falsam, vel saltem interpolatam censeri debere Cæsarii abbatis vulgatam epistolam ad Johannem papam, in qua narrat, se ordinatum fuisse archiepiscopum provinciæ Tarraconensis

Cæsarius archiepiscopus Tarraconensis.

c *ibid. c* 403. & 404.

» in synodo Compostellana; at susceptum non fuisse ab episcopis ejus provinciæ;
» immo gravem contradictionem passum a Petro Barcinonensi, Arnulfo Gerundensi,
» Hattone Ausonensi, Wisado Urgellitano, & Emerico metropolitano sedis Narbo-
» nensis. Et quoniam Cæsarius, in causæ suæ præsidium afferebat, se ordinatum
» fuisse ante corpus beati Jacobi apostoli, qui Hispanicas ecclesias fundaverat; re-
» ponunt illi, sanctum Jacobum non fuisse apostolum Hispaniarum: *quia ille apostolus*, inquiunt, *interfectus hic venit, nullo modo autem vivus.* In fine epistolæ pontificem rogat Cæsarius, ut sibi præsto sit adversus contumaces. Insigne mendum est in illa epistola ad Johannem papam, in qua Cæsarii ordinatio facta dicitur æra DCCCC XXXVIII. III. kal. Decembris. quod manifeste refellitur, tum ex tempore Joannis papæ, ac prædictorum episcoporum; tum ex superiori privilegio Benedicti VI. dato longe post id tempus Cæsario adhuc abbati sanctæ Cæciliæ, de cujus origine modo agendum est.

LXXX. Monasterii hujus initia.

d *ibid. c.* 388.

* *Manresa.*

Ante annos circiter triginta Radulfus [d] quidam Ansulfo & uxori ejus Drudæ vendidit castrum Marræ in quo ecclesia sanctæ Cæciliæ ædificata erat, situm in comitatu Minorissæ *, quod ad eum ex dono Caroli regis, cognomento Simplicis, pervenerat. Paullo post mortuus est Ansulfus, cujus conjux Druda & filius Ansulfus ecclesiam illam sanctæ Cæciliæ cum omnibus ad eam pertinentibus (sic ferebant

ANN. CHR. 972.

tempora) vendiderunt Cæsario presbytero, quem Druda nepotem suum, & filii sui consobrinum vocat; simulque castrum Marræ, quod sibi ad vitam retinuerunt, post mortem suam ad eamdem sanctæ Cæciliæ ecclesiam pertinere voluerunt. Acta hæc anno DCCCC XLII. kalendis Junii. Fueritne antea monasterium in illa ecclesia sanctæ Cæciliæ, an postea conditum ab ipso Cæsario, parum compertum est. attamen, cum nulla monasterii mentio in litteris Radulfi & Drudæ occurrat, veri similius est, illic excitatum fuisse a Cæsario, qui forte abbatis honorem ambiebat, uti & postea Tarraconensis archiepiscopi dignitatem. quod Baluzius censet contigisse anno insequenti DCCCC LXXIII. Verum conatus ejus irritus fuit, ut colligimus ex litteris Berengarii comitis Barcinonensis, qui post annos quinquaginta hanc sanctæ Cæciliæ abbatiam Rivipullensi monasterio restituit. Hanc abbatiam cave confundas cum monasterio beatæ Mariæ de Monte serrato.

LXXXI. Ingelheimensis synodus.

In Germania, reversis ex Italia imperatoribus, utroque scilicet Ottone, Ingelheimii synodus episcoporum coram eis autumni tempore habita est, cui Udalricus Augustensis episcopus interfuit. Eidem etiam adesse jussus est Adalbero, ejus ex sorore nepos, rationem redditurus, cur vivente avunculo, baculum pastoralem præsumsisset. Introductus primo Udalricus in habitu monachi, factum nepotis hoc colore purgare conatur, quod in animo haberet sæculum penitus relinquere, & secundum regulam sancti Benedicti sanctam inire vitam, ut suus ipse habitus satis insinuabat, & in contemplativa vita diem obitus sui exspectare. quod sibi ut liceret, abjectus ad pedes imperatorum & antistitum postulavit. Re in crastinum dilata, in id demum convenere patres, non decere, ut, vivente Udalrico, alius ejus in locum ordinaretur. quippe si a tali tantoque viro probetur iste error, fore ut multi episcopi nepotes suos eodem modo subinducerent. satius esse, ut episcopatum retineret Udalricus, cum eo, ut post ipsius obitum Adalbero avunculo succederet. Verum id effectu caruit. nam cum sequenti anno Adalbero in castello Dilinga apud Richwinum comitem, Dietpoldi fratris episcopi filium, cum ipso Udalrico versaretur, repentina morte sublatus est. Hic abbatiam Utenburam in beneficium tenuerat, quam Udalricus, eo mortuo, ab imperatore impetravit, eamdemque retinuit, quoad privilegium libertatis eidem abbatiæ ipsius Udalrici studio restitutum est. Id factum anno sequenti, quo Rudungum seu Ruodingum regularem abbatem illic instituit. Ibidem vixit ejus tempore Hatto, Antonius aliis dictus, cui Udalricus ipse morti proximus aliquid de vestimentis suis misit.

Utenburæ electio restituta.

LXXXII. Wolfgangus in Pannonia prædicat.

Udalrico in primis amicus & familiaris fuit Wolfgangus, monachus tum Einsidlensis, quem locum Udalricus identidem invisebat. Oraculo de futura episcopali dignitate accepto, Wolfgangus animo constituit, saluti aliorum vacare. Hujus rei gratia, cum abbatis sui venia, *monasterium, & non monachum deserens*, per Alamanniam in Noricum pergit, indeque *cum humili comitatu* prædicandi causa Pannoniam petit. Tum veterum frutices errorum exstirpare, & steriles squalentium cordium agros evangelico ligone proscindere adortus, annum unum in hoc opus impendit, sed nullo fructu. quod cum intellexisset Piligrinus Pataviensis antistes, indignum ratus talem colonum in sulcis sterilibus expendere laborem, eum ab illa provincia revocavit, & Ratisponæ vacanti ecclesiæ per Ottonem secundum electione cleri substitui, atque a Friderico Saltzburgensi archiepiscopo renitentem ordinari curavit. Ille vero ordinatus *nequaquam voluit monasticum mutare habitum, quasi erubesceret monachus esse qui fuerat; sed quam intus habuit humilitatem mentis, foris ostendit bonis exemplis & mediocribus vestimentis*, inquit Arnolfus. Quanta vero ille pro re monastica in sua urbe, totaque parochia præstiterit, consequentia demonstrabunt.

Ratisponæ fit episcopus.

Augiæ abbates.

In Augiensi prope Constantiam monasterio, Eggehardus abbas, testante Hermanno domestico auctore, ob res monasterii dilapidatas accusatus, ab Ottone imperatore in ordinem redactus est; & Rudmandus seu Ruodmannus præpositus in ejus locum suffectus, intra viginti-quatuor annos præfecturæ, rem familiarem non modo restituit, sed etiam plurimum auxit. Non ergo Ruodmannus abbas, sed Eggehardus ejus decessor censendus auctor visitationis sancti Galli monasterii, quæ ante quatuor annos facta dicitur.

LXXXIII. Oswaldus fit archiepiscopus Eboracensis.

Plerique Anglicani scriptores ad hunc annum referunt obitum Oskitelli Ebo-

ANN. CHR. 972.

racensis archiepiscopi, cui Oswaldus Wigorniensis antistes, jussu regis & sancti Dunstani impulsu, necnon cleri electione subrogatur. Ne vero monachi Wigorniensis parochiæ ejus absentia turbarentur, hunc episcopatum simul cum Eboracensi Dunstani auctoritate retinere cogitur. Hic ipso anno duodecim [a] monachos e Westbiriensi cœnobio misit in Ramesiense, quod Ailwinus dux orientalium Anglorum in agro Huntindonensi ante quadriennium excitare cœperat, fabricam dirigente Ednoto, qui novo cœnobio primus prælatus est. Prima loci ecclesia beatæ Mariæ, omnibusque sanctis virginibus & sancto Benedicto a Dunstano & Oswaldo consecrata. Ab eo distinguendum est Rumesiense agri Hantoniensis puellare monasterium, quod rex Eadgarus ineunte decimo sæculo erexit, ubi piissimam virginem Merewinam primam abbatissam collocavit.

Ramesiæ monachos locat.

a *Monast. Angl. to.* 1. *p.* 231.

LXXXIV. Laudensi S. Petri monasterio decimæ concessæ.

Venio ad Italiam, ubi Andreas Laudensis episcopus, vir celebris, monasterio [b] sancti Petri, sito secus mœnia Laudis-Pompeiæ *, quod ad rei familiaris angustias redactum erat, subvenire desiderans, decimas ex agris & vineis ejusdem monasterii in eadem parochia consistentibus, sacerdotum & clericorum suorum consultu & consensu benigne concedit. Hoc monasterium tunc erat *sub regimine & ditione Liutprandi strenuissimi abbatis. Actum XIV. kal. Decembris, anno incarnationis dominicæ* DCCCC LXXII. *imperii vero domni Ottonis clementissimi cæsaris X. pontificatus ejusdem domni Andreæ piissimi præsulis XJ. indictione XJ.* lege XV. vel I. Hoc monasterium Germanico Urbis collegio a Gregorio XIII. unitum est. Videtur jurisdictionem quamdam habuisse in puellare cœnobium sanctæ Agathæ de Lomello, olim Laudensis, nunc Papiensis diœcesis.

b *Ital. sac. to.* 4. *p.* 897.

* *Lody.*

LXXXV. Principianum monasterium.

Aliud videtur fuisse Principianum monasterium Laudensis itidem parochiæ, cujus desolationem non ferentes duo monachi, ad Gerbertum tunc Bobiensem abbatem se receperunt, de quibus idem Gerbertus scribit epistolam X. ad Ottonem cæsarem his verbis. *Principiani monasterii duo fratres, velut exsules & peregrini, a nobis recepti sunt: qui desolationem sui loci a Laudensi episcopo, neophytoque abbate factam, molestissime ferunt; simulque referunt, se alicui ecclesiæ minime subjacere debere. Erit ergo vestræ prudentiæ ac pietatis, ut nec Laudensis ecclesia debito privetur honore odio pastoris, nec monasterium subjaceat tyrannidi devastatoris.* Apud Ughellum ac Lubinum nullam invenio mentionem illius monasterii, quod forte aliud nomen habebat. an illud sit monasterium [c] Savinionis, quod Laudensi ecclesiæ auctoritate Marini papæ concessum fuit, aliis dijudicandum relinquo.

c *lib.* 38. *n.* 82.

LXXXVI. Monasteria Italiæ a Mayolo instituta.

Sub id tempus contigit Mayolum Cluniacensem abbatem sanctissimum in Italia occupari, tum reformandis antiquis Italiæ monasteriis, tum novis condendis. Ea siquidem erat Ottonis Magni de eo existimatio, ut imperii sui monasteria, tum in Italia, tum in Germania, ejus regimini ac curæ committere cuperet, ut ad meliorem frugem omnia revocarentur. Hic enim vir, ut Syri verbis utar, licet imperiali potiretur fastigio, magnam tamen erga monasteria gerebat devotionem: *quia nequaquam se feliciter imperium sperabat tenere, nisi summo Regi studeret non displicere. Et ideo sæpius ingemiscebat, dum, qui per religionis habitum Deo se devoverant, sæculari intentos negotio ire per abrupta cernebat.* Nec impar erat Adelaidæ augustæ tum in monasteria pietas, tum in Mayolum reverentia. Utriusque vero familiaritatem ei comparaverat Heldricus, inter palatinos olim præcipuus, qui ad Mayoli disciplinam se receperat. unde factum est, ut Otto Mayolum ad se accerseret: quem adeo pro sua religione dilexit, ut omnia, tum Italiæ, tum Germaniæ monasteria ejus procurationi committere optaret. In his Classense beati Apollinaris cœnobium, quod viginti-quatuor stadiorum spatio Ravenna distat, ad sancti Benedicti normam reformavit Mayolus, ibique abbatem regularem instituit. Ejus loci abbas Honestus ante biennium Petro Ravennati archiepiscopo mortuo subrogatus fuerat. Ad hæc Mayoli opera usus est Sigefridus Parmensis antistes ad renovandam in monasterio sancti Johannis Evangelistæ regularem disciplinam. Denique idem abbas sanctissimus Ticini monasterium sancti Petri in Cælo-aureo, pæne collapsum, restituit, & ad preces imperatricis cœnobium sancti Salvatoris excitare aggressus est, in cujus fabrica diu desudasse memoratur. Hoc est monasterium Salvatoris in suburbio Ticinensi, *ubi sanctum corpus beati Felicis martyris requiescit, & ubi domnus Hildebaldus abba a dicta domna Adaleyda imperatrice præordinatus esse videtur*, ut legimus in primariis ipsius Adelaidæ litteris, datis *anno imperii Ottonis tertio*,

ANN. CHR. 972.

Salvatoris monasterium Papiæ.

tertio, decimo die mensis Aprilis, indictione xij. quod de Ottone tertio intelligendum est, ut constat ex ipso contextu diplomatis, quod Margarinus [a] male ad annum DCCCC LXIX. retulit, ad annos triginta differendum, id est ad annum undemillesimum, indictione XII. præditum, qui Ottonis tertii imperatoris annus tertius erat, mendose duodecimus in editis. Hoc vero anno Johannes [b] papa XIII. prædictum monasterium rogatu Adelaïdæ augustæ, sub protectione sedis apostolicæ constituit; baptismum in ecclesiis ejusdem conferri permittit, & liberam abbatis electinnem indulget cum decimis agrorum propriorum. *Scriptum per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, mense Aprili, indictione xv. Data viij. kal. Maii per manus Widonis episcopi bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domini nostri Johannis sanctissimi ac religiosissimi xiij. papæ* [VII.] *imperii vero domni Ottonis majoris xj. junioris autem v.* qui annus Adelaidæ supremus fuit.

[a] *Bullar. Casin. to. 2. p. 44.*

[b] *ibid. p. 46.*

Mayolus captus a Sarracenis.

In reditu ex Italia Mayolus, transscensis alpibus, cum ad Pontem Ursarii pervenisset, a Sarracenis, qui Fraxinetum insidebant, cum sociis comprehensus, lorisque religatus, multa indigne passus est. Inter ea oblatis sibi ad edendum carnibus uti noluit, negans id sibi licere. Hinc quidam e barbaris ejus religione ac sermonibus permoti, Christo nomen dederunt. Cum vero diutius captivitas illa duraret, cum de sua, tum de sociorum libertate cum Sarracenis pactus, ad suos Cluniacenses epistolam pro lytro scripsit in hæc verba. *Dominis & fratribus Cluniensibus Mayolus miser captivus & catenatus. Torrentes Belial circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. Redemtionis pretium, si placet, mittite pro me & his, qui una mecum capti tenentur.* Hac brevi epistola in capitulo perlecta, Cluniacenses mox condictum pretium ingens ex iis, quæ vel sibi necessaria, vel ad ornatum seposita erant, quam primum submisere. sicque eorum munificentia non solum Mayolus, sed etiam alii omnes, qui se illi ob securitatem adjunxerant, libertate donati sunt. Mayolus vero Cluniacum reversus, festum assumtionis beatæ Mariæ cum fratribus celebravit. Verum injusta hæc captio Sarracenis non cessit impune, immo occasionem præbuit eos Fraxineto & ex alpibus expellendi. Id factum per Willelmum illustrissimum principem ac ducem Arelatensem, qui barbaros adortus, eos fudit, fugavitque; sicque *meritis beati Mayoli*, ut sanctus Odilo scribit, *jugum Sarracenorum ab humeris christianorum deposuit, & multa terrarum spatia, ab eis injuste possessa, ab eorum tyrannica dominatione potenti virtute eripuit.*

ANN. CHR. 973. LXXXVII.

Ottonis M. obitus.

HOc negotium in se susceperat Otto Magnus: verum, audita morte Mathildæ matris, Willelmi filii, aliorumque principum virorum, Fraxineti expeditione abstinere decrevit, & in Germaniam reverti. Italia itaque egressus, Quindelinburgi pascha celebravit, Christi vero ascensionem Merseburgi. Feria tertia ante pentecosten Mimilevum pervenit, & ad nocturnas vigilias de more surrexit. Dein, celebratis ipso die missarum sollemniis, cum post datas pauperibus eleemosynas paullulum cibi degustasset, vespertinis laudibus interfuit. quibus finitis, æstuare & fatigari cœpit. Tum sedili impositus, inclinato capite, quasi jam defecisset, nonnihil refocillatus est; *expetitoque sacramento divini corporis & sanguinis, & accepto*, sine gemitu, cum magna tranquillitate ultimum spiritum exhalavit nonis Maii, vir rebus, tum pro imperio, tum pro religione gestis Magni cognomentum merito assecutus. Funus ejus elatum Magdeburgum, ubi in æde sancti Mauricii ad latus Edithæ conjugis sepultus est. Ejus obitum sanctus Mayolus cælitus præcognovit. Ottonis Magni gesta prima versibus cecinit HRosvitha sanctimonialis Gandershemensis, quæ id *sine ducatu* seu prævio ullo auctore aggressa est, ut ipsa in præfatione sua testatur. Post eam ejusdem Ottonis præclara facta, necnon Heinrici parentis, Witichindus Corbeiæ-novæ monachus, litteris mandavit tribus libris, quos Mathildæ Ottonis filiæ, abbatissæ Quindelinburgensi nuncupavit, *flore virginali cum majestate imperiali, ac sapientia singulari fulgenti.* Idem Witichindus gesta Saxonum ad hunc annum scripsit, aliaque non pauca, quæ Trithemius commemorat. Johannes Letznerus ait, in Corbeiæ monasterio repertum fuisse librum egregium, deauratum & gemmis exculrum, in quo descripta erant quatuor evangelia, quorum initia variis & exquisitis litteris excolorata cum nonnullis versibus auctore Witichindo ejusdem cœnobii monacho, quos apud eumdem auctorem &

Witichindi monachi scripta.

ANN. CHR. 973.

Meibomium videre licet. Ibidem inventi sunt Taciti annalium priores quinque libri, quos quæstor quidam pontificius inde abstulit, detulitque ad Leonem X. donatus ab eo aureis quingentis, ut Lipsius tradit.

LXXXVIII. *Mimilevi abbatia exstructa.* [a] *Ditmar. li. 3. init.*

Ottonis Magni filius æquivocus ac successor, piæ genitricis suæ instinctu, Mimilevi locum, ubi ipsius parens obierat, ab Hersfeldensibus monachis, facta commutatione, comparavit, & congregatis [a] ibi monachis, liberam fecit abbatiam, quam rebus necessariis dotavit, & apostolico privilegio confirmari curavit.

Gandersheimii aliud cœnobium.

Eodem tempore Gerberga Gandersheimensis abbatissa, cujus mentio in superioribus facta est, in suburbio ejus opidi, aliud cœnobium virginum a fundamentis exstruxit in honorem sanctæ Mariæ, ibique triginta sanctimoniales *sub regula sancti Benedicti* collocavit: quibus res necessarias abunde suppeditavit. Iisdem facultas eligendæ abbatissæ, *cum assensu* tamen *veteris monasterii abbatissæ*, indulta est auctoritate Ottonis [b] junioris. *Data vij. idus Junii, anno dominicæ incarnationis* DCCCCLXXIII. *indictione j. anno regni domni Ottonis xiij. imperii autem vj. Actum Grusnaha feliciter.* Willigisus cancellarius vice Rotberti archicapellani hoc præceptum recognovit, idemque post biennium Rotberio seu Rudberto Moguntino archiepiscopo in utraque dignitate successit.

[b] *Meibom. p. 203.*

LXXXIX. *Udalricus Augustensis episcopus obit.*

Ottoni augusto non diu supervixit sanctus Udalricus Augustensis antistes. Extremo correptus morbo, missam quotidie vel celebrabat ipse, vel audiebat. In lectione sacrorum librorum interim pæne assiduus, vitas sanctorum patrum & libros dialogorum sancti Gregorii papæ frequens auscultabat. Werinhario seu Vernhern abbati Fuldensi, qui ad se invisendum accesserat, prædixit fore ut sibi successurus esset, nisi duo viri obsisterent. Tertia pars bonorum ejus in presbyteros & egenos erogata. Hattoni apud Utenburam recluso, ut jam dixi, aliquid de vestimentis ejus concessum, aliquid etiam cuidam Ruzoni paralytico, qui in cœmeterio Campidonensis monasterii ex reliquiis mensarum vivebat. Ipso die nativitatis sancti Johannis-Baptistæ missam, quantumvis infirmus, vir sanctus celebravit. In festo Apostolorum, quo se moriturum credebat, in cinerem, instar crucis conformatum, & aqua benedicta respersum, se deponi fecit, sicque aliquamdiu perseveravit. Moribundo optatus adfuit Richwinus comes ejus nepos, qui e comitiis, in Francia orientali ab imperatore habitis, reversus erat. Mox vir Dei, clericis litanias recitantibus, animam Deo reddidit anno ætatis LXXXIII. ordinationis L. & quidem IV. nonas Julii, qui in feriam sextam eo anno incidebat. Corpus ejus sacerdotalibus indutum vestimentis, cereo panno, quem Hildegardis Richwini conjux subministraverat, superposito, nuda humo, uti ipse mandaverat, lignea tabula superjecta, sepultus est in basilica sanctæ Afræ a Wolfgango Ratisponensi episcopo, qui e prædictis imperialibus comitiis opportune reversus est. Udalrico successit in episcopatu Heinricus, filius Burchardi Alamannorum comitis, qui cum Wolverado comite id effecit, ut Werinharius abbas Fuldensis debito sibi honore frustraretur. Ille non multo post suam ordinationem, ob seditionem Heinrici Bajoariorum ducis, cui adhæserat, in exsilium ab imperatore missus est ad Werthinense monasterium, cujus abbati (Folcmarus is erat) commendatus est. Udalrici vitam scripsit Gerardus ejus presbyter, ut ex codice sancti Emmerammi didicimus, qui ab eo presbyter ordinatus fuerat. Ejusdem auctoris esse videtur liber miraculorum vitæ subjectus. Eamdem vitam alio stilo reddere aggressus est Gebehardus, ejusdem sedis episcopus ab eo quartus, sed morte præventus perficere non potuit. Eamdem expolivit Berno Augiensis abbas, rogatus a Fredebaldo abbate quarto monasterii sanctæ Afræ, quod anno MXII. monachis instituti nostri concessum est. Udalricus in classem sanctorum sollemni ritu relatus est a Johanne papa XV. in synodo Lateranensi. Ejus professionem Benedictinam non alio modo probamus, quam ex habitu monastico, quem uno aut altero ante obitum anno exterius gestavit, antea *semper cuti suæ laneum apponens vestimentum, & regulam sequens monachorum*, ut Gerardus in ejus vita loquitur. Certe silentium nocturnum ad regulæ normam sectabatur, maxime in quadragesima, quo tempore, *omne colloquium, nisi cum Deo & Sanctis, usque ad alteram diei primam peractam, omnino devitavit.* Mitto quod in sancti Galli monasterio educatus & litteris imbutus, monasticen professurus erat, nisi sancta Wiborada reclusa aliter suasisset.

ANN. CHR. 973. X C. Notkerus fit abbas S. Galli.

In monasterio sancti Galli Burchardus abbas, senio fessus, consultu Conradi Constantiensis episcopi, abbatiam abdicavit, & Notkerum, Notkeri monachi & medici ex sorore nepotem, loco sui abbatem eligi, & ab Ottone probari curavit. Ipse vero, cum in cellam, quam perangustam in loco, ubi olim constiterat sanctus Gallus, sibi condiderat, recludi sibi per episcopum non liceret, in locum emeritis abbatibus concessum secessit. Notkeri abbatis ordinationem hoc anno refert Hepidannus, Hermannus vero anno præcedente, quo forte Burchardus abbatiam resignavit. Eam vero superstite Ottone Magno factam fuisse probat epistola Burchardi ad ambos Ottones missa cum sigillo, cui *sancti Galli semifacies* impressa erat. Epistola sic habet apud Ekkehardum.

Summa post Deum majestatis dominis meis, regnum æternum Burkardus abbas semivivus. Annis meis & senio finem mihi vitæ in januis habentibus, ne pastor oves, pater filios improvisos relinquam, domini mei privilegium gratia vestra me sollicitavit. Misi itaque vobis, fiduciam vestri habens, dilectum meum, mihi adhuc vivo sufficiendum, a viris virtutum optimis moribus assuefactum, sancto Gallo, ut confido, vobisque placiturum. Misi autem vobis & testes meos ter tres idoneos, qui eum coram vobis, ferula mea reddita, & indulgentia mihi petita, singuli eligant. Valeat regnum vestrum & imperium in Domino dominorum, amen.

Multis precibus egit Otto junior cum Adelaida genitrice apud Ottonem patrem, ut Burchardi propinqui sui dimissio probaretur, adeoque Notkeri in ejus locum substitutio, cui Sandratum sancti Pantaleonis Coloniensis monachum Otto præferri volebat. Assensit tandem augustus, sed ea lege, ut Sandratus sancti Galli monasterium lustraret, probaretque, an sancti Benedicti regula illic ad amussim servaretur. Notkeri porro ordinationem hoc anno factam asserit Hepidannus, & quidem *mense Thesao* seu Desio, id est Junio, cum dies quintus-decimus ante kalendas insequentis Julii pronuntiaretur. In anno errasse nonnullis videtur hic auctor, quippe qui ad tres annos Ottonis Magni obitum differt, quem hoc anno decessisse constat. Verum cum Hepidanno consentit Hermannus, qui Burchardi abdicationem ad annum præcedentem revocat. Ordinatus demum Notkerus majorum vestigiis insistere studuit, Hartmoti abbatis decreta observare sollicitus, cum discretione tamen, nonnumquam loco cedens, cum relaxandorum tantisper animorum tempora esse censeret, ne rigorem inflexibilem semper retinens, arcum & chordam, ut ipse dictitabat, confringeret; sed tamen per decanum, aliosque primores patres id curans, ne plus æquo, se absente, fratres effluerent. Opidum sancti Galli muris clausit. Familiam suam, id est servos, in qua centum septuaginta capita numerabat, puri tritici granis ali voluit, cum antea pane tantum avenaceo vescerentur. Eo abbate locus omnium rerum copia & spiritualibus deliciis abundasse dicitur. Mitto visitationem a Sandrato factam, qua referenda quædam præpostere & absurde ab Ekkehardo narrantur. In multis non pauca sibi apud sanctum Gallum displicere dixit, *maxime autem in ecclesia exaltationes vocum gloriosas, & nequaquam monachicas, porcini liquaminis usum*, quem uti & carnes, porcinas scilicet, omnibus infirmis & sanis, edicto regis interminatus est. Huic visitationi subdit Ekkehardus adventum Ottonum ad sanctum Gallum *in vigilia ascensionis, quæ fuit in die sanctæ Potentianæ virginis*, id est decimanona Maii, adeoque eo anno, quo pascha in quintum kalendas Aprilis incidisset, quod toto Ottonis Magni principatu non accidit. Adde quod Otto Magnus *a fratre Brunone Coloniæ archiepiscopo sinistra ductus, dextera baculo fultus* fuisse tunc dicitur: cum Brunonem archiepiscopum anno DCCCC LXV. obiisse constet.

XCI. S. Galli viri tunc illustres.

Eo tempore floruerunt apud sanctum Gallum Notkerus, medicus, scriptor, & pictor peritissimus, Notkeri abbatis avunculus, *Piperis-granum* appellatus ob severitatem disciplinæ; Ekkehardus major seu senior, decanus; Ekkehardus minor, senioris ex sorore nepos, Ottonis Magni capellanus, & junioris pædagogus; atque Keroldus monachus, a suscepto subdiaconatu scholarum magister, quo in munere Theodericum seu Dietricum, Mettensem postmodum episcopum, in multis discipulum habuit; a presbyteratu vero prædicator insignis, & Constantiensis episcopi in illis partibus vicarius, ac plebis rector. Hic morti proximus, substerni sibi fœnum humo nuda rogavit; tum substrato cilicio recumbens, fratribus convocatis peccata confessus, indulgentiam ab eis accepit. Dein omnes osculatus dimisit, & paullo post, invocato sancto Johanne-Evangelista, placide obdormivit in Domino,

ANN. CHR. 973.

sepultus non lnnge a Notkero Balbulo, magistro quondam suo, sibique amicissimo. His addendi Walto decanus, & Chunibertus Altahæ-inferioris abbas, qui amore sancti Galli claustrum suum repetiit, ubi decani officium in annum gessit. nam apud Sancti-Gallenses *quotannis*, *more* [a] *Romano*, *officia* tum *mutari* solebant. Demum Brisaugiæ factus præpositus, dum ad sanctum Gallum rediret, equi lapsu interiit. Huic in Altahensi regimine successit Egelolfus, & post eum Aaron, & Erchanbertus: cui sanctus Godehardus suffectus est. Apud Hepidannum eodem anno, quo imperator Otto, Burchardus dux Alamanniæ seu Sueviæ, & Ekkehardus monachus, e sæculo migravisse dicuntur: e quibus dux Burchardus Augiæ in capella sancti Erasmi sepultus est. Fuit & tertius Ekkehardus apud sanctum Gallum, senioris itidem ex altera sorore nepos, apprime litteratus, & ipse decanus: quibus accedit Ekkehardus junior dictus, potius minimus dicendus, qui librum de casibus monasterii sancti Galli labente sæculo undecimo composuit, desinens in adventu Ottonum ad sanctum Gallum. Hic Watzemannum Duellii hoc tempore abbatem laudat, quem sibi suisque amicissimum Ekkehardus minor, Ottones pro Notkeri electione adeundo, invisit. Ekkehardi historiam Burchardus monachus, & ipse dictus minor, prosecutus est.

Chunibertus Altahæ abbas.

a *Gold. to.* 1. *p.* 99.

XCII. Gladbacense monasterium, diœcesis olim Leodicensis, nunc Coloniensis, situm in pago Attoariorum seu Clivensi, haud procul a fluvio Nersa, inter Mosam ac Rhenum, qui Nersam recipit, hoc anno conditum est a Gerone Coloniensi archiepiscopo, qui postero anno decessit. Tempus conditi monasterii satis designat ejus loci chronographus, nempe interveniente obitu Ottonis Magni imperatoris. Gero avunculos duos habuisse dicitur, scilicet Geronem marchionem & Sigefridum; matrem Hiddam, eorum sororem, quæ Jerosolymis obiit; fratrem Thietmarum marchionem, qui cum partem hereditatis suæ contulit monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ apud Thancmaresfelden, quod postmodum alio translatum est. Gero marchio morte unici filii sui Sigifredi consternatus, Romam profectus emeritus jam senex, ad altare sancti Petri arma victricia deposuit, &, accepto a pontifice sancti Cyriaci brachio, in Saxoniam reversus, puellare monasterium in saltu sui nominis ædificavit, eique viduam filii sui, a Bernardo Halberstadensi episcopo prius velatam, præfecit; ac demum, omnibus absolutis ac firmatis, XIII. Kalend. Junias, anno DCCCCLXV. ad Dominum feliciter migravit. Ejus frater Sigefridus partem hereditatis suæ contulit dotando sancti Viti monasterio, quod in loco dicto Gronigge exstruxit. Denique Gero archiepiscopus & Thietmarus marchio, ipsius frater, aliud monasterium in prædio suo juxta Salam fluvium construxerunt in honorem sanctæ Dei-genitricis & sancti Cypriani martyris, Ottone secundo imperante.

Gladbacensis monasterii & aliorum origo.

Aliud videtur fuisse Gladbacense virorum ordinis nostri monasterium, quod Gero archiepiscopus [b] hac occasione condidisse fertur. Cum is de struendo monasterio cogitaret, cælesti didicit oraculo, quod in colle nemoribus consito ad rivulum præterfluentem Deo sub sancti Viti patrocinio illud condere deberet. Itaque huic operi virum strenuum præponere decrevit, Sandradum nomine, & utrique in commune placuit, ut locum huic molitioni aptum deligerent. Dein, multis Saxoniæ locis perlustratis, unus eis in primis arrisit, ad fluvium Wiseram positus, ubi incunctanter monasterii, officinarumque spatium vallo cinxerunt. At portento consilium impeditum, alioque translata construendi cœnobii cogitatio. Dum vero locum aptum citra Rhenum perquirerent, Coloniensis parochiæ fines prætergressi accesserunt ad Molensium fines, ubi mons incultus erat, nemorum densitate opacus, veteris ecclesiæ rudera ostentans, quam a Balderico quodam viro illustri tempore Caroli Magni fabricatam fuisse fama erat, & Sanctorum reliquiis locupletatam, quæ ob Hungarorum incursiones in grandi cavato lapide repositæ credebantur. Hunc locum ubi Sandradus perlustravit, advertitque rivulum ad radices montis præterfluentem, vallemque fontibus undique scaturientibus habilem piscinis, illic consistere decrevit. Rivulo indubie Gladbaci vocabulum erat, ex quo derivata monasterii appellatio. Triduano demum præmisso jejunio, repertæ reliquiæ sanctorum martyrum Viti, Cornelii, Cypriani, Chrysanthi, & Barbaræ. Coadunati ibidem fratres ferventes animo, quibus Gero Sandradum, jam satis a se probatum, præposuit. Ecclesia in honorem Salvatoris, sanctæ Mariæ, ac sanctorum Viti, Stephani pro-

b *Spicil. to.* 12. *p.* 622.

tomartyris, Georgii, Gangolfi, Cornelii, Cypriani, Chrysanthi & Barbaræ consecrata. Porro Sandradum abbatem chronographus tradit accersitum fuisse a Trevirensi sancti Maximini monasterio, *unde tunc tempore monasticæ vineæ, botros virtutum germinantis, odor longe lateque spargebatur floridus.* Hunc facile crediderim esse Sandratum monachum, quem ad visitandum sancti Galli monasterium ab Ottone Magno missum fuisse superius [a] vidimus Certe Sandradus ille Gladbacensis in aula cæsaris notissimus erat, maxime Adelaidi augustæ, cujus confessiones excipere solebat.

ANN. CHR. 973.

[a] Supra num. 90.

XCIII. Johannis Gorziæ abbatis obitus.

Quadragesimus hic annus erat monasticæ professionis, extremusque vitæ Johannis Gorziæ abbatis piissimi, cujus mortem Pœnos gemuisse leones, & montes, feras, silvas vulgasse scribit sancti Cadroæ vitæ scriptor, qui eum columnam in templo Dei appellare non dubitavit. Hic *vir sanctissimus*, ut alterius Johannis ejus laudatoris verbis utar, *exitto sanctæ quadragesimæ, prima ipsa die, post horam vespertinæ refectionis, sane (ut sibi moris erat) parcissimæ, id est panis tantum & aquæ, acutissima febre corripitur, quam post quintam exinde diem exitus est subsecutus.* Ubi ex tam valido morbo lecto decubuit, misso nuntio, vicinorum monasteriorum abbates, ut ad se venirent, rogavit. Mox ad triste nuntium illi adfuerunt *cum primoribus domus sanctæ sedis beati Stephani*, id est principis Mettensis ecclesiæ, *viris religiosis*, & turba non modica. Ille singulos ad se accedentes *in osculo sancto*, hilari ac placido vultu excepit, & cunctis in commune pro suo more, quantum morbus patiebatur, de infelicitate hujus vitæ & alterius felicitate pauca locutus est. tum, multitudine salutata ac dimissa, patres reverendissimi Cadroë, Berhardus, Hudo, Adelmodus, & Johannes ejus vitæ scriptor, per quatuor quibus superfuit dies cum illo remanserunt. Erat Cadroë abbas sancti Clementis, Hudo seu Odo sancti Michaëlis ad Mosam, Johannes sancti Arnulfi; Berhardus, ut quidem puto, sancti Martini prope Mettas, Adelmodus sancti Vincentii. Mirabantur illi stupebantque, virum sanctissimum tam vehementi morbo a Deo exercitari: sed revincebat eos pia scripturarum consideratio, ex quibus viros, etiam vitæ defæcatissimæ, hoc modo probari solitos discimus. De alio Johannis nostri morbo intelligendum videtur id, quod de eo in vita sancti Cadroæ legitur, ipsum nempe gravi morbo correptum, *quia erat vir inenarrabilis abstinentiæ, aridis cibis, ut solebat sanus*, usum fuisse. quod cum advertisset Cadroë abbas, qui ad eum invisendum Gorziam venerat, ipso nescio carnes parari jussit, eique comedendas exhibuit. quas cum Johannes attingere horreret, eas coram illo prægustavit Cadroë, qui vix ovum alias edere consueverat; pioque facto Johannem ad carnes edendas adduxit. quod certe in morbo Johannis extremo, qui in quadragesima contigit, Cadroë sibi licere haud existimasset.

Ex dictis manifestum est, Johannem quinta ant sexta quadragesimæ die fato functum fuisse: sed dies mensis incertus ob incertum obitus ejus annum, quem Bollandus decennio prævertit, tametsi Johannes mortuus sit, cum quadragesimus *in sancto proposito* vitæ monasticæ *ei annus erat*, quod tempus ab anno DCCCCXXXIII. repetendum esse constat ex ejus vita, ut ipse Bollandus fatetur. Ut vero prævertendum Johannis obitus tempus censeret Bollandus, adductus est partim Sigeberti, partim indicis abbatum Gorziensium testimonio. quippe Sigebertus auctor est, Guibertum monachum Gorziæ decessisse anno DCCCCLXII. abbate Oilbaldo seu Oiboldo, qui Johannis antecessor in prædicto indice dicitur. unde consequens esset, Johannem abbatem ante mensem Maium ejus anni, quo Guibertus obiit, e vivis migrasse. Verum forte pro Eginoldo abbate Oilbaldum posuit Sigebertus; nec satis accuratus est abbatum Gorziensium index, ut ei tuto fidem habere possimus. In necrologio sancti Arnulfi occurrit *Johannes abbas* IX. Kalend. Martii, & nonis ejusdem mensis *domnus Johannes abbas.* at cujus monasterii, incertum. In eodem necrologio notatur V. idus Aprilis *Adelmodus abbas*; & XII. kal. Octobris *Berhardus abbas.* quos eosdem esse, qui Johanni morienti adfuerint, haud dubito. Librum egregium de vita Johannis Gorziæ abbatis, ipso vivente, scribere decreverat Johannes sancti Arnulfi abbas, quem ille *sancta familiaritate sua non indignum judicaverat.* Verum scriptoris consilium intercepit mors viri Dei: quo mortuo, jussu Theoderici Mettensis episcopi auctor id executus est maxima ex parte, sed non penitus perfecit. nam sæculari & monastica Johannis vita diserte & accurate digesta, dum abbatiale

ANN. CHR. 973.

regimen persequi parat, & ipse auctor morte præoccupatus est, uti colligimus ex veterrimo ejus vitæ codice, quem ipsius auctoris fuisse existimo. Habetur in eodem codice liber de vita sanctæ Glodesindis, cui præmittitur *prologus domni Johannis abbatis in vitam sanctæ Glodesindis a se editam*, quæ vita ejusdem videtur esse auctoris, uti & libellus sequens de ejusdem Glodesindis translatione. Johanni abbati Gorziensi successit Odolbertus, qui cum Isaaco canonico Virdunensi Gorziam se receperat, ut Johannes Mettensis testatur in libro suo de vita sancti Johannis Gorziensis, quem librum *ejusdem sancti collegii patre domno Odolberto* scribebat. De Immone ejus successore alias dicendum.

XCIV. Synodus ad Montem S. Mariæ duplex.

Adalbero Remorum pontifex anno superiori synodum in pago Tardanensi apud Montem-sanctæ-Mariæ in proximum mensem Maium indixerat, in quo monachorum institutio in Mosomensi monasterio ab se restituto secundum litteras Johannis papæ XIII. confirmaretur. Ejus mandato convenerunt provinciales episcopi & abbates ad eum locum, qui in parochia Suessionensi Basilicas * inter & Fines * Remorum positus est, a canonicis regularibus nunc occupatus. Lectæ primum audientibus patribus apostolicæ litteræ, quarum summam superius retulimus, communique consensu decretum Adalberonis nomine conditum est, subscriptumque ab episcopis & abbatibus, quo nova hæc institutio probaretur. Huic decreto subscripsere post Adalberonem archiepiscopum Wido Suessionensis, Hildricus Belvacensis, in editis indicibus desideratus, Thebaldus Ambianensis, Haidulfus Noviomensis, Theudo Cameracensis, Adalbero Laudunensis, Gibuinus Catalaunensis, Constantius Silvanectensis, Liudulfus Teruannensis episcopi: ex quibus Adalbero post annos tres subscripsit, quo tempore Roriconi successit. Ex abbatibus subscripti inveniuntur Rodulfus abbas sancti Remigii Remensis, Odeleus sancti Medardi Suessionensis, Ratoldus Corbeiensis, Berlandus sancti Vincentii Laudunensis, Azo seu Adso abbas sancti Basoli. His actis Adalbero, data benedictione, solvit concilium, & Mosomensi asceterio advocatum dedit Godefridum fratrem suum, ejusque successores.

* Basochas. * Fimes.

Aliud in eodem loco celebratum, aut certe indictum est ab ipso Adalberone concilium, cujus convocatio exstat in Gerberti epistola CXI. Adalberonis scripta nomine ad comprovinciales, quam, quia brevis est, huc referre lubet. *Multa super statu ecclesiarum Domini, multa super publicis privatisque negotiis ratiocinaturi, cum nostræ diœceseos confratribus carissimo vos invitamus affectu, non tantum nostri, quantum vestri causa honoris ac utilitatis. Locus loquendi Mons-sanctæ-Mariæ Terdonensis: tempus iij. iduum Decembrium. valete.* Aliud itaque fuit hoc concilium a superiori, quod mense Maio indictum, habitumque est.

XCV. Monachi apud S. Theodericum restituti.

Mirum forte nonnullis videri possit, quod in priori illa synodo Adalbero non curavit confirmari monachorum itidem restitutionem in cœnobio sancti Theoderici in monte Hor prope Remos, quæ restitutio anno præcedente facta dicitur in brevi chronico Remensi apud Labbeum. Verum præceptum Lotharii regis sufficere visum est ad restituendum monachis locum, quem canonici ab aliquot annis occupaverant. quod secus erat de Mosomensi ecclesia, in qua non monachi, sed monachæ primitus institutæ fuerant. Hunc vero locum Adalbero monachis restituere cupiens, eum de manu Rotgerii comitis Rociacensis, injuste illum retinentis, vi & sagacitate abstulisse dicitur, &, remotis duodecim præbendariis, *qui non Deo & sanctis ejus, sed sibi ipsis & comiti serviebant*, monachos substituit religiose viventes, quibus Airardum abbatem præfecit, ex monasterio sancti Remigii eductum, *ubi tunc religionis studium florebat* sub Rodulfo abbate. Airardus, olim ex clerico monachus, eximia vitæ conversatione & sanctitate excelluisse fertur, ibique in loci reparatione, & in spirituali fratrum ædificatione attentius laborasse. unde multi ejus monachorum religione animati, spreto sæculo, istuc confluxisse memorantur, eodemque crebro visitandi causa Adalbero ipse venisse, & eis monita salutaria dedisse. Certe Airardum abbatem Adalberoni acceptissimum fuisse patet ex variis legationibus & negotiis, in quibus eum idem præsul adhibuit, ut in consequentibus ex Gerberti epistolis demonstrabimus. Alius fuit Airardus Auriliacensis monachus, quem Gerbertus sæpius in suis epistolis laudat. Porro ut Adalbero monachos apud sanctum Theodericum restitueret, adductus est partim studio in monachos nostri ordinis, quippe qui in Gorziensi monasterio educatus fuerat; partim relatu miraculorum, quæ tum ad sancti Theoderici reliquias illic patrabantur. Ut

vero hæc restitutio firmior & sanctior esset, eam præcepto Lotharii regis roborari curavit. In illo diplomate [a] rex ait, fidelem suum Adalberonem sibi supplicasse, ut regias litteras impertiret *super quadam abbatia cœnobii, tertio milliario ab urbe disparata, in honore beati Bartholomæi, beato disponente Remigio, sub divina revelatione constituti, in quo venerabilis confessor requiescit Theodericus, primus ejusdem loci ab eodem sancto Dei pontifice monachorum abbas institutus.* qui locus, cum a monastico statu in canonicalem defecisset, *procurante eodem Adalberone in pristini ordinis dignitatem est restitutus.* Rem probat rex Lotharius ad preces Emmæ reginæ, confirmans bonorum restitutionem, quæ eidem monasterio ab Adalberone facta est. *Actum palatio Compendii sub die vij. kalendas Junii, indictione ij. vigesimo anno regnante gloriosissimo rege domno HLothario*, id est anno DCCCC LXXIV. Huic præcepto postmodum subscripsit Adalbero, & tres post eum episcopi, Adalbero scilicet Laudunensis, Wido Suessionensis, & Theobaldus Ambianensis; insuper quinque comites, Gillebertus, Wido, Manasses, Albertus & Rotgerus, hic Rociacensis, ille Veromandensis.

[a] Mariot. to. 2. p. 19.

XCVI. Anno abbas Miciaci obit.

Paullo ante id tempus Anno Miciacensis abbas piissimus, post annos regiminis amplius triginta, epiphaniorum prima die, mortalem sarcinam exuit, magno suorum luctu & desiderio, cum Bernerius decanus, vir inter præcipuos insignis, nono ante eum die laudabilem vitam pretiosa morte complevisset. His duobus luminibus simul orbati Miciacenses, magnopere consternati sunt. Annonis obitu comperto, Ermenthæus episcopus, assumto secum Richardo Floriacensi sancti Benedicti abbate cum suo clero, sancti viri funus curaturus, Miciacum venit, eumque in atrio exteriori, quod spectat ad aquilonem, ad latus Sutbardi viri clarissimi, qui hunc locum multo affectu coluerat, honorifice humavit. Ejus corpus post annos duodecim, cum illud atrium amplificandum esset, integrum repertum fuisse tradit Letaldus monachus, testis oculatus. Sepulto venerabili abbate, Isaac decanus iterum institutus. Per id tempus Ermenthæus episcopus, gravi morbo correptus, desperari cœpit. Producto nibilo minus languore, cum minime convalesceret, prima jejuniorum hebdomada ad monasterium deportatur, & monastico habitu induitur. Dein sensim convalescere cœpit, eratque ejus conversatio fratribus omnino grata & accepta. quare eum habere pastorem præoptabant. Et quidem primo ille annuit: sed post, voluntate mutata, Hermenaldum Floriacensem monachum eis præficiendum curavit. Reclamantibus apud Arnulfum ejus nepotem ac successorem monachis, creatus est demum abbas Amalricus, sancti Benedicti decanus, *vir simplex & boni testimonii, & secundum sæculi dignitatem clarus*, cum locus anno uno & diebus octo pastore vacasset. Ejus rogatu Arnulfus episcopus quædam altaria Miciacensibus concessit anno DCCCC LXXIV. *indictione j.* episcopatus ejus anno tertio, mense Maio, anno XX. Lotharii regis. Letaldus ejus rei litteras scripsit vice Rotberti capellani episcopi, baud dubie monachus ille, qui librum de miraculis sancti Maximini abbatis composuit. ubi legendum *anno* DCCCC LXXIII. ut annus cum indictione prima conveniat. Ex his porro litteris colligitur, Arnulfum episcopum patruo an avunculo suo Ermentbæo adhuc viventi, sed facto monacho, suffectum fuisse anno DCCCC LXX. Porro Ermenthæus, cum biennium & mense uno Miciaci vixisset, die kalendarum Aprilium ad aliam vitam migravit. Arnulfus vero episcopus Miciacensibus non parum se favorabilem præstitit. quippe, inter cetera beneficia, omnium ecclesiarum Miciaco subjectarum reditus, qui ad ipsum pertinebant, relaxavit, idque synodali auctoritate confirmari curavit. Ad hæc Romam profectus, decretum apostolica roboratum auctoritate *in papyro* scriptum eidem loco impetravit. quæ res ita fratrum animos ipsi conciliavit, ut qualibet hebdomada *sacrificium laudis* pro eo, ejusque antecessoribus ac successoribus bis offerri decreverint. Ceterum Amalrico abbati Miciacensi subrogatus est Constantinus, ad quem Gerberti epistola XXXIII. quæ in editis secundo loco habetur, præferendus utique Alberto, quem vulgati indices perperam Constantino præponunt. Ex dictis colligitur, mendum etiam irrepsisse in litteras Hugonis ducis Francorum & marchionis, cognomento Capeti, qui ecclesiæ Aurelianensi abbatiam sancti Jobannis restituit *anno Domini* DCCCC. LXXV. *indictione iij.* uti postulabat. Arnulfus *anno sui præsulatus* XII. ubi legendum videtur V. aut VI. His litteris apposita sunt signa Hugonis ducis, Rotberti filii ejus, Gaufredi comitis, scilicet Andecavorum, Fulconis

Ermenthæus episcopus ibi fit monachus.

Amalricus abbas.

ANN CHR. 973.

filii ejus, Henrici comitis, nempe Trecensis, Wauterii comitis, Walterii & Radulfi ejus filiorum, Burchardi comitis, videlicet Corboliensis, & Burchardi ejus rei amanuensis. quæ litteræ nos docent id, quod jam supra [a] monuimus, Hugonem jam ante annos minimum septem uxorem duxisse Adelaidem, Guillelmi Pictavorum comitis filiam, ex qua natus Rotbertus, cujus signum his litteris appositum est.

[a] *sup. n. 50.*

XCVII. *Guido abbas abstracta monasteriis restitui curat.*

Sub id tempus Wido seu Guido abbas Cormaricensis, aliorumque monasteriorum, pænitens erratorum, quæ in eorum administratione gesserat, damna ut resarciret, eos, quibus varias terras in beneficium concesserat, adjoravit, ut ea suis locis restituerent, & ipse a se subtracta restituit. Ejus rei litteræ hoc loco afferre operæ pretium fuerit.

Ego in Dei nomine Wido abbas ex monasterio sancti Pauli Cormaricense, seu ex monasterio sancti Salvatoris Villa-lupæ, sub ejus patrocinio degente; necnon ex monasterio sancti Petri Ferrariensis, atque ex monasterio sancti Albini Andecavensis, notum fieri cupio omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus, quam futuris, qualiter locis in meo regimine consistentibus omni affectione atque conamine consulere velim. Ego siquidem quondam bonis omnibus affluens, prosperitatibus sæculi fulgens, cuncta postponens, tirocinio Christi me mancipans, monasticum ideo sumens onus: sed sæcularibus præpeditus negotiis, insuper inimici tentationibus instigatus, multimodis susceptum monasticum ordinem non, ut decebat, hactenus custodivi, sed plurimis interlabentibus culpis prævaricavi. Denique loca in meo regimine consistentia, qui debueram bona pro posse augendo ad meliora provehi, plurima inde subtrahens, quæsivi ad ima relabi. Nunc vero pænitudine ductus, quod minus peregi, supplere cupio. Hortante quoque Widone episcopo, avunculo meo, nec non domni abbatis Hycmari impulsu, quin potius divino instinctu, terram quam de his locis, pro nefas! sustuli, benigno animo illis reddo: fecique hanc scriptionem, ut, si quispiam aliquid inlicite tenet, quod ego ei maligno depravatus consilio contuli, jam non audeat retinere. Hoc quoque scriptum fratri meo Gausfrido Andecavorum comiti direxi: qui gratante animo cum manu propria firmavit, fidelium quoque manibus roborandum esse decrevit. Signum domni Widonis abbatis, qui hanc editionem fieri jussit. S. Widonis episcopi. S. domni Hynmari abbatis. S. Nefingi episcopi. Fr. Wido manu propria firmavit. S. Gausfredi comitis. S. Marcoardi. S. Rainaldi. S. Warini. S. Widonis. S. Gnatoni. S. Odonis. S. Odolgarii. S. Griferii. S. Burchardi. S. Ernegisi. & aliorum xv.

Hactenus charta Widonis abbatis, sed sine chronicis notis, quæ ante hunc annum edita dici debet, si Wido Suessionensis, ut vulgati habent indices, ante hunc annum mortuus est: certe non serius hoc anno, qui extremus [b] fuit Nefingi episcopi, cujus obitus in necrologio notatur III. idus Septembris. Rainaldus ei successit. Wido abbatem se dicit Villa-lupæ, tametsi ante annos septem proprium [c] illi loco abbatem concesserat, nimirum quod hoc monasterium *sub patrocinio* Cormarici esse perseverabat. Wido Suessionum episcopus, cujus instinctu hæc restitutio facta est, patruus erat Widonis abbatis, usitato illorum tempore *avunculus* dictus: at quis fuerit Hycmarus seu Hynmarus ille abbas, fateor me ignorare.

[b] *Labbe to. 1. p. 275.* *Nefingi episcopi obitus.* [c] *V. lib. 46. n. 95.*

XCVIII. *Mayoli quædam facta.*

Anno XXXVI. Conradi regis, Mayolus Cluniacensis abbas villam Ambariacum & alia quædam precario tradit Hugoni filio Lamberti comitis in hæc verba. *Notum sit omnibus sacri cænobii Cluniensis abbatibus atque monachis quibusque futuris, quod ego frater Mayolus prædicti cænobii, licet indignus, abbas, una cum consensu fratrum, res juris nostri cuidam nobili viro Hugoni, Almodi ejus uxori, & Stephano eorum filio, atque ejusdem primogenito villam Ambariacum concedimus.* Subscribunt his litteris *Mayolus humillimus abbas*, *Vivianus* prior, *Ermenfredus episcopus*, *Balduinus*, & alii monachi numero XXV. Ermenfredus incerti loci episcopus, qui post Mayolum subscribit, haud dubie factus erat monachus Cluniacensis. Ad hæc anno XX. Lotharii regis Albericus Matisconensis comes & Ermentrudis ejus conjux Cluniacensibus multa prædia conferunt in villa Aponiaco *.

* *Apogr.*

Vizeliaci privilegia confirmata.

Eodem tempore Eldradus Vizeliacensis abbas, Guidonis successor, privilegium [d] a Benedicto VI. impetravit, quo ejusdem loci libertas & immunitas confirmatur, simulque concessio decimarum in quatuor ecclesiis, facta a Gerardo episcopo Augustodunensi. Datum IV. kalendas Decembris, anno primo pontificatus domni Benedicti sanctissimi VI. papæ, imperante domno Ottone a Deo coronato magno imperatore

[d] *Spicil. to. 3. p. 461.*

imperatore anno VI. indictione II. a Septembri inchoata. Idem Eldradus abbas hoc ipsum privilegium a Benedicto VII. & Johanne XV. renovari curavit. Robertus vero ejus successor a Silvestro secundo. ANN. CHR. 973.

XCIX. Ecclesia S. Mariæ Inter-medias-aquas dicatur.

Ante annos quatuor Lupo archidiaconus sancti Stephani sedis Tolosæ ecclesiam sanctæ Mariæ Inter-medias-aquas * Hircii * & Aregiæ * contulit Coxano monasterio sancti Michaëlis & sancti Germani confessoris. Hoc autem anno, cum refecta esset hæc ecclesia, rogatu Guarini abbatis a Bernardo episcopo Conseranensi consecrata est *cum jussione Hugonis pontificis sedis Tolosæ* XI. kal. Februarii, feria IV. *propter remedium animæ Luponi archidiaconi sive primicerii sancti Stephani*, qui hanc ecclesiam cum aliis prædiis eidem monasterio donaverat. quam donationem idem præsul confirmavit. Eamdem ratam habuerunt episcopi in synodo Coxanensi post annos centum. Hic est Guarinus Coxanensis abbas, Pontii successor, cujus opera sanctus Romualdus abbas & Petrus Urseolus dux Venetiarum ad monasterium sancti Michaëlis adducti sunt. Hunc vero Guarinum sibi familiarem fuisse auctor est ipse Gerbertus in epistola XLV. in qua ejus adhortatione se Hispaniæ principes adivisse testatur. Idem Guarinus novam Coxanensis monasterii ecclesiam, quæ ante viginti [a] annos a Pontio abbate inchoata fuerat, dedicari curavit anno insequenti a Suniario episcopo Helenensi, Mirone Gerundensi, Frugia Ausonensi, Wisado Urgellensi, Isolo Tolosano, Bernardo Conseranensi, & Francone Carcassensi.

* Tremesaigues. * l'Herce. * l'Ariege.

Guarinus Coxani abbas.

[a] Marca Hisp. c. 406.

C. S. Saturnini monasterium.

Hoc autem anno, III. Kalend. Augusti Borrellus [b] Barcinonensis comes monasterio sancti Saturnini, ad fluvium Valeriam haud procul Urgella sito, cujus tunc abbas erat Amelius, donavit ecclesias castri Lordani & Isaunæ civitatis a Sarracenis destructæ, sitas in extremis finibus marcæ Hispanicæ, ea lege, ut monachi ejus loci eas reædificarent & possiderent cum omnibus suis juribus & possessionibus, quæ in instrumento hac de re confecto enumerantur. *Facta hujus donationis charta in Barchinona civitate die iij. kal. Augusti, anno xviiij. regnante Leutario rege.*

[b] ibid. c. 405. & 902.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUADRAGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 974. ad annum 980.

ANN. CHR. 974.

I. Novi tumultus in imperio & in ecclesia.

a *Lambert. Scafn.*

b *Chron. Camer. p. 159.*

* *Bessut.*

* *la Haine.*

POST mortem Ottonis senioris novi motus in Germania & in Urbe exorti. Heinricus dux [a] Bajoariorum in Ottonem juniorem, patruelem suum, favente Abrahamo Frisingensi episcopo cum aliis principibus, molitur seditionem, quæ statim in ipsa origine compressa est. In Germania inferiori Rainerus [b] & Lambertus, filii Raineri Montensis comitis, quos Bruno Coloniensis præsul ob rapinas & insolentias exsilio damnaverat, paternum honorem, Godefrido & Arnulfo comitibus concessum, armis repetere adorti, castrum Bussutum * ad Hagnam * fluvium munire cœperunt, indeque in vicinos sævire. Verum Otto brevi cœpta prohibuit, præsidium expugnavit, diruit, captosque rebelles denuo in exsilium amandavit. At illi finem grassandi non fecerunt, dum tandem a Godefrido & Arnulfo comitibus ad Montem opidum subacti sunt. Inter ea Ottoni filius nascitur, avi ac patris nomine donatus.

II. Pontificum mortes & tumultuariæ electiones.

Dum Otto his motibus comprimendis occupatur, Cencius civis Romanus Benedictum pontificem arripuit, & in vincula conjectum misere mori allisa gula coëgit. Hinc renovata Romanorum de pontificum creatione vetus ambitio, quos, ut libido tulit, rursus sine imperatoris auctoritate crearunt. Itaque, mortuo Benedicto Donus secundus, & mox post Donum Bonifacius VII. Ferrucii civis Romani filius, corruptis comitiis est illatus. quod cum factio Tusculanorum comitum æquo animo ferre non posset, ipsum omnibus afflictare modis cœperunt. quorum conatibus cum par ad resistendum non esset, ex Urbe, spoliata rebus pretiosis Vaticana basilica, profugit. quo facto, Tusculani comites Benedictum VII. Alberici quondam consulis nepotem, in ejus locum intruserunt. His turbis imperator occurrere cupiens,

Mayolus pontificatum recusat.

non aliud præsentius remedium se afferre posse credidit, quam si Mayolum Cluniacensem abbatem ad suscipiendum pontificatum cum suis, tum matris precibus adduceret. Verum oblatam dignitatem constanter renuit modestissimus abbas, uti olim Vesontionensem archiepiscopatum recusaverat. Ejus rei causa in Italiam accersitum ab Ottone Mayolum tradit Syrus ejus vitæ scriptor. at, si hoc tempore id contigit, potius in Germaniam accitus dicendus est. siquidem Otto ab obitu patris non ante annum DCCCCLXXX. in Italiam profectus traditur. Certe neque toto triennio, quo illic moratus est, vacavit Romana sedes. Syrus auctor est, Mayolum,

ANN. CHR. 974.

cum ab Ottone & matre augusta ad subeundum pontificatum urgeretur, inducias consulendi Numinis causa postulasse; &, cum ab oratione surrexisset, apostolicæ lectionis codicem casu ipsi oblatum fuisse, ubi hæc [a] sententia: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* quibus lectis, cum denuo urgeretur, respondisse fertur, eas dotes sibi haud inesse, quæ viro apostolico conveniant; nec tantæ dignitatis ponderi ferendo se parem esse. non decere quemquam hanc subire sarcinam, cujus non possit ruinam vitare. Denique suos & Romanorum mores mutuo non convenire. proinde alium quærerent tanto honori magis congruentem. ceterum se animo constituisse, gregem sibi commissum numquam relinquere.

[a] *Col.* 2. 8.

III. Ottoni matrem reconciliat.

Sub idem tempus, testante Syro, dissensio inter Adelaidem augustam & Ottonem ejus filium exorta est, agentibus quibusdam susurronibus, qui matrem apud filium, tamquam rei publicæ dilapidatricem, traduxerant, forte quod in pios usus sua omnia expenderet. quæ calumnia olim Mathildæ pientissimæ reginæ, Ottonis Magni parenti, impacta fuerat. His auctoribus imperatoris ira eo usque efferbuit, ut genitricem regno se exturbaturum minaretur. Quærebatur vir idoneus, qui matrem filio reconciliaret: sed nemo irato principi adolescenti se opponere audebat. Unus id ausus est Mayolus, qui, audito piissimæ parentis discrimine, ad Ottonem venit, & christiana libertate eum increpavit, quod præcepta Veritatis aspernaretur. Deo satis virium esse, ut ipsum ad ima redigeret, qui ad mortalium fastigia eum evexerat. Obstupuit ad gravem hunc sermonem imperator, sciscitatusque est, qua in re præcepta Veritatis neglexisset. Cui vir Dei: Parentes, inquit, honorare Veritas jubet, ille scilicet, qui, cum Deus esset, homo factus Virgini-matri se subjicere non est dedignatus. Tu vero parentem adeo non colis, ut illam mortali odio prosequaris, atque e regno proturbare mediteris. Ad hanc vocem cæsar iras temperavit, & ad genitricis pedes prostratus, errati veniam poposcit. Sic per virum Dei sarcita concordia est.

IV. Bulla pro Rodensi monasterio.

[b] *Marca Hisp.* c. 902.

Verdariæ donatio eidem facta.

[c] *ibid.* c 903.

Redeo ad Benedictum VI. quem non ante mensem Aprilem hujus anni e medio sublatum fuisse constat ex privilegio, quod Hildesindo [b] religioso abbati Rodensis monasterii, in comitatu Petralatensi ad montem Rodas, subtus castrum Verdariæ positi, illo mense indulsit, confirmans omnes ipsius monasterii possessiones, quod patrocinio & defensione sanctæ Romanæ ecclesiæ perpetuo munitum esse decernit, concessa etiam libera electione abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Scriptum per manum Stephani notarii regionarii & scriniarii Romanæ ecclesiæ *in mense Aprilis, & indictione secunda.* Paullo ante Gaufredus [c] comes Ruscinonensis, & filius ejus Soniarius episcopus Helenensis eidem monasterio contulerant quasdam possessiones, quæ ipsis provenerant seu donatione regia, seu ex hereditate parentum; in his castrum Verdariam monasterio vicinum. Subscripsit huic donationi Miro Gerundensis episcopus, in cujus diœcesi hæc agebantur. *Exarata est hæc carta donationis ij. nonas Januarii, anno trabeationis Christi* DCCCC LXXIIII. *per indictionem ij. regnante Lothario.*

V. S. Florentio datur S. Lupantii ecclesia.

* Chinon.

Salmurense sancti Florentii monasterium tunc administrabat Amalbertus abbas, qui, audito Teutbaldi comitis Caïnonem * adventu, sole cadente illuc profectus Salmuro discessit, & nocte illa sub nudo aëre ad cujusdam arboris radicem jacuit. Inde prima luce ad curiam cum accessisset, sancti Lupantii ecclesiam, quæ in Caïnonis suburbio sita est, ab eo impetravit. quæ donatio ab Arduino Turonensi præsule, cujus juris erat, confirmata est. Ea re commotus quidam ejus loci clericus, cum codice vitæ sancti Lupantii, aliisque pretiosis ornamentis aufugit, & in Vigennam fluvium delapsus, cum his omnibus submersus est. In litteris hujus donationis Teutbaldus comes ait, se prædictum oratorium, in quo sanctus Lupantius requiescebat, Amalberto abbati enixe id petenti *tam causa refugii, quam ad monasterium instituendum* concessisse, ut *cultus divini obsequii* ibidem, prout possibile esset, Deo offerretur. Hanc vero donationem confirmat Arduinus archiepiscopus, ea tantum conditione, *ut abbas memorati cœnobii sancti Florentii annis singulis in synodali conventu, qui mense Octobrio celebratur,* Turonensi *matri ecclesiæ solidos decem inter censum & synodalem exactionem exsolvat.* quod canonici ratum habuerunt. *Data mense Decembri in civitate Turonis, anno dominicæ incarnationis*

ANN. CHR. 974.

DCCCC LXXIII. Idem archiepiſcopus præbendam in ſua eccleſia Salmurenſibus monachis ante annos quatuor jam conceſſerat. Florebat tunc in illo cœnohio Ingelbertus monachus, *litteris eruditus*, qui ſancti Florentii vitam *largiori ſtilo* explicavit, cujus proœmium incipit ab his verbis, *Mirabilem Domini*, &c. ut in ejuſdem monaſterii chronico legitur.

Floriaco privilegium.

Hoc ipſo anno Lotharius Floriacenſi monaſterio, ad preces Richardi abbatis, privilegium immunitatis indulſit. *Actum Compendio palatio regio, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXIIII. *anno xxj. regnante Lothario glorioſiſſimo rege.*

VI. Adelæ comitiſſæ extrema donatio S. Albino.

Tunc etiam Adela comitiſſa, uxor Gaufridi Andecavorum comitis, cognomento Griſagonellæ, in extremis agens, ſancto Albino donat curtem ſibi a parentibus traditam (hæc Rotberti Viromandenſis filia erat) ſitam in pago Belvacenſi, quæ vocatur Undanis-villa; item inſulam Montis, ſitam in pago Andega-
» vino, quam Gaufridus comes ipſi in dotalitium contulerat; ad hæc eccleſiam,
» quæ Peregrina dicitur, cum capella ſancti Hilarii. Subſcribunt Gaufridus comes,
» Fulco filius ejus, & Gaufredus filius ejus. Hæc charta notis chronicis caret: at
» ſequitur confirmatio Gaufredi, ſtatuentis, ut abbas cœnobii ſancti Albini Albertus
» quatuor libras argenti daret cuidam Rainardo, qui eccleſiam Peregrinæ in beneficium ſibi datam fuiſſe contendebat; hiſque acceptis, prædictæ donationi aſſenſus eſt cum conſenſu Odonis comitis ſenioris ſui. Data menſe Martio, anno XXIII. regnante Lothario rege. Huic confirmationi ſubſcribunt Odo comes, ſcilicet Bleſenſis, Rainaldus epiſcopus Andegavenſis, Rainaldus vicecomes pater ejus, Harduinus epiſcopus Turonenſis, & alii.

VII. S. Romualdi converſio.

Si Rubei calculus accuratus eſt, incidit in hunc annum ſecundus annus pontificatus Honeſti Ravennatis, ac proinde converſio ſancti Romualdi Camaldulenſium inſtitutoris ſanctiſſimi, anno ætatis viceſimo, quam ejus vitæ ſcriptor Petrus Damiani illigat Honeſti archiepiſcopi anno ſecundo. Honeſtum autem Petro archiepiſcopali dignitate ſponte cedenti ſucceſſiſſe alibi dicit, *primo Ottone imperii habenas gubernante.* Verum, hoc poſito fundamento, longe contractior fit Romualdi vita, quem ad centum viginti annos vitam produxiſſe ipſe Petrus Damiani tradit, nec ſerius anno M XXVII. obiiſſe nobis eſt exploratum. Neque Bollando aſſentiri poſſum, ſuſpicanti numeros vitæ eſſe vitiatos: cum idem calculus non ſolum ex fine vitæ, ubi Petrus Damiani ait virum Dei annis CXX. vixiſſe, ex quibus viginti expenderit in ſæculo, tres in monaſterio, XCVII. in eremitico propoſito: verum etiam ex ipſo vitæ contextu, ubi decrepitum ſenem & pluſquam centenarium nefarii ſceleris falſo inſimulatum fuiſſe ſcribit. Error itaque, ſi quis eſt, ut certe fateri cogimur, refundendus in ipſum vitæ ſcriptorem primarium, qui ſane parum accuratus eſt in rebus hiſtoricis, nec diligentior in ſcribenda Romualdi vita, in qua ne leviter quidem attingit inſtitutionem tum congregationis ordiniſve Camaldulenſis, tum primarii ejus eremitorii, a quo ipſe ordo vocabulum & appellationem traxit. Verum, his omiſſis, ad Romualdi facta veniamus. Is Ravenna oriundus ex illuſtriſſima ducum progenie, adoleſcens proclivis fuiſſe dicitur ad illa vitia, quibus illa ætas, maxime ubi opes abundant, implicari ſolet. ſed his frenum injiciebat naturalis quidam pietatis inſtinctus, qui eum a lubrico curſu identidem retrahebat. Erat etiam in eo innatus ſolitudinis amor, veluti quoddam futurorum præſagium. quo fiebat, ut, ſi quando inter venandum in ſilvis locus amœnus ei occurreret, ſtatim ad eremi deſiderium accenderetur. Talibus virtutum incentivis parum favebat Sergius Romualdi pater, vir ſæculi negotiis omnino implicatus. Huic de prati cujuſdam poſſeſſione cum quodam propinquo ſuo gravis ſimultas erat, in qua cum remiſſius ageret Romualdus, & parricidii crimen horreret, de eo exheredando minari cœpit pater, niſi rem ardentius perſequeretur. Venit tandem in Sergii poteſtatem ejus propinquus, quem, præſente Romualdo, interfecit. Facinus exhorruit adoleſcens, &, licet nullum cæſo vulnus intuliſſet, quia tamen facto interfuerat, tanti reatus pænitentiæ ſe addixit; moxque ad Claſſenſe beati Apollinaris monaſterium ſeceſſit, *more homicidarum diebus quadraginta* ſeveram pænitentiam ibidem acturus. Erat in illo monaſterio, quod nuper Mayolus Cluniacenſis abbas emendaverat, converſus quidam probatiſſimæ vitæ, qui in familiaribus colloquiis Romualdum ad contemtum ſæculi & ad ſanctæ converſationis ordinem ſæpius hortabatur. Hortanti renitebatur adoleſcens: ſed tandem, viſo ſemel

ANN. CHR. 974.

& iterum, ut conversus ille pollicitus erat, sancto Apollinari, tanto mox divini amoris igne accensus est, ut multis lacrymis monasticum sibi concedi habitum flagitaret. Renuentibus monachis, qui patris inclementiam metuebant, Romualdus pergit ad Honestum Ravennatem archiepiscopum, qui olim Classensis cœnobii abbas exstiterat, petiitque, ut ejus auctoritate in monachorum cœtum admitteretur. Petenti stimulos addidit pius antistes, fratribusque, ut quantocius eum suo collegio adscriberent, imperavit. Accepto habitu, triennio illic perstitit ferventissimus adolescens: qui, dum nonnullos remissius viventes & a regulæ præscripto recedentes sæpius argueret, eorum in se odium concitavit, quod eo usque processit, ut de illo præcipitando, cum de more ante alios ad vigilias e cella descenderet, consilium inierint. quæ res cum ei per quemdam ejus conspirationis conscium innotuisset, e monasterio discedere, & ad Marinum celebrem eremitam, qui in Venetiarum partibus degebat, se recipere decrevit.

VIII. Ramvoldus S. Emmerammo præficitur.

Certius est quod Arnolfus, ex-comite monachus sancti Emmerammi, scribit de longæva ætate Ramvoldi abbatis, quem centenarium obiisse tradit. Hunc Wolfgangus Ratisponensis præsul statim ab exordio sui pontificatus emendando sancti Emmerammi cœnobio præfecit. Perspecto quippe parochiæ suæ statu, cum prolapsam Ratisponæ monasticam disciplinam animadvertisset, ingemiscens dixisse fertur: si monachos haberemus, reliqua satis suppeterent. Cum vero quidam familiares sui responderent, satis superque monachorum passim adesse; dolens reposuit, bonos & regulares monachos defecisse. nihil prodesse sanctitatis habitum sine con- « gruis factis gestare. ceterum regulares monachos beatis angelis æquiparari, secu- « lares apostaticis. Id maxime de sancti Emmerammi monasterio intelligebat, ubi « jam dudum monachi absque pastore, quasi oves errantes, degebant, dum Ratisponensis ecclesiæ antistites, iidem essent & abbates: ne, si peculiarem abbatem substituerent, *ipsorum abusiva potestas & obsequium minueretur.* Verum longe alia mens Wolfgango erat, qui pro magno compendio habuit, si hoc monasterium ad optimum statum a proprio abbate reformaretur, ratus, suam dignitatem non minui, sed crescere, si monachi bene morati in locis Deo sacratis per idoneos pastores instituerentur. Ejus rei causa e Trevirensi sancti Maximini monasterio virum quemdam, in regulari disciplina versatissimum, Ramvoldum nomine, qui quondam Heinrici archiepiscopi cum ipso capellanus fuerat, evocavit, eumque primo quidem præpositum, dein abbatem in sancti Emmerammi cœnobio instituit. quod indigne tulerunt quidam ejus consiliarii, conquesti, quod hanc abbatiam sibi suisque successoribus eriperet. cur non potius eo jure potiretur, quo ejus antecessores usi fuerant. Ad quos ille: Numquam mihi, ait, imponam onus, quod portare non « valeo. Mihi sufficit episcopi officium: monasterii cura regulari abbati reservanda. « Sicut enim, beato [a] Gregorio testante, indecorum est, ut in corpore humano alte- « rum membrum alterius fungatur officio: ita noxium simulque turpissimum, si sin- « gula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Sufficit episcopo « pastoralis officii sollicitudo: & abbati monasterii sui providentia. Ceterum beati « Emmerammi bona, a fidelibus Deo consecrata, non episcopi, sed monachorum usi- « bus deputari debent. His dictis conticuere oblocutores. Optime vero Ramvoldus « abbas piissimi præsulis exspectationi respondit, tum in recta monachorum institutione ac directione, tum in prudenti administratione rerum temporalium, quarum magnam partem in egenos expendebat, quotidie reficiens pauperes quinquaginta, præter duodecim aliosque tres, quibus fratres necessaria ministrabant. Ad hæc ad portam monasterii hinc xenodochium ad recipiendos pauperes adventantes, illinc nosocomium ad recreandos infirmos constituit. unde merito vocatus est pater peregrinorum, viduarum & orphanorum.

[a] Greg lib. 3 ep. 11.

IX. Wolfgangus virginum cœnobia emendat.

Neque vero de sequiori sexu minus sollicitus fuit Wolfgangus, uti probant Superius & Inferius puellarum monasteria, quæ a laxiori canonicarum vita ad monasticam reduxit. Superioris monasterii, quod in honorem beatæ Mariæ sacratum est, origo haud explorata. Prima ejus mentio nobis occurrit in diplomate Ludovici Germaniæ regis, Ludovici Pii filii, qui rogatus ab Hemma conjuge, cum Baturico Ratisponensi episcopo permutationem fecit Manseensis monasterii pro cœnobio ejusdem civitatis, *Obermunster* dicto, quod uxori suæ postea tradidit. Actum *Regenspurc* anno regni ejus septimo. quod Hundius [b] ad annum DCCC XXXI. re-

[b] Hund to. 1. p. 189. & to. 3. p. 1.

ANN. CHR. 974.

a id. to. 1. p. 245. & to. 3. p. 2.

b id. to. 2. p. 590.

vocat. Hoc cœoobium ordinavit, ditavit, amplificavitque Hemma regina, quæ ejus auctor censeri potest, ibidemque sepulta est, ut patet ex diplomate Caroli Crassi ejus filii, dato [a] apud Rotwilam XIV. kal. Martii, anno DCCC LXXXVI. quo diplomate eligendæ abbatissæ liberam dat facultatem. Inferius monasterium, vulgo *Nidermunster*, serius institutum fuit per Juditham, Arnoldi-Mali Bajoariæ ducis filiam, quæ Heinrico duci Ottonis Magni fratri nupta est. Hoc monasterium, beatæ Mariæ sanctoque Herhardo coofessori sacrum, Otto secundus, noo primus, ut Hundio [b] visum est, quorumdam prædiorum donatione auxit interventu dulcissimæ genitricis suæ Adelhaidæ, necnon venerabilis dominæ Judithæ. Data V. kal. Julii hoc anno, regni ejus XIII. imperii VI. Actum Wormatiæ. quo forte anoo Wolfgangus, apparente sibi & hortante beato Herhardo, cujus corpus illic requiescit, hoc monasterium sanctiori instituto addixit. Idem præstitit in Superiori monasterio ooo absque divino nutu, ut in ejus vita legitur, suffragante Heiorico Bajoariæ duce, Heiorici imperatoris sancti patre, qui beato pontifici auctor fuit, ut in prædictis duobus monasteriis disciplinam vitæ monasticæ iostitueret. Insuper vir Dei tertium io eadem urbe puellarum cœnobium sub patrocioio sancti Pauli erexit, in quo eamdem iostitutionem servari curavit. Apud eas vero adeo floruit castitatis & regularis vitæ professio, ut ipse dux filiam suam Brigidam earum collegio sociaverit. Ipsius Heinrici uxor Gisala io Inferiori monasterio humata est, ut testatur crux aurea, ab æquivoca filia ejus regina Hungariæ eidem loco donata. Cum vero ejusdem Heiorici liberi benedictionem accepturi ad virum Dei, ut sæpe fiebat, aliquando adducerentur; Heinricum prænominavit regem, Brunonem episcopum; filiam natu-majorem reginam, alteram abbatissam. quod postea probavit eventus. nam Heinricus rex, ac postmodum imperator creatus est, Bruno episcopus Augustensis, Gisala Stephano Hungarorum regi nupta; & altera abbatissa fuit, nempe Brigida, ut quidem puto, cujus modo mentio facta est.

X. Clerum reformat.

Jam vero quanta fecerit sanctissimus præsul pro emendatione ecclesiæ suæ caoonicorum & pro eruditiooe presbyterorum pagensium, longum fuerit atque extra propositum dicere. Lustrando rurales ecclesias, comperit quosdam presbyteros vini penuria aquam ad sacrificium adhibere. qua de re tanto dolore affectus est, tantam lacrymarum copiam profudit, ut ejus valetudo ex hoc periclitata fuerit. Increpiti graviter hac de re presbyteri, cum vino comparaodo facultatem sibi deesse causarentur, ioaoem excusationem hoc modo præcidit vir Dei, ut per singulos menses presbyteri duodecim ad se veoirent, & de cellario ipsius vioum acciperent, quod aliis postea distribueretur.

XI. Sandradus Gladbaci abbas vexatus.

Coloniæ-Agrippinæ Gero archiepiscopus hoc anno decessisse traditur III. kal. Julii, cujus obitus Gerbergæ Quindelinburgensi abbatissæ & Liudolfo Corbeiæ-novæ abbati mox ioootuit. Ejus successor Warious, detractorum linguis assidue pulsatus, Saodradum Gladbaceosem abbatem vehemeoti odio iosectari cœpit, quasi plus servitii & obsequii Leodicensi episcopo, in cujus parochia conditum fuerat a Gerooe monasterium, quam ipsi impenderet; tantumque prævaluit apud novum archiepiscopum æmulorum obtrectatio, ut ejus in loco quemdam Meginhardum *sine consecratione* subrogaret. Sandradus vero invidiæ cedendum ratus, ad imperatricem Adelheidam, cui a coofessionibus erat, se recepit, atque ab ea benigne acceptus, ad Wissenburgensem abbatiam promotus est. Sed, postquam huic loco per aliquod tempus laudabiliter præfuisset, prioris monasterii desiderio teoeri cœpit, eoque ejusdem imperatricis favore atque aucturitate ab Agrippinensi metropolitano revocatus, io locum & gradum est pristinum restitutus. Verum, eo absente, dum mercenarius loco præsideret, ovium Domini facta fuerat luctuosa dispersio; rei familiaris, librorum, reliquiarum, prædiorumque distractio. at, eo reverso, io proprium locum rediit dissipatus grex monachorum, qui deioceps absque murmuratione, in maxima licet penuria, Deo serviisse perhibentur. Sandrado ad cælestem vitam, ut creditur, translato successit Folradus abbas, de quo inferius.

XII. S. Martini abbatia Coloniæ.

Warinus Geronis successor monasterium Scottorum in suburbana Rheni insula condidisse, sive collapsum restruxisse memoratur, eique Mimborinum abbatem, virum sanctum, præfecisse: ubi sub fioem vitæ, abdicato episcopatu monachum induit. Vixit in illo S. Martini mooasterio Marianus Scottus, non ignotus aooalista. Mimborinus seu

ANN. CHR. 974.

Mumborinus quindecim annis hunc locum rexisse dicitur, eique Kilianus successisse, & post eum beatus Elias, cujus tempore Piligrimus archiepiscopus Scottigenas monachos exagitavit. In illo monasterio asservari creditur corpus sancti Eliphii martyris. Hoc ipso anno e vivis excessit Anno Wormatiensis episcopus e nostris, cui suffectus Hildeboldus germanus ejus frater, eximia virtute & eruditione præditus. *Anno episcopus obit.*

XIII. *Ottonis diplomata pro Inda & Werthina.* Indensi prope Aquisgranum monasterio Erwicum abbatem, illustrem virum, ab Ottone secundo præpositum fuisse docet nos ipsius Ottonis præceptum, quo liberam eligendi abbatis facultatem, ab Ottone parente, aliisque antecessuribus indultam, aliasque ejusdem monasterii prærogativas confirmavit. quod præceptum Trajecti hoc anno datum est. quo tempore Gregorius, Theophaniæ augustæ frater, e Græcia in Germaniam accessisse, & in Porticeto apud Aquisgranum ordinis nostri monasterium exstruxisse a Trithemio, aliisque recentioribus dicitur, ibidemque vitæ sanctitate ac miraculis coruscasse. *Gregorius monachus Græcus.* Idem imperator Folcmaro Werthinensi [a] abbati jus telonei & monetæ indulsit.

[a] *Annal. Paderborn.*

XIV. *Gerardus episcopus quædam restituit S. Mansueto.* Actum est superius de restitutione monachorum in Tullensi cœnobio sancti Mansueti, auctore sancto Gerardo episcopo, qui villas Angeriacum & Molisiacum, quas ab Odelrico Remorum archiepiscopo acquisierat, eidem loco donavit. Postea vero, quasi facti pænitens, idem Gerardus prædictas villas in snam ditionem redegit: dum sanctus Mansuetus, quasi condolens penuriæ sibi famulantium monachorum, eas vi quadam ab ipso denuo extorsit. nam, ut Gerardus ipse in authentico suo loquitur, *quodam febris nimia languore pervasus, ad extrema etiam deductus*, tamdiu morbi attritus est violentia, dum reddere compulsus est quod abstulerat. Unde consilio suorum fidelium, monachorum, *canonicorum & laicorum*, primam donationem novo instrumento renovavit, ea lege, ut *terni egentes cotidie monachile stipendium inde cum ablutione & solito solatio pedum inibi percipiant*, & ipsius anniversarium *cum tricesimis* fiat. Hujns porro donationis violatoribus diras minatur a beato Petro apostolorum principe & a beato Mansueto patrono suo, cujus meritis & intercessione quotidie corporum animarumque languores sanari asserit. *Actum Tulli publice anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXIIII. *indictione* II. *ordinationis nostra xij. mense Maio.*

XV. *Ratherii episcopi obitus.* Eodem anno contigit obitus Ratherii episcopi Veronensis, testante Sigeberto, de quo vulgatus versus:

Verona præsul, sed ter Ratherius exsul.

Reversus postremo in patriam, cum Laubiis quietus vivere non posset, Alnam secessit, qui locus est Laubiis vicinus, monasterio, nunc ordinis Cisterciensis, insignis. Inde Namucum profectus, dum illic cum comite moraretur, vita decessit. Ejus corpus Laubias delatum, ibidem honorifice humatum est in ecclesia sancti Ursmari ad partem aquilonarem, ut Folcuinus abbas, testis oculatus, scribit. Suum ipse condidit epitaphium uno versu comprehensum:

Conculcate, pedes hominum, sal infatuatum.

Vir fuit pro tempore doctus & eruditus, peritus canonum, nec zelo carens, sed forte prudentiæ & discretionis sale, inconstans & quietis impatiens. Pleraque ejus scripta exstant in Spicilegii tomo secundo, ex quibus tamen nonnulla desiderantur, ut in ejns elogio diximus. Insignis est ejus locus de vera Christi corporis & sanguinis in eucharistia præsentia in epistola [b] ad Patricum. *Crede, frater*, inquit, *quia sicut in Cana Galilaea vinum Dei imperio verum, & non figuratum, fuit ex aqua factum: ita istud Dei benedictione vinum verus & non figurativus, efficitur sanguis, & caro panis.*

[b] *Spicil. to. 2. p. 38.*

XVI. *Centulæ abbates.* Centulense sancti Richarii monasterium hoc tempore Fulchericus [c] rexisse videtur post Gerbertum clericum, clericorumque abbatem. Hic sancti Richarii corpore, quod Arnulfus senior Monasteriolum * abstulerat, privatum monasterium dolens, cum æditiuo sacrarum reliquiarum custode secreto tractavit de patrono suo recuperando. quæ res pro voto illi successit. Verum non diu optato thesauro potitus

[c] *Spicil. to. 4. p. 522.*

* *Montreüil.*

ANN. CHR. 974.

est. nam Arnulfus, senioris filius, illud denuo abstulit, & in sancti Bertini monasterio collocavit. Quo tempore id factum sit, margini adscriptum legimus in veteri codice Hariulfi chronographi: *Anno Domini* DCCCC LII. *ablatum corpus, & iiij. kalendas Septembris beati Bertini cœnobio illatum.* ubi tam diu permansit, dum ab Hugone duce Francorum ad proprium locum iterum relatum est. Iste Hugo suam in sanctum Richarium devotionem testatus est, quasdam villas addendo stipendiis & usibus monachorum, sitas *in pago Targontensi*, seu Teruannensi, hoc est Botricium * & Rolleni-curtem *. quod Lotharii regis præcepto confirmari curavit. In hoc re-
„ gio diplomate legitur, ducem Hugonem una cum monachis sancti Richarii regem
„ adiisse, ac petiisse, ut prædictas villas ex eadem sancti Richarii abbatia stipendiis
„ & usibus monachorum delegaret, quo nullius umquam abbatis aut personæ aucto-
„ ritate illis subtraherentur. quorum preces ratas habuit Lotharius, tum ob amorem
„ Dei & sancti Richarii, tum ob dilectionem carissimi consanguinei sui Hugonis du-
„ cis. Actum Compendio palatio regio, regni Lotharii anno XXI. quod præceptum
„ Adalbero regis notarius ad vicem domni Adalberonis Remorum archiepiscopi & summi cancellarii recognovit. Ex his conjicere licet, Hugonem ducem sancti Richarii abbatiam tunc tenuisse, ex cujus portione duas illas villas in usus monachorum addiderit. Et forte hæc causa fuerit, cur sancti Richarii corpus e Sithiensi monasterio in proprium retulerit locum, ut postea videbimus; & quod Ingelardum abbatem eidem præfici curaverit. Attamen Angelramnus abbas, qui rythmum de abbatibus Centulensibus non multo post composuit, Fulchericum abbatem Ingelardo proxime antepon[i]t post Gerbertum, hoc ordine:

Hugonis ducis restitutio facta S. Richario.
* Botra.
* Rollencourt.

Cum Gutlfone & Hedenoldo Gerbertus & Fulchericus.
Post Ingelardum igitur Angelrannus adscribitur,
Sancti imitator ordinis, & studiosus litteris.

ubi nullus Hugoni duci locus inter Fulchericum & Ingelardum, quem Hugo eligendum curavit. Et ne putes, Fulchericum sub eo decanum dumtaxat aut præpositum fuisse, occurrit vetus necrologium, in quo notatur *viij. idus Novembris obiit Fulcericus abbas.* Non itaque expungendus e numero Centulensium abbatum, sed Ingelardo præponendus.

XVII. Quo tempore Compendii morabatur rex Lotharius, eum interpellavit Heinricus dux Burgundiæ, ut præceptum domni Ludovici bonæ memoriæ piissimi augusti *de foreste regia, quæ est in Icauna flumine non longe ab Senonensi urbe*, monasterio sanctæ Columbæ confirmaret; maxime quia idem monasterium cum suis ornamentis consumtum incendio fuerat. Petenti annuit princeps, concessitque monasterio ipsam forestam *a loco, qui vocatur Capetas * usque ad Duliacum * villam*, id est jus piscandi in flumine Icauna (*forestam aquaticam* ^a *vocant*) interdicto, ne quisquam instrumenta ad capiendos pisces illic construere ausit. *Actum Compendio palatio regio, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXIV. *regnante domno Lothario gloriosissimo rege anno xxj.* Adalbero regius notarius ad vicem Adalberonis archiepiscopi recognovit, is qui Roriconi Laudunensi episcopo successit anno abhinc secundo. Per id tempus monasterio sanctæ Columbæ præfuerunt Rotaldus & Rainaldus abbates, & post eos Gunzin principatu Hugonis regis. Rotaldi depositio VI. kal. Septembris; Rainaldi vero VIII. kal. Januarii notatur.

Lotharii diploma pro S. Columba.
* Champien.
* Dully
a V. Glossar. Cangii.

XVIII. Eodem tempore Floriaci contigit duplex incendium tempore Richardi venerabilis abbatis: unum, quo sola sancti Petri basilica combusta est: alterum ^b hoc anno, proxima nocte ante octavas sancti Laurentii, & quidem ex incuria artificum, qui, cum fusile æris vas ad convocandos in oratorium fideles pararent, accensam candelam postibus affixam exstinguere obliti fuerant. quæ delapsa stramen lectorum, dehinc ipsam domum corripuit; tum in contiguam sanctæ Mariæ & sancti Benedicti basilicam flammas sparsit. Effertur corpus sancti patris Benedicti *cum palla, super quam pridie sacrosanctum corpus Jesu-Christi fuerat confectum*; sicque incendium divinitus restinctum est. Has duplicis incendii ruinas *intra trium spatium annorum* resarcivit Richardus abbas, quem Aimoinus, qui hæc ^c scripsit, *praecellentissimum* vocat. In posteriori hoc incendio ecclesia sancti Benedicti, quæ quidem succensa & instaurata fuerat, illæsa remansisse dicitur cum xenodochio, in quo duodecim pauperes

Floriaci incendium duplex.
b Baluz. Miscell. to. 2. p. 306.
c Aimoin. de miracul. S. Bened. lib. 2. c. 9. & seqq.

pauperes, ob duodenarium apostolorum numerum, communibus stipendiis quotidie ali ac vestiri *diligens boni antiquorum cura patrum* sanciverat. Omitto miracula eo tempore, Aimoino referente, patrata, in quibus inter alios landatur venerabilis Benedictus, cui prænomen Niger, ædituus primum basilicæ sanctæ Mariæ, dein præpositus monasterii seu cellæ sancti Benedicti in castro Salensi *, cujus tempore pauci Argentomagenses *, prælato sancti Benedicti vexillo, centum-quadraginta prædones armatos vicerunt, & prædas ab eis captas retulerunt. Consimilis victoria ab eisdem reportata, duce Giraldo ejusdem cellæ advocato, Lemovicinæ urbis vicecomite, quem Boso marcæ ipsius regionis custos mortali odio persequebatur. Hujus filius Helias, opitulante Willelmo Pictavorum comite, cum castrum Giraldi, quod Brucia dicitur, obsedisset, & non solum villas Giraldi, sed etiam possessiones Salensis cœnobii devastaret; misso cum Argentomagensibus Guidone Girardi filio, obsidionem solvere coactus est, multis suorum cæsis, Argentomagensibus illæsis; qui eulogiis panis & vini a sancto Benedicto acceptis pasti fuerant. Ea erat pia illius temporis hominum simplicitas.

ANN. CHR. 974.

* *S. Benoist du Sault*

* *d'Argenton.*

XIX. S. Martialis abbates.

Hoc circiter anno decessit Aimericus abbas sæcularis sancti Martialis Lemovicensis, ob malos [a] mores expunctus e numero abbatum ab Ademaro monacho Ecolismensi. Hic non alio pacto abbatiam a Lothario rege obtinuerat, quam præstito sacramento, se primo quoque tempore monasticen professurum. Verum, abbatia obtenta, jurisjurandi immemor, tertio dumtaxat ante obitum suum die, perjurium timens, habitum monachi induit. Huic suffectus Guigo [b] abbas in annos septemdecim, Adalbertum Turpionis episcopi neptis filium, decanum constituit.

a *V. lib. 44, n. 36.*

b *Labbe bibl. to. 2. p. 272.*

XX. Saviniaco factæ donationes.

Gausmaro abbati Saviniacensi, de quo jam superius actum est, Hildevertus quidam pro anima patris sui Emmardi & matris suæ Eldegardis donavit res suas, sitas in pago Lugdunensi, in agro Gophiacensi, in villa quæ dicitur *Mornant*. quæ donatio facta est hoc anno, mense Octobri, die dominico, Conrado regnante. Eodem rege, die sabbati, mense septimo, Rotlannus quidam innocenter cæsus, in hora exitus sui, *Deo confessus, vuadium suum amicis suis dedit, & hereditatem suam sancto Martino*, ubi præerat domnus Gausmarus abbas, contulit pro remedio animæ suæ & sepultura corporis sui. Ad hæc matrona quædam, Ermengardis nomine, *dominis fratribus Gausmaro Saviniacensis monasterii abbati, & congregationi monachorum sub eo degenti*, mansum unum in villa Scannatis, *in convadio* seu impignoratione dedit pro triginta solidis, quos pro sepultura filii sui Aenrici dare volebat. quæ impignoratio ea ratione facta est, ut, *a diebus pascha præsentis usque ad festivitatem sancti Johannis-Baptistæ* si ipsum mansum non redemisset, pro supra dictis solidis eum retinerent Saviniacenses; quod *lingua rustica dicitur Empopée*, facerentque ex ipso, quidquid vellent: si vero pretium persolvisset, ipsa mansum reciperet. *Data per manum Gerberni monachi, mense Aprili, feria vj. anno xxxvij. Conradi regis.* Multæ aliæ donationes factæ leguntur tempore ejusdem abbatis: ex quibus Bernardus clericus dedit ecclesiæ sancti Petri de Mornanto & Gausmaro abbati quatuor *fessoradas de vinea* in territorio ejusdem loci, *propter fratrem suum monachum, nomine Bladuni. Actum vij. kal. Novembris, feria vj. luna xxviij.* quo anno *fuit natalis sancti Petri in feria vj. & magnum signum apparuit in sole*, forte anno DCCCCLXXVII. cui prædictæ notæ convenire possunt

XXI. Monti-majori insula data.

Montis-majoris monasterio præerat adhuc Mauringus abbas, cum nobilis matrona Teucinda, Deo devota, quæ jam plurima dona monasterio contulerat, eidem vicinam tradidit insulam, *quam Monte-majore vulgus vocat*, quæ ipsi ex commutatione, cum consensu Manassis archipræsulis & canonicorum, obvenerat. *Actum Arelate civitate publice, anno ab incarnatione Domini* DCCCCLXXIIII. *xiij. kal. Septembris, anno xxxviij. regnante Conrado rege.* Ejus rei litteris post Teucindam subscripsere Riculfus episcopus, scilicet Forojuliensis, Willelmus comes, & multi alii. Archinricus levita & monachus scripsit. Iste Riculfus erat Teucindæ nepos, cujus fit mentio in ipsius testamento, quo legat pro anima sua *ad monachos sanctæ Mariæ vel sancti Petri apostoli de Monte-majore mansiones cum curtile, & alia, eo tenore, ut quamdiu episcopus nepos suus vixerit, teneat; post discessum vero ejus ad monasterium sine ulla contradictione revertatur*, cum omnibus utensilibus suis, & cum portione vineæ apud Planum, *ad sacrificium ecclesiæ jam dictæ.* Idem Archinricus monachus scripsit hoc testamentum, sed sine chronicis notis. Hic est

ANN. CHR. 974.

a Gall. Christ. to. 2. p. 588.

Abbates ejus loci.

Riculfus episcopus, qui post Sarracenorum [a] ab illis finibus expulsionem a Willelmo comite patratam, cum Forojuliensis civitas & ecclesia devastata esset, mediam partem ejusdem civitatis ab ipso comite impetravit anno sequenti, qui indictione tertia præditus erat. quo tempore Lambertus quidam & uxor ipsius Walburgis monachis Montis majoris donant aliquid de fisco, quem tenebant a Willelmo comite, ejusque fratre Rodbaldo, *paludes scilicet, quæ sunt in circuitu ipsius monasterii*, quas Mauringus abbas & Pontius prior, aliique monachi ab ipso Lamberto sæpius expetierant. Pontius ille prior seu præpositus creatus est abbas post Mauringum. Pontii successor videtur fuisse Paulus, & post eos prædictus Riculfus episcopus Teucindæ nepos. Pontii seu Pontionis mentio fit in una charta Gentii cujusdam & uxoris ejus Ayburgæ, Monti majori concedentium res proprietatis suæ, sitas in comitatu Sisterico apud villam Limanos, quas a Willelmo comite duabus unciis auri comparaverant. Pontii abbatis nomen necrologio inscriptum est his verbis: *Kalendis Januarii depositio domni Pontii abbatis, qui situs est in sarcophago refectorii.* De Paulo vero ita idem necrologium: *xiij. kalendas Februarii depositio domni Pauli abbatis, qui primus jacet in claustro.*

XXII. Figiacenses abbates.

b Balux. Miscell. to. 2. p. 302.

Mortuus est hoc anno Calsto abbas Figiacensis, sepultusque Figiaci. Post eum abbatiæ regimen obtinuit Adacius, qui *proprii monasterii & ipse studiosissimus* [b] *ædificator* fuisse dicitur. Hic *membrum ecclesiæ* construxit *ante sanctum Bibianum* Santonensem episcopum, cujus corpus in Figiacensi ecclesia asservari dicitur. Decessit Adaeius, Romam pergens, apud sanctum Ægidium prope Nemausum, anno ab incarnatione Domini DCCCC LXXXVIII. ibidemque humatus est. Huic successit Geraldus, *multorum operum perfector studiosissimus*, mortuus anno nono Rotberti regis, ac Figiaci sepultus. De Rogerio abbate ejus successore alias dicturi sumus.

XXIII. Franquillæ abbati succedit Rudesindus episcopus.

c li. 47. n. 10.

In Gallicia Rudesindus episcopus in cœnobio Cellæ-novæ ab se condito monachum induit, ut superius [c] vidimus, sub Franquilla sanctissimo abbate. Cum simul quondam consederent, species columbæ ex ore abbatis sæpius egredi visa est, eodemque denuo toties regredi. quod mortis ejus imminentis præsagium esse sanctus episcopus dixit. Oraculum brevi subsecutus est eventus. Peractis defuncti abbatis sancti exsequiis, Rudesindus a monachis abbas eligitur. Sic vero abbatis exsecutus est vices, ut episcopales non omitteret. Ad ejus mirabile exemplum hinc episcopi dignitatibus relictis, abbates vero propriæ dignitatis abjectis honoribus; illinc laïci, tam nobiles, quam ignobiles, spretis mundi opibus & illecebris, certatim confluebant. Sed & nonnulla virorum ac puellarum monasteria, quæ in Limiæ, Galliciæ & Portugalliæ provinciis constructa erant, jucundissimo ejus imperio ac regimini se se subjicere gaudebant. Ex his unum fuit in Portugallia Venariense, & ipsum duplex, virorum ac mulierum. Priori Johannes abbas præerat, posteriori Senorina abbatissa, Rudesindi, ut tradunt, consanguinea: quos cum sanctus antistes aliquando invisisset, duos operarios, qui e tecto lapsi interierant, precibus & oleo benedicto ad vitam revocavit. Ejusdem Rudesindi consanguinea erat Aragundis regina, Ordonii secundi conjux, sed ab eo abjecta, quæ sanctam vitam ducebat in monasterio de Saliceto, quod ipsa exstruxerat. Illic dum ægrotaret piissima regina, nuntios direxit ad consobrinum suum episcopum, ut ejus præsentia & precibus recrearetur. Verum istuc proficiscens episcopus, ejus obitum ex angelicis vocibus rescivit.

XXIV. Senorinæ abbatissæ vitæ compendium.

Quod attinet ad Senorinam abbatissam, hæc illustri genere orta, patrem Adulfum comitem, Tarasiam pari nobilitate matrem habuisse dicitur. Orbata matre, Godinæ materteræ Venariensis parthenonis abbatissæ educanda tradita est. In matrimonium a quodam comite ardenter quæsita, numquam adduci potuit, ut cælesti sponso mortalem præferret. Itaque religioso habitu ac velo induta, Godinæ abbatissæ mortuæ successit. Assidua in lectione librorum sacrorum, multum ex ea fructum referebat. Cum aliquando completorio interesset, angelicas voces audiisse traditur, quibus Rudesindi episcopi, consanguinei sui, obitum designari intellexit, ad quinque tantum annos ei superstes. Piam mortem obiit decimo kalendas Maii, anno ætatis quinquagesimo-octavo. Corpus ipsius juxta Gervasii & Godinæ tumulum in ecclesia sepultum, e terra in sublimiorem loculum post annos fere CL. extulit Pelagius Bracarensis antistes, in cujus parochia situm erat Venariense monasterium, quod postmodum ad Bastim opidum translatum est, nunc ecclesia paro-

chialis. Hæc carptim ex libro de ejus vita, quem Tamaius Salazar in martyrologio Hiſpanico, & Godefridus Henſchenius in ſuo Aprili cum miraculis retulerunt.

ANN. CHR. 974.

XXV. Editha regia virgo fit monacha.

In Anglia Editha virgo, filia naturalis Eadgari regis ex Wlſetrude, monaſticum habitum Wiltoniæ de manibus ſancti Ethelwoldi epiſcopi recepit, rege aſſentiente, matre vero hortante, quæ poſt partum Edithæ, regis connubio poſthabito iſtuc ſe receperat. Ad id etiam inducta eſt regia virgo exemplo ſanctiſſimæ amitæ ſuæ Edithæ, Eadgari regis germanæ, quæ in Pollelwortenſi monaſterio provinciæ Werwici meritorum ſplendore ceteris prælucebat. Editha junior cilicio aſperrimo ad nudam cutem uti ſolita, interim nitidis veſtibus extrinſecus induta erat. quem cultum Ethelwodus aliquando cum reprehendiſſet, reſpondiſſe fertur: « Crede mihi, pater, nequaquam deterior mens eſt ſub hoc tegmine, quam ſub pelle caprina. « Habeo Duminum meum, qui non tam veſtem, quam mentem attendit. « ſic illa interioris cilicii indumentum diſſimulavit. Quindecim annos natam Eadgarus ejus pater tribus virginum monaſteriis præficere voluit, Wintonienſi ſcilicet, Berckingenſi, & tertio cuidam, quem Gotſelinus ejus vitæ ſcriptor haud nominat. verum hæc ab ea domo, in qua Deo ſe voverat, avelli non ſuſtinuit; effecitque, ut ſingulis illis monaſteriis idoneæ matres præponerentur, malens matri ſubeſſe, quam aliis præeſſe.

ANN. CHR. 975.

XXVI. Turketulus abbas Crulandæ obit.

ANno inſequente, qui ejus ſæculi ſeptuageſimus-quintus erat, Turketulus Crulandenſis abbas venerabilis, fervente ſupra modum canicula, celebrato feſto apoſtolorum Petri & Pauli, febre correptus, per triduum graviſſime laborare cœpit. Quarto die lecto decumbens, monachos omnes ad quadraginta ſeptem, & quatuor laïcos convocari juſſit, & per Egelricum proviſorem ſuum recenſeri monaſterii theſauros ac cimelia, quorum ſumma fere ad decem millia librarum pertingebat. In his plurimæ reliquiæ erant, quas a diverſis principibus, dum adhuc cancellarius eſſet, dono acceperat, ut dens ſancti Bartholomæi apoſtoli, quem ſecum geſtare ſolitus erat. Creſcente in dies morbo, *communicatus Chriſti ſacris myſteriis*, crucem frequens devote oſculabatur. Pridie obitus brevem ad fratres de ordinis ac diſciplinæ regularis obſervatione, de caritate fraterna, & de negligentia cavenda ſermonem habuit. Tandem, vitali calore deficiente, quinto idus Julii, die feſto tranſlationis ſancti Benedicti patris ac patroni ſui, officio regulari completo, complevit & ipſe hora completorii dies ſuos, anno ætatis ſuæ LXVIII. monaſticæ profeſſionis XXVII. Sepultus eſt in eccleſia, quam ipſe conſtruxerat, ad dextrum latus majoris altaris, a convicinis abbatibus, Adulſo Burgenſi & Godmanno Thorneienſi. In ejus locum unanimi fratrum conſenſu ſubrogatus Egelricus mox laudatus, ipſius cognatus, propinquus regis Alferi, vir admodus religioſus, & in tractandis negotiis ac temporalibus rebus induſtriæ ſingularis. Poſt annos regiminis decem eum excepit Egelricus junior, germanus ejus frater, vir ſcholaſticus, & litterarum ſcientia maxime inſtructus. Hæc omnia ex Ingulfo.

Egelricus ſuccedit.

XXVII. Bruno Verdenſis epiſcopus moritur.

Paullo ante Turketulum abbatem, deceſſit Bruno Werdenſis ſeu Fardenſis epiſcopus ex-monacho Corbeiæ-novæ, poſtquam annos decem illi eccleſiæ præfuiſſet. Cum jam ſenio & infirmitate gravaretur, rogatus ab Ottone [a] cæſare, ut Herimannum capellanum ſuum, Folcmari epiſcopi fratrem, coadjutorem adoptaret, numquam aſſentiri voluit. Ad eccleſiam ſanctæ Cæciliæ delatus, humo proſtratus veniam petiit, quod Deo indigne ſerviſſet. Tum, Herimanni nece audita, eccleſiæ ſuæ clericos admonuit, ut idoneum eligerent ſucceſſorem, qui ſua errata emendaret. Poſtmodum ad monaſterium ſuum deferri voluit, ubi extremum diem abſolvit hoc anno, & quidem ſeptimo idus Maii. Hinc refellitur Bruſchius, Brunonem noſtrum confundens cum altero Brunone, qui papa creatus eſt poſt annos viginti a morte Brunonis Werdenſis. Huic ſuffectus Erpo præpoſitus Bremenſis.

a Ditmar. li. 2. p. 23.

XXVIII. Benedictus VII. Sergio epiſcopo S. Alexii monaſterium tradit.

Bonifacio VII. qui Benedicto VI. ſtrangulato pontificatum invaſit, & non multo poſt Conſtantinopolim cum multis theſauris ſe recepit, ſuffectus eſt hoc anno Benedictus VII. Initio ſui pontificatus Sergium Damaſci metropolitam, a Sarracenis pulſum, Romæ excepit, eique tradidit baſilicam ſanctorum Bonifacii & Alexii, quam Sergius in monaſterium convertit ſub regula ſancti Benedicti, ut in ejus epitaphio apud Baronium [b] legitur, ubi quatuor annos vixit.

b Baron. ann. 977.

ANN. CHR. 975.

Martyris hoc templum cessit, monachosque vocavit.
Cœnobium sancti Benedicti condidit ipse,
Primo qui statuit nostra certamina vita.
Quattuor hic annos vixit sub tramite recto.

Sergium hunc laudat Petrus Damiani in epistola ad Nicolaum papam II. aitque eum a Benedicto papa sanctorum Bonifacii & Alexii basilicam petiisse, sacerdotalibus pæne officiis destitutam, ut monasterialem ibi regulam constitueret. Græcos monachos Latinis, id est nostris, permistos fuisse inferius patebit ex vita sancti Adalberti Pragensis episcopi, qui illuc se recepit.

XXIX. Hungarorum conversio.

Ubi primum Benedicti papæ electionem rescivit Piligrimus Pataviensis & Lanreacensis antistes, eidem epistolam scripsit, qua eum de nova Hungarorum conversione fecit certiorem, & pallium ab eo postulavit. Hæc conversio primum tentata fuerat a Wolfgango tum monacho, quem ab illa missione revocavit Piligrimus, curavitque Ratisponæ episcopum ordinari: sive id eximii viri meritis tributum voluit, sive hanc sibi uni missionem reservari satius judicavit. Istuc itaque *idoneos* [a] *viros ex monachis*, canonicosque presbyteros misit, per quos tanta illius gentis hominum conversio facta legitur, ut *ex eisdem nobilioribus Ungaris utriusque sexus catholica fide imbutos, atque sacro lavacro ablutos, circiter quinque millia*, Christo lucrati fuerint. Hinc factum est, *ut pæne cuncta Ungarorum natio prona* esset *ad percipiendum fidem sanctam*, immo etiam *alia Sclavorum provincia*. Quam ob rem aliquos illic episcopos ordinari petiit Piligrimus, quippe qui tot parochias solus prædicando circumire non valeret.

a *Hund. to.* I. p. 356.

XXX. Adalberti Pragensis vitæ primordia.

Interim Adalbertus, futurus apostolus Boëmorum, Magdeburgi liberalibus studiis informabatur, curante Adalberto archiepiscopo, qui eum Otrici, scholarum magistri tunc celeberrimi, disciplinæ commiserat. Erat Adalbertus genere Boëmus, natus in illis finibus, ubi christiana religio tum florebat: cum Boëmiæ maxima pars, ethnicis addicta superstitionibus, lignum, lapidemve pro Deo coleret; ceteri nomine tenus christiani, infidelium more viverent. Adalberti parentes non minus religiosi, quam genere clari & opibus præpollentes erant. Pater ejus Slawincus nomine, illarum partium princeps, prudentia & justitia, uti & pietate insignis, metropolim principatus sui Lubicæ, ubi amnis Cidlina in Laberam devolvitur, constituerat. Ejus conjux, pari nobilitate prædita, moribus æque sancta, caduca omnia pro nihilo habens, æterna tantum sitiebat. Tales fuere Adalberti parentes, tantæ sobolis digni. Huic nomen a baptismo datum Woytiechus, quo significatur *Consolatio exercitus*. Hunc ob egregiam formam sæculo destinavere parentes, qui pii erroris brevi pœnas dederunt, infantuli corpusculo subita inflatione correpto. Ad Deum protinus confugiunt turbati parentes, & quæ mortalium votis succurrere præ omnibus sanctis solet, Matrem Domini appellant, infantemque super ejus altare expositum, votum placabile Deo vovent. Nec mora Dei aversa est indignatio, &, ventre extenuato, pristina puero forma reddita. Is antequam e paterna domo egrederetur, psalterium ex integro didicerat. Missus dein a patre ad archiepiscopum Adalbertum, qui puerum, *confirmatione sacrosancti chrismatis* insignitum, suo nomine Adalbertum appellavit. Tunc Magdeburgi, quæ civitas alio nomine Parthenopolis dicta est, magister scholarum erat Otricus quidam philosophus, sub quo multa juvenum turba litteris operam dabat. Huic magistro traditus Adalbertus, brevi multum in studiis profecit, sic litteris incumbens, ut primas pietati daret. In his studiis per novem annos versatus est.

XXXI. Monachi ad S. Martinum Treviris restituti.

Per id tempus Theodericus Trevirorum archiepiscopus ad instauranda [b] conversus monasteria, sancti Martini ædem Treviris, quam Mosella fluvius amœno flexu fere cingit, redigere ad priscam disciplinæ normam, & germanis, excluso canonicorum peregrino cœtu, colonis restitui sategit. Hunc locum olim insederant monachi: sed ab Heinrico Theoderici decessore post Alberici abbatis mortem agris multati, demum, immissis clericis, monasterio exacti fuerant. Verum illi, laxata subinde honestæ vitæ morumque disciplina, studioque divinorum officiorum fere posthabito, cælesti voce locum deserere compulsi dicuntur. Quippe die sancti Martini translationi sacra, id est IV. nonas Julii, sub auroram oscitanter de more psallentibus,

b *Brouver. to.* I. p. 477.

ANN. CHR. 971.

vir canitie & ornatu pontificali venerandus, (Martinus is erat) conspicuus visus est, hanc emittens vocem : Exite, ignavi, exite; monachus Martinus fuit, non canonicus. Hac voce, non secus atque tonitru quodam, perculsi diffugiunt omnes, nec quisquam eorum diu supervixit. Ita locus prædæ expositus, neglecto sacrorum cultu, jam prope interitum erat : cum Theodericus procumbentem ad ruinam denuo erigere statuit, aditoque imperatore, occupatas monasterii possessiones restitui curavit. Redintegratis rebus, monachos istuc reduxit, quibus Engelbertum abbatem religiosissimum præfecit, & impetrato a Benedicto pontifice privilegio, firmam bonorum possessionem & liberam abbatis electionem indulsit. Idem antistes selectum monachorum Benedictinæ [a] professionis cœtum in ecclesia beatæ Mariæ ad Martyres instituisse, & necessariis censuum præsidiis benigne sustentasse traditur, quibus Adeodatum rectorem dedit. Denique mortuus anno insequenti piissimus antistes, locum fecit Egberto archiepiscopo, de quo sæpe dicendi occasio inferius occurret. Inter alia ejus pietas effulsit in sancti Eucharii monasterium, quod ad extrema redactum excitavit, eique Gotberium, e Gandensi cœnobio accersitum, præposuit.

a *ibid* p. 478.

XXXII. Blandinii basilica dedicatur.

Tunc Gandensi sancti Bavonis monasterio & Blandiniensi præerat Womarus seu Wolmarus abbas, qui Bavonianis monachis ablata restitui per Ottonem imperatorem curavit : cujus rei diplomata exstant apud Miræum. Inter ea Blandiniensis monasterii basilica, quæ jam dudum incboata erat, ab Arnulfo minore absoluta, rogatus est Adalbero metropolitanus, ut eam sollemni ritu consecraret. quod hoc anno factum esse Sanderus, aliique tradunt. Eodem tempore, scilicet pridie kalendas Octobris, e tumulo elatum est corpus sancti Florberti illius loci primi abbatis, & decentiori loco repositum. quo ritu tunc temporis cælites in sanctorum album accenscbantur.

XXXIII. Crux S. Benedicto data.

Apud Parisios habitus est hoc anno nobilium publicus conventus, ut nos docet Adelelmus miles in charta, qua Domino Salvatori, ejusque eximio confessori patrique monachorum beato Benedicto insignem offert argenteam crucem, Salvatoris nostri in cruce appensi imagine insculptam. Insuper ad lumen eidem ministrandum quoddam juris sui prædium, in pago Senonico situm, cui vocabulum Villaris *, cum ecclesia beatæ Mariæ, suisque appendicibus, donat pro remedio animæ suæ ac senioris sui inclyti Francorum ducis Hugonis, necnon pro genitore suo Rotberto, & genitrice sua Berta nomine, & pro Burchardo comite Senonensi, consobrino suo. *Actum Parisii* (sic non raro tum scribebant, passim *Parisius*) *in nobilium conventu publico.* Subscribunt Adelelmus & Burchardus, qui hanc donationem fecisse dicuntur, Hugo dux Francorum, Odo comes, & alii, Adela comitissa, & Milo comes filius ejus. *Data vj. idus Septembris, anno xxj. gloriosi regis Lotharii, indictione iij.*

* *Villiers S. Benoist.*

XXXIV. Guido abbas fit episcopus Aniciensis.

Circiter hoc tempus Guido seu Wido abbas Cormaricensis, aliorumque monasteriorum, Godefridi Grisagonellæ Andium comitis germanus frater, ad episcopatum Aniciensem seu Podiensem, Lothario rege [b] volente, invitus promovetur. Podium accedenti ad capessendum episcopatum, obviam profecti sunt Pontius & Bertrandus ipsius nepotes ex sorore Adelaide, uxore Willelmi Provinciæ comitis, quæ & ipsa cum filiis, qui *Aquitaniæ clarissimi consules* dicuntur, fratri occurrit. Inito pontificatu, primum omnium de sancienda pace, quam *trevam* seu *treugam Dei* appellabant, & de coërcendis ecclesiæ bonorum raptoribus cogitavit. Ejus rei causa milites ac rustici in unum convenire jussi, ut simul de sancienda pace & de restituendis ablatis tractarent; adversantes repressi, opitulantibus prædictis nepotibus suis, quos apud Brivate oppidum cum valida manu armatorum paratos esse mandaverat ad coërcendos rebelles. qui metu constricti, pacem sacramento & obsidibus datis firmarunt, & res ecclesiasticas restituerunt.

b *Gall. chr.* to. 3. p. 999.

XXXV. Vicentiæ reparatur S. Felicis monasterium.

Exstabat ante id tempus prope Vicentiam Italiæ urbem, perstatque etiam nunc sancti Felicis monasterium, cujus obscura origo est. Ex hoc loco Deodericus seu Theodericus episcopus Mettensis reliquias sanctorum martyrum Leontii & Carpophori obtinuit ab episcopo Vicentino, *ubi & nobile* [c] *quondam monasterium sancti Felicis visebatur*, in quo hi martyres *primo reconditi ferebantur : sed eo ab Ungris, qui pene locorum ipsorum vicini sunt, exusto, atque assidua incursione eorum reparationem prohibente, ad sedem episcopalem infra urbem sub altare depositi* fuerant. Hæc

c *Spicil.* t. 5. p. 145.

LLll iij

ANN. CHR. 975.

scribebat auctor anonymus anno DCCCC LXX. quo hæc translatio facta est. Post annos quinque Rodulfus episcopus, sacri ejus loci desolationem moleste ferens, *cœnobium beatorum martyrum Felicis & Fortunati, Viti atque Modesti*, situm extra » civitatem Vicentiam, *omni monastico cultu & divino officio destitutum* ob negligen- » tiam pastorum & vastationem barbararum gentium, quæ in Italiam nuper irrue- » rant, restaurare atque redintegrare decrevit ad prædictorum martyrum honorem, » pro domni Ottonis clementissimi imperatoris, ejusque genitricis Adelaidæ pissimæ » imperatricis, suaque & omnium viventium salute, & pro requie Ottonis Magni. » Quam ob rem *ad sacrum mysterium quotidie peragendum*, abbatem Johannem, re- « gulari disciplina optime instructum, ibidem constituit, eique ac successoribus ejus, » omnia bona, quæ ad prædictam abbatiam olim pertinebant, concessit, aliis insu- » per adjectis, in quibus *abbatiam sancti Viti* memorat, *sitam juxta ecclesiam sancti Felicis, ubi sacrum ejus corpus requiescit.* quæ omnia tradit Rodulfus ea tantum le- » ge, ut in nativitate Domini, pascha, & singulis festivitatibus sanctorum marty- » rum Felicis & Fortunati, candelam unam, panem unum & ampullam plenam vi- » no episcopis Vicentinis abbas & monachi annuatim deferant. Ughellus [a] distin- guit monasterium sanctorum Felicis & Fortunati a monasterio sanctorum Viti & Modesti, quæ duo Rodulfus episcopus confundere videtur.

[a] *Ital. sac.* to 5. c. 1400.

XXXVI. Eadgaro regi Edwardus succedit.

In Anglia rex Eadgarus, magnus, pius, & monachorum benefactor insignis, præmatura morte decessit VIII. idus Julii, anno ætatis suæ XXXII. regni sui in Mercia & Northumbria XIX. in tota insula XVI. sepultusque est in Glastoniæ monasterio, quod ipse instauraverat. Quanta monachis præstiterit, consilio maxime Dunstani, Oswaldi & Ethelwoldi pontificum, testantur varia cœnobia ab ipso vel reparata, vel de novo exstructa. Abbatiam namque Glastoniensem, ut modo dice- » bam, instauravit; Abanduoensem super Tamesim, ut verbis Henrici Huntindo- » niensis [b] utar, composuit; abbatiam apud *Burch* prope Stanfordiam stabilivit; » Thorneiensem ei proximam, in mediis paludibus, loco tamen amœnissimo, fixit; » Ramesiensem quoque in pulcherrima insula intra easdem paludes. quæ palus mul- » tis irrigua fluviis & lacubus, variis distincta insulis, silvis etiam adumbrata, mo- » nasteria continebat non pauca, Eliense, Ramesiense, Chatericense, Thorneiense, » & Crulandense; adhærentes etiam habens abbatias Burgensem & Spaldingensem. Ad hæc ejusdem regis mandato, curante Dunstano, sancita est regularis Concordia monachorum, ut in diversis degentes monasteriis uniformi ritu viverent. Qui tanta præstitit in tam brevi ætate, quid facturus erat rex tantus, si diutius vixis- » set? Hic feliciter vivens, feliciter obiit, inquit Henricus: nec potuit male mori, « qui & bene vixerat, & tot ecclesias Deo fundaverat. Successit optimo parenti filius haud degener, Edwardus nomine, dictus sanctus, cujus regni principio apparuit cometa, signum creditum maximæ famis, quæ anno sequenti subsecuta est.

[b] *Huntind. lib.* 5.

Monasteria ab eo structa.

ANN. CHR. 976.

XXXVII. Persecutio in monachos in Anglia.

EO regnante consul seu comes quidam nequissimus, Elferus nomine, congruente nomini suo feritate, complures abbatias, quas rex Eadgarus & Ethelwoldus episcopus construxerant, quorumdam potentum assensu & factione destruxit. quæ res iram Dei & pristinas clades denuo accersivit, rege ipso intra quinquennium proditione gentis suæ occiso. Factum signantius explicat Rogerius Hovedenus in » hunc modum. Princeps Merciorum Elferus, compluresque regni primates, magnis » occæcati muneribus, abbates e monasteriis, in quibus eos rex Eadgarus colloca- » verat, expulerunt, & clericos cum suis uxoribus in ea introduxerunt, eo animo, » ut monachi ex tota insula exturbarentur. Sed huic furentis homini væsaniæ resti- » terunt dux orientalium Anglorum Ethelwinus, vir religiosus, ipsiusque germanus » Elswoldus & Brithnothus comes, & in synodo contestati sunt, se numquam ferre » posse, ut monachi ejicerentur de regno, ubi religionem instituerant. Quin etiam » congregato exercitu orientalium Anglorum monasteria strenuissime defenderunt. Hæc agebantur, dum de rege eligendo magna inter principes dissensio erat, quibusdam Egelredum, aliis Edwardum ejus fratrem eligentibus: sed tandem pars Edwardo favens prævaluit, quem pater successorem designaverat. Quam ob causam Dunstanus & Oswaldus cum coëpiscopis & abbatibus, ducibusque quam plurimis electum consecraverunt, & in regem inunxerunt. Ex illis monasteriis, quæ Elferi comitis feritatem experta sunt, unum fuit Wintecumbense ab Oswaldo an-

ANN. CHR. 976.

tistite conditum, ex quo pulsi monachi Ramesiam, unde assumti fuerant, remigrare coacti sunt. Eorum vero abbas Germanus, trajecto mari, Floriacum, ubi educatus fuerat, repetiit, sed post triennium ab Oswaldo Ramesiam revocatur: ubi usque ad decessum Ethelwini seu Ailwini comitis Ramesiæ conditoris demoratus est.

XXXVIII. Bellum in Belgio.

Post mortem Tetdonis [a] Cameracensis episcopi grandis altercatio in illis partibus denuo exarsit. Ottone quippe bello apud Sclavos occupato, Lotharius res Atrebatensis episcopatus, qui Cameracensi conjunctus erat, pervaserat, & Cameraco civitati jam imminere videbatur. Quare Godefridus Virdunensis, & Arnulfus Flandrensis comites Carolum ducem, Lotharii regis fratrem, quem Otto imperator sibi devinctum citeriori Lotharingiæ sub se præfecerat, ad tutandam urbem, & imperatoris partibus asserendam advocant, dum imperator reversus episcopum vacanti ecclesiæ sufficeret. Verum Carolus tot vexationes in tota urbe ac regione exercuit, ut prædicti comites ab eo discesserint, donec imperator, hiemis intemperie a bello revocatus, suggestu Notcheri [b] Leodicensium episcopi, Rothardo, nobili prosapia orto, Cameracensem episcopatum contulit. Ille vero circa initium quadragesimæ insequentis ipsam urbem adiit, non multo post ordinatus ab archiepiscopo Adalberone, a puero sibi amico & maxime familiari, *ex quo videlicet in scholis Gorzensis monasterii pariter condiscipuli exstiterant.* Inter ea Rainerus [c] & Lantbertus fratres, filii Raineri Montensis, cognomento Longi-colli, se paternis honoribus privatos esse indigne ferentes, eumdem Carolum Lotharii regis fratrem, atque Ottonem Alberti Vermandensis comitis filium, cum aliis multis raptoribus auxilio adsciscunt, & Montem castrum, ubi Godefridus & Arnulfus comites se munierant, aggrediuntur. at illi e præsidio egressi manus conserunt, & post dubium diu certamen fructu victoriæ potiuntur. Mox victores comites episcopus allicit [d] ad suas partes, eorumque auxilio subditis pacem & tranquillitatem restituit. Horum motuum fit mentio in appendice ad chronicon Frodoardi, ubi Godefridus comes lancea perfossus fuisse dicitur, qui tamen postea utcumque convaluit.

a *Balderic. lib.* 1. *c.* 100.
b *ibid. c.* 101.
c *ibid. c.* 95.
d *ibid. c.* 102.

XXXIX. Marchianensibus restitutio facta.

Cum Duaci versaretur Lotharius, petente Hemma ipsius [e] conjuge, villam *Aines*, qui vicus est apud Atrebates prope Bassæam opidum, ab Arnulfo comite quondam abstractam, restituit Marchianensi monasterio, ut deinceps prædictam villam haberent *tam abbatissa Judith, quam sorores, necnon fratres ipsius monasterii sanctæ Rictrudis.* quod argumento est, duplicem eo loci etiam tum fuisse congregationem, virorum ac mulierum, ubi modo sola virorum superest. *Actum Duacense castello, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXVI. *regnante domno Lothario anno xxij.*

e *Miræi dipl. p* 43.

XL. S. Theoderici abbatis elevatio.

Post annos quatuor, quam monasticus ordo in cœnobio sancti Theoderici prope Remorum civitatem restitutus fuerat, Adalbero archiepiscopus, pii facti auctor, de perquirendo corpore sancti Theoderici, ejus loci abbatis primi, cogitare cœpit. Effossa humo, ubi sacrum illud depositum asservari credebatur, inventus est primo loculus terra oppletus, quæ putrefactis laterum compagibus intro plurima ceciderat. Hoc cenotaphium de industria illic interpositum fuerat, ut perquirentium curiositas eluderetur. Verum, altius defossa humo, inventum est in subjecto tumulo corpus beati confessoris, *holosericis vestibus involutum, stola scilicet circumquaque lento auro deducta*, & pretiosis indumentis. Hoc modo abditum fuerat sancti Theoderici corpus, ob metum, ut quidem credere par est, Nortmannorum. neque enim veri simile est, illud a tempore sepulturæ ibi jacuisse, ut martyrologium loci vetus innuere videtur: maxime cum corpus sancti Theodulfi abbatis, ejus discipuli ac successoris, longe ante hoc tempus e tumulo levatum fuisset, & propter Nortmannorum procellas Remos delatum. Secus actum est de sancti Theoderici corpore, quod ejus alumni secreto loco apud se ob metum Nortmannorum reponere maluerunt, quam Remos amittendi periculo deportare. Ad illud porro perquirendum excitatus est Adalbero, tum crebris miraculis, quæ in ecclesia illa tunc patrabantur, tum pietate ac devotione Airardi abbatis, ejusque monachorum, qui patroni sui conspectu reliquiarum diutius orbari ægre admodum sustinebant. Inventio hæc accidit hoc anno, & quidem XIII. kal. Maii, inter ipsa quadragesimæ sollemnia. Inventum factum corpus Adalbero in terra, uti erat, relinqui jussit, dum res Lothario regi significaretur. qui ad sollemnem elevationem invitatus, ei adfuit cum Emma regina & frequenti optimatum comitatu, & sa-

ANN. CHR. 976.

crum loculum propriis manibus e tumulo efferre honori duxit. Id factum III. idus Decembris, quo die rex atque regina beato confessori pretiosa ornamenta contulerunt. Ad hæc Adalbero prædictum locum amplius illustrare cupiens, corpus beati Theodulfi, quod tunc Remis in majori ecclesia quiescebat, ad pristinam sedem, reclamantibus licet civibus, reportari curavit.

XLI. Fuldensium lis cum Hersfeldensibus.

Eodem tempore pertinax controversia erat Werinbario Fuldensi abbati cum Gozberto Hersfeldensi abbate, quæ jam dudum inter Hadamarum & Haganonem eorum antecessores excitata fuerat, de navigatione scilicet atque usu Hursillæ amnis, qui cum Nesa apud Isenacum in Turingia confluens, Worra recipitur. Arbitri finiendæ litis hoc anno dati cum aliis Theodericus Mettensis & Hilteboldus Wormatiensis episcopi. Quæ fuerit arbitrorum sententia, non prodit Browerus, ex quo hæc accepimus. Certe nec Lambertus, Hersfeldensis ipse monachus, hujus controversiæ in chronico meminit; quæ forte neque hoc loco nobis commemoranda erat, at veniam saltem meretur narrationis brevitas.

XLII. Patavienses cellæ.

In diplomate Ottonis secundi, quod Piligrimus Pataviensis antistes hoc anno pro ecclesia sua obtinuit, mentio fit de quibusdam cellis [a] eidem ecclesiæ subjectis, nempe cella *sancti Florentini martyris, atque Treisma ad monasterium sancti Hippolyti, necnon Chremissa, quæ est in honore sancti Salvatoris fundata & consecrata.* In alio diplomate [b] memoratur abbatia sanctæ Dei genitricis Mariæ, in territorio Pataviensi ad Danubium sita, quam idem imperator eidem episcopo, ob constantem ipsius fidem, in perturbatione Bajoariorum, quæ in defectione fratruelis sui Heinrici-Hezilonis ducis contigerat, sibi præstitam, & propter damna hinc passa, donat ac tradit, interventu fratruelis sui Ottonis ducis Bajoariorum, atque Willigisi archiepiscopi Moguntinensis. Hoc monasterium Oulo dux Bajoariorum condidisse traditur, Pirminius vero episcopus dedicasse. Prima ejus mentio nobis occurrit in litteris Arnolfi imperatoris. Peritat etiam nunc hoc puellare monasterium, Niderburgense vulgo appellatum, instauratum a sancto Heinrico imperatore, cujus ex fratre neptis Heilica ejus loci abbatissa fuisse traditur.

a Hund to. 1. p. 360.
b id. to. 2. p. 318.

XLIII. Bergensis parthenonis origo.

Ad hunc item annum revocanda sunt primordia Bergensis [c] parthenonis, quem Wiltrudis, filia Gisleberti Lothariensis ducis, uxor Bertholdi ducis Bajoariorum, post mariti obitum liberorum expers inter Neoburgum & Eistetum opida excitavit in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sancti Johannis & sanctæ Crucis, & dotalibus bonis locupletavit: ubi cœtum piarum virginum sub sancti Benedicti regula instituit, probante Ottone secundo imperatore, favente quoque Theophania ejus conjuge, & Reginoldo Eistetensi episcopo confirmante. Ibidem etiam Wiltrudis ipsa velum monasticum accepisse traditur. Floruit eo loci sæculo duodecimo Relindis abbatissa, poëtria, sed maxime pietate insignis, quæ prolapsos sanctæ Odiliæ puellarum mores emendavit.

c ibid p. 147.

XLIV. Ottonis præceptum pro Desertina.

Babinbergæ versabatur initio Julii Otto imperator, cum genitricis suæ Adalhaidis interventu monachis ex monasterio Desertino, in honorem sancti Martini exstructo, cui tunc *venerandæ probitatis & sanctæ religionis abbas* Victor præerat, jus eligendi abbatis, a superioribus imperatoribus & regibus indultum, confirmavit. Ad hæc quamdam curtem, in pago Turego, in comitatu Mangoldi positam, cum decimis & ecclesiis aliisque rebus ad eam pertinentibus concessit; insuper curtem, quam dicunt monachorum in loco *Amides dicto*, sitam in pago Rætiæ, in comitatu Adalberti. *Data IIIJ. nonas Julii, anno dominicæ inc.* DCCCC LXXVI. *indictione IV. anno vero regni domni Ottonis XV. imperii VIIIJ. Actum Babinberch.*

ANN. CHR. 977.

XLV. Turbæ civiles.

ANno insequenti ejus sæculi septuagesimo septimo, Carolus Lotharii regis frater negotia & turbas tum suo ipsius fratri, tum Ottoni regi facessit. quem ut ad suas partes pertraheret Otto, cum externis, tum civilibus bellis occupatus, Lothariensis regni parti superiori, quam Mosellanam posteri dixere, ducem præfecit, ut fines imperii contra Lotharium fratrem tueretur. Idem Otto Raginerium & Lambertum, Ragineri Longi-colli filios, quorum ille Hatvidem Hugonis Capeti filiam, hic Gerbergam Caroli filiam conjuges habebant, faventibus soceris, tractum illum terrarum, qui Scaldim inter & Mosam jacet, habere sivit. quod Montensibus & Lovaniensibus comitibus originem dedit. Hanc Lothariensis regni provinciam fratri suo datam, tamquam sibi ereptam, gravate ferens Lotharius,

urbem

ANN. CHR. 977.

urbem Mediomatricum occupavit, favente Theoderico seu Diederico episcopo, sed postea resistente, ad quem graves hac de re exstant Gerberti [a] litteræ nomine Caroli, cui tum Gerbertus favebat.

XLVI. Ottonis diplomata pro S. Arnulfo & S. Petro.

Necdum offensus erat in Theodericum Ottonis animus, cum hic *per interventionem dilectissimi sobrini* sui *Deotfridi* seu Deoderici, *sanctæ Mettensis ecclesiæ episcopi*, rogatu Johannis sancti Arnulfi abbatis, donationem cujusdam Gisleberti eidem monasterio factam confirmavit. *Data vj. idus Maii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXVII. *indictione v. anno vero regni domni Ottonis xvj. imperii x. Actum Theodonis-villa*. Postridie idem imperator, ob dilectæ conjugis suæ Theophaniæ amorem, Theoderici episcopi & Friderici ducis interventu, omnes possessiones parthenonis S. Petri Mettensis cum libera electione abbatissæ & advocati impertit v. idus Maii apud Theodonis-villam sub iisdem chronicis notis. In editis [b] corrigenda *indictio sexta*, & ponenda *quinta*. Jam decesserat Johannes sancti Arnulfi abbas, cum idem Theodericus episcopus villæ [c] Vigiaci * restitutionem, sancti Arnulfi monasterio factam a *divæ memoriæ* Brunone archiepiscopo, in quo regni procuratio tunc recumbebat, confirmat eo pacto, ut statuto die refectio fratribus inde exhibeatur pro requie æterna ejusdem Brunonis sobrini sui & fratruelis sui Eberhardi. Ad hæc idem quoque sancto Arnulfo restituit villam Reumagam, quam initio suæ promotionis *a Johanne quondam venerabili abbate* in beneficium obtinuerat. Ejus rei litteræ in editis carent chronicis notis.

XLVII. Laudunenses, Senonenses & Noviomenses episcopi.

Sub finem anni præcedentis morte sublatus est Rorico Laudunensis antistes, sancti Vincentii monasterii instaurator: cui hoc anno a Lothario rege suffectus est Adelbero seu Adalbero juvenis ex Lotharii regno, ut in appendice Frodoardi legitur, qui Remis kalendis Aprilis ab Adalberone archiepiscopo consecratus est ipsa dominica palmarum. Alio nomine Ascelinus dictus est, ut constat ex Gerberti epistola LIV. secundæ classis, aliisque ejus ævi monumentis. Varia ejus fortuna fuit, varius animus, Carolo duci Lothariensi, cujus in verba juraverat, infidus, monachorum Cluniacensium osor, ut probat ipsius carmen ad Rotbertum regem, ab Hadriano Valesio editum; at in Vincentinos optime affectus, apud quos sepeliri voluit.

Ineunte hoc anno itidem mortem oppetiit Anastasius Senonum archipræsul, cui Sewinus subrogatus est, ambo de ordine nostro quam optime meriti. Annum præcedentem pro Anastasii obitu signat Clarius monachus, at secundum veterem calculum. Mortuus quippe est VII. idus Januarii, & quidem media nocte diei dominicæ, quæ in septimum idus Januarii anno DCCCC LXXVII. incidebat. Ad hæc Sewinus ejus successor ordinatus est IV. idus Junii, non Julii, [d] itidem dominica die, quæ ipso anno cum quarto idus Junii conveniebat. Denique hunc calculum probat tempus mortis Sewini archiepiscopi, qui anno unde-millesimo decessit post annos pontificatos viginti-duos. Sepultus est Anastasius more decessorum suorum in suburbano monasterio sancti Petri. Ejus obitum angelico monitu didicit ejus germana soror, sanctimonialis sanctæ Faræ in Briegio: cujus monitu expergefactæ aliæ sanctimoniales, officium pro eo, sicut de uno confessore, persolverunt. Sewini electioni principio restitit Rainardus comes, tametsi ejus avunculus, eumque ingressu civitatis prohibuit. quare ordinatus est in Autisiodorensi ecclesia Sewinus, qui ordinatus Rainardum excommunicavit, totamque provinciam interdicto supposuit. Excommunicationis ejusmodi formulam habes in Spicilegii tomo secundo, & in appendice ad Reginonis collectionem canonum. De Sewino plura inferius.

Hoc ipso anno Hadulfus Noviomensis præsul in nativitate sancti Johannis decessisse traditur in appendice Frodoardi, successorem sortitus Liudulfum, Herberti secundi Viromandorum comitis filium, fratrem vero Alberti comitis, instauratoris monasterii sancti Quintini in Monte prope Perronam, de quo in præsens agendum est.

XLVIII. S. Quintini de Monte cœnobium instauratum.

Albertus Viromandensis comes in litteris suis pro instauratione ecclesiæ sancti Quintini, prope Perronam sitæ in Viromandensi comitatu, asserit, ecclesiam in honore sancti Quintini martyris antiquitus dedicatam fuisse, *in monte sitam prope vicum Perronem, quam quondam Dagoberti regis auctoritate, Erchenoldi præfecti donatione, sancti Eligii pontificis benedictione, Ultanus quidam, genere Scotus, professione monachus, ecclesiasticis sanctionibus ac monasticis* informaverit *institutionibus*,

[a] Gerbert. ep. 32.

[b] Meurisse p. 325.

[c] id. p. 326.

* Vigy.

[d] v. Spicil. to. 10. p. 631. & Baluz. append. Regin. p. 638.

AN. CHR. 977. » *abbatis honore functus.* quam ecclesiam habitantium incuria & barbarorum infectatione penitus desolatam a fundamento denuo ædificari jussit, &, abbate ibidem » constituto, abbatiam confirmavit, & bonis hereditariis dotavit. His litteris, quæ notis chronicis destitutæ sunt, subscribit Albertus ipse, & post eum Heribertus comes, Wido comes, aliique, & post eos *Leudulfus Vermandensis ac Noviomensis ecclesiæ episcopus. Actum in curia sancti Quintini, die passionis ejus.* Si Leudulfus seu Liudulfus ipso tempore, quo hæc charta scripta est, eidem nomen suum apposuit; hæc instauratio a comite Alberto facta non est ante præsentem annum, quem Liudulfi episcopi primum esse constat. An vero monasterium in Monte prope Perronam ab Ultano abbate primitus conditum fuerit, uti Albertus comes in præmissis litteris pro comperto habet, non levis est difficultas. Certum quippe est, Ultanum primum auctorem & abbatem fuisse basilicæ Perronensis, quæ modo sancti Fursei nomine ac reliquiis insignitur, atque adjuncti monasterii, quod ab annis amplius octingentis ad clericos sæculares translatum est: an vero etiam conditor ac rector fuerit suburbanæ ecclesiæ sancti Quintini, ex eo justæ dubitationi locus relinquitur, quod nulla ejus monasterii occurrat mentio apud ullos auctores, Alberto comite superiores: cujus ævo forte canonici hunc rumorem in vulgus sparserint, ut monachorum nomen ac memoriam a basilica sua removerent, & Ultanum, non Furseanæ, sed Quintinianæ ecclesiæ auctorem ac primum abbatem esse assererent. Si tamen Ultanus utrique præfuerit, cœnobii sancti Quintini de Monte origo non Dagoberti auctoritati tribuenda est, sed Chlodovei ejus filii, cujus principatu Erchinoaldus regiæ domus præfecturam obtinuit. In prædictis Alberti litteris, non exprimitur primus instaurati loci abbas, quem Evrardum esse Acherius noster docet in notis ad Guibertum, ubi Alberti comitis litteras retulit, ac syllabum sancti Quintini de Monte abbatum. In ejus loci necrologio notatur IX. kal. Augusti obitus domni Evrardi abbatis primi hujus congregationis; & V. idus Septembris Alberti comitis Vermandensis, *qui sua munificentia fundavit locum istum.*

XLIX. S. Judoci monasterium itidem instauratur.

Postquam cella sancti Judoci Lupo Ferrariensi abbati concessa fuerat, Nortmannorum tempestate ad tantam solitudinem redactus est locus iste, ut vix unus illic superesset clericulus, &, quo in loco sancti Judoci corpus quiesceret, ignoraretur. Tandem vero tempore Lotharii regis, & quidem hoc ipso anno, inventum est a quodam rustico, nomine Stephano, qui superno instinctu, relicta uxore, ad cellam sancti Judoci se recepit, ibique Sigemanno æditruo, qui solus in ecclesia illa excubias agebat, adjunctus, dum ejus jussu sacrum loculum perquirit, eum ad dexteram altaris sancti Martini invenit: quo ex loco super altare VIII. kalendas Augusti depositum est. Ipso anno monasterium sancti Judoci instaurari cœptum, & monasticus ordo ibidem restitui, ubi Sigebrandus abbas constitutus est. Huic successisse videtur Herboldus, ad quem Isembardus monachus Floriacensis, instigante Adelelmo monacho, libellum scripsit de inventione corporis sancti Judoci & miraculis inde consecutis *temporibus Hugonis Magni seu Rodberti regis*, uti Ordericus Vitalis * commemorat. In his miraculis unum a veracibus viris, Adelelmo & Richerio monachis, narratur, quod, dum a prædicto Stephano reliquiæ sancti Judoci pro constructione basilicæ ad monasterium sancti Richarii deferrentur, inclyta quædam puella, nomine Bertsendis, gradiendi facultatem ad sacras reliquias recuperavit. Alia miracula facta tempore Widonis abbatis, qui forte Herboldo suffectus est.

* Orderic. p. 497. & seqq.

L. S. Judoci reliquiæ alio translatæ.

Post hæc, grassantibus bellis, corpus sancti Judoci denuo secreto loco abditum fuit, paucis consciis, quibus mortuis ignotum locum detexit alius quidam rusticus, qui ob id ad monasticam professionem admissus est, & sacri corporis custos constitutus. Verum, cum non satis humane ab ejus loci abbate tractaretur, sacras reliquias Gomercium furto abstulit, quas Goisfredus loci municeps in ecclesia castellana, ubi quatuor canonici erant, deposuit. Sub hæc, orto in illa ecclesia incendio, canonicus quidam eas inde ereptas ad ecclesiam sancti Martini de Parmis * deportavit. qui locus est in pago Vilcassino, ubi olim prioratus, Uticensi subjectus monasterio: in cujus loci ecclesia hactenus sancti Judoci caput & alterius brachii radius asservari dicitur. Illic frequentata itidem miracula, *de quibus Merulensis Willelmus, venerabilis monachus & sacerdos, egregium dictamen edidit.* In his Philippus rex Francorum, eo nomine primus, qui biennio febre conflictatus,

* al. Parnis.

nulla medicorum arte sanari potuerat, cum aquam tactu reliquiarum sancti Judoci sanctificatam bibisset, & duabus noctibus ad sanctum corpus orasset, integram sanitatem recuperavit. Sanatus vero quinquaginta solidos Pontesienses cum annuis nundinis ad festum sancti Judoei concessit. ANN. CHR. 977.

L I. *Paredi cellæ origo & priores.* Paredum locus est diœcesis Augustodunensis ad Burbunciam * amnem in pago Quadrilensi *, cella Cluniacensium monachorum (decanatum vocant) insignis, unde Paredum-monachorum * appellatur. Hoc monasterium, cooperante sancto Mayolo abbate, in proprio solo construxit Lambertus Cabilonensis comes, filius Rotberti vicecomitis ex Ingeltrude matre, vix ulli tunc temporis in christiana religione secundus; voluitque nulli alteri ecclesiæ vel abbatiæ subjacere. Verum Hugo præsul Autisiodorensis, ejus filius, videns prædictum locum per se stare non posse; Rotberti regis consilio, necnon Heinrici Burgundiæ ducis; illum Cluniacensi monasterio sub Odilone abbate subjecit. Ex quo redarguas Glabrum Rodulfum, cum Hugonem [a] episcopum ejus monasterii primum auctorem & conditorem dicit. Paredi monasterii prima fundamenta anno ejus sæculi septuagesimo-tertio jacta, ejusque dedicationem hoc anno, id est septuagesimo-septimo, in honorem sanctæ Mariæ virginis, sanctique Johannis-Baptistæ, & sancti Grati episcopi & confessoris factam fuisse discimus ex historia ejusdem loci chartario præmissa: ubi locus Aureavallis cognominatus dicitur. Ibidem enumerantur prædia, xenia & ornamenta, quæ Lambertus munificus comes novo monasterio ipso die dedicationis concessit. Litteris dotationis ab eo confectis subscribunt post illum Adalais uxor ejus, Hugo filius ejus, Rodulfus episcopus Cabilonensis, Johannes & Isardus item episcopi, Rodbertus vicecomes & Leotaldus. Idem Lambertus Paredi humari voluit post obitum, qui contigit VIII. kalendas Martii, anno DCCCCLXXXVIII. Est & alter locus ejusdem nominis non procul a Burbone-Anselli *, Paredum-fratrum * dictus ad discrimen alterius, ducto a fratribus seu monachis cognomine. Primus Paredi-monachorum prior videtur fuisse Andraldus, qui eum lucum regebat tempore Hugonis comitis & episcopi. Aymardus *bonæ memoriæ prior*, & Guntherius ejus successores tempore sancti Odilonis abbatis, Hugo sub sancto Hugone abbate, Artaldus tempore Pontii abbatis, Bernardus & Gerardus tempore Petri Venerabilis, uti ex chartario colligere potuimus, in quo plurimi nobiles se suosque filios ibidem Deo consecrasse perhibentur.

* *la Brebince.* * *le Charolois.* * *Paroy le-monial.*

[a] *Glab. lib. 3. c. 2.*

* *Bourbon-Lancy.* * *Paray-le-Fratry.*

L II. *Salvatoris cœnobium prope Narbonam.* In Septimania nobilissima matrona quædam, nomine Adalais, condito testamento statuit, ut *sanctum opus*, hoc est monasterium virginum, quod *inchoatum* ab ipsa erat *subtus Narbonam, in honorem omnipotentis Dei sanctique Salvatoris construeretur*, idque absolvendum relinquit sororibus suis & domnæ Arcendi comitissæ; atque in eam rem constituit eleemosynarios suos seu exsecutores, scilicet Ermengaudum archipræsulem Narbonensem, Raimundum, Vassadellum, & alios. Ad hæc eadem piissima matrona quædam prædia legat cœnobio sanctæ Mariæ, quod vocant Crassam, sancto Petro apud Caunas, monasterio sancti Aniani, cœnobio sancti Pontii apud Tomerias, monasterio sancti Laurentii in pago Narbonensi. In fine rogat, ut, si monasterium sancti Salvatoris perfectum fuerit, filia sua ejus abbatissa « constituatur. Factum testamentum IV. nonas Octobris, anno XXIV. regnante Lo- « thario rege. Non exstat hoc Salvatoris monasterium; immo an umquam perfectum « fuerit, incertum.

L III. *S. Mariæ in Taxo monasterium conditur.* Per eas tempestates cælesti revelatione [b] admonitus est Froylanes monachus, ut oratorium in honorem sanctæ Mariæ in serra seu monte Taxo, qui locus est diœcesis Urgellensis in comitatu Bergitano, exstrueret. Nec mora Froylanes operi manum admovet, collaborantibus sociis suis, scilicet Godemaro presbytero & monacho, Armamiro presbytero quoque & monacho; Ildesindo, Lodoïco, Ausalono & Siginfredo monachis. Eorum exemplo commoti Oliba comes & Mironus seu Miro episcopus, scilicet Gerundensis, ipsius frater, consultu Wisadi episcopi diœcesani, monasterium ibidem construxere in honorem sanctæ Mariæ, præfecto eidem Froylane abbate, qui pii operis primus auctor exstiterat. De successore vero id constitutum, ut deinceps electio abbatis non fiat citra suum ipsorum consensum, & comitum Bergitanensium, & sine auctoritate episcopi Urgellensis. Constructo monasterio dotem assignant ad alendos duodecim monachos, ac singulis victum quotidianum, id est *libram panis frumenti secundum regulam sancti Basilii & sancti Be-*

[b] *Marca Hisp. c. 405. & 914.*

ANN. CHR. 977.

nedicti, in summa *victum & vestitum secundum consuetudinem & secundum regulam sancti Benedicti*, & vini mensuram ab eo constitutam. Verum quia in aridis illis locis non facilis erat leguminum & olerum copia, iisdem monachis permittitur edere, quidquid habere potuerint in refectionem. Denique iidem fratres, Oliba & Mironus, ac Wisadus episcopus cum assensu nobilium ejusdem pagi constituunt, *ut ipsum cœnobium sanctæ Mariæ fiat major ecclesia de toto Bergitano ad baptizandum & sepeliendum omnes homines, qui ibi se dedicant ad illorum obitum, aut quicquam donare voluerint de sua proprietate, fiant absoluti de omnibus peccatis eorum.* Insuper, ut ipsum cœnobium usque in finem sæculi sit omnino liberum, sicut scriptum est in regula sancti Benedicti. Facta est hæc charta *anno trabeationis Christi* DCCCC LXXVII. *æra* M XV. *indictione* V. *idibus Octobris, anno* XXIIJ. *regnante Leuthario Francigeno rege, apud nos autem imperante Domino Jesu-Christo.*

LIV. Rivipollensis ecclesiæ dedicatio. [a] *Marca Hisp. c. 917. & 1197.*

Ante aliquot annos Arnulfus [a] Rivipollensis abbas, dein episcopus Gerundensis, novam monasterii basilicam molitus est, sed morte interceptus imperfectam reliquit. Eam vero absolvit ejus successor Guidiscius abbas, curavitque dedicari XVII. kalend. Decembris hoc anno per manus Mironis Gerundensis antistitis, Fruiani Ausonensis, & Guisadi seu Wisadi Urgellensis, *qui, licet ob iter domni Petri absens corpore, præsens tamen adfuit mente*, præsentibus Olibano marchione seu comite Ceritaniensi & Borrello Barcinonensi. qui omnes litteris factæ dedicationis subscripserunt, & insuper Suniarius Helenensis, & Vivens Barcinonensis antistites. His litteris subjicitur confirmatio omnium ejus loci possessionum, & libera electio abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Subscribit inter alios Theudericus abbas Campi-rotundi.

LV. S. Petri monasterii Bisuldunensis origo. [b] *ibid. c. 919.*

Prædictus Miro Gerundensis episcopus [b] ac Bisuldunensis comes, una cum fratribus suis, Olibano ac Seniofredo comitibus, in ecclesia sanctorum Petri & Pauli atque Andreæ, sita juxta opidum Bisulduni, disponit & ordinat cœnobium monachorum *sub regula almi patris Benedicti*, quam ecclesiam nulli alteri potestati, quam Romanæ ecclesiæ subjectam esse decernit. Præter ea statuit in eodem cœnobio cœmiterium totius castri Bisulduni ac villarum circumpositarum, ita ut ab eo tempore nec clerici, nec laïci quivis licentiam habeant sepeliendi in alio cœmiterio. Acta hæc scriptura VIII. kal. Decembris, aræ M XV. anno incarnationis DCCCC LXXVII. *anno bisdeno tertio, ex quo Francorum rex Leutarius regnandi sumpsit exordium.* Prædictis notis chronicis hujus instrumenti, uti & superioris, melius conveniret Lotharii annus XXIV. Subscribit post Mironem & Olibam Seniofredus comes, qui tamen ante annos decem e vivis excessisse creditur. Idem confirmant longe post id tempus, iisdemque litteris subscribunt Odo Gerundensis episcopus *in anno septimo regni Rotberti regis*, Guifredus Narbonensis, Guillelmus Urgellensis. Prædicto anno DCCCC LXXVII. idem Miro, victus precibus Ermengardæ comitissæ, conjugis Olibæ comitis fratris sui, donat Bisuldunensi ecclesiæ sancti Genesii ac sancti Michaëlis suburbanam sancti Vincentii ecclesiam, eo pacto, *ut Ermengarda* [c] *jam nominata comitissa & filius ejus Bernardus statuant ibi canonicos regulares, qui die ac nocte Deo deserviant.* qui locus, si sanus ac sincerus est, antiquiorem continet, quam quidem legerim, mentionem canonicorum regularium.

[c] *ibid. c. 933.*

LVI. Regulæ monasterii instauratio. [d] *V. lib. 30. n. 79.*

Superest ad hoc usque tempus Regulæ monasterium diœcesis Vasatensis in Wasconia, olim *Squirs* appellatum, cujus instauratio hoc anno contigit, prima origo non satis comperta est. Illud constat, hoc monasterium ante Nortmannorum [d] tempora exstitisse, & ab illis anno DCCC XLVIII. eversum fuisse: an vero a Carolo Magno conditum fuerit, ut quædam recentiorum temporum tabulæ perhibent; an a sancto Mummolo Floriacensi abbate, dum in illas partes profectus est, sæculo septimo excitatum, definire nolim. Locum amœnissimum ita describit Aimoinus Floriacensis in libro de vita sancti Abbonis abbatis, qui ibidem interiit. *Monasterium Regula, in honore principis apostolorum Deo dicatum, in monte est positum. qui videlicet mons a tribus lateribus, orientali, aquilonari, & occidentali, aliis cingitur montibus: a meridie Garumna vallatur flumine, periculosaque vallis voragine. Ab oriente ipsum inter & alterum montem vallis exsistit perangusta, per quam fons meat, quem incolæ Mosellam nuncupant. Simili modo ab occidente alterius fontis rapido alluitur cursu, cui Mosa nomen est... Ab aquilone parva conjacet planities, cui conditor municipii, vel, ut quidam volunt, civitatis, turrim quadris lapidibus exstructam*

oppofuit. Regula dictum est monasterium a pietate monachorum, ibi regulam sancti Benedicti accurate sequentium, quos tamen Aimoinus negat umquam eam exacte servasse. Ab eo loco aberat tria circiter millia passuum Cassinogilum palatium pagi Aginnensis, quod a Nortmannis ita eversum fuit, ut tamen priscæ dignitatis vestigia Aimoini quoque tempore superessent. Eodem tempore destructum Regulæ monasterium, quod Willelmus-Saucii Burdigalensium comes ac dux totius Wasconiæ, cum fratre suo Gumbaldo episcopo instauravit, & Richardo Floriacensi abbati, ejusque successoribus regendum commisit, missa ad eum legatione, ut in litteris Gumbaldi episcopi & Willelmi ducis [a] legitur, & ad fratres Floriacenses, rogans, ut ipse, si fieri posset, ad prædictum locum descenderet, vel saltem quosdam e monachis suis eo transmitteret, qui amissa requirerent, destructa resarcirent, & animarum lucris darent operam. Hac legatione accepta, Richardus abbas illuc se contulit, amissa recuperavit, villam Aliardis, quæ modo Regulæ nomine censetur, ædificavit, leges constituit, quas dux & nobiles viri confirmarunt. Prædictis litteris, nomine Gumbaldi *episcopi Wasconiæ*, & fratris ejus Willelmi-Sancii Wasconum ducis confectis, primus subscribit Gumbaldus *episcopus Wasconiæ* & totius provinciæ dux. quos titulos itidem usurpat in alio instrumento, quo mediam partem ecclesiæ sanctæ Mariæ fratribus monasterii Regulæ concessit [b] anno sequenti. nimirum quia in sæculo conjugatus fuerat, & jam episcopus Vasatensis episcopatus nomine omnes Novempopulaniæ episcopatus tenebat, ut illustrissimus Petrus de Marca [c] observavit. Eidem Regulæ monasterio *Fortis-Arsius abbas de Blandimonte* confert monasterio sancti Petri *in loco, qui prænominatur Squirz*, super flumen Garumnæ, portionem alodi sui in Monte-vinitore pagi Vasatensis, vicariæ Gamagensis, *mense Madio, regnante comite Guillelmo-Sancio.*

ANN. CHR. 977.

[a] Marca Bearn lib. 3. c. 5. V. to. 2. Labie p. 743, & seq.

[b] Marca ibid.

[c] ibid. c. 8. n. 5.

LVII. Alia Regulæ monasteria.

Ejusdem Willelmi-Sancii tempore aliud monasterium, Regula itidem dictum, in Bearnia, diœcesi Lascurrensi, excitatum est [d] *cum favore vice-comitis Centullo-Gastonis & Lupiniacensis Lupi-Garsiæ*, suffragantibus principibus Wasconiæ & vicinis abbatibus, necnon militibus, clericis & laïcis illius terræ, cum consilio Arsiæ Lascurrensis episcopi, cognomento Racæ. Primam ejus condendi occasionem præbuere duo clerici, qui, cum vitam monasticam in quodam vico Bearniæ finitimo studiose exercuissent, ubi labore manuum vitæ sibi necessaria comparabant; inde a domino loci pulsi, ad densissimam silvam pagi Bearnensis se receperunt: ubi a quodam sacerdote, Garsia nomine, qui sancti Petri ecclesiam ibi regebat, humanissime excepti, monasterii prima illic fundamenta jecerunt, in quodam clivo, cui tum Barbapodii seu Liserati vocabulum erat: ac monachis ibidem congregatis, quibus Garsias ipse adjunctus est, Centullum abbatem præficiendum curarunt. Horum piis consiliis opem ac subsidium impendit Centullus-Gasto vicecomes Bearnensis, & Garsias Lupi vicecomes Lupiniacensis. Centullus abbas ecclesiam in honorem sancti Vincentii inchoavit, quam Rabinus ejus successor perfecit. Hunc excepit Sancius abbas, cui Sancius comes, Willelmi filius ac successor, beneficum itidem se præstitit. Tertium item ejusdem nominis [e] monasterium, sancti Orientii de Regula cognominatum, tunc temporis in Bigorritano solo conditum est ab Ottone-Dato vicecomite Montanerii, temporibus Ludovici comitis & Bernardi episcopi Bigorræ, opitulante Arnaldo-Sancione vicecomite. Primus eidem loco præfectus est Mancio abbas, idem, ut videtur, Fortis-Mancio [f] abbas, qui Gumbaldi episcopi litteris de ecclesiæ sanctæ Mariæ portione Regulæ data subscripsit.

[d] id. lib. 4. c. 2.

[e] id. li. 5. c. 5.

[f] id. p. 311.

LVIII. Novempopulaniæ alia monasteria.

Idem Willelmus-Sancius comes, superius laudatus, multa quoque beneficia contulit, non modo sancti Severi monasterio in capite Wasconiæ, cujus eum instauratorem fuisse diximus, sed etiam aliis Novempopulaniæ monasteriis, ut puta sancti Johannis-Baptistæ de Sordua, & sancti Vincentii de Luco. Quis sancti Johannis Sorduensis primus auctor fuerit, incertum. Situm est hoc monasterium in diœcesi Aquensi, ad confluentes utriusque Gavi, Oleronensis & Bigorritani seu Palensis. Huic monasterio Willelmus-Sancius [g] cum Urraca conjuge sua quasdam ecclesias attribuit. Idem villam de Luco [h] Deo & sancto Vincentio donavit, renitente Gastone-Centulli vicecomite: qui tandem acquievit, victus precibus Garciæ abbatis, qui ei suam consanguinitatem cum dicto comite objecit. His adde abbatias sanctæ Mariæ de Simorra, & sancti Michaëlis de Peciano *, quæ temporibus illis instauratæ sunt. utraque enim inter cœnobia Wasconiæ recensetur in notitia monasteriorum princi-

[g] id. li. 3. c. 10.

[h] ibid. c. 3.

* de Passin.

ANN. CHR. 977.

patu Ludovici augusti. Abbatia Simorræ sita est io diœcesi Ausciensi ad Gimonam fluviolum, haud procul a cella Medulfi, quæ Soriciniensi monasterio quondam subjecta erat. Pecianum vero monasterium positum est in suburbio civitatis Ausciorum, cui comites Astaracenses multa beneficia contulerunt, in primis Guillelmus, filius Arnaldi comitis, qui monasterium Peciaoum accepit ab Ottone diacono germano suo; & a Fortone ejusdem monasterii abbate, ceterisque monachis ejusdem loci octo vasa argentea ingentis pretii: quibus monasterium cum omnibus ejus appendicibus concessit. quod Benedictus papa VII. Garsias archipræsul, Petrus Tolosæ episcopus, Bernardus Aginnensis, Aimericus comes Ferenziacus, Rogerius Conveoianeosis comes, Otto *servus servorum omnium monachorum*, aliique confirmarunt.

LIX. *Rudesindus episcopus obit.* In Gallicia Rudesindus episcopus & abbas, cujus jam sæpe [a] meminimus, ad cælum migravit. Instante morte, convocatis Cellæ-novæ fratribus io hæc verba sermonem fecit. En, fratres, nexibus hujus carceris & periculis exsilii hujus jam liberari pergo. quam ob rem sanctæ professionis vestræ memores, religiose Deo servire curate. Monasterium vestrum ab omni dominatiooe, tam regia, quam episcopali, liberum vobis relinquo. Istuc quoscumque, qui sanctam hanc professiooem arripere cupierint, tam servos quam ingenuos, nobiles & ignobiles, ex qnacumque regione, quatenus facultates vestræ sinent, admitti jubeo. Nullum enim personarum apud Deum discrimen est, sed meritorum. Deio, sumtis sacris mysteriis, petentibus fratribus Mamilanum abbatem designavit, & post ipsum successoris electionem secundum regulam sancti Benedicti fieri præcepit. Post hæc septnagesimo ætatis suæ anno, exactis in episcopatu aonis triginta-duobus, in abbatia viginti, kalendis Martii, qui dies io feriam quintam incidebat, hora completorii, Ranimiro regnante, animam Deo reddidit. quod Senorina abbatissa, cujus superius [b] meminimus, ex concentu angelico absens intellexit. Sepultus in lapideo loculo prope ecclesiam sancti Petri. Libros de ejus vita & miraculis duos scripsit sæculo duodecimo Stephanus monachus Cellæ-novæ. Rudesindi duplex testamentum vulgatum est, unum pro constructione Cellæ-novæ, alterum paullo ante obitum, relatum ab Yepesio, quo Mamilanum abbatem instituit. Hoc testamentum factum dicitur XVI. *kal. Februarii, era post millesimam decima-sexta.* quæ aono Christi DCCCC LXXVIII. convenit. quo admisso, Rudesiodus eodem anno decessisse dicendus esset. at præmissæ ejus mortis chronicæ notæ coincidunt cum anno præcedenti, quo feria quinta in kalendas Martias incidebat. Non diu Cellæ-novæ præfectura tranquille potitus est Mamilanus, qui a nobilibus vicinis exagitatus, ad solitudinem se recepit. Eo absente, direptum, & tantum-non eversum monasterium: ad quod Mamilanus synodi jussu revocatus, omnia ex integro restituit. De Cellæ-novæ abbatibus, cellis, & prærogativis, plura leges apud Yepesium [c].

a V. supra n. 23. & l. 47. n. 10.

b ibid.

c Yepes an. 915.

Covarruviæ monasterium. Hoc ipso anno Covarruviense mooasterium sanctorum Cosmæ & Damiaoi, qood antea monachorum fuerat, Garzias-Ferdinandez comes & Ava ejus uxor de monachis obtentum Urracæ filiæ suæ tradiderunt, futurum deinceps puellarum cœnobium, quod illi multis prædiis & oroamentis locupletarunt. Exstat apud Yepesium [d] ejus rei documentum, datum VIII. kal. Decembris, æra discurreote M XVI. Urracæ primæ abbatissæ successit Sancia filia Alfonsi regis, ibidemque cum illis Urraca uxor Ordonii tertii humata.

d Yep. to. 5. scrip. 16.

LX. *Notkero abbati S. Galli succedit Immo.* De anno, quo Notkerus sancti Galli abbas decessit, varia est auctorum sententia. Hermannus ejus obitum hoc anno collocat; Hepidanous differt ad quatuor annos. Hermannus haud dubie præferendus, cui favet Burchardus sancti Galli monachus, qui res illius monasterii post Ekkehardum juniorem persecutus est. Is enim agens de electione Immonis, Notkeri abbatis successoris, ait eam contigisse eo tempore, quo inter Ottonem imperatorem & oepotem ejus Heinricum ducem Bajoariæ gravis de regno contentio orta est. quod hoc anno accidisse Hermannus, aliique propiores illorum temporum scriptores tradunt. Certe Hepidanni vulgatum calculum perturbatum esse patet ex iis, quæ refert ad annum DCCCC LXXXIV. de Lotharii regis impressione in fines regni, ut ipse vocat, Aquisgrani. quod quinquennio prius evenisse constat. Ipso anno, quo Notkerus abbas, e vivis excessere Burchardus, qui ei abbatiam resignaverat, & Notkerus medicus: quorum mortes cometes, qui autumno apparuit, portendere creditus est. Otto imperator electio-

ANN. CHR. 977.

nem probavit Immonis abbatis, qui non modo temporalia recte administravit, sed etiam regularis vitæ disciplinam optime informavit. Auream tabulam ad altare sancti Galli, aliaque ornamenta ecclesiæ fecisse dicitur. Legimus in veteri codice sancti Galli epitaphium Purchardi seu Burchardi minoris abbatis, qui sexto-decimo kalendas Augusti obiisse memoratur. Immo ejus successor octo annis monasterium rexit.

LXI. Bobio comitatus assertur.

Bobiensi monasterio tunc præsidebat Petrus abbas, cui Otto imperator comitatum Bobiensem, & universa, quæ ad eum pertinebant, restituit, investiens ipsum abbatem *per anulum aureum de jam dicto comitatu*, irrita decernens quæcumque Adalbertus vel Opizo marchiones in prædicto comitatu usurpaverant. Hujus rei testes recensentur Willigisus archiepiscopus Moguntinus, Rainaldus Ticinensis, & Johannes Placentinus episcopi, aliique comites & imperialis aulæ ministri. *Data iv. nonas Aprilis, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXVII. *indictione v.* anno vero regni domni Ottonis *xvj. imperii xj. Actum Noviomago palatio imperiali.* Hinc colligitur, Gerbertum ante id tempus abdicasse præfecturam Bobiensem, quam postea resumsit. Distinguendus Gerbertus abbas a Giberto præposito, cujus gratia Otto imperator ejusdem monasterii privilegia confirmavit novo diplomate, quod Margarinus ad annum DCCCC LXXII. Ughellus ad annum DCCCC LXXXII. revocat. Uter melius, incertum, quippe cum annus imperatoris & indictio in editis desint.

ANN. CHR. 978. LXII. Lotharius & Otto discordes.

COmpositis in imperio rebus, Otto imperator Aquisgrani quietus residebat, cum rex Lotharius, ejus ex sorore nepos, circa festum sancti Johannis, facta in Lothariensem provinciam irruptione, Aquisgrani palatium invasit, unde imperator, inopinatæ violentiæ resistere non valens, Coloniam se receperat. Triduo Aquisgrani demoratus Lotharius, omnia militum licentiæ permisit, gallum in culmine basilicæ Aquisgranensis positum, in Galliam converti jussit, quasi Gallicanæ dominationis signum. Revertentem Otto collecto numeroso exercitu insecutus usque Luteciam-Parisiorum, in Monte-martyrum *alleluia* adeo elatis vocibus decantari præcepit, ut cantus ad aures Hugonis Parisiorum comitis, adeoque Parisiensium omnium perveniret. Tum vero Lotharius ex pudoris conscientia colligens animos, discedentem Ottonis exercitum subsequitur, cujus extremum agmen ad Axonam, qui inopinato aquarum confluxu intumuerat, in flumen præcipitavit. Hæc fuse Baldericus [a] commemorat, brevius Lambertus, aliique Germanici scriptores. Inter ea Adelais imperatrix, Ottonis parens, cum filia Adelaide abbatissa in Italiam profecta est *propter quasdam discordias*, quæ inter ipsam ac filium Ottonem exortæ erant, ut in chronico Saxonico legimus. De hoc Ottonis cum matre jurgio Mayolus imperatorem objurgavit, ut superius notavimus.

[a] *Chron. Cam. li. 1. c. 96. & 97.*

LXIII. Egbertus fit præsul Trevirensis.

Mortuo Theoderico Trevirensi antistite, & in sancti Eucharii ecclesia sepulto, suffectus est Egbertus, nobilis Hollandus, ortus avo Theoderico illustri comite, auctore Egmondani monasterii, in quo sanctimoniales nostri ordinis primum collocaverat; patre altero Theoderico juniore, qui monachos illic constituit loco sanctimonialium, quæ ibi ob Frisonum incursus parum tutæ erant. Browerus censet, Egbertum, Theoderici junioris filium, in illo monasterio jam inde a pueritia divino cultui deditum fuisse. Hinc effusa illa Egberti pietas & devotio in sanctum Adalbertum ejus loci patronum, cujus vitam Mediolacenses cœnobitæ, ipso flagitante, litteris mandarunt. Sub finem libri agitur de quodam Angligena, qui duorum nepotum suorum rura vi occupare volens, ab eis cæsus est. Hi vero tanti criminis pænitudine tacti, diœcesanum episcopum adeunt, expiando facinori condignam sibi pænitentiam imponi postulantes: *ita ut ferro, quo reatum perpetraverant, eos juberet tam diu constringi, quousque qui solet gratuita sua gratia dimittere peccata, suo eos judicio decrevisset absolvere.* Hic eo tempore expiandi homicidii sollemnis mos erat. Re vera jussu episcopi alter eorum ex gladii capulo facto loro brachium noxæ reum sibi revinxit; alter ipso gladio, quasi fascia pectorali, se constrinxit. Hoc in habitu sacra loca, uti ejusmodi pænitentibus mos erat, perlustrant, & simul properant ad Nivialense in Bracbanto monasterium, ubi sancta virgo Gertrudis miraculis coruscare dicebatur. Illic unus ex his solutus, alter Egmondæ ad sancti Adalberti tumulum. Hæc de vita & virtutibus sancti confessoris Adalberti *Medelacensis cœnobii*

ANN. CHR. 978.

excudère cucullaris, jubente serenissimo ejusdem monasterii domino summo præsule Egberto, qui rerum honestarum & ad divinum cultum proficientium sollertissimus & indefessus eminet procurator. quæ verba sunt Medelocensis monachi, qui nomine fratrum suorum librum de vita & miraculis sancti Adalberti composuit.

LXIV. Nithardus abbas Medelocensis.

Regebat eo tempore Medelocense seu Mediolacense monasterinm Nithardus abbas, ad quem duæ exstant Gerberti scholastici epistolæ. Prima est LXV. in qua agitur de quodam monacho Medelucensi, quem Nithardus urgentissime repetebat, tædio monasterii eum nolle redire asserens. quod negat Gerbertus, qui eum forte studiorum causa apud se retinebat. Hæc epistola ex urbe Virduno scripta fuisse videtur ex alia ejusdem Gerberti epistola ad Ecbertum Trevirensem archiepiscopum, qui eumdem monachum repetebat. Ita vero habet Gerberti [a] brevis responsio. *Non exsecutum esse, quod ab urbe Virdunensi de reditu fratris G. mandavimus, acrior cura præsentium temporum effecit, dum & quod nolumus necessitas infert, & quod volumus aufert. Nunc tandem ne bene meritis appareamus ingrati, clementia vestra, ut possumus, remittimus: hoc unum a solita benevolentia vestra expetentes, ut experiatur vestram affabilitatem ob nostram commendationem, &, si pace vestra fieri potest, ne careat studiis, quibus impensius operam dare disposuit.* quæ postrema verba conjecturam nostram probant, scilicet hunc monachum a Gerberto studiorum caosa detentum fuisse. Altera Gerberti epistola ad Nithardum abbatem est septuagesima-tertia, in qua ait, quod ejus præsentia interdum non perfruatur, turbulentæ rei publicæ imputandum; rogatque ut ad se maturet iter. *nam aut imperialis*, inquit, *cito me colliget aula, aut quantocius omissa diu repetet Hiberia*, id est Hispania citerior, ubi diu studiorum causa olim moratus fuerat. Quis fuerit monachus ille Medelocensis, quem Egbertus & Nithardus repetebant, compendiose indicat epistola LXV. in qua *fratrem Gaut.* Gerbertus eum vocat. Forte is est Gozbertus monachus, de quo idem Gerbertus in epistola LVI. ad Trevirensem archiepiscopum, ad quem ait se prima die rogationum usque Mosomum eum remissurum, ubi ab archiepiscopi hominibus suscipi eum petit: *quoniam nostris*, inquit, *longius progrediendi facultas non datur, cum propter hostium copiam, tum propter zelum callide nobis adversantium.* His optime quadrat id, quod in epistola LXV. ad Nithardum legitur. *Fratrem Gaut.* (legendum videtur *Gauz.*) *subito cum te omni familiari, parata ac paranda, redire cogitis, nulla temporis ratione habita. Soline tantos motus civiles non sensistis?* Hæc vero epistula, uti & superior epistola LVI. nomine Adalberonis archiepiscopi Remensis, qui Gozbertum forte retinebat, a Gerberto scripta videtur ex consequentibus verbis epistolæ LXV. *Qui domini rerum ac principes esse videmur, itinere frequenti equis attritis comites rariores habemus.*

[a] Gerbert. ep. 69.

LXV. Malcalani abbatis obitus.

Malcalanus abbas sancti Michaëlis in Teorascia XII. kalendas Februarias hujus anni feliciter ad Christum migravit. Annum & diem diserte notat appendix chronici Frodoardi; diem quoque vetera necrologia. Appendicis hæc verba sunt. *Anno* DCCCC LXXVIII. *vir Domini Malcalanus, natione Hibernus, in vigilia sancti Vincentii levitæ & martyris, vitam transitoriam, quam habebat exosam, deseruit, & cum Deo vivo, cui indesinenter, dum adviveret, servivit, vivere feliciter inchoavit. qui præfatus abbas corpore humatus quiescit in ecclesia beati Michaëlis archangeli, cujus abbatiam, dum corporaliter in hoc sæculo vivens mansit, pio moderamine rexit.* Idem etiam Laudunense sancti Vincentii monasterium rexerat primus a restitutione monachorum: ubi vices suas Bellando abbati adhuc vivens demandaverat. Falluntur qui eum Virduni in monasterio sancti Michaëlis abbatem fuisse putant, decepti vitiosa lectione prædictæ appendicis ex editione Pithœana, in qua, ubi *vir Domini* legi debuerat, *Virduni* positum est.

LXVI. Cadroæ item abbatis.

Non divellendus a Malcalano socius ejus Cadroë abbas monasterii sancti Felicis seu sancti Clementis Mettensis, tametsi uno forte alterove anno ante Malcalanum decessit. Cum ejus fama religionis ad aures Adelaidis pervenisset, ut illa, sancto accensa desiderio, viros quosque religiosos videre & alloqui cupiebat, Italiam petens, legatis ad Cadroen missis, ut ad se *caritatis gratia* veniret deprecata est. Ille vero, etsi obitum suum imminere ex divina revelatione didicisset, legatorum tamen & Theoderici episcopi postulationi ex caritate cedendum putavit. In itinere discipulos monuit, ut, si ipsum ante reditum mori contingeret, corpus suum ad monasterium referrent. Adjecit, viros esse apud se boni consilii, quos in dubiis consule-

ANN. CHR. 978.

consulerent. Ceterum matrem Helvidem (hæc sancti Petri Mettensis abbatissa erat) ne negligerent, quippe cui in sexu illo numquam similem invenisset. Denique Theodericum episcopum, ceterosque amicos nomine salutarent suo, eorumque precibus ipsum commendarent. Inter ea venit ad augustam, quæ tunc in loco *Nebiristein* ad Rhenum versabatur. Dum illic moras ageret, exorto incendio, hominem quemdam e tabulato lapsum poculo dato sospitati restituit. Hinc ejus opinio crevit apud palatinos. quod cum ille ægre ferret, post sex dies, augusta frustra renitente, inde discessit. Verum ubi aliquantulum processerat, repente febre correptus, mox viribus corporis destitui cœpit. tum vero discipulos reditum maturare jubet. at morbo ingravescente in itinere mortuus est senex emeritus post annum ætatis septuagesimum, ac tricesimum suæ peregrinationis. Corpus ejus, uti mandaverat, in urbem Mediomatricum revectum, illic magno cum honore excipitur, ac in monasterio suo, id est in ecclesia sancti Felicis, sollemni ritu humatur. In necrologio ejus monasterii notatur pridie nonas Martii, *Ad-basilicas beati Cadroë abbatis.* & XIX. kal. Januarii *Fokertach comes*. scilicet *pater sancti Cadroæ abbatis*, ut ibidem manu recentiori additum est. Sancti Cadroæ vitam scripsit auctor ejus æqualis, Reimannus, aliis Ousmannus dictus, qui librum hac de re suum Immoni abbati, Gorziensi an Walciodorensi, nuncupavit. In diplomate Ottonis tertii pro monasterio sancti Felicis fit mentio *sanctæ memoriæ Cadroëlis abbatis.* Quod attinet ad Helvidem abbatissam sancti Petri a Cadroë laudatam, in necrologio sancti Arnulfi memoria ejus consignatur VI. kal. Decembris. Cadroæ successit in regimine monasterii sancti Felicis Fingenius ejus popularis, id est ex Scottorum gente Hiberniensis, *cujus adventum*, inquit Hugo [a] Flaviniacensis, *peregrinationem & conversionem qui plenius nosse desiderat, in vita Theoderici eximii Metensis episcopi scire potest.* At, quod dolendum, excidit hæc vita, cujus forte fragmentum est liber de inventione & translatione sanctorum in urbem Mettensem ab ipso Theoderico facta, qui liber exstat in Spicilegii tomo quinto. Ex hujus vitæ amissione nobis ignota sunt pleraqne facta Fingenii abbatis, quem sancti Felicis a principio monachum fuisse non dubito, conversum scilicet hortatu & exemplo Cadroæ abbatis popularis sui.

Fingenius ejus successor.

a Labbe to. 1. p. 159.

LXVII.

S. Petri Senonense monasterium instauratur.

Apud Senonas duravit interdictum, quod Sewinus ob Rainardi comitis contumaciam in totam provinciam vibraverat, a kalendis Octobris anni superioris usque ad caput jejunii insequentis. quo tempore magna mortalium strages ex populari morbo accidit, ex quo Isembardus miles, frater ipsius archiepiscopi, defunctus est. Mortis forte imminentis metu perterritus comes, qui dominium civitatis admisso archiepiscopo amittere timebat, a proposito tandem destitit, & Sewinum, ipsius ex sorore nepotem, in ecclesiæ Senonensis possessionem venire permisit. Mox de urdinanda ecclesia cogitare cœpit pius antistes, tum restituenda ecclesiastica disciplina, tum reparandis ædificiis ecclesiarum & monasteriorum. Prima ejus cura fuit de suburbano sancti Petri [b] monasterio, quod Anastasius ejus decessor instaurare cœperat. quod opus ut Sewinus absolveret, eidem loco Rainardum, suum ex sorore nepotem, monachnm sanctæ Columbæ, abbatem præposuit, ipsius abbatiæ mediam partem ei restituens, altera in proprios usus retenta, non ex cupiditate, sed ex necessitate, propterea quod Archembaldus, ejus ante Anastasium antecessor, possessiones Senonensis ecclesiæ in militum suorum stipendia distraxerat. Renovatis sancti Petri ædificiis, *monachos regulares* ex cœnobiis sancti Benedicti, scilicet Floriacensi, & sancti Petri Cluniacensi adduxit, quorum exemplo Rainardus in melius proficeret. Ad hæc perfecit ecclesiam sancti Stephani, eamque tertio nonas Octobris, ordinationis suæ anno sexto, dedicavit. Porro ab ipso die, quo sacerdotio insignitus est, usque ad finem vitæ, carnes nec comedit, nec lino indutus fuit. Cum vero refectorium sancti Petri monachorum, quod Arcbembaldus in proprios usus converterat, adhuc retineret; admonitu sancti Saviniani illud restituit cum tota terra, quæ monasterio circumjacet. His actis, rediit in civitatem, nihil reliqui sibi reservans, unde posset vivere. Cum vero familiares sui hac de re conqnererentur, respondisse fertur, justo numquam defore unde vivat. ceterum se posse sustentari ex proprio patrimonio, dum sancti Stephani possessiones restituerentur. quod brevi postea factum est, mortuis omnibus, quibus eas Arcbembaldus in beneficium tradiderat.

b Spicil. to. 2. p. 730.

ANN. CHR. 978

LXVIII. *Rainardi comitis facinora.* Tunc temporis Rainardus comes, Vetulus cognomine, abbatiam sanctæ Columbæ [a] in beneficium tenebat, ex qua plurima in proprios usus convertit. Similiter abbatiam puellarum sanctæ Mariæ, quæ apud Senonas adhuc superest, pæne ad nihilum redegit, in cujus prædio castrum Joviniacum exstruxit. Pari modo vexavit sanctæ Faræ cœnobium, quod in dominio habebat. Ad hæc in quodam prædio Ferrariensis monasterii exstruxit aliud castrum, quod ex suo nomine Castrum-Rainardi appellavit. Post mortem nihilo minus, quæ sub finem hujus sæculi accidit, in monasterio sanctæ Columbæ humatus est.

a *ibid. p. 737.*

LXIX. *S. Petro Carnutensi datur Gesiacum.* Sub hujus anni initium prænobilis matrona Leigardis comitissa ecclesiam sancti Petri apud Gesiacum *, quæ regalis quondam villa fuisse dicitur, cum aliquot prædiis, sitis in pago Vilcassino ad Sequanam, Widberto abbati Carnutensis sancti Petri monasterii, ejusque monachis concessit, tam pro se, quam *pro anima nobilissimi senioris* seu conjugis sui *atque gloriosi comitis Tedbaldi, & pro anima patris* sui *Heriberti Trecassini comitis*, consentientibus Hugone archipræsule Bituricensi, & excellentissimo comite Odone filiis suis, qui litteris subscribunt, simulque Odo Carnotensium præsul & Emma Pictavorum comitissa, cum aliis. *Data nona Februarii die, regnante rege HLothario anno xxiv.* Gesiaci ecclesia sancti Petri postea erecta est in prioratum. Eadem comitissa cum alia femina Deo sacrata, ejusque consanguinea, Odeleia nomine, quemdam alodum apud Probatam-villam in comitatu Carnutensi eidem monasterio donavit anno xxv. Lotharii regis.

* *Jusy.*

LXX. *Salmurensi monasterio exactiones remissæ.* Prædicto mense Februario Amalbertus abbas monasterii sancti Florentii Salmurensis cum fratribus suis præsentiam adiit Odonis comitis mox laudati, & conquesti sunt se injustis exactionibus prægravari contra regalia privilegia & præcepta eidem loco collata. quibus auditis, constituit comes, ut nullus fidelium suorum, » quibus Salmuri castri præfecturam concesserat, quicquam ab eisdem exigat in omni » potestate, quam pater ejus bonæ memoriæ Teutbaldus eidem monasterio in ejus » dedicatione reddiderat; neque in ripatico, neque in cæspitatico, neque in pulve» ratico, neque in teloneo, neque in effusione sanguinis suorum hominum, etsi mem» bra sibi absciderint; præterquam de incendio, furto, raptu, vel homicidio exter» norum hominum. *quæ si fuerint reperta, a præposito ipsius potestatis judiciariæ districtioni tradantur, nec hac occasione vicarius potestatem ingrediatur.* ubi vides, jam tum illi monasterio præpositos judiciariæ potestatis competiisse. *Data mense Februario, anno xxiiij. regnante HLothario rege. Actum in civitate Turonis publice.* Subscribunt post Odonem comitem Gaufridus vicecomes, Arduinus archiepiscopus, & alii.

LXXI. *Gunterius abbas S. Albini.* Jam ab anno superiore Gunterius abbas in Andecavensi sancti Albini monasterio institutus fuerat post mortem Alberti abbatis, cujus depositio in necrologio notatur xiv. kalendas Maii. Decretum seu instrumentum de utriusque electione, itidemque subsequentium abbatum habetur in archivo sancti Albini, ejusdem prorsus in omnibus formæ. Unum instar omnium erit constitutum de electione Gun» terii abbatis, in quo Gausredus Andecavensis comes ait, se una cum consensu Rai» naldi episcopi, ac nobilium personarum suorum fidelium delegare abbatem in mo» nasterio sancti Albini, nomine Gunterium, salva voluntate monachorum ibidem » degentium; eisque licentiam concedere, ut post ejus obitum, quemcumque ma» luerint abbatem, eligendi habeant potestatem. insuper eis concedit, *ut nulla in eorum terra vicaria dominetur potestas, nisi de furto, aut incendio, vel homicidio.* Subscribunt post Gaufredum comitem & Rainaldum episcopum monachi, numero quindecim.

LXXII. *Lirinum S. Mayolo concessum.* Tunc Lirinenses monachi, Cluniacensium disciplinæ subjici cupientes, sanctum Mayolum, ut ipsorum monasterii curam ageret, enixe postularunt. Verum quia Lirinum, uti & Cluniacum, Romanæ ecclesiæ peculiari titulo subjectum erat, Mayolo visum est adire Benedictum VII. Romanum pontificem, ut Lirinense monasterium cum Arluco, quod sanctus Honoratus pro sanctimonialibus in litore maris ad Siagnam fluvium exstruxerat, ipsi concederetur. Roganti [b] assensit pontifex, cum eo, ut ille ad sepulcrum beati Petri quinque solidos argenteos annuatim persolveret. Actum x. kalendas Maïas, anno quarto pontificatus Benedicti VII. Ottonis secundi anno XI. indictione VI. Eodem tempore Amblardus Lugdunensis pontifex res suas, in pago Arvernico consistentes, Cluniacensibus donat ad construendam in villa Nisiaco cellam monachorum in honorem beati Petri sub regula sancti

b *Bullar. Clun. p. 4.*

Nisiaci cella.

Benedicti monachorum patris militantium; præcipitque *vadiatoribus* suis, id est testa- ANN. CHR. 978.
menti sui exsecutoribus, ut instrumentum hujusce donationis conficianr. quod qui-
dem præstant quatuor præcipuæ Lugdunensis ecclesiæ dignitates, Andreas præ-
positus, Ornadus decanus, Gundramnus abbas, Hugo abbas, duoque alii cano-
nici cum Hugone laïco.

Exstat in Provinciæ pago Aquensi villa, quæ Pertusum dicitur, ad Durantiam LXXIII. Monti majori Pertusum datur.
fluvium sita, quæ ex donatione Ingilramni episcopi & fratris sui Nevilongi
Willelmo comiti ejus nominis primo legibus obvenerat. Hanc autem villam Wil-
lelmus cum Arsinda conjuge sua sacrosanctæ Dei ecclesiæ Montis-majoris con-
tulit pro remedio peccatorum suorum, suorumque parentum. Facta charta do-
nationis *in mense Junio. regnante Conrado rege anno* XLII. Subscripsit post donato-
res aliosque Adalais comitissa, & filius ejus Willelmus. Archinricus monachus at-
que levita, mandante Willelmo comite, scripsit. Mitto alias donationes eidem
loco tunc factas tum ab Airardo episcopo, tum a Leodegario quodam & uxore
ejus Walburge: quorum ille *mansiones coopertas cum corte & exago, sitas in civi-
tate Arelatensi prope ecclesiam sancti Juliani*: hi vero res suas sitas in villa comita-
tus Vendacensis, vocabulo Vazolis, Montis-majoris monachis concesserunr.

Quæ prædictæ donationi Willelmi comitis subscripsit Adalais comitissa, hæc non LXXIV.
alia videtur esse ab Adalaide conjuge Rotgerii comitis Carcassensis, quæ hoc tem- S. Hilarii
pore translationi sancti Hilarii ejus urbis episcopi una cum marito suo aliisque in- episcopi Carcassensis trans-
terfuit. Carcasso, Volcarum-Tectosagum civitas provinciæ Narbonensis, Hila- latio.
rium inter episcopos suos secundum cognoscit. Hic monasterium sancto Saturnino
martyri sacrum in territorio Carcassensi ad Leucum amnem erexisse traditur: ubi
humatus fuit *post altare, quod ipse consecraverat*. Jacuit eo in loco usque ad hunc an-
num, quo ejus corpus e tumulo in digniorem locum transferre Benedicto abbati
& monachis ejus loci visum est. Eorum pium consilium probavit Franco episco-
pus, ac diem futuræ celebritati ad kalendas Martias indixit. Invitati adfuere pro-
vinciales episcopi, una cum Rotgerio comite & Adalaide ejus conjuge, non-
nullisque abbatibus; e quorum numero erat Warinus seu Guarinus abbas sancti
Michaëlis Coxanensis. Aperto tumulo, suavissimus odor exhalavit. Levata bea-
tissimi pontificis membra e loculo reposita sunt *post altaris aralam in saxea arca*,
& ad utrumque ejus latus duorum ipsius alumnorum corpora, Benedicti scilicet
ac Celsi. His peractis, Rotgerius comes, *accepto libello regale*, sancte affirmavit,
se nullum censum, nullumve servitium ab ejus loci alumnis umquam exacturum,
nec exigi permissurum; liberamque abbatis electionem monachis asseruit, promi-
sitque, se quolibet anno duodecim monachos vestiturum. cujus rei scriptura in sacra
sancti Hilarii theca non ita pridem reperta est. Benedictus abbas superstes adhuc erat
anno secundo Hugonis regis. De Gaufredo ejus successore, aliisque subsequenti-
bus consule appendicem capitularium [a] editionis Baluzianæ. [a] Baluz. to 2. capitul. c. 1102.

Ad hunc itidem annum revocanda videtur donatio Senegundis comitissæ, quæ LXXV.
una cum filio suo Petro & nepote Bernardo comite, neptibusque suis Adalaide, Gellonensibus facta do-
Constantia & Willelma, ecclesiam disruptam, quam vocant sanctam Reparatam, natio.
& quædam prædia dunat *sancto Salvatori Gellonensis monasterii & venerabili Ligno
crucis, necnon & alamno Christi confessori Guillelmo, & abbati Gausfredo, & mona-
chis in eodem Gellonensi monasterio Deo militantibus, præsentibus & futuris*. Dona-
tionis violatoribus graves pœnas interminatur. *Facta carta donationis istius x. kal.
Martii, feria quinta, regnante Domino nostro Jesu-Christo.*

Iisdem mense & anno Wigfridus Virdunensis episcopus, anno suæ ordinatio- LXXVI.
nis octavo, in synodo [b] decretum edidit de quadam capella, in honorem sancti Judicium de capella.
Martini tempore Halevinci abbatis exstructa prope ecclesiam sancti Michaëlis [b] Baluz. to. 4.
ad Mosam, quam Bertaldus, cujus beneficium erat, parochiali sancti Cyrici ec- miscell. p. 434.
clesiæ subtrahere volebat, nec ex ea capella decimam, uti mos erat, prædictæ eccle-
siæ persolvere. Hanc causam ad synodum retulit Oddo abbas sancti Michaëlis. qua
ventilata, statutum est septem fidelium presbyterorum testimonio, hanc capellam
sancti Cyrici ecclesiæ subjectam esse debere. *Actam sub die v. kal. Martii, anno
vj. regnante Ottone rege, filio domni Ottonis imperatoris augusti.* His litteris subscri-
bunt Gothefridus comes & vicedominus, Oddo abbas sancti Michaëlis, Adelar-
dus & Milo abbates, aliique. Adelardus sancti Vitoni monasterio præerat, Milo

ANN. CHR. 978. forte Bellilocensi vel Monti falconis. Incertum quamdiu supervixerit Oddo abbas sancti Michaëlis, cujus obitus notatur kalendis Februarii.

LXXVII. S. Gorgonii passio Gorziensibus missa. Gorziense monasterium tunc administrabat Immo abbas, Odelberti successor, a Deoderico seu Theoderico episcopo benedictus, ut in actis [a] Adalberonis secundi legitur. Is Milonem episcopum Mindensem honorifice in suo monasterio excepit, eique partem sancti Gorgonii martyris reliquiarum, in Saxoniam asportandam, concessit. Milo vero vicissim ad eum transmisit librum de passione sancti Gorgonii, quæ apud Gorzienses desiderabatur, præmissa epistola, quæ sic habet.

[a] Labbe to. 1. p. 678.

Sancta Gorgiensis ecclesia venerabili abbati Immoni, & cuncto monachorum cœnobio sibi commisso, Milo episcopus, servorum Dei famulus. Quod me quidem olim, vestra regionis fines ingressum, non solum honorifice suscepistis, verum etiam omnem humanitatem speciali dilectione mihi generaliter exhibuistis; si opere, sicut volo, dignas grates vobis rependere nequeo, solum id, quod valeo, eo studiosius devota mente facere desidero, quo me in aliquo hujuscemodi negotio defecisse cognoscor. Nam, licet in divina pagina legatur, quod exhibitio operis probatio sit vera dilectionis; tamen, cogente necessitate, quandocumque facultas bona operationis defecerit, si voluntas integra devotionis permanserit, nullum ex hoc detrimentum caritas habebit: quia, si quid defuerit ex operatione, id totum implet caritas pro bona voluntate. Igitur, ut præfatus sum, non meis meritis, sed gratia fraterna caritatis honorabiliter a vobis susceptus, tanta detentus sum familiaritate, ut omnino me non hospitem, sed quasi unum ex ipsis fratribus esse putarem. Unde inter ipsa sacra eloquia vestra, qua mihi videbantur quodam modo afflatu Spiritus-sancti ignita, & quasi ex ipso fonte salutaris scientia salientia, passionem & miracula sanctissimi ac beatissimi communis patris nostri Gorgonii vos non habere corde tenus doleretis, idque, sicut dignum erat, gravibus suspiriis ægre toleraretis: ego quoque super hoc non minori cura sollicitus, mecum tacitus cogitavi, quid de hac re fieri potuisset. Et cum adhuc prædictam sancti martyris passionem non haberem, pro communi nostra utilitate quærere proposui, sicubi potuisset inveniri, idque ne deleretur oblivione, tenaci memoriæ commendavi. Post hac itaque cum reversus venissem ad patriam, plurimas librorum percucurri paginas, &, favente Domino, quasi exoptato citius reperi, quod prius me non habere vehementer extimui, scilicet v. idus Septembris sanctorum martyrum Gorgonii & Dorothei sollemnitatem per singulos annos fuisse natalem: quorum quoque passionem, sub eodem kalendarum numero inventam, brevi quidem sermone succinctam, sed a me avidius acceptam, vestra caritati dirigere destinavi: ut eo tenacius vestra dilectio, quasi glutine fidei, ad unguem usque perducta, inter nos jugiter valeat permanere, quo ego vobis sancta caritatis dulcedine copulatus, sed & singularis amicitia fœdere complexus, gratum quid vobis & amicabile videar obtulisse.

Hactenus epistola Milonis, qui Mindonensi ecclesiæ ab anno DCCCC LXXIV. ad annos viginti-duos præsedisse dicitur. De Immone abbate plura [b] in consequentibus.

[b] lib. 52. n. 79.

LXXVIII. Romualdus Marino eremitæ adhæret. Postquam Romualdus in Classensi monasterio triennium exegerat, majoris perfectionis studio, abbatis sui fratrumque consensu impetrato, contendit ad Marinum eremitam, qui in Venetiarum partibus religionis fervore præcellere dicebatur. Erat is vir simplicis animi ac pietatis haud vulgaris, ceterum rudis omnino & indoctus, nulloque magisterio in illa singulari palæstra, sed solo bonæ voluntatis impulsu informatus. Ea porro erat ejus vivendi ratio, ut per totum annum tribus hebdomadæ diebus *mediam panis buccellam & pusillum faba* ederet; tribus vero aliis *vinum & pulmentum* sobrie perciperet: ad hæc totum quotidie psalterium recitaret, passim discurrendo, nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos psalmos alternis persolvens. Recitanti respondebat Romualdus, &, quia litterarum omnino expers sæculum reliquerat, vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat. at Marinus, rigidus exactor, hærenti aut erranti sinistram capitis partem sæpe virga percutiebat. unde cum Romualdus lævæ auris facultatem sensim perderet, magistrum rogavit, ut in posterum dextram cæderet. Tum Marinus discipuli patientiam admiratus, demum indiscretæ severitatis temperavit disciplinam.

LXXIX. Petri Urseoli conversio. Marini ac Romualdi exemplo & adhortationibus, auctore in primis Guarino abbate monasterii sancti Michaëlis Coxanensis, Petrus, cognomento Urseolus, dux Venetiarum, ad sæcularium dignitatum contemtum & monasticæ vitæ professio-

nem inductus est, quod quemadmodum acciderit, ex Petro Damiani, qui illa tempora propius attingebat, quam paucis fieri poterit, enarrandum. Petri Urseoli in ducatu proximus decessor Vitalis Candianus, quem recentiores Petrum nominant, cum propria dignitate, tum affinitate Hugonis Tusciæ potentissimi marchionis, cujus sororem in conjugium duxerat, elatus, æmulatione suadente, plurimos e Tuscia & Longobardia milites stipendiis sibi devinctos tenebat. Id Venetiarum incolæ, quibus formidolosa & suspecta ejusmodi potentia videbatur, non ferentes, Vitalem e medio tollere constituunt. verum excubitorum valida manu semper stipatus, eorum consilia omnia eludebat. Demum vero ad id desperationis ventum est, ut ignem in proximam domum, quæ Petri Urseoli erat, ipsomet sub obtentu ducatus assentiente, injicerent. quo non solum prætorium, sed etiam ædes sancti Marci adnexa, & pleraque circumposita ædificia conflagrarunt. Ita dux, caloris, fumique vapore cogente, e prætorio egressus, satellitis manu percussus interiit: ejusque in locum Petrus Urseolus suffectus. Verum non diu impune ac tranquille principatu potitus est, sed, remordente conscientia, perpetrati facinoris ipsum brevi pœnituit. Interim accidit, ut Guarinus abbas mox laudatus, qui voti causa per diversas mundi regiones peregrinari solitus erat, Venetias adiret. qui a Petro consultus, quo pacto tantum crimen expiare posset, non aliud remedium succurrere dixit, quam occupati ducatus abdicationem. Eadem quoque sententia fuit Marini & Romualdi, qui ad consilium itidem adhibiti, ut Petrus sæculo nuntium remitteret, cum Guarino ipsi auctores fuerunt. Ille vero nihil cunctatus, mox eorum consiliis obtemperavit, & domo clam egressus, comitem se illis ad monasticam vitam agendam adjunxit, atque Johanne Gradenico, qui prædictæ conjurationis conscius fuerat, Romualdo ac Marino comitantibus, cum Guarino in Galliam se se ad Coxanense monasterium contulit. Illic, peracto annuæ probationis spatio, Petrus & Johannes in cœtum fratrum admissi, ad proximam dein monasterio solitudinem, ubi Marinus & Romualdus in singulari vita se se exercebant, secesserunt: ubi per triennium labore manuum & inedia pæne confectus Petrus, qui delicatius educatus, insuper ingenti corpore præditus erat, jejunii quamdam remissionem supplex a Romualdo petiit, obtinuitque quadram paximatii supra mediam partem, quam alias percipere solebat. Illic dum Romualdus versaretur, ad eum accessisse dicitur Oliba seu Olibanus comes, sub cujus jure monasterium consistebat. Is, totius vitæ suæ actuum serie Romualdo *quasi per confessionem* exposita, cum non alio modo quam sæculi fuga, se salutem consequi posse ab eo intellexisset; omnibus abdicatis ad montem Casinum specie peregrinationis profectus, illic se divinis obsequiis in perpetuum mancipavit. In illa solitudine Romualdus quam severe se gesserit, vel ex eo conjici potest, quod cujusdam remissionis loco sibi suisque id præscripsit, ut præter duas quadragesimas, in quibus rigide jejunium servabat, per alias anni hebdomadas triduo & biduo jejunaret; quinta vero feria & dominicis diebus olera & tantillum liquaminis perciperet. Jejunare autem omnino solidum diem, licet id sæpissime faceret, aliis omnino prohibebat, satius esse dicens, ut quotidie quivis comedat, & semper esuriat. Vigilias vero temperate & cum magna discretione faciendas maxime suadebat: ne cui post nocturna officia somnus obreperet. quo tempore si quis obdormisse convinceretur, missarum celebratione ea die abstinere cogebatur.

ANN. CHR. 978.

Oliba comes fit monachus.

Prope Perusiam Etruriæ civitatem exstat monasterium sancti Petri, cujus bona confirmavit sæculo nono Gregorius IV. in gratiam [a] Bonizonis abbatis, in his monasterium sancti Sergii, quod vocatur Canclicum, situm Romæ in regione quarta ad Suburram. quod parum convenit quorumdam recentiorum opinationi, existimantium, illic exstitisse cathedralem ecclesiam ante Honestum episcopum, qui, episcopali sede in urbem translata, hanc ecclesiam in abbatiam convertisse fertur, & monachis nostri ordinis tradidisse anno DCCCC LXV. Ut ut sit, Petro ejusdem monasterii abbati [b] Benedictus VII. pontificium indulsit diploma, quo ejus possessiones confirmantur, & direptoribus gravissimæ pœnæ intentantur. *Scriptum per manum Liutulfi notarii regionarii & scriniarii S. R. E. in mense Decembrio, indictione vj.* Hæc abbatia sanctæ Justinæ congregationi ab Eugenio IV. unita est, cujus loci præcipuos abbates Ludovicus Jacobillus in tomo tertio [c] de sanctis Umbriæ recenset.

LXXX. S. Petri monasterium Perusiæ.

a *Bullar. Casin. to. 1. p. 6.*

b *id. to. 2. p. 52.*

c *Jacobill. to 3. p 396.*

ANN. CHR. 978. Barense sancti Benedicti. a Chron. Casin lib. 4. c. 117.

In anonymi Barensis chronico, quod Peregrinius typis vulgavit, huc anno inchoatum fuisse traditur monasterium sancti Benedicti in Bari a domno Hieronymo abbate, tempore Johannis episcopi, qui ipso anno decessisse dicitur. In eodem chronico Hieronymi abbatis obitus ponitur anno M XII. Hoc monasterium Casinati subjectum fuit usque ad tempus Desiderii abbatis, cujus tempore cives Barenses ejus ditioni illud subduxerunt, uti asseruit Petrus diaconus [a] coram Lothario imperatore, qui prædictum monasterium Casinatibus restitui præcepit. Si vera sunt quæ de illius monasterii origine tradit anonymus Barensis, stare non poterit id, quod idem Petrus ait, Pippinum scilicet, & Carolum-Magnum ejus filium, omnesque succedentes imperatores illud monasterium Casinensi cœnobio concessisse.

LXXXI. Tegernsense monasterium instauratur.

Postquam Tegernsense Bajoariæ monasterium in primævo splendore per duo sæcula perstiterat, venit porro in prædam Arnolfi ducis, aliorumque laïcorum, qui non modo prædia & possessiones, sed etiam *claustrum & officinas monachorum* occuparunt, & cum uxoribus suis insederunt, uti Otto secundus in suo diplomate queritur. unde, stipendiis monachorum in profanos usus conversis, *spurcitia & nefariis rebus invalescentibus*, cum *tota ibi religiosa vita deperisset, mox cælesti vindicta monasterium & omnia ejus ædificia cum libris & ecclesiastico cultu concremata* fuere. Tanto infortunio mederi volens Otto imperator, hortatu fratris sui Ottonis Alamannorum ac Bajoariorum ducis, locum restituendum in se suscepit, ejusque rei gratia Hartwicum monachum, e Trevirensi sancti Maximini cœnobio accersitum, eidem loco præfici curavit. Hujus facti memoriam in quadam membrana, quæ veteris evangeliorum libri operculo affixa erat, consignatam ibidem invenimus in hæc verba: *Anno* DCCCC LXXVIII. IV. *nonas Martii. cœpta est regularis conversatio in hoc monasterio a venerabili monacho Hartwico de sancto Maximino.* tum anno sequenti, *ab Ottone imperatore secundo idem Hartwicus baculum & privilegium recepit, & a venerando episcopo Abraham Frisingensi benedicitur. & monachi regulam professi sunt.* Ottonis diploma, datum Bruomadæ IV. idus Junias anni insequentis, a nobis relatum est in elogio ipsius Hartwici, qui vix quatuor annos illud monasterium rexit. Ad res Francicas prædicti anni & insequentis veniendum.

ANN. CHR. 979. LXXXII. Ludovici regis coronatio & diplomata. b Marca Hisp. c. 408.

LUdovicum, Lotharii regis filium, aliquot annis ante obitum patris, regia corona insignitum fuisse jam dudum viri docti observarunt. Annum inter primos notavit clarissimus Baluzius [b], scilicet præsentem. quod duobus potissimum testimoniis asseruit, petitis ex duobus præceptis Lotharii regis, in quibus annus incarnationis DCCCC LXXXI. cum ipsius Lotharii anno XXVII. & tertio Ludovici regis adolescentis componitur. Duo alia nobis ad id confirmandum occurrerunt, quæ diserte annum ipsum DCCCC LXXIX. adstruunt: quin etiam alterum ex his duobus diem regiæ Ludovici coronationis nobis indicat. Primum præceptum edidit *HLudovicus divina propitiante clementia Francorum rex*, qui ad preces Amalberti abbatis *ex monasterio Floriacensi, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ, sancti Petri principis apostolorum, sanctique Benedicti confessoris, ubi ipse pater & dux monachorum Benedictus corpore requiescit*, visis præceptionibus *avi sui HLudovici piissimi augusti* (sic eum vocat) & progenitoris sui HLotharii, immunitatem & regiam defensionem eidem monasterio confirmat cum libera electione abbatis. *Actum Compendio palatio, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXVIIII. *primo ordinationis ipsius gloriosissimi regis.* Alterum ab eodem Ludovico rege præceptum pro Aurelianensi ecclesia obtinuit Arnulfus ejusdem urbis episcopus, *datum anno incarnationis dominicæ* DCCCC LXXVIIII. II. *die ordinationis ejusdem, indictione* VII. V. *idus Junii. Actum Compendiensi palatio.* Ex quo intelligitur, Ludovicum VI. idus Junias ejusdem anni, & quidem Compendii coronatum fuisse. Utrumque præceptum Arnulfus ad vicem Adalberonis archiepiscopi atque archicancellarii relegit & subscripsit. Dubitant nonnulli, totiusne Franciæ, an solius Aquitaniæ Ludovicus rex designatus sit. Verum ex præmissis duobus præceptis facile conficitur, eum regni Franciæ in solidum cum patre regem tunc constitutum fuisse: tum quia regem Francorum se absolute dicit: tum quia duo illa præcepta spectant Aurelianenses, qui ad regnum Aquitaniæ non pertinebant. Hinc est quod in quibusdam litteris Lotharius & Ludovicus reges Francorum simul conjunguntur, ut in diplomate pro monasterio sancti Maglorii, de quo mox acturi sumus.

Amalbertus abbas Floriacensis.

Ad Floriacense quod attinet, excessit e vivis hoc anno Richardus abbas XIV. kal. Martii. cui mox suffectus Amalbertus ejusdem loci monachus, tunc Salmurensis abbas, qui utriusque monasterii regimen retinuit, *benignus natura*, sed *benignior humilitatis sibi insita magnitudine*, inquit Aimoinus, qui ab eo monasticum habitum suscepit. ANN. CHR. 979.

LXXXIII. Gualo abbas S. Germani a Pratis, aliique.

Hoc ipso anno Gualo abbas monasterii sancti Germani Parisiensis notatur in brevi chronico ad cyclos paschales. quo tempore Hugo comes Parisiorum, qui hanc abbatiam cum Dionysiana post patrem hactenus habuerat, abbatem utrique regularem restituendum curavit. Non multo post inter episcopum Parisiensem & Gualonem abbatem orta est dissensio, haud dubie ex immunitate monasterii, quam forte Hugonis comitis & abbatis tempore episcopus impugnare non ausus fuerat. Huc spectare mihi videtur Gerberti epistola LXI. ad Adalberonem archiepiscopum Remensem, in qua hæc verba. *Ceterum dux Hugo, nacta occasione ex dissensione episcopi Parisiensis & abbatis Gua. abbatem nostrum Airardum* (is sancti Theoderici abbas erat) *inter ceteros ad se venire orat. Id ut peragat, persuasum iri posse confidimus.* Forte ab Hugone idcirco accersebatur Airardus, ut monachos sancti Germani ad eam disciplinæ formam, quæ in sancti Theoderici monasterio nuper restituta fuerat, reformaret. In necrologio Germanensi non invenio Gualonem, quem Albericus abbas excepit, notatus anno DCCCC. XC. in annalibus ad paschales cyclos, qui ejus obitus forte annus fuit, dies VIII. kal. Octobris in necrologio assignatur. Alberici successor Morardus: cujus pater fuit Giroldus, ut legimus in necrologio ad XIII. kalend. Septembris, quo die notatur *depositio Giroldi laici, patris domni Morardi abbatis.*

LXXXIV. Rotbertus abbas S. Dionysii.

In monasterio sancti Dionysii Gozlino abbati [a] subrogatus est Rotbertus abbas, laudatus anno sequenti in diplomate Ottonis imperatoris. Hic cum episcopo Parisiensi itidem controversiam habuit, ut probat Gerberti epistola CXLV. Parisiensi episcopo inscripta, quam hic integram referre juvat. a V. lib. 47. n. 31.

Etsi omnis ecclesia catholica una atque eadem est, singulis tamen sacerdotibus modus quidam præscriptus est, quo se extendere, ubi terminos debeant collocare. Itaque in causa Rotberti abbatis, ob eam quam servamus, ac semper vobis servare volumus fidem, hæc tria consultando proponimus. Primum, non esse nostri juris, falcem in aliena messe ponere: in quo multiplices rependimus grates etiam indebito dignari nos honore. Secundum, sancti Dionysii cœnobium ejus esse reverentiæ ac dignitatis, ut nullius ibi magistratus debeat deponi, aut imponi sine comprovincialium, quorum interest, consensu ac favore sollemni. Tertium proponimus, si rem in dilatione ponitis, vestræ mansuetudini suggerendum, quicquid honestius & utilius cum religiosissimis & amplissimis viris inveniemus.

In hac epistola videtur agi de depositione cujusdam præpositi in monasterio Dionysiano, atque adeo ipsius abbatis, scilicet Rotberti, quem sine comprovincialium episcoporum consilio judicari non posse ait Gerbertus, ob ipsius monasterii reverentiam ac dignitatem. Ex quo gravis mihi suspicio suboritur, num Rotbertus abbas fuerit idem cum illo Rotberto Dionysiano monacho, qui, cum res monasterii sui in villa Cameracensis agri Solemia procuraret, muneribus sibi viam ad Cameracensem episcopatum vacantem facere molitus fuerat, ut superius [b] diximus. quod cum forte ad notitiam Parisiensis episcopi venisset, eum magistratu sancti Dionysii exturbare volebat. Rainaldus seu Rainoldus tum Parisiorum episcopus erat, qui anno sequenti subscripsit synodicis litteris Sewini archiepiscopi Senonensis pro monasterio sancti Petri. b lib. 46. n. 39.

LXXXV. S. Maglorii monasterium Parisiis.

Paullo ante id tempus reliquiæ sancti Maglorii episcopi ex Armorica Luteciam-Parisiorum translatæ sunt, ac depositæ in ecclesia collegiata sancti Bartholomæi apostoli, quæ juxta palatium sita erat. Id factum occasione bellorum, quæ inter Richardum Normannorum ducem ac Theobaldum Blesensem comitem primis Lotharii principatus annis exarserunt, & usque ad fines Armoricæ pervenerunt. Imminentis cladis metu Salvator Aletensis episcopus sanctorum parochiæ suæ reliquias recollegit, & in urbem Parisiorum secum deportavit. Præcipuæ reliquiæ erant sancti Samsonis Dolensis episcopi & sancti Maglorii ejus successoris, cujus corpus e Sargiensi monasterio, in quo decesserat, in cellam Lehonium Nomenoii ducis tempore translatum fuerat. Pacatis rebus, cum Brittones sacras reliquias in

ANN. CHR. 979.

patriam reportare vellent, ab eis exegit Hugo comes, ut sancti Maglorii corpus in basilica sancti Bartholomæi remaneret, in qua monachos posuit canonicorum loco, multis reditibus eidem basilicæ adjectis. Hæc omnia regiis litteris comprobarunt *Lotharius & Ludovicus, divina ordinante providentia*, ut ipsi præferunt, *reges augusti*, qui *petitionibus Hugonis Franciæ ducis* annuentes, *præceptum firmitatis* fecerunt de iis rebus, quas ille *monasterio sanctorum Bartholomæi & Maglorii archipræsulis* » *Dolensis*, fundato in urbe Parisiaca ad excipienda sanctorum corpora, quæ hac il- » lacque circumferebantur, contulit in die consecrationis ejusdem monasterii. Sta- » tuunt insuper, ut idem locus semper abbatem habeat ex propria congregatione, & » nec metropolitanus, nec pontifex Parisiacus istuc, nisi invitatus, accedat. quæ omnia fusius referuntur apud Gerardum a Bosco in libro nono * historiæ ecclesiæ Parisiensis. Quo vero tempore sancti Maglorii monachi ad vicum sancti Dionysii, ac demum ad suburbium sancti Jacobi, ubi modo patres Oratorii consistunt, commigraverint, suo loco & tempore, Deo dante, exponemus. Totam hujus translationis historiam in Appendicem referre visum est, in qua Junanus tunc Lehonensis monasterii abbas fuisse dicitur, indeque in urbem Parisiorum advectas fuisse reliquias sancti Maglorii & aliorum. quod factum ait auctor anonymus ob Danorum infestationes, quos Richardus comes auxilio advocaverat.

* *Hist. Paris. to. 1. p. 546. & seqq.*

LXXXVI. Hermengardis abbatissa Pictavensis.

Erat per id tempus monasterii sanctæ Crucis Pictavensis abbatissa Hermengardis, quæ communi consilio ac consensu sororum suarum Gaufrido Andecavensi comiti, *qui vulgari cognomine Grisia appellatur gonella*, duas curtes concessit pro defensione terrarum suarum in ejus potestate sitarum, *quæ sunt in Lausdunensi patria.* * cui rei prædictus comes acquiescens, Pictavos ad monasterium sanctæ Crucis perrexit, contactoque ligno sanctæ Crucis hoc pactum se servaturum spopondit, *præsente & cooperante domno Petro Pictavensi episcopo*, ea conditione, ut *venerabile lignum salutis nostræ supra dicto comiti, suisque heredibus esset remedium, si eo quo dictum est modo tenerent pactum: sin vero aliter facerent, pœnam damnationis eo, cujus sanguine maduit, vindicante incurrerent.* Hoc scriptum caret chronicis notis. Habetur in eodem parthenone insignis liber ritualis, in quo nonnulla haud vulgaria leguntur: ex quibus hæc in exemplum afferre juvat. In natali Domini *apparente luce* sive aurora *missa dicatur*, LUX FULGEBIT; & *communicentur puellæ* sive juniores. *qua finita, veniant in monasterium* *, *faciant orationes; sedeant in claustro, & legatur kalenda*, sive martyrologium. *Deinde veniant ad capitulum, & post dicatur missa matutinalis*, PUER NATUS EST NOBIS. *Ad pacem eant omnes; post pacem eant ad communionem, venientes ordinate, petita venia ante altare; &* (quod observandum) *ore applicato ad calicem, accipiant corpus Domini reverenter*, forte intinctum & ex cochleari, ut hodie quoque Græcis mos est. Feria sexta parasceves *in basilica sanctæ Crucis officium celebratur ab episcopo sollemne, & festive ob reverentiam sanctæ Crucis.* Post adorationem crucis, *capiceria debet dare unicuique vel candelam, vel cereum, ad sepeliendum corpus dominicum, quod hoc modo fit. Duo sacerdotes revestiti, & coopertis capitibus cum amictis, præparant corpus dominicum in tres, illud primum in quodam parvo corporali ad hoc facto; & post mittitur inter duas patenas argenteas, cum cruce aurea involutum in linteo mundissimo, incipiente sacerdote*, O MORS, ERO MORS TUA, *cum psalmo*, JUDICA ME DEUS, ET DISCERNE. *quo finito, defertur ad sepulcrum honorifice, cantando*, ECCE QUOMODO MORITUR JUSTUS. *Tunc sacerdos deponit illud in monumento cum aqua benedicta & incenso, & incipit*, SEPULTO DOMINO, *& ab omni conventu cantatur* MISERERE. *quo facto, claudatur reverenter, omnibus discedentibus, relictis tamen ibi duabus custodibus, & multis luminaribus: qui custoditur ab eis in ipsa nocte usque in pascha. In prima vigilia noctis paschæ duo presbyteri revestiti cum cappis pergunt ad sepulcrum.* Inde *elevatur & defertur corpus ad majus altare, præcuntibus cereis & turibulis, & pulsantibus signis. Finitis matutinis, accedunt ad sepulcrum, portantes luminaria. Tunc incipit Maria*, UBI EST CHRISTUS MEUS? *respondet angelus*, [NON EST HIC] *Tunc Maria aperit ostium sepulcri, & dicit publica voce:* SURREXIT CHRISTUS: *& omnes respondent*, DEO GRATIAS. Quiddam simile hodie quoque fit in archimonasterio sancti Remigii apud Remos die paschæ, & quidem cum effigie Christi resurgentis. Ex hoc diverticulo ad ordinem revertor.

* *de Loudun.*

Communionis & sepulturæ dominicæ ritus.

* *a. ecclesiam.*

Dum

ANN. CHR. 979.

LXXXVII. Benedicti papæ privilegium pro monasterio Rodensi.

Dum Rodensi sancti Petri monasterio præesset Hildesindus episcopus, ejusdemque monasterii abbas, litteras [a] a Benedicto VII. impetravit, quibus pontifex monasterium sub tutelam & dominationem sedis apostolicæ admittit, ejusque possessiones confirmat omnes ab urbe Narbona usque ad fines Hispaniæ, compellens universos ad restitutionem bonorum, si qua ex eodem monasterio abstulissent. Datum hoc anno, indictione septima, in mense Aprili. His litteris postea comprovinciales episcopi subscripserunt. Eodem tempore Miro comes & episcopus Gerundensis Balneolensi sancti Stephani monasterio quemdam alodem suum, qui ipsi ex dono Seniofredi principis post vindicatam cædem Wifredi comitis fratris sui provenerat, concessit voti causa, concepti occasione periculi sibi impendentis, cum Borrellus comes Urgellensis cum exercitu suo venit in comitatum Bisuldunensem *ad construendum castellum in monte Spelio* adversus ipsum. In his enim angustiis venit Miro ad prædictum monasterium, flexisque poplitibus ante altare sancti Stephani, postulavit *auxilium a Domino Jesu-Christo, & sancto martyre suo Stephano* contra hanc violentiam, quod & obtinuit. quæ occasio fuit prædictæ donationis, factæ hoc ipso anno, Lotharii regis XXV.

a Marca Hisp. c. 921.

Balneolensi donatio facta.

LXXXVIII. Aliæ S. Hilario Carcassensi.

Ipso anno Lotharii regis Rodgarius comes Carcassensis una cum conjuge sua Adalaissa, & filio suo Regimundo, donat Deo & sancto confessori Hilario, atque Benedicto abbati ejusque monasterio ac monachis alodem suum in villa Corniliano. Subscribunt post Rodgarium & Adalaissam Arnardus comes filius Adalaissæ, Petronius episcopus atque comes, & Regimundus Rodgarii comitis soboles. Idem comes Romam profectus cum Benedicto abbate litteras a Benedicto VII. obtinuit, quibus ejusdem monasterii possessiones confirmantur; caveturque, ut nec comiti, nec vicecomiti, nec episcopo quidquam ex eis subtrahere liceat. Alia ejusdem comitis donatio libro sequenti referenda.

LXXXIX. Alia item Blandinio.

Celebris erat per ea tempora Godefridus comes Virdunensis & Eihamensis, cognomento Captivus, propterea quod a Lothario rege captivus factus est, cujus frequens mentio in epistolis Gerberti scholastici. Hic cum uxore sua Machtilde seu Mathilde, Herimanni Saxonum ducis filia, quæ primum Balduino tertio Flandriæ comiti nupta fuerat, fiscum suum [b] Holinium, situm in pago Tornacensi, cum appendicibus concessit Blandinio monasterio, *in quo domnus abbas Womarus non modico regularium collegio monachorum industrius pastor* præerat; transfunditque in jus & potestatem ejus loci monachorum, *quo liberiores in exsequendis valeant esse mandatis secundum sancti patris Benedicti regulam sibi traditis*; & pro ipso Godefrido, ejusque antecessoribus Deo preces fundere ipsos delectet. *Actum publice in cœnobio Blandinio xij. kal. Februarii, indictione vij. anno xxvj. regni inclyti regis Lotharii, & regiminis abbatis Womari xxvij.* ubi vides, non eodem & uniformi plane modo Lotharii annos ubique tunc numeratos fuisse, cujus annus XXV. in superioribus hujus anni instrumentis notatur, & XXVI. annus anno sequenti adscribitur in charta Rodulfi episcopi Cabilonensis, suo loco referenda. Subscribunt Godefridi litteris post ipsum ejusque conjugem Arnulfus junior gloriosus marchisus, Herimannus comes, Godefridi comitis filius, qui postea cum fratre suo Frederico monachus Virduni apud sanctum Vitonum factus est. Eisdem quoque litteris signum suum apponit Womarus abbas & alii. Rodulfus monachus notarii officio functus est. Iste Godefridus una cum uxore sua in Blandinio monasterio sepultus est. Plura de eo inferius.

b Miræi diplom. p. 46.

XC. Alesleve parthenon conditur.

Incidit in hunc annum cædes Geronis comitis Aleslevensis in Saxonia, qui apud imperatorem accusatus a Waldone, cum in singulari cum eo certamine victum se confessus esset, decreto judicum & imperatoris jussu decollatus est III. idus Augusti. In ejus memoriam soror ejus Tetta & conjux Athela monasterium virginum apud Alesleven condiderunt in honorem sancti Johannis-Baptistæ, ubi Geronem sepeliendum curarunt, decima parte totius suæ hereditatis eidem loco concessa. quod imperiali præcepto firmatum est. Geronis corpus post tres annos, cum ejus conjux juxta eum humaretur, integrum una cum vestimentis repertum. Filia ejus Athela nupsit Sigefrido, filio Heinrici comitis Stathensis, qui ex ea genuit Liutgerum comitem, binasque filias, Irmingardem & Bertam, quæ una post alteram Aleslevenses abbatissæ factæ sunt.

XCI. S. Eucharii cœnobium instauratur.

Ubi primum sedi Trevirensi impositus est Egbertus, nihil antiquius habuit, quam

ANN. CHR. 979. ut religiosas ædes, curæ suæ concreditas, in pristinum statum ac splendorem restitueret. *Erat enim*, ut Theoderici monachi verbis utar, *monachorum præcipuus tutor ac nutritor, ac regularis disciplinæ specialis amator: quippe qui sub habitu episcopi humile pectus occultavit devotissimi monachi.* Cum vero pleraque Trevirensis diœceseos monasteria, ob temporum injurias, ad summam inopiam, adeoque ad magnum monasticæ disciplinæ deliquium devenissent; eorum ruinas sarcire, & languentem religionem excitare studuit, maxime in sancti Eucharii ecclesia, ubi tum ipse sanctus Eucharius, tum alii Trevirenses sancti archipræsules consepulti erant. Huic consilio ubi opem & auxilium spopondit Otto imperator, mox operi manum admovet Egbertus, accersito e Gandensi sancti Bavonis cœnobio Gotherio monacho, quem sancti Eucharii monasterio abbatem præfecit. Dum vero humum ponendo novæ basilicæ fundamento effodiunt operæ, inopinato impegerunt in tumulum sancti Celsi ejusdem sedis pontificis. quo obsignato, monachis ad ejus cultum constitutis, ipse Ingelheimium pergit ad conventum episcoporum, petiturus facultatem ab imperatore & synodi patribus, ut sacræ beati Celsi reliquiæ e tumulo in decentiorem locum efferre sibi liceret. quod nullo negotio impetravit. Forte id contigit anno sequenti, quo pascha Ingelheimii Otto celebrasse dicitur in chronico Saxonico.

Treviros reversus antistes, clerum suæ diœceseos convocat, abbates simul & monachos, eisque preces & supplicationes indicit. cum sollemni pompa ad locum profectus, sacras reliquias levat e tumulo, easque in arca gestatoria repositas ad novam basilicam deferri jubet: ubi, missa celebrata & concione de sancti Celsi virtutibus in ea habita, ejus festum pridie nonas Januarii quotannis celebrari præcipit. Ne qua vero suspicio de sacrarum reliquiarum sanctitate suboriri posset, intra missarum sollemnia, decantato offertorio, articulum digiti sancti Celsi panniculo involutum in turibulum ardentibus prunis plenum injecit, qui per totum canonis spatium illæsus, atque ab igne intactus permansit. Hunc probandarum sacrarum reliquiarum ritum probavit concilium Cæsaraugustanum secundum, habitum tempore Gregorii Magni & Reccaredi regis: quo de ritu legesis notas ᵃ ad novam editionem Gregorii Turonensis. Missa persoluta, reliquiæ ab archiepiscopo super altare positæ: ubi cum per unum ab inventione mensem quievissent, placuit ejusdem cœnobii patri, Gunderado nomine, qui jam Gotherio successerat, cunctisque fratribus, ut in navim ecclesiæ theca deferretur, & super altare sanctæ Crucis, quod in aditu propitiatorii erat, collocaretur. Illic plurima patrata miracula, quæ altero libro (nam primum inventioni describendæ adhibuit) prosecutus est Theodericus ejus loci monachus, qui utrumque librum Richardo abbati ineunte sæculo undecimo nuncupavit. In his miraculis agitur de quodam optimæ indolis adolescente monacho ejus loci, Burchardo nomine, qui gravi auris incommodo, quod araneæ ingressu contraxerat, liberatus est. Memorantur etiam tres monachæ Horreensis apud Treviros monasterii, *Reginæ cæli* consecrati, *in quo a tempore orthodoxi regis Dagoberti sanctimoniales semper feminæ Deo consueverant devotius deservire*. Ex his una erat *claro stemmate progenita*, Hensa nomine: altera vocabulo Geila, *generoso* quoque *sanguine procreata*: tertia *magnæ parentelæ nonna*, Glismoda vocata, a cunabulis ibidem educata: quæ omnes vario incommodo beati Celsi meritis liberatæ perhibentur. In his miraculis non semel laudatur Gunderadus *beatæ recordationis* abbas, cui forte Richardus successit, cujus mandato Theodericus libros duos de inventione ac miraculis sancti Celsi composuit.

ᵃ Greg. Tur. p. 1366.

ANN. CHR. 980. XCII. Ottonis cum Lothario fixæ & pactum. * le Cher.

Anno insequenti nongentesimo octogesimo Ottonem imperatorem & Lotharium regem super Carum * fluvium, qui in Mosam infra Mosomum opidum devolvitur, una convenisse, & datis sibi invicem sacramentis tale pactum iniisse, ut rex Lotharius Ottoni Lotharingiam cesserit, auctor est Sigebertus, itemque Ottonem Italiam petiisse. Hæc Lothariensis regni cessio, etsi forte in gratiam Caroli Lotharii fratris facta sit, haud grata fuit Hugoni duci Francorum & Heinrico ejus fratri, aliisque comitibus ac proceribus regni: quorum instinctu Lotharius, Ottone absente, Virdunum post quatuor annos invasit. Hanc pactionem præcessit Lotharii impressio in regnum Lotharii, uti colligere licet ex quadam charta canonicorum Majoris-monasterii, (nam hunc locum adhuc canonici occu-

ANN. CHR. 980.

pabant) qui cuidam Gunterio ejusque filiu ejusdem congregationis canonico quædam prædia in villa Carisiaco sub annuo censu tradiderunt. *Data autem hæc auctoritas* dicitur *mense Martio, sub magno rege HLotario, anno scilicet regni ejus, quando impetum fecit contra Saxones, & fugavit imperatorem.* quod intelligendum videtur de alia impressione ab ea, quam ante biennium a Lothario factam diximus. Neque vero imperator Otto tam cito, ut Sigonio visum est, Italiam adiit. nam mense Octobri *Broehsalæ* versabatur, cum imperiali præcepto [a] confirmavit possessiones monasterii sancti Dionysii Parisiensis, in ipsius imperio consistentes, rogatu Rotberti ejus loci abbatis. *Data idus Octobris, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXX. *indictione v.* [lege VIII.] *anno vero regni secundi Ottonis xx. imperii xi j. Actum Brochsale.* quod de Bruxellis, ut modo vocant, olim Brutsela [b] dicta, interpretandum est. In prædicto diplomate observandum id, quod dicitur de monasterio sancti Dionysii, *usque hodie*, inquit Otto, *ibidem corporaliter habiti.* qui locus plane refellit opinionem Ratisponensium, qui corpus sancti Dionysii initio sæculi decimi Ratisponam ab Arnulfo imperatore translatum jactitant.

Ottonis diploma pro sancto Dionysio. a Doublet p. 818.

b Miræi cod. donat. p. 136.

XCIII. Majoris-monasterii status.

Ex superioribus intelligitur, qualis tunc fuerit Majoris-monasterii status, quod scilicet sæculares canonici tum occupabant, cum prædictam præstariam cuidam Guntherio, ejusque filio Berardo fecerunt, in qua loquuntur in hunc modum. *Nos quidem canonici congregationis S. Martini Majoris-monasterii, videlicet Huddo decanus, Arduinus thesaurarius, idemque archiepiscopus, Aszo præpositus, ceterique fratres in eodem monasterio Domino famulantes.* Ejusdem monasterii abbas tunc erat Hugo Francorum dux, qui præstariam itidem fecit cuidam vasallo suo, nomine Haimoni, *iv. idus Aprilis, anno xv. regnante HLothario rege*: cujus rei chartæ non solum dux Hugo, sed etiam canonici Majoris-monasterii *tangendo* subscripserunt: cui etiam Tetbaldus comes & Odo filius ejus signum crucis apposuerunt. Ex quo intelligitur, Tetbaldum comitem Blesensem ad hoc usque tempus superstitem fuisse.

XCIV. Heriberti comitis liberalitas in Dervenses.

Secundum Hugonem ducem Francorum & Parisiorum comitem eminebat inter Franciæ proceres Heribertus Trecensis comes, cujus propensio in Dervenses monachos haud obscura fuit. Hos cum vini penuria laborare animadvertisset, quoddam suæ proprietatis alodum apud Velcianas villam comitatus Ormensis, id est mansum unum indominicatum cum vineis, terris, ceterisque appendicibus, eis concessit, ea interposita conditione, ut Dervenses memoriam ipsius in omnibus divinis officiis haberent, & quotidie unam missam, atque unum psalmum per singulas regulares horas pro ipso persolverent; & post ejus decessum anniversarium ipsius obitus diem celebrarent. His litteris apponitur *signum Heriberti inclyti Francorum comitis, qui hoc testamentum fieri & firmari jussit; signum Odonis comitis filii sui*, & post alios *Heribert decani Alti-villaris*, & *Otgeri monachi ipsius loci. Actum Velcianis villa publice, regnante domno Lothario rege anno vicesimo-septimo feliciter.* Hanc vero donationem regali præcepto confirmavit Lotharius, qui Heribertum comitem palatii sui vocat, sibi carum & fidelem: cujus confirmationis interventores fuere Lotharii conjux Emma regina, Adalbero sanctæ Laudunensis ecclesiæ, necnon & Gebuinus Catalaunensis sedis antistites reverendi, ut legitur in eodem præcepto, in quo ipsum alodum situm dicitur in pago Ormensi, intra fines villæ, quam Velcianas vocant, *supra videlicet & infra illius aquæ decursum, ubi Vetus-Materna nominatur*, illi alodo conjunctum, quod in eadem villa prædicti monachi jam ab antiquo possidebant. *Actum Lauduno-clavato, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXX. *regnante domno Lothario anno xxvij. feliciter.*

XCV. Helperici liber de computo.

Florebat eo tempore Helpericus, Grandivallensis in superiori Alsatia monachus, qui, cum in arte grammatica adolescentes monachos erudiret, eisque calculatoriæ artis rudimenta, quæ ne laicus quidem, nedum clericus, impune tum ignoravisset, exponeret; ab eisdem rogatus est, ut quæ vivo sermone eis exposuerat, scripto commendaret. Id factum hoc anno probat codex noster Germanensis, Heinrici primi Francorum regis principatu scriptus. tametsi annum millesimum quintum notabat codex, quo usus est Sigebertus, qui auctorem Chilpericum vocat, tum in chronico, tum in libro de scriptoribus ecclesiasticis; Hericum mendose codex Germanensis. Cum vero Helpericus quorumdam negotiorum causa a fratribus suis Autisiodorum ad monachos sancti Germani missus esset, ejusdem libri exemplum ab ipso flagitavit Asper, ejus loci, ut quidem conjicio, decanus,

ANN. CHR. 980.

qui eumdem Helpericum apud se retinere, sed frustra, conatus est. Reversus post varias peregrinationes ad suos Helpericus, exagitari cœpit, ipsumque pænituit, quod Aspri humanitati non acquievisset. quæ omnia idem auctor fusius commemorat in epistola, qua librum suum de computo eidem Aspro mittit sub hac inscriptione: *Domino patri sanctissimo, nomine Aspro, moribus autem placidissimo, Helpericus humilis vernula.* Hic abbas dicitur in titulo codicis Viconiensis, ex quo hanc epistolam [a] aliquando exscripsimus, scilicet in Belgico itinere, quod ante viginti-septem annos confecimus ego ac noster Claudius Stephanotius amantissimus consodalis, & studiorum nostrorum indefessus adjutor, qui hoc ipso anno [b], quo hæc scribo, Romæ decessit procurator noster generalis. Ejusdem Helperici videtur esse epistola illa, quæ Hilperici nomine in vulgato Alcuini libro de divinis officiis [c] edita est.

a *Analect.* to. 1 p. 113.

b *anno* 1699.

c *Alcuin. divin. offic.* c. 18.

XCVI. Altaria S. Petro Senonensi concessa.

Habita est hoc anno provincialis [d] synodus apud Senonas, præsidente Sewino archiepiscopo, ad quam venit Rainardus abbas suburbani sancti Petri monasterii *cum turma monachorum ejusdem ecclesiæ*, obsecraturus, ut ad victus vestitusque sui supplementum aliquid eis a patribus synodi conferretur. Horum petitionibus annuens Sewinus cum suis coëpiscopis, quatuor eidem monasterio altaria concessit, unum in pago Senonico apud Alsunum villam in honore sancti Petri, quod Eigil bonæ memoriæ archiepiscopus jam dudum prædictis monachis donaverat: alterum apud Sanceias in honore sancti Sanctiani martyris consecratum: tertium sancti Saviniani martyris, quod a crypta dicti monasterii *quinquaginta dextros* distare dicitur: quartum sancti Lupi in villa Naudo pagi Pruvinensis. Subscribunt his litteris post Sewinum Odo Carnotensis, Rainoldus Parisiorum, Milo Trecarum, & Manasses Aurelianorum episcopi, & tres archidiaconi ecclesiæ Senonensis. Hoc concilium Gerardus a Bosco [e] suspectum habet, hac motus ratione, quod Arnulfus tunc Aurelianensis episcopus fuerit, non Manasses, testante Saussëio. At falsus est Saussëius, qui duos Arnulfos ejusdem sedis episcopos non distinxit, unum Ermenthæi successorem ac nepotem, ut ex Letaldo tunc temporis Miciacensi monacho discimus; decessorem vero Manassæ, qui alterum Arnulfum successorem habuit, cum quo Abbo Floriacensis abbas multam controversiam habuit. Idem forte dicendum de episcopo Parisiensi Rainoldo. Certe multum perturbata [f] est illis temporibus series Parisiensium episcoporum. Tempore Rainaldi abbatis corpus sancti Ebbonis archiepiscopi, quod in oratorio sanctæ Mariæ ad id tempus jacuerat, præeuntibus signis communi consilio prædicti archiepiscopus & abbas e tumulo honorifice levaverunt.

d *Spicil.* to. 2. p. 734.

e *Hist. Paris.* to. 1. p. 607.

f *ibid.* p. 603.

S. Ebbonis corpus levatum.

XCVII. Aimoinus Floriaci fit monachus.

Hoc fere tempore Aimoinus Floriacense sancti Benedicti monasterium ingressus est, ubi *in tenera ætate habitum monasticæ suscepit religionis* ab Amalberto abbate, ut de se ipse testatur in libro primo de miraculis sancti Benedicti, qui Amalbertus Richardo abbati anno superiore successerat ad paucos annos. Patriam genusque suum Aimoinus ipse designat in libro de vita sancti Abbonis abbatis, ubi novissimum ejus iter, se comitante, ad Regulæ monasterium, quod in pago Basatensi ad Garumnam situm est, describit. Quippe ex urbe Engolisma egressi, ad castrum, cui Alba-terra * nomen est, venerunt, ubi a domino ejusdem castri nobili viro, Giraldo nomine, humanissime excepti sunt. Inde promoventes, *transmeato Ella * flumine*, eo fere in loco, ubi in Dordoniam influit, hospitati sunt *in villa, quæ ad-Francos * dicitur:* ubi ipsius Aimoini genitrix, *memorati militis Giraldi consanguinea, vocabulo Ennenrudis*, eos quam potuit humanissime excepit. Hinc Aimoini patriam, quæ Inter-duo-maria vocatur, discimus, nomenque ejus genitricis: at nomen ejus patris ignoramus. Hic est Aimoinus, qui quatuor libros scripsit de historia Francorum, eosque Abboni abbati suo nuncupavit, alteri Aimoino Germanensi apud Parisios monacho perperam a nonnullis adscriptos.

* *Aubeterre.*

* *l'Isle.*

* *Villa franche.*

XCVIII. Mancio abbas S. Illidii.

Per id tempus Mancio abbas Claromontense sancti Illidii monasterium administrabat: cujus tempore Geraldus quidam sacerdos ecclesiæ sancti Petri apud Timarias quasdam res suæ proprietatis pro sepultura corporis sui & animæ suæ redemtione donat monasterio, quod est juxta civitatem Claromontensem, vocatum *Inter-sanctos, & est constructum in honore Dei omnipotentis, & sanctæ Dei-genitricis Mariæ, & sanctorum beati Clementis martyris Christi, & sancti confessoris Christi Illidii, ubi corpus ipsius requiescit.* Hanc vero donationem eo pacto facit Geraldus,

ANN. CHR. 980.

ut easdem res usu-fructuario ad vitam retineat, & quotannis *missa sancti Andreæ* octo sextarios vini & duos annonæ persolvat. Post Geraldum sacerdotem Bertrannus frater ejus, Bego episcopus, Arbertus archidiaconus, aliique canonici subscribunt his litteris, in quibus fit mentio ecclesiarum *sanctæ Mariæ principalis*, quam de Portu vocant, & *sanctæ Mariæ-præclaræ*. Eodem Mancione abbate Bego episcopus triduanum jejunium indixit pro recuperatione brachii sancti Clementis, quod inventum reposuit in capsa eburnea.

XCIX. Canonica Cluniaco data Cabilone.

Hoc primum anno Cluniacensibus monachis data est canonicalis præbenda ecclesiæ Cabilonensis ex concessione Agenoris archidiaconi, quod Rodulfus episcopus confirmavit. Ejus hac de re litteras, quia sancti Mayoli abbatis tum viventis eximium elogium continent, integras ex chartario Cluniacensi huc afferre lubet.

Rodulfus, sanctæ Cabilonensis ecclesiæ præsul, omnibus orthodoxis notum esse desideramus, qualiter Agenor archidiaconus noster adiit nostræ munificentiæ serenitatem, in dubio vitæ adhuc lacrymabiliter languens, & trahens sub ingenti dolore longa suspiria, quantis potuit precibus deprecans, quo perpetuale donum scriptum testamentum concederemus domno Mayolo abbati, & fratribus Cluniacensis cœnobii ex area & mansione supra posita, quam ipse proprio sumptu & facultate construxit, ubi ipse adhuc degere videtur. Est vero sita infra muros Cavillonicæ civitatis, conjacens in claustra canonicorum martyris Christi Vincentii. Ad augendum enim speratæ retributionis palmarium prorogavit, oratque, ut canonicam, quam ipse ab ineunte ætate pro sustentatione diaria, sicut ceteri fratres, ab ecclesia possedit, præfato abbati & prætaxatis fratribus sub hujus auctoritate testamenti in perpetuum traderemus. Nos vero prædicti abbatis personam ad memoriam reducentes, hanc postulationem absque aliqua tarditate dignum duximus adimplere, maxime cum tanti viri gloriam ab ipso Domino mutuatam, & ore percepimus, & intuitu proprii luminis nos in ejus dilectione conviventes cotidie perspicimus. Ille etenim, ut vere est Galliarum jubar ad tempus exortum, nostris sæculis admirandum, vel sic positus est imitandum. Jussimus denique illi & dilectissimis fratribus sibi commissis, præsentibus & futuris, tale tradere scriptum, ut nostri loci jam dictam canonicam & aream determinatam cum supra positum ædificium æternaliter habeant, perpetuo possideant, & absque ulla inquietudine teneant. Signum Rodulfi humilis præsulis sancti Vincentii. S. Adalaidis humilis comitissæ. S. Hugonis filii ejus. S. Rotberti vicecomitis. S. Frogerii decani. S. Odonis militis. Datum pridie kalend. Decembris, die Martis, anno xxvj. regnante HLothario rege. Dies Martis incidebat in secundum kal. Decembris anno DCCCC LXXX. sed annus erat Lotharii regis vicesimus-septimus a mense Octobri. Verum rotundo numero totus annus præcedenti tribuitur.

Mayoli elogium.

C. Lascurrense monasterium.

In Bearnensi provincia exstitit ab antiquo Lascurris civitas episcopalis, quæ a Normannis omnino diruta in vastam demum solitudinem & in saltum conversa est. Eo in statu erat tempore Guillelmi-Sancii Wasconiæ ducis, qui ejus instaurationem hac occasione procuravit. Erat in ducis curia miles [a] quidam, Lopofortis nomine, valde ipsi addictus, qui, ut ejus gratiam amplius iniret, vicecomitem quemdam ei adversantem interfecit. Verum facti pænitentia ductus, consilio ducis & Urracæ ejus uxoris, monasticæ se professioni devovit. Hujus rei causa quamdam sancti Fausti ædiculam ad secessum ei obtulit Guillelmus: sed, cum locus Lopoforti haud placeret, eidem auctor fuit dux cum uxore sua, ut ad locum, ubi Lascuris quondam steterat, se conferret. Illuc profectus Lopofortis, annuente episcopo; unam ibidem sancti Johannis-Baptistæ invenit ecclesiam, (nam ecclesia beatæ Mariæ, quæ sedes episcopalis erat, omnino eversa fuerat) ibique monachus factus est, ac demum abbas nascentis novæ congregationis: cui dux & ejus uxor prædia & ecclesias ad subsidium contulerunt.

a Marca Bearn. p. 212 & seqq.

CI. Ursa monacha Casæ-aureæ.

Dum Adamus abbas Casæ-aureæ monasterio præesset, hoc ipso anno ab incarnatione Domini nongentesimo octogesimo, Ottonis imperatoris anno XIV. mense Martio, indictione VIII. (his enim omnibus res [b] denotatur) mulier quædam, Ursa nomine, *religionis habitu suscepto, & monialis effecta*, obtulit pro anima sua per chartulam traditionis tertiam partem omnium rerum & possessionum, quas in villis Raianello, Pantano, atque Teczanico habebat. Hæc mihi videtur esse ex numero illarum devotarum, quæ sub religionis habitu prope monasteria virorum degebant, sarciendis & mundandis ecclesiæ ornamentis addictæ. Idem Adamus

b Spicil. to. 5, p. 418.

ANN. CHR. 980.

abbas *roccam* ſeu munitionem in ſummo vertice montis Soti exſtruxit: ubi theſauri & pretioſa quæque eccleſiæ, ſi quando neceſſitas ingrueret, reponerentur. Ad hæc ipſe abbas quædam prædia ſui monaſterii, quæ Johannes Pinnenſis epiſcopus retinebat, facta commutatione recuperavit.

CII. S. Nilus Caſini exceptus.

Aligerno abbate Caſinatibus præſidente, Nilus junior, eximiæ ſanctitatis hegumenus, ad ſacrum montem venit: ubi perhumaniter ab Aligerno ejuſque fratribus acceptus, & proximo Vallis-luci donatus monaſterio, ibi cum ſuis quindecim annos exegit, uti acta ejus a contubernali ejus diſcipulo græce ſcripta, & a Matthæo Caryophilo latine reddita, fuſe teſtantur. quod hic compendio referendum eſt. Cum vir ſanctus in Calabria monaſterium ſuum regeret, prævidit fore, ut brevi Sarraceni adverſus Latinos in auxilium eo vocarentur, &, nullo rerum ſacrarum diſcrimine, provinciam omnino vaſtarent. Itaque inde cum ſuis recedendum ratus, primo Capuam venit: ubi a Pandulfo principe & primoribus urbis cum ea reverentia exceptus eſt, ut epiſcopatum vacantem adepturus fuiſſet, niſi mors Pandulfi principis interceſſiſſet. Mox rogatus Aligernus abbas, qui forte Capuæ tum morabatur, ut beato viro monaſterium quoddam juris ſui ei incolendum concederet, eumdem ad Caſinum montem deduci curavit. Accedenti proceſſit obviam ad radicem montis totus Caſinatium cœtus, præeuntibus cereis & turibulis, ſacerdotibus & diaconis eorum ſacro habitu indutis: eaque ſollemni pompa virum ſanctum in monaſterium duxerunt, quaſi advenientem Alexandria magnum Antonium, vel excitatum a mortuis ſanctiſſimum patrem Benedictum ſe videre & audire putantes. Ingreſſus monaſterium, quotquot inter Caſinates corporis animive morbo laborabant, ſanaviſſe dicitur; admiratuſque egregiam illorum diſciplinam, ad præparatum ipſi ſuiſque ſancti Michaëlis monaſterium, Vallelucium nomine, ab Aligerno abbate præcipuiſque fratribus deductus eſt. Non multo poſt a Caſinatibus invitatus, ut ſimul cum fratribus ſuis officium divinum græcanico more in ſacro monte celebraret; hymnis de ſancto patre Benedicto græce compoſitis, cum univerſis fratribus ſuis (erant autem ſupra ſexaginta), iſtuc aſſcendit, ibique vigilias & cetera divina officia, uti rogatus erat, devote perſolvit. Peracto officio, convenerunt ad ipſum monachi omnes, abbate ſuo permittente (ea eſt erga hoſpites regulæ diſciplina;) rogaruntque, ut ipſos ſpiritali ſermone erudiret, & obſcura quædam ſcripturæ loca ipſis aperiret. quod vir Dei recte præſtitit. Cum vero de multis interrogaretur, quidam ab eo quæſivit: Quid noxæ eſſet, ſi ſemel toto anno carnes comediſſet? Tale erit, inquit vir ſanctus, quaſi ſi per multum tempus bona uſus valetudine, una hora præceps cadas, & crus frangas. His actis, Nilus Vallelucium reverſus eſt, ubi per annos quindecim cum ſuis permanſit, quibus Caſinates vitæ neceſſaria ſubſidia (quæ majorum noſtrorum inſignis caritas erat) abunde ſuppeditabant.

CIII. Vintoniæ Veteris-monaſterii dedicatio.

In Angliam nos vocat Veteris-monaſterii Wintonienſis dedicatio, quæ hoc anno facta eſt. Quanta præſtiterit Ethelwoldus epiſcopus tum in Veteri illo Wintoniæ inſtaurando monaſterio, tum in Novo inſtituendo, fuſe deſcribit Wolſtanus monachus cantor Wintonienſis, ejuſque diſcipulus & alumnus, non modo in libro de ejus vita, ſed maxime in carmine de geſtis ſancti Swithuni epiſcopi, quod Elfego ejuſdem Ethelwoldi ſucceſſori nuncupavit. Scilicet Veteris-monaſterii muros hic reſtruxit, tectaque reſarcivit; antiqui templi atria, porticus, & arcus renovavit, exedras cum novis altaribus adjecit.

Sic conſtructa micat, ſic & variata coruſcat
Machina, quæ hanc matrem ſuſtinet eccleſiam:
Quam pater ille pius, ſumma pietate refertus,
Nominis ad laudem celſitonantis heri
Fundavit, ſtruxit, dotavit, & inde ſacravit.

Hæc dedicatio per octo epiſcopos facta eſt coram Ethelredo rege & totius Angliæ proceribus, & quidem tanta cum pompa, ut non immerito Wolſtanus dicat;

Numquam tanta fuit taliſque dicatio templi
In tota Anglorum gente patrata reor:

Qualis erat Wenta celebrata potenter in urbe
In sancti Petri cœnobio Veteri.

Præfuit huic dedicationi cum Ethelwoldo Dunstanus Cantuariensis primas: aliorum episcoporum nomina prætereo. In hoc Veteri-monasterio, quæ sedes episcopalis erat, instituti canonicorum loco monachi, ut superius [a] diximus, uti & in Novo, in quo non minora præstare Ethelwoldus decreverat]: sed morte præventus ea Elfego successori perficienda reliquit.

a *lib.* 46. *num.* 79. & *lib.* 47. *n.* 19.

Brithnothi abbatis Eliensis cædes.

Eodem anno Brithnothus Eliensis abbas, superius [b] laudatus, ad Ethelredum regem negotiorum causa profectus, indeque revertens, Eldritbam reginam, in nova foresta veneficiis suis vacantem, obsequii gratia convenit. qui solus in ejus præsentiam admissus, cum nefario sceleri acquiescere constanter renuisset, ferventibus mucronum capulis in ascellas impressis, interiit, verus pudicitiæ martyr. Corpus ejus delatum in Eliense monasterium: cujus abbas secundus Elsinus ab Ethelwoldo episcopo, jubente rege, ordinatur.

b *lib.* 47. *n.* 60.

CIV. Petræ-pontis ecclesia monachis Vincentinis concessa.

Jam Ludovicus a Lothario patre in Francici principatus consortionem adscitus erat, cum venerabilis Berlandus abbas [c] monasterii sancti Vincentii Laudunensis Adalberonem ejus urbis episcopum obnixe rogavit, ut, juxta privilegium, quod eidem cœnobio divæ memoriæ Dido episcopus, octavus ejus antecessor, indulserat, corpus sancti Botiani in eodem loco perpetuo permaneret cum canonicis Petræpontensis ecclesiæ, qui istuc cum prædicto sacro corpore ob infestationem paganorum se receperant: sed qui, rebus pacatis, ad pristinam sedem reversi erant. Verum Adalbero, re mature considerata, ratus durum esse, ut Petræ-pontis municipium suo patrono orbaretur, nec privilegio concesso Vincentinos frustrare volens, decrevit, ut sancti Botiani corpus in ecclesia prædicti castri, beatæ Mariæ sacra, remaneret; ipsa vero ecclesia cum suis rebus monasterio sancti Vincentii subjecta esset. quo facto postulat Adalbero, ut sui ipsius, decessorisque sui Didonis, ac senioris sui Lotharii regis, atque Emmæ reginæ, necnon filii eorum *Ludovici æque regis*, in sacris orationibus suis die noctuque memores esse satagant. His litteris, quæ chronicis notis destitutæ sunt in editis, subscribit Adalbero Remorum archiepiscopus, & post eum ipse Adalbero episcopus Laudunensis.

c *Marlot to.* 2. *p.* 31.

CV. S. Eligii monasterium monachis restitutum.

Post varias alternantis fortunæ vices sancti Eligii Noviomense monasterium hoc tempore monachis postremo restitutum est cura & favore Liudulfi ejus urbis episcopi, uti discimus ex diplomate Lotharii regis, qui hanc restitutionem confirmavit. In eo diplomate Liudulfus Noviomorum præsul, Lotharii *nepos*, regiam celsitudinem adiisse dicitur, ac petiisse, ut rex ipsi concederet *licentiam in sancta religione monastici ordinis restaurandi locum beati Eligii, in suburbio Noviomorum siti*: « qui locus a sancto Eligio quondam in monastica religione decenter instructus, sed « paganica infestatione post devastatus, atque a Rodulfo prædictæ urbis episcopo « ante aliquot annos, favente sibi gloriosissimo rege Ludovico, in prædicto ordine « monastico denuo relevatus; sed post ejus mortem, pravorum prævalenre consilio, « a pristina institutione distractus fuerat. quem cum Liudulfus in pristinum statum « restituisset, regiam eidem loco immunitatem a Lothario impetravit, omniumque ejus « rerum, quæ in illo diplomate enumerantur, liberam possessionem, eo pacto, ut mo- « nachi in suis precibus regis, reginæ, ac filii eorum Ludovici regis, necnon Liudulfi pontificis essent memores. Caret chronicis notis hoc præceptum, quod datum videtur post coronationem Ludovici regis. Aliud ejusdem Lotharii præceptum pro ipsomet monasterio habetur in annalibus [d] ecclesiæ Noviomensis, sed cum multis mendis, ex quo tamen discimus nomen Litranni ejus loci abbatis, cujus rogatu hoc præceptum impetratum dicitur. & quidem post mortem Liudulfi episcopi, qui *piæ memoriæ* dicitur, ac *nepos* Lotharii regis. at potius consobrinus, utpote natus ex Alberto Viromandensi comite & Gerberga, Gerbergæ Lotharii matris filia ex Gisleberto duce Lothariensi, cui Gerberga parens nupta fuerat, antequam Ludovico Transmarino copularetur. Hinc falsum est in illo diplomate, quod Albertus comes Viromandensis & Guido Liudulfi fratres dicuntur, & quod mater eorum Lotharii soror dicitur. Neque enim Liudulfus fratrem habuit Albertum, sed Herbertum ejus nominis tertium, & Guidonem: neque eorum mater Lotharii regis soror, sed Gerbergæ matris ex priore marito filia exstitit. Non vacat etiam

d *Le Vasseur p.* 924.

mendis Johannis [a] papæ xv. diploma, quo monachorum restitutionem inter alia comprobavit rogatu Liudulfi episcopi, cujus nomen corrupte ibidem legitur. Nil juvat omnia illius diplomatis recensere errata. Inscriptum est *omni ecclesiæ Gallicanæ*, nullo exemplo; datumque dicitur *in mense Martio, & indictione j.* ac proinde anno DCCCC LXXXVIII. quo tempore Liudulfus episcopus adhuc superstes ponitur, & tamen mortuus censetur in posteriori diplomate Lotharii regis, qui biennio ante decesserat.

a ibid p.783.

CVI. Stabulensibus libera electio confirmata.

Stabulense monasterium simulque Malmundariense tunc administrabat Ravengerus abbas, qui gregis sui commodo & tranquillitati prospiciens, Ottonem imperatorem rogavit, ut more antecessorum suorum monachis ibidem consistentibus *electionem regularem concederet*. quod annuit imperator. Quia vero nonnulli Malmundariense monasterium a Stabulensi separare moliti erant; ne qua deinceps hac de
» re controversia oriatur, ait a se statutum fuisse in synodo Ingelheimensi, consultu
» episcoporum, maxime Willigisi Moguntini archiepiscopi, & Deoderici episcopi
» Mettensis, ut defuncto abbate, concurrentes in unum utriusque cœnobii monachi,
» eligendi secundum sancti Benedicti regulam abbatis habeant liberrimam optionem;
» ita tamen, ut ex Stabulensium gremio præponatur qui dignior fuerit; sin mi-
» nus, ex Malmundariensibus, si melior inter eos habeatur. Data pridie nonas Ju-
» nii, anno secundi Ottonis XIX. imperii autem XIII. Actum Aquisgrani.

CVII. Clericus indigne diaconatum sumens a dæmone vexatur.

Ravengeri abbatis tempore contigit, ut quidam clericus, apud Stabulenses a puero educatus, eisque ad multa utilis & accommodus, furto surriperet fibulam auream, quam comitissa quædam monasterio donaverat. Non diu post ille cum fratribus ad episcopum missus a Ravengero abbate, nulla furti confessione aut pænitentia facta, ad diaconatum promovetur. *Absoluto deinde sacrificio & precibus vespertinis*, ad hospitium cum fratribus reversus reficiendi causa, inter edendum a dæmone violenter exagitatur. Reductus ad monasterium similiter vexatur, insuper & brachium, quo furtum fecerat, penitus exarescit. Ignorantibus fratribus quid rei esset, altiori consilio abbas intelligit, id non casui tribuendum, sed divinæ animadversioni, quæ ob occultum quoddam crimen statim a suscepto ordine in reum sæviebat. Monet proinde fratres, ut, cum se illa vexatio remitteret, caute ab eo expiscarentur, num aliquid ejus conscientiam gravaret. Ille demum pudibundus sciscitantibus culpam suam confitetur, rogatque, ut apud abbatem pro ipso velint intercedere. Exoratus abbas justitiam misericordia temperat, prohibetque ne crimen ejus in publicum proferatur. tum jejunia & preces pro illo fratribus indicit. quibus peractis, revalescit frater, brachium restituitur, ac dæmon ab eo prorsus fugatur. Hæc ex libro miraculorum sancti Remacli. Ravengerum abbatem præcessisse dicitur Werinherus, qui ipsum sibi coadjutorem hoc anno adoptaverit. At cum Ravengerus hoc anno simpliciter abbas dicatur, & post annos sexdecim Verinherus abbas a Gregorio papa V. litteras impetraverit: siquidem Werinherus abbas Ravengerum præcessit, mallem duos distinguere ejusdem nominis abbates, unum Ravengeri antecessorem, alterum ejusdem Ravengeri successorem, qui bonorum monasterii confirmationem ab Ottone tertio, interventu Theophaniæ imperatricis ejus matris, denuo obtinuit anno DCCCC LXXXVI. Attamen quia Ravengerus abbas vitam ad annum M VIII. produxisse dicitur, fortasse potius duos Ravengeros alii statuere volent. quod aliis expendendum relinquo, difficultatem exposuisse contentus. Omissus est in catalogo Stabulensium abbatum Werinfridus abbas, cui Notgerus Leodicensis antistes librum de vita sancti Remacli episcopi, quem ejus hortatu composuerat, nuncupavit. Incertum præcesserit ne Ravengerum Werinfridus, an subsecutus sit. siquidem præcessit, is est fortasse, qui Ravengero præfecturam resignavit. His successit Bertrannus abbas, & Bertranno sanctus Poppo, de quo plura dicenda nobis occurrent in sæculo sequenti.

APPENDIX

APPENDIX

TOMI III. ANNALIUM BENEDICTINORUM,

Varia monumenta & diplomata complectens.

I.

Caroli Calvi præceptum pro Fontanella.

Ad lib. 34. n. 54. *Ex chartario Fontanellensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei Rex. Si ea quæ fideles regni nostri pro statu & utilitate ecclesiarum in locis sibi commissis statuerint, nostris confirmamus edictis, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem & totius regni a Deo nobis commissi tutelam mansurum esse credimus, & retributorem Deum exinde in futuro habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis HLudowicus consobrinus videlicet noster & abba monasterii, quod vocatur Fontanella, ubi pretiosi confessores Christi Wandregesilus, Ansbertus atque Wlfrannus corpore requiescunt, nostræ suggessit celsitudini, quod pro Dei amore & futuro ejusdem congregationis cavendo periculo, ne aliqua successorum suorum negligentia aut parcitate ordo in ea monasticus futuris temporibus perturbaretur, sicut præteritis temporibus manifestum est contigisse, sive propter incursionem gentilium, ut refugium ibidem habere quivissent; quasdam villas specialiter eorum necessitatibus deserviendas constituisset ac delegasset: quatenus nulla occasione nec reipublicæ servitio quisquam ex successoribus suis impedimentum illis inferre potuisset, pro quo a via rectitudinis & observatione regulari eos oberrare necesse foret. sed deputatis sibi rebus & stipendiis contenti, absque necessitate & inopia regularem normam tenere & sine prævaricatione, quantum humana sinit fragilitas, observare quivissent. Unde humiliter petiit celsitudinem nostram, ut pro rei firmitate super constitutione sua auctoritatis nostræ præceptum pro divino intuitu & ipsorum sanctorum reverentia fieri juberemus, per quod inantea stabilita & inviolata permaneret. Nos vero petitioni illius, quia necessaria erat & rationabilis, aurem accomodantes, veluti postulaverat fieri adjudicavimus. Quapropter statuimus atque jubemus secundum quod in illius ordinatione continetur, ut ad ecclesiæ luminaria concinnanda & vinaticum ac oblationes, istas res habeant concessas atque indultas, id est Calidum-beccum * cum integritate ac omnibus appendiciis ad eam pertinentibus, cum aquis & porto, pilagiis, consuetudinibus ac transverso: Auberti-silvam, Calciacum * cum integritate ecclesiæ & dominatus sancti Ansberti, ac mansellos, in Ratumago aream unam, in rippa ejusque appendiciis, cortillos VI. cum mediano molendino & mansellis Deodati clerici, necnon paraveredis VIIII. Ad vestimenta etiam in victum & potum vel omnes fratrum necessitates secundum regularem institutionem procurandas, & hospitum ac peregrinorum susceptiones exhibendas concedimus & confirmamus illis easdem villas, quas ipse per suam concessionem eis visus est condonasse, id est in Apuliaco mansos XXIIII. mansionile Leuthogegias cum quatuor majoribus campis, & de silva quidquid a parte meridiana cis Sequanam juris est ejusdem monasterii. Item mansionile Bothmegegias cum silva sus Gensiniacas, Truncidum-maris, vallem sancti Amantii cum vinea sua, Strutellum sancti Stephani, Jomtinos, Hamelionem, Bancane, Cisternam-leoticulosam, item Truncidum-macerias, Exmolgegias, Ghisonis-montem. In porto ejusdem monasterii, & ejusdem appendiciis cortiles XXIII. Wlatinone cum mansis VIIII. Bubalicaptivam, Sedannam, Runquarias, Madriniacum, Gerisiagas cum integritate & omnibus appendiciis suis, Dimum, Geram cum appendiciis earum, Gressus-maris, Ircium cum omnibus appendiciis suis, Perreum-pontem cum suis omnibus appendiciis, Hordigum cum appendiciola sua, Cummolo, Merumcianas cum omnibus appendiciis suis; Gotleuncurtem & Viminam, Waldonis-vallem, Sedillam, Ponticulos cum areis; in Ratumago Cimunevillam, Villam-novam, Rosbacium, Fontanidum cum Calcido, Alpicum * cum omni integritate & appendiciis suis, id est Visiniolo, Vilcedono, Curva-via & area; in Parisio Bucionam cum vineola in Marconcincto *, Wallodingam & Tuohilugam villas cum appendiciola earum Laom.... Has ergo villas cum appendiciis, redditibus vel mancipiis, sive cum omnibus quæ per precarias aut per beneficia exinde homines retinent, ut post eorum discessum ad usus fratrum & stipendia memorata revertantur, fratribus ipsius congregationis ad generales eorum necessitates regali auctoritate & indulgentia per hoc

* *Caudebec.*
* *Chaussi.*
* *Aupec.*
* *Martoncy.*

præceptum confirmationis nostræ, sicut prædictus venerabilis abba in sua constitutione statuit, stabili jure eis concedimus ac confirmamus. Præcipientes ut nullus abbatum per successiones, quod salubri egit consilio & nostro est roboratum edicto, subtrahere vel minuere audeat, aut ad usus suos ea retorqueat, vel alicui quiddam inde in beneficium tribuat, sed neque servitia ex his exactet, neque in messibus aut pratis conligendis, neque in paraveredos, aut ullas in aliqua re exactiones aut mansionaticos inde exigat absque inevitabili necessitate. Volatilia autem inter Pascha & natale Domini de villis dominicatis ipsius abbatis, sicut a longo tempore mos fuit, sive indominicatæ, sive in beneficium donatæ fuerint, cum integritate dari constituimus ac confirmamus. Suprascripta autem ad septuaginta monachorum numerum sunt ordinata, ex quo nil cuiquam abbatum licebit umquam subtrahere: augere vero qui forte voluerit, multiplicatis ad usum eorum opibus accumulet & servitii divini cultores. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem & animæ meæ remedium statuimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa valeat perdurare, manus nostræ subscriptione eam subter firmavimus, & de anuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Gislebertus notarius ad vicem Ludovici recognovit. Data XII. Kal. Aprilis anno XIV. indictione I. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in Carisiaco palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

II.

Pauli diaconi ecclesiæ Neapolitanæ epistola ad Carolum regem, in versionem a se factam vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ.*

* al. Johannis.

Ad lib. 34. n. 71.
Ex cod. ms. S. Remigii.

DOmino gloriosissimo ac præstantissimo Regi Karolo. Sciens gloriosissimam majestatem vestram tam divinis eloquiis quamque sanctorum præcedentium exemplis valde delectari, cum jamdudum libellum conversionis Mariæ Ægyptiacæ cum tomulo de cujusdam vicedomini pænitentia domino meo obtulerim, & quia ille ipse casu quodam deperiit, nunc interim jussui vestro in eodem restaurando devotus obedivi. Obsequii quoque & devotionis meæ fuit, ut non simplicem tantum memoratæ rei textum exhiberem, sed & alia quoque scitu digna superadicerem, de venerandis scilicet constitutis & gestis præsulum Romanæ ecclesiæ, quorum sanctionibus quam reverenter ecclesia utatur, majestas vestra optime novit. Hoc autem brevitatis compendium servus vester ideo sumsit, ut serenitas vestra quam reipublicæ fascibus valde oneratam attendo, cui sparsim diversa non vacat percurrere scriptorum volumina; quasdam consuetudines ecclesiasticas in brevi quasi in quodam enchiridion inclausas tenere possit. Et quia secundum regalem industriam, secundum studium domini mei in hoc fervere didici, ut facta dictave vestra juxta auctoritatem inrefragabilem diligere, & quid erga cultum divinum tenendum, quidve rejiciendum sit sollicite disquirere & perscrutari elucubrationis sit assidue, qualiter ejus divinitatis ope muniti prosperis successibus ad omnia currere mereamini.

Incipit mirabilis conversionis actuumque & morum vita & pænitentia magnum vir.leque certamen venerabilis Mariæ Ægyptiacæ, qualiter in eremo expleverit tempora vitæ, quam de græco transtulit in latinum Paulus venerabilis diaconus sanctæ Neapolis ecclesiæ.*

* al. Johannes.

Secreta regis celare bonum est &c.

III.

Caroli Calvi præceptum pro monasterio Dervensi.

Ad lib. 34. n. 78.
Ex chartario Dervensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Si reverendorum servorum Dei justis & rationabilibus petitionibus altitudinis nostræ aurem accommodamus, regiæ celsitudinis operibus exsequimur, & ob id facilius nos divinam propitiationem adepturos omnino confidimus. Quapropter omnium sanctæ Dei ecclesiæ, tam nostrorum præsentium quam & futurorum comperiat sollertia, qualiter carissimus & veneranter recolendus nobis Pardulus Lugdunensis episcopus atque memorabilis rector monasterii Dervensis, quod est fundatum in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli, ubi etiam beatus Bercharius & venerabilis Christi martyr Theodosia virgo Christi veneranter habentur humata, ad nostram se colligens majestatem obtulit obtutibus nostris præceptum, jamdudum nostra auctoritate firmatum, suggerente celsitudini nostræ Altmaro, illustri viro & memorati monasterii quondam rectore; in qua adnotatæ videbantur res & villæ, unde præfati monasterii monachi necessarios usus percipere debebant: sed non hoc ad eorum supplendam necessitatem superius memorato dilecto nobis venerabili episcopo Pardulo sufficienter visum fuit. Ideoque & quasdam villas ipsis aliis rebus sua benivolentia addere voluit, & nostra quoque munificentia per adnotationem præcepti roborari postulavit. Quarum utrarumque rerum integritas hic habetur inserta, id est villa Summa-Vera, quæ habet quatuordecim mansa, cum basilica ejusdem villæ, cum suis appendiciis; villa Mortriu, quæ habet mansa viginti, cum sua basilica; villa Tilius quæ habet mansa quinque cum basilica; villa Sauraterra cum mansis viginti-duobus, & propria basilica; Dudiniaci-cortis cum mansis decem & septem cum propriis basilicis; Villa Prisciacus cum mansis duodecim & propriis basilicis; Villa *Brab* cum mansis viginti-octo & propria basilica; in villa Cappas mansum unum. Et hæc sunt res quæ superadjecit memoratus Pardulus episcopus, id est villam, quæ nuncupatur Villa, cum mansis viginti & eorum appendiciis & ecclesiis; & in villa Brais

manſa ſeptem cum eccleſia & peditura de pratis, quas homines monachorum faciunt. qui de eorum villis ad hoc idem agendum more ſolito conveniunt; necnon & mancipia de Corniaco, quorum hæc ſunt vocabula, Gidiliana, cum infantibus ſuis, Huneriana cum infantibus ſuis, ſimul etiam quidquid memorati fratrum famuli de jamdictis ſilvarum conciſis exſtirpare poterint, totum in uſus fratrum abſque ſubtractione alicujus permaneat. Has denique villas & baſilicas cum omni plenitudine, id eſt cum mancipiis & terris cultis & incultis, vineis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis, molendinis, aquarumve decurſibus, exitibus & regreſſibus, & quicquid iidem monachi in jam dicto monaſterio, ſeu in his locis vel villis nutriminis ad eorum ſublevandam neceſſitatem facere poſſunt; ſimul etiam & omnem eleemoſynam, quam fideles Dei pro abſolutione peccatorum ſuorum illis contulerint, veluti a ſupradicto venerabili epiſcopo Pardulo inſtitutum & deputatum eſſe cognoſcitur, per hanc præcellentiæ noſtræ auctoritatem plenius confirmamus. Videlicet ut nullus hominum qualibet iniqua cupiditate aut neceſſitatis adhibita occaſione, aut certe temeraria præſumptione a poteſtate & dominatione ejuſdem loci monachorum de eiſdem villis ſive rebus, aliquando aliquid ſubtrahere, aut minuere, & in ſuos uſus retorquere conetur; ſed ſicuti a nobis regali intuitione decretum eſt, liceat ipſis eorumque ſucceſſoribus noſtris & fututis temporibus, eaſdem villas eaſdemque res tenere & cum omni pace ad honorem ejuſdem monaſterii, atque ad eorum ſubvehendam neceſſitatem diſponere & ordinare, & pro ſalute animæ noſtræ ac totius populi Chriſtiani perpetua felicitate piiſſimi Judicis Domini noſtri Jeſu-Chriſti miſericordiam aſſiduis precibus implorare. Simul etiam addidit capellam ſancti Martini, quæ eſt ex villa Givoldicurte. Quidquid a Deum timentibus perſonis tam viris converſis ibidem ad monaſticum ordinem eidem loco divina pietas voluerit conferre, ſolummodo in ibidem Deo militantium monachorum uſus & neceſſitates redigatur, abſque cujuſlibet rectoris inſultatione ſeu refragatione. Ut autem hæc celſitudinis noſtræ auctoritas pleniorem ſemper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu noſtra ſubter eam firmavimus, & de anulo noſtro ſigillari juſſimus. S. Karoli glorioſiſſimi regis. Giſlebertus notarius ad vicem Lucdowici recognovit. Data VIII. (*idus*) Febr. Indictione IV. in anno XVII. regnante Karolo glorioſiſſimo rege. Actum Cariſiaco palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

IV.

Aliud ejuſdem preceptum de theſauro eccleſiæ Dervenſis.

Ad lib. 34. n. 78. *Ex eodem chartario.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. In hoc enim omnipotentis Dei approbamur veram habere dilectionem, ſi venerabilium ſervorum Dei juſtis & rationabilibus petitionibus aſſenſum præbemus. Quapropter notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus noſtriſque, tam præſentibus quam futuris, quia merito amabilis & cariſſimus nobis Pardulus Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopus, necnon & rector monaſterii Dervenſis, quod eſt conſtructum in honore beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ubi veneranter beatus Bercharius martyr Chriſti, & Theodoſia virgo habentur ſepulti, ad noſtram accedens majeſtatem innotuit, qualiter memorati monaſterii eccleſiæ ad concinnanda luminaria, vel ad ceteras fabricas ejuſdem ſacræ domus reficiendas, ſua benivolentia, ob Dei amorem, ſanctorumque ſuorum reverentiam, & noſtram dilectionem deputatas haberet. quarum rerum ſeu villarum vocabula hæc ſunt: hoc eſt in Lutoſa eccleſiam unam cum terris, ſilvis & pratis circumquaque ex omni parte miliarium unum & medium; inter Gihinicortem & Gundricicortem manſa quindecim, quæ in precaria viſus fuit quondam accipere Bernefridus; necnon & in villa Carma manſa duo, quæ Agilus & Merulfus in precaria habere viſi fuerunt; necnon & in Carma & in Baldulfi corte manſa quatuor, quæ Gerherus in ſua precaria viſus fuit habere; necnon & de precaria Artmanni in Carma manſum unum veſtitum; & de Ragenarii precaria in Maliniacicortem manſa quinque; & de Riſi precaria in Tauro manſum unum, & de Hoſtoldi precaria in Olumna manſa octo cum eccleſia, & manſum unum; & de precaria Avæ in Ledriacicurte manſa duo; & in alio loco in villa Taria manſa tria; & de Madiani precaria in villa Pali, & in Abſono manſa quinque; & de precaria Genulfi in Axinvilla manſa duo; & de Harduini precaria in Maurini-monte manſa duo; & de Agifredi precaria in Brachonicorte manſa duo, & farinarium unum; & de Wilerici precaria in Cenciono-villa eccleſia una cum manſo; & de Hugonis precaria manſum unum, & de Fulculfi precaria in Boſoniſcorte de terra arabili jornales viginti, & de Aremberti precaria in Gondelini-fine de terra arabili jornales viginti; & de prato ad carra triginta, & de precaria Artiuſi in villa Rentia de terra arabili jornales triginta, de prato ad carra octo; & item de Wilerici precaria in villa Rivi manſum unum, & de precaria Giſlæ in villa Braus de terra arabili jornales duodecim, & de precaria Blitharii in villa Carma jornales viginti unum; & de Lantboldi precaria in Ratgiſicorte jornales decem, & de prato ad carra quatuor; & de precaria Tetcæ in ipſa villa jornales triginta, & de prato ad carra duodecim, & de Hunrogi precaria in Baldulficorte jornales viginti; & de precaria Auregiæ in villa Corticella manſum unum veſtitum, & de terra arabili jornales viginti, de prato ad carra duo. Unde altitudinis noſtræ præceptum hoc fieri juſſimus, per quod memoratas res cum omnium rerum ſumma integritate, cum vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, eccleſiis, molendinis, aquis, aquarumve decurſibus, exitibus & regreſſibus, & mancipiis utriuſque ſexus de-

ſuper commanentibus, vel ibidem aſpicientibus ſecundum præfati venerabilis epiſcopi ad nos humilem petitionem jam ſatæ eccleſiæ luminaribus atque fabricis, ſeu aliarum neceſſitatum utilitatibus ſupplendis, jure perpetuo habendas confirmamus atque delegamus, abſque per futura tempora alicujus jamſati monaſterii rectoris minoratione ſeu ſubtractione. Ut autem hæc noſtræ auctoritatis præceptio firma & imprævaricabilis omni tempore valeat perdurare, manu propria ſubter eam firmavimus, & de anulo noſtro ſigillari juſſimus. S. Karoli glorioſiſſimi regis. Giſlebertus notarius ad vicem Ludowici recognovit. Data VIII. idus Febr. indictione II. in anno XVII. regnante Karolo glorioſiſſimo rege. Actum Cariſiaco palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

V.

Ejuſdem diploma pro monaſterio Caziacenſi.

Ad lib. 34. n. 80. Ex authentico.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Kalus gratia Dei Rex. Si utilitatibus & neceſſitatibus ſervorum Dei ſagaciter providemus, regiæ celſitudinis opera frequentamus, ac per hoc æternam beatitudinem facilius nos adepturos omnino confidimus. Itaque notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus & noſtris preſentibus atque futuris, quia complacuit præcellentiæ noſtræ deputare quaſdem res ex abbatia cellæ Caſiaci, quæ vocatur Brogilo, in honore ſancti Petri apoſtolorum principis fundatæ, uſibus ac ſtipendiis perpetuo habendas clericorum inibi Deo ſervientium; hoc eſt in Blaiodro manſum dominicatum cum terris & pratis ac vineis ad ſe pertinentibus, & cum aliis manſis eidem appendentibus ſedecim, ex quibus unum eſt in Penvenno, & in Caſiaco manſa ſeptem ac medium cum peditura vineæ, quæ ſunt ſimul manſa viginti-quatuor & medium; & preterea hoſpitia tria. Unde etiam altitudinis noſtræ preceptum hoc fieri juſſimus, per quod eaſdem res cum earum integritate, ſicut ſupra ſignatum eſt, uſibus ac ſtipendiis clericorum in jam dicto loco Deo famulantium ſine aliqua ſubtractione, aut ejuſdem loci rectorum minoratione perpetuo ſub integritate habendas conſtituimus atque firmamus: videlicet ut quicquid exinde juſtè ac rationabiliter fieri poteſt utilitatibus & neceſſitatibus ſæpe dictorum ſupra fati monaſterii clericorum per omnia tempora proficiat in augmentum, & anime noſtre proſit in adjutorium. Nec aliquod ab eis proinde a propriis abbatibus requiratur aut exigatur ſervitium. Ut autem hæc ſublimitatis noſtræ confirmatio meliorem ſemper in Dei nomine obtineat vigorem, de annulo noſtro ſubter eam juſſimus ſigillari. Æneas notarius ad vicem HLudowici recognovit. Datum III. Idus Auguſti indictione III. in anno XV. regni Karoli glorioſiſſimi regis. Actum in villa Bonogili in Dei nomine feliciter, amen.

VI.

Privilegium epiſcoporum apud Bonoilum villam concilium celebrantium, pro Aninſulenſi monaſterio.

Ad lib. 34. n. 96. Ex chartario Aninſulenſi.

IN nomine ſummæ & incomparabilis clementiæ adorandæ ſcilicet & incomparabilis Trinitatis. Cum ſacroſancti conventus fraterna ſocietas venerabilium præſulum Bonoilum unanimem ſui exhiberet præſentiam, vocatione magni atque orthodoxi regis ſereniſſimi Karoli, anno incarnationis Dominicæ DCCCLV. indictione prima, regni etiam memorati Auguſti XVS. inter cetera variarum rerum ſanctæ matris Eccleſiæ ſinu erumpentia, diſcrimina ſacrorum præſentium antiſtitum ibidem ſanxerat dignatio conferenda & auctoritate ſibi conlata in priſtinum & neceſſarium ordinem relevanda, obtulit ſeſe eorum paternæ & piiſſimæ conlationi ordinis monaſtici cultus ac ſtatus ejuſdem profeſſionis, ipſorum quidem regimini paſtorali ſolatio ſubvehenda ac conſovenda religio, quæ quondam in patribus virtute divina promulgata refloruit, ſed jam nunc emergentium tempeſtatum procellis attrita, vada ſui portus inexplebili naufragio ſubigens optati litoris quietem adire non patitur. Hujus igitur inſtitutionis utilitates & convenientes pro tempore neceſſitudines, cum efficacius pertractare, & eas ſollerti cura, Chriſti freti juvamine, ad effectum uſque idem ſacer conventus optaret efferre; Rainaldum religionis cultu & vitæ merito venerabilem, eidem ſacro Concilio cum quibuſdam aliis ſanctitatis forma reverendis abbatibus reſidentem, accidit commiſſi ſibi cœnobii pii patris & precioſi confeſſoris Carileſi inconvenientias & fratrum in ea conſiſtentium oppreſſiones & calamitatum anxietudines ſtudio gregis contraditi lacrymabili ſermone proſequi; atque ſuæ ſermocinationis alloquia protulit, præceptiones regum catholicorum orthodoxorum ſupra fato monaſterio conlatas pro Dei omnipotentis amore & ſanctorum veneratione, ibique conſiſtentium monachorum remota & inconcuſſa quiete, qualiter identidem monaſterium per ſucceſſiones temporum illuſtrium regum immunitatum titulos & ſecuritates perceperit, quibus felici ſucceſſu divina id providente clementia, ſalubri & efficaci tramite hactenus deguerit. Ipſis etiam eiſdemque præceptionibus adnexum juſte & rationabiliter inerat, ut monachi jam dictæ congregationis regularis propoſiti ſtudio contenti, ſub norma beati Benedicti patris cœnobitice viventes, ex propria congregatione ſibi eligendi abbatem jus habeant licentiam & facultatem: nempe ut quibus cor unum & anima una neceſſario eſt habenda, Patri ſpiritali tam corpora quam corda ſubdentes, jugo etiam Chriſti ſuavi & oneri leviſſimo colla ſummittentes, obedientiæ freno devincti, diſcant patri ſpiritali ſe ſuaque committere. Præterea harum præceptionum irruptiones & violentiſſimas quorumdam inſtinctu ipſius loci infeſtationes aſſerentium ſubdole jure poſ-

fessionis propriæ idem monasterium debete subjici urbi Cinomanninæ, prænominatus vir venerabilis Rainaldus abba evidentissimis intimavit, cum nihil horum acta & præceptorum confirmationes præscriptæ contineant, sed potius hæc interdicant, amputent & inhibeant. Quapmpter prædictorum beatorum antistitum uuanimitas pari assensu, communi quoque voto retractans, & regularis auctoritatis, & regiæ collationis ac corroborationis gesta coucordi æquitatis vigere libramine, acta prædicta pissimorum regum sanctæ religionis patrata intuitu de reliquo intemerata manere percensuit. Ne vero ab aliquo eorumdem patrum sacmsancta institutio ausu temerario aggredi præsumatur, neque qnis id nefario conamine pertentet irrumpere quod propriæ auctoritatis tenore, cuique ipsorum libuerit confirmare, necessario placuit adnotare. Statuimus ergo, optamus & communi æquitatis auctoritate determinamus, ut sæpe dictum monasterium beatissimi Carlesi confessoris, omni libertate monasticæ religionis adepta, pace & quiete, per Christi gratiam potita, ordine libero & inconcusso per succedentia quietum valeat degere tempora, ita ut non Episcopus, nulla extera persona, laicalis seu clericalis, ad hoc inquietandum, perturbandum ac sollicitandum, aut invadendum vel possidendum monastetium aspiret, nec etiam præmemoratæ urbi Cinomannicæ proprietate rerum suarum subjaceat: cum liberum sit dono antiquorum tegum, præter communem canonum auctoritatem, a propriis pontificibus ipsi & universis monasteriis conservandam, sed liceat eidem loco de pmprio grege juxta regularis vitæ auctoritatem proprium babere pastorem. Si quis autem his nostris constitutionibus refragari nisus fuerit, & multipliciter præscriptam Principum bonitatem & indulgentiam, simul etiam nostræ auctoritatis instituta, per quamcumque calliditatem seu cupiditatem infringere, & aliquo modo pervertere præsumserit, anathematis ultione se plectendum noverit, justo Dei omnipotentis quem sacrilege irritavit una cum nostræ auctoritatis judicio. Postremo tenorem bujusce firmitatis, potestate nobis a Domino cælitus contributa dicente; Quæcumque ligaveris super terram erunt ligata & in cælo, eo sermone ligamus, ut quicumque hæc inrumpere, vel alitet quam a nobis sunt statuta, ligata solvere, aut solvenda ligare percensuerit, nequaquam se in cælesti regione solvendum, sed clauso æterni regni aditu in tenebras exteriores ligandum esse cognoscat, nisi digna satisfactione correxerit, qund arroganti impietate præsumsit. Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem manibus sacrorum præscotium Pontificum subter notatam, absentium quoque consacerdotum nec minus idoneis adstipulationibus per Christum & in Christo fulciri postulamus.

Amalricus gratia Dei Turonicæ metropolis ecclesiæ humilis episcopus sub signo sanctæ crucis volui, consensi & subscripsi. Uvenilo munere divino Senonensis ecclesiæ episcopus huic privilegio assensum præbui & subs. Incmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Remorum episcopus subs. Paulus sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopus subs. Heribaldus Autissiodorensis ecclesiæ episcopus subs. Ercanradus Parisiacensis ecclesiæ episcopus subs. Rothadus Suessionensis ecclesiæ episcopus subs. Teutboldus Lingonicæ ecclesiæ episcopus subs. Hirmenfridus gratia Dei Belloacensis ecclesiæ episcopus subs. Balfridus Bajocensis ecclesiæ episcopus subs. Herluinus Constantinensis ecclesiæ episcopus subs. Herpuinus Silvanectensis ecclesiæ episcopus subs. Guntbertus Ebrocensis ecclesiæ episcopus subs. Jonas Eduorum bumilis episcopus subs. Hariardus Lixoviensis ecclesiæ episcopus subs. Hildebrannus Sagensis ecclesiæ episcopus subs. Hildegarius Meldensis ecclesiæ episcopus subs. Imo episcopus Noviomensis hoc privilegium subs. Agius episcopus bumilis Aurelianensis ecclesiæ subs. Frotboldus Carnotensis ecclesiæ episcopus subs. Pardulus Laudunensium ecclesiæ episcopus subs. Elmeradus Ambianensium ecclesiæ episcopus subs. Remedius Abrincatensis ecclesiæ episcopus subs. Godelsadus episcopus subs. Braidingus Matiscensium sedis episcopus subs. Prudentius sanctæ Trecasinæ ecclesiæ episcopus subs. Dodo Andecavensis ecclesiæ indignus episcopus subs. Actardus Namnetensis indignus episcopus huic pr. subs. Ludowicus abba in Dei nomine subs. Adalardus abba in Dei nomine subs. Ego Lupus abba in Dei nomine subs. Heinhardus abba subs. Frodinus abba indignus subs. Odo abba monasterii Corbeiensis subs. Hunfredus abba monasterii Dervensis subs. Bernardus abba huic privilegio subs. Gauslenus abba subs. Abbo abba subs. Arcamboldus abba subs. Georgius abba subs. Item Abbo abba subs Data VIII. Kal. Septembris anno XVI. regnante Karolo glorioso rege, indictione I. Actum Bonoilo villa in Dei nomine feliciter. Amen.

VII.

Præceptum Caroli de eodem privilegio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Si sacra venerabilium Patrum instituta sacerdotum Christi regiis præcellentiæ nostræ edictis confirmamus, profuturum nobis id ipsum, & ad præsentem vitam cum felicitate transigendam, & ad æternam beatitudinem facilius obtinendam procul dubio confidimus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris præsentibus atque futuris, quia venerabilis vir Rainaldus monasterii sancti Karilesi abbas ad nostræ reverentiæ accedens sublimitatem, obtulit mansuetudinis nostræ obtutibus relegendum Privilegium a sanctis patribus regni nostri coepiscopis, una cum nostro assensu, canonica auctoritate factum, eorumdemque conservanda subscriptione roboratum de præfato sibi commisso juxta beati Benedicti traditionem gubernando monasterio, quo si quidem evidenti significatione manifestatur atque confirmatur, res eidem monasterio pertinentes, ubi memoratus sanctus

Carilesia honotabiliter sepultus in nomine Domini veneratur, per præceptiones regum perque instrumenta ac testamenta cartarum delegatas, honestatibus & cultibus ejusdem sacri loci perpetuo sine cujuspiam subtractione aut diminutione pleniter debere baberi, & in usibus atque stipendiis monachorum inibi Deo servientium sub administratione regularis abbatis æterna lege debere quoque teneri; ita ut ejusdem loci antefatus abba & successores ejua pontifici propriæ civitatis aliquando dominio aut potestati non subjaceant, nisi sicut alia omnibua propriis civitatibus, propriisque pontificibus secundum canonicam aoctoritatem ad providendum pastorali cura commissa subjecta monasteria, absoluta scilicet dominationis eorum omni servitio, propter quod exhibendum illis est non fictæ caritatis obsequia. Igitur interveniente supra signati privilegii auctorum audienda intercessione memoratus abba Rainaldus memoratum sæpe privilegium altitudinis nostræ scripto suppliciter petur confirmari. Nos autem pro Dei amore summissam ejus efflagitationem clementer audientes serenitatia nostræ præceptum hoc fieri jussimus, per quod conservandum plerumque dictum Privilegium confirmantes, statuimus monasticæ religioois prædictum monasterium sine aliqua imminutione familiæ rerumque aliarum sibi pertinentium cultui secundum sancti Benedicti documentum æternaliter haberi, ita ut, præter quod supra signatum est, nunquam dominio civitatis Cinomannicæ Præsulum subjaceat, neque laïcalis potestatis usurpationi aliquando subdatur; sed semper, Domino adminiculante, regularis abbatis administratione agatur ac disponatur. Decedente vero præscripto Rainaldo reverendo abbate, licentiam habeant ejusdem loci religiosi monachi secundum regularem institutionem ex sese eligendi abbatem, conservata in omnibus & ab omnibus frequenter dicti a sanctia Patribus regni nostri Pontificibus edicti Privilegii inprævaricanda decreti sanctione, videlicet, ut præsentibus & futuria temporibus in eodem venerando loco consistentibus monachis liberius pro oostra genitorisque nostri HLudowici augusti salute, ac regni a Deo nobis commissi stabilitate divinam misericordiam assiduis precibus implorare delectet. Ut autem hoc benignitaris nostræ confirmationis præceptum meliorem semper obtineat vigorem, manu nostra eam subter firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus. Data VIII. Kal. Septembris anno XVI. regnante Karolo glorioso rege, indi-
* l. IV. ctione I. * Actum Bonoilo villa in Dei nomine feliciter, amen.

VIII.

Ejusdem Caroli diploma pro monasterio Crassensi.

Ad lib. 34. n. 92. *Ex authentico.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Si necessitatibus servorum Dei opem ferendo libenter consulimus, regiæ dignitatis morem imitamur, & ob id nobis Deum fore propitium non dubitamus. Quam ob rem notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quia Suniarius venerabilis abba S. Mariæ ad nostram accedens clementiam res quasdam datas S. Mariæ, ot illi eas præcepto nostræ auctoritatis confirmaremus deprecatus est, quas etiam avus & genitor noster, & nos aliquantas confirmavimus: sed quia postea, Domino annuente, auctæ sunt, alio eguerunt præcepto; nec non etiam ut sub nostræ tuitionis mundeburdo, tam se, quamque præscriptam abbatiam accipi postulavit. cujus petitionibus aurem clementiæ nostæ ob Dei amorem & sanctæ Mariæ Virginis intemeratæ genitricis Dei dilectionem placide præbentes, hoc imprævaricabile præceptum fieri, illiqoe dari jussimus; per quod præcipimus atque decernentes jobemus, ut cellæ, sive aliæ res, quæ etiam præfato monasterio a Dominum timentibus collatæ sunt, id est in pago Carcasensi Flexus cum ecclesia S. Cucufati, cum decimis & termiois suis & ajacenciia, & cellam S. Genesii cum terminia & ajacentiia & decimia suis, Bolniaco cum ecclesia S. Pauli & S. Ananiæ cum decimia & ajacenciis suis: & in pago Narbonensi Caput-spina cum ecclesia S. Petri cum decimis & ajacenciis sois & terminis, quos Agila abbas apprendit ante Fulconem missum nostrum; & in Licito S. Petri cum decimis & terminis & ajacenciis suis, & Palma super litus maris cum ecclesia S. Johannis cum decimis & terminia & ajacenciis suia, & cellam qoæ dicitur Prata, cum ecclesiis videlicet S. Petri & S. Salvatoria & S. Johannis & Gervasi & Celsi, & S. Martini in villa Cannoüas cum decimis & terminis & ajacenciis suis: in pago Confluente, in suburbio Elenense, necnon villari Balta, quam idem abba cum Isimberto concambiavit: & in pago Minarbensi in villa Anforarias domos & terras, quoa Agila & Elias tenuerunt, & salinæ quæ sunt in subteriori loco: & in Bisuldunense ecclesiam S. Stephani juxta Alveo fluviano cum decimis & terria & vineis & molendinis cum caput-aquis & ajacenciis suis, & in ipso comitatu ipsum alaudem de Enox & Micliano cum ecclesiia & terminis & ajacenciia suis, quæ Suniarius comes dedit S. Mariæ: Riodazari cum ecclesiia S. Mariæ S. Johannis & S. Petri & S. Margaritæ cum villulis & vilaribus, quæ in circuitu earum sunt, cum decimis & termiois & ajacenciis suis, & ipsos mansos de vilare Aliario cum condamioas & ipsas decimas, quem Richildis comitissa dedit S. Mariæ per cartam donacionis: & in pago Gerundense villam quæ ouncupant Locustaria, cum ecclesia S. Felicia cum decimia & terminis & ajacenciis suis; in comitatu Ausonense vilare Asenario & Spelucas cum terminis & ajacenciis suis, & alium alaudem, quæ dicunt Cirviano & Felgeirolas, & ipsa Serra; & ipsum alium quæ dicunt Elota, & ipsa Anglata, quantum ibi abuit Suniarius comes, & ecclesiam S. Martini cum decimis de villulis & vilaribus cum terminis & ajacenciis suis, & terris qoæ io

circuitu ejus sunt; necnon etiam & reliqua quæ ibi collata fuerunt, tum terræ & vineæ, prata & domos ad jam dictas pertinentes seu segregatim datæ, prædicto abbate & suis monachis ibidem Domino famulantibus ad suarum necessitatum emendacionem fiot, & neque auferendi ex eis habeat potestatem, & sub nostræ quoque mundeburde & prætextu nostræ dominationis esse jubemus prædictos monachos & suorum res; & excussa omni potestate judiciaria volumus, ut nullus in rebus earum potestatem abeat fidejussorem tollere, aut aliquem distringere, neque paratam aud mansionaticum accipere. Nolumus ut ab istis vel ab eorum hominibus aliquid telonei, id est ponta, pontaticus, pascuaticus, salaricus, aud aliquid redibicionis exigatur, secundum quod in præcepto nostro & genitoris nostri continetur insertum: quatinus hac adjuti concessione pro nobis & regno nostro Dominum implorare condelectet. Et ut hæc nostræ largicionis auctoritas a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris firmius credatur, diligentiusque conservetur, manu nostra subter firmamus, & anuli nostri impressione jussimus sigillari. Signum Karoli gloriosissimi regis. Jonas notarius ad vicem Goslini recognovit. Data IIII. kalendas Julii indicione III. anno XVI. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Atiniaco in Dei nomine feliciter. Amen. *cum sigillo cereo charta affixo.*

IX.

Charta Helingandi comitis pro ecclesia sancti Martini Turonensis.

Ad lib. 35. n. 6.
Ex authentico Martiniano.

Dominus noster JESUS-CHRISTUS ac redemptor omnium in sancto evangelio clara voce intonuit, dicens: *Vende omnia quæ habes, da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* & alibi: *Absconde eleemosynam in sinu pauperis: quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Igitur ego in Dei nomine Helingandus, vir illuster, comis, donator. Admonet me divina misericordia & compunctio cordis, ut aliquid de res meas proprias, quas mihi pius remunerator in huoc sæculum habere permisit, ut exinde ipsius Domini munus offerre debeam. Et ideo per hanc paginam donationis dono in præfato monasterio sancti Martini, qui est constructus io oppidum Turonis civitate, ubi pretiosus in corpore requiescit, & obi Fredegisus abba esse videtur, vel cuncta congregatio ibidem consistens esse videtur, ut die noctuque ad ipsum corpus beati Martini Dei misericordia deprecantes atque conlaudantes, dono, trado in ipsorum clericorum stipendia, qui secundum canooicam institutionem in sancto ordine sunt constituti, tam pro animabus avio meo Helingando, & avia mea Detlane, & genitore meo Gauzelmo, & genitrice mea Hagresindane, quamque & pro me humili peccatore, ut Deus omnipotens de peccatis nostris indulgentiam dignatus sit nobis concedere: hoc est villas meas, qui vocatur Alamannus, qui est constructa in pago Meldico, in vicaria Copedinse & Brociacense, cum omnibus appendiciis suis, in quacumque pago vel loca, in regno domni nostri Karoli Magni imperatoris esse videtur. In ipsa prædicta villa, quæ inde parte genitore meo Gauzelmo jure hereditario mihi legibus in alode obvenit; & nunc mea videtur esse possessio, id est in ipsa villa, tam ecclesiis, una cum domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, farinariis, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis, omnia & ex omnia, rem inexquisito, totum & ad integrum, quantum ad ipsa villa superius nominata in pago Meldico eo tempore, si qua supra dixi, aspicit, & mea videtur esse possessio, excepto mancipia denominatas per numero CLXXXII. id sunt Moda, Clementus, Haregildis, &c. Similiter & in ipso pago alia villa, quæ vocatur Saldova, cum omnibus appendiciis suis, in quacumque pagus vel loca in regno domni nostri Karoli Magni imperatoris esse videtur in ipsa prædicta villa, quem de parte genitore meo Gauzelmo jure hereditario mihi legibus in alode obvenit, & nunc mea videtur esse possessio; id est in ipsa villa tam ecclesiis, una cum domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, adjacentiis, appenditiis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, omnia & ex omnibus totum & ad integrum rem inexquisito, quantum ad ipsa villa superius nominata in pago Meldico eo tempore, si qua supra dixi, adspicit, & mea videtur esse possessio, excepto mancipia denominatas per numero CXLIIII. id sunt Warberus, Winelindis, &c. Etiam & tertia villa in ipso pago Meldico, qui vocatur Adillo-manso, qui est constructus super fluvium Mogra *, cum omnes appenditiis suis, in quacumque pagus vel loca in regno domni nostri Karoli Magni imperatoris esse videtur in ipsa prædicta villa, quem de parte genitore meo Gauxelmo jure hereditario mihi legibus in alode obvenit, & nunc mea videtur esse possessio, id est in ipsa villa, tam ecclesiis una cum mansis, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, campis, pascuis, farinariis, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis, appenditiis, omnia & ex omnibus rem inexquisitam totum & ad iotegrum, quantum ad ipsa villa superius nominata in ipso pago Meldico eo tempore, sicut supra dixi, aspicit, & mea videtur esse possessio, excepto mancipia denominatas per oumeto XL. id sunt Geroinus, Gertrudis, &c. Et in ipso pago Meldico alia mansa, quos atauximus ad complendum contra Brias super Alemannis, & Saldova, & ad illam manso, qui dicitur ad Ruborum in Novencella manso I. qui fuit Hunetgatio in limitis illo manso, qui fuit Plazidono, quem sui infantes tenent, & alio manso de illo conquisito Agarolso presbytero, & tertio manso, quem Adalgerus habet; & quarto manso, quem Madalveus tenet; & quinto manso, quem Albericus tenet; & sexto manso, quem Bertlenus

* *le Morin.*

tenet, inter limitis & Saufcido, & feptimo & octavo manfos, quem Adanildis & filia fua Agla tenent in limitis, & manfos duos in limitis, & in Alemannis, quem tenent Agnericus & Teudericus de parte eorum mulieres; & dimidio manfo, quem ibi tenet Winechildis, & Adalgundis; & dimidio quem Wanadus ibidem tenet inter Rothardo & Gerrao, & eorum heredes habent in Ruborus manfos duos; habet Adalberga ibidem dimidium manfum & illum manfum de Ranouuhic habet tertia parte in Ruboros, & Salamon tertia parte. Similiter inter Widrado & Hugoboldo in Galinde, Theuthado, Wlfado habent manfum I. in Wafconia, in vicaria Brotiacinfe de parte Nortmando. Habet ibidem de illo conquifito Gotboldo manfa VI. & dimidium, & illo manfo, quem Sigleboldus habet in Brociaco per beneficium; & illo manfo, quem Gerefulcus presbyter & germanus fuus habent in Brociaco, quem genitrix eorum dedit. Et illo manfo, quem alterius habet in Latciono, per beneficium; & illo manfo, quem Teudaldus habet in Latciono dimidium manfum de illas rebus, quas Ifomus dedit in Helingaudo, in Cappiaco manfum I. Et illo manfo, quem Dodo habet in Baniolus per beneficium, & illam filvam quæ eft in Snufceco, & quidquid Gauzelmus de Angefilo ibi comparavit. Sunt in fumma manfi XXXV. integri per diverfa loca. Adauctiva ut CXCV. fierent de donatione Helingaudo inter iftos manfos XXXV. & Saldova cum appenditiis fuis, & Alemannis cum appenditiis fuis, & ad illum manfum, qui dicitur ad illum Ruborum. Ifta omnis fuperius nominata, excepto illa mancipia per numero in totum CCCLXVI. quem pro animabus noftris ingenuos relaxavi, cum omni re inexquifito, ficut fupra eft infertum, ad ipfo præfato monafterio in ftipendia clericorum, qui fecundum canonicam inftitutionem in fancto ordine funt conftituti, per donationis titulum ibidem delegavi, ficut fupra commemoravimus, in eleemofyna, tam pro animabus avio meo Helingaudo & avia mea Betlane, & genitore meo Gauzelmo & genitrice mea Agrefindane, quamque & pro me humili peccatore, feu & pro ufo merito de ratione ipfius monafterii fancti Martini vel veftra, hoc eft villa quæ vocatur Brias in pago Meldico, in vicaria Copedinfe & Brociacinfe, ut ipfa villa cum omni integritate, vel quidquid ad ipfa villa afpicit, & quidquid per traditionis feu donationis in pago Vertudinfe & Cadaloninfe & Arciacenfe & Ariafinenfe, etiam & Moteninfe ante hos dies ad ipfa cafa fancti Martini delegatum fuit, & veftra adhuc eft poffeffio. Ea vero ratione dum ego advivo, tam ipfas villas quod vobis dedi, quam & ipfa villa fuprafcribta vel denominata, quem mihi data habetis, ad ufum beneficii excolendum vel laborandum mihi præftare vel concedere deberitis, dum Deo auxiliante advivo: ita ut ab hac die vos fuccefforesque veftri, pars jam dicti monafterii fancti Martini, ubi ipfe pretiofus domnus corpore requiefcit, ipfas res quod vobis dedi, in ea vero ratione, ficut fupra dixi, habendi, tenendi, & in omnibus jufte regendi in ftipendia clericorum, qui ad ipfum corpus beati Martini die noctuque Dei mifericordiam deprecantes atque conlaudantes non ceffant, in ipforum clericorum ftipendis, qui fecundum canonicam in fancto ordine funt conftituti, ficut fupra dixi, liberam & firmiffimam habeatis poteftatem dominandi Si quis vero, quod futurum effe non credo, fi ego ipfe, aut aliquis de heredibus aut proheredibus meis, vel quiflibet ulla oppofita aut emiffa perfona, qui contra hanc donationem iftam, quem in eleemofyna mea vel parentum meorum fpontanea voluntate in ftipendia clericorum fieri & adfirmari rogavi, venire voluerit, aut eum infringere conaverit, aut de ipfa ftipendia clericorum, vel de ipfas res, quæ in illorum nomen condonavimus, aliquid inde abftrahere, aut minuere voluerit; cum Chrifto Filio Dei, cui omne judicium traditum eft ab omnipotenti Deo Patri, in refurrectione in noviffimo die ab ipfo Filio Dei, qui eft verus & unus Deus, fit adjudicatus & condemnatus in ignem æternum, qui præparatus eft diabolo & angelis fuis, & ad ipfis divina voce feparatus fit ab omni confortio; & infuper inferat una cum diftringente fifco partibus monafterii auru libras c. argento pondera .I. * coactus exfolvat, & quod repetit nullatenus valeat vindicare; fed præfens donatio ifta a me facta in ftipendia clericorum, Deo auxiliante, firma & inviolata valeat perdurare, & in fæculum fæculi inlæfa permanere. Actum fuit in illo manfionile, in anno XIST. imperii domni KAROLI in Romania, & anno XLVI. regni ejus in Francia. Ego enim HELINGAUDUS in Chrifti nomine hanc donationem a me facta fieri & firmare rogavi. Signum Adaleo vicario, S. Suroardo, S. Odilelmo, S. Belegrimo, S. Abbone, S. Winardo, S. Witgeru, S. Hildefrido, S. Wileghifo, S. Erinleno decano, S. Germodo decano, S. Adalgaudo, S. Dadilone, S. Daflone, S. Benedicto, S. Ermenghifo, S. Adafrido, S. Hardoino, S. Hildrico, S. Wsdardo, S. Geltargo, S. Rothgrimo, S. Teutboldo, S. Perpetuo, S. Bertorio, S. Waldulfo, S. Wincberto, S. Drogono, S. Bernoldo, S. Hongrico, S. Aglulfo, S. Odalrico, Sign. Hriguo, S. Benedicto, S. Teoderico, S. Ragambaldo, S. Erghilone, S. Theugrimo, S. Angalado, S. Beringero, S. Ragamberto, S. Agslohe, S. Rothardo, S. Gerfrido, S. Herreboldo, S. Ifmithardo, S. Hsldegaru, Sign. Rothfredo fubdiacono, S. Johel, S. Agrardo, S. Idero, S. Sereno. Ego enim in Deo nomine HAGROARNUS amanoenfis rogante Helingaudo hanc donationem fcripfi & fubfcripfi.

* id eft mille.

X.

Helperici abbatis Arulenfis epiftola ad Carolum-Calvum.

INtimis & attentis auribus, domini ac fereniffimi regis noftri Caroli norefcere cupimus. ego abbas indignus, qui & nomen meum Ad lib. 35. n. 50.

Helpericus

Helpericus unus, pariter cum monachotum mihi sub regulari ordine, & beati Benedicti vita degentibus in monasterio, qui vocatur Arlas, actus nostros possedimus, atque misericordiam Domini & vestram fugerimus. & ut sufficiant pauca de multis, in brevi quam vera explicare oportet. quia veniens vir Dei fidelis, ex partibus Hispaniæ, nomine Castellanus abbas. qui ingressus per angustam semitam, invenit in eremo mirabilia balnea, ubi ædificavit sancta cœnobia, in quo vocavit atque advertit mulrorum monachorum collegia Regi superno famnlantia, qui sub auctoritate avi vestri gloriosi Caroli, ejus præceptum in eodem monasterio concessit. defuncto eo successor ejus adfuit Ressendus abbas, qui & in manibus vestris se glorianter tradidit. migtante illo a sæculo, successit quidam vir venerabilis Recimirus frater ejus abbas, qui & ipse similiter in gloriosis manibus se hactenus commendavit. Illo vivente data est nobis crassante diabolo, multitudo persequentium Normanorum, qui & triduum ibi manentes, & idem cœnobium destruentes, & subito super nos irruentes, nihil nobis pereipientibus occiderunt aliquos de nostris. Hæc nobis considerantibus, eo quod pro supereminenti omni nostro delicto, & abundanti peccato evenissent, collecti in uno concilio, conversi sumus ad Dominum; jejunia nobis celebrantibus, & vigilias facientibus, atque Christo Domino deprecantibus, revelatum est ab eodem Domino, uni de fratribus nostris, eo quod ibi corpora sanctorum requiescerent. qui & vocatur beatus Quintinus martyr, Hilarius episcopus, Tibureius levita. eorum adventum gratulanter expectantibus, subito obiit abbas noster. illo migrante successit is, qui & modo secundum regulam patris nostri Benedicti nos regere videtur, qui & modo consistit. in quo tempore deprecantibus nobis magis ac magis Dominum, inventi sunt sancti, quos fideliter atque ardenti animo jam dudum desiderabamus. illos nobis suscipientibus sepelivimus cum eantieis, & hymnis spiritualibus, in quo loco magna modo mirabilia, & gloria esse ab omnibus cernitur. Ibi dæmones fugantur, confracti & claudi ac cæci ad salutem revertuntur. atque nobis perseverantibus in jejuniis & orationibus, & flexis genibus, & ex toris medullis Christo regi feliciter poscentibus, iterum revelatum est alio de fratribus nostris, eo quod duodecim adhue sancti in eodem loco requiescerent, divino sanctoque Spiritu mediante revelatum est, notum ac patefactum nobis nomen de duobus ex eis, qui & unus vocatur Abundus martyr, & sanctus Grisantus. Nomina aliorum reticescunt, & iocognita manent. sed nos, pissime domine, & magnifice rex, subveniat atque succurrat pietas, & succedat misericordia regia nobis, in quibus & peregrinis sive pauperibus, sive servis, sive fiscalibus, sive omni auxilio nisi Domino, ut quod pagani destruxerunt, & paupertas occupat, pissime reformare studete: ut corona, quæ pro restauratione cœnobii a Christo regi debetur, vobis tribuatur. Amen, amen.

X I.

Herardi archiepiscopi privilegium pro monasterio Villæ - lupæ.

Ad lib. 35. n. 67.

Ex chartario Villæ-lupæ.

IN nomine summæ & inseparabilis Ttinitatis sempiternæ quoque deitatis, Herardus per misericordiam Dei Turonicæ sedis metropolis humilis archiepiscopus, omnibus universalis ecclesiæ fidelibus patribus & fratribus filiisque, necnon in hac sede futuris successoribus nostris. Notum omnibus & percognitum fieri per nostræ humilitatis studium decrevimus, quoniam cum more ecclesiastico, pastorali quoque consuetudine parrochiam nobis a Deo creditam circuire disponeremus, vocatione venerabilis abbatis Audachri consacerdotis nostri devenimus ad quemdam locum, qui communi vocabulo præteritis præsentibusque temporibus Villa-lupæ est nominatus, quem locum cum rebus ad se pertinentibus, ecclesiamque juxta in Colomniaco * villa sitam, in sancti Sulpicii episcopi & confessoris honore dicatam, cum cunctis suis adjacentiis, familiam etiam utriusque sexus quidam vir olim ex illustri prosapia ortus Maynardus, facto legaliter testamento per me jam dictum Herardum archiepiscopum, unice quondam ab eo dilectum, & Adalgaudum & Maynerium suæ germanitatis propinquos; itemque & Dalgaudum suum avunculum, Trugaudum atque Moysen ad honorem omnipotentis Dei & ad normam monasticæ vitæ supra dicto Audachro ad construendum & habendum perpetua quoque religione ordinandum & gubernandum libentissima devotione & promptissima voluntate contradidit. Cujus operis summa per prænominatum abbatem suæque educationis monachos, cum jam per divinam miserationem aliquantulum videretur percepisse consummationem, voto supradictorum constat nostram parvitatem ad eamdem cellulam pontificali ex more accedere studuisse. anno siquidem incarnationis dominicæ DCCCLVIIII. XV. kalend. Junii, cum plurimo confratrum & consacerdotum, tam nostræ diœcesis quam comprovincialis Biturieæ sedis, laïcorum quoque nobilium nobiscum adunato collegio, relegentes atque rememorantes instrumenta a nobis & præfixis viris eidem loco collata, regalis quoque præceptum tuitionis & debitæ defensionis ordinatione perpetua; eumdemque locum in honore & nomine summæ quam præmisimus Ttinitatis & ineffabilis unitatis manifesto nomine totius mundi Salvatoris, pro reverentia quoque Sanctorum sollemni opere constructum dotare & consecrare per manus nostræ tenuitatis certavimus, statuentes quoque pari voto, necnon unanimi assensu eorum quorum infra scripta habentur nomina, ut quia auctore Deo devotio fidelium res suæ proprietatis divinis cultibus aptaverat atque delegaverat supra nominato Andachro, reverendæ vitæ abbati, regularis institutio, & monasticæ vitæ per futura tempora, Christo gubernante, ibidem maneat

** Coulange.*

observatio. Præfatus denique abba maturius considerans concessit eidem loco sancto & in dedicatione & augmento præfatæ basilicæ & honestate ejusdem sanctæ venerationis de rebus sui monasterii, ecclesiam scilicet sancti Aniani de Spaniaco in pago eodem sitam cum omni integritate sua, stant ab illo die sub jure & potestate habitatorum ejusdem basilicæ Cormaricensibus subditorum consistat: cujus & nos imitantes exempla, suggerente fidelium nostrorum clericorum sive laicorum benevolentia, pratas ex prædictis ecclesiis ab hac die illis concessimus: quatinus deinceps ibidem Deo servientes fratres pro salute nostra successorumque nostrorum totiusque christianæ religionis stabilitate rerum largitorem exorantes plenius subsistere possint; synodum tamen proprio attribuant præsuli: reliqua actuum suorum, morum & ordinationum quicumque in ejusdem ecclesiæ loco sub monastico ordine Deo militaverit, ad abbatem præfixum suosque in Cormaricensi loco successores pertineant: de terra vero ad eumdem locum pertinente medietatem decimæ accipiant. Præterea inserere placuit, qualiter sæpe dictus Audacher abbas a nobis expetiit & studio caritatis apud se deliberavit, ut isdem locus, fratres quoque sub ejus regimine degentes, propter unitatem & inviolabilem in utroque loco Cormaricensi & Villalupensi fratrum filiorumque suorum educatione, vitam quoque unanimem & inseparabilem fraternitatem, non aliqua necessitudine temporalis quæstus, vel cujuslibet dominii, sed propter individuam quam præmisimus caritatis copulam, ita ut hæ duæ aliquantulo terrarum spatio divisæ cellulæ, cella velut una sub uno eodemque vinculo veræ & inviolabilis caritatis habeantur unitæ, uno quoque potiantur abbate; ita ut sicut unus pastor & pater unus, fiat grex unum idemque exsistat ovile. Quod si, quod absit, locus quem præmisimus Cormaricus oppressione iniquorum vel quorumcumque præsidentium judicum, ducum vel principum, aliorumque indebitam religiosam * per succedentia tempora passus fuerit molestiam, oppressionem, vel iniquam sui status vexationem, ita ut monachos in ipso loco degentes ab ordine & religione vitæ suæ eadem quam prædiximus commotione & cogitatione deviare conveniat, nec quiete, ut servos decet Christi, sub proposito sancto in eodem valeant subsistere loco, hic locus ab eadem oppressione dominio & illicita quam prædiximus vexatione habeatur immunis, sitque eis fraternæ susceptionis confugium & præbeat unicæ caritatis per omnia supplementum. Post hinc decrevimus nullam hunc locum pro supra memorata Cormarici oppressione pati calumniam, sed liberum & quietum & absque ulla molestia eumdem manere volumus inconcussum.... sic & modo si impia cupiditas Cormaricensis loci monachos perturbare & a statu suo hos formidaverit evertere, iste sub certæ libertatis nobilitate constructus fundatus ac solidatus in ordine quo deget subsistit immotus, habeantque licentiam fratres ejusdem loci sub regula sancti Benedicti & patrem præficere ac defensorem tutoremque loci secundum quod eos oportuerit & eis utile visum fuerit, suis utilitatibus consulentes in omnibus regulariter exposcere. His igitur præmissis statutis atque decretis, æquum nobis visum est, hanc nostræ pontificalis auctoritatis scripturam facere, quo & ipse locus auctoritatem suimet status præsto habeat: & si quid e contrario illicitum contra patrem vel fratres ejusdem loci oriretur, hujus ecclesiasticæ auctoritatis indicium panderetur, quid eis concessum, quid stabilitum, quidve omnibus vel indultum vel prohibitum recto æquitatis tramite foret. Ideoque hujus scripturæ tenorem illis tradidimus manus nostræ subscriptione roboratum, plurimorum quoque sacerdotum, canonicorum, fideliumque laicorum manibus roborandum commisimus propter evellendæ futuræ dissensionis omnimodam calumniam, & conservandam æquitatis & totius sacræ religionis unanimitatem fraternam. Qua propter obsecramus benivolentiam successorum nostrorum, quicumque auctore Deo nobis in hac sede pontificali successerint, ut hanc auctoritatem vel concessionem, quam mente spontanea supradictæ basilicæ tradimus, ob cælestis vitæ amorem & sanctorum omnium reverentiam inviolatam conservare dignentur, ut si quam per hoc mercedem adipisci meruerimus, ipsi quoque nobiscum ejusdem fieri mereantur participes. Data XIIII. kalend. Junii anno XVIIII. regnante Karolo rege serenissimo. In Dei nomine H. rardus Turonicæ sedis metropolis humilis archiepiscopus hanc ecclesiasticæ firmitatis auctoritatem firmavi. Maynerius humillimus omnium abbatum subs. Aubertus presbyter subs. Guichardus presb. subs. Sulmanus subdiaconus subs. Guaribertus diaconus subs. Beraldus presb. subs. Wilardus presb. subs. Guischardus presb. subs. Sigualdus presb. subs. Gerengus subd. sub. Robertus Archiepiscopus subs. Ingenaldus presb. subs. Christinus presb. subs. Ragenbertus diaconus subs. Audradus subd. subs. Leodolus presb. subs. Sicmarus presb. subs. Gislemarus presb. subs. Adalmannus diaconus subs. Rothardus diaconus subs. Heribertus quamvis indignus archiepiscopus subs. Hivo clericus subs. Gauscelinus diaconus subs. Fulcardus diaconus subs. Ongarius presb. subs. Crehanaldus presb. subs. Abraham presb. subs. Sig. Alcharii. Sig. Teogaldi. Sig. Maynardi. Sig. Staderii. Sig. Sigleni vicarii. Sig. Odulgarii, Sig. Rodingi. Sig. Odelonis. Sig. Gumberti. Sig. Berengarii. Sig. Archembaldi. Sig. Ingelardi. Sig. Almafredi. Sig. Frotardi. Sig. Radulphi. Sig. Baraldi. Sig. Herluini. Sig. Frodulphi. Sig. Richelini. Sig. Fulcharii. Sig. Hubaldi. Sig. Madalberti. Sig. Gunberti. Sig. Aydradi. Sig. Ostrevaldi. Sig. Ermemberti. Sig. Adraldi. Sig. Blitgarii. Sig. Sardaydi. Sig. Constantini. Sig. Heraldi. Alaricus, licet indignus diaconus, scripsit.

XII.

Audachri abbatis constitutio de numero monachorum ejusdem loci.

Ad lib. 35. n. 67. Placuit nobis & dignum duximus inserere lectioni, qualiter venerabilis abbas Audacher in die sanctæ Basilicæ hujus loci dedicationis decrevit atque statuit per auctoritatem domini piæ recordationis Karoli serenissimi augusti, necnon domini Herardi archiepiscopi Turonicæ metropolis sedis, necnon per auctoritatem procerum domini scilicet Maynardi & Maynerii, qui locum istum ædificaverunt, seu per complurimos confratrum & consacerdotum atque nobilium virorum collegium tam sedis Turonicæ, quamque comprovincialis sedis Bituricæ, ut numerus fratrum in isto loco degentium vicenus habeatur, & nullus prælator vel rector ab hinc & deinceps de ipsis quem præmisimus xx. fratribus aliquem e numero minorare præsumat. Quod si Deo donante copia rerum poposcerit, secundum quantitatem sui numerum quoque superaddere deliberent; ita ut addant potius quam minuant, congregant imo quam dispergant. Hæc idcirco diximus, ut cognoscant præsentes & sequaces quanti qualive viri eum construxerunt & ornaverunt. Nam prædictus rex per celsitudinem regalem & per interpellationem præfati Audachri sancti Aniani ecclesiam contulit memoratus episcopus per auctoritatem ecclesiasticam, paratas de ecclesiis attulit, auctores hujus loci atque constructores ecclesiam sancti Solpicii dedere. Qua propter valde considerent prælatores atque rectores sancti hujus templi & numerum fratrum minorari non præsumant, sed semper addere deliberent. Quod si aliter fecerint, quod absit, procul dubio sciant se supernæ civitatis
l. demersuros. Jherusalem extorres & imo barathri demersores.

XIII.

Praceptum Karoli regis pro monasterio S. Urbani.

Ad lib. 36. n. 43. *Ex archivo monasterii.* In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Quidquid ad laudem salutaris sanctis ejus conferimus muneris, procul dubio ad salutem animæ & corporis & ad stabilitatem regni nostri ac collati a Deo honoris proficuum fore credimus omnimodis. Quapropter hortatu salubri dilectæ nobis conjugis Hirmindrudis ac deprecatione venerabilis Erchanravi sanctæ matris ecclesiæ Cathalaunensis episcopi, cum consensu unanimi ac concordi voluntate parique intentione pro absolutione nostrorum peccaminum tractavimus ædificare pariter in honore sanctæ Trinitatis de novo monasterium sub religione monastica consecrandum, in quo corpus sancti Urbani Romani pontificis cum honore congruo reconditum veneretur ad salutem animarum nostrarum ceterorumque fidelium christianorum. Idcirco prompto animo & alacri mente delegamus ad supplendam nostræ salutis devotionem quasdam res nostræ proprietatis in pago Pertensi, in villa quæ vocatur Witriniacus, id est ecclesiam unam ex fisco nostro, quam Hugo jure beneficiario visus est habuisse, cum omnibus ad eam pertinentibus terris cultis & incultis, pratis, silvis, molendinis, mancipiis utriusque sexus, vel quidquid ex ratione sancti Stephani ibidem olim visum est exstitisse cum terris & mancipiis; & in Piscione villa similiter una cum terris & mancipiis. quidquid etiam in eadem villa ex fisco nostro Tonantia Albericus fidelis noster in beneficium cognoscitur habuisse, id est fortes quatuor & dimidiam cum mancipiis desuper commanentibus, vel ad easdem juste pertinentibus, terris cultis & incultis, pratis, silvis & molendinis, aquis aquarumve decursibus, exitibus & regressibus omnibusque legitimis exterminationibus. Concedimus etiam inibi quidquid de rebus & mancipiis ex parte fisci nostri Pontigonis in eodem pago Pertensi super fluvium scilicet Olomnam in loco, qui Forensis curtis dicitur, & in Normari-curte situm esse noscitur. Super ipsum quoque fluvium silvam ex una parte Gundum-montem vocatam, ex altera vero Loulmontem nuncupatam, prata quoque ac terras inter has duas silvas de fisco nostro sitas. Quicquid etiam in comitatu Blesensi in locis denominatis, id est in villa Castellionis & in Vallis & in Raugiscurte sive etiam in Carmis continens in terris & mancipiis esse & ad ipsum fiscum rationabiliter pertinere cernitur, eidem episcopo secundum præfixam petitionem concedimus. Conferimus etiam ad supradictam mentis nostræ devotionem supplendam in supra dicto pago Pertensi in villa, quæ vocatur Summus-rivus & Normari-curtis res, quas Drogo Vassallos noster per beneficium nostrum olim visus est tenere, mercatum quoque in jam dicta villa Witriniaco omni ebdomada, prefinito scilicet die, fieri concedimus ac monachis ipsius loci largimur, & quicquid inde ad regii census fiscum persolvi, poterit ad lumen memoratæ cellulæ jure perpetuo inrefragabiliter persolvatur. Sed quoniam hæc quæ concedimus minime ad suppletionem illorum monachorum sufficere posse cognoscimus necessitatis, quia modica & perparva videntur, superaddimus quæ restant beneficia supra nominatorum fidelium nostrorum Hugonis videlicet & Alberici, statimut aut per concambium commutandi locus evenerit aut forte morte præventi fuerint, quo absque interrogatione vel alicujus reconsignatione episcopus memorati cœnobii recipiat atque in usus fratrum quæ sunt necessaria administret. Unde hoc magnitudinis nostræ præceptum saluti animæ nostræ consulentes prænominatæ sanctæ matri ecclesiæ & jam dicto ejus rectori fieri darique jussimus, per quod memoratas res omnes integerrime delegamus perpetualiter mancipandas ac inviolabiliter confirmamus servandas. Ut autem hæc nostræ largitionis auctoritas firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subtus eam fir-

mavimus, anulique nostri impressione insigniri jussimus. Hildeboldus notarius ad vicem HLudowici recognovit. Data VII. kal. Novemb. ind. XI. anno XXIII. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Pontigone palatio regio in Dei nomine feliciter. amen.

X I V.

Littera synodica concilii Trecensis pro ecclesia Nivernensi.

Ad lib. 36. num. 67. Ex chartario Nivernensi.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, Abbo Nevernensis ecclesiæ episcopus una per consensum & voluntatem domni Archiepiscopi mei Egili ac ceterorum Episcoporum sibi subditorum omnibus tam præsentibus quam & futuris sanctæ Dei Ecclesiæ coepiscopis notum esse volumus, religionis canonicæ quemdam sacerdotem, Adelardum nomine, adisse nostram immo omnium sanctæ Synodi Trecas habitæ ceterorum coepiscoporum paternitatem, quorum nomina in sequentibus cum propriis adsignationibus inserta tenentur; petiitque humiliter, ut regiam donationem, quam per venerabilem præceptorum suorum conscriptionem ecclesiis sanctorum quæ in nostra Nevernensi parochia habentur, scilicet sancti Nazarii venerandi martyris, & sancti Vincentii pretiosi confessoris, ubi sacratissimum ejus corpus jacens miraculis clarescit, sanctique Johannis præcursoris Domini, sanctique Martini, necnon & sancti Hilarii ac sancti Germani conferre dignatus est ad restaurationem, & relevationem earumdem ecclesiarum nostra confirmatione & auctoritate corroboraremus. Repperit enim domnus & senior noster res quondam ibi delegatas, ut ejus auctoritas testatur, per diminutiones beneficiorum quorumdam exinde inordinabiliter abstractas unde sustentari debuerant & contineri, & sollicita procuratione reintegrare ordinabili administratione eas ut prius fuerant studuit, videlicet in usu sacrificii salutaris, & in illuminatione ac reædificatione jamdictorum sanctorum ecclesiarum, quas multimoda eversione destitutas condoluit, seu in victu & stipendiis canonicorum ibidem deservientium, omnem donationem & reintegrationem statuit distribuendam quemadmodum præcepti ejus veneranda conscripta pronunciant. Donat præterea Adelardus eidem vico Magniaco res quasdam proprietatis suæ in honore sancti Vincentii, ejus videlicet criptæ ubi sanctum corpus ejus in ecclesia sancti Nazarii jacet, quæ sunt in pago Nevernense, in agro Magniacense, in villa Lursiaco, hoc est casuales cum vineis & ortilibus, ubi colligi possunt vini modii centum quinquaginta; poscitque, ut tam ea quæ ipse conferre, quam etiam ea quæ Catholici fideles devoti ob utilitatem suam ibi contulerint, nostra auctoritate firmetur & corroboratione fulciatur. Quod nos audientes, piaque meditatione tractantes æquum credimus ratumque ducimus talibus petitionibus assensum præbere cum ea obsecratione in qua precatur, ut omnis ista donatio ab ordinatione & dominatione laïcorum, comitum scilicet vel Principum sæcularium abstrahatur, & sub dominatione Nevernensis episcopi agatur, ita ut idem Adelardus ejusque successores deinceps annis singulis matri ecclesiæ sancti Cyrici libram ceræ exsolvant. Non tamen aliud humanæ servituris obsequium a jam dicto Adelardo ejusque successoribus præter hoc exigatur, nisi quod dilectionis dulcedo per caritatis administrationem exhibere jubet prælatis. Unde in Christi nomine cunctos, qui nobis Deo propitio per tempora labentia sunt successuri, coepiscopos contestantes precamur, ut nullo pacto tantorum virorum decretum parvipendatis, sed potius vestra sanctissima auctoritate quidquid in præsenti privilegio de eodem viro regiisque redintegrationibus, ac Adelardi petitionibus a sancta Synodo definitum habetur, inconvulsum atque inviolatum permanere consentiatis, & paterna defensione spiritalique juvamine eis auxilium conferre in omnibus quibuscumque vestri indiguerint, prout vobis Deum propitium habere vultis, non differatis, nec ullam sæculi potestatem exinde nocere sinatis; sed liceat eumdem locum canonica exercitatione degere, ac prædictas donationes & petitiones ubi delegatæ sunt permanere absque aliqua inquietatione principum & fine, præter quod superius insertum est, censu, quatenus quieto ordine ac secura mente Deo ibi servire ejusque Sanctis, ac pro pace & utilitate sanctæ Dei ecclesiæ, ejusdem loci Canonici valeant exorare, necnon etiam pro regis salute & prosperitate, ac pro conjugis & sobolis incolumitate omnibus diebus ac noctibus intercedere, atque clementiam superni Regis per eorumdem Sanctorum interventionem pulsare. † Egil archiepiscopus sanctæ Senonensis ecclesiæ subs. Wanilo humilis Rotomorum episcopus subs. Eneas Parisiensis episcopus subs. Herardus Turonorum archiepiscopus subs. Folchricus indignus episcopus subs. Actardus Namnetensis episcopus subs. Heliseus r. D. subs. Gislebertus Karnotensis episcopus. Hildegarius Meldēsis ecclesiæ humilis episcopus. Abbo humilis Nevernensis ecclesiæ episcopus. Anno archidiaconus ad vicem Agu Aurelianensis ecclesiæ episcopi subs. Acta III. nonas Novembris anno incarnationis Domini nostri Jesu-Christi DCCCLXVII. indictione I. anno etiam XXVI. regnante domno nostro Karolo rege, in Dei nomine feliciter.

X V.

Vetus epitaphium illustris feminæ.

Ad lib. 36. n. 71. Ex marmorea tabula Pictariensi.

BERT...... HOC HOROINE RES.......
CUM PETERE OPTASSEM SANCTA
SEPULCRA PRIOR
[FELIX] O NIMIUM TANTI SI MUNERE
VOTI
[LIQ] UISSEM NATOS INCOLOMEMQUE VIRUM.

SIC QUIA PRO GENITIS SUPEREST E QUATUOR UNUS.
.... PRECOR HIC VIVAT UT OSSA COLAT.
INLUSTRIS FEMINA HIC EMA.....
*... TO X° KAL. MAIAS SEVERINO. V. C. C. L. S.
ANNOS QUINQUAGINTA ET DUOS.

* Sexto vel Quinto vel Quarto.

Dagalaifus & Severinus coss. an. 461. Trocondus & Severinus junior an. 482.

X V I.

Epitaphium Almanni monachi Altvillarensis.

Ad lib. 36. n. 89. *Ex Cod. Laudunensi.*

Hic jacet Almannus sophiæ clarus alumnus,
Altvillarensi gymnasio elicitus,
Qui studiis radians, & APHTIC germine vernans,
Ecclesiam Christi sparsit odore bono.
Instituens a Π transire ad Θ gradatim,
Sicque philosophicum purificare oculum.
His intentus erat, phononem bisque secabat,
Quando hominem hic ponit, spiritus astra petit.
Quintilis decimas solis statione kalendas
Vergens, tristis huic diluculo occubuit.
Dic igitur Lector, Almanno parce Redemptor,
Concedens illi te sine fine frui. Amen.

X V I I.

Caroli-Calvi diploma pro S. Luciano Belvacensi.

An. 869. ad lib. 36. n. 103. *Ex authentico.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Cum locis divino cultui mancipatis quiddam nostræ proprietaris conferimus, hoc nobis ad præsentem vitam felicius transigendam, immo etiam ad æternæ remunerarionis emolumentum profuturum omnioo confidimus. Idcirco noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium & nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum sollertia, quia nos animæ nostræ saluti oecessario consulentes, nec non etiam necessitatibus Deo servientium compatientes, ad petitionem karissimi nobis Odonis Belvacensis utbis præsulis, villam quandam proprietatis nostræ, sitam in pago Belvacense, quæ vocatur Luciacus; medietatem scilicet ejusdem villæ, quam tuoc temporis quidam capellanus noster, nomine Rodingus, in beneficium tenebat, monasterio preciosorum martyrum Luciani, Maxiani, atque Juliani, quod subditum atque conjunctum sanctæ matri ecclesiæ Belvacensi esse constat, & fratribus inibi Domino famulantibus, ad necessaria scilicet vestimentorum concessimus, & per præceptum nostræ auctoritatis perpetualiter possidendum delegavimus, sicuti in præcepto donationis nostræ manifeste claret. Sed quia tunc integritatem præscriptæ villæ, veluti memoratus pontifex postulaverat, præfato monasterio & monachis ibidem Domino famulantibus dare nequivimus, quippe quam vasallus noster quidam, nomine Sigefridus, tunc in beneficium retinebat, decedente eodem atque humanis rebus valefaciente, ad petitionem rursus memorati Pontificis & præfatorum fratrum, alteram medietatem suprafatæ villæ cum omni integritate, cum ecclesiis, domibus, ædificiis, cambis, curtiferis, viridariis, ortis, vineis in villa Arsitio sitis, ad ipsam villam juste pertinentibus, terris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, perviis, adjacentiis, exitibus & regressibus, mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad eandem villam juste legaliterque pertinentibus, & quidquid ad prædictam villam pertinere dioosci tur, ob emolumentum mercedis animæ nostræ atque ob æternorum remunerationem præmiorum, simulque in elemosina fidelis ac carissimi nobis vasalli nostri Widonis, pro redemptione scilicet ipsius animæ atque absolutione peccaminum, sæpe fato monasterio & fratribus ibidem Domino servientibus concedimus æternaliter habendam, & de nostro jure in jus ac proprietatem ipsius monasterii & sæpe memoratorum fratrum sollempni more transferimus, atque hoc præcepto nostræ auctoritatis confirmamus ad vestimenta sibi subministranda, eo scilicet pacto, ut nulli præsulum per succedentia tempora liceat ex eisdem rebus quicquam subtrahere vel minuere, aut in alios præter quos constituimus usus retorquere, Et quia eodem die, quo idem fidelis & carissimus nobis vasallus noster Wido obiit, duodecimo scilicet Kl. Julii, anoiversarius domni & genitoris nostri divæ memoriæ HLudowici dies depositionis esse dinoscitur; volumus, ut singulis annis a fratribus præfati monasterii decimo Kl. ejusdem mensis anniversarius præfati Widonis celebretur, ac de præfata medietate villæ refectio fratribus pleniter præparetur; & præter ipsum anniversarium, sicut pro uno quoque monachorum ex eodem cenobio a seculo migrantium, ita pro absolutione animæ ipsius Widonis in missis, & psalmis, & aliis orationibus supplices Deo æternatim preces fundant. Reliqua vero omnia, quæ ex præfata villa exire potuerint, in usus eorumdem monachorum ad necessaria scilicet vestimentorum, deputentur, ut his, quæ minus sibi sufficiebant, nostra liberalitate & munificentia adjuti, facilius eos delectet pro nobis & conjuge ac prole, simulque pro sæpedicto carissimo vasallo nostro Widone Domini misericordiam implorare. Ut autem hæc nostræ largitionis auctoritas firmior habeatur, & nostris futurisque temporibus inviolabilius conservetur, manu propria subter eam firmavimos, & anuli nostri impressione sigillari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Hildeboldus notarius ad vicem Gosleni recognovi & subscripsi. Data rrrr. Kl. Julii indictione secunda, anno xxx. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum apud salas Basiu in Dei nomine feliciter amen.

Luciacus: ‡ Lucby.

XVIII.

Recenſio monaſteriorum & abbatiarum facta in diviſione regni Lotharii inter Ludovicum & Carolum reges anno DCCC. LXX.

In portione Ludovici.

Ad lib. 37. num. 1.

Abbatia Sueſtre, vulgo *Suſteren*, in ducatu nunc Juliacenſi, modo ſæcularium canonicarum.

Berch ſeu Bergenſe prope Rutæmundam, virorum, Ruta tunc etiam appellatum.

Nin monaſterium. Forte Nuſſa ad Rhenum ſupra Coloniam.

Caſtellum vulgo *Keſſil* ad Moſam.

Inda monaſterium prope Aqoiſgranum, a Ludovico Auguſto pro Benedicto Anianenſi exſtructum, hactenus ſuperſtes, vulgo *Cornelis-munſter.*

Sancti Maximini ad muros Trevirenſes, hodie quoque celebre.

Epternacum monaſterium virorum in ducatu Luciliburgenſi.

Horreum virginum cœnobium olim prope Treviros, nunc intra urbem.

Sancti Gangulfi.

Faverniacum, in conſtitutione Ludovici auguſti *Fariniacum*, olim virginum nunc virorum cœnobinm in ducatu Burgundiæ, ſub congregatione ſancti Vitoni.

Polemniacum, vulgo *Poligny*, in ducatu Burgundiæ.

Luxovium, ibidem ſuo vel nomine illuſtre.

Lutera ſeu Lutra, non incognitum item monaſterium in diœceſi Veſontionenſi.

Balma Duplex hoc nomine monaſterinm in eodem pago, unum virorum, alterum mulierum.

Offonis-villa, vulgo *Vellefaux* in eadem diœceſi.

Megeni-monaſterium, alius *Meieni-monaſterium*, Medianum monaſterium in Voſagi ſaltu, hactenus inſigne.

Sancti Deodati abbatia ſuperiori vicina, nunc collegiata eccleſia ſæcularium canonicorum.

Bodonis-monaſterium, olim feminarum ibidem, nunc tranſtatum ad proximum locum, qui ſancti Salvatoris dicitur, ordinis canonicorum regularium.

Stivagium ibidem ounc ordinis Præmonſtratenſis, vulgo *Eſtival.*

Romerici-montem, nobilium canonicarum modo abbatia, e monte in planitiem paullo poſt tranſlata, ſed vulgatum retinens nomen.

Morbach, *S. Gregorii*, *Mauri-monaſterium*, oota in Alſatia monaſteria.

Eboresheim, ſeu Ebersheimenſe itidem in Alſatia.

Homowa, aliis *Honowa*, tunc collegium canonicorum in inſula Rheni infra Argentoratum, nunc tranſlatum in urbem ad Sancti Petri Seniorem eccleſiam.

Maſonis-monaſterium, vulgo Maeſmunſter, puellarum itidem in Alſatia.

Homburc, nunc ſanctæ Othiliæ, olim virginum, nunc virorum ordinis Præmonſtratenſis.

Sancti Stephani Straſburch, hactenus ſuperſtat, ſed io poteſtate monalium Viſitationis.

Erinſtein, virginum itidem in Alſatia, cujus auctor Irmingardis imperatrix, Lotharii conjux, ibidem ſepulta.

Sancti Urſi in Salodoro apud Helvetos, vulgo *Soleure.*

Grandivallem, olim abbatia diœceſis Baſileenſis, vulgo *Granfel*, nunc ſæcularium.

Altam-petram, prope Medianum-monaſterium, nunc deſtructum.

Juſtinam, in annalibus Bertinianis *Luſtenam*, *Vallem-cluſa*, ignotæ abbatiæ.

Caſtellum-Carnonis, vulgo *Chatel-Chalon* virginum in Burgundia.

Heribodesheim, incognita abbatia.

Abbatia de Aquis, forte baſilica regia Aquiſgrani.

Abbatia ſancti Petri & ſancti Martini apud Mettas, altera puellarum, nunc ſæcularium canonicarum; altera virorum nunc exciſa. Mirum eſt nullam fieri mentionem ſancti Arnulfi, celeberrimi etiam nunc in illa urbe monaſterii.

Abbatia Prumia & Stabolau, hactenus ſuperſtites in Arduenna ſilva. Hæc in portione Ludovici

In portione Caroli.

Sancti Michaëlis ad Moſam in agro Virdunenſi ad Moſam, hactenus notiſſimum.

Culdini monaſterium vulgo *Colmouſtier*, ex Molano, in annalibus Bertinianis *Gillini-monaſterium*, an ſancti Ghiſleni monaſterium in Hannonia.

S. Mariæ in Biſincione, alio nomine Juſſanum monaſterium virginum Veſontione, nunc patrum Minimorum.

Sancti Martini in eodem loco.

Sancti Augentii ſeu Augendi vulgo Eugendi, nunc ſancti Claudii.

Sancti Marcelli prope Cabillonum, cella modo Cluniacenſis.

Sancti Laurentii.

Leudenſi. Hæc duo in unum jungunt annales Bertiniaoi. forte eſt abbatia ſancti Laurentii in urbe Leodienſi.

Sennonem, alias Senonienſe monaſterium in Voſago.

Abbatiam Mellam, in annalibus Bertinianis Niellam, quæ haud dubie Nivialla nobilium modo canonicarum in Brabantia.

Melbarium ſeu Melbodium, vulgo *Maubenge* nobilium modo canonicarum puellarum abbatia ad Sabim in pago Hainoënſi ſeu Hannonia.

Laubias, virorum abbatia celebris itidem ad Sabim.

Sancti Gaugerici collegiata eccleſia prope Cameracum.

Sancti Salvii, prope Valentianas hactenus virorum abbatia, uti &

Criſpinum vicina, utraque ad Scaldim.

Foſſas, nunc canonicorum regularium io pago Hainoënſi.

Marilias, alias Maricolense virorum monasterium.

Hunulcurt, vulgo *Honcourt*, utrumque hactenus ordinis Benedictini.

Sancti Gervasii, legendum *Servatii* ut in annalibus Bertinianis, quæ ecclesia est Trajecti ad Mosam.

Maalinas, nunc urbs celebris in Brabantia.

Ledi, vulgo *Lier*, opidum in Brabantia.

Summiacum, vulgo *Soigny*, abbatia canonicorum.

Antonium, seu *Antoinum* prope Tornacum.

Condatum, nunc opidum ad Scaldim.

Merrebecchi, vulgo *Merbech* prope Nivoniam, canonicarum puellarum.

Tichuinni, ex Molano *Dickelvenne* prope Gerardi-montem in Hannonia. In annalibus Bertinianis *Tidivinni*.

Linrosa, rectius *Lusosa* vulgo *Leuse* in Hannonia, nunc canonicorum.

Calmontis in diœcesi Leodicensi, vulgo *Calmont*.

Sancta Maria in Deonant, vulgo *Dinant*.

Echa vulgo *Eich*, nunc nobilium canonicarum prope Maseium.

Andana, vulgo *Andenne* ad Mosam.

Wasloi, olim Vaslogiense monasterium in Fania modo excisum.

Altum-montem, monasterium virorum in Hannonia, hactenus superstes.

XIX.

Ludovici Germaniæ regis diploma pro monasterio Glanderiensi.

Ad lib. 37. n. 68. *Ex archivo monasterii.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus Divina favente gratiâ Rex. Quidquid enim locis sanctorum venerabilium ibique .... degentium fratrum, ob amorem Domini mei Jesu-Christi, piâ augmentatione conferimus, vel confirmamus, hoc proculdubio nobis ad mercedem vel stabilitatem Regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus, & profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula felicius transienda, nec non & beatitudinis præmia securiùs obtinenda non dubitamus. Quapropter comperiat omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria, quia fratres ex cœnobio sancti Martini, nec non & beati Undonis confessoris Christi, nostram adeuntes clementiam reclamando, quod substantia victus illorum minus deerant necessaria innotuerunt, unde precantes nostram mansuetudinem, ut pro amore Dei, & reverentia sanctorum inibi Deo quiescentium, nostra largitas ex rebus ejusdem ecclesiæ aliquid restitueremus, & restituta in augmentum salubre victus & vestitus pro remedio genitoris nostri, nostræque conjugis, seu sobolorum nostrorum deinceps ad emolimentum proficerent. Quorum petitionibus aures misericordiæ nostræ libenter acquiescentes, quia ecclesia ipsa in manibus nostris habebatur per consensum ac consultum Bertulfi Trevirensis venerabilis archiepiscopi ceterorumque nostrorum, ad eorumdem fratrum usus concessimus, ac præcepto nostræ authoritatis constituimus, idest villam Grinstit in Warmacense cum omni integritate, eo scilicet rationis tenore, ut deinceps nostris futurisque temporibus potestatem habeant ipsi monachi ordinandi legitimo duntaxat jure de suis usibus quidquid rationabiliter elegerint vel voluerint; & nulla regia vel episcopalis unquam potestas hoc nostræ authoritatis præceptum infringere, vel violare audeat, sed ut superius dictum est, pro mercedis nostræ augmento ac genitoris nostri sobolorumque attentius Domini implorent misericordiam. Et ut hæc nostræ authoritatis confirmatio futuris temporibus stabilior ac firmior habeatur, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Ludovici serenissimi regis. Luitbrandus ad vicem Luitberti archicapellani recognovi & subscripsi. Data XI. Kal. Decembris anno XXXVIII. Regni Ludovici serenissimi Regis in orientali Franciâ regnantis, indictione IX. Actum Metis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

XX.

Bulla Johannis Papæ VIII. qua confirmatur partitio monachorum S. Medardi Suessionensis.

Ad lib. 37. n. 71. *Ex cartulario S. Medardi.*

JOhannes Episcopus, servus servorum Dei, venerandæ congregationi religiosorum monachorum venerabilis monasterii sancti & confessoris Christi Medardi, nec non & beati martyris Christi Sebastiani imperpetuum. Quotiens illa a nobis tribui pro desiderio postulantis quæ omni rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, & pie petentibus impartiri suffragium. Igitur omnium Christi fidelium cognoscat sollertia, quoniam dilectissimus filius noster Carolus imperator Augustus, beatorum Petri & Pauli apostolorum principum adiens limina, nobis mente devota suggessit, quatenus eidem, prædicto venerabili monasterio ad utilitatem & usum tam nominatorum monachorum ibidem Domino servientium, per apostolatus nostri privilegium confirmaremus, & immobilia loca, quæ idem christianissimus cæsar tam pro veneratione eorumdem sanctorum, quamque pro mercedis suæ augmento, per regale præceptum contulisse dinoscitur, quorum nomina inferius scripta leguntur: Berneium scilicet, Crouiacum, Domno-regium, Sodoleum, Berziacum una cum molendino, Betziso marisiacos duos, atque spicarium & propter has Murocinctum, Cerniacum-vadum, sicut Hilduinus anterior abba ad suum tenuit dominicatum, super addens in Murocincto mansum unum, Malcas etiam & piscinas super mare & Cubonimaci cultæ terræ bonaria XXIIII. & Ruminiaco mansos quinque, & partem prati de loco Geigio, & mansos duos in villa, quæ dicitur Lentgere-vicinium; decernens ut camera vestimentorum monachorum habeat tres villas, Capram, Albiacum, & Solmam; &

hospitalis nobilium accipiat nonum ex villis ipsius Abbatiæ secundum priscam consuetudinem, & habeat Caucuacum simul cum ligoariis de Pivone; & hospitalis peregrinorum accipiat decimam, & habeat Hatonis-curtem. Thesaurarius autem & Portarius atque Hospitalarius, nec non & Camerarius intra octo dierum dominicæ nativitatis & resurrectionis dominicæ spacia, bis in anno plenariam refectionem habeant; insuper ex præfatis aliis villis terminum nativitatis dilecti filii sui Caroloumanni plenariam refectionem habeant, & post ejus obitum diem nativitatis transferant in diem depositionis. Similiter ex villa Bernoilo decrevit refectionem abundanter fieri eisdem monachis in anniversario Bertæ amitæ suæ, & luminaria exhibeat ecclesiæ sanctæ Sophiæ inferiori, & sanctæ Trinitatis superiori, sicut in privilegio ejusdem pii augusti de his omnibus facto continetur: ut quicquid ab eodem illustrissimo cæsare, tam de mobilibus & immobilibus rebus, quam de thesauro collatum est, & in futuro confertur, pro animæ suæ remediis firmum & inviolabile in perpetuum omnino consistat. Hujus rei gratia quia eumdem sublimem imperatorem divino amore contactum pie egisse confidimus, congruis suggestionibus ejus favere volentes, decernimus, stabilimus, & apostolica auctoritate omnimodis confirmamus cuncta superius dicta immobilia loca, cum nobilibus seu famulis utriusque sexus, una cum thesauro ad usum & utilitatem supra dictorum monachorum, utpote idem præstantissimus imperator augustali præcepto eidem monasterio ob salutem animæ suæ concessit, vel concessurus erit. Statuimus autem sub divini judicii obtestatione & anathematis interdicto, ut nemini mortalium liceat quoquo modo aliquid dare de his omnibus a jure venerabilis nostri monasterii vel utilitate monachorum auferre, alienare, subripere, aut per qualemcumque modum vel argumentum subtrahere: sed omnia hæc, & quæ adhuc in thesauro ab ipso pio cæsare, vel ab aliis Deum timentibus in jus, dominium vel utilitatem nostri venerabilis monasterii ac monachorum ibidem morantium conferentur, perennibus consistat omnino temporibus. Si quis autem, quod nunquam optamus, contra hoc nostræ confirmationis præceptum aliter agere non formidans aliquid inde alienare, minuere, subtrahere, vel temerario ausu mutare præsumpserit, aut aliter ordinare, præter quod jam ordinatum est, tentaverit, vel in toto vel in parte transgressor apparuerit; Dei omnipotentis judicio sciat se esse anathematis vinculis innodatum & cum diabolo & ejus atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu-Christi & cum impiis omnibus portionem habeat & a regno Dei alienus existat. Qui vero pio in omnibus intuitu verus observator & curator exstiterit, benedictionem, gratiam & cælestem misericordiam sive veniam delictorum suorum a justo Judice Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii & sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Januarii, indictione nona Bene valete quarto nonas Januarii, per manum Anastasii bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus domini, Johannis quarto, imperante Domino piissimo perpetuo Augusto Carolo a Deo coronato magno imperatore anno primo & post consulatum ejus anno primo, indictione nona.

XXI.

Caroli Calvi imperatoris diploma, quo villa Piredus Conrado comiti donatur.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus ejusdem Dei omnipotentis misericordia imperator Augustus. Imperialis celsitudinis mos est fideles imperii sui donis multiplicibus & honoribus ingentibus munerari atque sublimes efficere. Proinde ergo morem parentum, imperatorum scilicet prædecessorum nostrorum, sequentes, libuit celsitudini nostræ, quemdam fidelem nostrum & parentelæ propinquitate conjunctum, Chuntadum nobilissimum comitem, de quibusdam nostræ proprietatis rebus & mancipiis honorare. Concedimus igitur prædicto Chuntado comiti, nobis carissimo & familiarissimo, villam, quæ dicitur Piredus*, in pago Senonico, & concedendo eidem confirmamus, ac de nostro jure in jus & proprietatem ipsius transfundimus cum omni sua integritate, & omnibus rebus, mancipiis, & adjacentiis ad se pertinentibus, eo scilicet tenore & ordine, ut hujusmodi potestatem inde habeat dandi, venundandi, atque transmutandi, sicut & ex aliis rebus suæ proprietatis habere visus est, tam ipse, quam & sua progenies, quibus jam dictas res cedere, vel tradere voluerit. Unde etiam hoc munificentiæ nostræ præceptum fieri, & dari jam dicto Chunrado comiti sancivimus, atque per idem prædictas res in suam potestatem, vel quotumcumque voluerit, libere possidendi delegamus. Et ut hoc per omnia tempora inviolabiliter conservetur, manu nostra subter firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus. Signum Karoli gloriosissimi imperatoris augusti. Audachet notarius ad vicem Gauzlini recognovit, & subscripsit. Data II. nonas Septembris, indictione VIIII. anno XXXVII. regni domni Karoli imperatoris in Francia, & in successione HLotharii VII. & imperii ejus primo. Actum Carisiaco palatio imperiali in Dei nomine feliciter, amen. Hildoinus abba & Richardus comes ambasciaverunt.

Ad lib. 37. n. 76. *Ex authentico.*

* *Perrut.*

XXII.

Charta Conradi comitis, S. Columbæ eamdem villam Piredum conferentis.

CHunradus benignitate Dei Vermetiensis* comes. Cum pro necessitatibus servorum Dei & amore divini cultus aliquid de facultatibus

Ad lib. 37. n. 76. *Ex apographo.*

f. vix valuttes

tibus nostris impertimur, inde nos ab omnipotenti Deo ampliorem mercedem recepturos fideliter credimus. Idcirco noverit omnium fidelium, tam præsentium quam futurorum, industria, quod pro amore domnæ Columbæ martyris Christi & pro nostra salute, & ut simus participes beatitudinis æternæ, dedimus & contulimus in perpetuam eleemosynam ecclesiæ peædictæ domnæ Columbæ Senonensem villam quæ dicitur Piredus, cum omnibus adjacentiis, justitia * & integritate ad se pertinentibus, & omne jus, quod babere poteram io dicto loco, sicut continetur in donatione nobis facta a gloriosissimo rege Karolo imperatore augusto. Haoc autem donationem laudaverunt heredes nostri, Guilo * & Garinno * comites. Et ne varietate temporum præsens charta evanescat, manu propria eam inscripsimus, & sigillo nostro muniri fecimus. Datum apud Senonas anno tricesimonono * regni gloriosissimi Karoli imperatoris in Francia, & imperii ejus tertio *, XVII. kalendis Augusti.

* l. octavo.
* l. secundo.

XXIII.

Caroli Calvi imperatoris præceptum pro monasterio Crassensi.

Ad lib. 37. n. 79. *Ex authentico.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus ejusdem Dei omnipotentis misericordia imperator augustus. Si servorum Dei petitionibus aurem nostræ sereoitatis accommodamus, & antecessorum nostrotum morem sequimur, & ob id præsentem vitam facilius transigere & futuram adipisci nullo modo dubitamus. Noverit itaque omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque tam præsentium quam futurorum industria, quod Songfredus abbas monasterii sanctæ Mariæ de loco qui dicitur Urbionis, sito in confinio Narbonensi & Carcasensi, ad nostram accessit clementiam, deprecans ut ejus donationes, emptiones vel alias adquisitiones rerum ad jam dictum locum pertinentium oostrum pro firmitatis gratia superaddidissemua præceptum. Præcipientes igitur jubemus, ut omnes villæ, id est Buciniacus & Palaracus, Cuvicianus & mansiones & villares cum omnibus possessionibus ad præfatum locum in quibuslibet comitatibus sint, in eodem loco juste & rationabiliter per hoc nostrum præceptum permaneant; & ecclesiæ quæ in villaribus eorum sunt, in eorumdem potestate similiter permaneant; immunitatem etiam nostram similiter habeant, sicut in nostro veteti præcepto continetur. Et ut hoc ita juste conservetur, manu nostra subter firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus. Signum Karoli gloriosissimi imperatoris augusti. Audacher notarius ad vicem Gauslini recognovit. Data VIII. kalend. Novembris, indictione X. anno XXXVII. regni domni Karoli imperatoris in Francia, & imperii ejus primo. Actum Elidione villa in Dei nomine feliciter. Amen.

XXIV.

Ejusdem imperatoris præceptum de constructione ecclesiæ S. Cornelii Compendiensis.

Ad lib. 37. n. 93. *Collata ad authenticum.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus ejusdem Dei omnipotentis misericordia imperator augustus. Quidquid voto aut gratiarum actione Deo omnipotenti offerimus, cui oon solum omnia quæ habemus, quæque de maou ejus accepimus, sed etiam nosmetipsos debemus, qui nos & prædecessores nostros imperatores & reges oullo nostro merito, sed sua benignissima gratia regiū in stemma evehere dignatus est; hoc nobis ad præsentem vitam felicius transigendam, & ad futuram uberius capessendam consequentius fore nullo modo dubitamus. Proinde quia divæ recordationis imperator, avus scilicet noster Karolus, cui divina providentia monarchiam totius bujus imperii conferre dignata est, in palatio Aquensi capellam in honore beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ coostruxisse, ac clericos inibi Domino ob suæ animæ remedium atque peccaminum absolutionem, pariterque ob dignitatem apicis imperialis deservire coostituisse, ac congerie quam-plurima reliquiarum eumdem locum sacrasse, multiplicibusque ornamentis excoluisse dinoscitur; Nos quoque morem illius imitari, ceterorumque regum & imperatorum, peædecessorum scilicet nostrorum, cupientes; cum pars illa regni nobis sorte divisionis nondum cootigerit; infra tamen potestatis nostræ ditionem, in palatio videlicet Compendio, in honore gloriosæ Dei genitricis ac perpetuæ semper virginis Mariæ monasterium, cui Regium vocabulum dedimus, fundo-tenus exstruximus, & donatiis quam-plurimis, Domino juvante, ditavimus, atque clericos inibi, numero centum, pro statu sanctæ Dei ecclesiæ, pro genitoribus ac progenitotibus nostris, pro nobis, conjuge & prole, proque totiua regni stabilitate, jugiter Domioi misericordiam implorare decrevimus. In cujus basilicæ usus, atque in præfatorum fratrum necessaria stipendia, villas has perpetuo habendas delegavimus; id est in pago Tardanensi villam Ruminiacum cum capella & omni integritate sua; & in pago Belvacensi villam Longogilum, Sacciacum & Mariscum cum omnibus ad se pertinentibus; & in pago Ambianensi Melvillare & Erptias; io pago Bolinensi villam Attinium; & cellam sanctæ Magræ in pago Tardanensi cum omnibus appendiciis suis; & in Suessionico villam Bruarias; & in pago Laudunensi Stradonis-villam & Bainacum post Primordii discessum; & in pago Vermandensi villam Capiacum; culturam etiam, quam eisdem fratribus ad suos exteriores usus extra monasterium cum piscatura concessimus; capellam io Venitta, capellam in Vermeria, capellam in Nantoilo, capellam in Mamaccis post discessum Bertoois; in pago Noviomensi villulam, quæ dicitur Bonas-mansiones; decimas etiam fiscorum, quas eis per præceptum concessimus, hoc est decimam Casini, Vermo-

riæ, Cotomariorum, Ridi, atque Mamaccis, & duas partes decimæ de Andriaco-villa, Dorlindo, Creolicumno, Ferrariis, Cincinniaco, Aminiaco, Vienna, Rofeto, Salmuntiaco, Antiniaco, Erchitjaco, Siviniaco, Attiniaco, Belmia, Tafiaco, Bidrico, Pontione, Merlao, atque Buxeto, & reliquas omnes, quas per nostrum præceptum habent; & Cafellas in Burgundia, & Pontem-fuper-Virulam pertinentem de Finibus, & omne teloneum annualis mercati, cum prato, ubi contra Venittam congregari folet.

Similiter etiam totius filentii & quietudinis canonicæ ibi morem obfervandum, & ut a nullo exteriori hofpite violetur confirmamus, ficut in eorum præcepto dicitur, & de manfionibus æque liberam canonice licentiam tribuimus, ficut in eodem continetur præcepto. Præterea memorato fancto monafterio & fratribus inibi affidue Domino famulantibus, in die qua dedicationem ipfius fanctæ bafilicæ celebravimus, hoc eft tertio nonas Maii, per idem noftræ auctoritatis præceptum concedimus in pago Tardanenfi villam Sarciacum cum manfo indominicato, & capellam, & quicquid ibi afpicit, vel quicquid ex eadem Otherus olim comes habuit; & in pago Belvacenfi, in Bettonicurte, quicquid ibi de Madriniaco afpicit. Prædicta itaque omnia, villas & res, quas ante dedicationem præfatæ bafilicæ, & has quas in ejufdem dedicatione conceffimus, cum capellis & omnibus appendiciis fuis, terris, vineis, filvis, pratis, pafcuis, aquis aquarumve decurfibus, molendinis, mancipiis utriufque fexus defuper commanentibus, vel ad eafdem jufte legaliterque pertinentibus, exitibus & regreffibus, & univerfis legitimis terminationibus, fæpe dicto fancto loco, congregationique inibi Domino defervienti æternaliter habendas & canonice difponendas pro eorum opportunitatibus deftinamus, & de noftro jure in jus & poteftatem ejufdem monafterii tranfponimus: ita ut quicquid ab hodierna die, ficut in aliis præceptis noftris ordinavimus, per nos perque fucceffores noftros, vel quorumlibet dono divina pietas fæpe fato loco & fratribus conferre voluerit, habeant, teneant atque poffideant, liberamque ac firmiffimam in omnibus habeant poteftatem faciendi atque canonice difponendi, eo fcilicet ordine, ut officinæ, & minifteria ejufdem loci, fcilicet luminarium, hofpitum, ac receptionis pauperum, atque ftipendiorum fratrum, fecundum quod nos aut miffi noftri, feu prælati ejufdem monafterii congrue difpofuerint, ordinata confiftant. Sancimus denique etiam, ut præfatæ res omnes fub immunitate & tuitionis noftræ defenfione ea confiftant, qua ceterarum ecclefiarum res, quæ hoc a nobis, vel a prædecefforibus noftris obtinere promeruerunt, confiftere nofcuntur, ita ut nemo fidelium noftrorum, vel quilibet ex judiciaria poteftate, aut ullus ex reliquis, tam præfentibus quam futuris, in ecclefias aut loca vel agros, feu reliquas poffeffiones præfati monafterii, quas in quibuflibet pagis vel territoriis jufte & legaliter poffidet, vel ea quæ deinceps in jure ipfius fancti loci divina pietas augeri voluerit, ad caufas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut manfionaticos, vel paratas faciendas: feu fidejuffores tollendos, five homines, tam ingenuos quamque & fervos fuper terram ipfius commanentes, diftringendos, aut ullas redibitiones, aut illicitas occafiones requirendas, noftris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ fupra memorata funt penitus exigere præfumat, & quicquid de rebus memoratæ ecclefiæ fifcus fperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto fancto loco conceffiffe perpetuati ut perennibus temporibus in alimonia pauperum, & ftipendia canonicorum ibidem Domino famulantium, in augmentum proficiat: quatenus ipfis fervis Dei eorumque fuccefforibus pro nobis Domini mifericordiam uberius exorare delectet. Et quia præfatas res omnes ex fifcis noftris fuiffe conftat, volumus, pariterque jubemus, ut fub ea lege qua res fifci noftri jugiter maneant, atque fub eo mundeburde & defenfione tueantur ac defendantur, & fub ea tuitione imperiali confiftant, qua cœnobia, Prumia fcilicet, quod atavus nofter Pippinus conftruxit, & monafterium fanctimonialium Lauduno in honore fanctæ Mariæ conftitutum, confiftere nofcuntur. Enimvero quæ in auro, argento & gemmis, veftibus, rebus, vel in quibuflibet fpeciebus eidem loco conceffimus, quia ob amorem divini cultus, pariterque animæ noftræ, genitorum ac progenitorum noftrorum remedium Domino confecranda obtulimus, rogamus atque teftificatione divini nominis interdicimus, ut nullus regum aut imperatorum fuccefforum noftrum, nec quifquam cujuflibet ordinis qualibet dignitate præditus, ex iis quæ fupra memorata funt, quidquam in fuos ufus accipiat, aut in capellæ fuæ cultus admoveat, nec (ficut aliquando factum effe conftat) ad aliam ecclefiam, quafi fub obtentu eleemofynæ, conferat, fed ficut ea Domino ac præfato loco fancto dedimus, integerrime ac perpetualiter habenda confervet. Iis vero omnibus fupra dictis rebus, quas fæpe memorato loco in oportunitate bafilicæ & fratrum præfatum numero centum fuffragia conftituimus, nihil minuere quifquam præfumat; fed hæc noftræ pietatis conceffio & imperialis altitudinis fanctio ita perpetuo confervetur, ficut in privilegio domni & fanctiffimi patris noftri Johannis apoftolici & univerfalis papæ, ac aliorum epifcoporum privilegiis continetur aftipulatum: augere vero fi quifpiam voluerit, augmentatis & multiplicatis eorum ufibus rebus accumulentur divini cultores fervitii. Memoratum denique domni & fanctiffimi papæ Johannis privilegium per hoc noftræ imperialis excellentiæ edictum confirmamus, atque, ficuti fua decrevit fanctio, ita perpetuo manfurum noftra decernit roboratio. Et ut hæc noftræ donationis auctoritas, ac edicti conftitutio, atque immunitatis roboratio per omnia tempora inviolabiliter in Dei nomine confervetur, veriufque credatur, manu propria fubter firmavimus, & bullarum noftrarum impreffionibus infigniri juf-

ſimns. Signum Karoli glorioſiſſimi imperatoris auguſti. Signum HLudowici glorioſi regis. Audacher notarios ad vicem Gauzlini recognovit & ſubſcripſit. Data tertio oooas Maii, indictione decima, anno XXXVII. regni domni Karoli imperatoris io Francia, & in ſucceſſione Lotharii regis VII. & imperii ſecundo. Actum Compendio palatio imperiali in Dei nomine feliciter. Amen.

Ex regiſtris curiæ Parlamenti.

QUoddam privilegium monaſterii Compendienſis, bulla aurea Karoli Calvi Franciæ regis ſignatum, arreſtatum fuerat, tamquam de falſitate ſuſpectum, per curiam, eo quod filo, cui bulla ipſa appendebat, poni poterat bulla, & de eo removeri. Poſtmodum conſiderato, quod hoc plus proveniebat ex antiquitate privilegii ipſius, quam ex aliqua falſitate, præcepit dominus rex privilegium ipſum reddi abbati & conventui dicti loci. *Relatum inter Judicia, Conſilia & Arreſta Pariſius in Parlamento pentecoſtes anno Domini* 1271. De hoc diplomate vide librum quintum de re Diplomatica, pag. 405. & 407.

XXV.

Aliud ejuſdem præceptum, permutationem factam inter canonicos Capleienſes & monachos Æduenſes confirmantis.

Ad lib. 37. n. 96. *Ex archivo S. Martini.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolus ejuſdem Dei omnipotentis graria imperator auguſtus. Si commoditates ac neceſſitudines locorum divinis cultibus mancipatorum, ſervorumque Dei in eiſdem degentium ſagaciter providemus, imperialis præcellentiæ opera frequentamus, ac per hoc facilius nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos procul dubio confidimus, & auxilium ſupernæ pietatis ob id nobis ad præſentem vitam felicius tranſigendam, & ad futuram obtinendam nullatenus ambigimus. Igitur ootum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus noſtriſque, ſcilicet præſentibus & futuris, quia quidam reverendus cœnobii baſilicæ ſancti Martini eximii confeſſotis Chriſti, ſimulque Capleienſis monaſterii, quo corporaliter ejuſdem venerandum corpus quieſcit, Hugo abbas, noſter fidelis atque propinquus, ionotuit celſitudini noſtræ, qualiter quaſdam res prælibati ſancti Martini, una cum conſenſu canooicorum, quas largitate noſtræ benignitatis olim eidem ſancto confeſſori, ſibique & canonicis famulantibus per præceptum dedimus, ſitas in pago Avalinſe, in vicaria Ilimacinſe, in loco qui dicitur Goilis, cum mancipiis aliiſque rebus eidem loco pertinentibus, dederat partibus domni Arnulfi quondam venerabiliſſimi abbatis cœnobii confeſſoris Chriſti prælibari domni Martini, ſcilicet monaſterii in ſuburbano Æduenſis civitatis editi, ſeu partibus monachorum inibi Deo ac prælibaro ſancto Martino devote famulantibus: & pro eiſdem rebus e cootra acceperat ab eodem abbate domno Arnulfo, ſeu a monachis prælibati loci degentibus ex rebus eidem monaſterio pertinentibus in pago Tornodrinſe, in ipſa vicaria Tornodoro, in loco qui dicitur Sidriacus, manſum unum cum duobus ædificiis, cum mancipio Erncoino ſuiſque infantibus, & altero mancipio, Araldo oomine, cum vineola terris cultis & incultis, omnibuſque ſibi rebus pertinentibus diverſis in locis conſiſtentibus. Super qua re petiit culmen imperialis munificentiæ noſtræ, ut dignaremur præcepto noſtræ auctoritatis eaſdem commutationes corroborare: quatenus rata haberi valeant, quæcumque pro ambarum oportunitate ac commoditate ioter ſe peracta noſcuntur. Simili modo petiit, ut eodem præcepto imperialis noſtræ dignitatis quamdam permutationem in prædicto pago Tornodrinſe, in fine Commiſciacinſe factam, ſcilicet ex terris diverſis in locis ſitis, quas prænominati canonici ſancti Martini Capleienſis a ſanctimonialibus monaſterii S. Juliani Autiſſiodorenſis commutaverant pro ambarum partium oportunitate, & pro eiſdem in ipſo pago & fine Tornodrinſe juxta ipſum caſtrum, in villa Ateias & Eroia ſitas, ex rebus ſancti Martini terras partibus ſancti Juliani atque ejuſdem abbatiſſæ earumdem ſanctimonialium dederat ſuo aſſenſu utrique gregi ſibi commiſſo invicem beneficia oportuna caritate præbendi, largiendo facultatem commutandi. Cujus petitionem admodum aptam cognoſcentes, imperialis præceptum dignitatis fieri juſſimus, per quod decernimus atque firmiſſime roboramus, ut quæcumque inter ſe commutaverunt, anctoritate hujus imperialis præcepti noſtri inconvulſa omni tempore habeantur: ita ut quidquid pars parti tradidit, & ſerie ſcripturarum commuoi beneficio inter ſe confirmaverint, corroborata habeantur, irrefragabiliter teneantur atque poſſideantur; ſcilicet venerandus Hugo abbas & canonici ſancti Martini Capleienſis faciant ex hoc quod acceperunt libere, ſicut ex aliis ejuſdem monaſterii rebus. Similiter & venerabilis Badilo, qui ad præſens jam habetur, ac monachi cœnobii confeſſoris Chriſti beati Martini Æduenſis, ſicut ex aliis rebus eidem monaſterio pertinentibus faciant quod voluerint, æque & pars ſancti Juliani ejuſdemque monaſterii & ſanctimonialium rector eodem tenore faciant, ſicut ex aliis ejuſdem Sancti rebus. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, ac firmior per futura tempora habeatur, anuli noſtri ſubter eam juſſimus impreſſione ſigillari. Signum Karoli glorioſiſſimi imperatoris auguſti. Audacher notarius ad vicem Gozleni archicanc. recognovit. Data IIII. idus Julii, indictione X. anno XXXVIII. regni domni Caroli imperatoris in Francia, & imperii ejus II. Actum Pontione palatio imperiali in Dei nomine feliciter. amen.

XXVI.

Johannis papæ VIII epiſtola ad epiſcopos Britanniæ, de monachis ordinatis ab Hilducaro abbate.

JOhannes Romanæ ſedis epiſcopus, dilecto atque præclaro filio Maino archiepiſcopo, necnon & ceteris epiſcopis per Britanniam com- Ad lib. 38. n. 14. *Ex collect. D. Martini Benedict.*

manentibus, salutem & apostolicam benedictionem. Notum sit vobis, quomodo R. sgallon & Corvili cum aliis monachis corpora Apostolorum visitarunt, nostraque io præsentia veneruot. Postea de illorum ordinatione & aliorum monachorum, per ignorantiam ab Heclocaro abbate accepta, judicavimus, ut, si ipse indigne usurpavit, qui * a nemine illius officii ordinatore minime acceperit; istis tamen .... ordinatio, quia mali possunt bona bene ministrare, cum siot nequam. Ille vero amplius neminem ordinet, quousque.... nobis solutus. Hos suademus de cetero suam procurantes regulam, ut fratres ac filios alacriter, omni occasione postposita, in suo monasterio recipiat, ac deinceps bonum erga se studium, suosque subjectos faciat, ut ....iorum sui gregis sit sparsor, & ne nostris iterum auribus de illo proclametur, ut regularite .... judicabit.

* f. quod

XXVII.

Ἐπινίκιον seu *Rythmus Teutonicus, Ludovico Balbi filio acclamatus, cum Nortmannos anno 883. vicisset, cum versione Latina Joh. Schilteri.*

Ad lib. 38, n. 46. *Ex vet. cod. Elnonensi.*

Einen kuning vveiz ich,
heisse herr Ludvvig,
der gerne Gott dienet,
vveil er ihms lohnet.

Kind vvart er vatterlos,
dess vvarth ihme sehr boss.
Holoda'nan Truhtin.
Magaczogo vvarth her sin.

Gab her ihme Dugidi,
Fronisc githigini,
Stuel hier in Vrankon.
so bruche her es lango.

Das gedeild er thanne
sar mit Karlomanne
Bruder sinemo,
Thia czala vvanniano.

Odas vvarth al geendist,
koron vvolda sin God iz,
ob her arbeidi
so lang tholon mahti.

Liess der heidine man
obar sie lidan,
Thiot Vrancono
mannon sin diono.

Sume sar verlorane,
vvurden sum erkorane.
Haranscara tholota
ther er missilebeta.

Ther ther thanne thiob vvas,
ind er thanana ginas,
Nam sine vaston
Sidd vvarth her guotman.

Sum vvas luginari,
sum vvas skachari,
sum fallosis,
Ind er giburtha sih thes.

Kuning vvas ehruirrit.
das richi al girrit,

Regem novi,
vocatur Dominus LUDOVICUS,
Qui lubens DEO servit,
quippe qui eum præmiis afficit.

Minorennis orbabatur patre,
id quod ipsi erat valde noxium.
Suscepit ipsum DOMINUS,
ductor fiebat ipsius.

Dedit ei Heroës,
Illustres comites,
Sedem hîc in Francia.
Sic utatur illis diu!

Hæc divisit postea
cum Carolomanno
Fratre suo,
Portionibus fraude absque.

Cum hoc esset omne finitum,
Experiri volebat ipsius DEUS hoc,
Ao is tribulationes
aliquandiu tolerare posset.

Permisit gentilium militem
super eos duci:
Populum Francorum
militibus eorum servire.

Alii statim defecerunt,
Fuerunt alii tentati, (sollicitati.)
Contumelias patiebatur
quicunque secus viveret.

Is qui tum latrunculus fuerat,
atque hinc (his io turbis) invaluerat,
Occupavit ejus (Regis) castra:
Ex quo factus is nobilis.

Alius erat mendax, (falsarius)
alius erat sicarius,
alius desertor,
Et quilibet extollebat se eo (crimine.)

Rex erat attonitus.
Regnum totum perplexum.

vvas thrbolgan Krist,
leid her thes ingaldiz.

Thoh erbarmed es God,
vvist er alla thia nod,
Hieß herr HLudvvigan
tharot sar ritan.

Hludvvig kuning min
hilph minan liutin,
Heigun sa Nordman
harto biduuungan.

Thanne sprach Hludvvig,
Herro so duon hi,
dot nj rette mir iz,
al thas thu gibiudist.

Tho nam her Godes vrlub,
huob her gundfanon uf,
Reit her thara in Vranken,
ingagan Nortmannon.

Gode thancodun
thesin beidodun.
Quad: Hin al fromin,
so lango beiden uuir thin.

Thanno sprach lute
Hludvvig der guoto:
,Trostet hiu gesellion,
, mine notstallon,

,Hera santa mid God,
, doh mir selbo genad,
, Ob hiu rat thuti,
, thaz ih hier gefurti.

,Mih selbon ni sparoti,
, unz ih hiu ginerrti.
,Nu vuil ih thas mir uolgon
, alle Godes holdon.

,Giskerit ist thiu hieruuist
, so lango so uuil Krist.
, Vuil her unsa hina uuarth,
, thero habet giuualt.

,So uuer so hier in ellian
, giduat Godes uuillian,
. quimit he gisund us,
, ih gilonon imos.

, Bilibit her tharinne,
, Sinemo kunnie.
Tho nam her skild indi sper,
ellianlicho reit her.

Vuold her uuarer rahchon
sina uuidar sahchon,
Tho ni uuas it buro lango
fand her thia Northmannon.

,GODE LOB. sageta.

Erat iratus Christus,
permisit hanc tyrannidem.

At misertus est Deos,
cognoverat omnem hanc calamitatem.
Jussit Dominum HLudovicum
eò illicò proficisci.

HLudovice, Rex mi,
juva meum populum,
Eum Nortmanni
durè presserunt.

Tunc dixit Ludovicus:
Domine, sic faciam,
Mors ne prohibeat mihi hoc,
omne quod Tu mandas.

Tunc cepit is Dei veniam,
Sustulit vexillum classicum,
Expeditionem fecit in Franciam
adversus Nortmannos;

Deo gratias agens,
hunc exspectans,
Dixit: Agedum Domine,
tam diu expectamus Te.

Postea elocutus clarè
Ludovicus ille illustris:
Bono estote animo, Commilitones,
Constabularii mei.

Huc misit me Deus,
qui & mihi ipse gratiosus sit!
Ut vos consilium detis,
ut ego exercitum educam.

Mihi ipsi non parcam,
donec ego vos liberem.
Nunc volo ut me sequantur
omnes Dei fideles.

Data est hæc vita
tam diu quàm vult Christus.
Quia is nostra ossa servat,
eorum habet custodiam.

Quicunque hîc in alacritate
facit Dei voluntatem,
egreditur is integer (ex prælio)
ego præmio afficiam ipsum.

Si quis morietur hîc (in prælio)
ejus familiæ (dabo.
Tunc arripuit scutum & lanceam,
festinanter equitans.

Volebat is verè vindictam sumere
de suis adversariis.
Tunc nec erat intervallum longum,
Inveniebat Nortmannos.

Deo sit laus! dicebat,

Her sihe ihes her gereda.
Ther Kunig reit kuono.
sang lioth frano.

Joh alle saman sungun
Kyrieleison.
Sang uuas gesungen.
Vuig uuas bigunnen.

Bluot skein in uuangon
Spilodun der Vrankon.
Thar rahe thegeno gelih,
Ni thein so so Hluduuig.

Snel indi kuoni,
thas uuas imo gekunni.
Suman thuruch sluog her,
Suman thuruch stach her.

Her skancta cehanton
sinan fianton
Bitteres lides.
so uuehin hio thes libes.

Gilobet si thin Godes kraft,
Hludvvig uuarth sighaft.
Sag allin Heiligon thanc.
Sin vvarth ther Sigikamf.

Odar abur HLudvvig
Kuning uuar salig.
Garo so ser hio uuas
Svvar so ses turft uuas.
Gihalde inan, Truhtin,
bi sinan ergrehtin.

Videns id quod desiderabat.
Rex currit audacter
Præcinit canticum publicum (Litaniam)

Atque omnes conjunctim cantabant
Kyrie eleison.
Canticum erat decantatum:
Prælium cœptum.

Sanguis apparuit in genis
exultantium Francorum.
Hic vindictam sumsit miles pariter,
ocuio sic ut Ludovicus.

Alacer & audax,
Hoc erat ipsi congenitum.
Alium percussit.
alium persodit.

Propinavit subinde
suis hostibus
amarum potum.
Sic cesserunt hîc de vitâ.

Benedicta sit Dei virtus!
Ludovicus factus victor.
Dic omnibus sanctis gratias.
Ipsius facta victoriosa pugna.

At verò Ludovicus
Rex fuit felix.
Promtus ubi hîc fuit,
Gravis quantum opus erat.
Serva ipsum, Domine,
in sua Majestate!

XXVIII.

Carolomanni Ludovici Balbi filii preceptum pro sancto Crispino.

Ad lib. 38. n. 85. *Ex authentico.*

IN nomine Domini Dei æterni & salvatoris nostri Jesu-Christi, Karolomannus gratia Dei rex. Si utilitatibus locorum divinis cultibus mancipatorum, servorumque Dei necessitatibus in eisdem degentium opem nostræ celsitudinis impendimus, regiæ celsitudinis operam frequentamus, ac per hæc æternæ beatitudinis gloriam facilius assecuturos omnino confidimus. Qua de re notum esse volumus omnium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque fidelium præsentium scilicet ac futurorum, industriæ, quia adiens genua serenitatis nostræ illuster fidelis noster Erifonnus, coram frequentia procerum primatumque nostrorum humiliter petiit, ut pro relaxandis nostrorum facinorum culpis sanctis Crispino & Crispiniano aliquid ex rebus nostræ proprietatis omni tempore habendum sub ditione & potestate Hermoini sacerdotis fidelis nostri concederemus. Placuit itaque nostræ celsitudini ejus saluberrimis adquiescere postulatibus, & jam dictis Dei martyribus Crispino & Crispiniano in suburbio Suessonico sistentibus, sub potestate, munimine, ditione & tuitione Hermoini jam dicti fidelis nostri mansos duos ex Vermeria, ubi Richoldus & Gerardus commanere videbantur, cum vineis & terris omnibus ac mancipiis ad eosdem pertinentibus, nec non & cum aliis terris nostri fisci, ubi tigas, aut aliquam redhibitionem facere solent, in proprietatem delectabili voluntate condonavimus omni tempore habendum; ea videlicet ratione, ut annuatim die obitus nostri ecclesia ipsa luminaria, & fratres ejusdem loci caritatem accipiant fraternam, qualiter illis delectet pro nobis Domini misericordiam implorare. Statuimus autem & regio more delegamus, ut quamdiu jam dictus Hermoinus vixerit, eosdem mansos nemine inquietante teneat, & post suæ vitæ excessum cuicumque maluerit eosdem dimittat, salvo tamen jure ecclesiastico qui superius est prænotatus. Ut autem hoc nostræ auctoritatis inviolabile præceptum in Dei nomine firmius habeatur, & diligentius custodiatur, manu propria illud subter firmavimus, & dehinc anulo nostro subsignari jussimus. Signum Karlomanni gloriosissimi regis. Norbertus notarius ad vicem Gauzlini recognovit & subscripsit. Datum IIII. idus Decembris, anno sexto regnante Karlomanno gloriosissimo rege, indictione tertia. Actum apud Andelci monasterium in Dei nomine feliciter. amen. Erifonnus jubente Gauslino hoc ambasciavit.

NOTATIO.

Hæc charta secunda manu vitiata fuit quantum ad diem mensis quo data dicitur, ut cuilibet eam inspicienti facile erit advertere: anno enim DCCCLXXXIV. ante IV. Idus, id est ante diem decimam Decembris, è vivis excesserat Carlomannus.

XXIX.

Eirici comitis donatio facta eidem ecclesiæ.

Ad lib. 39. n. 4. *Ex authentico.*

UNicuique oportet, ut dum terrena possidet, cogitare sibi debet cælestia; & dum in suo jure & potestate consistit, præparet sibi viam salutis. Opto ergo misericordiam Dei & omnium sanctorum, ac venerabilissimis martyribus Crispino & Crispiniano, ut Dominus in æternum per eorum intercessionem mihi largire dignetur mercedem de rebus & mancipia, quas ad sanctorum supradictorum martyrum concedere vel conscribere ac roborare jussimos. Idcirco ego in Dei nomine nondum prævalere & cogitare possum omnia: ego Eiricus comes tradidi atque delegavi partibus supradictorum sanctorum martyrum rebus & mancipia ad illorum altare capite prædicto loco & ipsis martyribus in pago Suessionico, in fine villæ Montiniaco, mansa duo cum omnibus appendiciis eorum, una cum mancipia quattuor his nominibus, Ragenero, Angelberto, Teutbergane, & Edelsidis, in honore jam dictis martyribus, & pro dente, quam indignus accepi, ad illorum luminaria & ornamenta tradidi atque delegavi perpetualiter in Dei nomine ad habendum. Simili modo in ipso pago, vel villa, quæ vocatur Saviacus, mansum unum, una cum mancipia duo, pro remedio animæ meæ & conjugis meæ Bertanæ, ad altare, quod est constructum in ipsorum basilica in honore Domini & sancti Salvatoris. Ipsum mansum tradidi ad nostras rationes faciendas, vel ornamenta construenda: ut ipse sacerdos die quotidie ministerium pro salute animæ meæ ad ipsum altare ministret, medietatem de conlaboratu vel fructu de ipso manso ad suos usus recipiat: & aliam medietatem ad ipsum altare denominato deserviat perpetualiter, & proficiat in aucmentis vel ornamentis. Proinde nunc etiam scitote, ad partem ipsorum fratrum ibi Deo militantium in jam ante dicto loco tribui atque delegavi in ipso pago, & in villa Alta-fontana, terra arabile bunuaria II. vinea ad modia XX. seu etiam & in alio pago Otmense, in villa, quæ vocatur Vincella, dimidium mansum cum suis appendiciis una cum mancipiis, de jure nostro in jus dominationis ipsorum fratrum concedimus, ut VII. KL. Novembris ad refectionem vel commemorationem nostram firmiter habeant, evis temporibus teneant, futuris possideant, libero in omnibus ad illorum usus vel profectum potiancut arbitrio faciendi quidquid elegerint: ita ut ab hodierno die & tempore custos ipsius ecclesiæ ad luminaria ipsas res & mancipia recipiat, sicuti divisum, decretum, & roboratum habemus: & quicquid ad profectum ipsis sanctis martyribus facere decreverint, & ipsis fratribus, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem. Et si aliquis aliqua occasione fuerit intentus, quod minime futurum opto, si ego ipse, aut aliquis de heredibus vel proheredibus meis, certe quilibet extranea aut opposita vel emissa persona, aut judiciaria potestas, vel abba, seu quicumque locum tenuerit, qui contra hanc traditionem vel donationem, quam ego propria & spontanea voluntate partibus jam dictis martyribus & ipsis fratribus tradidi, & roborari jussi, ullum unquam tempore venire .... conatus fuerit, primitus iram Dei omnipotentis & sanctis martyribus accipiat, & a limina omnium sanctorum extraneus appareat, & illam maledictionem in se accipiat, quam Datan & Abiron, quos terra vivos deglutivit, & sit ille lepra percussus, sicut fuit Giezi puer Elisei: & inferat una cum judiciaria potestate auri libras C. argenti pondera CC. & quicumque repetit, coactus exsolvat presentis & fu... donatio atque traditio ista firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa. Actum Suessionis in atrium beatorum martyrum sub die VIII. KL. Novemb. anno secundo regnante domno imperatore [Carolo.] Signum Eirici comitis, qui hanc donationem manu propria firmavit, & viris magnificis firmare rogavit. S. Rodulfi filii sui. S. Geroldi nepotis. S. O..... S. Odelrici nepotis. S. Warneri nepotis. S. Eirici nepotis. S. Teudrici vicecomitis. S. Raimundi. S. Nortberti. S Rotberti. S. Ragenardi. S. Lantberti. S. Ragemberti. S. item Raimundi. S. Gerini. Glorius notarius emanuensis recognovit & subscripsit.

XXX.

Privilegium Caroli Crassi de omnibus abbatiis & curtibus ecclesiæ Nivernensis.

Ad lib. 39. num. 13. *Ex chartulario Nivern.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei imperator augustus. Si fidelium nostrorum aurem celsitudinis nostræ petitionibus accomodaverimus, morem prædecessorum nostrorum parentum, regum scilicet & imperatorum, exercebimus. Igitur cognoscat prudentia & inquisitio fidelium sanctæ ecclesiæ catholicæ, præsentium scilicet & futurorum, quia dum apud Parisium cum Germanicis & Francis ad obsidionem sederemus contra paganos, Emmenus venerabilis vir episcopus Nevernensis ecclesiæ in eadem militia nobiscum pernoctans, quadam die præcepta prædecessorum nostrorum imperatorum & regum cognoscenda & relegenda obtulit, in quibus continebantur immunitates sui episcopii, & abbatiæ & curtes indominicatæ & reddita beneficia ab avunculo nostro Karolo imperatore, fratre patris nostri Ludovici Germaniorum regis. Postulabat itaque prædictus episcopus, ut præceptum nostræ roborationis & consensus priorum patrum addere dignaremur. Nos autem etiamsi de majori re postu-

lasset, cum illi promta mente favere ob reverentiam sui sacerdotii conabamur, adepto consilio cum primoribus palatii nostri probavimus, quod innotescebat & precabatur agendum. Morem denique regum & imperatorum, patres scilicet & avunculos nostros imitantes, & eorum instituta toto animo conservare optantes, constituimus præcepti conscriptum Nevernensi ecclesiæ & venerabili pontifici Emmeno de abbatia sancti Martini extra murum Nivernis sita, & de omnibus suis redditibus; de abbatia sancti Troesii, de abbatia sancti Agricolæ, de abbatia sancti Salvatoris, de abbatia sancti Geldardi sanctique Lupi, de abbatia sancti Francoeni, de abbatia sancti Vincentii in Magniaco, de curte etiam ultra Ligerim, de abbatia sancti Genesii & sanctæ Mariæ Dei-genitricis, in qua sanctimoniales feminæ Deo militant, de abbatia in Cutiaco jussu & studio Emmeni episcopi ædificata, de qua constituimus in aliud præceptum, ut sanctimoniales duas partes suis usibus de omni beneficio absque ullo servitutis obsequio habeant, & omnem tertiam partem de omni beneficio totius abbatiæ, sive de alode nobilium ibi condonato habendam Nevernensi episcopo censuimus, nisi ipse episcopus suam tertiam partem sanctimonialibus feminis sponte tempore famis, aut pro aliqua oportunitate vel necessitate usque ad constitutum ab episcopo tempus reliquerit, & licenter uti & exfructicari permiserit; de abbatia etiam in Insula-Galli posita cum omnibus suis beneficiis, & de beneficio quod Ricardus comes eidem abbatiæ per cartæ scriptum adposuit, Emmeno episcopo postulante, de abbatia Glandone cum omnibus sibi pertinentibus, de cellula sancti Desiderii extra & contra portam civitatis posita, de abbatia sancti Petrusii in Morvenno cum omnibus suis appendiciis, de abbatia sancti Patricil inter Ligerim & Alericum fluvios cum omnibus appendiciis, de porta etiam civitatis cum ambabus turribus contra sanctum Desiderium structa, quæ & porta Episcopalis dicitur, & de claustro canonicorum, & de omnibus areis infra civitatem positis, ut nullus judex, nullus sæculi principatus mansionare aut servitium exigere aut occupare præsumat. De manu etiam firmis, ut judicio episcopi & dispositione sicut incipiunt habere exordium, ita judicio & disfinitione episcopi, utrum veræ an falsæ sint. utrum stabiles an inutiles sint, tantummodo absque judiciali potestate comprobentur, ordinentur & diffiniantur. De Amsiaco & mallis ejus, ut sicut ab antiquo, ita etiam ex hoc tempore omnia conserventur. De Ursiaco, de Variniaco & mallis ejus ex antiquitate ejus conservatis, de Marsiaco, de Primitiaco, de Dagoniaco, de Marcisiaco, de Diguntio, de Artado, & de beneficio in Provincia, & de illis beneficiis, quæ sunt in Mazcodonense comitatu, & in Catolonensi comitatu, & io Augustudunensi comitatu, & in Autissiodorensi comitatu, & in Bituricensi comitatu, & in Arvernensi comitatu, quantumcumque ex sancti Cyrici ratione ab antiquitate esse cognoscitur. Et ut immunitas integra in omnibus conservetur, & ut eundem honorem & observantiam, quam ceteri episcopi in suis urbibus habent, episcopus Nevernensis ecclesiæ in suis quæ ad se pertinent habeat, hoc præcepto instituimus, & instituendo decernimus. De causa quoque fratrum canonicorum sancti Cyrici, quidquid a regibus & ab Episcopis ejusdem ecclesiæ de Paterniaco, de caviniaco, de Curte, de Germigniaco, de Wariniaco, de Vitiniaco, de alodis communibus eorum, sicut diffinitum est, ita & nos consentiendo diffinimus, & hoc præceptum manu propria subscripsimus, & anolo nostro adsignari rogavimus. Signum Karoli gloriosissimi imperatoris augusti. Amalbertus notarius ad vicem Liutvardi recognovi. Datum XV. Kal. Januarii, anno incarnationis Domini DCCCLXXXVII. Indictione V. anno VI. regni Karoli piissimi imperatoris augusti in Italia V. in Francia IIII. in Gallia II. Acta Parisius in Dei nomine feliciter, amen.

XXXI.

Decretum synodi Moguntinæ de libertate monasteriorum Corbeiæ-novæ & Heriferdensis.

Convenit episcopali auctoritati pie sollicíteque semper cogitare, quatenus ita ecclesiarum Dei sollicitudinem habeant, ut sacris locis, in quibus jugi Deus famulantium sedulitate placatur, opportuna conferre suffragia non detrectent. Unde ego Liudbertus licet indignus Mogontiacensis archiepiscopus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ suggero, quia venerabilis frater noster Bovo abbas monasterii, quod vocatur Nova-Corbeia, attulit nobis quamplurima chirographa gloriosissimorum principum ad confirmationem privilegiorum ejusdem monasterii promulgata, inter quæ proxime ei collatum communiter, & ipsius & Herivordensis monasterii statum confirmabat, datum scilicet a glorioso rege Arnulfo his ipsis diebus noviter ad regnum provecto. Super hæc etiam chartas duas ostendit Romanorum pontificum, Adriani atque Stephani, in ipsis chartis concedentium, ut in tuitione sanctæ sedis apostolicæ præfatum Novæ-Corbeiæ monasterium perpetualiter haberetur, simulque apostolica auctoritate decernentium, ut idem monasterium plenissimam habeat immunitatem ab omnibus, quoquo modo foris vel intus monasterium in res ad illud pertinentes se se præter voluntatem abbatum loci ipsius permiscere cupientibus. His igitur omnibus apud nos relictis *, petiit præfatus venerabilis abbas, quo & ea, quæ sacris litteris piissimorum principum confirmata fuerant, nostra quoque auctoritate roboraremus, & his quæ ab apostolica sede decreta sunt, nostræ subscriptionis cartulam adjungeremus. Nos itaque considerantes religiosam ejus esse petitionem, pastoralisque esse officii servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere, decernimus, ut præfata duo monasteria, Corbeiense videlicet monachorum, atque Herifordiense sanctimonialium, de omnibus rebus, quæ vel in communi supra memorati principis

Ad lib. 39. n. 35
Ex Annal. Paderborn. & Chrift. Paullino.

* *f.* relectis.

cipis charta vel specialibus aliorum principum præceptis confirmata eis esse noscuntur, nihilominus talem ex ecclesiastica & episcopali sanctione obtineant firmitatem, ut nihil habeant, unde se tueri possent, quicumque sibi promittunt, hæc aliquo modo se posse immutare vel infringere. Habeant igitur præfata monasteria rerum suarum liberam in omnibus disponendi regulariter potestatem, ut quæcumque eisdem monasteriis in auro vel argento, in agris & famulis, seu quibuslibet rebus fuerint oblata, sive in præsenti die collata esse constant, in dispositione maneant eorum, qui eisdem locis prælati sunt, ut quidquid secundum Dei timorem regulariter & canonice disposuerint, ad ecclesiæ ipsius utilitatem liberam in omnibus cum consilio fratrum sororumve faciendi habeant potestatem. Et ut plenius prosequamur, quod sanctos apostolicos jamdictos intendisse scimus, atque ante eos beatum Gregorium, atque reverendæ memoriæ Nicolaum sanxisse de statibus monasteriorum invenimus, nos humiliter tantis auctoritatibus subscribendo confirmamus: ut nullus episcopus Paderbrunnensis aliquam ex eis vel accipiat, vel exposcat portionem, neque vel in his, qui regiminis locum tenent vel in ipsis congregationibus, aut in ipsis cœnobiis potestatem obtineat; neque ipsorum dominatione potiatur ulla, neque in clericis, neque in famulis & in omnibus, quæcumque ad monasteria ipsa videntur habere possessionis respectum, sicut ab omnibus eis hactenus servatum & consensum est episcopis, in quorum parochiis res eorumdem monasteriorum conjacere videntur. Nec ad ipsa monasteria vel cellas eorumdem, vel ipse per se episcopus vel œconomus ejus, vel archipresbyter, aut archidiaconus illius, seu quælibet ex ejus agentibus persona potestatem habeat accedendi; nisi forte necessitatis causa, vel dilectionis gratia vocatus advenerit, ne importunitate sui, ministrorumque suorum inquietudine sacris locis fiat molestia; neque in ecclesiis præfatis monasteriis subjectis, vel in presbyteris eisdem ecclesiis ordinatis aliquam temptet facere perturbationem, novam constituendo, & antiquam constitutionem violando; sed sicut regulariter & canonice disposita sunt, & longo jam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcussa. Ordinationes, quæ contrariæ non fuerint ipsis monasteriis, agere non differat. Altaris quoque, & basilicarum benedictiones sive consecrationes, prout necessitas postulaverit, vel in ipsis monasteriis, vel in agris eorum libenter concedat. Chrisma quoque, oleumque consecratum per singulos annos præbere non differat, & pro his omnibus nullum munus exigat, ne Spiritus-sancti gratiam vendere conatus, Simonis, quod absit, damnationem incurrat. Hoc constitutum non solum Paderbrunnensem, verum etiam omnium locorum episcopos, ubicumque præfata monasteria, vel ecclesias, vel agros, vel familias habere noscuntur, observare sine cunctatione seu contradictione oportet, ut nullus potestatis jure rebus eorumdem monasteriorum abutatur; sed maneant omnia in potestate eis prælatorum & regulari dispositione, quæcumque, ut diximus, vel in agris, vel in familiis, vel in decimis eis constant esse collata; sicut & apostolica & imperialia præcepta, partim simul, partim singillatim eis confirmaverunt. Abbatem vero vel abbatissam in his locis eligendi semper habeant potestatem, & eam *personam eligant*, quæ *propositum conversationis in utrolibet monasterio, & moribus & habitu profiteatur: non canonicum*, aut laicum, *neque alterius monasterii monachum*: in quo specialiter nos audire dignetur regia dominatio, ut nullam eisdem monasteriis præponant personam, quæ non ab ipsis congregationibus fuerit regulariter electa. Debent enim mundi principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari a Deo, videlicet, ut quemadmodum cupiunt a Deo sibi collatum regni honorem conservari, sic ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem. Non enim decet neque justum videri poterit, ut sibi militantibus de ecclesiæ Christi possessionibus mercedem restituant, & quod de republica sua retribuere debent, reddere velint de his, quæ collata sunt Deo. Qua de re noverit clementia vel nunc consistentium, vel successionis jure omnium futurorum principum a sede apostolica sancitum, nostraque subscriptione roboratum, necnon & antecedentium regum præceptis cautum, ut prædictis monasteriis nullas præficiant personas de quocumque ordine, nisi quæ per electionem probabilem sumatur. Quia vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones, & necesse est semper adversarii tela clypeo protectionis repellere: quod apostolica decrevit auctoritas, nos quoque approbamus, ut qui ordinati fuerint ad regimen sæpe dictorum monasteriorum, nulla potestate prævalente dejiciantur, nisi criminis causa fuerint deprehensi, cujus merito rectorum non debeant administrare officia. Infamiæ vero maculis, sive criminis alicujus denotatione si fuerint appetiti, non præter canonicam & regularem deponantur examinationem. Si quis ergo apostolicæ sedis decretum, cui nos hanc confirmationis cartulam veneranter subscripsimus, contempserit, procul dubio damnationis censuram suscipiet, quam credimus divino Spiritu per apostolicam linguam prolatam. Nos igitur nostram subscriptionem anuli nostri impressione signantes, obsecramus fratres & coepiscopos nostros omnes, in quorum manus ista devenerint, ut sua etiam auctoritate & subscriptione hæc confirmare velint: ut quicumque hæc temerare præsumpserit, generalitatis nostræ sententiis ita anathematis vinculo obligetur, ut neminem habeat, de cujus favore sibi blandiatur, aut se tueri posse putet a sententia damnationis. Cunctis autem ista servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ quietis inveniant. Et quia apostolicæ auctoritati subscribentes ista edidimus, justum est ut illam sacram sedem etiam in hoc honoremus, ut appellationes ad eam fieri liceat a prædictis locis, cum necessitas fuerit: eo videlicet tenore, ut si hoc

constitutum ab aliquo fuerit prævaricatum, metropolitanus eorum episcopus, quo ego ounc licet indignus fungor officio, personam hujus sanctionis violatricem conveniat, & hujus nostri decreti testificationem innotescat; utque ab eo quod prave gessit, recedere non meretur, ex communi omnium coepiscoporum auctoritate cootestetur; at si ille contumaciter io sui facti perpetratione perstiterit, licentia eis fit Romanam apostolicamque sedem adire, & necessitatis suæ causas ante papam, qui tunc fuerit urbis Romæ, deponere, ut per eum a prædicta caosa reus jostæ damnationis sententia multetur.

Folco monere divino metropolitaoos ecclesiæ Remensis episcopus, tenorem hujus sanctionis perlegens & diligenter pertractans, in omnibus eam probandam & corroborandam esse judicavi, tam propter antiquum jus monasteriorum etiam his cœnobiis conservandum, quam ad præcavendas nihilominus molestias hic summatim prohibitas, quæ modernis temporibus cootra sacra monasteria per quosdam episcopos recenter ordinatos, necnon etiam per quorumdam laïcorum infestationem grassari cœperunt, ad quas inhibendas rationabilis ordo servatus est; ut & gloriosorum principum hic concessiones, & pontificum Romanorum privilegia, & archiepiscopi ejusdem monasterii his omnibus astipulatio, & ut ceteri velint episcopi assensum præbere, nequaquam spernenda hic contineatur petitio; cujus gratia illectus simul & præsentialiter ab eodem venerabili archiepiscopo Liudberto, necnon a Bovone religioso ejusdem monasteri abbate rogatus, hoc decretum episcopali auctoritate ratum esse decernens, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti confirmavi & subscripsi.

Willibehrtus Agrippinnensis ecclesiæ archiepiscopos huic decreto meæ mediocritati recitato, attestationem & assensum præbens, quod necessario ac rite promulgatum sit, sub attestatione nominis Domini nostri illud confirmavi & subscripsi. Thiadmarus ecclesiæ Salzburgensis archiepiscopus huic decreto consensi & subscripsi. Radbodo Trevirensis archiepiscopus approbavi & subscripsi. Johannes Rotomagensis archiepiscopus consensi & subscripsi. Hildegrimus Halberstadiensis episcopus consensi & subscripsi. Adalgarius ecclesiæ Hamaburgensis archiepiscopus consensi & subs. Liuvardus Vercellensis ecclesiæ episcopus cons. & subscripsi. Arnoldus Wirtziburgensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Hrodbertus Mettensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Adalhelmos Wurmacensis ecclesiæ episcopus cons. & subscr. Godelhancus Spitensis ecclesiæ episcopus cons. & subscr. Wichbertus Hildeneshemensis ecclesiæ episcopus consensi & subs. Dethmarus Virdinensis ecclesiæ episcopus cons. & sobscr. Dodilo Cameracensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Honoratus Belvacensis ecclesiæ episcopus cons. & subsc. Herdilo Noviomagensis ecclesiæ episcopus cons. & subscr. Balthramnus Strarzburgensis ecclesiæ episcopus cons. & subs. Waldo Frisingensis ecclesiæ episcopus cons. & subscr. Thiadulfus Curacensis ecclesiæ episcopus consensi & subscr. Hæc facta continuante & coosummante anno dominicæ incarnatioois DCCC. supra LXXXVIII. in unitate sancti Spiritus.

XXXII.

Rodulfi regis preceptum de abbatia Romanis, quam Adelaidi reginæ dedit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Rodolfus divina favente clementia rex. Cum conveniat regiam eminentiam ut erga subditos benignum præbeat auditum, & justam petitionem eorum ad effectum perducat; decet maxime ut qui promptissima devotione in ejus servitio intendunt, liberalitatem clementer impertiat. Ac per hoc noverit omnium saoctæ Dei ecclesiæ fideliom, tam præsentiom videlicet quam & sututorum sollertia, quoniam accessit ad clementiam magnitudinis nostræ dolcissima ac dilectissima Adaleydis sorot nostra, petens & supplicans, ut abbatiam Romanis, quæ constructa habetur io bonore beati Petri apostolorum principis, & est sita io comitatu Waldense, per præceptum nostræ regalis dignitatis ei in vita sua concederemos, & ut haberet post discessum suum potestatem relinquendi cuicumqoe voluerit heredum suorum. Quam petitionem intimo ex corde suscepimus, & per auctoritatem, quam habemus principalem, jam dictam abbatiam Romaois eidem largimur dum vixerit: cum autem Deus eam a corpore vocare dignatus fuerit, habeat licentiam & omnem facultatem relinquere eam quemcumque elegerit de heredibus suis. Adque ut hæc nostra largitio firmior habeatur, & per cuncta sæcula inconvulse servetur, manu oostra subter firmavimos, & de anuli nostri impressione sigillari præcepimus. Signum Rodulfi piissimi regis. Berengarius notarius ad vicem Theoderici archiepiscopi & cancellarii recognovit. Data IIII. id. Junias anno Christo propitio Rodulfi piissimi regis primo, anno ab incarnatione Domini DCCC LXXX VIII. indictione VI. Actum Vabrevilla in Dei nomine feliciter. Amen.

Ad lib. 39. n. 36. *Ex authentico.*

XXXIII.

Aureliani archiepiscopi Lugdunensis donatio facta Namuacensi monasterio.

ANno DCCC XCI. indictione XII*. Ego Aurelianus suffragante Christi clementia humilis archiepiscopus. Dum secuodum normam a sanctis & deicolis patribus institutam, parochiis nostris ministeriom cælitus nobis commissum perageremus, cœnobium quoddam nomine Nantuaco, quod in nomine sancti Petri principis apostolorum constat esse dicatum, advenimus. Quamvis coim hæ sanctiones patrum nos moneant, ut per ministros ecclesiarum gubernationes adhibeamus; cœnobio non sumus ausi pro

Ad lib. 39. n. 62.
* *l.* IX. aut X.

tempore nostram occultare præsentiam, dictis pariter & facto pro modulo nostro demonstrantes exemplum; glorificantes nos divinum implere præceptum, ut, qui mibi ministrat, me sequatur; ne fortuito de nobis illud eveniat quod beatus Paulus de quibusdam fatetur, inquiens, Timeo ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus.... forte sine causa laboraverim in vobis. Nam cum præfatum monasterium ingrederemur, sanctorumque humillimis obsecrationibus de commissis veniam flagitaremus, & fessis membris requiem dedissemus; abbas ejusdem cœnobii, Bertranno nomine, cum commisso sibi grege, nostris conspectibus fletuum ululatione audire nos postulavit, quæ & quantæ calamitatum miseriæ degentes in ipso loco perturbarent & affligerent. Nos vero eorum congemiscentes miseriis, juxta Apostolum, qui dicit: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; in illorum vicem consentientes *, gemitibus gemitum & dolorem e medio cordis nostri traximus. Itaque nos deprædationibus iniquorum annullatis, quatinus viri Deo famulantes inibi servitium temporale ex parte...... dat...... præ oculis tenentes quod iis deesset, humanitus solvendo necesse est impleretur. Divinum itaque animarum formidantes periculum, atque timentes maxime per prophetam dicentem: *Pascite qui in vobis est gregem Dei:* reddimus cellam, quæ dicitur *Pomeirs* *, in alimoniam fratrum, & sanctum Albanum cum omnibus appendiciis suis, quæ olim ab antecessore nostro ab ipso loco fuerat abstracta. Addimus etiam, ut per hujus privilegii firmitatem & nostram munificentiam, quæ in præsentiarum tenere videntur, quiete & absque alicujus calumnia possidendo retineant, hoc est in primis Nantoacum cum servis & mancipiis, & quidquid sanctus Petrus in Genevensi pago habet. In episcopatu Nevernensi Rodostum villam cum servis & omnibus appendicus suis, & potestatem quæ vocatur Regnio, cum ecclesiis & omnibus appendiciis suis; locum qui vocatur Villula juxta civitatem Gebennicam * posita similiter cum omnibus appendiciis, cum servis & ancillis. Reddo etiam alia loca & villas in episcopatu Lugdunensi positas, Ennissariacum, Wormeciatum, & Varacecium cum agris ex cambio res ex Traubiaco exeuntes restituo, & servos inibi degentes, qui de capite suo in sollemnitate paschæ, videlicet feria tertia, unusquisque tres nummos in censu persolvant. Colomiam etiam quæ in Valobono * est, addo cum suis mancipiis, & unam calderiam in Grossono, cum bis, quæ ibi sanctus Petrus habet pro monachis. Quibus concedimus, modisque omnibus statuimus, ut post decessum.... omni tempore deinceps de ipsius congregatione fratres, quemcumque voluerint, eligant abbatem, & nullum aliunde recipiant, nisi quem unanimitas illorum propriusque assensus voluerit, atque elegerit. Hæc omnia cum præfata cella loco illo Deo dicato per hujus firmitatis auctoritatem confirmamus, ut neque nos vel successores nostri de his rebus aliquam dominationem vel abstractionem ausu temerario facere præsumant. Quod si quis, quod absit, egerit, in ultimo examine Judicis non in dextera parte cum Sanctis locandus, sed in læva cum diabolo & suis complicibus reus exsistat & arguatur multandus. Ut ergo vigor hujus testamenti ratus perpetualiter consistat, manu propria roborare studuimus, & nobilium ac pontificum manibus confirmandum obtulimus. *Cetera desunt in manuscripto codice.*

* *al.* compatientes,

* *Pomiers en Forez.*

* *al.* Arvernicam. *lege* Ambronicam.

* *Montluel en la Valbonne.*

XXXIV.

Hucboldi monachi epistola & hymni de S. Theoderico.

Dilectis in Christo patribus & fratribus congregationis almi confessoris Christi Theoderici Hucboldus humilis licet indignus officio sacerdos, habitu monachus, omnem felicis vitæ jocunditatem. Pia vestra religio atque ardentissima in Deum & sanctum ejus Theodericum devotio, studiique simul boni intentio nostram adiit mediocritatem, expostulans, ut ad nostrorum imitationem majorum, qui in laudem Dei & sanctorum ejus mente promptissima singulis apta temporibus canora composuere modulamina, nos quoque vobis nocturnalia de memorabilibus præfati cultoris Dei & specialis patroni vestri domni Theoderici gestis cantilenæ melodiis, dulcorata cum antiphonis coaptaremus responsoria, in ejus sacra festivitate canenda. quod exsequendum tanta noster aggressus est animus alacritate, quanta vestra id fieri poscebat devotio. Et ecce divina favente gratia quod vestra suggessit caritas, nostræ parvitatis obedienter explevit humilitas. Sed quia attestante voce evangelica, dignus est operarius mercede sua; me humiliter expetente, & vestra bonitate favorabiliter annuente, in ejus parvissimi recompensatione servitioli spnpondistis mihi cum vestræ promissione fidei acturos vos in sacris orationibus vestris memoriam mei singulis annis expleto hoc ipso officio nocturnali: nec tantum dum in hoc cursu instantis ævi videor frui sole volubili, sed multo magis cum Deo disponente contigerit præsenti me vita defungi: & addidistis hujus in me benevolenriam exempli vos per successiones temporum, veluti pro bonæ consuetudinis lege relicturos posterorum dilectioni. Promissionis ergo inter nos istius firmitas intemerata sit fidei vestræ veritas coram Deo semper aperta, qui eum promittit habitaturum in tabernaculo suo, & requiem habiturum in monte sancto suo, qui loquitur veritatem in corde suo, & qui non egit dolum in lingua sua. Et ne vobis videar pro parvis exposcere magna, sciat dilectio vestra se apud illum recepturum impensæ in me caritatis præmia, qui pro minimis fideliter actis solet rependere maxima. Igitur gratifica vestræ dulcedinis sponsione & jussione accepta, ut in hoc perseverans, Deo miserante, maneat apud vos nostri memoria hæc prædicta, sicut & quæ sequuntur capitula in hac adnotata sunt pagina, pro vivo psalmum *De profundis*,

Ad lib. 39. n. 81.
ex manuscripto codice Ottoboniano.

» Pater noster, Capitula, Salvum fac servum tuum; » Convertere Domine usquequo; Mitte ei Domine auxilium de sancto; Nihil proficiat inimicus in eo; Esto ei Domine turris fortitudinis; » Domine exaudi orationem meam. Deus qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris.

Pro defuncto, Psalmum *De profundis*. Pater » noster. Requiem æternam dona ei Domine. Ne » tradas bestiis animam confitentem tibi. Anima » ejus in bonis demoretur. A porta inferi. Annue » nobis Domine, ut anima famuli tui Hucboldi » remissionem quam semper optavit, mereatur » percipere peccatorum. Per Dominum, &c.

Hymnus de sancto Theoderico.

FEstiva Christo cantica
Nunc turma fratrum concinat,
Qui semper in sanctis suis
Mirandus & laudabilis.

Theodericum terrea,
Et carnis oblectamina,
Qui corde fecit spernere
In seque mentem figere.

Is ergo spernens sæculum,
Christoque sponsam conferens,
Cælestis aulæ prævium
Sibi petit Remigium.

A quo celebri dogmate
Cum doctus esset optime,
Datur pater cœnobio,
Fundat poli quod nuncio.

Præclarus hic in dogmate
Et actibus sublimior,
Multis parabat perviam
Arctam polorum semitam.

Divina mox clementia
Miraculis hunc radiat,
Ut verba vitæ seminans
Et sanitatem conferat.

Nam suscitavit unicam
Theoderici filiam,
Ipsique regi postea
Lumen restaurat turbidum.

Oremus ergo supplices,
Nos hujus ut precatibus
A vitiis Christus levet,
Illustret & virtutibus.

Sit laus, decus, virtus, honor
Patri, Proli, Paraclito
Sit Trinitati gloria
Uni Deo per sæcula. Amen.

EXultet Domino mente serena,
Laudes ac jubilos concio nostra
Solvens almifluis atque colendis
Festis eximii Theoderici.

Qui tactus radiis Spiritus almi,
Dum transire videt gaudia mundi,
Sprevit clara figens lumina mentis,
Quo nos certa vocant munera Christi.

Hic nam Remigii dogma magistri
Sectans postposuit noxia sæcli:
Cui mox cœnobii creditur ordo,
Quem digne coluit dogmate claro.

In quo mira nitens cælica virtus,
Infirmos varia clade levavit,
Et Regis sobolem ordine miro
Orando revocat mortis ab antro.

Tu nos ergo pie Christe redemptor,
Istius meritis solve precamur
Cunctis criminibus, atque beatis
Jungas agminibus lumine regni.

Sit laus ingenito gloria Patri,
Virtus atque decus sit Genitoque,
Majestas similis Paraclitoque
Unus qui Deus est tempore sæcli. Amen.

Ejusdem Hucboldi epitaphium.

PRæcluis orator, sudans opobalsama cosmo, *Ex cod. Epinensi.*
Archas mellifluus rhetor super æthera notus,
En HUNCBALDE pater salve per secla verenter.
Tu lampas monachis, tu flos & doxa peritis:
Te plebs æternum lugens sibi deflet ademptum.
Vige juge, sophista, vale, theophile care.
Ediderat stilo examussim certamen honesto
Matris Julitæ, Cyrici, prolisque venustæ,
Ceu doctor celeber gnavus per cuncta magister.
Laudetur vigeat, quod quæso legatur, ametur.
Hæc quisquis legis, Requiem dic det Deus illi,
Palmam cum superis gestet super astra choreis.
Gloria pauper hæc peregit, metra clienter.

XXXV.

Arnulfi regis preceptum pro ecclesia Tullensi.

Ad lib. 39. n. 91. *Ex archivo S. Apri.*

ARnolfus divina favente clementia Romanorum rex. Quoniam sanctarum ecclesiarum defensorem nos constituit Dominus omnipotens, bene constructas regere, desolatas consolari, destructas restituere, si ejus voluntatem in illis disponendis & subveniendis adimpleverimus, perpetuam felicitatem nobis futuram esse non dubitamus. Quapropter notum fieri volumus præsentibus & futuris, quod in reditu nostro de Longobardia vir venerabilis Arnaldus sanctæ Tullensis ecclesiæ episcopus, nobis Constantiæ occurrens lacrymabiliter conquestus est, quod comes Stephanus & Gerardus frater suus, & Matfridus super possessiones Tullensis ecclesiæ nimiam malitiam exercuerant, & fere totam terram rapinis & incendiis ad extremum deduxerant: quod monasterium sancti Mauricii & sancti Apri, quod sub nomine advocatiæ sui juris falso per hereditatem esse asse-

rebant ; præter hoc munitiones castelli infra quatuot leucas ab urbe, contra statutum Dagoberti regis ædificaverant, per quas ex toto perierat antiqua libertas civitatis, quam cum banno regali ex integro omnes Tullenses episcopos a regno nostro jure perpetuo manifestum est possidere. Unde querimoniam præfati episcopi compatientes, injuriam suam nobis propriam reputavimus, & prædictos malefactores ad præsentiam nostram commoneri fecimus, qui venientes juxta Wormaciam per milliare unum ab urbe angarias ferentes, veniam postulantes, usque ad pedes Arnaldi episcopi Tullensis, qui nobiscum aderat, ipsas angarias deposuerunt, & septingentas libras argenti pro capitalibus ablatis Arnaldo episcopo restituerunt, & libertatem civitati se servaturos juraverunt, nostræ etiam ditioni se & sua tradiderunt. Præterea interventu dilecti filii nostri Zoenteboldi & Vilcovindi ducis & præfati episcopi antiquam libertatem a glorioso rege Dagoberto nos corroborando perpetuo observare præcepimus, scilicet ut infra quatuor leucas ab urbe Tullensi nulla munitio castellaris ædificata maneat, excepta immunitate Liberduni, quod proprium tutamen civitatis est, & locus pacis, in quo sanctus Eucharius martyr veneratur, & obsessus a Vandalis remansit indestructus, ubi Deus excitando potentiam suam salvos fecit multos, & Vandali passi ruinam magnam perierunt propter iniquitates suas. Nullus umquam posteritatis nostræ, nec sæcularis potentiæ veniat, qui libertatem istam iofringere possit, sed hujus præcepti auctoritas nullum patiatur detrimonium, & firma stabilisque perseveret illæsa. Datum, &c.

Hoc præceptum absque nota chronica insertum est diplomati Friderici II. imperatoris, qui illud coofirmat, aliaque privilegia addit anno 1225. mense Junio indict. XIII. anno imperii V. regni Siciliæ 27. Datum Fogræ.

XXXVI.

Ludelmi Tullensis episcopi donatio facta canonicis suæ ecclesiæ.

Ad lib. 40. n. 4.
Ex archivo S. Apri.

COgnoscant omnes sanctæ ecclesiæ fideles tam præsentes quam futuri, qualiter ego nomioe, non merito, sed divinæ miserationis dono Ludelmus humilis sanctæ Leuchorum ecclesiæ episcopus, pro æternæ remuneratioois commercio, necnon pro amore Domini nostri Jesu-Christi pariter & beatissimæ genitricis ejus Mariæ & sancti Stephani protomartyris reverentia, res proprietatis meæ, quas per firmitatis commutationem a domno seniore meo Zuendeboldo piissimo rege excipere merui, ad obtinenda sanctæ Mariæ, almique Stephani patrocinia, contradidi ad urbem prædictam, videlicet Leuchorum, in qua ego, licet indignus, ministerio episcopale fungi videor. Quæ si quidem res sunt sitæ in comitatu Tullensi, sicut in præcepto domni regis continetur, omnem proprietatis meæ facultatem in villa Vedeliaco mansum indominicatum cum basilica, in honore sancti Martini confessoris dicata, & cum aliis mansis ad ipsum indominicatum mansum aspicientibus, cum maocipiis utriusque sexus desuper residentibus vel aspicientibus, terris indominicatis, arabilibus, & reliquis omnibus, cultis & incultis, vineis, pratis, silvis, universis piscatiooibus, farinariis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus & reditibus, mobilibus & immobilibus, atque omnibus appendiciis ad jam dictam villam pertinentibus vel aspicientibus: en videlicet rationis ordine, ut fratrum canonicorum stipendiis deputata seu tradita ad eorum usus & utilitatibus, seu servitiis perpetuo famuletur, & ipsi eam absque ullius futuri præsulis successoris mei contradictione seu minoratione proprio disponant arbitrio. Annis vero singulis ad luminaria altaris S. Mariæ beatique Stephani concinnanda ex censo ejusdem villæ solidos decem persolvere studeant, necnon post excessum serenissimi regis domoi Arnulfi, per cujus manificentiam eamdem villam adeptus fui, & filii ejus incliti regis domni nostri Zuenteboldi annuam memoriam in vigiliis & orationibus perpetuis temporibus in die exitus eorum custodiant. Insuper etiam memoriam nominis mei anniversariam post vigiliarum, missarum ac orationum studia communi refectione celebrent. Ad altare autem, ubi corpus meum humatum fuerit, hebdomadarius sancti Stephani, quicumque fuerit, missam quotidie pro absolutione culparum mearum celebrare non desistat, cum ceteris piis defunctorum fidelium orationibus. Omnibus igitur rebus meæ proprietatis superius denominatis & comprehensis a die præsente, & deinceps beatæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Stephani famulis, canonicis videlicet loci ipsius inibi Domino humiliter servientibus, tali ratione dedi, tradidi, & perpetualiter confirmavi, ita ut in posterum ad alimoniam & substantiam vel usus eorum jugiter deserviant. Præterea universis venturis, Deo disponente, pontificibus successoribus meis vivens ac vita substractus obnixe deprecor per amorem Domini nostri Jesu-Christi, & per sanctum & terribile nomen ejus, seu & per timendam diem magni adventus ejus, ut hujus modicæ conscriptionis meæ traditionem illibatam conservent, & absque aliqua contradictionis macula seu repetitionis calumnia, vel minoratione in perpetuum stabilem permanere sioant. Si quis vero, quod minime fieri credo, si ego, quod absit, aut alia quæcumque persona contra hanc auctoritatis firmitatem venire temptaverit, vel temerario ausu contra Dominum sanctamque congregationem ecclesiæ sanctæ Mariæ almique Stephani, canonicorum videlicet, aliquid de prælibatis rebus injuste egerit, vel etiam infringere conaverit, a Domioo universitatis judice condignam retributionem recipiat, & conatus illius ad effectum pervenire minime valeat, sed præsens traditio & voluntaria confirmatio immobilis in æternum Christo defendente permaneat stipulatione subnixa. Acta Tullo civitate in ecclesia sancti Johannis-Baptistæ publice III. idus Augusti, anno dominicæ in-

carnationis DCCCXCVIII. indictione I. & IV. anno domni Zuenteboldi regis, similiter nostræ ordinationis IV. Ut autem hoc stabile consistat, hæc nostræ auctoritatis scripta subtus roborantes anulo ecclesiæ nostræ assignari jussimus. Signum domni Ludelmi Tullensis urbis episcopi. Sig. Benefridi primicerii. Sig. Folberti sacerdotis. Sig. Euralmi sacerdotis. Sig. Ruotlandi diaconi. Sig. Haidulfi sacerdotis. Sig. Arengaudi sacerdotis. Sig. Allonis sacerdotis. Sig. Ercheberti sacerdotis. Sig. Blidulfi laïci. Sign. Mannonis laïci. Sig. Bernardi laïci. Sig. Ragenerii laïci. Sig. Willeri laïci. Sig. Engelberti laïci. Sig. Dadonis laïci. Ego Cenulfus indignus sacerdos & ecclesiæ sancti Stephani cancellarius scripsi.

XXXVII.

Odonis regis præceptum pro monasterio Montis-rotundi.

Ad lib. 40. n. 15. *Ex veteri charta.*

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Odo clementia Dei rex. Si servorum Dei petitionibus ac necessitatibus opem ferendo consulimus, proculdubio Deum nobis exinde propitiatorem & remuneratorem tam in temporalibus quam in æterna beatitudine nullatenus ambigimus adesse. Quocirca noverit omnium optimatum & ceterorum fidelium regni nostri sollertia, quoniam Teneticus venerabilis abbas ex monasterio constructo in honore S. Martini Monte-rotundo * in Septimania, consentientibus suis monachis inibi Deo militantibus, veniens ad aures regiæ dignitatis nostræ innotuit nobis, qualiter propter nimiam illorum paupertatem & oppressionem malorum hominum inibi stare non possent; nisi nos ob Dei amorem ac æternæ remunerationis præmium, necnon in eleemosynam domni & senioris nostri Caroli, ac pro salute & commemoratione nostra [eis subveniremus:] quatinus omni tempore cum summa devotione liberalius & placabilius pro nobis misericordiam Domini exorent .... renovamus quæ ad necessitates eorum supplendas per hoc præceptum regalis auctoritatis nostræ cellam in honore S. Clementis in pago Gerundensi, cum omnibus appendiciis suis; & in pago Radense fiscum nostrum Junquerias cum ecclesia in honore S. Saturnini, cum omnibus appendiciis suis. Confirmamus etiam regia auctoritate villares duos, Usanno & Peyrerollo; & in pago Carcassensi cellam, quæ dicitur Mattona, in valle Aquigania *, cum omnibus adjacenciis suis &c. jam dicto abbati confirmamus. S. Odonis gloriosissimi regis.

* Montredon.

* Val-de-Daigne.

XXXVIII.

Caroli Simplicis diploma pro monasterio Uticensi.

Ad lib. 40. n. 38. *Ex ms. cod. Uticensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Carolus rex divina ordinante clementia. Si fidelium nostrorum justis petitionibus aures serenitatis nostræ accommodamus assensumque illis præbemus, morem prædecessorum parentum scilicet nostrorum regum imitari videmur, ac per hoc Deum propitium nobis fore non dubitamus, & in nostræ fidelitatis devotione animos illorum accendimus. Quocirca noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque tam præsentium quam & futurorum sollertia, quod adeuntes nostræ dignitatis excellentiam dulcissima genitrix nostra Adeleidis & dilectus comes Hugo consanguineus, necnon & illustris comes Ecfridus humiliter petierunt, ut sacris canonicis ex monasterio sancti Petri, in quo Ebrulfus sanctus corpore quiescit, qui vocatur Uricus, in Comitatu Oximensi, tale præceptum fieri dignaremur, qui eis & successoribus eorum futuris temporibus prodesset, hoc est villas quæ eorum usibus antiquitus deputatæ fuerunt; res etiam subterius nominandas, quæ eidem loco justo desiderio ab hominibus Deum timentibus traditæ sunt, tali præcepto ecclesiæ ipsorum & ipsis copularentur ut inviolabile in perpetuum permaneret. Quorum petitionem ratam invenientes, hoc nostræ altitudinis præceptum fieri, ipsisque fratribus dari jussimus, per quod præcipientes jubemus, ut ab hodierna die ac deinceps has villas, scilicet in comitatu Oximensi villam Agon, Pontum, Novam-villam Medro, Hardolit, Villare-ridum, Balcantiam cum ponto, Baliolum, Montem-niovinum, Acimacum Maciacum, Abrotinum, Broilum. In comitatu quoque Cœnomannico, Nunniagum villam, quam dedit Hugo comes & mater sua Rodhildis sancto Ebrulfo, in vicaria Gaviacense cum omnibus appendiciis. In alio loco in vicaria Silgiacense, Cusciatura, quartas IIII. Intervallis & Gisna, quartas IIII. In vicaria Belfaidisse, Berindum mansos sex cum omnibus ad se aspicientibus. In villa quæ dicitur Montis, mansum unum cum vinea, quem dedit Isembardus & quarta Iª. In ipsa villa mansum unum cum quarta Iª. quem dedit Basoinus. In villa quæ dicitur Crannas mansum unum cum vinea, & de foris terram arabilem quam dedit Engelboldus. Belciaco monasterio cum omnibus suis. Has villas & res nullus abba, neque ulla potestas sibi indominicari, neque alicui beneficiari præsumat: sed ipsi canonici libere eas teneant, & canonice disponant. Et ut hoc nostræ præceptionis seu confirmationis edictum inviolabilem obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus, & anulo nostro sigillari jussimus. Herluinus notarius ad vicem Ansceriici cancellarii recognovit & subscripsit. datum pridie Kal. Novembris indictione tertia, anno octavo, redintegrante III. regnante domno Carolo gloriosissimo rege. Actum monasterio sancti Benedicti in Christi nomine feliciter, Amen. Signum Karoli gloriosissimi regis.

XXXIX.

Ejusdem regis præceptum pro Milidunensi S. Mariæ ecclesia.

Ad lib. 41. n. 9. *Ex authentico.*

IN nomine sanctæ & individuæ Ttinitatis Karolus divina propitiante clementia rex. Regalis excellentiæ sublimitatis mos est fideles suos ingentibus honoribus sublimare potentesque efficere, & nihilo minus eos in Dei nostræque fidelitatis proculdubio [servitio] propiciores fore. Idcirco omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque tam præsentium tamque & futurum sagacitas, quod adeuntes præsentiam nostræ serenitatis dulcissima genitrix nostra Adeleydis atque Erchengerus comes humiliter nostram deprecati sunt celsitudinem, quatinus cuidam fideli nostro, nomine Tedrico, quamdam abbatiolam, fundatam in honore sanctæ Mariæ, sitam infra castrum Miliduni, in comitatu Milidunensi super fluvium Sequanam, diebus vitæ suæ & uxoris, & unius ex filiis suis ad possidendum concederemus. Faventes ergo libentissime precibus fidelium nostrorum, concedimus jam fato Tedrico & uxori ejus & uni filiorum ejus præmemoratam abbatiolam, sicut supra taxatum est, quandiu ipsi advixerint, cum omni integritate ad possidendum usu-fructuario & jure beneficiario, hoc est cum mancipiis utriusque sexus, terris cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, atque universis legitimis terminationibus juste & legaliter ad se pertinentibus. Quod si filius ejus non fuerit, uni de heredibus suis, quemcumque ipse elegerit: post rorum quandoquidem ab hac luce decessum, eædem res sicut hactenus fuisse noscuntur absque alicujus contradictione seu minotatione subsistant. Ut autem hoc nostræ largitionis præceptum per succedentia tempora majorem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria illud firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus. Datum XII. Kal. Septemb. indictione IV. anno VIIII. regnante domno Karolo gloriosissimo rege, redintegrante IIII. Actum villa Carmentuadis in Christi nomine feliciter, amen. Erluinus notarius ad vicem Ascherici episcopi recognovit & subscripsit.

XL.

Prologus Martiniani monachi in libros morales.

Ad lib. 41. n. 35. *Ex manusc. cod. Resbacensi.*

REverentissimo patri domino scilicet J. fraterMartinianus omnium monachorum infimus in Christo Jesu, donum felicis perseverantiæ, ac bravium remunerationis æternæ. Posteaquam a te, mi Pater, infelix & insipiens sensus meus me corpore separavit, quod mente non potuit, & in vestro monasterio perveni, atque secundum propositum monachilis ordinis in eodem degere & militare disposuissem; modico intervallo facto tractatum est ab abbate & prioribus meis, ut ad aliud monasterium transmigrarem, quod fertur ab anterioribus viris floruisse antiquitus opulentissime, opibus scilicet & terra, auroque & argento, seu omnibus ornamentis innumeris. Degebat autem illud monasterium sub regulari abbate, cui obœdiebant inibi fratres CCLX. Ibi enim cum aliis fratribus mihi valde subtilioribus & nobilioribus advenissem, multa adversa ab invidis & falsis fratribus perculi. Nec immetito quidem. Nam callidus ille serpens, qui primum hominem per gustum vetiti pomi expulit de paradiso, immissionibus suis turpiter me ac miserabiliter illudebat, adeo ut plerumque quasi ebrius incedens, quæ sancta erant, fastidire, atque lubrica cogitare diligerem. Tandem, Deo dante, cum ad me revertebar, exclamabam: *Exsurgat Deus & dissipentur inimici ejus.* &c. Tunc ingemiscens dicebam: *Nisi Dominus adjuvasset me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Istud enim bellum nemo videbat, nisi Deus liberator meus. Quod si vidissent invidi, qui aliquid me æstimabant, & de me nihil facere contendebant, quid putatis adversum me agerent? Certe sufficeret eis hoc solum quod in me regnabat peccatum, ad me tentandum & ad exturbandum. Sed non permisit pius Deus. Denique multoties, cum, largiente Deo, tentatio illa evanescebat, mox sentiebam diabolum recedere, & Deum meum accedere. Tunc invocato Christi auxilio, accipiebam tabulam & graphium, & temptabam si aliquid possem egenus scribere contra illam temptationem, ea videlicet causa, ut frequentibus visa & lecta auxilium mihi præberet ipsa scriptura, quamvis exigua & illucubrata. Sic itaque, mi Pater, inchoavi hoc opusculum, & perfeci. Hoc etenim a te desidero accipi, a te concupisco legi, & flagito emendari, a te postulo corroborari: quatinus si aliquis mei similis post finem meum invenerit, & legere atque exinde in melius assurgere maluerit, illius profectus proficiat mihi, meque mortuo vel tantillum opus meum vivat, atque me tacente clamet pauperrima locutio mea in Conditoris servitio. De cetero autem peto, quo non attendatur ad vilissimam formam arboris, sed ad mellifluum gustum pomi optimi generis, illius scilicet, per quod evacuatur vis mortis propinata per gustum vetiti arboris.

Explicit prologus.

Quadam igitur die, dum ex capitulo nimis affectatus rixosis ac tumidis, sive sæcularibus locutionibus fratrum quondam exissem, occurrit animo, ut, dimissis exercitationibus illis, causa quietudinis villas adirem. quo facto, dum residerem tranquillius, acceptis tabulis & stilo, cœpi dictare isto modo.

Scio, & veraciter scio, quia verum est quod mihi objiciunt fratres mei, sed & deceptores sui, quia verbum, quod in auribus illorum de divinis lectionibus refero, non dulce, non leniter, sed exasperanter profero; & ego judi-

co quia ſic eſt. ſed quare? quia in malivolam animam id eſt in ſæculari animo, non poteſt introire divinus ſermo &c. non de omnibus dico. &c.

XLI.

Charta exſecutoria teſtamenti Acfredi comitis pro monaſterio Montis-olivi.

Ad lib. 41. n. 41. *Ex archivo Montis-olivi.*

IN nomine Domini noſtri Adalindez comitiſſa, Aldebrandus abbas, Uncſſus presbyter, Chevellmus presbyter, Rodolites qui ſumus elemoſinarii, & ut elemoſinarii de homine Aifredo * comite, qui fuit condam, nos ſimul in unum donatores ſumus vobis ad domum ſancti Johannis - Baptiſtæ caſtrum Malaſti, qui eſt ſitum in territorio Carcaſſenſe ſuper fluvium Duranno, & ad Renulfo abbate vel a cuncta congregatione ſancti Johannis ſic mandavit nobis ut ad ipſam domum ſancti Jobannis vel ad ipſo abbate vel a cuncta congregatione ipſius donatores eſſemus alodem proprium quod habebat in comitatu Redenſe juxta monte Baſſera in locum, ubi dicitur ſancti Martini, cum ipſa eccleſia quæ ibidem eſt fundata in honore S. Martini & cum ipſo villare & cum omnia quantum ad ipſo villare pertinet, vel quantum Aifredus comes & ego ſupra ſcripta Adalindes ibidem habuimus tam de alode quam de excomparatione, id eſt domos coopertas, caſales curtes, ortos, ortales, veredegarios, arbores pomiferas, vineas, terras cultas & incultas, pratis, paſcuis, ſilvis, garricis, molendinis vel molinaribus, fructibus, viæ ductibus vel reductibus, aquis aquarumve decurſibus, exitia & regreſſia earum; iſta omnia quantum quod ſuperius ſcriptum eſt, & quantum ibidem habemus vel viſi ſumus habere, ſic mandavit nobis ut ad domum ſancti Johannis vel a Renulfo abbate vel a cuncta congregatione ſancti Johannis ab omni integritate donare faceremus propter remedium animæ ſuæ ab omni integritate, tam aquiſitum quare ad aquirendum, & ipſas vineas quæ ſunt in villare Richilane, & omnia ſuperius ſcripta de noſtro jure in veſtra poteſtate & dominio tradimus ad proprium perhabendum, ut quidquid exinde agere, facere vel judicare volueritis, de præſenti die & tempore inantea vobis ſit firma poteſtas cum omni voce oppoſitionis de jam dicto Aifredo comite .... vel homo vel ſubrogata perſona fuerit qui contra hanc cartam donationis ad inrumpendum venerit aut nos venerimus, libra auri una coactus exſolvat, inſuper iram Dei incurrat, & cum Judas Iſcariotes in infernum colloquium habeat, & inantea hæc donatio firmis & ſtabilis permaneat. Facta hæc ſcriptura donationis undecimo kalendas Martii anno... regnante Carolo rege ſub era nongenteſima quadrageſima-quarta, indictione nona. S. Aifredo filio Aifredo qui conſentiens fui in iſta carta donationis. S. Hildebrandus abbas. S. Peldèmares. S. Hodoacer qui hoc feci. S. Amelius. S. Geronimus. S. Rabancus. S. Prautaldus. S. Jodolenus. S. Anſemundus. S. Arzemundus qui hanc ſcripturam ſcripſi die & anno quo ſupra.

* *f.* Acfredo.

Caroli Simplicis præceptum pro monaſterio Pſalmodienſi.

Ad lib. 41. n. 58. *Ex archivo Pſalmodienſi.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis KAROLUS divina ordinante clementia rex. Si loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei iis qui in eiſdem locis ſibi famulantur, beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ largitorem remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit ſagacitas ſeu induſtria omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam etiam futurorum, quia vir venerabilis REGEMBALDUS abbas ex monaſterio Pſalmodienſi, quod eſt ſitum in pago Nemauſenſi, ubi ſunt eccleſiæ, id eſt ſanctæ Mariæ & ſancti Petri vel aliorum ſanctorum; & ex monaſterio Juncellenſi, quod eſt ſitum in pago Biterrenſi, in ſuburbio caſtro Lunetenſe, ... quod per oppreſſionem paganorum, monaſterium Pſalmodienſe mutatum eſt in locum qui dicitur Corneliacenſis, ubi eccleſiæ conſtructæ ſunt, id eſt ſanctæ Mariæ & ſancti Petri apoſtoli & ſancti Juliani martyris, cum cellulis & eccleſiis, id eſt ſancti Clementis, & ſancti Vincentii, & ſanctæ virginis Agathæ, nuper a Sarracenis deſtructæ, & cum omni ſilva, quæ vocatur Pineta, ſicuti regius fiſcus, ſive in terra, ſive in aqua ibidem fuit, atque collatus eſt a progenitoribus noſtris præfato monaſterio Pſalmodio, cum ipſa terra quæ eſt inhabitabilis ad piſcandum a Conſoa ſcilicet Calva ad Conſoam Altam, & uſque Rubinam, quæ vulgo appellatur Boſoëna, & uſque in medium fluvium majoris Rhodani, ſicut deſcendit in mare, & ſub tali videlicet tenore, quod quidquid excreſcens Rhodanus a prænominata Boſoëna deſcendendo intrans in profundum mare, vel ipſum mare a flumine Rhodani uſque in Conſoam Calvam & uſque eccleſias ejuſdem ſilvæ, & item uſque in Conſoam Altam ſive præfatam Boſoëonam ſuis inundationibus ſeu alluvionibus ſemper reliquerit, terrenum, arenoſum, nemoroſum, arbuſtiferum, virguneuloſum, ibloſum, paluſtricum, lacus, ſtagna dulcia vel ſalſa, quidquid etiam poterit eſſe aptum paſcuis, piſcationibus, venationibus, aucupationibus, agriculturis, pratis, ædificiis infra ambitum dictarum conterminationum, cum omnibus redditibus quos ipſe jam monaſterio conceſſos in præſenti habet, vel in futurum habere ſperat, irrefragabile jus remanens ad opus monaſterii. Adiens igitur ſublimitatem culminis noſtri præfatus Regembaldus abbas innotuit nobis, qualiter eadem & fiſca ſibi pertinentia ſub manillone & mundeburde atque immunitatis tuitione progenitores noſtri priſcis temporibus conſtituiſſent. Sed & præcepta eorum ſuper hoc noſtris obtulit obtutibus, per quæ ei immunitas.... nos... vel eorum monaſterio conceſſa villæ ac ſibi appendices

pendices sive omnia præfata loca pertineant ab antecessoribus, progenitoribus scilicet nostris, abbatibus & fratribus ibidem Deo famulantibus concessa exsisterent, quatenus nec decimum, nec teloneum alicui exsolvant, aut ex piscationibus aliquem censum rribuant. Nos igitur, ut isdem vir venerabilis innotuit, benigne a parentibus nostris, regibus scilicet ac imperatoribus, concessum esse cognovimus; complacuit ergo celsitudini nostræ per deprecationem illustris comitis ac dilecti fidelis nostri Raymundi super his præceptum oostræ confirmationis addere. Et ne quispiam violenter ex eorum rebus vel ecclesiis aliquid subtrahere vel inquietare audeat; rursus omnia superius scripta, prædictam videlicet silvam cum ipsa plaga maris & cum prædictis ecclesiis, sicut regius fiscus fuere, & superius terminatum est, renovantes nostrorum prædecessorum donationem præfato Psalmodio regia liberalitate perenni jure concedimus, atque præcepti nostri roboratione confirmamus, per quod volumus atque jubemus, ut sicut antecessorum nostrorum, regum videlicet ac imperarorum, auctoritate firma prædictis locis substiterunt: ita etiam nostris & futuris temporibus inviolabili firmitate maneant atque subsistant, nullusque publicus judex, seu quælibet ulla potestas in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quæ juste ad eadem monasteria pertinent, ad causas audiendas vel freda aut tributa exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollendos, aut homines ipsorum monasteriorum tam ingenuos, quam & servos super terras illorum commanentes distringendos, nec ullas redivitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ superius enumerata sunt penitus exigere præsumat. Et quidquid ipsis religiosis monasteriorum viris Deoque famulantibus per eorum præcepta confirmaverunt & largiri fuerunt, nos quoque simili modo confirmamus & perpetualiter habendum delegamus. Et quandoquidem divina vocatione prænominatus abbas Regembaldus vel successores ejus ab hac luce migraverint, quamdiu inter se ipsi monachi talem invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam regere valeat, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant ibidem eligendi abbatis: quatenus servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis ac stabilitate totius regni nostri immensam Domini clementiam jugiter exorare delectet. Et ut hujus nostræ auctoritatis præceptum per omoia tempota inviolabiliter conservetur veriusque credatur, manu nostra subter eum firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi Regis. Ernustus notarius ad vicem Askerici episcopi relegit. Datum nonas Junii, indictione XII. anno XVII. regnante Karolo rege gloriosissimo, redintegrante vero XII. Compendio palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

XLIII.

Placitum Drogonis episcopi Tullensis pro monasterio S. Apri.

Residenre domno Drogono episcopo Tullo civitate in pleno synodo, venit vir nobilis Sigedeus abba ex cœnobio beati confessoris Christi Apri, & proclamavit se & dixit, quod decimam quam ad ecclesiam vel ad altare sancti Martini, quæ est sita in villa quæ dicitur Mannonicurte & Tomblonicurte, ad aliam ecclesiam, quæ dicitur in villa domni Apri, fuisset datus. Postea vero domnus Drogo episcopus in pleno synodo diligenter inquisivit, & ita invenit sicut Segedeus abba dixit. Tunc domnus Drogo interrogavit fideles suos archidiaconos, necnon & sacerdotes in plena synodo residentes, quid inde facere debuisset. Quapropter judicaverunt omnes & veraciter adfirmaverunt, quod domnus Drogo episcopus reddere debuisset Segedeo abbati decimam, quam ad ejus ecclesiam ab antiquitate venerat, & ibi fuisset permansurus. quod ita & fecit. Et isti probaverunt Girveus sacerdos, Evorinus, Adrianus, Authardus, Otbertus, Amalfredus, Giraldus. Si quis vero, quod minime credendum est, si ego ipse aut ulla opposita persona qui contra hanc notitiam venire temptaverit, aut eam infrangere voluerit, sciat se apud Deum omnipotenrem sacrilegii crimine ligatum, & sanctorum coosortium non esse adepturum; sed potius cum dampnatis anathematis vel infidelitatis permansurum. Et ut verius credatur & a successoribus nostris diligentius observetur, manu propria subter firmavimus, manibus quoque fidelium nostrorum roborari ferimus † Domni Drogonss episcopi, qui hanc notitiam fieri vel firmare rogavit. † Rotlandi primicerii, † Hetdoni archid. † Genulfi, † Ingelramni archid. † Alloni archi. † Fulconi, † Berengarii, † Gislulfi, † Rotberti, † Laremanni, † Wandelini, † Hugoni, † Walerici. Data sub die non. Novemb. anno IIII. regnante Karolo rege in Frantia, anno vero Dominicæ incarnationis DCCCC XVI. indictione IIII. Ego Rotlandus cancellarius scripsi & subscripsi.

Ad lib. 42. n. 4.
Ex authentico.

XLIV.

Caroli Simplicis diploma, quo Crucis sancti Audoeni abbatia Pratensi S. Germani monasterio donatur.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitaris Karolus divina propitiante clementia rex Francorum. Quoniam Deus omnipotens, qui est rex regum, nostram sui muneris celsitudinem dignanter prætulit suo & regno & populo, idcirco oportet nos non modo præesse, verum potius sanctis prodesse ecclesiis, ac præsertim destructis, quibus feritate paganorum pulsa existunt corpora sanctorum hactenus debita veneratione carentium. Quapropter comperiat omnium san-

Ad lib. 42. n. 19.
Ex authentico.

ctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque etiam præsentium ac futurorum sollertia, quia Rotbertus venerabilis marchio, nostri quidem regni & consilium & juvamen nobiscom, simulque abbas monasterii sancti Vincentii martyris, egregii quoque pontificis Parisiorum Germani, adiens nostram sublimitatem una cum comite Heriberto eximioque episcopo Abbone suggessit tam pro veneratione sanctorum cinerum Audoeni scilicet archiepiscopi necnon beatorum confessorum Leutfredi, fratrisque ejus Agofredi, quam etiam pro nostra totiusque salute regni concedere abbatiam, quæ nuncupatur Crux-sancti-Audoeni monachis prælibati confessoris Germani, quatinus abhinc & deinceps prædictorum membra sanctorum diu officio divino carentium ab eisdem cœnobitis reverenter susciperentur, cultuque divino secus beatos artus Germani collocata honorarentur. Quorum scilicet & nostrorum fidelium congruis petitionibus annuentes donavimus & subjecimus illam abbatiam, cujus caput est in Madriacensi pago super flumen Auturæ, sancto Germano ejusque monachis ad eorum jugiter mensam, præter partem ipsius abbatiæ, quam annuimus Normannis Sequanensibus, videlicet Rolloni suisque comitibus pro tutela regni. Idcirco autem res prædictæ abbatiæ cum omnibus villis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, silvis, aquis aquarumque decursibus, farinariis cum mancipiis & colonis & cum omnibus aliis appendiciis ibidem excepta portione Normannorum tradere & subdere & confirmare decrevimus ad victum, vestimenta seu etiam ceteros usus congregationis sancti Germani, quatinus singulis annis IIII. idus Febr. anniversarium nostræ dilectissimæ conjugis Friderunæ cum vigiliis, missarumque oblationibus frequentent; diem quoque nostræ unctionis V. Kal. Febr. sollemnitate sanctæ Agnetis cum summa refectione celebrent. Post obitum vero nostrum mutentur & orationum & refectionum præsidia in diem nostræ migrationis. Et super hanc cessionis auctoritatem hoc nostrum regale præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nullus quilibet fidelium sanctæ Dei ecclesiæ præsentium & futurorum de prænotatis rebus inquietudinem aut refragationem vel præjudicium seu violentiam, nec ipse abbas ejus cœnobii facere temptet, sed potius sine ulla subtractione vel diminoratione atque divisione liceat eas res eidem congregationi cum omni integritate inviolabiliter absque ulla calumnia & contradictione securiter ac perpetualiter possidere & frui. Ergo hæc nostræ auctoritatis præceptio ut firmiter continuationis vigorem obtineat ac veraciter per curricula annorum succedentia credatur, manu propria subter firmantes anulo nostro eam jussimus insigniri. Signum Karoli regis gloriosissimi. Gozlinus notarius ad vicem Herivei archiepiscopi summique cancellarii recognovit. Datum II. idus Mart. indictione VI. anno XXVI. regnante Karolo rege glorioso, redintegrante XXI. largiore vero hereditate indepta VI. Actum Compendio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

XLV.

Ejusdem regis donatio Surisnarum, Boalfa, Longuessa & Tiverni.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus divina propitiante clementia rex Francorum. Quoniam Deus omnipotens, qui est rex regum, nostram sui muneris celsitudinem dignanter prætulit suo & regno & populo: iccirco oportet nos non modo præesse, verum potius sanctis prodesse ecclesiis, ac præsertim deruitis, quibus feritate paganorum pulsa existunt corpora sanctorum hactenus debita veneratione carentium. Quapropter comperiat omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque etiam præsentium ac futurorum sollertia, quia venerabilis Robertus abbas monasterii sancti Vincentii martyris, egregii quoque pontificis Parisiorum Germani adiens nostram sublimitatem suggessit, ut pro nostra totiusque regni salute monachis prælibati confessoris Christi Germani quædam quæ usui eorum necessaria esse videbantur & nostra erant, concederemus. Cujus scilicet fidelis nostri congruis petitionibus annuentes, donavimus & subjecimus ditioni ejus & fratrum sibi commissorum villam in pago Parisiacensi Surisnas nuncupatam cum sua integritate, & in pago Pinciacensi Boalfam villam cum sua integritate, & in Mellent mansos quinque, & in Crisparias mansos duos, in Marvillio mansos duos, & in pago Wlcassino villam quæ vocatur Siria-fontana cum capella de Longuessio villa, terris, pratis & decimis eidem villæ & capellæ adjacentibus. Confirmamus etiam atque concedimus memoratis fratribus supradicti loci villam, quæ vocatur Tiverniacus in pago Belvacensi. Ideirco autem res prælibatas eis jam dictis videlicet fratribus tradere & subdere & confirmare decrevimus, quatinus singulis annis quarto idus Februarii anniversarium nostræ dilectissimæ conjugis Friderunæ & nostrum, cum contigerit, sollempnitatem etiam sanctæ Agnetis cum vigiliis missarumque oblationibus & frequentent & cum summa refectione celebrent. Ergo hæc nostræ auctoritatis præceptio ut firmiter continuationis vigorem obtineat ac veraciter per curricula annorum succedentium credatur, manu propria subter firmantes, anulo etiam nostro eam jussimus insigniri. Datum II. idus Maii, indictione VI. anno XXVI. regnante Karolo rege gloriosissimo, redintegrante XXI. largiore vero hereditate indepta VI. Actum Compendio palatio.

Ad lib. 42. n. 19.
Ex chartulario.

XLVI.

LIBELLUS DE SANGUINE CHRISTI, Augiæ asservato.

Præfatio anonymi monachi Augiensis ad Waldonem nonnosum.

Ad lib. 42. n. 49.
Ex manuscr. cod. Augiensi.

SCripturus de religioso sanguine Domini nostri JESU-CHRISTI, quo genus humanum ab antiqui hostis potestate redemptum est, tuis me, pater Waldo nonnose, precatibus commendo; ut qui tuo ceterorumque rogatu fratrum onus importabile pro ingenioli mediocritate suscepi, vestris opitulationibus sublevare curetis. Neque enim quidquam denegare fas erat piorum jussis, juxta illud, Melior est obedientia, quam victimæ. Neque vos quoque lapsanti opem levaminis subtrahere debetis. Itaque licet sensu impar, tamen Salvatori debitor, injunctum opus exordiar. Quid enim dignius sive salubrius esse potest, quam ipsius laudibus immorari, ejusque præconia mente, linguaque frequenter inculcare, qui sua nos passione redemit, cruore suo vulnera nostra sanavit? &c.

Tempore Caroli gloriosissimi imperatoris, Azan dam nomine, præfectus urbis Jerusalem, audiens de virtutibus multisque miraculis & incomparabilibus ejusdem Caroli prœliis, ingenti cœpit desiderio coartari, qua occasione fieri possit, ut tantum virum oculis usurpare, faciem præsto cernere, ejusque delectabili affatu perfrui, & cum eo fœdus amicitiæ componere valeat. Missis itaque Romam legatis, Leoni viro apostolico suum patefacit desiderium, simulque postulat, quatenus per ipsius effectum, optata principis visione se se lætificari contingat, promittens imperatori, si volente Deo ambos convenire detur, & ipse dulcissimos illius vultus contemplari mereatur, thesaurum incomparabilem se se illi oblaturum, & ita pretiosum, ut nec ipse, nec antecessores ejus tale quid unquam acquirere potuissent, & de transmarinis partibus nihil simile in Francorum aliquando fines devenisset. Præfatus ergo pontifex suis nunciis ad Aquasgrani palatii festinato directis, ubi eo tempore Augustus commoratus est, prædicti Azan præfecti urbis missaticum retulit, & ut ipse postulationem illius explere dignaretur, instantissime deprecatus est. Augustus vero hujusmodi legationem parvi pendens, pro nihilo habuit, & obviam Azan proficisci neglexit. Antistes autem comperiens spretam ab Augusto petitionem ejusdem Azan, indoluit, & aliis iterum missis ad ipsum destinatis, talia fertur ei demandasse. Si tu, inquiens, ipse esses, quem te esse totus arbitratur mundus, & universum per orbem celeberrimus diffamaris, vitam tuam, si ita res exigeret, periculo dare, & pedum tuorum incesso post ipsum pro adeptione tam magnifici thesauri ambulare debueras. His tandem sermonibus sceptriger cælitus animo commotus, cornipedem celeriter conscendens, Romam profectus est.

Prælibatus quoque Azan urbis præfectus, de civitate Davidica ad occursandum Augusto iter arripiens, secumque thesaurum pretiosissimum supra commemoratum deportans, usque ad insulam, quæ Corsica nominatur, devenit: ubi gravissimo languore detentus, cœptum desiderabile iter prosequi non valebat. Itaque Romam mittens, exposita infirmitatis suæ causa, rogat imperatorem, ut ad se in prædictam insulam venire non dedignetur: spondens, se illum decentissimis muneribus, & omnes thesauros præponderantibus honoraturum. Augustus vero maris periculum permetuens, ut semper solebat in aquis esse formidolosus, consiliarios fidelesque suos convocat, & quærit quem de omnibus illo dirigere debeat. Nullumque reperiens ceterorum, ad illud iter esse paratum, Einhardum clericum, in omnibus quæ illi injunxisset ministeriis sibi semper aptissimum, decernit illuc esse destinandum. Ille quoque nihilo minus immensum pelagus, sicut frequenter consueverat, perhorrescens, talia jubenti objicere perhibetur. Mitte me per terram, ad quoscumque velis totius orbis fines, etiamsi exteras volueris ad gentes; & ego jussum tuum fiducialiter adimplebo. Periculosas quippe & incertas aquarum vias attentare formido. Rege igitur æstuante, ut legatum aliquem possit invenire, ceteris vero perniciosum iter excusantibus, triduum ita peractum est.

Duo sane de primoribus regis erant, Waldo scilicet & Hunfridus: e quibus Hunfridus eo tempore totam Hystriam tenebat: at Waldo Augiensis monasterii abbas erat. cui etiam pontificatum Papiæ urbis, necnon & præsulatum Basiliensis civitatis, prioribus defunctis pontificibus, rex interim ad procurandum commisit, donec negotia, quæ instabant, ad marginem perducerentur. Erat enim virtutibus clarus, regique valde familiaris, adeo ut illum suum fieri Confessarium eligeret: cujus etiam paulo fusius mentionem inferius post pauca facturi sumus; modo quæ cœpimus, prosequamur. Tertio demum die clauso, cum jam orbita solis in occasum cursu volubili flecteretur, & hespero rutilante noctis tempus instaret, idem nonnosus Waldo Hunfridum inter ceteras confabulationes multis cœpit suasionibus adhortari, ut legationem imperatoris suscipiens, ad prædictum Azan urbis præfectum in prædictam insulam perferret: Cernisne, inquiens, dominum nostrum animo consternari, eo quod voluntatem suam explere nequeat? & quia idem Azan suam adnarrantes legationem, gloriose perficere potuisset, senior autem noster facultatem non habeat, qua sua e contra relationem ad ipsum transmittere valeat. Cujus verba Hunfridus dure suscipiens, Quod me, inquit, facere cohortaris, tu nullatenus agere velles. Cui ille: Si tu, ait, ire disponis, ego tecum indubitanter proficiscar. Waldone igitur obnixius persuadente, tandem assensum præbuit Hunfridus.

Lætus ergo factus Waldo de consensu & promissione Hunfridi, post matutinales hymnos regem in conclavi pausantem adit, & pulsato ostio ingredi concessus, consolatoriis sermoni-

bus animi illius leniens mærorem, Habes, ioquit, domine mi, paratum virum, quem mittere debeas. & sie diceos, sponsionem Hunfridi regias perfert ad aures. Ille Deo gratias referens, Revertere, ait, ad hospitium tuum, & illucescente die ad me ambo venite. Interea dum Waldo cum rege versatur, Hunfridus post ipsum mittens abnegat iter, quod invicem condixerant. Qui ait ad nuncium: Quomodo potest fieri, ut nune demum ire se denegat, cujus jam pollicitationem seniori meo regi insinuatam habeo? Quo audito Hunfridus, tandem velit nolit iturum se promittit & consentit. Mane igitur diluculo, dum jam clara rubet stellis aurora fugatis, ambo, ut jussi sunt, ad palatium veniunt. Augustus vero facto suis cum prioribus consilio, cum immensis & pretiosis muneribus & pecunia copiosa totum per orbem ob id ipsum congregata, ad præfarum urbis præfectum illos transmisit. Qui classem numeroso thesauro accumulatam conscendentes, prospera navigatione ad supradictam insulam devenere: ipsumque Azan maxima reperientes ægritudine laborantem, præsentant dona ingentia, quæ transmiserat imperator.

Igitur Azan tantorum opulentiam donorum, quæ ab Augusto oblata sunt, honorabiliter ut decebat, accipiens; sed pro eo, quod ipse imperator, quem inæstimabili amore exspectabat, ad se minime venisset, valde gemebundus existens, inter cetera colloquia, quæ de illo sermocinatus est, ita ad legatos fertur dixisse. Licet languoris molestia deprimente, mihi indigno concessum noo est à Deo, ut ego præsentialiter veniens, diu optatum virum conspicari, ejusque desiderabili visione & alloquio lætificari meruissem, nec ipsum quoque propter maris terrorem, quem semper abhortere dicitur, ad me venire contigisset: tamen quod promisi, donare non differam, & thesauro pretiosissimo illum honorificabo.

Hæc sunt ergo illa dona honorabilia, cunctoque orbi optatissima, & hæc est illa gaza sacrosancta, supraque omnes pretiositates dignissima, quæ de Corsica insula gloriosissimo imperatori Carolo delata est. 1. Ampulla una ex lapide onychino, de Salvatoris sanguine plena. 2. Crucicula una ex auro & gemmulis fabrefacta, continens eruorem Christi, per quatuor partes inclusum, & in medio portiunculam ligni Domini. Hanc eamdem cruciculam, o booe Jesu, tuis modo Augiensibus ad tutelam & solatium nostri mittere dignatus es. Sit tibi, Christe, gloria, lausque. 3. Spinea corona, quæ caput amabile Redemptoris nostri complexa est. 4. Unus de clavis, qui delectabiles Christi articulos configebant. 5. De ligno qunque Domini, in quo pretiosa Christi membra pendebant. 6. De sepulcro Domini, quod salurifero Christi corpore consecratum est. Præter diversa etiam unguenta sive pigmenta, cum ceteris quoque muneribus variis, quibus Augustus festive donatus est.

Acceptis enimvero donis legati mirificis, trigerim gratulabundi conscendentes, & magnifici thesauri quem secum habebant suffragio, ut credimus, defensati, prospertimo navigantes remigio, in loco qui ad monasterium beatæ Anastasiæ vocitatur, quem ferunt esse in Sicilia, tutissima navi applicuere: ubi Hunfridus Waldonem ad observandam summo cum honore tanti thesauri sanctimoniam relinquens, ipse ad imperatorem, qui eo tempore apud Ravennam urbem legatos suos præstolando mansitabat, perrexit, commissæ sibi legationis rationem exponens & successum itineris, omnemque gestæ rei eventum ordinatim enucleans, & ubi Waldonem cum sacratissimo thesuro reliquisset insinuans. Nec mora, ipse Augustus ineffabili gavisus tripudio, una suis eum primoribus & universa populi phalange discalceati iter arripiunt, & illa quinquagiota milliaria de urbe Ravenna ad prædictum locum in Sicilia nudatis plantis perambulantes, reperiunt sæpe ioculcatum thesaurum eodem in loco venerabiliter collocatum. Quem maxima cum devotione imperator assumens, de ipso secum loco asportavit. Sed quid de ipsa postmodum sanctitate fecerit, hoc est, quantam ex eodem thesauro portionem in sua eapella semper habendam eximius Dei cultor reposuerit, seu quantulam partem distribuens ad cetera sanctorum loca transmiserit, modo tædiosum est explicare, ne ob morosum opusculum ultra modum protelatum, fastidiens lector nauseare compellatur. Quippe cum ad illud præcipue commemorandum jamdudum ab exordio sermonis stilum vertere decreverim, propter quod cœptum opris laborem aggredi proposui, hoc est, qualiter saluberrimus Christi sanguis, de quo ounc sermo est, cruciculæ supradictæ inclusus, moderno tempore ad insulam devenerit Augiensem.

His sane negotiis feliciter determinatis, & augustali legatione a supradictis Waldone & Hunfrido prosperis successibus peracta; tandem imperator habito suis cum primatibus placito, tractat qua suos fideles missos mercede tanto pro labore remunerare debeat. Cunctisque ore faventibus, hujusmodi dictis eos compellare memoratur. Quia vos, inquiens, soli tanto me honore sublimastis, ut legationem nostram ita strenue perficeretis, dum nemo alius in regno meo se se ad tam periculosum iter aggrediendum exhibere voluisset; idcirco quicquid de nostris rebus placuerit, fiduciali animo postulate, & ego quam prompte tribuam, cunctis elarescere faxo.

Tunc sæpedictus abbas Waldo gratissima optione collata, cunctis petitionibus suis id solum anteponens, ut apud Augustum pro privilegio fratrum Augiensium sibi commissorum elaborare conaretur optatissimo effectu, quatenus idem monasterium noo solum privilegio, sed etiam territoriis & pecunia copiosa contradita gubernaret, impetrare promeruit. Nihilominus quoque & de supradictorũ dispositione locorum, id est de præsulatu Papiæ urbis & episcopatu Basileensis civitatis, suæ voluntatis effectum ab imperatore consecutus est, impetrans ab eo, quatenus suum utrique loco pontificem constituisset, & insuper plurima gubernationis suæ adminicula, quasi verus Domini incola præbuisset.

Deinde famosissima virtutum illius probitas illud quoque de eo nullatenus silere permittit, quod post aliquantum temporis rector monasterii sancti martyris Dionysii ab imperatore præelectus est, eo quod pro sua religiositate, summum apud eum familiaritatis locum, ut etiam paulo superius dictum est, obtinere meruisset. Ubi monasticæ vitæ regulam admodum distortam, fratresque sæcularis potius, quam spiritualis vitæ sequaces inveniens, nimio divini fervore zelo succensus, ad rectitudinis normam moltum rebelles convertere conatus est, adeo ut conductis secum militibus armatis, capitulum illorum, ut fertur, ingressus, insolentiam tumultuantium quasi repugnando perdomuisset: quorum tamen salvationi, suprema fretus gratia, ad postremum ita consuluit, ut non solum assiduæ cohortationis documento, verum etiam prævio placitæ conversationis exemplo, ad regulatis vitæ eos, quam deseruerant disciplinam revocaret, sicque ex dyscolis fratribus modestos obedientiæ sectatores commutaret. O virum beatissimum! cujus memoriale eodem in loco numquam obsolebit, cujus nomen, quousque volubilis instat mundus, celeberrimum haberi non cessabit. Tanto namque amoris affectu eum dilexisse, tamque magnum carissimo patri honorem exhibuisse memorantur, ut eo carnis ergastulum deserente, luminare ad sepulcrum ejus, quod in quadam absidula situm esse narratur, assidue interdiu noctuque coruscare fecissent. Quod ipsum etiam hodieque a junioribus moderni temporis ob ejus amorem indesinenter observari perhibetur.

Hunfridus vero annosa jam ætate gravatus, & de sæculari bravio percipiendo minus cupidus, taliter suam fertur postulationem moderari. O mi senior, inquiens, quia ego jam senui, de futura mihi vita cogitandum est, & de temporali honore minime curandum. Ideoque nihil aliud mercedis desidero, illam tantummodo cruciculam, qua Christi sanguis inclusus habetur, humiliter rogitanti pro præmio donare non graveris. At ille hujusmodi petitionem primitus moleste accipiens; ob implendam tamen, ut decebat regis promissionem, quod poscit, tribuere non dedignatur.

Ille etenim voti sui tandem compos effectus, & desideratissima tanti thesauri adquisitione præditus, constructo monasterio, in loco cui vocabulum est Schennis, nam eo tempore Rhætiam Curiensem tenebat, in laudem videlicet Dei, & honorem crucis & sanguinis Christi, simulque ob remedium sæpe dicti imperatoris Caroli, pariterque ob mercedem suæ ipsius animæ consequendam, sacratissimam cruciculam in templo Dei honorabiliter, ut dignum erat, collocavit: collectaque inibi sanctimonialium catervula, pretiosissimas reliquias assiduis laudibus quoad viveret, celebrari fecit. Ipso vero temporali vita decedente, Adalbertus filius ejus eamdem cruciculam, cum ceteris quoque rebus patris hereditare cœpit.

Libet modo ob venerationem dominici sanguinis & crucis memorabile quoddam miraculum eo tempore declaratum huic opusculo interserere. Denique Adalbertus paternas res hereditario jure, ut dictum est, possidente, contigit ut Ruodpertus quidam nomine, Ludovici imperatoris vasallus, dolosa circumventione apud seniorem suum impetraret, ut Rætiam Curiensem in proprietatem sibi contraderet, pulsoque Adalberto, possessionem illius sibi usurparet. Ille vero cunctis rebus a patre relictis spoliatus, quasi nudus evadens, sola tantum crucicula arrepta ad fratrem Burchardum, qui tunc temporis Hystriam tenebat confugiens, ipsius tandem auxilio collecta virorum multitudine, Ruodpertum invadit, illis forte diebus apud villam Cizuris * commorantem. Qui fugam iniens, eo quod facultatem congrediendi cum eo non haberet, dum foras villam devenisset, a quodam cavallo, qui ante se capistro ducebatur, genu percussus, qui nigri coloris esse ferebatur, confestim equo, cui insidebat, depositus, moxque in ipso campo supra clypeum reclinatus, funeris officio festinanter expleto, præsenti vita miserabiliter decessit, Divino scilicet sanguine, lignoque sanctæ crucis, quod minime dubitandum est, Adalberto, qui ipsam cruciculam secum more solito deportabat, victoriam de hoste conferentibus. Cujus corpus Adalbertus, miseratione flexus, ipse cum suis feretrum prosecutus, in quodam monasterio, quod Lindowa nominatur, sepulturæ tradidit. Reversus tandem, hereditatem suam, sicut prius, manu potestativa usque ad obitus sui diem detinebat.

* Zizers;

His ita divinam ad laudem patratis, lignum dominicum filius ejus Odalricus paternarum rerum adeptione potitus, eumdem thesaurum digna sub reverentia usque ad vitæ suæ clausulam conservabat. Huic etiam filia successit vocabulo Hemma; quæ patrimonii sui coheres effecta, relictum a patre lignum pretiosum diligentius custodiebat. Quæ hoc ipsum postmodum filio Odalrico adhuc vivens contradidit.

Eo tempore Walthario quodam nomine, cum conjuge sua Suanahilda miro desiderio pro adquisitione inæstimabilis thesauri æstuantibus, eo quod ambo religiosi, laudisque Dei & sanctorum servidi cultores fuissent; contigit, ut idem Udalricus eorum filiam, quam in conjugium expetebat, accipiendo, eamdem cruciculam, data ipsis occasione poscentibus, delegasset. Quam tandem perceptam, in capella sua, quam in castello construxerant, digno sub honore collocarunt.

Dignum itaque quoddam mox inibi divinitus ostensum, minime reticendum arbitramur. Prædicta namque Dei amatrix ipsam cruciculam omnino cupiens occultari, ne forte decus pretiosum ab aliqua sublimiori tunc temporis persona visum concupisceretur, post tergum alterius crucis in eadem capella positæ suspendi fecit. Quæ postmodum intrans, invenit eam in anteriori ejusdem crucis parte, mirabile dictu, mutato loco pendere. Existimans aliquem de suis de posteriore in anteriorem locum hanc fecisse mutationem, & ob hoc durius illos increpitans, iterum jusserat eam in posteriori loco suspendi.

Postea vero ingrediens, reperit eam sicut prius in anteriori parte pendentem. Illa denique miraculi sacramentum agnoscens quievit, credula, ni fallor, Salvatorem sui sanguinis pro salute humana profusi, necnon & ligni saluberrimi virtutem nullatenus celari velle, sed ad laudem sui potius manifestari.

Aliud quoque subsequens miraculum nequaquam silentio supprimendum censuimus. Burchardus etenim dux Alemannorum inimicitias adversus præfatum Waltharium exercens, numerosa virorum multitudine contracta, supradictum obsedit castellum. Cumque jam prope esset, ut expugnari pene debuisset, castellanis formidine captis, prælibata Dei cultrix obviam progrediens, sanctam cruciculam hostibus prætendit, magnaque exclamatione vociferans rogat per omnipotentis Dei amorem, & sacratissimæ honorificentiam diei, nam eo die cœnæ Domini celebritas habebatur, quatenus ab hac nefandissima impugnatione desistentes, pacis tranquillitate cum ceteris totum per orbem christianis ipsum diem sollemniter recolentibus perfrui se se concederent. Illis vero e contra postposito Dei timore, acriter pugnæ instantibus, & nullo modo se cessare velle, donec eos debellarent, minitantibus; dum unus ex illis audentior ceteris conscenso per saxa vertice urbem jam irrumpere se posse confideret, clericus quidam e castellanis jacto grandi lapide inimicum perculit, sicque cum clypeo quasi semivivum retrorsum cadere fecit. Demens, qui tantæ virtuti in crucicula fulgenti miser resistere auderet. Quo viso, ceteri cesserunt, terrorque prœliandi quievit. Quia etenim Christum ambigat per suum sanguinem lignumque pretiosum suis supplicatoribus adjutorium contra inimicos exhibuisse? qui antiquum jam hostem eodem signo triumphavit, totumque genus humanum sacri cruoris unda redemit.

His ita divinam ad laudem patratis, lignum dominicum longo post tempore secum retinuere, nulli omnino mortalium illud se se cuncto vitæ suæ tempore donaturos, fixo animo deliberantes; finito vero vitæ suæ curriculo, ad monasterium Insulanense beatissimæ virgini Mariæ contradituros voventes. O quantum ignari supernæ dispensationis fuere, quid agendum super hac re dispositum habuisset.

Contigit interea prædictam matronam monasterium Augiense orationis causa visitare; indeque ad reverendissimum locum, qui Zurzacha vocitatur, venire delectari. Cumque jam in villa Muncheresdorf nuncupata, proximam monasterio mansionem habuisset, clericus ejus eamdem cruciculam, ignorante domina sua secum deportans, interrogat ubi collocare debeat. Illa nimium admirans, cur se non jubente hanc deferre præsumeret, incusat. O talem ignorantiam, multorum utilitati proficuam! O grande miraculum, insulanis habitatoribus omnino celebrandum! Non incredibile est hujusmodi signum, idcirco te, ô Christe, fieri voluisse; quatenus per istius occasionem oblivionis, non solum Augiensium, verum etiam universæ patriæ saluti perpetuum tui nominis ob honorem consuleres.

Veniens igitur ad cœnobium ipsa clam comitante crucicula, honorifice suscepta est: aptaque mansione præstita, fratres etiam quidam ad ministerium illius deputati sunt. Itaque ad vesperam, dum jam prope esset, ut noctivaga phœbe currum terris inclarescere videretur, jubet accensam lucernam ante cruciculam poni. Prædictis ergo fratribus de sanctitate quæ sit percontantibus; illa nimirum rei veritatem celari cupiens, simulat aliquas esse sanctorum reliquias, quas secum ob salvationem sui vel domi, vel in itinere semper habere consuescat. adeo, inquam, desiderabilis thesauri cognitionem omnibus clandestinam fore, fixa mente dispositum habebat, ut nec suo fratri Udalrico nomine, tum ejusdem monasterii portario, qui sibi familiarior esse debuerat, pandere voluisset. Illis vero nominatim sibi causam exprimere instantissime rogitantibus, tandem obnixia devicta precibus, absconditum manifestat secretum. Iidem fratres gratulabundi demum effecti cœperunt eam cohortari, quatenus talem sanctimoniam in aliqua sinat basilica nocte illa collocari. Qua penitus renuente, atque ut a se vel uno momento sequestrari debeat consentire nolente; Non oportet, inquiunt, preciosissimam sanctitatem extra ecclesiam manere, sed condecet eam in templum Domini deportari, ubi mutato viliori loco, digniori servetur honore. Itaque instantissimo fratrum rogatu, simulque astantium interventu vasallorum, flexa tandem negatum præbet assensum: e quibus scilicet vasallis unus, vocabulo Tougolfus, ob explendum hujusmodi postulationis effectum, strenuus atque efficacissimus fautor existebat. Et, ô nimium felicem! qui ob hoc optatissimum postea remedium consecutus est; quod modo istic omissum, suo loco explicandum reservabo. Assumpto demum delectabili thesauro, lætabundi fratres abscedunt, atque in domo beatissimæ virginis Mariæ venerabiliter reponentes, optabilem rem avidas ceterorum fratrum effundunt in aures.

Quo comperto, inexplicabili gaudio tripudiantes, mox illucescente die, dum jam consurgit roseis aurora quadrigis, aquam pelvi infusam ipsa crucicula intincta benedicere festinarunt: ut si illa optatum decus flagitantibus præstare denegaret, quod utrum vellet necne, adhuc ignorabant; saltem ad remedium benedictam aquam, unde pro sacro signaculo sigillarentur, haberent. Cujus gustu quilibet infirmi libato sanabantur: inter quos etiam nominatim quidam fratrum diutina corporis ægritudine detentus, salubri fonte gustato, mox mirum in modum integerrimam, sicut ipse fatebatur, incolumitatem consecutus est.

Deinde summa cum devotione ipsam Cruciculam tollunt, & claustrum monasterii in circuitu discalceati perambulantes, Dominici sanguinis opitulatione sese muniri, simulque ut incomparabilis thesaurus ad perpetuam sui consolationem de monasterio ulterius Christo propitiante auferri non debeat, suppliciter deprecan-

tur. Sicque cum laudibus ad capellam S. Chiliani venientes, prædicta matrona, quæ ab eis vocata fuerat, interius expectante & orante, ipsi deforis in modum crucis prostrati jacuere humi. Missis quinque de senioribus Patribus, e quibus unus erat Udalricus illius frater, ad hoc potissimum deputatus, ut ipsam legationem sorori exponeret, eo quod ejus verba apud illam potius valere non hæsitaretur; obsecrant eam per amorem Salvatoris, qui per crucem & sanguinem suum nos redemit, quatenus eandem cruciculam beatissimæ Dei genitrici semperque virgini Mariæ condonare non gravetur, ut in templo Domini suspensa, ad perennem omnium salvationem ultra perdurare debeat: promittentes ei suas perpetualiter orationes, atque interminabilem a Christo, sanctissimaque illius Matre remunerationem consecuturam: necnon etiam quidquid secularis possint obsequii, sese infatigabiliter exhibituros.

Quorum petitionem illa molestissime accipiens, & animum huc illucque versans, tandem hujusmodi dicta objecisse memoratur. Quomodo inquiens, hanc rem absente seniore meo aggredi præsumam? Nimirum sine illius jussu vel consilio vestris precatibus consentire non audeo. Præterea mecum jam olim quasi sacramento stricta deliberavi, ne unquam me vivente hujusmodi preciositatem extra meam potestatem auferri patiar; talique ac tanto solamine me adhuc in carne positam omnimodis orbari non sinam: sed decurso novissimæ horæ circulo, beatæ Mariæ virgini me incunctanter contradituram devovi. His dictis, assumpta crucicula lætissima discessit, sed universitatem fratrum tristissimam reliquit.

Cumque ad mansionem in villa Erichinga sibi paratam, ad locum Zurzacha superius dictum itura venisset; suis hominibus post comestionem ad hospitia sua pergentibus, ipsa dormitum iens, dum jam maxima pars noctis transacta esset, cœpit lacessentibus membris graviter æstuare, sudore per totum corpus rivatim profluente, quasi ferventissima aqua fuisset perfusa. Quæ sibi mortis periculum imminere præmetuens, vocatis hominibus doloris sui molestiam replicat. E quibus Tougolfus, cujus supra fecimus mentionem, una cum ceteris tale mærenti responsum dedisse perhibetur. Dominam, inquiens, nostram ob hoc hujusmodi ægritudine fatigari arbitramur, quia spreta venerabilium fratrum postulatione, tot Christi servitoribus conturbatis abiisti.

Illa demum infirmitatis suæ causam evidenter recognoscens, jubet eandem Cruciculam ad monasterium sub celeritate deferri. Illis vero nocturni itineris difficultatem excusantibus ac per hoc inducias usque mane deposcentibus: Nequaquam, ait, venturæ diei lucem vivens expectabo. Accelerate, inquam, ac meis doloribus compassi, futurum cras minime expectetis, sed votum miseræ festinantius explere nitimini. Senserat enim intolerabili torquente angustia, si in hac re perpetranda vacillaret diutius, mortis impetum sese nullatenus evasuram. At postquam illud effic re fixo atque immoto secum animo disposuit, mirificum dictu, mox incredibili restituta est sospitati; adeo ut eosdem statim missus cruciculam ad monasterium portantes nudatis plantis, (neque enim pruinam terris recens illapsam perhorrebat) usque foras curtem prosequeretur.

Mane itaque diloculo, dum fugat auricomas lampas tytania stellas, legati ad cœnobium advenientes, thesaurum pretiosum in supradicta capella beati Chiliani reponunt. Sicque factum est, ut qua hora præcedenti die asportabatur, eodem etiam momento, quod miraculo dignum est, die sequenti reportaretur. Cuidam ergo de fratribus semotim vocato, primitus amicabile de sua domina eulogium deferentes, inopinam simul cruciculam ostendunt, exponentes ei, qualiter dominæ suæ in via accidisset, & quomodo gazam sacrosanctam validis angoribus coartata retransmiserit explanantes, totumque ordinatim rei eventum enucleantes. Idem frater primum ob insperatam rem obstupefactus, sed mox visa re jucundissimus effectus, Udalrico, sicut ab ipsis rogatus fuerat, accersito, cui cruciculam repræsentent. Ille deinde aliis fratribus id ipsum impatienti desiderio insinuare curavit. Qui omnes amplissima consolatione repleti, ultra modum gavisi sunt; universique sine mora congregati, nudipedales ad prædictam capellam progrediuntur, elevatoque triumphali ligno totum in circuitu perlustrant monasterium; sicque illud in templum intemeratæ Virginis Mariæ, omnibus insulanis per gyrum collectis, cum lætitia & laudibus advectantes, accensisque totam per ecclesiam luminaribus, campanis resonantibus, hymnum *Te Deum laudamus* sonora voce decantant. Finitis tandem concentibus, prædictus Udalricus signum salutiferum assumens, posuit super altare S. Mariæ semper Virginis, sicut per sororis nuntios rogatus est, fratribus omni sub devotione præsto astantibus, illud repræsentans. Et ita antecedentis mæstitiæ conturbatio in subsequentis gaudii jucunditatem conversa est.

Deinde statuerunt ut illum deinceps diem, quo signum admirabile in Augiam venit, non solum ipsi, verum etiam illorum posteri dignis laudibus ritu perpetuo solemnem quotannis celebrare deberent. Quin etiam quo tempore pretiosissimum decus in insulam advenisset, hoc est, anno incarnationis Dominicæ CMXXV. VII. idus Novembris notare curaverunt. Et hanc quoque supputationem, ne unquam oblivioni tradatur, sed in perpetuum memoraliter habeatur, in libro Regulæ suæ, ubi etiam ceteræ sanctorum solemnitates annotatæ continentur, conscribi fecerunt.

Igitur miraculum quoddam magnificum eodem mox die declaratum nequaquam silentio prætereundum suspicamur. Denique Tougolfus, quem supra prælibavimus, præfatæ matronæ vasallus, quendam habuit filium, qui ab ipsis cunabulis adeo membratim erat debilitatus, ut jam decem vel eo amplius annos claudicando, terram pedibus prorsus attingere non

valens, totis grossuum usibus funditus careret. Hic etenim tanto tempore clinicus jacens, ipso die, quo pretiosissima gemmula ad insulanensem cæspitem, illic ultra duratura devenit, consolidatis miseratione Dei basibus, & articulis imbecillibus ad integrum roboratis, desiderarissimam adeptus est sanitatem. Quis itaque ejusdem Tougolfi meritum in filii sanatione clarescere non videat? qui, ut supra dictum, agillimus erga dominam suam interventor existebat; quatenus famolorum Christi postulationem nullatenus ahnegando, fulgidissimum margaritum ad monasterium condonare dignaretur. Pater vero domum reversus, tantam miraculi excellentiam in filium perpetratam nanciscens, & quia die supradicto idem signum evenerit competiens, post aliquod tempus ad cœnohium veniens, rem magnificentissimam fratribus propalavit. qui omnes Deo gratias tependentes, sospitatem filii patris meritis adscripserunt.

Postquam prædicta Dei cultrix sæpe nominaram crucieulam ad monasterium magna sub devotione transmisit, ipsa ad præsatum locum Zurzacha prosperrimo itinere profecta est. quæ cum illuc itura jam dispositum habuisset, ut de ipso loco altera via domum revetti deberet, causa terroris supra scripti nimium commonita, nullatenus prætermittete ausa est, quin eodem tramite, quo venerat, ad cœnohium repedaret. Veniens igitur in sopradictam beati Chihani capellā præmissa oratione salutavit adprime fratres qui convenerant, ac deinde universa, quæ sibi suis culpis exigentibus accidissent in via per ordinem, sicut supra replicata sunt, recitavit. Et his expositis summisso corpore terratenus provolvitur, sese ream esse, & contra Dominū sanctosque illius procaciter egisse, necnon & adversum fratres, quibus rem optatissimam postulantibus obstinaciter denegasset, culpabilem se fieri protestans. A quihus percepta demum remissione, sanctam crueiculam repræsentari deposcit; quam suis manibus reveremter assumens, in quadam capsella beatissimæ virginis Mariæ suspensam tandem perpetualiter in templo Domini habendam contradidit: simulque frattum generalitatem humillima precatur, quatenus se se suumque seniorem Waltharium sacris illorum orationibus commendari debere promereatur; promittens se libentissimum illis deinceps totius devotionis obsequium præhituram. qui petitioni ipsius annuentes, assiduas totius temporis processu orationes pollicebanrur. Illa demum gratabunda nimis effecta, creberrima in oleo vel cera, seu ceteris ad concinnanda luminaria rebus, adminicula se se quotannis ad templum Domini ob honorem sanctæ Crucis & sanguinis Christi ohlaturam devovit. quod ipsum quoque singulis annis postmodum fidelissima devotione complevit, cuidam scilicet fratri juventutis adhuc flore vernanti hujus sacratissimi curam ministerii committens. Hic etenim ut semper erat divinæ laudis & obsequelæ strenuus augmentator, injunctum sibi gratanter officium suscipiens, sedula totius conanimis exhibitione peregit, quod in sequentibus plenius explicabitur.

His omnibus ita consummatis, illa se ad ultimum Deo & salutiferæ Cruci atque saluberrimo Christi sanguini, omnibusque sanctis commendans, fratrihus tandem valedicens, gratulabunda discessit, & ad propria inexplicabili gaudio temeavit. Qua domum de itinere reversa, prædictus Waltharius senior illius de crucicula ubi sit percontatur: & cognoscens quia secum eam minime haberet & attulisset, animo commotus, conjugem vehementer incusat. Illa totum gestæ rei eventum ex ordine pandens, qualiter sibi inter pergendum contigisset exponit, & quanto terrore quantaque deprimente angustia eandem cruciculam monachis importune flagitantibus ad monasterium contradidisset; ad postremum ita concludens. Verissime, inquiens fateor, quia nisi ipsum venerahile signum ad cœnobium sub omni festinantia delegassem, vehementissimo ingravescente dolore, mortis incunctanter periculum incurrissem, venturæ diei exortum nullo modo vivens præstolatura. Quibus auditis, vir ejus admiratus est valde: & furore in stuporem verso, commotio animi compescitur. Tandemque pro hujusmodi facto divinam collaudans potentiam, dignissimas Domino & sanctis ejus retulit grates. Ipse quoque ad monasterium postmodum veniens, supradictam ejusdem cruciculæ donationem sua denuo adstipulatione confirmavit, & fratrum orationibus, sicut rogaverat, commendatus, ac non modica ab eis consolatione relevatus, lætissimus abscessit.

XLVII.

Electio Alberici abbatis sancti Benigni Diviontnsis.

ANno verbi incarnati DCCCC XXVII. indictione I. cum ecclesia Lingonensis dispositione & suffragio omnipotentis Dei beneficiorum ab ipso sibi conlatorum recordaretur, ac bonorum omnium largitorem puro mentis affectu exoraret, atque de statu sibi divinitus concesso congratularetur; contigit domnum ill. præmemoratæ ecclesiæ pastorem Divionem castrum venisse, ihique Dei nutu pro modulo capacitatis suæ de rebus ecclesiasticis more patrum suorum utiliter tractasse, eo scilicet tenore, ut decus ecclesiasticum decentius nobilitaretur, & quod lapsum erat Deo favente erigeretur. Inter cetera quæ ibi Christo aminiculante disposuit, & sophistice tunc temporis consilio & hortatu suorum clericorum videlicet & laicorum stabilivit, adiit ejus præsentiam concio monachorum archisterii almi Benigni in suburbio Divionis castri positi, humiliter serenitatem ejusdem præsulis poscens conscribi sibi privilegium propriæ electionis in ordinando sibi abbatem secundum normam Patris Benedicti, qui non tantum præesse quam communi utilitati studeat prodesse. Cujus commune

Ad lib. 43. n. 4.

Ex veteri membrana.

mune decretum & utile consultum præfatus pontifex suscipiens, atque ad eorum utilissimam petitionem cogente tam nobilitatis lampade quam suggerente affluentia sophiæ affectum suæ serenitatis inflectens, prout postulavit attribuit clementer fieri. His vero prælibatis simulque diu ventilatis pariterque pertractatis, Deo suffragatore quærentibusque se in veritate, inventus est ill. ejusdem monasterii filius ab ipsis infantiæ cunabulis inibi educatus, negotiis ecclesiasticis sufficienter instructus, vita & moribus modestus, religionis gratia & exercitationis opere pleniter comptus. Quem igitur quasi per vim manibus trahentes, & ante prætaxatam antistitis præsentiam strenue offerentes, hoc concessum est eis, quatinus auctoritas electionis quemadmodum moris est ecclesiastici ordinis scriberetur, qua & ab insidiantibus sibi undique secus muniri posset, & honorem sibi divinitus conlatum securius firmiusque tenere quivisset, quæ sacro nigredine * insignita, coramque præsentia firmatorum eadem delata, in conspectu astantium est constituta, atque a cunctis gratanter exstitit suscepta. Denique jam memoratæ ecclesiæ pastor insignis codicem manibus sanctissimi juris, pedumque suscipiens regiminis, eumdem ill. electum abbatem & pondere curæ animarum onustavit, & munere tanti honoris ditavit, campanisque reboantibus decenter revestivit: & ne aliquis successor illius munere alicujus invasoris illectus hoc opus præsentis institutionis infringere perenniter queat, manu propria eum firmavit, & fidelibus suis utriusque ordinis corroborandum tradidit.

XLVIII.

Canones duo Concilii Altheimensis.

Ad lib. 43. n. 68. Ex chartario Farfensi.

HOc ibidem inventum est de episcopis, presbyteris & clericis, si hereditas a domino rege, vel ab alio principe, vel amico suo, seu per hereditariam sortem sibi devenerint vel acquisierint, donare eis liceat cui voluerint dum vivunt pro remedio animæ ad ecclesiam quamcumque elegerunt, vel consanguineis suis, vel amicis. Si autem antea obierint quam firmiter perfecerint, altari cui serviunt omnia perpetuo sanctificentur, & in eis tradantur. Similiter de presbyteris statutum est. Hildepertus Maguntiensis archiepiscopus subscripsi, Ruobertus Trevirensis archiepiscopus subscripsi, Unni Hamaburgensis archiepiscopus subscripsi, Adalwaldus archiepiscopus Sardiensis subscripsi; & reliqui episcopi VII. subscripserunt, necnon & abbates cum ceteris sacri ordinis viris subscripserunt.

Monachus quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, & sacra ordinatio de monacho episcopum facit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea jure vendicandi potestatem habeat, sed quicquid acquisierat vel habere visus fuerat, monasterio relinquat, & arbitrio abbatis sui, qui fuerat secundum regulam sancti Benedicti. Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare quo sanctificatur & titulatur, secundum sanctos canones quæ acquirere poterit, restituat.

XLIX.

Charta Gauzlini episcopi Tullensis de restitutione monachorum in cœnobio S. Apri.

Ad lib. 43. n. 70. Ex authentico.

OMnibus sanctæ Dei ecclesiæ gubernatoribus & cunctis veræ religionis & catholicæ fidei præsentibus atque futuris, Gauzlinus propitiante divina clementia humilis Leuchorum urbis episcopus. Credimus absque ulla ambiguitate & certo jure tenemus, quod pro cunctis bonæ actionis studiis & spiritalibus animarum curis corona nobis a justo remuneratone & recompensatio celestis præparetur. Unde sicut cœpta justorum bona a nobis sunt cottidie solidanda atque sovenda, ita & amissa sollerter corrigenda, & ad statum rectitudinis sollicitudine pervigili revocanda: præsertim cum nobis divina providentia custodiam animarum & regimen contulerit ecclesiarum, quibus oves suas alimentis vitalibus pascere perditas requirendo, abjectas reducendo, & quæ vigent diligentius educare præcepit. Hæc ergo nos considerantes, inter cetera sollicitudinis nostræ studia occurrit animo nostro, quod in cellula suburbii nostri, quæ meritis & sepultura beati Apri lætatur monachos antiquitus regularibus disciplinis effloruisse audierimus, sed hujusmodi exercitia, ad inhertiam quorumdam abbatum & diminutionem rerum temporaliū, paulatim deficiendo pristinæ probitatis funditus amiserint ritum. quam religionem & peramplius ferventiorem supernæ retributionis intuitu nostris inibi cupientes recuperare, diebus auctoritate primorum nostrorum, nec non & omnium fratrum consilio prædictum locum repudiavimus ab inlicita proprietate & voluntate, & ad normam recti tramitis totis viribus studuimus revocare, præponentes eis abbatem, vocabulo Archimbaldum, boni propositi efficacem, ut relicto omnimodis proprio arbitrio secundum regulam sancti Benedicti in cunctis obedirent, & negotiis spiritalibus cum eo vacarent, pro utilitate quoque regni, totiusque Ecclesiæ statu atque pro remedio animæ nostræ supernam assidue pietatem exorarent. Verum ne eandem regularem custodiam ob inopiam terrenarum rerum aut per successorum nostrorum ablationem unquam tepescere contingat, ut contigit prius, confirmamus eorum usibus has villas, id est vicum sancti Apri cum omni integritate, & in Briutriaco & in Saponariis, quidquid etiam & in Gavarangis ad prefatum locum pertinet, necnon & farinarium in Nasio. Item villulam, quæ dicitur Vitiliagus & Villenas ex integro, villam Stephani cum appendiciis & basilica ejusdem, exceptis his qui pro terris quibus utuntur eidem monasterio deserviunt; pro ratione vero sui capitis episcopii usibus ministeria impendunt, Alanum cum om-

nibus ad se pertinentibus, excepta ecclesia. Silini-curtem cum ecclesia & omnia quæ ad ipsam pertinent; de Crepiaco villa Salsurias cum ecclesia & omni suo appenditio. Martiniacum cum ecclesia ejusdem, duos quoque mansos in Mediano-vico, ubi usibus salineorum fruantur. Sed & mansum in Baviaco ex toto. Mannoniscurtem cum ecclesia ex integm, & Stadonis, & in Bladenaco dimidiam ecclesiam & Masello, quidquid etiam in fine Orcadensis vel Navensis illorum ad partem respicit, & omnia quæ in privilegiis eorum inserta habentur, exceptis quatuor villis, id est Humberticurtem, Adalberticurtem, Siccum vidum & Altrivillam. Non solum autem prænominatas res concedimus, sed etiam villas & predia & omnia quæ a Deum timétibus illis collata fuerint, eorum usibus deputamus. Constituimus vero pro his dona nobis per singulos annos in festivitate beati Stephani exhiberi, id est duodecim panes quos libras vocant, cum totidem sextariis vini. Missa quoque purificationis sanctæ Mariæ duos cereos pondere librarum quinque, nec non & tempore militiæ regalis angariam, quantam nostris stipendiis honerandam statuimus. Præterea decernimus, ut si hospitalitatis causa aliquando illic direxerimus hospites supervenientes, famuli de ipso vico non sint inquietati, nec de loci possibilitate a quoquam serviatur eis, sed nostra dispensa illis præbeatur, ut liberius cœnobitæ ibidem degeant sine murmuratione. Interim constituimus, ut eidem cœnobio abba semper preficiatur consensu nostræ donationis & electione monachorum, si talis in ipsa congregatione invenitur per quem rectitudo regulæ possit inconvulsa constare; si vero defuerit, in arbitrio nostm sit quærere & præponere de alia qualiber contione electum moribus, qui secundum regulam præfati patris præesse & prodesse fratribus utiliter queat. Obsecramus igitnr humillime ac sub invocatione divini nominis contestamur unumquemque antistitum successorum nostrorum, nunquam de hac præscripta facultate fratrum, quam illis concessimus, immo reddidimus vel adhuc redditur sumus, subtrahere quidquam vel minuere præsumat, quandiu abbates præsentes quoque & subsequentes monachi sanctæ normæ custodierint decreta. Neque ipsam aliquando congregationem exordinare vel injuste perturbare audeat, sed quotiens ei venire ad vos placuerit, causa caritatis & piæ sollicitudinis veniat: & si qua inter eos ordinanda aut corrigenda sunt, clementer secundum Deum ordinare vel corrigere studeat. Si quis tamen episcoporum, quod absit, anteriorem censum quod continetur in eorum authoritatibus compulerit eos solvere; reddat iis prædictas quatuor villas ex integro. Si vero hoc contempserit agere, licentiam habeant metmpolitanum diœcesis adire & necessitatis suæ causam exponere. Si antem opem ferre neglexerit, adeant regis præsentiam, suasque terras legaliter requirant. Itemque unicuique abbatum eidem congregationi præficiendorum omnimodis interdicimus & sub contestatione divinæ vocationis prohibemus, ne prædictam cellam quolibet ingenio aut machinatione, vel per se vel per aliam objectam personam ab episcopii potestate submovere moliatur: sed salva libertate monasticæ religionis pontifici urbis Leuchorum absque ulla contradictione semper maneat subjecta. Causam utriusque conditionis post Deum unicuique regi committimus corrigendam, qui huic regno præfuerit, si vel scilicet prædictæ urbis antistes horum quippiam subtrahere voluerit, aut prælibati cœnobii abbas adversus dominationem antistitis insidiando aliquid machinari temptaverit, sententiæ canonum subjaceat. Si quis tamen eorum iniqua cupiditate persuasus hanc ordinationem nostram pro amore Dei & retributione cælesti a nobis constitutam infringere aut violare præsumpserit, iram Dei omnipotentis incurrat, & pœnam sempiternæ dampnationis percipiat irremediabiliter, nec sit illi pars cum Deo in retributione justorum: sed habeat partem cum principe tenebrarum, ferarque judicium divinæ ultionis transfisus perpetuo anathemate, excepto si non resipuerit & congrue emendaverit. Ad ultimum in fine hujus testamenti superaddimus, ut quia auctoritatis hujus cautionem placuit serenitati nostræ agere, & debitum censum indulgere, desiderans illius loci eo amplius accrescere honestatem, pro incremento divini obsequii & piæ institutionis observatione censemus rogando cœnobitas, ut cottidiana iteratione diebus vitæ nostræ & obitus nostri successione decantent pro absolutione animæ nostræ psalmum *De profundis* cum subsequenti collecta, & anniversarium depositionis nostræ honorifice celebrent, & ipso die de indulto penso constituant benedictionem nostræ memoriæ qua reficiantur. Ut autem hujus constitutionis nostræ series firmior habeatur, potioremque in Dei nomine firmitatis mereatur obtinere vigorem, manu propria eam subter firmavimus, anulique nostri impressione subter sigillari jussimus, necnon & assistentibus nobis clericis & laïcis idipsum agere rogavimus. Ego Gauzlinus consensi atque corroboravi. Signum Vuidonis comitis. Sig. Josberti. Sig. Gualterii. Sig. Fredenodi. Sig. Grimbaldi. Sig. Amelardi Sig. Bertranni. Sig. Elpebodi. Sig. Arengeldi. Sig. Bertini. Sig. Grimaldi. Sig. Berengarii primicerii. S. Azsoni presbyt. S. Gonbardi presbyt. S. Ansulsi diac. S. Umberti. S. Otheri. S. Bernerii diac. S. Badioi. S. Bernefridi. S. Gisteberti. S. Remigii. S. Martini. Sig. Landinei. Sig. Teduici. Sig. Odulrici. Sig. Eldebaldi. Sig. Rainerii. Sig. Ranugerii. S. Berneri. S. Sirici. S. Barengiri. S. Everardi. S. Gifardi subd. S. Heldevaldi. Ego Humbertus indignus levita jussu Gauzlini incliti pontificis scripsi & dictavi v. idus Octobris, anno episcopatus ejus XIII. indictione VIIII. anno ab incarnatione Domini DCCCCXXXVI. anno vero XI. Heinrici gloriosi regis.

L.

Carta fundationis monasterii Cantogili apud Arvernos.

Ad lib. 43. n. 78. Ex archivo Casæ-Dei.

AUctor omnium bonorum & amator Christus, qui seipsum pro redemptione nostra dedit, ita nobis consulere dignatus est, ut de transitoriis rebus quas post modicum intervenient relicturi sumus morte, æterna præmia mercari possimus. Quapropter magnopere expedit, ut de caducis bonis quæ ipso largiente percipimus, si non totum, vel partem ad ejus obsequium delegare studeamus: quatenus videlicet cum ceteras ad usum hujus vitæ consumpta fuerint, hoc quod ei dederimus restare nobis in perpetuum gaudeamus. Noverint igitur omnes tam præsentes quam etiam futuri qui in beatissimi Juliani martyris Brivatensi congregatione successuri sunt, quod ego Cunebertus prædictæ congregationis levita & præpositus, exhortantibus & consentientibus domno videlicet Hectore nostro decano & universis utriusque ætatis jam dictæ congregationis canonicis, quamdam possessionem, nomine Cantogilum, in honore Salvatoris nostri Dei & sanctorum martyrum, in primis scilicet domini nostri jam dicti Juliani, necnon alterius Juliani cognomento Antiocheni, atque Saturnini, quorum duorum ibidem ecclesiæ constructæ sunt, ad hoc trado, ut deinceps conversatio monachorum existat. Hanc autem possessionem avus meus Claudius conversus ipse canonicam voluerat facere congregationem, sicut uxor ejus de reliqua sua parte cum sanctimonialibus gessit. Et quia morte præventus est, ita mihi præfatam possessionem jure testamentario dereliquit, ut post meum discessum sancto Juliano ad Brivatense cœnobium remaneat. Sane cum & ego & supradictus noster decanus, Hector videlicet, omnesque ceteri fratres de instantis vitæ periculis, necnon & tremendi superni examinis discussione frequenter colloqueremur; tandem in hunc consensum cuncti devenimus, ut prædictum locum pro communi salute ad districtiorem, id est monachorum conversationem traderemus, quia nimirum frigescente jam caritate cum iniquitas multipliciter inundat, & ita rerum ordo turbatus est, ut juxta canonicam institutionem conversari ad integrum nequeamus, saltim hoc nobis ante Deum proficiat, si illos qui regulariter vivāt, de nostro jure sustentemus. Præsertim vero hoc timentes, quod ob honorem domni nostri Juliani multa nobis in eleemosyna tribuuntur, ne forte Judex universorum nobis illud propheticum improperet, quod nostra habentes peccata populi comederimus. In hoc autem decreto tam princeps Aquitaniorum Raymundus, quam & abbas noster & vicecomes Dalmacius, seu certe noster episcopus Arnaldus, quin etiam hujus regionis excellentes viri, Bertramnus videlicet ac Rotbertus vicecomes, itemque Rotbertus junior atque Eustorgius cum aliis quibuscumque provincialibus ita consenserunt, ut non mediocriter videantur.... Hoc equidem suos successores in Dei nomine & sanctorum prædictorum martyrum præcipue ergo sanctissimi Æbredunensis episcopi domni Marcellini, cujus gloriosum corpus cum alia multa sanctorum pignera illo in loco præsenti tempore Deo donante susceptum est, contestantes ut hanc nostram constitutionem quisque eorum in suo tempore sic pro possibilitate sua defendat, ut eam nullatenus infringi patiatur. Sit autem hæc oblatio primo quidem pro nostra congregatione tam vivorum quam etiam mortuorum. Dehinc vero pro rege nostro ac senioribus seu supradictis principibus nostris, propinquis quoque ac familiaribus. Postremo sicut in una caritatis compagine cuncta ecclesiæ membra teneamus, sic universis fidelibus prosit, ut nos in singulorum bono participare mereamur. Tum vero sit eadem oblatio pro anima Wilelmi ducis atque nepotum ejus Wilelmi & Agfredi, & pro anima Claudii scilicet avi mei, reliquorumque defunctorum. Ceterum sit specialiter pro omnibus quicumque loco illi vel habitatoribus solatium atque defensionem præbuerint. Si quis vero, quod absit, huic ordinationi nostræ contrarius fuerit, aut ad injuriam nostri Salvatoris & sancti Marcellini sanctorumque martyrum prædictorum hoc quod decernimus, immutare tentaverit; non solum hac mercede privatus sit, sed etiam præsumptoris atque persecutoris ante tribunal Christi, nisi se correxerit, iram Dei incurrat, damnatum se prospiciens cum Juda proditore & diabolo in infernum. Communiter autem decernimus, ut hujus rei causam & executionem domno Odoni venerabili abbati committamus; & quoniam ipse alias multipliciter occupatus est, idcirco reverentissimo viro domno Arnulfo abbati prædictæ rei negotium ad agendum delegimus. At vero monachi cum abbate suo regularem secundum traditionem sancti Benedicti ad integrum vitam ducant. Post præscriptis quoque abbatis discessum alium sibi nisi juxta cujuslibet alterius superordinatione, sed secundum regulam sancti Benedicti præficiant: & ipsi cum omnibus rebus suis ab omni dominatu cujuslibet personæ sint liberi & absoluti. Delegamus ergo omnimodis absolute ad servitium Dei & sanctæ regulæ supra nominatum locum Cantogili situm ex una parte super fluvium Haleris * & ex altera parte super rivum Deie * cum duabus ut supra diximus ecclesiis, cum terris silvis, pratis, aquis, molendinis, omnibusque suis adjacentiis, cultum & incultum, quæsitum & quod inquirendum est, cum alia videlicet silva Borleria nomine, qui locus etenim est in pago Arvernico in comitatu Brivatense, in vicaria de eadem ipsa villa. Donamus autem ad ipsum locum in alio loco villam, quæ vocatur Volnacius, cum omnibus suis adjacentiis; & in alio loco mansum duplum, unum vocabulo Benazo cum omni integritate sua; & in ipso Aizo mansos II. qui vocantur Buconavato cum omni sua integritate,

* *l'Allier.*
* *La Dengt.*

& in alio loco vocabulo Nozatiolas mansos duos & appendicem I. cum omni integritate sua. Et in vicaria Nonatense, in villa quæ dicitur Colomeas, & in ipso Aizo mansos duos, vocabulo Combrunas. Et in ipsa vicaria in villa, quæ dicitur Sansiacus, quantum in ipsis villis visi fumus habere vel possidere cum omnibus suis adjacentiis quæsitum, & quidquid inquirendum est, & inquirere poterimus totum ibi cedimus. Et ego Cunebertus concedo ad ipsum locum aliquid ex rebus proprietatis meæ, quod mihi ex hereditate vel conquisto legitime obvenit, propter honorem Salvatoris nostri Dei & sanctissimi Marcellini aliorumque sanctorum, quorum ibi merita venerantur, hoc est in villa quæ dicitur Pratum-rotundum, mansos IIII. cum omnibus adjacentiis. Et in ipso Aizo in villa quæ dicitur Ruimacus, mansos II. cum append. III. cum orto & prato indominicato. Et in alio loco vocabulo Valiaco mansos III. cum omni integritate, quantum in his nominatis villis visus sum habere vel possidere, quæsitum, & quod inquirendum est totum. Et in alio loco qui dicitur Cros locum, quantum ibi de Amardo adquisivi & inquirere potero, tam in terra quam in vinea, totum ex integro Deo, ut supra dictum est, Salvatori & sancto Marcellino trado, transfero, atque transfundo. Sed quia locus jam dictus de sancti Juliani dominio confertur, sicut causa hæc pro spiritali negotio geritur, ita nihilominus pro recognoscendo possessionis jure spiritalem censum reddi jubemus, ut videlicet privatis diebus per singulas regulares horas binos pro vivis psalmos, & officium pro defunctis exsolvant. Siqoidem nostra congregatio privilegium talem antiquitus, a tempore videlicet Pippini regis habet concessum; ot quidquid de rebus nostræ ecclesiæ communiter decreverimus, inconvulsum protsus & inviolabile perduret. Nos ergo precamur, & contestamus per Deum & in Deum, & per omnes sanctos ejus, ut hanc nostram constitutionem nullus rex umquam, nullus episcopus, nullus comes, nullus vicecomes, neque, ut supra dictum est, ullus umquam homo inquietare præsumat, divinam comminationem pertimescens, qua dicitur: Maledictus qui transfert terminos proximi sui. Et qui consenserit, illud promereatur: Benedictus qui est in bonis consentiens. Signum Cuneberti præpositi & levitæ, qui hanc constitutionem fieri vel adfirmare rogavit. Signum Raimundi ducis Aqoitaniorum, cui aliud nutu Dei nomen est Pontii. Sig. Guotiscalchi episcopi. Sign. Dalmatii vicecomitis. Sign. Ingelbertis. Sign. Dalmatii filii ejus. Signum Bertramni, &c. Data hæc auctoritas testamenti v. kalend. Septembris anno primo regnante domno Ludovico piissimo Francorum rege in basilica almi martyris Christi Juliani ante altare sancti Stephani. Sign. ✝ Bosonis monachi & levitæ, qui hanc cartam scripsit.

L I.

Leonis VII. papæ privilegium indultum monasterio Floriacensi.

LEo episcopus servus servorum Dei, Odoni religioso abbati venerabilis monasterii sancti Benedicti, qui & Floriacensis, in quo ipse requiescit in corpore, ac per te in eodem monasterio venerabili, tuisque successoribus in perpetuum. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benigna compassione succurrere, & poscentium animis alacri devotione assensum impertiri. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Deum obtinere confidimus, dum venerabilia loca nostro fuerint adminiculo reparata. Et in hoc debemus omne studium habere: ut, quia nostris peccatis exigentibus, rerum ordo nimis turbatus est, illum, in quantum Deo largiente possimus, sustentare curemus. Inde ergo valde gavisi sumus, quia prædictum cœnobium beatissimi Benedicti, qui est pater & dux monachorum, reflorescere ad normam monasticæ religionis audimus. Nam cum ille monasticus ordo nimium ubique sit imminutus, spes nobis inest, quia, si in illo cœnobio, quod est quasi caput & principium *, observantia regularis refloruerit, cetera circumquaque posita, quasi membra convalescant. Ut enim ait Apostolus: *Gaudente uno membro, reliqua membra congaudent*, sic e contra, *Omne caput languidum & omne cor mærens: a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Ut ergo vestræ conversationis [propositum] sicut certa verissimaque relatione comperimus, quod filius noster Odo venerabilis abbas in hoc monasterio, & venerabilis vir, Hugo videlicet dux Francorum, ibidem nuper stabilierunt, alacrius & securius in regulari disciplina proficiat, omnimodis loco illi favere ac suffragari nostra apostolica ammonitione ac auctoritate permanere decrevimus... Itaque per illam auctoritatem & potestatem quam Christus Dominus noster in beato Petro apostolorum principe rectoribus sanctæ ecclesiæ concessit, per ejus quoque apostolicæ nostræ auctoritatis.... constituimus atque ordinamus, ut numqnam locus ille aut res quælibet ad ipsum pertinentes sub alicujus potestate, nisi tantum regi submittatur, neque ipse rex vel aliquis princeps umquam ipsum locum tradat aut episcopo aut canonico, vel alicui abbati sive laico homini, aut cuilibet personæ ad dominandum, sed, sicut prædictus pater Benedictus constituit, talem post discessum supradicti abbatis Odonis monachi habeant, qualem omnis congregatio vel minima pars saniori consilio secundum Deum elegerint, sive de ipsa congregatione, sive de alia qualibet monastica fraternitate fuerit. Si autem, quod absit, talem personam eligere maluerint, qui vel per munus vel per cupiditatem inanis gloriæ præesse voluerit, hoc per nomen Domini & sanctæ Genitricis ejus, in cujus honore locus ipse dedicatus est, necnon & beati

Ad lib. 43. n. 6. *Ex archivo Floriacensi.*

* *al.* primum.

Petri omnium ecclesiarum principis omnimodis probibemus, & quicumque vel de ipsis monachis, vel de quolibet ordine qualiscumque persona, aut in ordinando abbate, aut in læsione rerum, sive in detrahenda vel impedienda conversatione, quam novelli fratres tenere visi sunt, contrarius exstiterit, hunc sub anathematis vinculo innodamus, donec humiliatus resipiscat. Villas vero, quas in opus fratrum per testamenti auctoritatem ab antiquis constat esse decretas, id est ipsam vallem totam & Caput-cervium & Evetam & Arminicursum, & Diacum atque Toriacum & Sarmaciola, vel quod apud Stampis habere videtur, & Vinolium sive cetera quæcumque in prædicto testamento continentur, ita sibi communiter fratres habeant, ut nec ipse abbas, nec aliqua persona in potestate alterius quidquam dirigere possit. In ordinando autem abbate tam rex quam episcopi, vel boni principes, vel laici hanc potestatem juxta beati Benedicti præceptum habeant, ut pravorum non permittant prævalere consensum; sed talem constituant, qui secundum regulam & religiosas prædictorum patrum consuetudines præesse studeat. Quia vero jam dictus ordo nimis pene ubique erat prævaricatus, & nonnulli fratres in quibusdam cœnobiis ingemiscunt, qnod nec ipsi absque proprietate conversari vel alios habere volentes emendare non possunt; visum nobis est, ut hanc licentiam tribuamus, quod eis qui voluerint studio meliorandæ vitæ ad ipsum ducem monachorum confugere, a suis abbatibus non negetur, sed tandiu liceat illis permanere juxta consuetudinem, quam invenerint apud fratres prædicti cœnobii, quousque in suis monasteriis ordo regularis florere videatur. E contra permittimus, ut si alicui de.... onerosa conversatio fuerit, ut suo potius detrimento :... discedat, nt non alios inquietet. Ceterum immunitas.. auctoritatis nostræ constituta sic illibata in omnibus locis .... potestatis persona familiam distringere, aut res ipsas usurpare, aut inquietare præsumat. Verum ut hæc omnia firmius teneantur, quicumque adjutores ipsius cœnobii fraternitatis in bono fuerint, hos quantum nobis potestas a Deo per beatum Petrum collata est, sicut sanctæ ecclesiæ fideles si emendare voluerint, absolvimns. Illos vero qui contrarii quolibet modo exstiterint sub anathematis vinculo, ut jam dictum est, nisi resipuerint, usque in diem Domini obligamus. Pax &ægratia Christi observantibus multiplicetur. Scriptum per manum Theodori notarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Januario, indictione xi. Bene valete. Datum v. idus Januarii per manum Nicolai primicerii summæ apostolicæ sedis, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Leonis pontificis & universalis VII. papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli xtt. in mense & indictione suprascripta.

L I I.

Hugonis Magni dip'oma pro sancti Juliani monasterio Turonensi.

Ad lib. 44. n. 12. *Ex chartulario S. Juliani.*

HUgo dux Francorum gratia omnipotentis Dei, necnon & demarcus. Notum fieri cupimus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet ac futuris, & præcipue successoribus nostris Dominnm Jesum-Christum amantibus, quoniam accessit quidam venerabilis fidelis noster, nomine Rotbertus, ad nostri culminis magnitudinem, humiliter postulans ac omnimodis deprecans, ut ex rebus beneficii sui, quod de nobis habere videbatur, aliquid pro remedio animæ nostræ ac parentum nostrorum, necnon & pro absolutione animæ genitoris ipsius, nomine Erkembaldi, quondam fidelis nostri, qui monasticum in monasterio sancti Juliani suscepit ordinem, ac suæ ceterorumque sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, tam præsenti, quam & futuræ vitæ emolumento, ad monasterium sancti Juliani, quod domnus Teotolus præsul venerandus in suburbio Turonieæ urbis, ob utilitatem multorum construxit, in opus monachorum ibidem Domino famulantium rebus necessariis contulissemus, easdemque sub institutione census, tam sibi quam & successoribus suis annuatim pro majori rei firmitate reddendum, per hujus nostræ auctoritatis testamentum concederemus. Hujus itaque fidelis nostri Rotberti deprecationem, necnon & unanime utrorumque fidelium nostrorum assensum ratum & perutile cognoscentes, concessimus ad præfatum sancti Juliani monasterinm in victualibus stipendiis monachorum, ceterisque eorum utilitatibus, ex rebus beneficii sui, quod de nobis habere videbatur, capellam scilicet in villa Cancellis, in honore S. Martini constructam atque dicatam, cum omnibus presbyterii capellæ ac beneficii circumquaque adjacentibus rebus atque pertinentibus, sicuti præfatus fidelis noster Rotbertus in beneficium tenere videtur. Similiter concessimus per deprecationem jam dicti fidelis nostri Rotberti omnem terram, quæ conjacet inter Spicarias & Vitrarias, atque Villaredum, & pertinet ad ipsius beneficium, cum terris cultis & incultis, & cum pratis, pascuis, silvis, perviis & exitibus, aquis aquarumve decursibus, & cum omnibus rebus & adjacentiis earum. Snnt autem hæ res sitæ in pago Turonico, in vicaria illa de Cancellis. Has siquidem supra memoratas res cum terris cultis & incultis, pratis, silvis, pascuis, aquis, perviis & exitibus, & cum omnibus aliis utilitatibus & adjacentiis earum, Deo & sancto martyri ejus Juliano in spectabiles nsus monachorum ea ratione concedimus, ut habeant licentiam desuper ædificandi, plantandi, construendi, & quodcumque melius elegerint emeliorandi. Solventes exinde annis singulis tam ipsi monachi qui præsentes sunt, quamque & illi qui futuri sunt per sæcula, ad missam sancti Martini hiemalem, partibus fidelis nostri

Rotberti, sive successori ejus ipsum beneficium promerentibus sol. II. & eis a nemine seniorum amplius non requiratur, aut exigatur, sed sub tal censu libere ac quiete præfixas res teneant & possideant. Si autem ex suptadicto censu negligenter reperti fuerint, ad ipsum emendare studeant; & quod tenere videntur, non ideo amittant. Precamur interea successorum nostrorum clementiam omniumque sanctæ Dei ecclesiæ fidelium sanctorum locorum aliquid conserentium, ut sicut sua statuta, quæ pro amore omnipotentis Dei gesserint, voluerint inviolata servari, hæc nostra parvitatis gesta sinant manere intacti & inconcussa. Et ut hujus nostræ auctoritatis firmitas notior hab.atur, & ab omnibus inviolabiliter observetur, manu propria eam sub signo sanctæ crucis firmavimus, & ad fideles nostros utriusque ordinis manibus propriis insigniri rogavimus. Signum Hugonis comitis & Francorum ducis. Signum Rotberti, qui hanc auctoritatem fieri deprecatus est, & ipse firmavit. S. Gibardi fratris ejus. S. Martini canonici. Sign. Fulconis Audegavorum comitis. Sig. Theotbaldi Turonorum vicecomitis. Sig. Gaufridi Aurelianensium vicecomitis. Sig. Burchardi comitis. Sig. Gauzfridi Carnotensium vicecomitis. Sign. Odulfi. Sign. Gerardi. Sig. Bernardi Silvanecti comitis. Sign. Hucberti. Sign. Adalardi. Sig. Bernerii. Sig. Landrici. Signum Guanilonis. Sig. Odulgerii Sig. Evrini. Data mense Maio in pago Aurelianensi, in villa quæ dicitur Fontanas, ubi residebat domnus Hugo venerabilis comes & ttamarcus cum suis fidelibus, anno tertio regnante HLudovico rege.

LIII.

Donatio facta eidem sancto Juliano unius præbendæ in ecclesia S. Martini Turonensi.

Ad lib. 44. n. 12. *Ex archivo S. Juliani.*

CUm sollicitudo & cura omnium ecclesiatum in manibus præcipue consistat episcoporum, tanto tamen ab omnibus quicumque possunt canonicis & fidelibus devotius & totis nisibus est exsequenda & perficienda, quanto constat quia exinde sibi cælestia credunt percipere commercia. Nos igitur in Dei nomine Nefingus, gregis incliti confessoris Christi beati Martini decanus, necnon Farmannus ipsius sacratissimi corporis custos & archiclavis, ceterique nostræ congregationis fratres, percognitum ac manifestum esse volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, & præcipue nostris confratribus tam futuris quam & præsentibus, quoniam accessit ad nostræ caritatis benivolentiam domnus Teotolo venerabilis archiepiscopus, anno dominicæ incarnationis DCCCC XL. humiliter postulans, ac omnino flagitans, uti pro sola pietate ac benedictione patroni nostri domni Martini, atque pro communi animarum nostrarum absolutione, præbendam unam ad monasterium sancti Juliani, necnon & sancti Antonii, quem ipse pro multorum utilitate tam præsentium quam & futurorum in suburbio Turonicæ urbis construxit, ac noviter dedicavit, ad subsidium monachorum ibidem Domino militantium perpetualiter habendam contulissemus, eo siquidem rationis ordine, ut eorum sacræ orationes ad Dominum continuæ ita pro nobis, veluti pro ipsis, ac posteris nostris essent profuturæ. Nos igitur ejus petitionem cum consensu omnium nostrorum fratrum mentialiter * considerantes, & deprehendentes non illam fore superfluam, sed rationabilem, & utrarumque partium profectibus commodam & perutilem, concessimus, tam pro sola, ut dictum est, pietate ac benedictione patroni nostri domni Martini, quam etiam pro deprecatu jam dicti domni Teotolonis archiepiscopi, ad prælibatum monasterium sancti Juliani sive sancti Antonii, in opus monachorum, præbendam unam, quatinus & pro fœdere & memoriale nostrum ac successorum nostrorum animarum requie ibi perpetuo habeatur, & missarum sacra oblatio, sicut idem domnus archiepiscopus subjectique sibi monachi nobis polliciti sunt, & duplex fiat quotidie commemoratio, una scilicet pro nostris defunctis fratribus, & altera pro vivis. Scimus enim quia multum valet deprecatio unius justi assidua; & apostolus nos admonet orare pro invicem ut salvemini. Interea precamur omnes nostri gregis canonicos, qui præsentes vel qui futuri esse videntur, ut hanc nostram communem eleemosynam ac contulitionem, sicuti a nobis constituta est, ita in reliquum eam manere patiantur inconcussam & inviolabilem. Si autem forrasse acciderit, quod absit, ut aliquis suasionibus male infectus, aut invidia, seu malo ingenio seductus, prælibatam præbendam ab eodem sancti Juliani monasterio voluerit distrahere aut subtipere, iram Domini nostri Jesu omniumque Sanctorum ipsius se multatum noverit, nisi quantocius resipuerit. Et ut hujus nostræ communis eleemosynæ atque contulitionis auctoritas in Dei nomine per diuturna tempora certior ac firmior habeatur, & inviolabiliter conservetur, manu propria in capitulo pleno eam subscripsimus, & ad ceteros confratres nostros subscribere rogavimus. Nefingus decanus, Farmannus, Arbertus præcentor, Erlannus, Odilardus, Guntelmus, Erluinus, Beringerius, Arduinus, Gauzfredus, Gauzelinus, Adabertus, Arduinus, Bernardus, Lisiardus, Radoinus, Deusdedit, Berno, Ardincus, Fruannus, Gimmo, Hildemodus, Gauzuinus, Adalmarus, Gauzelmus, Lethardus, Fulco, Gislebertus, Fredericus, Madalricus.

Data est autem hæc auctoritas II. Kal. Aprilis Turonis in castello sancti Martini, in pleno fratrum capitulo, anno III. regnante Ludovico rege. Gualterius indignus scripsit & subscripsit.

L I V.

Charta Aymerici archiepiscopi Narbonensis pro sancto Pontio Tomeriensi.

Ad lib. 44. n. 12. *Ex archivo Tomeriensi.*

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, ego Aymericus Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, notificare volumus cunctis hæc audientibus, quod multum gaudemus & exultamus de ædificatione monasterii sancti Pontii Tomeriensis, quod domnus Pontius dux Aquitanorum & comes Tolosanus ædificavit & dotavit, abbatem & monachos ibi constituens, ut regulariter vivant secundum regulam sancti Benedicti. Et quia in diebus nostris tam venerabilis religiosusque locus ædificatus est; volumus & cupimus cum magno desiderio, monasterium prædictum dotari ad sustentationem monachorum, qui ibi Deo serviunt, & in futurum servituri sunt, ut tantæ eleemosynæ participes esse mereamur. Igitur ego Aymericus archiepiscopus prædictus, & nos canonici prædictæ sedis, bono animo & bona voluntate damus, laudamus & concedimus, ac præsenti charta in perpetuum tradimus Domino Deo, & sanctæ Mariæ, & monasterio sancti Pontii martyris Christi Tomeriensis, & domno abbati Otgerio, & monachis ejusdem monasterii, præsentibus & futuris, ibidem Deo servientibus, videlicet ecclesiam sancti Martini de Jauro, cum capella sancti Martini de Cussas de ipsa parrochia, & ecclesiam sancti Garcini de Bisons, & ecclesiam sancti Stephani de Cavall cum capella sancti Martini de Uscadellas de ipsa parrochia, & ecclesiam sancti Johannis de Frayssa, & ecclesiam sancti Petri de Cambour, & ecclesiam sancti Petri de Riols, cum capella sanctæ Eulaliæ de ipsa parrochia, & ecclesiam sancti Sebastiani de Promiano cum capella sanctæ Mariæ de Tresors, & ecclesias sancti Stephani & sancti Amantii de Albania, & ecclesiam sanctæ Mariæ de Feireras, & ecclesiam sancti Johannis de Divoliola, & ecclesiam sancti Petri de Figueiras cum sua capella, sancti Petri de Ceaceyo, cum omnibus aliis capellis & ecclesiis de ipsa prædicta parrochia sancti Petri de Figueiras, & ecclesiam sancti Baudilii de Monte-Olerio cum capellis sancti Petri de Bisano, & ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Juliani de Malliaco, & ecclesiam sancti Jacobi de Corts. Has omnes prædictas ecclesias ego prædictus Aymericus archiepiscopus, & ego Petrus archidiaconus, & ceteri canonici Narbonensis sedis, damus, laudamus & concedimus Deo, monasterio sancti Pontii supradicto, & abbati & monachis prædictis, & eorum successoribus in perpetuum, cum omnibus decimis & primitiis & oblationibus, & cum omni ecclesiastico jure tam decimarum, quam aliarum rerum, sicut umquam prædictæ ecclesiæ habuerunt, vel habere debuerunt, vel possederunt, vel habere debent. Sic damus Domino Deo & monasterio prædicto in perpetuum absque omni retentu, libere & absolute, & absque omni usatico, salvis tamen synodis de ecclesiis prædictis, exceptis capellis omnibus, & excepta ecclesia sancti Baudilii de Monte-Olerio, & exceptis ecclesiis prædictis de Malliaco. Si quis autem sciens contra hanc donationem nostram venire tentaverit, non hoc valeat vindicare quod requirit; sed insuper admonitus nisi resipuerit, & Deo & sanctis ejus satisfecerit, & monasterio prædicto, iram Dei omnipotentis incurrat nimis tremendam, & cum diabolo & ejus ministris dispereat, & anathema maran-atha efficiatur, & cum Dathan & Abiron, qui viventes in infernum descenderunt, subjungatur, & cum Juda Iscariote traditore, qui Deum & Dominum suum tradidit, societur, luiturus pœnas perpetuas. Factum est hoc donum anno Domini ab incarnatione DCCCC XL. mense Augusto, anno III. regnante Ludovico rege Francorum. Signum Aymerici archiepiscopi Narbonensis, qui hanc cartam fieri jussit, & factam laudavit, & testes firmare rogavit, & hoc signum facit †. Sig. Petri archidiaconi, & ceterorum canonicorum Narbonensis sedis, qui hanc cartam fieri jusserunt, & factam laudaverunt, & testes firmaverunt. Sign. Rodaldi episcopi Biterrensis †. Sign. Guilandi Carcassonensis episcopi †. Sign. Theoderici episcopi Lutevensis †. Sign. Pontii episcopi †. Sign. Reynardi episcopi †. Sign. Datberti episcopi †. Sign. Hugonis episcopi †. Sign. Guadaldi episcopi †. Signum Wilandi episcopi †. Sign. Datberti abbatis †. Sign. Odoni abbatis †. Sign. Arnulfi abbatis †. Sign. Suniarii abbatis † Sign. Rotberti abbatis †. Sign. Guidoois abbatis †. Sign. domni Pontii ducis Aquitanorum & comitis Tolosani. Sign. Guarsindis uxoris ejus. Signum Hugonis comitis. Sign. Amandi vicecomitis. Sign. Sicardi vicecomitis. Sign. Atoni. Sign. Pontii, qui hanc cartam scripsit jussu prædictorum, anno & die quibus supra.

L V.

Eliziern i charta pro Floriacensi monasterio.

Ad lib. 44. num. 25. *Ex manuscr. codice Ottoboniano.*

DIvina pietas, quæ fidelibus ad usum hujus vitæ bona temporalia præstat, hoc etiam majori benignitate largitur, ut de eisdem temporalibus æternam sibi mercedem valeant præparare. Quapropter ego Eliziernus hoc per gratiam Christi retractans, & me ad obsequium divinæ servitutis conferre, & de rebus juris mei portionem in posterum reservare decrevi. Et quia monasticam professionem mihi subire placuit, beatissimum Benedictum, patrem videlicet monachorum ac ducem, placandum quam primum judicavi. Igitur prædium meum, quod Seda dicitur, situm in Guastinensi pago, cum omnibus, quæ ad ipsum pertinent, in honore domini nostri beatissimi Benedicti ad Floriacum cœnobium, quo ipse quondam de Casino translatus requiescit, perpetualiter habendum trado, cum ecclesiis videlicet, villis atque mancipiis, seu ceteris quibuscumque rebus ad ipsum perti-

nentibus, quidquid videlicet vel inquisitum, vel inquirendum videtur. Quia vero juxta Apostolum, cura proximorum negligenda non est, volo, ut easdem res filius meus Joseph, necnon & filia mea Elizabeth, & primogenitus ejusdem filiæ, si de legitimo conjugio fuerit, ad usumfructuarium teneant: post eorum vero discessum ipsæ res cum omni integritate ad prædictum cœnobium transferantur; & ita in usibus fratrum cedant, ut nulli abbatum liceat inde beneficium laïcis dare. Ne vero aliquis dicat, quod ipsæ res donatæ quidem sint, sed non possessæ, trado in præsenti ad possidendum ecclesiam, quæ est in villa Prunedo. Similiter quæ sunt ecclesiæ & pro censu teneantur, & ad judicium possidendæ. Si vero, quod absit, ulla qualiscumque persona quidquam de hac nostra constitutione infringere tentaverit; illi maledictioni subjacebit, quæ in sanctis libris contra pervasores rerum ecclesiasticarum terribiliter comminatur, ut, juxta divinam vocem, maledictus sit qui transfert terminos constitutionis proximi sui; & cum Eliodoro participetur, qui ærarium Domini infringere tentavit. Ipsa vero auctoritas omni tempore inconvulsa ut perduret, hanc manu propria firmari, & filium meum Joseph firmare feci. Sign. Elisierni, Sign. Ugonis comitis. Sign. Teudonis comitis. S. Joseph acolyti. S. Bernardi comitis. S. Teutbaldi comitis. Sign. Fulconis comitis. Sign. Gauzfredi comitis. Sign. Rodulfi. Sign. Aymonis. Sign. Frotmundi. Sign. Raynardi. Sign. Arnardi. Sign. Girardi. Sign. Gauzberti. Sign. Rotberti. Sign. Hervei. Datum mense Novembri, anno sexto regni HLudovici. Andreas monachus scripsit.

L V I.

Hymnus in honorem sancti Martini, a S. Odone in extremis compositus.

Ad lib. 44. num. 40. *Communicavit D. Edm. Martene.*

MArtini reniter en speciosa dies,
Qua scandit modicus dives Abrahæ sinus,
Concentusque poli obvius adstat ei:
Nos hymnis hunc honoremus.

Est Jesus vehemens laus, honor atque decus.
Nam cælos decorat, arvaque clarificat,
Emergens quasi sol alter ab occiduo.
Splendorem dat * hunc diem.

* *al.* invidiam.

Cultorem Domini hic tener imbiberat,
Et nil præter eum sumere jam poterat:
Signis a puero plenus & in senio,
Ipso fide fit inclytus.

Qui necdum madidus fonte sacro laticis
Vestivit Dominum parte suæ chlamydis:
Et semet gelidat algidus ut tepeat,
Nosque nunc meritis tegat.

Ter virtute potens mortibus imperitat,
Signorum titulis totus ubique micat,
Ut quod Christus habet nomen ibi nitescit.
Ut consertus apostolis.

Instinctu supero cardine quadrifido
Gens, linguæ, populi hunc celebrant seduli,
Certatimque fluit illius ad tumulum:
Martinum decet hoc decus.

Hæc Martine dies arva polosque replet,
Sit per te salubris, his quibus est celebris.
Sit gaudere pium, sit generale bonum,
Hoc per te pater inclite.

Tu pacem reparas; hic & ad astra migras:
Nunc nos te medio concilies Domino,
ODONIS famuli hoc opus qui condidit
Emigrans de sæculo.

Misertus Domine, quos enutristi pie
Semper misericors, misericordissime,
TETOLONIS servi ceterisque tuis
Miserere, ô Martine.

L V I I.

Præstaria Badini abbatis Saviniacensis.

Ad lib. 44. n. 59. *Ex archivo Saviniaci.*

DIlecto in Christo fratri Severo Badinus sancti Martini Saviniacensis abbas. Omnibus notum esse volumus, te nostram adiisse præsentiam rationabilique precatu poposcisse, quo ecclesiam in pago Lugdunensi in villa, quæ vocatur Libertis sitam, atque in honore sanctæ Mariæ dicatam, cum parrochia & presbyteratu & omnibus ad se pertinentibus, tibi ad censum beneficiaremus, quod & fecimus. Illam etiam vineam & aliquid de prato quæ nobis in villa Liberus per cartulæ testamentum tradidisti, similiter tibi benefacimus, ea scilicet ratione, ut annis singulis de fructu, quem Dominus super ipsam vineam dederit, ministri sancti Martini nonas accipiant, & de prædicta ecclesia XII. denarios in censu persolvas singulis annis in festivitate sancti Martini; & dummodo vivis, ipsas res teneas ad reædificandum & in melius semper convertendum; & post tuum decessum ipsæ res sine ulla contradictione ad nostrum monasterium melioratæ revertantur. Sig. Romestagni monachi. Sig. Atonis monachi. Sig. Winusii monachi.

L V I I I.

Fragmentum vitæ S. Benedicti primi, abbatis Clusini monasterii, auctore Willelmo monacho.

Ad lib. 47. n. 4. *Ex schedis Baluzianis.*

IN Italiæ finibus mons quidam exstat insignis, XII. millibus passuum distans ab Alpibus, qui vulgari nomine, sed non vulgari errore aut casu Pyrchiriana, id est ignis Domini, vel ignea civitas, vocatus est ab incolis, propter Angelorum, ut reor, ibi fututam præsentiam. Supremo cacumine beati Michaëlis Archangeli exstat ecclesia. Erat quidam Ravennas, nomine Johannes, cognomine Vincentius, vir miræ simplicitatis ac spiritualis intelligentiæ gratia

tia adprime ornatus, qui io genirali quidem solo episcopali fertur functus dignitate; sed solitariæ viræ ardore flammatus, multis provinciis perlustiatis, io montem, qui Caprasius dicitur, prædicto monti a parte Septentrionali oppositum sese reduxerar.

Ab illo itaque tempore sanctus eremita Johannes nsus cellula juxta posira, montem solus incolere cœpir. Amizo tunc Taurinensis episcopus. Per idem tempus Othone juniore augusto, quidam nobilium, Hugo nomine, ex Arvernensi comitaru cum propria uxore....

Emensis igitur longioris viæ spatiis, cum boni desiderii plenus una cum uxore suisque Segusiam venisset, tunc vovit cœnobium sancto Michaëli archangelo construere, si curari mereretur.

Ascensis ergo diluculo vehiculis, Hardoini marchionis curiam, quæ XIII. tantum millibus in castro Avilliano tunc aberat, celeriter adeunt, cumque cum uxore nihilominus nutu divinitatis, ne diutius fatigentur, inveniunt. Adventus causas exponunr, & licentiam construendi cœnobii in memorato multoties loco petunt. ea videlicet rarione, ut gloriosus marchio quantum auri vellet vel argenti, mulorum, ceterorumque vehiculorum, quæ adduxeranr, maximam copiam benigne reciperet, & locum ab omni sua proberedumque suorum sæculari potestate scripro judiciali solveret; quatenus in posterum Deo inibi servituris, a cunctis quæ sæculi potestatibus vel ex debito, vel ex termre fiunt, expedita libertas conditionibus esset. Liberalissimus princeps libenter annuit.

Aderat ibi quidam nutu Domini vir religiosus Ordinis monastici, nomine Atvertus, qui in Lizrhio monasterio abbaris prius officio functus, atque ab hoc a contrariis sanctæ religionis expulsus, tunc a liminibus Apostolorum regressus, in eodem per aliquot dies fuerat hospitio remoratus. Præfatum ergo virum religiosum Atvertum multis precibus vincit Hugo, & relictis quantum ad præsens ut peregrinus poterat necessariis ei locum committens, citius rediturus ad sua cum gaudio redit.

Exinde vir Deo plenus Advertus omnino plena devotione satagens, oportuna monachis ædificiola secundum situm loci, nam scopulis asperrimus erat, cœpit construere. Tempore constituto sicut promiserat Hugo rediit, & omnibus necessariis impensis ad perficiendam ecclesiæ fabricam datis, iterum ad præfatum marchionem transitum fecit, & ab eo, sicut & prius, dato pretio villulam contiguam, nomine Clusam, & ædificandis villulis congruas terras nihilominus contiguas acquisivit. Ut autem libertatis loci pro qua satagebat scrupulus omnino nullus inesset, Taurinensem pontificem, qui Amixo dicebatur, adiit, & oblatis quæ tantum virum decebant muneribus, cunctis iterum locum solvi conditionibus cum anathematis etiam interpositione favorabiliter impetravit. Indeque Romam profectus omnium prædictarum sponsionum tam pontificis, quam marchionis tenores, omnemque sui operis ordiens historiam papæ Sylvestro * retulit, & ejus ad præsens principis Apostolorum auctoritate, postea vero imperatoriæ majestaris corroborari locum litteris & nomine fecit. Ne autem aliqua dubietas ex his quæ relata sunt in cordibus fidelium possit oriri, restis est prædicti Hugonis filius Mauricius, restis & ipsa familia.

Igitur venerabilis papa Nicolaus, quod nomen victoriam populi nimirum catholici sonat, narrationis hujus ordiendæ laudator & præceptor exstitir, ut cunctis legentibus innotesceret, prædicti loci curam specialiter ad sedem apostolicam pertinere.

Anno igitur DCCCC LXVI. incarnationis Dominicæ constructis, ut fertur, in eodem loco feliciter officinis cœnobialibus, prout erat possibile, cum ille vir illustris Hugo in armis strenuus, sed in Dei rebus circa finem magis devotus, locum quem, sicut supra retulimus, pretio sibi ut proprium vendicaverat, & apostolica auctoritare seu præceptis regalibus munierat, abbati duntaxat ac monachis habendum tradidisset, postquam etiam S. Johannes eremita, necnon & beatæ memoriæ Advertus abbas migrassent ad Dominum, successit ei in regimine, fratrum consensu & electione vir simplicitatis & prudentiæ merito, Benedictus nomine.

Aliud ejusdem vitæ fragmentum.

Non ignoras, conscende intrepidus: & cum omnia, quæ tibi furto ablata verebaris, ibi collecta inveneris, opus quod imperaveram, in eodem loco perficere ne cuncteris. * * * morabatur.... angelica revelatione cœpit honori & amori haberi ipsa regio, quæ antea inculta & vilis habebatur. Venerabilis quoque præsul Amizo ad locum appropinquans, in castro hospitatur Avilliano. Ecce autem circa noctis medium, dictu mirabile, immensus ignis instar magnæ columnæ e cælo super montem descendere, suisque flammis coruscis aëre sereno totum circum lambere. Cujus novitate miraculi populi stratis exciti, supplices ad cælum manus tendere, pectora pugnis tundere. Vociferantur cuncti Pyrchirianam penitus exuri. Tollitur clamor ad sidera. Episcopus ipse tanto rumore attonitus, surrexit, partemque rutilæ lucis jamjamque recedentis contemplatus, sic ait suis: O quam metuendus est locus iste! A Domino vere factum est istud, & est mirabile io oculis nostris. Hic est ille ardens rubus, in quo Moysi quondam apparuit Dominus. Hic est mons alter Sina, igneam legem per dispositionem Angelorum acceptutus. In crastinum igitur cum ad locum ventum fuisset, & honorabilis pontifex cum venerando cœtu foribus humilis basilicæ astitisset, aspexit ab alto tanquam olei liquorem effluere, & effigiem crucis humore crasso per ecclesiolæ quosdam scopulos eminentes apparere. At ille obstupefactus & cum omni populo terrore perculsus, humilis ingreditur, & humi prostratus, Archangelo mediante a Dominatore cæli & terræ perfectum finem tantæ virtuti obni-

xius imprecatur. Oratione autem finita, cum oculos lacrymis suffusos levasset, videt titulum miræ pulcritudinis erectum, procul dubio manibus angelicis coaptatum, & balsamo atque oleo per circuitom supraque affluenter sudare, in tantum ut ad terram usque videretur effluere. Quod cernens, accepto festious linteo, oleum reverenter extersit, & sic operto titulo missarum ibi sollemnia devotissime celebravit. A linteo vero, quo sacra extersa est ara, quanta processerit virtus, non est nostræ facultatis evolvere: quia non inbecillis, non a dæmone possessus, non qoalibet infirmitate detentus aliquis inde tactus est, quem inexpertem divinæ pietatis mox sanitate recepta virtus Archangeli permiserit existere. Tantis pius antistes miraculis motus, anachoretæ precibus, & ab honestis nobilium personis qui affuerant exoratus, cum interminatione sempiterni anathematis constituit, ut a suo successorumque suorum sæculari dominatu vel impedimento liber esset per sæcula locus; ea ratione, ut si quis ejus constitutionis in posterum contemptor fieret, apostolicæ sedis esset judicii reus.

Ab illo tempore itaque sanctus eremita Johannes usus cellula juxta posita, montem solus incolere cœpit, & sanctus Domini Archangelus, loci sui dilectorem & provisorem se esse luce clarios manifestare non distulit. Non multum namque temporis effluxerat, & ecce viri sanctorum apostolorum Petri & Pauli limina, necnon & ejusdem sancti Archangeli patrocinia in monte Gargani adire festinabant. Cumque in Segusiana valle positi præscriptam ecclesiam in summitate montis, tanquam in specula sitam, conspicerent; ignari rerum, a quo constructa, vel cujus nomini dicata esset, studiose requirunt. Quibus cum senex nuper gesta retulisset, unus illorum, qui podagræ morbo graviter vexabatur, lætus valde effectus, socios hoc modo affatur: Nostis, ô sodales, quanto pedum meorum torquear dolore, & quam sæpe vos offenderim in hoc itinere mea tarditate. Unde quoniam ad illum sanctum Gargani montem, sicut proposueram, nequeo pertingere, obtestor per eum, quem animarum fidelium ducem post mortem maxime credimus, ut liceat mihi saltem istud sanctum oratorium illi dicatom invisere, cumque ut in hora exitus sit animæ meæ propitius exorare: vosque ipsi aut mecum pro vestra mercede ascendatix, aut in montis calce reditum meum maturum expectetis. At illi in eum maligne tumultuantes ita illi exprobrant: Quid est, miser homo, quod loqueris? Quo nisu vales per aspera & ardua scandere, qui plana vix læderis planitie? Abi quo vis insane. Dispereat qui te expectaverit. Tunc ille deserto comirum contubernio, sumptaque fiducia ex amore archangeli, quod impossibile putabant aggreditur, & magis genibus & manibus reptando, vix tandem victor optato potitur desiderio. Intransque ecclesiam uberrimis humectavit solom lacrymis, & inter vota & preces, quas ex affectu intimo fundebat, Domino ejusque archangelo quod sit derelictus a viris, suæque facit mentionem infirmitatis. Interea, ut assolet fieri, præ labore & mæstitia somnus hominem corripit, & post aliquot horas sopore solutus, coram altari sancti Michaëlis in monte nimirum Gargani se se sospitem & incolumem invenit. Quanta tunc flens largitur ibi, quæque lacrymarum præ gaudio fuderit flumina, si vellet exprimere Tulliana, nisi fallor, succumberet facuodia. fortassis quod loquimur, pro sui novitate & miraculi magnitudino cuilibet videatur incredibile: sed, ô tu qoi inde ambigis, veterem Danielis historiam non te pigeat retexere, & quo pacto angelus Domini per terrarum tot spatia Abacuc per capillum Danieli in lacu Babylonico sedenti & famelico asportaverit, si ratione nunc comprehendis, indubitanter actum crede. An negabis, incredule, quod tunc factum est per angelum, non potuisse nunc fieri per summum archangelum? Vir igitur ille cum suæ sospitatis auctori quantas potuit gratiarum persolvisset actiones, lætus & exiliens inde repedabat. Jamque Romam transierat, cum infidi comites ejus nondum ad Urbem pervenerant. Quem cum sibi obviam ejmmus redeuntem contemplarentur, admirantes mutuo alter aiebat ad alterum: Ho Deus, quem video? num iste noster socius, qui apud Clusam a nobis est relictus? & alter: Non est, ait ille, sed similis ejus. Nam ille podager, iste incedit firmus & incolumis. Sed quid? certe is ipse est. Salve bone vir. At ille: Salvete vos, ô boni sodales. Quid est hoc, inquiunt? Quis te huc, aut quomodo sanus effectus es? Quibus cum præscripti miraculi seriem retulisset, tantæ rei novitate attoniti dixerunt ad eum: Num ista sancto apostolico per ordinem non aperuisti? revertere nobiscum, ingrate, revertere; & narra quanta tibi Deus fecerit. Et ille: Faciam ita, tametsi vos non promeruistis. Rediit, narravit & ad amorem venerabilis hujus loci Romam matrem civitatum accendit, totaque Italia, qua veniebant, hujus miraculi fama pertonuit.

Per idem tempus imperante Otone juniore augusto, quidam nobiliom, Hugo nomine, de Arvernensi comitatu, cum propria uxore ***. turbatur anxietate. Nitebatur Petrum .... spem miserorum lacrymosis suspiriis, nec se palam prodentibus ut sui misereretur inflectere, quia palpitabat lingua mala confusione, quæ peccatum celando solet accumulare, & erubescebat fateri quod non erubuit perpetrare. Tandem coactus uxori suisque circumstantibus quo cruciaretur igne ***... & secundum post baptismum .... quidem prima me comprobat apostatam, hostis abrenunciationem. Assentio, confiteor, abrenuncio, & a fonte David, qui in ablutionem menstruatæ patet, per ministeriom domini mei Petri consilium requiro. Hæc querimonia dulcia Romanæ pietatis viscera concussit, & tantorum criminum reus de constructione unius cœnobii, ubi perpetualiter a monachis Deo serviatur, sponsionem fecit: exigentibus tam memorato Papa, quam ministris apostolicis. Purgatus itaque tali pænitentia & con-

fessione, sic demum limina sancta ingredi, & locum vestigiorum Domini permissus est osculari. Et facere gestiens quod promiserat, ad propria cœpit cum gaudio regredi.

Emensis igitur longioris viæ spatiis, cum boni desiderii plenus una cum uxore suisque Segusiam venisset, & in familiari sibique nota domo cum vetere amico hospitatus esset; ab eodem hospite causa familiaritatis diligenter cœpit inquiri, qualiter cursum explesset itineris sui. Seriatim cuncta retulit, & universæ rei quam præfati sumus mirabilem notitiam dedit. Attonitus hospes tanti stupore miraculi, simulque laudibus diutius immoratus omnipotentissimæ misericordiæ Domini, dixit ad eum: O domine Hugo, si desideras boni viri compos existere, nulli alii melius post gratiam principis Apostolorum, quam principi cælestis exercitus archangelo Michaeli te decet cœnobium construere, ut dimissis omnibus peccatis tuis, inde exitus tui de hoc exilio animæ tuæ iste sit ereptor, & Petrus receptor. Simul etiam locum præfatum, quam proximus, videlicet XII. millibus, esset, ostendens, & præfatorum miraculorum nobilissimam narrationem prosequens, animos viri jamdudum ad id intentos, exhortationis bonæ scintillis accendit. Atque sic tandem & verba salutis, & diem quo fessi venerant nox subsequens clausit. Adest archangelus per visionem soporatis utrisque conjugibus, & eadem specie eisdemque verbis conspicitur & auditur a duobus. Hortatur & imperat, ut in loco quem hospes designaverat, totius consilii vires figat, & absque dubitatione monasterium fabricans, animæ suæ cæleste se construere palatium non diffidat. Vir post revelationem prior evigilat, & dum uxori, Insengardæ nomine, totius tenorem visionis narrat. Postquam & ipsa retulit suæ concordiam visionis, otior stratu se proripit, & hospitibus sciscitatis, quomodo melius ad effectum res ducatur, sagaciter consilium quærit. Tunc uxor hospitis Eva melior consiliis Evæ prioris, quæ sero contulerant (nam his ipsa plurimum institerat) narrationem archangelici montis corroboratam gavisa, una cum viro quantis valet ingeniis omnes directos aditus incipiendæ faciendæque rei perquirit. Tandemque simul conferentibus sani vena consilii a fonte Sapientiæ Patris processit, qui in evangelio suis promittit fidelibus, dicens: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Igitur levaturi tanti molem palatii Hugo & uxor ejus, omnibus modis arenam nocituram prudenter explorant, & eam obstruere felici conamine parant: ut supra firmam petram secure fundamentum numquam casurum jaciant. Ascensis ergo diluculo vehiculis, Hardoini marchionis curiam, quæ XIII. tantum millibus in castro Avilliano tunc aderat, celeriter adeunt, eumque ibi cum uxore nihilominus nutu divinitatis, ne diutius fatigentur, inveniunt. Nobiles & elegantis habitudinis peregrini ex cismontanis partibus advenisse principi nuntiantur, moxque ab eo secuti. Nobilibus mos quodammodo naturaliter inest, si boni sunt, honorifice suscipiuntur. Adventus causas exponunt, & licentiam construendi cœnobii in memorato multoties loco petunt; ea videlicet ratione, ut gloriosus marchio quantum vellet auri vel argenti, mulorum, ceterorumque vehiculorum, quæ adduxerant, optimam copiam benigne reciperet, & locum ab omni sua proheredumque suorum sæculari potestate scripto judiciali solveret: quatinus in posterum Deo inibi servituris, a cunctis quæ sæculi potestatibus vel ex debito, vel ex terrore fiunt, expedita libertas conditionibus esset. Liberalissimus princeps libenter annuit, & in primis gratis quæ petebantur exsequi volens, postmodum saniori consilio pretium quod justum est benigne recepit, & evangelico exemplo, quemadmodum de pretio Domini emptus est ager in sepulturam peregrinorum, monachis sæculo morituris in eodem loco pretio vitalis sepultura proveniret, & futuris temporibus refragandæ cœnobii libertatis occasio nulla foret. Post hæc ad hospitium lætus Hugo regreditur, & consilio nihilominus hospitis virum, cui tutelam loci committeret, quæsiturus. Interim quia viæ occasio se præbuit, cum paucis ad montis cacumen, habitudinem loci visutus, potius animi quam vi corporis (nam via erat difficillima) trahitur. Æstu ergo vel labore fessus admodum, immo siti nutu Dei deficiens, ad pedes eremitæ, cui ecclesiæ contigua erat cella parvissima, prosternitur; & ut archangeli, si non humano consilio, tanti periculi medelam quantocius inveniat, deprecatur. Audivit ab illo aquam in proximo non haberi; vinum autem in ampullula parva, quæ ad unius missæ celebrationem vix posset sufficere, contineri. Penes se nil omnino remedii fore. Nam virtutem archangeli procul dubio omnia posse. Instante quem sitis & æstus periculum coartabat, eremita tandem pietate concitatur, & archangelum, si status loci sibi placeat, devoti viri mederi periculo deprecatur. Mox, mira dicturus sum, prædictam cernit ampullulam, quasi ab imo scaturiente vena fontis inundare, & summum archangelum virtutem visibilem exhibere. Quantum oportuit potati sunt qui venerant, & accepta benedictione redeuntes, sicut prædiximus, virum tutelæ loci congruum (nam eremitæ nulla jam nisi de cælestibus cura erat) reperire desiderantes ad hospitium properant. Retulit hospiti vir Deo devotus quod acciderat, & inter verba locutionis æstu boni desiderii non minus quam prius siti corporis æstuans, iterum atque iterum de loci tutela, cui oportune esset committenda, verbum repetebat.

Aderat ibi quidam nutu Domini vir religiosus ordinis monastici, nomine Atvertus, qui in Lisathio monasterio abbatis prius officio functus, atque ab hoc a contrariis sanctæ religionis expulsus, tunc a liminibus apostolorum regressus, in eodem per aliquot dies fuerat hospitio remoratus. Hunc, ait hospes, ut reor, gratia divina providit, qui non ut novus, sed expertus officii monastici, parvas expensas adhuc incompositi locelli spiritu pauper amore re-

ligionis amabit : & humili suæ paupertatis obsequio servituris in posterum Christo, quæ satis sint divitias aggregabit. Auditis his venerabilis peccator Hugo in laudem Redemptoris attollitur. Præfatum ergo virum religiosum Atvertum multis precibus vincit, & relictis quantum ad præsens ut peregrinus poterat necessariis, ei locum committens, citius rediturus ad sua, cum gaudio rediit.

Exinde vir Deo plenus Advertus omnino plena devotione satagens oportuna monachis ædificiola secundum situm loci (nam scopulis asperrimum erat) cœpit construere, & quidquid usquam colligere poterat, modico victu contentus, ad id solum expendere. Tempore constituto sicut promiserat Hugo rediit, & omnibus necessariis impensis ad perficiendam ecclesiæ fabricam datis, iterum ad præfatum marchionem transitum fecit, & ab eo sicut & prius, dato pretio villulam monti contiguam, nomine Clusam, & ædificandis villulis congruas terras nihilominus contiguas adquisivit. Ut autem libertatis loci, pro qua præcipue satagebat, scrupulus omnino nullus inesset, Taurinensem pontificem, qui Amizo dicebatur, adiit; & oblatis quæ tantum virum decebant muneribus, cunctis iterum locum solvi conditionibus, cum anathematis etiam interpositione, favorabiliter impetravit. Indeque Romam profectus, omnium prædictarum sponsionum tam pontificis quam marchionis tenores, omnemque sui operis ordiens historiam, papæ Silvestro retulit, & ejus ad præsens Principis Apostolorum auctoritate, postea vero etiam imperatoriæ majestatis corroborari locum litteris & nomine fecit. Post hæc quoad vixit omnia monasterio secundum posse necessaria vel attulit, vel direxit, & exinde cœnobium incrementis oportunis ex tempore Deo favente meritis hactenus Archangeli crevit, & variis miraculis coruscans diversis populis gratum & venerabile fuit. Ne autem aliqua dubietas ex his quæ relata sunt in cordibus fidelium possit oriri, testis est prædicti Hugonis filius Mauricius, testis & ipsa familia, quorum vel suis vel parentum proximis diebus tantis indiciis angelica virtus dignata est propalari.

Igitur venerabilis papa Nicolaus *, quod nomen victoriam populi nimirum catholici sonat, narrationis hujus ordiendæ laudator atque præceptor exstitit, ut cunctis legentibus innotesceret, prædicti loci curam specialiter ad sedem apostolicam pertinere : & quisquis fidelium in fine caducæ atque transitoriæ vitæ pennis angelicis ad cælos optat evehi, contra locum quem Michaël princeps angelorum dilexit & elegit, vereatur aliquid iniquum moliri : quatinus in domo sua absque scissionibus cordium cum pace, quæ hominum bonæ voluntatis propria est, sit nomen Domini semper benedictum, qui omnes suos spiritus administratorios propter eos qui hereditatem capiunt salutis, implere gratuite in ecclesiæ suæ mittit ministerium.

Anno igitur DCCCCLXVI. incarnationis Dominicæ constructis, ut fertur, in eodem loco feliciter officinis cœnobialibus, prout erat possibile, cum ille vir illustris Hugo in armis strenuus, sed in Dei rebus circa finem magis devotus, locum, quem, sicut supra retulimus, pretio sibi ut proprium vendicaverat, & apostolica auctoritate, seu præceptis regalibus munierat, abbati duntaxat ac monachis habendum tradidisset; postquam etiam sanctus Johannes eremita, necnon & bonæ memoriæ Advertus abbas migrassent ad Dominum; successit ei in regimine fratrum consensu & electione vir simplicitatis ac prudentiæ merito Benedictus & nomine. Hic cum plurimis floreret virtutibus, tanta dicitur caritatis affluentia refertus, & hospitalitatis liberalitate munificus, ut omnes ad se venientes & montis ardua ac Archangeli patrocinia petentes, maximeque Gallorum, Aquitanicorum & Hispaniarum populos Romam adeuntes, libentissime susciperet, & quæ fratrum tantum usibus poterant competere, benignus impertiret. Cujus quamplurimi gratiam admirati (erat quippe moribus & canis angelicis decoratus) aiebant : Ecce vir prudens, qui ædificavit domum suam supra petram, in cujus ore dolus non invenitur : quo fideli dispensatore Archangelus Domini gratulatur, & hujus loci fama sua ubique extendit insignia. Cœperunt namque nonnulli, & præcipue de Ultramontes, ad hunc locum gratia religionis concurrere, & sæculo renunciantes sub illo sene glorioso normæ regulari sese subdere. Langobardi enim quamplures, fulti inimica fidei calliditate, haud facile acquiescunt monachalem habitum suscipere. Multi vero nobilium atque divitum gratiam cupientes referre ejus benedictionibus, quo sibi principem angelorum conciliarent in die sui exitus, alii ditaverunt locum suis honoribus, alii tradebant pueros suos Domino educandos immaturis teneros ætatibus. Est namque locus ab omni impedimento & sæculari tumultu semotus. Nullus hominum seu animalium ibi perstrepit, clamor atque rugitus jacet. Porrecta Italiæ planicies suos jocunda lacis ac fluminibus humanos interdum quæ valeat recreare visus. Tepidæ sunt hyemes, æstas vernum imitatur tempus. Mens Deo famulantium tali fota quiete, & admonita quamlibet pulcra rerum oportunitate, vociferatur, jubilando frequenter cum exultatione : Magnus Dominus & laudabilis valde in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Dilectus itaque Deo & hominibus ille venerandus senex Benedictus optime agens gregis commissi custodiam, utpote pastor egregius, sanctitatis gratia claruit suis temporibus, ampliavitque monasterium favente Archangelo rebus, personis, & honoribus. & cum a plerisque hospitibus & monachis quasi pro consilio hortaretur magnorum cœnobiorum tutelæ & ordinationi locum suum committere, eorumque consuetudines admittere, non adquiescebat, dicens : Sinite, fratres, sinite patris nostri Benedicti Regula parvitatem nostram contentam esse, quæ, si quod videtur addendum, abbatis admittit arbitrio supplendum pro ratione & tempore. Non ita est ut dicitis. Videtis locum con-

ductu difficilem & arduum, altera consuetudine modificandum. Neque enim humano quolibet indiget magisterio, qui angelorum sæpe fruitur solatio, tantique provisoris gaudet patrocinio, & satis metuendo quandoque additur ministerio. In hoc nimirum monte nullus est locus crimini, nec est fas sub ejus conspectu scelerato latebras delitescendo, etiamsi usptam in monte facinus committitur, sacras jaculatur & arces: adeo ut plerosque terreat innocentes. Neque novit igneum ponere tumultum, donec quod humanum latebat oculum, & manebat inultum, satisfactione & confessione forte fiat indultum. Sic pater inclytus aiebat, sic apostolica disertus simplicitate callebat. Regulam tantum almi Patris & eximii ducis monachorum Benedicti suadebat perscrutari & observare debere, & super ea clamare. Ceterum in cujusque abbatis arbitrio ordinationem sui monasterii pendere. Quod ejusdem loci conventus usque hodie habuit celebre.

Prætereundum silentio non arbitror quoddam miraculum, quod sanctæ memoriæ Aicius Prior, æque ipso actu reverendus, de abbate jam dicto referre solebat. Cujus ob hoc testimonium veritate creditur subnixum, quia fuit homo, ut aiunt, ad unguem factus, & in religiosa conversatione totus sibi teres atque rotundus. Qui inter ceteras animi virtutes, quibus admodum pollebat, discretionis gratia, quæ omnium virtutum genitrix, custos, ac moderatrix, Patrum diffinitione prædicatur, fuit ita præditus, ut nullius diei feriati atque profesti occasione, solitæ ciborum districtioni seu quantitati quispiam addere vellet aut demere. Constans semper in sancto proposito, & vigiliis crebro inserviens, flagris proprium corpusculum coercebat; operi manuum & lectioni sedulus operam dabat. Castus mente & corpore, tandem multiplicatus in senecta uberi concessit naturæ. Cujus sepulchrum recentes aperientes quidam fratrum ejus alumni quadam curiositate ducti, mira odoris fragrantia sunt repleti. Hic namque, inquam, Prior de illo venerabili Benedicto asserebat, quod moris illi fuerat beatæ Mariæ genitricis Domini & Salvatoris nostri Laudum officia nocte dieque ante ejus venerandum altare, quod illius gloriosæ & incomparabilis imaginis præsentia insignitur, devote ac sollemniter agere. Quod opus cum nullatenus intermitteret, nocte quadam lecturus ibi ex more lectionem lucernam ipse tenebat, quæ venti flamine, ut assolet fieri, extincta est. Quo casu cum pro lectionis dilatione magis anxiaretur, de cereo, qui ante sancti Michaëlis altare perpetuis fovetur ignibus, subito sese flamma prorupit, & in manu illius non sine fratrum admiratione lucernam accendit. Quod ubi Dei famulus vidit, vehementer obstupuit, & solo tenus prostratus diutius adoravit, & fratribus quoad viveret, ne cui miraculum proderent, interdixit. Quid plura? Annis XL. & IIII. monasterium viriliter rexit, tandemque sicut oliva fructifera, in domo Domini in pace quievit. Tale habuit sanctus ille locus sui primordii incrementum, talibus gloriatur auctoribus, & tam gloriosus quam venerabilis extunc & nunc cunctis exstitit gentibus, exceptis Taurinensibus, qui tanquam scyllæi canes, semper oblatraverunt, & livido oculo cœnobii commodo obliquare non cessaverunt. Eorum tamen dentes, omniumque male loco insidiantium vires Archangelus ita potenter obtrivit, ut si non voce, rebus equidem clamaret: Qui hos tangit, quasi si tangat pupillam oculi mei. Nemo enim locum, seu illa quæ juris ejus sunt, aliquando injuriis impetivit, & illæsus abiit. Vocatus & non vocatus adest, & sibi in aula sua digne famulantium, sese que humiliter deprecantium vota benignus attendit, & ab ore sævissimi draconis incessanter protegit. Illius ergo quem cælestis curiæ primatem, ô grex Clusine, specialiter tibi delegisti, innitere patrocinio. Illum te decet præ omnibus venerari & glorificare cultu perpetuo, qui te sub umbra alarum suarum pie fovendo sic defendat in prælio, ne damneris sine me in tremendo judicio. *Explicit.*

LIX.

Donatio unius prebendæ ab Harduino Turonensi archiepiscopo, facta S. Florentii monachis.

IN nomine summi Salvatoris Dei Arduinus misericordia Dei sanctæ Turonicæ sedis archiepiscopus. Notum, immo & præcognitum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentibus scilicet ac futuris, præcipueque successoribus nostris, quoniam accessit ad nostri culminis paternitatem quidam venerabilis abbas de monasterio sancti Florentii, quod situm est in castro qui dicitur Salmurus, nomine AMALBERTUS, humiliter deprecans, uti ad confugium monachorum sancti Florentii infra claustrum nostræ matris ecclesiæ aream unam de terra ad mansionem faciendam eis concederemus: simulque expetiit ut eis præbendam in nostra matre ecclesia concedere dignaremur, cujus deprecationem una cum assensu fidelium nostrorum utriusque ordinis, prout nostro convenit ministerio, benigne recipientes, concessimus jam dicto Amalberto & monachis sibi subjectis præscriptam aream infra claustrum nostræ matris ecclesiæ. Est autem sita prope capellam sancti Gervasii, ubi sanctissimus Martinus missas & orationes semper cantare solitus erat. Concessimus etiam præbendam unam in nostra matre ecclesia, eo videlicet tenore, ut quando ex canonicis nostris aliquis ab hac luce discesserit, ipsi monachi pro absolutione animarum nostrorum canonicorum Domini clementiam exorent ceu pro semetipsis. Itidem autem & nostri canonici faciant pro illis, sicut Apostolus testatur: Orate pro invicem, ut salvemini. Precamur igitur omnium successorum clementiam, qui futuri sunt per diversa tempora, ut hæc nostræ parvitatis facta sinant permanere intacta ac inviolata, sicuti sua cupiunt post miserum hujus

Ad lib. 47. n. 37. *Ex chartario S. Flor.*

sæculi labotem ſtabiliri facta. Ut autem hæc auctoritas p:t diuturna tempora firmior habeatur, & in reliquum inviolabiliter conſervetur, manu propria eam ſubter firmavimus & ab canonicis noſtræ matris eccleſiæ adfirmari fecimus. Arduinus huic manui firmæ ſubſ. Rotgerius decanus ſubſ. Bernatdns ſubſ. Boſo ſubſ. &c. Data menſe Novembrio in civitate Turonis, anno inc. dominicæ DCCCC LXIX. ſive anoo XV. regnante Lothario tege.

L X.

Index abbatum monaſterii SS. Coſinæ & Damiani Romæ in Mica-aurea.

Ad lib. 47. n. 45. *Ex mſ. cod. Romano.*

GRegotius abbas anno 881.
Johannes anno 887. uſque ad annum ſaltem 901.
Johannes item abbas tempore Johannis papæ X. & tempore Leonis VI.
Silveſter anno 946. præfuit annis 17.
Paulus anno 963. præfuit annis 4.
Silveſter II. anno 967. præfuit annis 6.
Johannes III. anno 975. tempore Benedicti VII.
Martinus anno 983. præfuit annis 2.
Gratianus anno 985. præfuit annis 3.
Martinus II. anoo 988. præfuit aliquot menſibus.
Andreas anno 988. præfuit an. 5.
Gratianus II. anno 993. præfuit an. 4
Andreas II. anno 997. præfuit anno uno.
Silveſter III. anno 999. præfuit annis duobus.
Johannes IV. anno 1001. præfuit annis 3.
Gregorius anno 1003. præfuit annis 14.
Martinus III. anno 1018 præfuit an. 4.
Johannes V. dictus Crinius, anno 1022. præfuit an. 18.
Raynerius anno 1041. præfuit an. 6.
Albericus anno 1047. præfuit an. 3.
Raynerius anno 1049. præfuit an. 14.
Odmondus anno 1063. præfuit an. 4.
Alanus anno 1067. præfuit an. uno.
Odmundus anno 1068. præfuit an. 8.
Falco anno 1076. præfuit an. 3 & factus eſt Cardinalis.
Nicolaus anno 1079. præfuit anno ooo.
Hieronymus anno 1080. præfuit an. 2.
Cinthillus anno 1082. præfuit anno uno.
Albericus anno 1083. præfuit an. 8.
Cinthillus II. anno 1091. præfuit an. 29.
Johannes VI. dictus Crinius II. an. 1120. præfuit an. 30.
Hildebrandus anno 1150. præfuit an. 5.
Johannes VII. anno 1155. præfuit an. 3.
Bobo anno 1158. præfuit an. 2.
Hildebrandus II. anno 1160. præfuit an. 7.
Reginaldus anno 1167. præfuit an. 6.
Bobo II. anno 1173. præfuit an. 16.
Nicolaus anno 1189. præfuit an. 11.
Hugolinus anno 1200. præfuit an. 17.
Hieronymus anno 1217. præfuit an. 2.
Hugolinus II. ann. 1119. præfuit an. 2.
Nicolaus II. anno 1220. præfuit anno uno.
Clemens anno 1221. præfuit an. 7.
Johannes VIII. dictus Maſſalinus, præfuit an. 3.
Guido de Opno-Maſſarino præfuit an. 1.
Reginaldus ultimus abbas an. 1233. præfuit uſque ad annum 1234. quo menſe Septembri datum fuit hoc monaſterium a Gregorio papa IX. bulla data die 15. menſis Septembris, pontificatus anno VIII. abbatiſſæ & monialibus ſeu ſororibus incluſis ordinis ſancti Damiani.

L X I.

Donatio Vallis-Boanæ facta Turonenſi monaſterio ſancti Juliani.

Ad lib. 47. n. 70. *Ex veteri membrana.*

IN nomine ſummi Salvatoris Dei, nos quidem Sigefredus Cinnomannicæ urbis & eccleſiæ ſanctiſſimæ Dei-genitricis & virginis Mariæ ac beatorum martyrum Gervaſii & Protaſii gratia Dei epiſcopus, notum fore cupimus omnibus ſucceſſoribus noſtris, hujus ſcilicet noſtræ ſedis epiſcopis, atque omnibus fidelibus, quoniam deprecatus eſt nos quidam noſtri gregis levita valde venerabilis & archiclavis, Odo ſcilicet nomine, ut quibuſdam fratribus noſtris & precioſiſſimi martyris Juliani monachis in monaſterio ejuſdem degentibus, quod eſt conſtructum a domno Teotolone ejuſdem civitatis archiepiſcopo inter mœnia beatiſſimi Christi confeſſotis Martini, & eandem civitatem, villam unam nuncupantem Vallem-Boanam pertinentem ad theſaurum noſtræ matris eccleſiæ, cui Deo auctore præſidemos, cum omnibus rebus ad ipſam ſcilicet villam pertinentibus concederemus, cujus petitionem cum conſenſu noſtrorum canonicorum & hortatu ſeniotis noſtri Hugonis præmiſſæ ſcilicet civitatis nominatiſſimi comitis ac filiorum ejuſdem, videlicet Hugonis & Fulconis, libentiſſime ſuſcipientes, conceſſimus eis præfixam villam, in Cinnomannico pago ſitam ſuper rivulum nuncupantem Dimidiam, in vicaria Veducinſe, cum omnibus ſuis appendiciis, ſilvis ſcilicet, pratis, aquis, aquarumve decurſibus, terris cunctis cultis & incultis, in quibuſcomque adjaceant vel terminentur locis, ſive ubi ubi exquiri potuerint vel reclamari. Inter hæc omnia ſpecialiter denominamus illud territotium, quod vocatur ad-Culturam ſancti Gervaſii, ut nollum lateat ad prædictam villam proprie pertinere. Tali quidem ratione hæc omnia ipſis præclari martyris Juliani ſervientibus tradimus, ut habeant licentiam quicquid ibi melius voluerint operandi, ſimili ſcilicet modo, ut habent in cetera terra ſancti Juliani quam poſſident; ſolvant tamen exinde annis ſingulis, ad miſſam ſcilicet ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii, quæ colitur idus Decembris, cenſum ſolidorum trium; & eis amplius nil requiratur. Sed ſi ex ipſo cenſu neglegentes extiterint, id ipſum eis emendare liceat, & quæ tenuerint non ideo perdant. Ut autem hæc auctoritas omni tempore inconvulſa permaneat, manibus propriis eam firmavimus, & confratri-

bus nostris subscribere rogavimus, atque seniori nostro, domno scilicet Hugone & filiis ejus, nec non principibus fidelium ipsorum, sub signo sanctæ crucis corroborare precati sumus. Sigefredus episcopus subs. Odo thesaurarius subs. &c. Signum † domni Hugonis comitis. S. Hugonis & Fulchonis filiorum ejus. S. Rodulfi vicecomitis &c. Ego frater Rotbertus monachus ejusdem congregationis jussu Sigefredi episcopi & Odonis thesaurarii, necnon Bernardi cancellarii, ac pæne omnium canonicorum, sive hortatu domni Hugonis comitis scripsi & subscripsi. Data est hæc manusfirma in Cinomannica civitate in mense Februario, anno jam in XVII. Lotharii regis regni.

L X I I.

Charta Adalberti comitis de instauratione monasterii S. Quintini in Monte.

Ad lib. 48. n. 48. *Ex veteri exemplo.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, hæc servaotibus pax & vita. Quoniam secundum dictum Apostoli, dum tempus habemus, ad omnes bonum debemus operari, maxime ad domesticos fidei; ego Adalbertus comes notum esse volo tam præsentibus quam futuris, in meo Viromandensi comitatu ab antiquo tempore extitisse ecclesiam, in honore sancti Quintini martyris dedicatam, in monte sitam juxta vicum Perronam, quam quondam Dagoberti regis auctoritate, Erchenoldi præfecti donatione, sancti Eligii pontificis benedictione, Ultanus quidam, genere Scotus, professione monachus, ecclesiasticis sanctionibus ac monasticis instituit institutionibus, abbatis honore functus. Post cujus vitæ excessum habitantium incuria, & barbarorum insectatione ad tantam desolationem ipsa pervenit ecclesia, ut vix rara antiquæ habitationis apparerent vestigia. Hanc igitur pro meæ remedio animæ, prædecessorumque sive heredum meorum salure, divina compunctus inspiratione, jussi a fundamento reædificare, & abbate constituto cum consilio fidelium meorum abbatiam studui confirmare, & ex mei juris hereditate, primorumque meorum largitione decrevi dotare, sicque in perpetuum ratam & inconvulsam permaoere. Hujus autem dotis res hæ sunt. In pago Viromandensi villula una, quæ dicitur Aiiiolcurt, & in ipso pago in villa Curticulas nuncupata mansi septem, & medietas ecclesiæ de Duriaco. Apud castellum Nigellam super fluvium Ingon, pontem cum terra appendente ibi. In Tegeri-Hamo * mansi duo, & in villa, quæ dicitur sancta Radegundis, mansi tres. In vico Perronæ capella * sancti Quintini cum quattuordecim hospitibus. In villa Alania * super fluvium Halæ * duodecim hospites cum terra colenda & prato uno. Ad ecclesiam ejusdem montis respicit villa, quæ Vivarius * dicitur, cum suis adjacentiis. Super fluvium Grusionem, in villa quæ Donius * vocatur, molendinum unum cum tertia parte prati ibi appendentis. In pago Suessonico, in villa quæ Alamans vocatur, tres mansi cum curia indominicata. In his ergo Deo, sanctoque martyri Quintioo datis rebus nullus heredum vel propinquorum meorum, non comea seu vicecomes, nec cujuslibet ingenuitatis homo, aliquid amodo accipiat causa consuetudinis seu advocationis, oon bannum, non justitiam, non districtionem, nisi fideli precatu ipsius abbatiæ abbatis. Quod qui infringere præsumpserit, pro suæ temeritatis ausibus æternis subjaceat maledictionibus, & publicis coactus resipiscere cogatur legibus. Cujus actionis testes, laudatores, confirmatores hi sunt. Ego Adalbertus comes, qui jussi fieri, subsignavi. Signum Heriberti comitis. S. Widonis comitis. S. Eilberti. S. Ivonis. S. Warneri. S. Lantberti. S. Gozlani. S. Odoois. S. Walchisi. S. Wazelini. S. Macherii. Sig. Odonis. Sig. Amalrici. Ego Leudulfus Vermandensis ac Noviomensis ecclesiæ episcopus relegi, subscripsi, confirmavi. Actum in curia sancti Quintini die passionis ejus.

* *Etinham.* * *nunc parochialis.* * *Alaine.* * *Hal.* * *Viviers* * *Dom.*

L X I I I.

Translatio sancti Maglorii & aliorum Parisios.

Ad lib. 48. n. 85. *Ex vet. cod.*

OPeruerunt Dani superficiem terræ sicut locustæ, nec erat cuiquam hominum eos facile prohibere. quorum bestialem animositatem præsul egregius Aletinæ civitatis, Salvator nomine, cum inter alios se nullo juvamine perferre diffideret, sublato corpore beatissimi Machuti prædecessoris sui Lehonense monasterium celeri cursu expetiit. Inibi si quidem jam multi sacri ordinis ministri, hujus cladis fragore perterriti, confluxerant, quia idem locus non solum pro sui amœnitate pollebat præcipue, verum etiam priscorum regum munificentia, magnorum prædiorum copiis præ ceteris nobilior apparebat, maxime cum ad sui decoris augmentum venerabile sacratissimi Maglorii archipræsulis corpus penes se retineret humatum. Grex ergo ibidem devotus monachorum administrante strenuissimo viro, Junano nomine, pastorali cura cum æterno Regi indefessis militaret excubiis, fertur eum divinitus fuisse præmonitum, ut urgente persecutionis tempore Galliarum in partes secederet, ubi tranquilla pace & tutissima mereretur potiri requie. Quà ob rem adhortante venerabili Salvatore episcopo, sumptis multorum sanctorum pignoribus, quæ per fidelium manus undique illic devecta fuerant; sacrisque ipsius ecclesiæ codicibus & signis, aliisque ecclesiasticis utensilibus, exsules egrediuntur a finibus suis. Jam metas excesserant patriæ, cum Dolensis necnon & Bajocensis ecclesiæ ministri se illorum hæserunt comitatui, ferentes secum sancti patriarchæ Samsonis, necnon & gloriosi episcopi Senatoris, sanctorumque pontificum Paterni & Scubilionis venerabiles artus, una diu, multumque per extera & incognita loca peregrinaturi. Verum

dum per triennium hæc acerrima perduraret guerra, Richardus comes Danos, Alamannos & Deiros in auxilium advocavit: a quorum infestatione cum Gallia diversis concuteretur incommodis, venerandus Salvator episcopus, paucis secum junctis fidelibus, ob imminentem rabiem barbarorum Parisius urbem nobilem munitissimamque adierunt. quam ingressi, cum, sicut moris est ipsius gentis, eorum desolarioni dulcissimo affectu comparerentur, eorum inopia quorumdam fidelium caritate satis abunde supplebatur. Aliquantisper denique ibidem commorati, cum paganorum immanitatem in christianos crebrius grassari conspicerent, omni spe sibi abscissa in patriam redeundi, provida dispensatione omnium Rectoris & Creatoris sine se nequaquam ulterius recessuros elegerunt, si favente divinitate ab ipso civitatis principe, videlicet Hugone Francorum duce, locus ad tantorum sanctorum corpora digne locanda largiretur. Dein inito consilio, ipsum ducem tunc in urbe demorantem adierunt, secum quorumdam sanctorum pios cineres deferentes. Ingressi autem principis aulam, eum secretius de quibusdam negotiis reperierunt pertractantem. Sed cum ducis colloquium diutissime protelarentur, forte super mensam sanctorum corporum glebam deposuerunt, principis præstolantes adventum. Interim vero hora prandii imminente, cum is qui principalibus præerat epulis, ad procurandum convivium aulam fuisset ingressus, ad viros Dei, ubi residebant devenit, & virga, quam manu gestabat, super corpora sancta percutiens, ut egrederentur procacibus verbis admonuit, nec tanti sceleris immanitatem impune tulit. Extemplo ergo a dæmone corripitur, & huc illucque debaccando discurrens furiosus, atrociter vexatur. Dumque alii ab eo pugnis tunduntur, alii diversis contumeliis afficiuntur, ingens per regiam aulam tumultus exoritur, & ob hoc dæmoniacus vinculis adhibetur: sanctorum corpora ab omnibus venerantur; & tanti prodigii novitas principis aures aggreditur. qui ilico nimio terrore compulsus, mox cum suis ad sanctorum corpora progreditur, atque coram eis humi prostratus, ne sibi quod factum fuerat, in peccatum reputaretur, ipsis apud Dominum suffragantibus humili devotione precatur. Sublatis autem inde in ecclesia sacris sanctorum artubus ab ipso Hugone strenuissimo duce, quæ regum antiquitus munificentia fuerat constructa, & in honore beati apostoli Bartholomæi consecrata, in quo canonicorum ordo divinum celebrabat officium, sunt deportata: atque ibidem decimo-sexto kalendas Novembris cum digno honore collocata: corpus videlicet beati Samsonis Dolensis archipræsulis, Maglorii ejusdem archipræsulis, Machuti episcopi, Senaroris episcopi, Leonarii episcopi, Wenalis sacerdotis, reliquiæ Briomagli & Corentini; Lencerni episcopi, Leviani episcopi, Ciseriani episcopi; pars pretiosorum corporum Melorii & Tremorii Wingantonis abbatis, Scofili abbatis; pars corporum Paterni & Scubilionis; dens sancti Budoci. Erant autem in ipsa eadem ecclesia aliorum sanctorum reliquiæ & corpora, quæ tam regum quam fidelium manibus, ut in regali capella, inantea fuerant delata. Pace itaque in tota Gallia & Nortmannia vigente & florente, quidam eorum qui de Britannia Parisius advenerant, nutu, ut credimus, divino sumptis sanctorum corporibus, quæ illic secum detulerant, almi videlicet Samsonis, & beati Leonarii, necnon & sancti Wenalis, aliorumque quorumdam sanctorom, quidam eorum patriam repedare, quidam ad alia Galliæ loca migrare disposuerunt. Quod cum duci nunciatum fuisset, licet ægre tulisset, vim tamen eis nolens inferre, retentis quibusdam membris sanctorum, abire permisit. qui recedentes, alii Corboilum castrum, alii Bellum montem experierunt, ubi & quieverunt; alii etiam ad alia Galliæ loca abierunt. Sancti vero corporis Samsonis procuratores, quia in Britanniam redire volebant, maxima parte ipsius sancti corporis retenta, & alia cum capite concessa, remeare permisit. qui abeuntes, cum per Aurelianensem urbem iter facerent, in ipsa urbe quibusdam incommoditatibus detenti, diu multumque morati sunt. Dux autem ecclesiam beati Bartholomæi, quæ tantorum sanctorum reliquiis videbatur illustrata ampliavit, quam postmodum in honore prædicti Apostoli atque beatissimi Maglorii, eo quod beatum Samsonem in archipræsulatu Dolensi meruisset sublimari, dedicari fecit: in qua etiam monachos ad divinom officium peragendum constituit, quibus semper abbatem ex propria congregatione præesse, tam regali quam sacerdotali auctoritate stabilivit. qui etiam cum sua venerabili conjuge, Adelaide nomine, filia Pictavorum comitis de progenie Caroli Magni, eidem ecclesiæ magna dona possessionesque & prædia obtulit. quæ sub nomine Lotharii regis & Ludovici describi & confirmari præcepit, regioque sigillo muniri constituit.

Sub Roberto vero rege, memorati ducis filio, comes Britannorum, Berengarius nomine, Parisius advenit eumdem principem visurus, militareque obsequium præbiturus. quod audientes monachi ecclesiæ sanctorum Bartholomæi atque Maglorii confessoris, ipsius regem urbis adierunt, rogantes, ut suis precibus apud præfatum comitem obtineret, quatenus ecclesia beatissimi Maglorii, in Lehonensi pago sita, quæ malignorum crebris infestationibus in absiditate redacta videbatur, cum suis appendiciis ecclesiæ beatorum Bartholomæi atque Maglorii concederet: quia nimirum decebat, ut, sicut hæc ipsius sancti confessoris corporali præsentia illustrari videbatur, sic ipsa Lehonensis ecclesia, quæ tanti patroni mæsta corporali carebat absentia, eidem Parisiensi ecclesiæ perpetuo subjici non denegaretur. Prædictus itaque comes tam regis quam monachorum piæ petitioni præbens assensum, ipsam Lehonensem ecclesiam, quæ in honore sanctorum apostolorum Petri & Pauli & beati Maglorii fuerat consecrata, ecclesiæ pronominatæ in urbe Parisiaca sitæ, cum suis possessionibus benigne concessit. quam ipse etiam postmodum

modum largissimis prædiis propria donatione ampliavit. Directi sunt autem illic monachi sex a venerabili Harduino, qui eo tempore congregationi Parisiensi præerat abbas, qui ipsum Lehontense monasterium in pristinam constructionem reducerent: quatinus ibidem servi Dei monastice viventes, remota sæculari pompa, cælibem vitam actitare satagerent. Prædicti autem monachi jussa patris complentes, ob multitudinem pro loci amœnitate ibidem construentium, ocius in priori renovatum est statu.

L X I V.

Heriberti comitis Trecensis charta pro Dervensi monasterio.

Ad lib. 48. n. 94. *Ex chartulario.*

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Heribertus Francorum comes inclitus. Si aliquid ex propriis facultatibus nostris, dum adhuc vivimus, & in hoc corpore manemus, ad loca sanctorum, in usus scilicet ac stipendia servorum Dei condonamus, æternam exinde retributionem a Deo nos promereri procul dubio in futuro non dubitamus. Quapropter notum esse volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ, tam præsentibus scilicet quam futuris, quia cum ad nostram notitiam pervenisset, quod monachi S. Petri Dervensis monasterii, ubi videlicet gloriosus martyr Bercharius, & beatissima virgo Christi Theodosia corpore requiescunt, vini penuriam sustinerent; eorum angustiæ clementer compassi, tractare diligenter cœpimus, quid ad supplementum indigentiæ ipsorum in hac parte eidem loco conferre deberemus. Quod cum sedulo animo volveremus, ad memoriam reduximus quoddam nostræ proprietatis alodium, quod adjacet in villa, cui Velcianas nomen est, ut ipsum pro remedio animæ nostræ prædicti loci fratribus Deo & sancto Berchario deservientibus traderemus. Quod & fecimus cum consilio videlicet Francorum procerum atque omnium fidelium nostrorum, tam clericorum, quam laïcorum. Res autem quas præfato monasterio tradidimus, sitas videlicet in supradicta villa, Velcianas nomine, in comitatu Otminse, speciali denominatione designamus; id est mansum unum indominicatum cum appendiciis suis, quidquid videlicet ibidem solida firmitate habere videbamur, id est vineas ad ipsum mansum aspicientes, terras cultas & incultas, prata, silvam unam. Et hæc omnia sunt intra fines supradictæ villæ Velcianas adjacentia. Hæc itaque ad honorem Dei sancto Petro sanctoque Berchario in usus monachorum sibi servientium, summa devotione, & alacri voluntate pro remedio animæ nostræ habenda, tenenda, possidenda contulimus, ut ipsis intercedentibus, a Deo & peccatorum nostrorum veniam & vitam consequamur æternam. Ea siquidem interposita conditione, ut monachi ibidem consistentes, præsentes videlicet & futuri, memoriam mei in omnibus divinis officiis habeant, cotidie unam missæ celebrationem pro me faciant, atque unum psalmum per singulas regulares horas persolvant; & cum septem specialibus psalmis memoriam meam adjungant, quamdiu in hac vita mansero: post discessum autem meum anniversarium obitus mei diem per singulos annos faciant. Si quis vero, postmodum aut ego ipse, aut aliquis successorum meorum, vel qualibet suspecta persona contra hanc nostræ donationis traditionem insurgere, & eam quodammodo infringere vel immutare voluerit, imprimitus iram omnipotentis Dei & sancti Petri, sanctique Bercharii incurrat, & in die judicii a Dei misericordia alienatus, cum Dathan & Abiron perpetuas inferni pœnas sustineat; & insuper regio fisco quadraginta auri libras inferat, & quod repetit evendicare non valeat: sed hæc præsens traditio per succedentia tempora firma, stabilis & inconvulsa permaneat constipulatione subnixa. Ut autem hæc nostræ donationis auctoritas omni tempore vigeat, & inviolabilem firmitatis observantiam habeat, manu propria omniumque fidelium & amicorum nostrorum, tam clericorum quam laïcorum, subter firmari & corroborari fecimus. Signum domni Heriberti incliti Francorum comitis, qui hoc testamentum fieri & firmari jussit. Sign. domni Odonis comitis filii sui. Sign. Willelmi. Sign. Ysuardi comitis. Sign. Nivardi. Sign. Wuationis. Sign. Richardi. Sign. Wiberti. Sign. Herivei. Sign. item Wiberti. Sign. Odonis majoris. Sign. Sigiberti. Sign. Rimari. Sign. Walteri. Sign. Widonis. Sign. Heriberti decani Altivillaris. Sign. Constantii. Sign. Otgeri monachi ipsius loci. Sign. Gilduini. Isti sunt firmatores & testes, qui præsentes fuerunt, & hanc donationem cum aliis pluribus firmaverunt. Actum Velcianis villa publice, regnante domno Lothario rege anno vicesimo-septimo feliciter.

L X V.

Lotharii regis confirmatio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Lotharius divina propitiante clementia Francorum rex. Si justis & rationabilibus servorum Dei petitionibus aurem clementiæ impendimus, procul dubio exinde æternam a Domino mercedem nos recepturos speramus. Quapropter universis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, quod adeuntes regiæ celsitudinis nostræ præsentiam, dilectissima scilicet nobis conjunx nostra regina, nomine Emma, simul etiam Adalbero sanctæ Laudunensis ecclesiæ, necnon & Gibuinus Katalaunensis sedis antistites reverendi intimaverunt nobis, qualiter Heribertus comes palatii nostri, nobis karus & fidelis in omnibus, ad locum sancti Petri Dervensis cœnobii, ubi sanctus martyr Bercharius corpore requiescit, humiliter venisset, & quoddam sui juris alodium, quod a progenitoribus suis illi contigerat, pro remedio animæ suæ ejusdem loci fratribus ad supplementum vini inopiæ, quo idem fratres maxime indigere videbantur, devote tradidisset. Insuper etiam ad notitiam posterorum suæque traditionis fir- Ad lib. 48. n. 91.

mitatem, cattam exinde & vestituram sub præsentia plurimorum secundum morem legalem supradicto loco publice perfecisset. Igitur hujus rei gratia prædicti pontifices, interveniente quoque præfata regina, karissima nobis nostra conjuge, petitionem supradicti comitis Heriberti unanimiter nobis inferentes, clementiæ nostræ pariter suggesserunt, ut hanc ejus traditionem, quam ipse Deo & sancto Petro ob salutem sui fecerat, nos præcepti nostri auctoritate præmuniremus. Adjacet vero alodum in pago Otminse, intra fines villæ, quæ Velcianas dicitur, notis ac legitimis terminis præfixum, supra videlicet & infra illius aquæ decursum, ubi Vetus-Materna nominatur, illi scilicet alodo æqua pene portione conjunctum atque conterminum, quod in eadem villa prædicti monachi ab antiquo possidere videbantur. Nos itaque cælesti beneficio permoti, horum principum nostrorum precibus aurem benigne accommodantes, ut eosdem Dei servos pro salute nostra, necnon & dilectæ conjugis ac prole nostra, simulque & statu regni nostri copiosius divinam majestatem exorare delectet, decernimus atque constituimus, ut supradictum prædium ab eodem Heriberto, fideli nostro comite, traditum, absque ullius contradictione personæ legitimo & quieto jure, cum vineis, silvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, terris cultis & incultis, exitibus & regressibus in perpetuum possideant, & quicquid exinde facere voluerint, liberam & quietam in omnibus habeant facultatem, ea videlicet lege a nobis interposita, ut si quis contradictor exsistat, hanc multam sustineat, ut centum auri libras regio fisco nostro primitus inferat, & quod temeraria præsumptione conquæritur, penitus obtinere non valeat. Ut autem nostræ auctoritatis decretum per succedentia tempora contra omnia obstacula inviolabile permaneat, manu nostra ac fidelium nostrorum, tam episcoporum quam procerum Francorum, corroborari, & anuli nostri impressione subter jussimus insigniri. Signum domni Lotharii gloriosissimi regis. Arnulfus notarius ad vicem Adalberonis Remorum archiepiscopi recognovit. Actum Lauduno-Clavato, anno dominicæ incarnationis DCCCC LXXX. regnante domno Lothario anno XXVII. feliciter.

INDEX GENERALIS

EORUM QUÆ CONTINENTUR IN TOMO TERTIO ANNALIUM BENEDICTINORUM.

Littera a *initium paginæ* , b *medium*, c *finem designat.*

A

S. Vedasti,

Bugga

C

D

E

F

G

Girvardus

H

I

K

L

M

N

O

Otbertus

P

Q

R

S

Seniofredus

T

V

W

X

Y

Z

INDEX PECULIARIS

MONASTERIORUM ET ABBATUM.

Altivillarense

B

D

E

G

Glanderiense

H

I

K

L

N

O

P

Q

R

S

T

V

Z

INDEX SCRIPTORUM PRÆCIPUORUM

Qui in hoc Tomo tertio laudantur.

A

B

C

D

E

F

F

G

H

I

L

M

N

O

P

R

Corrigenda in hoc tertio Tomo.

Pag. 4. *lin.* 4. infectus, *lege* insertus.
ibid. num. 8. *lin.* 19. avunculo, *lege* consobrino.
Pag. 37. *lin.* 7. *lege* Johannes, aliis Paulus. *num.* 73. *lin.* 9. Demetrio, *adde* construxit.
Pag 54. *n.* 6 *lin.* 24 Remensis, *lege* Bituricensis.
Pag. 77. *l.* 3. *dele* Hornbacensis.
Pag. 83. *n* 67 *lin* 19. rebus, *lege* de rebus.
Pag. 95. *lin.* 18. *post* Rosweydo, *adde* eruti, a Chesnio.
Pag. 107. *n.* 10. *lin.* 1. S. Zoyli, *dele verba sequentia usque ad punctum ; & sic lege :* cujus nominis duplex erat monasterium in pago Cordubensi, Armilatense scilicet, de quo superius diximus, & apud Carrionem opidum, de quo Morales. *Et pone ad marg.* Moral. in Eulog. pag. 265.
Pag 109. *lin.* 5. patris, *lege* patrui.
Pag. 132. *lin.* 7 Jacobi, *lege* Petri.
Pag. 136. *n.* 66. *lin* 11. monachus, *lege* monachis.
Pag 141 *ad marg.* num. 12. *lege num.* 14.
Pag. 151. *lin.* 8 legimus, *lege* egimus.
Pag. 158. *n.* 107. *lin.* 7 Rodulfi, *lege* Richardi.
Pag. 172. *n.* 27. *lin* 21 Helnensem, *lege* Narbonensem.
Pag. 175. *ad marg. litt. b.* lib. 32. *lege* lib. 34.
Pag. 177. *ad marg. litt. b.* tom. 1. *lege* tom. 2.
Pag 187. *n* 62. *lin.* 13 Viromandorum, *lege* Trecensium.
Pag. 203. *num.* 95. *lin.* 15. incerti loci, *lege* Centulensem.
Pag. 218. *ad marg. litt. c* n. 100. *lege* n. 119.
Pag. 226 *n.* 36. *lin.* 9. Gunfridii, *lege* Ebrardi.
Pag. 227. *n.* 41. *lin.* 2. ad Edifredo, *lege* ab Edifredo.
Pag 213 *n.* 54. *lin.* 2. Angilberto, *lege* Ansperto.
Pag. 260. *lin.* 1. itidemque, *adde* Hugoni.
Pag. 269. *n.* 35. *lin.* 1. papa VI. *lege* papa V.
Pag. 283. *n.* 73. *lin.* 14. *post* successori, *adde* in editis perperam.
Pag. 288. *n.* 81. *lin.* 34. *post* Hucboldi, *sic lege*, qui Fulconi supervixit. Incertum est tempus quo vivere desiit Remigius, &c.
Pag 293 *lin.* 7 Senoniensis, *lege* Medianensis.
Pag. 256. *lin.* 1 *dele* Fuldensi, &c.
Pag. 304. *ad marg litt. b. n.* 76. *lege n.* 8.
Pag. 315. *n.* 10. *lin.* 12. *post* Hic, *adde* Stephanus.
Pag. 323. *n* 33. *lin.* 3. Benedictus quintus, *lege* quartus.
Pag. 326. *lin.* 4. filius, *lege* filiis. *ibid. n.* 39. *lin.* 5. *lege* post conditam Oveti ecclesiam.
Pag. 349 *n.* 91. *lin* 1 Ferreus, *lege* Calvus.
Pag. 370. *n.* 45. *lin* 3. ejus, *lege* Bodonis.
Pag. 392. *lin. ultima*, deturbatur, *lege* deturbatus.
Pag. 395. *lin.* 28. apud eos, *lege* apud Æduos.
Pag. 399. *lin.* 12 *lege* Stephano septimo, aliis octavo.
Pag 422. *n* 40. *lin.* 18. *dele*, forte qui postmodum Arelatensis episcopus fuit.
Pag. 434. *lin.* 25. Aniciensis, *lege* Arvernensis.
ibid lin. 42. *dele* qui Arnaldo superius laudato successerat.
Pag. 452. *lin.* 11. *post vocem* Garumnæ, *adde*, alii Lezatensis monasterii originem, quæ sane obscurissima est, ad sæculum nonum referunt, ut dixi libro XXXII.
Pag. 454. *n.* 23. *lin.* 0. Ruotgeri, *lege* Ruodberti.
Pag. 465. *n.* 49. *lin.* 2. Hugonis, *lege* Brunonis.
Pag. 467. *n.* 56. *lin.* 1. papæ VII. *lege* papæ VIII.
Pag. 483. *num.* 95. *lin. penult.* Dunstano, *lege* Ethelwoldo.
Pag. 487. *n.* 106. *lin.* 4. illuc, *lege* illic.
Pag. 499. *n.* 21. *lin.* 15. Aquensis, *lege* Arelatensis.
Pag. 502. *lin.* 7. Hugonis, *lege* Lotharii; *sicut & pag.* 515. *n.* 54. *lin.* 7.
Pag. 511. *num.* 45. *lin.* 2. Viromandorum, *lege* Trecensis.
Pag. 522. *n.* 73 *lin* 13. Hirsaugiæ, *lege* Hersfeldiæ.
Pag. 541. *lin.* 33. Rainaldus, *lege* Rotbertus.

Pag. 554. *lin. antepenult.* fua, *lege* ejus.
Pag. 556 *n.* 52 *lin.* 13 Wentanum, *lege* Wigorniensem.
Pag. 563. *n.* 69. *ad marg* abbas, *lege* monachus.
Pag. 567. *lin.* 17 *lege* ubi erant canonici.
Pag. 572 *n.* 90 Arnulfus, *lege* Arnuftus.
Pag. 576. *n.* 99 *lin.* 6 Mayolum, *lege* Aymardum.
Pag 581. *lin* 12. Barcinonensi, *lege* in pago Urgellensi.
Pag. 591. *n.* 21. *lin.* 7. visurus, *lege* visura. *ibid. n.* 21. *lin.* 43. Palidense, *adde* virorum.
Pag. 595. *lin.* 11 *sepervixit, *lege* supervixit.
Pag. 596. *n* 32 *lin.* 1. præmisimus, *lege* tomo sequenti dicturi sumus.
Pag. 599. *lin. ult.* monasterio, *lege* ecclesiæ.
Pag. 601. *lin. ult.* De hoc Odone, *adde* aut Ottone Adalberti comitis Viromandensis filio.
Pag. 616. *n.* 86. *lin.* 17. mortuo, *lege* sponte cedenti.
Pag 630 *n.* 11 *lin.* 2. Quindelinburgensi, *lege* Gandersheimensi.
Pag. 641. *n.* 47. *lin.* 29 *post* Liudulfum, *lege* Alberti comitis Viromandensis filium, Heriberti tertii fratrem.
Pag. 654. n. 81. *lin.* 8. fratris, *lege* patruelis.
Pag. 696. *in charta Acfredi in authentico ubique constanter scriptum est* Acfredus, *non* Aifredus, *ut in transsumto ad me misso scriptum erat.*
In indice generali pag. 724 *ad verbum* Adalolfus, *ante numeras* 554. & 555. *insere*, Adalolfus alter abbas Sithiensis. *& pag.* 734 *ad verbum* Carolus filius Calvi *dele* Elnone sepultus.

FINIS TOMI TERTII.

In Tomo I.

PAg. 16. *n.* 38 *lin.* 4. quingentesimum, *lege* quadringentesimum.
Pag. 134. *lin.* 3. *post* septem, *lege* Eusebio Parisiensi episcopo mortuo.
Pag. 440. *lin.* 5. *ante ultimam* parentum, *lege* filii.

In Tomo II.

PAg. 3. *n.* 6. *lin.* 2. ad Quantiam, *lege* ad Ternam, *le Ternois.*
Pag 213. *n.* 16. *lin.* 13. *& seqq. sic lege*, undecimum, id est anno M LXXX. e laicorum manibus ereptum, a Goscelino archiepiscopo commissus est sæcularibus canonicis, qui a Nantoniensibus monachis pulsi, Fronciacum cum S. Æmiliani reliquiis se receperunt: sed in pristinum locum restituti, ineunte sæculo duodecimo canonicis regularibus cesserunt, qui hactenus eum retinent, ut suo loco fusius exponemus. *& dele ultimam lineam*, Hanc hodie, &c.
Pag 306. *lin.* 36. Adalberti, *lege* Hunfridi.
Pag. 410. *lin.* 3. *sic lege*: S. Alcimi partim unitum, partim ecclesiæ Pientiæ itidem cathedrali a Pio II. qui Pientiæ natus est, patre illic exsulante.
Pag 443. *lin.* 19. *post* leuita, *adde* Bernardus monachus. *& lin.* 23. Jonas... cum Jona, *lege* Bernardus... cum Bernardo.

APPROBATIO.

ILlustrissimi Galliarum Cancellarii jussu legi librum cui titulus est: *Annales Ordinis sancti Benedicti occidentalium Monachorum patriarchæ, &c. Authore Domno* JOHANNE MABILLON, *Presbytero & Monacho ejusdem Ordinis e Congregatione sancti Mauri, &c.* quem singulari diligentia & fide scriptum, nec absimilem iis operibus quæ ab eodem Authore edita sunt, inveni. Lutetiæ Parisiorum pridie nonas Februarii M. DCCII.

LAMARQUE TILLADET.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Grand Conseil, Prevost de Paris, Baillifs, Seneschaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT. Le Pere Dom JEAN MABILLON, Religieux Benedictin de la Congregation de saint Maur, nous ayant fait supplier de lui accorder nos Lettres de Privilege pour l'impression d'une Histoire de son Ordre qu'il a composée, & qu'il desireroit donner au public sous ce titre: *Annales Ordinis sancti Benedicti occidentalium Monachorum Patriarchæ: in quibus non modo res Monasticæ, sed etiam Ecclesiasticæ historiæ non minima pars continetur.* Nous lui avons permis & accordé, permettons & accordons par ces presentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choisir, ledit livre, en telle forme, marge, caracte-

re, & autant de fois que bon lui semblera, pendant le temps de vingt années consecutives, à compter du jour de la datte des presentes; de le faire vendre & distribuer par tout nostre Royaume. Faisons défenses à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & distribuer ledit livre sous quelque pretexte que ce soit, même d'impression étrangere & autrement, sans le consentement de l'exposant ou de ses ayans cause; sur peine de confiscation des exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable un tiers à nous, un tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit exposant, & de tous dépens, dommages & interests: à la charge d'en mettre avant de l'exposer en vente, deux exemplaires en nostre Bibliotheque publique, un autre dans le cabinet des livres de nostre Château du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France, le Sieur Phelypeaux, Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres; de faire imprimer ledit livre dans nostre Royaume & non ailleurs, en beau caractere & papier, suivant ce qui est porté par les Reglemens des années 1618. & 1686. & de faire enregistrer les presentes és Registres de la Communauté des Libraires de nostre bonne Ville de Paris, le tout à peine de nullité d'icelles: du contenu desquelles nous vous mandons & enjoignons de faire joüir l'exposant ou ses ayans cause pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens contraires. VOULONS que la copie desdites presentes, qui sera imprimée au commencement ou à la fin dudit livre, soit tenuë pour duëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires foy soit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution des presentes toutes significations, défenses, saisies, & autres actes requis & necessaires sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: CAR tel est nostre plaisir. DONNE' à Versailles le septiéme jour de May, l'an de grace mil sept cens deux: Et de nôtre Regne le cinquante-neuviéme. Par le Roy en son Conseil, LECOMTE.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs, conformément aux Reglemens. A Paris ce 11. jour de May 1702. P. TRABOÜILLET Syndic.

Ledit R. P. Dom Jean Mabillon a cedé & transporté le present Privilege à Charles Robustel Libraire à Paris, pour en joüir suivant les conventions faites entre-eux.

Permissio R. P. Superioris Generalis Congregationis S. Mauri.

NOs frater CLAUDIUS BOISTARD, humilis Superior Generalis Congregationis sancti Mauri, Ordinis sancti Benedicti, facultatem impertimur Domno JOHANNI MABILLON presbytero & monacho ejusdem Congregationis, typis mandandi ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI ab ipso compositos. In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas concessimus. Datum Parisiis in Monasterio S. Germani a Pratis, die 11. Julii anni 1702.

F. CLAUDIUS BOISTARD Generalis.

---

e Typographia DIONYSII THIERRY.

d.p.Restauro s.n.c.

Intervento di restauro, segnatura 2-77 Vol III

- collazione
- pulizia a secco
- rammendo alla piega e imbrachettatura (velina giapponese Vang 25502 e 25508)
- integrazione lacune, strappi e brachette di prolung (carta giapponese Vang 25502 e Japico 632660)
- spianamento a umido
- cucitura su 6 nervi (filo in cotone, corda di canapa)
- fogli di guardia struttura F (carta Vang 20231)
- prima indorsatura (carta Vang 25517)
- capitelli (lino naturale, cotone colorato)
- seconda indorsatura lino e cuoio sfiorato
- piatti (cartone fibrato tipo Avana)
- compensazioni in cartoncino durevole per la Conservazione Fabriano
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale)
- doratura diretta
- collanti per operazioni di rattoppo, imbrachettatura e indorsatura: Tylose MH300P al 4% e 6%
- collanti per la legatura: Tylose MH300P al 6% (80%) e Plextol B500 (20%)